UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ANACL.
REIFFENST.
THEOLOG.
MORALIS

BX1757
.R4
1745
c.1

Del P. Benavides.

R. P. F.
ANACLETI
REIFFENSTUEL
THEOLOGIA
MORALIS.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
CAPILLA ALFONSINA BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
20/1/83 MICROFILMADO R2 85

1080044567

THEOLOGIA MORALIS

BREVI SIMULQUE CLARA METHODO COMPREHENSA,

ATQUE

JUXTA SACROS CANONES,

Et noviſſima Decreta Summorum Pontificum diverſas propoſitiones damnantium, ac probatiſſimos Auctores, ſuccincte reſolvens omnes Materias Morales.

AUCTORE

R. P. F. ANACLETO REIFFENSTUEL

Ordinis Minorum S. Franciſci Reform. Provinciæ Bavariæ Ex-Cuſtode, ac Lectore Jubilato.

Editio Noviſſima mendis accuratiſſime expurgata.

46504

BASSANI, MDCCXLV.

Ex Typographia Remondini.

SUPERIORUM PERMISSU.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BX1757
.04
1745

LECTORI BENEVOLO.

QUA par est reverentia & humilitate tuis, Lector Benevole, non tam faventibus, quam frequentibus oculis aspiciendum, revidendum, sese offert istud Theologiæ Moralis, brevi, simulque clara methodo comprehensæ Opusculum. Ejus intentio, finisque est, & tuam, & Proximorum promovere salutem: addat Divina Bonitas desideratum Votis successum. Quoniam vero in librorum delectu nihil gratius accidere solet, quam si concurrant simul succincta brevitas, scriptorum claritas, rerumque atque doctrinarum universitas, & ad omnem usum expedita utilitas: hæc eadem præsens Opusculum per singula exhibere studuit, tibique favere, atque utinam & satisfacere. Caterum, ut intentum suum assequeretur felicius, selegit Authores probatissimos, Sententias probabiliores, magisq; fundatas (non tamen silendo probabiles) Conclusionesque aut solidis rationibus, aut ipsis SS. Canonum Authoritatibus (queis & Theologia Moralis, & recta vivendi ratio sese Deo jubente submittere, atque obsequi tenentur) fortiter stabilivit. Adduntur Decreta Summorum Pontificum novissima, & ubi cavenda in docendo scandalositas, aut timenda in practicando temeritas, Propositiones damnatæ propriis locis fideliter inseruntur. Ad Initium singularum Quæstionum apposita leguntur Summaria, in quibus, veluti Iliadem in nuce, totam materiarum seriem, scopumque conspicere valeas. Ut autem minori cum labore singula reperire liceat, hinc Elenchus Tractatuum, Distinctionum, & Quæstionum; illinc Index materiarum Alphabeticus inserviet locupletissimus. Numerositatem Objectionum adhibere dissuasit ipsamet Theologiæ Moralis Methodus passim recepta, brevitasque in fronte promissa, nonnulla tamen majoris claritatis gratia nonnunquam apponuntur: alias, si forsan alicubi desideres, eluere, supplereque poterunt vel rationes adductæ, vel SS. Canones, Legesque allegatæ. Tuum penes hæc, Lector Benevole, sit judicium: nam omnia quæcunque sequuntur, meliori sint submissa judicio, atque in primis humillime subjecta Censuræ S.R.E. utpote quæ, disponente Domino, cunctorum Fidelium Mater est & Magistra, cap. Damnamus, De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

LICENTIA, ET APPROBATIO ORDINIS.

Frater Carolus Franciscus de Varesio Ordinis Minorum Strict. Observantiæ S. P. N. Francisci Lector Emeritus, Supremæ & Universalis Inquisitionis Qualificator, ac Cismontanæ Familiæ Observantium & Reformatarum Commissarius Generalis, & Servus, Dilecto nobis in Christo P. Fr. Anacleto Reiffenstuel, Lectori jubilato, SS. Canonum Actuali, ac Ex-Definitori nostræ Reformatæ Bavariæ Salutem:

Cum juxta Apostolicas, Nostrasque Ordinis Constitutiones revisum, & approbatum fuerit Volumen quoddam a te nuper editum, cujus titulus est, Theologia Moralis: *Tenore præsentium ad salutaris obedientiæ meritum facultatem tibi impertimur, quatenus servatis servandis illud Typis mandare valeas. Dat. Romæ die 16. Maii 1691.*

FR. CAROLUS FRANCISCUS
de Varesio, Commissarius Generalis.

FACULTAS

Admodum Reverendi Patris Ministri Provincialis.

CUm Theologia Canonico-Moralis a R. P. Anacleto Reiffenstuel, Ord. Min. S. Francisci Reformatorum, Almæ Provinciæ nostræ Bavariæ Ex-Definitore, Lectore Jubilato, & SS. Canonum Actuali composita, a duobus Theologis sit revisa, & approbata, plurimumque recommendata, & omnia, quæ in editione Librorum de Jure sunt servanda, sint observata; tenore præsentium Facultatem impertior, ut hoc laudatissimum Opus Theologicum pro utilitate publica Typis mandari possit. Datum Monachii 11. Febr. 1692.

FR. BENNO MAYR, Lector Jubilatus, &
Almæ Provinciæ Bavariæ Minister Prov.

CENSURA THEOLOGICA.

SUum *Moralis Theologiæ* Opus R.P. Anacletus Reiffenstuel, Nostræ Provinciæ Ex-Definitor, Lector Jubilatus, & Sacrorum Canonum Actualis Ordinarius, ita Catholicæ Fidei, ac bonis moribus conformavit, ita solidis ac fundamentalibus doctrinis stabilivit, ita notabilibus atque utilibus distinctionibus illustravit, ita præclaris quæstionibus, categoricis conclusionibus, ac prolixis compendiis intexuit, ut Numero, & Muneri eximii Theologi ac Canonistæ simul satisfecisse videatur. Ita censeo, ex mandato Superiorum, Frisingæ, die 3. Aug. 1692.

FR. FORTUNATUS HUEBER, Totius Ordin.
S. Francisci, & Provinciæ Bavariæ Pater, Lector,
& Concionator Generalis, p.t. Guardianus Loci.

THeologiam Moralem *Universam*, brevi, simulque clara methodo comprehensum, atque juxta SS. Canones, & novissima Decreta Sanctorum Pontificum diversis Propositiones damnantium, ac probatissimos Authores, succincte resolventem omnes Materias Morales a *R. P. Anacleto Reiffenstuel, Ord. Minor. S. Francisci Reform. Provincia Bavaria S. Amonii de Padua Ex-Definitore, Lectore Jubil. SS. Can. Actuali industriose solideque congestam & elaboratam, ex mandato Superiorum solerter revidi, revidendoque deprehendi, id esse, quod ob Authore præmittitur in titulo, exacte servari in progressu, videlicet doctrinæ brevitatem, & claritatem cum SS. Canonum allegatione, & circumspecta ad novissima Decreta Pontificum attentione. Quare cum hac* Theologia Moralis *non tantum nihil Orthodoxæ Fidei aut bonis moribus contrarium, sed plurima Reipublicæ Litterariæ profutura, Cæteratibusque animarum necessaria contineat; illam vel ab ipso etiam frequentissimos textus Juris (quorum peritia Authorem summe commendat) juris publici ut fiat, dignissimam censeo. Datum in Conventu S. Francisci Stigmatizati, Frisingæ Anno 1692. 3. Februarii.*

FR. FLORIDUS MOSMILER, Ord. Min. S. Francisci
Reform. Provinciæ Bavariæ SS. Theologiæ Lector.

PRO-

PROPOSITIONES
A SUMMIS PONTIFICIBUS
INNOCENTIO X.
ALEXANDRO VII.
INNOCENTIO XI.
ALEXANDRO VIII.
ET
INNOCENTIO XII.
Damnatæ.

DECRETUM INNOCENTII X.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Universis Christi fidelibus salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm occasione Impressionis Libri, cui Titulus, *Augustinus Cornelii Gianseni Episcopi Iprensis*, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Gallia, controversia super quinque exillis; Complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, ut easdem propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam.

Tenor vero præfatarum Propositionum est prout sequitur.

PRima. Aliqua Dei præcepta Hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant.

Secunda. Interiori Gratiæ in statu Naturæ lapsæ nunquam resistitur.

Tertia. Ad merendum, & demerendum in statu Naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

Quarta. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

Quinta. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Nos quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assidue pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia dei Nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tuto militare, & tanquam Navis in tranquillo Mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, secure navigare, & ad optatum salutis Portum pervenire possit: pro rei gravitate, coram aliquibus S.R.E. Cardinalibus ad id specialiter sæpius congregatis, a pluribus in Sacra Theologia Magistris, eisdem quinque propositiones, ut supra, Nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tum voce, tum scripto relata mature consideravimus, eosdemque magistros, variis coram nobis actis Congregationibus, prolixe super eisdem, ac super earum qualibet differentes audivimus.

Cum autem ab initio hujusmodi discussionis ad Divinum implorandum Auxilium multorum Christi fidelium preces tum privatim, tum publice indixissemus, postmodum iteratis eisdem ferventius, ac per Nos solicite implorata Sancti Spiritus assistentia, tan-

tandem Divino Numine favente, ad infrascriptam devenimus declarationem, & Definitionem.

Primam prædictarum Propositionum: Aliqua Dei præcepta Omnibus Justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent Vires, sunt impossibilia; deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant: Temerariam, Impiam, Blasphemam, Anathemate damnatam, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Secundam: Interiori Gratiæ in statu Naturæ lapsæ nunquam resistitur: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Tertiam: Ad merendum, & demerendum in statu Naturæ lapsæ non requiritur in Homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a Coactione: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam in hoc ad initium Fidei, & erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana Voluntas resistere, vel obtemperare: Falsam & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut Sanguinem fudisse: Falsam, Temerariam, Scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit: Impiam, Blasphemam, Contumeliosam, Divinæ Pietati derogantem, & Hæreticam declaramus.

Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne de dictis Propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac præsenti nostra Declaratione, & Definitione continetur sub censuris & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in jure expressis.

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut Contradictores, & Rebelles quoscunque per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii secularis, omnino coerceant, & compescant.

Non intendentes tamen per hanc Declarationem, & Definitionem super prædictis quinque propositionibus factam, approbare alliatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridie Kal. Junii, Pontificatus Nostri Anno nono.

HI. DATARIUS

G. Gualterius. F. Ciampinus.

Anno a Nativitate D. N. JESU Christi 1653. indictione sexta, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. INNOCENTII Divina Providentia Papæ X. Anno ejus Nono, die vero nona mensis Junii supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit in Ecclesia Lateran. ac Basilica Principis Apostolorum de urbe, nec non Cancellaria Apostolica vulgo, ac in acie Campi Flore, per me Hieronymum Mascellam Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.

Pro Domino Mag. Cursorum P. Paulus Desiderius Cursor.

DECRETUM PRIMUM

ALEXANDRI VII.

Feria V. die 24. Sept. 1665. emanatum

In Congreg. Gener. S. Romanæ & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram S. D. N. Alexandro Divina Providentia Papa VII. ac Eminentissimis & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema Veritas Deus, cujus verba in æternum

um permanent, arctam esse desitivit, in animarum perniciem dilatari, seu versus perverti contingeret. Idem S. D. N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro Pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earundem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris & deinde Eminentiss. & Reverendiss. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus serio commisit. Qui tantum negotium strenue aggressi, eique sedulo incumbentes, & mature discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ fingillatim exposuerunt.

PROPOSITIONES.

1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt; & id non derogare facultati Trid. in qua de occultis criminibus sermo est, Anno 1629. 20. Julii in Consistorio Sacræ Congr. Eminentiss. Cardinalium, visa, & tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, & proinde non est denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium, satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcopi facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, se abeo injuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorum gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidendo propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a S. Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tene-

tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, fodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ: ideoque sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica, tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium propositionum examini cura, & studium impenderetur, interea idem Sanctissimus, re mature considerata, statuit & decrevit, prædictas propositiones & unamquamque ipsarum, ut minimum tanquam scandalosas, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicunque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscunque conditionis, dignitatis, ac status etiam specialis & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxin deducant.

Joannes Lupus S. Romanæ & Universalis Inquisitionis Not.

Loco ✠ Sigilli.

Anno a Nativitate D. N. JESU Christi 1665. Indict. 3. die vero 1. Mensis Octob. Pontificatus autem S. D. N. D. ALEXANDRI Divina Providentia Papæ VII. Anno secundo supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Cancellariæ Apostolicæ; ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum Melanum ejusdem Sanctissimi D. N. & Sanct. Inquisitionis Cursorem.

Romæ Typis Rev. Cam. Apost. 1665.

DECRETUM II.

ALEXANDRI VII.

Feria V. die 18. Martii 1666.

In Congreg. Gener. S. Romanæ & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram S. D. N. Alexandro Divina Providentia Papa VII. ac Eminentissimis & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversum hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus D. N. post latum Decretum die 24. Septemb. proxime elapsi, quo viginti octo Propositiones damnatæ fuerunt, examinatis sedulo & accurate usque ad hanc diem infrascriptis aliis quadragesimum quintum numerum implentibus per plures in Sacra Theologia Magistros, ac per Eminentiss. & Rev. DD. Cardinales adversus hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia singillatim super unaquaque ipsarum audivit.

PROPOSITIONES.

29. In die Jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent le certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiam iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova & lacticinia in quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascunque Eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, seclusio periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii vulgo *regalo*, dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tedio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum, non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corriganter.

Quibus mature penitis, idem Sanctissimus statuit, ac decrevit, prædictas propositiones, & unamquamq; ipsarum, ut minimum tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat ac prohibet: ita ut quicunque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Rom. Pontifice, absolvi.

Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscunque conditionis, dignitatis, & status etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Joannes Lupus S. Romanæ & Universalis Inquisitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Anno a Nativitate D. N. JESU Christi 1666. Indictione 2. die vero 23. Mensis Martii. Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D. N. D. ALEXANDRI Divina Providentia Papa VII. Anno undecimo supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellaria Apostolica, ac in acie campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum Melanum, ejusdem SS. D. N. PP. & S. Inquisitionis Cursorem.

Romæ Typis Rev. Cam. Apost. 1666.

DECRETUM PRIMUM

INNOCENTII XI.

Feria V. die 2. Martii 1679.

In Congreg. Gener. S. Romanæ & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Vaticano coram SS. D. N. D. INNOCENTIO Divina Providentia Papa XI. ac Eminentissimis & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus D. N. Innoc. Pap. XI. prædictus ovium sibi a Deo creditarum saluti sedulo incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis a sel. rec. Alexandri VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones, partim ex diversis, vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, subjecit. Quibus propositionibus sedulo & accurate, sæpius discussis, eorundem Eminentissimorum Cardinalium & Theologorum votis per Sanctitatem suam auditis, idem Sanctissimus D.N. re posita mature considerata statuit, & decrevit pro nunc sequentes propositiones, & unamquamq; ipsarum, sicut jacent, ut minimum tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas esse damnandas, & prohiben-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE

hibendas, ficuti eas damnat & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas sua per hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas & Sanctitati suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas, ullatenus approbare.

PROPOSITIONES.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum Dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosinam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci effectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale & secundum se.

17. Satis est, actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habet supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus.

22. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta ex testimonio Creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licium est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel alia via ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel numere ad magistratum, vel officium publicum, promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione offensiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut & jus habenti in Cathedram, & Præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum quamdiu in utero est, carere anima rationali; & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo aborsu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis furripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ; & cum contractu retroventionis prævie inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.

43. Quidni non nisi venale sit, detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiam si sit finis ipsius spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dixit Conc. Trid. eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium, vel primo videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo, locutione minus propria ponit dignitores, ut excludat indignos non vero dignos; vel tandem loquitur, quando sit Concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.

51. Famulus, qui subtilissimis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem sublervit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, sepposito, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad

nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiatæ tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v.g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis ac indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio: dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere, qui nimo directe & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat Mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Quicumque autem cujusvis conditionis, status & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de iis disputative publice, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscunque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxin deducant.

Tandem ut ab injuriosis contentionibus Doctores Scholastici, aut alii quicunque imposterum se abstineant, & ut pax, & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni censura, & nota, nec non a quibuscunque convitiis contra eas Propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognitæ super iisdem propositionibus judicium proferatur.

Francisc. Richard. S. Romanæ & Universalis Inquisitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Anno a Nativitate D. N. JESU Christi Millesimo sexcentesimo septuagesimo nono Indictione 2. die vero 4. Mensis Martii Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D. N. D. INNOCENTII Divina Providentia Papæ XI. Anno tertio, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum SS. ejusdem D. N. PP. & S. Inquisitionis Curs.

Romæ Typis Rev. Cam. Apost. 1679.

DECRETUM II.

INNOCENTII XI.

CIRCA

COMMUNIONEM QUOTIDIANAM.

Cum ad aures Sanctiss. D. N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ communionis, etiam in feria 6. Parasceve, & simul affirmari, eandem quotidianam Communionem præceptam esse a jure Divino; quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse, videlicet, quod aliqui, non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & Domi, imo cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravi infirmitatis nota sumant Sacro-

sanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam, in ecumena, aut secreto illis deferunt Sacerdotes Sæculares, aut Regulares, aliique in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito, ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario: cum autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit Sac. Congregationi Cardinalium Concil. Trid. Interpretum, eadem Sac. Congregatio prævia matura discussione super prædictis unanimi sententia ita censuit: Etsi frequens, quotidianusve sacrosanctæ Eucharistiæ usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, nunquam tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus aut hebdomadis dies statuerunt: quod nec Concil. Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet, tantum indicavit cum inquit: O tuteret quidem sacrosancta Synodus ut singulis Missis fideles adstantes sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent; Idque non immerito; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ contra gratiæ, & Dei dona parvulis concessa, quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cujusque dignitate, atque integritate & consequenter de frequentiori aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu Laicis negotiatoribus, & Conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In Conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos serio admoneant, tanto magis ob Sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad Cœlestium Epularum communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana sacræ communionis sumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet; illudque omnino provideat, ut nemo a sacro Convivio seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis, & præparationis modo ratius, aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidie Sacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent. Si quæ vero puritate mentis emiteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimque offendant, eos qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive Laici negotiatores sint, sive Conjugati, sive quicunque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti ac divini judicii formidine discant cœlestem mensam, in qua Christus est, reverere, & si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi acribito prudentiæ, & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtusque, ac dona insumentibus augeantur; quod abunde contiget, si ii, qui devoto hujusmodi studio divina præstante gratia tenentur, seque sacratissimo Pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore & charitate affueverint. Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in cœlesti Regno se præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio, ut suam opem ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur. Porro Episcopi, & Parochi, seu confessarii redarguant asserentes communionem quotidianam esse de jure divino; doceant in Ecclesia, seu oratoriis privatis ex dispensatione, seu Privilegio Pontificis de manu sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam,

ſtiam, nec eam ullo modo deferant in Cruménа, aut ſecreto ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accédere non valeant, & ad eos, ſi ab Eccleſia deferatur, publicè, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani. Si vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in feria ſexta Paraſceve Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſerventur. Inſuper admoneant nulli tradéndas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas. Non permittant, ut venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confeſſarii etiam Regulares, aut quicunque alii Sacerdotes ſecus egerint, ſciant Deo Optimo Máximo rationem reddituros eſſe, neque de futuram Epiſcoporum, & Ordinariorum juſtam, ac rigoroſam animadverſionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jeſu, facultate ipſis Epiſcopis Ordinariis per hoc Decretum per Sédem Apoſtolicam ſpecialiter attributa.

Et facta de præmiſſis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac præſens Decretum Typis dari, ac publicari voluit. In quorum &c. Datum Romæ 12. Februarii 1679.

F. Card. Columna Præf.

F. Archiep. Brancacius Epiſcop. Viterbien. Secret.

Die 15. Menſis februarii 1679. ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit per Urbem ad valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Ægidium Felicem SS. D. N. PP. Curſorem. Pro D. Magiſtro Curſorum Gregorius Scognus Apoſt. Curſ.

DECRETUM

ALEXANDRI VIII.

Feria V. die 7. Dec. 1690.

IN Congreg. Gener. S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis, coram S. D. N. Alexandro *Divina Providentia* Papa VIII. *ac Eminentiſſimis & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus, a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.*

SAnctiſſimus D. N. ALEXANDER Divina Providentia Papa VIII. prædictus, pro paſtorali cura Ovium Chriſto Domino ſibi commiſſa de earum ſalute ſolicitus, ut inoffenſo gradu per rectas ſemitas poſſint incedere, & paſcua nimium pernicioſa in praxis doctrinis exhibita vitare, unius ſupra triginta propoſitionum examen pluribus in ſacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis ac Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus commiſit, qui tantum negotium diligenter aggreſſi, eique ſedulo ac pluries incumbentes, ſuper una quaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſigillatim detulerunt.

PROPOSITIONES.

1. In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in cauſa ſua peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

2. Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali.

3. Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam.

4. Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus, & ſolis Fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Chriſto influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, inermem, ſine omni gratia ſufficienti.

6. Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam utilis, quam pernicioſa eſt, ſic ut proinde merito poſſimus petere: *a gratia ſufficiunti, Libera nos Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel mundi: ſi Dei, charitas Patris eſt: ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt mala, eſt.

8. Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.

10. Intentio qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, mere ut Cœleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.

11. Omne quod non eſt ex fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamſi videantur credere, non eſt fides divina, ſed humana.

13. Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.

16. Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, natura rei idipſum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox abſolvendi ordo pœnitentiæ eſt inverſus.

18. Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

21. Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione, ob quæſtum ſeu lucrum ſubſidii temporalis.

22. Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi ſunt a Sac. Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat a Beata Virgine Maria in die Purificationis ſuæ per duos pullos Columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtantur, quod indiguerit Purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet, ſecundum verba legis.

25. Dei Patris ſimulacrum nefas eſt Chriſtianos in templo collocare.

26. Laus, quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana eſt.

27. Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus: *In Nomine Patris, &c.* prætermiſſis illis, *Egote baptizo.*

28. Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit, *Non intendo, quod facit Eccleſia.*

29. Futilis & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani Octavi *In eminenti* eſt ſubreptitia.

Quibus mature conſideratis idem Sanctiſſimus ſtatuit, & decrevit 31. ſupradictas propoſitiones tanquam temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, injuriоſas, Hæreſi proximas, Hæreſin ſapientes, erroneas, Schiſmaticas, & Hæreticas reſpective eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat & prohibet, ita ut quicunque illas aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam diſputative, publice aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in Excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacunque etiam dignitate fulgente niſi pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper ſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus etiam ſpeciali & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc decretum alias Propoſitiones a majori numero ultra ſupradictas 31. jam

exhibitas, & in hoc decreto non expressas approbare.

Alexander Speronus S. Romanæ & Universalis Inquisitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Anno a Nativitate D. N. JESU Christi Millesimo sexcentesimo nonagesimo, Indictione 13. die 29. Decemb. Pontificatus autem SS. D. N. ALEXANDRI Divina Providentia Papæ VIII. Anno secundo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, in acie campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Peruum SS. D. N. PP. & Inquisitionis Curs.

Joannes Baptista de Comitibus Mag. Curs.

SANCTISS. D. N.

D. INNOCENTII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ XII.

Damnatio, & prohibitio Libri Parisiis anno 1697. impressi, cui titulus *Explication des Maximes des Saints sur la vie intérieure, &c.*

INNOCENTIUS

PAPA XII.

Ad Perpetuam rei memoriam.

CUm alias ad Apostolatus nostri notitiam pervenerit in lucem prodisse librum quemdam Gallico idiomate editum, cui titulus: *Explication des maximes des Saints sur la vie intérieure, par Messire Francois de Salignac Fenelon, Archevesque Duc de Cambray, Precepteur de Messeigneurs les Ducs de Bourgogne, d'Anjou, & de Berry. A Paris chez Pierre Aubouin, Pierre Emery, Charle Clouster 1697.* Ingens vero subinde de non sana libri hujusmodi doctrina excitatus in Gallia rumor adeo percrebuerit, ut opportunam Pastoralis vigilantiæ nostræ opem efflagitaverit; Nos eumdem Librum nonnullis ex venerabilibus Fr. Nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque in Sacra Theologia Magistris, maturæ, ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum commisimus. Porro hi, mandatis obsequentes, postquam in quamplurimis Cong. varias propositiones ex eodem libro excerptas diuturno, accuratoque examini discusserint, quid super earum singulis sibi videretur, tam voce, quam scripto Nobis expoluerunt. Auditis igitur in pluribus itidem coram nobis desuper actis Congregationibus memoratorum Cardinalium, & in Sacra Theologia Magistrorum Sententiis, Dominici Gregis Nobis ab Æterno Pastore credita pericula, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, librum prædictum ubicunque & quocunque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hucusque impressum, aut in posterum imprimendum, quippe ex cujus lectione, & usu fideles sensim in errores ab Ecclesia Catholica jam damnatos induci possent, ac insuper tanquam continentem propositiones sive in obvio earum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione, temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respective, tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christi fidelibus etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, interdicimus, & prohibemus: Volentes, & Apostolica auctoritate mandantes, ut quicumque supradictum librum penes se habuerint, illum statim, atque præsentes litteræ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, ac consignare omnino teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Caterum Propositiones in dicto libro contentæ, quas Apostolici censura judicii, ut præmittitur, configendas duximus, ex Gallico idiomate in latinum versæ, sunt tenoris, qui sequitur, videlicet.

1. Datur habitualis status amoris Dei, qui est Charitas pura, & sine ulla admixtione

ne motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habeat amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.

2. In statu Vitæ Contemplativæ seu unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris, & spei.

3. Id quod est essentiale in directione Animæ est, non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, & subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut finatur Deus agere, & nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per inactionem interiorem incipit aperire Cor huic Verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, & ideo potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.

4. In statu sanctæ indifferentiæ Anima non habet amplius desideria voluntaria, & deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nil volumus, ut simus perfecti, & beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suæ gratiæ.

6. In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum: sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam, & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, & quam nos vult velle propter ipsum.

7. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostra ipsiorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium. Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.

8. Omnia Sacrificia, quæ fieri solent ab Animabus quam maxime disinteressatis circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia. Sed hoc Sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc Sacrificium fit quodammodo absolutum.

9. In extremis probationibus potest anima invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, & quæ non est intimus conscientiæ fundus, se juste reprobatam esse a Deo.

10. Tunc Anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in Cruce dicens: Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? In hac involuntaria impressione desperationis conficit Sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem.

11. In hoc statu Anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed nunquam amittit in parte superiori, idest in suis actibus, & directis, & intimis spem perfectam, quæ est desiderium disinteressatum promissionum.

12. Director tunc potest huic Animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, & justæ condemnationi, quam fibra Deo indicium credit.

13. Inferior Christi pars in Cruce non communicavit Superiori suas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris sit quædam separatio partis Superioris Animæ ab inferiore. In ista separatione actus partis inferioris manent ex omnino cæca, & involuntaria perturbatione; nam totum quod est voluntarium, & intellectuale, est partis superioris.

15. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur. Ista compositio actuum discursivorum, & reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

16. Datur Status Contemplationis adeo sublimis adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties Anima actu orat, sua Oratio sit Contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.

17. Animæ Contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis. Primo. In fervore nascente earum contemplationis. Secundo. Anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.

18. In statu passivo exercentur omnes virtutes, distincte non cogitando, quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult, & amor Zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo vir-

tute prædituſ, quam cum virtuti amplius affixus non eſt.

19. Poteſt dici in hoc ſenſu, quod Anima paſſiva, & diſintereſſata nec ipſum amorem vult amplius, quatenus eſt ſua perfectio, & ſua felicitas, ſed ſolum quatenus eſt id, quod Deus a nobis vult.

20. In confitendo debent Animæ transformatæ ſua peccata deteſtari, & condemnare &c, & deſiderare remiſſionem ſuorum peccatorum, non ut propriam purificationem & liberationem; ſed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter ſuam gloriam.

21. Sancti Myſtici excluſerunt a ſtatu Animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina (*de puro amore*) eſſet pura, & ſimplex perfectio Evangelica in univerſa traditione deſignata, antiqui Paſtores non proponebant paſſim multitudini Juſtorum, niſi exercitia amoris intereſſati eorum gratiæ proportionata.

23. Purus amor ipſe ſolus conſtituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & meritorii ſunt.

Non intendimus tamen per expreſſam propoſitionum hujuſmodi reprobationem alia in eodem libro contenta ullatenus approbare. Ut autem eædem præſentes litteræ omnibus facilius innoteſcant, nec quiſquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, & auctoritate præfata decernimus, ut illæ ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, nec non Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curſoribus Noſtris, ut moris eſt, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; ita ut ſic publicatæ omnes, & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent: utque ipſarum præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XII. Martii MDCXCIX. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

I. F. CARD. ALBANUS.

Anno a Nativitate D. N. JESU Chriſti 1699. Indictione 7. die vero 12. Menſis Martii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. INNOCENTII Divina Providentia Papæ XII. Anno ejus Octavo. Suprædictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Magnæ Curiæ Innocentianæ, in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum ejuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ Curſorem.

Sebaſtianus Vaſellus Mag. Curſ.

ELEN-

ELENCHUS
TRACTATUUM, DISTINCTIONUM, ET QUÆSTIONUM.

TRACTATUS I.
De Actibus Humanis & Conſcientia.
DISTINCTIO PRIMA.
De Voluntario, & Involuntario.
Quæſtio I. Quid, & quotuplex ſit Voluntarium. Fol. 2.
II. Quando effectus, veluti indirecte, & in cauſa voluntarius, imputetur ad culpam. 3
III. Quo tempore peccatum tum commiſſionis tum omiſſionis, indirecte ſeu in cauſa duntaxat voluntarium, contrahatur. 5
IV. An Violentia, Metus, & Concupiſcentia cauſent involuntarium. 7
V. Quotuplex ſit ignorantia, & an cauſet Involuntarium. 8
DISTINCTIO SECUNDA.
De Natura Actus Humani ſeu Moralis, & variis ipſum concernentibus.
Quæſtio I. Quid ſit Actus Humanus ſeu Moralis. 11
II. Unde Actus Humani deſumant ſuam bonitatem, vel malitiam moralem. 12
III. Quomodo malitia, & præſertim bonitas debeat eſſe volita, ut eam Actus Humanus deſumat ex objecto, & circumſtantiis. 14
IV. De bonitate, vel malitia Actus externi. 16
V. An detur Actus indifferens. 18
VI. Quid requiratur, ut Actus Humani boni ſint meritorii vitæ æternæ. 19
DISTINCTIO TERTIA.
De Conſcientia ut Regula actuum Humanorum.
Quæſtio I. De natura & diviſione Conſcientiæ ut ſic, ubi & de Conſcientia recta, ſeu certa. 21
II. De Conſcientia erronea, ejuſque obligatione. 23
III. De Conſcientia dubia, ejuſque obligatione. 25
IV. De Conſcientia probabili, & an ipſam licite ſequi poſſimus. 28
§. 1. Quid ſit Conſcientia, & Opinio probabilis. 28
§. 2. An ſit licitum ſequi Sententiam probabilem, etiam in concurſu probabilioris & tutioris. 32
§. 3. Inferuntur Corollaria de Miniſtro Sacramentorum, Medico, Judice, Advocato. 33
Quæſtio V. De Conſcientia ſcrupuloſa, ejuſque ſignis, & remediis contra ſcrupulos. 35
TRACTATUS II.
De Legibus.
DISTINCTIO PRIMA.
De Natura Legum.
Quæſtio I. Quid, & quotuplex ſit Lex. 38
II. De conditionibus Legis, ejuſque differentia, a ſimplici Præcepto. 40
III. De promulgatione ad Legem requiſita. 41
IV. De acceptione Legum. 43
V. Quænam opera, & an etiam actus interni, per Legem humanam poſſint præcipi, vel prohiberi. 45
DISTINCTIO SECUNDA.
De Obligatione Legum.
Quæſtio I. De obligatione Legis Veteris, ejuſque ceſſatione. 46
II. De Obligatione Legis novæ, ſeu Evangelicæ, ejuſque perfectione. 48
III. De Obligatione Legum humanarum, & an obligent cum periculo vitæ. 50
IV. De Legibus Pœnalibus, earumque obligatione. 52
DISTINCTIO TERTIA.
De Subjecto Obligationis Legum.
Quæſtio I. Quinam obligentur Legibus Pontificiis, aliiſque Eccleſiaſticis. 55
II. An Clerici obligeatur Legibus Civilibus, ac Legislator teneatur propriis. 57
III. An Peregrini obligentur Legibus, & Conſuetudinibus locorum, per quæ tranſeunt. 58
IV. Reſolvuntur varia Quæſita quoad Peregrinos. 60
V. Qua intentione, quibuſque actibus ſatisfiat præceptis Legum. 62
DISTINCTIO QUARTA.
De Interpretatione, Diſpenſatione, ac Revocatione Legum.
Quæſtio I. De Interpretatione Legum; ubi & de Epicheja. 64
II. De Diſpenſatione Legum, & variis ipſam concernentibus. 66

III. De

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

III. De revocatione Legum. 68
IV. Quomodo Leges tollantur per contrariam Consuetudinem. 69

TRACTATUS III.
De Peccatis.

DISTINCTIO PRIMA.
De diversitate, & distinctione Peccatorum.
Quæstio I. Qua ratione peccatum dividatur. 72
II. Quid sit peccatum actuale, & quæ ejus causa. 74
III. De Peccato Habituali. 76
IV. Unde desumenda sit Distinctio specifica moralis peccatorum. 78
V. Unde desumatur Distinctio numerica moralis peccatorum. 80

DISTINCTIO SECUNDA.
De Peccato Mortali, & Veniali.
Quæstio I. De natura, Conditionibus, & signis Peccati mortalis, ac venialis. 83
II. Quibus de causis Peccatum ex genere suo mortale fiat per accidens veniale, & e contra. 85
III. Quibus modis remittantur Peccata venialia, ubi & de Sacramentalibus. 87

DISTINCTIO TERTIA.
De Septem Peccatis Capitalibus.
Quæstio I. De Superbia, & variis eam concernentibus. 89
II. De Avaritia, & Filiabus ejus. 91
III. De Luxuria, & Filiabus ejus. 92
IV. De Invidia, ejusque Filiabus. 93
V. De Ira, & Filiabus ejus. 93
VI. De Gula, & Filiabus ejus. 94
VII. De Acedia, & Filiabus ejus. 97

TRACTATUS IV.
De Virtutibus Theologicis.

DISTINCTIO PRIMA.
De Virtutibus Theologicis generatim.
Quæstio I. Quid & quotuplex sit tum Virtutus sic, tum Theologica. 98
II. De perfectione, & cessatione Virtutum Theologicarum & an habeatur medium. 100

DISTINCTIO SECUNDA.
De Fide.
Quæstio I. Quid sit Fides, & quod objectum ejus. 102
II. Quænam puncta Fidei sint necessario explicite credenda. 104
III. Quo tempore obligentur Fideles ad eliciendum actum Fidei. 107
IV. Quæ sit obligatio cæteris confitendi, & profitendi Fidem. 109

DISTINCTIO TERTIA.
De Ecclesia, Libris Canonicis, & traditionibus.
Quæstio I. De vera Christi Ecclesia. 111
II. Quænam sint notæ veræ Ecclesiæ Christi. 114
III. De Sacra Scriptura, seu Libris Canonicis. 116
IV. De multiplici Sensu, Obscuritate, atque Interpretatione Sacræ Scripturæ. 119
V. De Traditionibus. 121
VI. Quænam sit totius Fidei resolutio. 121

DISTINCTIO QUARTA.
De Vitiis Fidei oppositis.
Quæstio I. Quotuplex, & quam grave peccatum sit infidelitas. 124
II. Quid requiratur ad formalem & Perfectam Hæresin. 125
III. De conditionibus ad incurrendam excommunicationem ob Hæresin latam requisitis, ejusque absolutione. 127
IV. De Apostasia, Lectione Librorum prohibitorum, & Disputatione cum Hæreticis. 130

DISTINCTIO QUINTA.
De Spe atque oppositis Vitiis.
Quæstio I. De Spe Theologica ejusque obligatione. 132
II. De Vitiis Spei oppositis, Desperatione scilicet, ac Præsumptione. 134

DISTINCTIO SEXTA.
De Charitate ejusque Obligatione.
Quæstio I. Quid sit Charitas, & quæ ejus obligatio. 136
II. De Dilectione inimicorum. 138
III. De multiplicibus actibus Charitatis. 140
IV. De præcepto dandi Eleemosynam. 142
V. De Correctione fraterna. 143

DISTINCTIO SEPTIMA.
De Vitiis Charitati oppositis.
Quæstio I. De odio DEI, & Proximi. 146
II. De Scandalo. 148
III. De Discordia, Contentione, & Schismate. 150
IV. De bello, & variis ipsam concernentibus. 152

TRACTATUS V.
De Religione, & Vitiis oppositis.

DISTINCTIO PRIMA.
De virtute Religionis, & variis ejus Actibus.
Quæstio I. De natura, objecto, & præstantia virtutis Religionis. 154
II. De variis actibus virtutis Religionis. 156
III. De Adoratione Deo Debita. 158
IV. De cultu Sanctorum, Sacrarum Reliquiarum, atque Imaginum. 159
V. De oratione, & conditionibus ad ipsam requisitis. 162

DI-

DISTINCTIO SECUNDA.
De Vitiis Religioni oppositis per excessum.
Quæstio I. Quid sit Superstitio, & quæ species ejus. 165
II. De Idololatria. 166
III. De Divinatione, variisque ejus speciebus & gravitate. 167
IV. De Vana Observantia, ejusque speciebus, & gravitate. 170
V. De Magia, & Maleficio, aliisque huc attinentibus. 172

DISTINCTIO TERTIA.
De Vitiis Religioni oppositis per defectum.
Quæstio I. De Tentatione Dei. 174
II. De Sacrilegio, & quale sit peccatum. 176
III. De Simonia. 177
IV. Solvuntur alia dubia circa Simoniam, ejusque pœnas. 180
V. De Blasphemia. 184

TRACTATUS VI.
De Horis Canonicis, Juramento, & Voto.

DISTINCTIO PRIMA.
De Horis Canonicis
Quæstio I. Quid sint, & quo jure obligent Horæ Canonicæ. 187
II. Quinam teneantur recitare Horas Canonicas. 189
III. Quanta sit obligatio recitandi Horas Canonicas. 192
IV. Quænam intentio, & attentio requiratur ad recitationem Horarum Canonicarum. 194
V. De Integritate, Continuatione, Ordine & qualitate, quibus persolvendæ sunt Horæ Canonicæ. 196
VI. De Loco & tempore, quibus persolvendæ sunt Horæ Canonicæ. 199
VII. De causis excusantibus a recitatione Horarum Canonicarum. 200

DISTINCTIO SECUNDA.
De Juramento.
Quæstio I. Quid & quotuplex sit Juramentum. 201
II. De Conditionibus ad Juramentum requisitis. 205
III. Solvuntur diversa Dubia, Juramentum concernentia. 208

DISTINCTIO TERTIA.
De Voto.
Quæstio I. Quid & quotuplex sit Votum. 210
II. Quæ sit obligatio Voti. 212
III. De cessatione, Commutatione, & Irritatione Votorum. 214
IV. De potestate Dispensandi in Votis. 216
V. Quomodo practice impetrari possit dispensatio in Votis. 219

TRACTATUS VII.
De Justitia, & Jure, cæterisque Virtutibus Cardinalibus.

DISTINCTIO PRIMA.
De Virtutibus Cardinalibus.
Quæstio I. De Prudentia, ejusque partibus. 223
II. De Vitiis prudentiæ oppositis. 225
III. De Justitia, & variis ipsam concernentibus. *Remissive.* 226
IV. De Temperantia, & annexis virtutibus. 226
V. De Fortitudine, ejusque partibus & oppositis Vitiis. 228
VI. Quæ requirantur ad Martyrium. 229

DISTINCTIO SECUNDA.
De Virtute Justitia, ac Jure generatim.
Quæstio I. Quid sit Justitia, & quæ Virtutes eidem annexæ. 232
II. De Divisione Justitiæ in Commutativam & Distributivam. 234
III. Quid & quotuplex sit Jus: Ubi & de actione reali & personali. 236

DISTINCTIO TERTIA.
De speciebus Juris in re.
Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Dominium. 238
II. Quid sit Ususfructus. 239
III. De usu juris, & variis ipsum concernentibus. 240
IV. Quid & quotuplex sit possessio, & quæ ejus privilegia. 241

DISTINCTIO QUARTA.
De objecto, & Subjecto capaci Dominii.
Quæstio I. Quænam cadant sub objectum Dominii. 243
II. De peculio Filii familias; nec non de Bonis Uxoris. 244
III. De Bonis, & Dominio Clericorum Beneficiariorum. 246
IV. De Dominio Religiosorum. 250

DISTINCTIO QUINTA.
De Acquisitione Dominii.
Quæstio I. De modis generatim acquirendi rerum Dominium, bonisque incertis, ac Thesauris inventis. 251
II. De Venatione & Piscatione, ac variis ipsam concernentibus. 254
III. De aliis modis acquirendi rerum Dominium Jure Gentium. 255

DISTINCTIO SEXTA.
De Præscriptione & Usucapione.
Quæstio I. Cur lex Præscriptionis seu Usucapionis

pionis sit introducta, & an valeat in Foro conscientiæ. 258
II. Quæ conditiones requirantur ad Præscriptionem. 259
III. Quantum temporis requiratur ad usucapionem, seu Præscriptionem complendam. 261

TRACTATUS VIII.
De Contractibus.

DISTINCTIO PRIMA.
De Contractibus in genere.
Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Contractus. 263
II. Qualis consensus requiratur ad valorem Contractuum. 265
III. Quinam contrahere possint. 266
IV. De Restitutione in integrum, & quibus competat. 268

DISTINCTIO SECUNDA.
De Contractibus gratuitis.
Quæstio I. De Promissione, ejusque obligatione. 270
II. De Donatione, & variis ipsam attinentibus. 271
III. Quid sit Commodatum, Precarium, & Depositum. 273
IV. Ex qua culpa teneatur Commodatarius, Depositarius, & hujusmodi, si res commodata, deposita, &c. apud ipsum pereat. 274

DISTINCTIO TERTIA.
De Testamentis & ultimis voluntatibus.
Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Testamentum, & quæ ejus requisita. 277
II. An Testamentum non privilegiatum in foro Conscientiæ validum sit, si ei desint solemnitates Juris Civilis. 279
III. De Testamentis ad pias causas, aliisque privilegiatis. 281
IV. An omnes, præsertim Religiosi, eorumque Novitii, testari possint. 283
V. An Clerici Sæculares Beneficiarii valeant testari. 284
VI. De Codicillis, Legatis, & Fidei commissis. 287
VII. De Institutione Heredum, Falcidia, Trebellianica, & Successionibus ab intestato. 288

DISTINCTIO QUARTA.
De Contractibus Usurariis.
Quæstio I. De Mutuo, & variis ipsum concernentibus. 292
II. Quid sit usura, & quo jure prohibita. 293
III. An Pactum remunerandi &c. Contractus Mohatra, & Montes pietatis contineant usuram. 295
IV. An aliqui Tituli excusent ab usura. 297
V. De pignore, & Hypotheca, ubi & de Antichresi, & pacto Legis Commissoriæ. 300
VI. De Censibus, & an sint liciti. 301
VII. Quid, & quotuplex sit Cambium, & an licitum. 303
VIII. De emptione & Venditione. 305
IX. De Ludo, & Sponsionibus. 307

TRACTATUS IX.
De Præceptis Decalogi ubi & de Restitutione.

DISTINCTIO PRIMA.
De Præceptis Decalogi in genere, ac primis tribus in specie.
Quæstio I. Quid generatim censendum sit de Præceptis Decalogi, eorumque obligatione. 311
II. Quænam sub Primo, & Secundo Præcepto Decalogi contineantur. 314
III. De Tertio Præcepto Decalogi, ejusque obligatione. 315

DISTINCTIO SECUNDA.
De Quarto Præcepto Decalogi.
Quæstio I. Quæ sit obligatio Filiorum erga Parentes. 316
II. De obligatione Parentum erga Filios. 318
III. De obligatione Subditorum erga Superiores, & e contra. 320

DISTINCTIO TERTIA.
De Quinto Præcepto Decalogi.
Quæstio I. Quænam Quinto Præcepto Decalogi prohibeantur. 320
II. Quodnam Homicidium sit prohibitum. 321
III. De Homicidiis specialem malitiam continentibus. 324
IV. De Restitutione ratione injusti Homicidii, vel Mutilationis. 326

DISTINCTIO QUARTA.
De Sexto Præcepto Decalogi.
Quæstio I. De Castitate, & opposito vitio Luxuriæ, ac utriusque speciebus. 328
II. De Fornicatione, Adulterio, & Stupro. 329
III. De obligatione restitutionis ratione Stupri, & Adulterii. 331
IV. De Incestu, & Raptu. 333
V. De prima specie Peccati contra naturam, quæ est Mollities. 335
VI. De cæteris speciebus Peccati contra naturam. 338
VII. De Impudicitia, hoc est, de osculis, tactibus, aspectibusque impudicis, & an detur levitas materiæ in re venerea. 339

DISTINCTIO QUINTA.
De Septimo Præcepto Decalogi.
Quæstio I. Quid sit Furtum, & quæ quantitas ad Furtum mortale sufficiat. 343
II. De minutis, ac domesticorum Furtis. 346
III. De Cooperantibus ad Furtum, vel injustam Damnificationem. 349
IV. De restitutione, atque ordine in ipsa servando circa Bona Fortunæ. 351
V. Ex qua culpa oriatur obligatio Restitutionis ratione damni dati. 354
VI. De causis excusantibus a Restitutione, vel omnino, vel ad tempus. 357

DISTINCTIO SEXTA.
De Octavo Præcepto Decalogi.
Quæstio I. De Detractione, & variis ipsam concernentibus. 361
II. De Contumelia. 364
III. De Convitio, Improperio, Maledicto, Irrisione, Susurratione, ac Libello famoso. 365
IV. Quibus modis Fama, vel Honor injuste ablatus reparari possit, ac debeat. 366
V. De Causis excusantibus a Restitutione Famæ, & Honoris. 367
VI. De Judicio temerario, suspicione, & Dubitatione. 369

DISTINCTIO SEPTIMA.
De Nono, & Decimo Præcepto Decalogi.
Quæstio I. Quænam Nono, & Decimo Præcepto Decalogi prohibeantur. 371
II. De Delectationibus morosis, & Desideriis illicitis. 372

TRACTATUS X.
De Præceptis Ecclesiæ.

DISTINCTIO PRIMA.
De Primo, & Secundo Præcepto Ecclesiæ, sive de Festis.
Quæstio I. Quænam generatim Primo, & Secundo Præcepto Ecclesiæ injungantur. 374
II. Quæ opera diebus Festis prohibita sint. 376
III. Quæ causæ excusent exercentes Opera prohibita diebus Festis. 379
IV. Quæ sit obligatio audiendi Missam diebus Festis. 380
V. Quæ causæ excusent a Præcepto audiendi Missam. 381

DISTINCTIO SECUNDA.
De Tertio Præcepto Ecclesiæ, sive De Jejunio.
Quæstio I. Quid sit Jejunium, & quæ ejus requisita. 383
II. Solvuntur varia dubia circa tres Jejunii conditiones. 385
III. Quæ sit obligatio Jejunii. 388
IV. Quæ causæ a Jejunio excusent. 392

DISTINCTIO TERTIA.
De Quarto, & quinto Præcepto Ecclesiæ; sive de Annua Confessione, & Communione Paschali.
Quæstio I. Quid sit, & quo jure, ac quando obliget Confessio Sacramentalis. 396
II. Quomodo præceptum Ecclesiasticum annuæ Confessionis obliget. 397
III. An, & quæ sit obligatio Juris tum Divini, tum Ecclesiastici fumendi Eucharistiam. 399
IV. Varia Quæsita circa sumptionem Sacramenti Eucharistiæ solvuntur. 400
V. Quid sit sentiendum de Communione frequenti, & quotidiana. 403

TRACTATUS XI.
De Beneficiis Ecclesiasticis, Jure Patronatus, & Decimis.

DISTINCTIO PRIMA.
De Beneficiis Ecclesiasticis, eorumque Collatione.
Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum. 405
II. De Collatione Beneficiorum. 407
III. Quinam Beneficia libere conferre possint. 409
IV. Quibus conferenda sint Beneficia; ubi & de Conditionibus ex parte eorum requisitis. 411
V. Quæ sint obligationes Beneficiorum. 414

DISTINCTIO SECUNDA.
De Incompatibilitate, Renuntiatione, & Permutatione Beneficiorum.
Quæstio I. Quæ Beneficia sint incompatibilia, vel compatibilia. 416
II. Quæ sint pœnæ recipientium plura Beneficia incompatibilia. 418
III. Quid, & quotuplex sit Renuntiatio Beneficiorum, & ex quibus causis fieri possit. 420
IV. An sit licita Resignatio Beneficii in favorem tertii, vel reservata annua Pensione. 422
V. An, & quomodo possit fieri Permutatio Beneficiorum Ecclesiasticorum. 423

DISTINCTIO TERTIA.
De Jure Patronatus.
Quæstio I. Quid sit Jus patronatus, & quomodo acquiratur. 425
II. Quotuplex sit Jus patronatus, & quomodo Ecclesiasticum differat a Laicali. 427
III. De jure præsentandi, aliisque juribus Patrono competentibus. 430

DISTINCTIO QUARTA.
De Decimis.
Quæstio I. Quid sint Decimæ, Primitiæ, & Oblationes. 433

II. Quo jure, & ex quibus rebus solvendæ sint Decimæ. 434
III. Quibus solvendæ sint Decimæ. 436
IV. Quibus modis eximatur quis a præstatione Decimarum. 438

TRACTATUS XII.
De Immunitate Ecclesiastica, & Indulgentiis.

DISTINCTIO PRIMA.
De Immunitate Ecclesiastica in se, ejusque speciebus.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Immunitas Ecclesiastica, & quo jure constituta. 440
II. In quibus consistat Immunitas localis, sive Ecclesiarum. 442
III. De Immunitate reali & personali. 443

DISTINCTIO SECUNDA.
De Jure Asylorum.

Quæstio I. Quo jure, quibusque locis competat privilegium Asyli. 446
II. Quæ personæ gaudeant jure Asyli Ecclesiastici. 448
III. Quæ crimina non gaudeant immunitate Ecclesiastica. 450
IV. De commodis immunitatis Ecclesiasticæ pœnisque eam violantium, ac modo extrahendi Reos criminum exceptorum. 453

DISTINCTIO TERTIA.
De Indulgentiis.

Quæstio I. Quid sit Thesaurus Ecclesiæ. 455
II. Quid, & quotuplex sit Indulgentia. 457
III. De Potestate concedendi Indulgentias, & Conditionibus ad earum valorem requisitis. 459
IV. De Subjecto Indulgentiarum capaci, & quomodo profint Defunctis. 461
V. Varia Dubia circa Indulgentias breviter solvuntur. 463
VI. Quæ Indulgentiæ per Paulum V. revocatæ, ac de novo Regularibus concessæ fuerint. 467
VII. Quæ Indulgentiæ ab Innocentio XI. declaratæ sint apocryphæ. 468
VIII. Quænam Indulgentiæ post novam reformationem soleant de facto ordinarie concedi Romæ Ecclesiis, vel Altaribus, & quomodo practice petantur? Ubi etiam de notabilioribus quibusdam Clausulis, quæ nonnullis Brevibus apponi solent. 470
IX. De Jubilæo & variis ipsum concernentibus. 475
X. De facultate absolvendi a reservatis tempore Jubilæi. 480
XI. De Suffragiis. 483

TRACTATUS XIII.
De Censuris, ac Irregularitate, aliisque Pœnis Canonicis.

DISTINCTIO PRIMA.
De Censuris, & Pœnis Canonicis in genere.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Censura Ecclesiastica. 486
II. Ob quam causam Censuræ fieri possint. 487
III. An ignorantia, metus, vel aliud quidpiam excuset ab incurrenda Censura. 490
IV. Quid, & quotuplex sit Pœna Canonica? ubi & de Depositione, Degradatione, & Infamia. 493

DISTINCTIO SECUNDA.
De Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Excommunicatio. 495
II. Qui sint effectus Excommunicationis majoris. 496
III. Quinam Excommunicati, & in quibus casibus sint vitandi. 502
IV. De nonnullis Excommunicationibus in particulari. 503
V. De Suspensione, & variis ipsam attinentibus. 507
VI. Quid, & quotuplex sit Interdictum, & qualis effectus ipsius. 508

DISTINCTIO TERTIA.
De Irregularitate.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Irregularitas? ubi varia ipsam attinentia. 511
II. De Irregularitatibus ex delicto provenientibus. 512
III. De Irregularitatibus ex defectu. 515
IV. De Irregularitate ex homicidio, vel mutilatione. 517
V. Quis possit dispensare in irregularitatibus. 521

TRACTATUS XIV.
De Sacramentis.

DISTINCTIO PRIMA.
De Natura Sacramentorum in genere.

Quæstio I. Quid, & quot sint Sacramenta novæ Legis. 524
II. De Materia, & forma Sacramentorum. 526
III. Quænam intentio ex parte Ministri, ac Recipientis, requiratur ad valorum Sacramentorum. 529
IV. Quænam ex parte Ministri requirantur ad legitimam Sacramentorum administrationem. 531

DISTINCTIO SECUNDA.
De effectibus, ac Necessitate Sacramentorum.

Quæstio I. An, & quomodo Sacramenta conferant gratiam. 534
II. An omnia Sacramenta conferant primam gratiam, aut æqualem inæqualiter dispositis. 536
III. Qualis requiratur dispositio ad fructuose recipienda Sacramenta, & præsertim SS. Eucharistiam. 538
IV. De Charactere, ubi & de Sacramentis cum Fictione susceptis. 541
V. An, & quomodo singula Sacramenta sint necessaria ad salutem. 543

DISTINCTIO TERTIA.
De Baptismo, & Confirmatione.

Quæstio I. Quid sit Baptismus, & quo tempore institutus, quæque ejus obligatio. 545
II. Quæ sit materia Baptismi, qualisque requiratur ablutio baptizandi. 547
III. De Forma Sacramenti Baptismi. 547
IV. De Ministro, & quibusdam aliis Baptismum concernentibus. 550
V. De Sacramento Confirmationis. 551

DISTINCTIO QUARTA.
De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

Quæstio I. De Natura, Institutione, ac Unitate Sacramenti Eucharistiæ. 553
II. De Materia Sacramenti Eucharistiæ, ubi præcipue de Pane. 554
III. De Vino, seu materia Consecrationis Calicis. 556
IV. De Aqua Vino consecrando apponenda. 557
V. De Forma Consecrationis Eucharistiæ. 560
VI. De reali præsentia Christi in Eucharistia. 560
VII. De Necessitate sumendi Eucharistiam sub alterutra Specie: ubi de ejus Effectibus. 561

DISTINCTIO QUINTA.
De Sacrificio Missæ.

Quæstio I. De natura Sacrificii in genere. 563
II. De Missa, & qua ratione in ea offeratur verum Sacrificium. 565
III. Qui sint Offerentes Missæ Sacrificium & in quo consistat Essentia ipsius. 568
IV. De Effectibus Sacrificii Missæ. 570
V. Quantus sit valor Sacrificii Missæ. 572
VI. Pro quibus possit offerri Sacrificium Missæ. 574
VII. De Applicatione Missæ. 575
VIII. De obligatione celebrandi Missam quam ex variis Titulis habent Sacerdotes. 577
IX. De tempore celebrandi Missam. 581
X. Quo in loco sit celebranda Missa? Ubi de violatione Ecclesiæ. 583
XI. De aliis notabilibus Dubiis circa Sacrificium Missæ.

DISTINCTIO SEXTA.
De Sacramento Pœnitentiæ.

Quæstio I. De institutione, natura, & necessitate Sacramenti pœnitentiæ. 588
II. De Materia Sacramenti Pœnitentiæ. 589
III. De forma Sacramenti Pœnitentiæ. 591
IV. De Contritione, seu Pœnitentiæ virtute, quæ est prima pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ. 595

DISTINCTIO SEPTIMA.
De Confessione, quæ est altera Pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæstio I. Quæ Conditiones requirantur ad Confessionem Sacramentalem. 597
II. Quomodo Confessio debeat esse integra? 601
III. De necessitate confitendi Circumstantias aggravantes, Peccata, Dubia &c. & præmittendi examen conscientiæ. 605
IV. An absolvendus sit Moribundus, qui amplius confiteri non potest? 608

DISTINCTIO OCTAVA.
De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæstio I. Qui sit Minister Sacramenti Pœnitentiæ, & quomodo indigeat Jurisdictione. 611
II. De Probitate, Scientia, & Prudentia Confessarii. 613
III. De interrogationibus a Confessario faciendis. 616
IV. Quid agendum Confessario circa constitutos in Occasione proxima peccandi, recidivos, & laborantes quadam ignorantia. 619
V. De Denuntiatione Confessariorum sollicitantium Pœnitentes ad inhonesta. 621

DISTINCTIO NONA.
De casibus Reservatis, & Sigillo Confessionis.

Quæstio I. Quid sit Reservatio Casuum, & a quo fieri possit. 623
II. De absolutione a Casibus Reservatis in & extra Articulum mortis. 625
III. De Sigillo Confessionis. 627

DISTINCTIO DECIMA.
De satisfactione, ut tertia Parte Sacramenti Pœnitentiæ.
Quæstio I. De Satisfactione Sacramentali, ejusque acceptatione, & impletione. 630
II. Quænam opera pro pœnitentia Sacramentali injungenda sint. 632
DISTINCTIO UNDECIMA.
De Sacramento Extremæ Unctionis.
Quæstio I. Quæ sit Materia, & Forma Sacramenti Extremæ Unctionis. 636
II. De Effectibus, Subjecto, & Iterabilitate Sacramenti Extremæ Unctionis. 638
DISTINCTIO DUODECIMA.
De Sacramento Ordinis.
Quæstio I. Quid, & quot sint Ordines, ubi & de prima Tonsura. 640
II. De Materia, & Forma, & Officiis singulorum Ordinum. 643
III. De Ætate, & Qualitatibus Ordinandorum. 646
IV. De Ministro Sacramenti Ordinis. 649
V. Solvuntur variæ Quæstiones circa Sacramentum Ordinis. 649
DISTINCTIO DECIMATERTIA.
De Sacramento Matrimonii.
Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Matrimonium, & quæ Bona ipsius. 651
II. De Materia, Forma, & Ministro Sacramenti Matrimonii. 653
III. An, & qualis consensus requiratur ad valorem Matrimonii. 655
IV. Utrum sit licita Pluralitas Uxorum. 658
V. De Indissolubilitate Matrimonii. 660
VI. De Cohabitatione, & onere Debiti Conjugalis. 662
VII. De Divortio. 666
Monitum quæstio hæc Decima adhæcti debet Tractatui de Contractibus.
DISTINCTIO DECIMAQUARTA.
De impedimentis Matrimonii.
Quæstio I. A quo possint statui impedimenta Matrimonii. 674
II. Quæ sint impedimenta mere impedimentia Matrimonii. 675
III. De Sponsalibus, eorumque Obligatione, & Dissolutione. 677
IV. De Impedimentis dirimentibus Matrimonii. 682
§. I. De Impedimento Erroris. 681
§. II. De Impedimento Conditionis. 682
§. III. De Impedimento Violentiæ. 683
§. IV. De Impedimento Impotentiæ. 683
§. V. De Impedimento Ligaminis. 685
§. VI. De impedimento Ordinis. ibid.
§. VII. De impedimento Voti. ibid.
§. VIII. De impedimento Disparitatis Cultus. 686
§. IX. De impedimento Criminis. ibid.
§. X. De impedimento Cognationis, tum Carnalis, tum Spiritualis, ac Legalis. 688
§. XI. De impedimento Affinitatis. 693
§. XII. De impedimento Justitiæ publicæ Honestatis. 694
§. XIII. De Præsentia Parochi, ac duorum Testium. 695
§. XIV. Solvuntur varia Dubia circa Præsentiam Parochi, ac Testium. 697
§. XV. De impedimento Raptus. 699
Quæstio V. De dispensatione impedimentorum Matrimonii. 700
Appendix, continens modum legendi, & scribendi Citationes Utriusque juris. 704

THEOLOGIÆ MORALIS BREVI SIMULQUE CLARA METHODO COMPREHENSÆ

TRACTATUS I.

DE ACTIBUS HUMANIS, ET CONSCIENTIA.

1. QUONIAM a Deo, Authore & Conditore suo, homo ad supernaturalem Beatitudinem ordinatus esse dignoscitur, in primis necesse est media illa investigare, quibus ad præparatam sibi æternam Beatitudinem pervenire, Deumque tanquam ultimum finem suum apprehendere valeat. Cum igitur juxta illud Davidicum, Psal. 36. *Declina a malo, & fac bonum*, alia ratione id fieri nequeat, nisi per exercitationem actuum bonorum, fugamque malorum: hinc in præsenti utilissimo, omnibusque præsertim Confessariis, scitu summe necessario Tractatu, quem *De actibus Humanis & Conscientia* inscribunt, ea consideranda occurrunt, quibus homo in suis actionibus ita possit dirigi, imo & alios dirigere, ut tandem exercitatione bonorum actuum, fugaque malorum, præparatam sibi Gloriam æternam consequi mereatur.

DISTINCTIO DECIMA.
De satisfactione, ut tertia Parte Sacramenti Pœnitentiæ.
Quæstio I. De Satisfactione Sacramentali, ejusque acceptatione, & impletione. 630
II. Quænam opera pro pœnitentia Sacramentali injungenda sint. 632
DISTINCTIO UNDECIMA.
De Sacramento Extremæ Unctionis.
Quæstio I. Quæ sit Materia, & Forma Sacramenti Extremæ Unctionis. 636
II. De Effectibus, Subjecto, & Iterabilitate Sacramenti Extremæ Unctionis. 638
DISTINCTIO DUODECIMA.
De Sacramento Ordinis.
Quæstio I. Quid, & quot sint Ordines, ubi & de prima Tonsura. 640
II. De Materia, & Forma, & Officiis singulorum Ordinum. 643
III. De Ætate, & Qualitatibus Ordinandorum. 646
IV. De Ministro Sacramenti Ordinis. 649
V. Solvuntur variæ Quæstiones circa Sacramentum Ordinis. 649
DISTINCTIO DECIMATERTIA.
De Sacramento Matrimonii.
Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Matrimonium, & quæ Bona ipsius. 651
II. De Materia, Forma, & Ministro Sacramenti Matrimonii. 653
III. An, & qualis consensus requiratur ad valorem Matrimonii. 655
IV. Utrum sit licita Pluralitas Uxorum. 658
V. De Indissolubilitate Matrimonii. 660
VI. De Cohabitatione, & onere Debiti Conjugalis. 662
VII. De Divortio. 666
Monitum quæstio hæc Decima adhæcti debet Tractatui de Contractibus.
DISTINCTIO DECIMAQUARTA.
De impedimentis Matrimonii.
Quæstio I. A quo possint statui impedimenta Matrimonii. 674
II. Quæ sint impedimenta mere impedimentia Matrimonii. 675
III. De Sponsalibus, eorumque Obligatione, & Dissolutione. 677
IV. De Impedimentis dirimentibus Matrimonii. 682
§. I. De Impedimento Erroris. 681
§. II. De Impedimento Conditionis. 682
§. III. De Impedimento Violentiæ. 683
§. IV. De Impedimento Impotentiæ. 683
§. V. De Impedimento Ligaminis. 685
§. VI. De impedimento Ordinis. ibid.
§. VII. De impedimento Voti. ibid.
§. VIII. De impedimento Disparitatis Cultus. 686
§. IX. De impedimento Criminis. ibid.
§. X. De impedimento Cognationis, tum Carnalis, tum Spiritualis, ac Legalis. 688
§. XI. De impedimento Affinitatis. 693
§. XII. De impedimento Justitiæ publicæ Honestatis. 694
§. XIII. De Præsentia Parochi, ac duorum Testium. 695
§. XIV. Solvuntur varia Dubia circa Præsentiam Parochi, ac Testium. 697
§. XV. De impedimento Raptus. 699
Quæstio V. De dispensatione impedimentorum Matrimonii. 700
Appendix, continens modum legendi, & scribendi Citationes Utriusque juris. 704

THEOLOGIÆ MORALIS BREVI SIMULQUE CLARA METHODO COMPREHENSÆ

TRACTATUS I.

DE ACTIBUS HUMANIS, ET CONSCIENTIA.

1. QUONIAM a Deo, Authore & Conditore suo, homo ad supernaturalem Beatitudinem ordinatus esse dignoscitur, in primis necesse est media illa investigare, quibus ad præparatam sibi æternam Beatitudinem pervenire, Deumque tanquam ultimum finem suum apprehendere valeat. Cum igitur juxta illud Davidicum, Psal. 36. *Declina a malo, & fac bonum*, alia ratione id fieri nequeat, nisi per exercitationem actuum bonorum, fugamque malorum: hinc in præsenti utilissimo, omnibusque præsertim Confessariis, scitu summe necessario Tractatu, quem *De actibus Humanis & Conscientia* inscribunt, ea consideranda occurrunt, quibus homo in suis actionibus ita possit dirigi, imo & alios dirigere, ut tandem exercitatione bonorum actuum, fugaque malorum, præparatam sibi Gloriam æternam consequi mereatur.

DISTINCTIO I.

De Voluntario, & Involuntario.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Voluntarium?

SUMMARIUM.

1 *Finis ultimus Hominis.*
2 *Voluntarium accipitur tripliciter.*
3 *Voluntarium strictè, quid?*
4 *Voluntarium strictè dividitur in perfectum, & imperfectum.*
5 *Directum & indirectum.*
6 *Et quomodo exerceatur.*
7 *Voluntarium secundum se, & in sua causa.*
8 *Voluntarium interpretativum.*

1. CONCL. I. Voluntarium generatim tribus modis accipitur. Et primo quidem *Voluntarium* illud dicitur, quod fit absque obligatione præcepti: sic Religiosi præter Officium Divinum quandoque dicuntur recitare quasdam preces voluntarias, id est, absque obligatione dicendas. Verum de Voluntario taliter accepto hic non loquimur. Secundo *Voluntarium* sumitur latissimè, prout idem est, ac *Spontaneum*: quomodo omne illud dicitur Voluntarium, quod neque vi, neque ignorantia fit, procedit tamen ab aliquo principio intrinseco cum prævia cognitione. Vel clarius, Voluntarium, pront coincidit cum Spontaneo, dicitur illud, quod procedit a potentia appetitiva ex prævia cognitione objecti. Et hoc modo Voluntarium convenit brutis, utpote quæ agunt sponte ex inclinatione appetitus sensitivi, prævia cognitione sensitiva. Sed & de Voluntario tam large accepto, ac prout etiam convenit brutis, hic sermo non est.

3. Tertio modo *Voluntarium* sumitur strictè, ac prout illud derivatur a voluntate, & competit soli Naturæ rationali habenti voluntatem. Et hoc modo Voluntarium dicitur illud, quod procedit a voluntate ex prævia cognitione intellectiva. Dicitur, *quod procedit a voluntate*: quia aliud est Voluntarium, aliud vero Volitum; nam pluvia, vel serenitas opportuna, est quidem ab agricola volita, non tamen ipsi voluntaria; utpote cum non procedat dicta pluvia, vel serenitas, ab ejus voluntate tanquam effectus ipsius, quamvis sit objectum suæ voluntatis seu volitum ab ipsa. Et de Voluntario taliter accepto loquimur in præsenti.

4. CONCL. II. Voluntarium hoc tertio modo sumptum varie dividitur; & primo quidem in perfectè Voluntarium, & in Voluntarium imperfectè. *Voluntarium perfectè* dicitur illud, quod procedit a voluntate ex prævia cognitione perfecta, seu deliberata objecti: quomodo peccatum, præsertim mortale, debet esse voluntarium. *Voluntarium imperfectum* e contra est explicandum: quomodo motus voluntatis primi censentur voluntarii, seu potius semivoluntarii, eo quod procedant a cognitione imperfecta, seu indeliberata.

5. Deinde voluntarium dividitur in directum, & indirectum. *Voluntarium directum* seu directè Voluntarium dicitur illud, quod per se ac positive procedit a voluntate, in quantum agens est; quo modo actus voluntatis sive eliciti, sive imperati, censentur esse voluntarii. *Indirectè* vero illud dicitur *Voluntarium*, quod procedit a voluntate, in quantum non agit, cum tamen agere posset, ac (loquendo de Voluntario culpabili) etiam deberet: sic submersio navis censetur gubernatori ejus indirectè voluntaria, quando desistit a gubernaculo, mediante quo potuisset ac debuisset impedire submersionem navis.

6. Ex quo patet, Voluntarium directè exerceri per actum positivum voluntatis; Voluntarium vero indirectè per omissionem actus, quem quis non solum potuit, sed (si sit sermo de culpabili voluntario) debuit habere. Siquidem tunc solum effectus censetur indirectè, simulque culpabiliter voluntarius, quando quis non agit, cum tamen possit, & debeat agere: si enim gubernator navis non possit navem dirigere, vel quis alius adsit, cui gubernatio navis non est commissa, non imputabitur ei submersio ipsius. Veruntamen notanter additum fuit, *indirectè, simulque culpabiliter voluntarius*: simpliciter enim & absolute ad voluntarium sufficit, ut quis deliberate omittat opus, quod facere, seu non omittere poterat; neque ad hoc requiritur præceptum, seu obligatio faciendi id, quod omittitur; quamvis ejusmodi obligatio requiratur, ut omissio illa sit culpabilis,

lis, & peccaminosa. Guiliel. Herincx. p.2. *Summæ Theol. tract. 2. disp. 1. n. 19.* & alii.

7. Ulterius Voluntarium dividitur in Voluntarium secundum se, & in Voluntarium in sua causa; sive (ut alii loquuntur) in formaliter Voluntarium, & in virtualiter Voluntarium. *Voluntarium secundum se* (quod & *Voluntarium formale nuncupatur*) dicitur illud, quod a voluntate ex proprio ac formali proposito fit, ac dependet. sic est voluntaria prælens lectio. *Voluntarium in sua causa* (quod & *virtuale* appellatur) illud censetur, quod non in se, sed solum in sua causa cuipiam est voluntarium, in quantum voluntas, etsi non intendat effectum, vult tamen causam illius effectus; unde & hic saltem virtualiter, seu in sua causa censetur esse voluntarius: sic illi, qui voluntarie se inebriat, censentur esse voluntariæ, saltem virtualiter, rixæ illæ, vel blasphemiæ, quas in tali ebrietate committit, si prius novit, in ebrietate se solere rixari, vel blasphemare.

8. Hinc additur *Voluntarium interpretativum*, estque illud, quod adesse præsumitur, seu interpretatur ex aliquo signo extrinseco, positivo vel negativo: sic in Foro externo, *Qui tacet, consentire videtur*, juxta Regulam 47. Juris in 6. similiter Religiosus suo Superiore absente, & urgente necessitate, rationabiliter ac honeste quandoque quidpiam agit ex consensu ejus interpretativo, sive rationabiliter præsumpto, dum ex aliis actibus prudenter interpretatur, & præsumit, Superiorem suum, si interrogaretur, in talibus circumstantiis haud futurum invitum. Et hoc posterius aliqui appellant *Voluntarium interpretativum conditionatum* Superioris. Nihilominus *Voluntarium interpretativum*, præsertim in malam partem acceptum, non raro confunditur cum *Voluntario indirecto*, & in causa: & sic juxta satis communem modum loquendi, si quis proficiat sagittam ad occidendam feram prævisо periculo occidendi hominem, si sequatur homicidium, censetur occisio isthæc hominis eidem voluntaria in sua causa, indirectè, atque interpretative, quamvis non fuerit intenta & directè volita.

QUÆSTIO II.

Quando effectus, veluti indirectè & in causa voluntarius, imputetur ad culpam?

SUMMARIUM.

9 *Qua requirantur, ut effectus, veluti in causa voluntarius, imputetur ad culpam?*
10 *Corollaria.*
Loth, quomodo excusetur ab incestu?
11 *Alia corollaria.*
12 *Qua excusare soleant, ne effectus pravus, veluti in causa voluntarius imputetur?*
13 *Corollaria.*
14 *Explicatur amplius Conclusio.*
15 *Quando imputetur effectus, veluti indirecte voluntarius?*
16 *Quando quis teneatur tueri ad tollendam causam peccati?*

9. CONCL. I. Ad hoc, ut effectus virtualiter, atque in causa censeatur esse voluntarius, & culpiam imputetur ad culpam, omnino requiritur, quod operans adverterit periculum secuturi effectus ad positionem illius causæ. Ita communis. Ratio est, quia si quis nullam de effectu secuturo habuit advertentiam, tunc talis effectus nullo modo foret prævisus, ac proinde neutiquam voluntarius, sed potius ex naturali inadvertentia proveniens: nam juxta illud tritum Philosophorum, *nihil est volitum, quin præcognitum.*

10. Infertur proinde. I. Quod, quamvis effectus illi pravi, qui frequenter accidunt in ebrietate, voluntarie se inebriantibus imputentur ad culpam, eo quod potuerint prævideri, ac proinde sint voluntarii saltem virtualiter & in sua causa: nihilominus illi eventus, qui raro contingunt, nec fuerunt prævisi, ad culpam non imputentur. Et hac de causa S. August. *l. 22. c. 44. contra Faustum*, excusat ipsum Loth ab incestu, quem ebrius admisit, ut legitur Genes. *cap.* 19. eo quod non prævideret, incestum ex ejus ebrietate secuturum.

11. Infertur II. Circumstantias invincibiliter ignoratas, non imputari ad culpam; quia non fuerunt prævisæ in causa: sic Jacob Patriarcha non peccavit ingrediendo ad Liam, Gen. 29. quia bona fide credebat, se ingredi ad Rachel conjugem suam. E contra

vero sequitur, cum, qui scienter & voluntarie occidit mulierem gravidam, censeri etiam occidere infantem, licet hoc expresse non intendat. Ratio est, quia mortem infantis seruturam providere poterat ac debebat hoc ipso, quod sciebat, fœminam illam esse gravidam: & idem fit in aliis hujusmodi.

12. CONCL. II. Nihilominus sola advertentia effectus pravi ex actione liberi secuturi non semper sufficit, ut is cuipiam imputetur ad culpam, & hoc tunc verificatur, quando ejusmodi actio, ceteroquin licita est, & necessaria, vel utilis; simulque effectus ille pravus non intenditur, neque in eo habetur complacentia. Ita Doctores communiter, quos refert, & sequitur Sanch. *lib. 9. de Matrim. disp. 45. nu. 2.* Ratio est, quia effectus per accidens, ac præter intentionem subsecutus non imputatur ei, qui sua summ prosequitur.

13. Infertur proinde cum Doctoribus communiter, quod expertus se posse equitatione, tamen absque periculo consensus, non tenetur pedester incedere, & abequitatione desistere. Ratio est: quia equitatio est res utilis, neque causa per se & sua ipsa natura talis effectus pravi seu sequelæ. Infertur ulterius, quoties pollutio sequitur præter intentionem ex causa aliqua necessaria, vel utili corpori, ut est cibus & potus moderatus; aut animæ, ut orare, studere; vel utili alii, prout est audire Confessiones, &c. nullam esse culpam, non desistere a causa illa, quamvis inde præter intentionem prævideatur pollutio secutura. Ratio, præter hactenus dicta, ulterior est, quia talis patitur pollutionem potius, quam agit.

14. Dicitur notanter in Conclusione, *quando talis actio existimatio est licita, & necessaria, vel utilis*. Siquidem quando absque urgente necessitate exercetur actio ex sua natura turpis, & per se tendens ad procurandam ejusmodi sœditatem, ut sunt tactus impudici, &c. tunc non vitatur ejusmodi causas est peccatum mortale, & censetur ipsimet pollutio esse voluntaria in sua causa: & servata proportione idem dicendum de similibus. Additur etiam in Conclusione, *simulque effectus ille pravus non intenditur, &c.* Nam si effectus talis pravus, ut puta pollutio, ab aliquo intenderetur, vel quis in ea subsequente deliberate delectaretur, sibique complaceret in ea, certum est committi peccatum ratione hujus pravæ intentionis, vel complacentiæ.

15. CONCL. III. Ad hoc ut effectus ad liberam omissionem alicujus actus consequens cuipiam imputetur ad culpam, veluti indirecte voluntarius, præter advertentiam illius effectus pravi ex sua omissione secuturi, requiruntur insuper tres aliæ conditiones, videlicet, quod possit agere, agendoque illum effectum impedire, & non agat, & tamen teneatur agere. Ita D. Thomas 1.2. q. 6. *art. 3.* & communis. Ratio primæ conditionis est, quia nemo peccat in eo, quod vitare non potest, siquidem *nemo potest ad impossibile obligari*, juxta Reg. 6. Jur. in 6. Ratio secundæ conditionis, quod nempe quis non agat, cum agere possit, patet ex eo, quia in omissione talis actus consistit ratio Voluntarii indirecti. Ratio tandem tertiæ conditionis: quod quis teneatur agere, patet ex eo: quia nisi hoc requireretur, Deo (quod absit) imputarentur omnia peccata totius Mundi, cum potuisset ea impedire non creando genus humanum, vel aliis modis, quamvis ut Author naturæ, atque universorum Dominus, id facere non teneatur. Similiter submersio v.g. navis imputaretur illi, cui navis gubernatio non fuit commissa, ac proinde de tempore naufragii non fuit prætens; quod utique est absurdum.

16. Quæres, quandonam quis censeatur teneri ad tollendam causam peccati, vel impediendum malum, ita ut hoc facere intermittenti censeatur subsequens effectus malus fuisse indirecte voluntarius, ac proinde ad peccatum imputetur? Resp. Id attendi debere ex variis præceptis obligantibus. Quandoque enim quis tenetur ad hoc ex præcepto Justitiæ, quia videlicet ex officio ad ejusmodi malum impediendum est obligatus: quomodo gubernator, cui cura navis est commissa, tenetur pro viribus impedire navis submersionem: & similiter Prælatus subditorum peccata. Quandoque autem ejusmodi obligatio conjungit solum ex præcepto Charitatis, quo quilibet tenetur proximo suo in certi casibus: quandoque vero ex præcepto alterius Virtutis, prout in singulis præceptorum materiis passim solent explicare Theologi.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quo tempore Peccatum tum commissionis, tum omissionis, indirecte, seu in causa duntaxat voluntarium, contrahatur.

SUMMARIUM.

17 *Peccatum commissionis, & omissionis, quidlt*
18 *Sensus propositæ Quæstionis declaratur exemplis.*
19 *Aliud exemplum de dante alteri venenum.*
20 *Et de dormiente, donec sequatur omissio Missæ; ac de Clerico, projiciente Breviarium in mare.*
21 *Resolutio Quæstionis.*
22 *Notabilis declaratio Conclusionis.*
23 *Solvitur objectio.*
24 *Alia objectio, ejusque solutio.*
(2) Tr. 1. Disp. 1. n. 30.
25 *Pœna, vel inhabilitatis ob peccatum in causa duntaxat voluntarium, quando incurratur?*

17. ADvertendum, per *Peccatum commissionis*, intelligi illud, quod fit contra aliquod præceptum negativum, seu quidpiam fieri prohibens, ut est furtum, adulterium, homicidium, quæ pugnant contra illa præcepta Decalogi: *Non furtum facies: Non mœchaberis: Non occides, &c. Peccatum omissionis* e contra est illud, quod fit contra præceptum affirmativum, seu quidpiam fieri præcipiens: ut est omissio Missæ die Festo audiendæ, sic de aliis loquendo. Hoc prænotato

18. Sensus hujus Quæstionis est, quo tempore incurratur Peccatum commissionis, vel omissionis, indirecte, & in causa duntaxat voluntarium; ut si quis ante ebrietatem bene prævideat, se in ebrietate commissurum homicidium, vel adulterium, & nihilominus scienter se inebriet usque ad privationem usus rationis, sicque committat homicidium, vel adulterium: Quæstio remanet, an talis peccet peccato homicidii, vel adulterii eo tempore, quo scienter dedit causam per ebrietatem tali peccato, vel potius tunc, quando in ebrietate actualiter committit homicidium, vel adulterium. Et ratio dubitandi est: quia tempore actualis homicidii, vel adulterii, ipse per ebrietatem privatus est usu rationis, uti supponitur, ergo non videtur pro eo tempore posse actualiter peccare.

19. Similiter, si quis scienter dedit alteri venenum, non nisi post aliquot hebdomadis mortem allaturum, rursum quæritur, an talis peccet peccato homicidii pro eo tempore, quo dedit venenum, vel potius pro tunc, quando actualiter sequitur homicidium, seu mors proximi. Et ratio dubitandi est: quia ille, qui dedit venenum, potest jam de peccato suo esse contritus tempore actualis mortis subsecutæ, ac velle mortem proximi impedire, nec tamen amplius posse: atqui nemo videtur posse actualiter peccare in eo, quod vitare non potest.

20. Insuper, si aliquis mane voluntarie se inebriet, bene prævidens secuturum omissionem Sacri audiendi die Festo; vel tamdiu dormiat, aut tergiversetur domi, prævidendo periculum non audiendi Sacrum die Festo, donec tandem actualiter sequatur omissio Sacri; aut si Sacerdos navigaturus voluntarie projiciat Breviarium in mare, optime prævidens, inde se reddi impotentem ad recitandum Breviarium per multos dies, & hujusmodi. Quæritur, inquam, quo tempore tales peccent? an videlicet solum pro tunc, quando scienter dederunt causam talibus omissioni, vel an insuper peccent adveniente illo tempore, quo currit præceptum audiendi Missam, aut recitandi Breviarium, non obstante, quod tunc talis amplius Missam audire, vel Breviarium recitare non possit? Et hoc idem de innumeris aliis casibus quæri potest.

21. CONCL. I. In his, & similibus casibus, Peccatum commissionis, aut etiam omissionis indirecte vel in causa duntaxat voluntarium, contrahitur mox in ipsa applicatione causæ, vel impedimenti, quæ fuit in libera hominis potestate, non autem amplius tempore subsequenti, quo sequitur v.g. mors alterius veneno causata, aut omissio Sacri, vel recitationis Breviarii, si tunc revera adfuit impotentia impediendi mortem alterius, vel Sacrum audiendi, &c. Ita Scotus 2. *disp.* 42. Mastrius *lib.* 2. *Sentent. disp.* 6. *n.* 132. estque communis sententia Doctorum, paucis exceptis. Ratio hujus Conclusionis desumitur imprimis ex rationibus dubitandi proxime allatis. Accedit, quod tempore appositionis causæ mortis proximi per porrectum venenum, jam sit volitum homicidium saltem virtualiter, & in sua causa: & similiter tempore appositionis impedimenti audiendi Missam die Festo, vel recitandi Breviarium, omissio hujus etiam indirecte, ac in sua causa jam est volita: ergo tunc contra-

hitur tale peccatum, sive commissionis, sive omissionis, non autem tempore subsequenti, si revera tunc adsit impotentia actum prohibitum, actualis v.g. homicidii subsequentis, impediendi, vel actum præceptum Missæ audiendæ ponendi.

22. Dicitur notanter, *si tunc revera adsit impotentia impediendi mortem alterius*, &c. Siquidem certum est apud omnes, atque incubitatum, si tunc sit in libertate ac potestate hominis, adhuc impedire actum prohibitum, v.g. homicidium veneno porrecto cauſatum, nec tamen impediat, etiam tempore actualis mortis proximi subsecutæ committi, vel potius continuari & consummari peccatum homicidii; cum adsit libertas sufficiens, atque voluntarium, ad contrahendum peccatum etiam pro eo tempore. Et similiter, si tempore præcepti audiendi Missam adsit adhuc potestas & libertas ipsam audiendi, & tamen quis eam audire negligat; etiam tunc committitur peccatum omissionis externæ: siquidem tunc prava voluntas omittendi actum præceptum, opere externo consummatur, ac perficitur. Cæterum data Conclusio loquitur in casu veræ impotentiæ, actum prohibitum ex post facto impediendi; vel actum præceptum ponendi, & ait, tunc ejusmodi peccatum contrahi duntaxat in ipsa appositione cauſæ vel impedimenti, utpote quæ fuit in hominis potestate.

23. Nec obstat, quod quando quis posuit impedimentum audiendi v.g. Missam, nondum currebat præceptum Missæ audiendæ, ac proinde non videatur posse pro tunc tale peccatum omissionis Missæ contrahi. Resp. enim, quod licet tunc præceptum non obligarit ad ponendum actum auditionis Missæ, obligabat tamen ad non ponendum impedimentum exercendi talem actum pro tempore debito: hoc enim præcepto non solum præcipitur ipsa auditio Missæ, sed etiam, ne voluntarie & absque legitima ratione ponatur cauſa impeditiva illius, sicuti similiter præceptum non occidendi hominem, nedum prohibet actualè homicidium, sed etiam, ne ponatur probabilis cauſa ipsius. Et per hoc patet ad rationes dubitandi, absentio Quæstionis propositas.

24. Dices. Ut Actus prohibitus, vel omissio actus præcepti, sit formaliter peccatum, sufficit voluntarium indirectum, aut in cauſa; ergo illud etiam tempore subsequenti contrahitur. Consequentia probatur. Tum quia jam adest sufficiens voluntarium, videlicet indirectum, aut in cauſa. Tum quia tunc completur, sive consummatur peccatum actualis v.g. omissionis Missæ, aut homicidii veneno cauſati. Tum tandem, quia alioquin non esset necesse confiteri tales actus externos, aut omissiones ex priori data cauſa necessario subsecutas, & in se non liberas; quod videtur absurdum, & contra Decretum Alexandri VII. ejusque Propositionem 25. Resp. negando consequentiam. Ad ejus primam probationem dicitur, adesse quidem sufficiens voluntarium, ut peccatum formaliter contrahatur pro tempore appositionis cauſæ, sive impedimenti, utpote quę fuit in libera hominis potestate: non autem pro tempore subsequenti, si tunc revera (uti supponit Conclusio) adsit impotentia ponendi actum præceptum, vel impediendi actum prohibitum. Ad alteram probationem claritatis gratia distinguitur assumptum: completur, sive consummatur tunc peccatum actualis v.g. omissionis Missæ, vel homicidii veneno cauſati, duntaxat physice, sive in genere entis, conceditur; completur etiam moraliter, sive in genere moris, negatur: eo quod tunc omissio actus præcepti vel eventus actus prohibiti, non amplius subsit libertati ac potestati hominis, sicque secundum se non sit capax malitiæ moralis. Ad ultimam probationem respondetur, in tali cauſu per se loquendo satis quidem esse, si in Confessione sufficienter explicetur ejusmodi libera positio cauſæ, sive impedimenti, utpote quæ sola supponitur fuisse in libertate, sive potestate hominis: per accidens tamen, sive quia alioquin non sufficienter explicaretur illa libera positio cauſæ, aut impedimenti, sive ob annexam Censuram, vel reservationem actus opere externo consummati, etiam quandoque requiri, ut explicetur ipsemet actus externus. Porro Decretum Alexandri VII. loquitur de peccato externo, quod tempore actualis commissionis liberat potestati, ac libertati hominis, ut suo loco (2) dicetur.

25. CONCL. II. Nihilominus ad incurrendas pœnas, vel inhabilitates, quæ sive jure Ecclesiastico, sive Civili, in perpetrantes certa crimina sunt statutæ, regulariter loquendo non sufficit sola appositio cauſæ talis crimnis, sed requiritur, ut tale crimen opere externo consummetur. Ita Doctores communiter. Sic v.g. si quis alteri machinetur mortem veneno porrecto, quamvis mortaliter peccet, non tamen incurrit irregularitatem, si alterius mors actualis non subsequatur. Similiter qui conatur percutere Clericum, si ipsum, utpote aufugientem, non

non percusserit actualiter, non incurrit excommunicationem latam in percussores Clericorum; & idem sit in aliis similibus. Ratio horum generalis est: quia leges pœnales sunt strictè interpretandæ, simulque earum verba debent intelligi cum effectu, *arg. cap. Hæc autem verba, de pœnit. dist. 1.* juncta Glosa *ibidem*: nam sola voluntas, seu conatus non solet per Leges humanas puniri sine effectu, nisi forte ipsamet Lege exprimatur; prout exprimitur loquendo de crimine læsæ Majestatis, *leg. Qui vetiti C. ad legem Juliam Majestatis*; & notat communis Theologorum, & Canonistarum.

QUÆSTIO IV.

An Violentia, Metus, & Concupiscentia cauſent Involuntarium.

SUMMARIUM.

26 *Involuntarium aliud simpliciter, aliud secundum quid.*

27 *Violentia cauſat involuntarium simpliciter.*

28 *Metus non cauſat involuntarium simpliciter, sed tantum secundum quid.*

29 *Pro nullo metu debet quis peccare.*

(b) Tract. 2. q. 3.

30 *Pacta, contractus, &c. metu initi, regulariter valent.*

(c) De hoc Tract. 8. Dist. 1. n. 8. & seq.

31 *Metus gravis, sic cadens in constantem virum, & levis, quid?*

32 *Concupiscentia antecedens minuit voluntarium.*

33 *Non item Concupiscentia consequens.*

34 *Peccatum ex infirmitate, ignorantia, & malitia.*

Passio potest omnino tollere voluntarium.

26. Ad recte tradendum quod Involuntarium dividatur in Involuntarium simpliciter, & in Involuntarium duntaxat secundum quid. *Involuntarium simpliciter* dicitur illud quod voluntas simpliciter & absolutè, seu independenter ab omni conditione non vult, atque omnino refugit. *Involuntarium secundum quid* dicitur illud, quod quidem aliquo modo est involuntarium, simul tamen ratione alicujus additæ conditionis est voluntarium: sic projectio mercium in mari tempore periculi naufragii, est involuntaria secundum quid, quia naufragus non libenter illas projicit, imo libentius servaret, si posset absque periculo vitæ; nihilominus tamen in tali necessitate constitutus vult eas projicere ad servandam vitam. Unde patet, Involuntarium secundum quid semper habere adjunctum aliquid de Voluntario. Hoc prænotato sit

27. CONCL. I. Violentia cauſat Involuntarium simpliciter. Ita certa, & communis Doctorum. Ratio est: quia violentum dicitur illud, quod fit contra naturam, atque intrinsecam inclinationem rei, cui tribuitur. Sic v.g. patitur homo violentiam, quando vi detinetur in loco, unde libenter exiret, aut quando membra ipsius externa contra suum voluntatem ab aliquo alio moventur. Hinc si Tyrannus cujuspiam manus violenter moveret ad sacrificandum Idolo thus, talis non peccaret; nam ejusmodi actio foret ipsi simpliciter involuntaria.

28. CONCL. II. Metus non cauſat involuntarium simpliciter, sed tantum secundum quid, ac proinde id, quod metu fit, est simpliciter & absolutè voluntarium; involuntarium autem tantum secundum quid. Ita D. Thomas 1. 2. q. 6. *ar.* 6. & consentiunt non solum omnes Theologi, sed etiam Juristæ. Sic projectio mercium in mare est simpliciter voluntaria tempore tempestatis propter timorem naufragii, cujus speratur esse impeditiva, non obstante, quod ipsa secundum quid, idest, prout consideratur tempus de se, atque extra hunc casum necessitatis, sit involuntaria. Hinc etiam, qui metu mortis sacrificat Idolo, aut aliud malum perpetrat, coram Deo reus est peccati, quia adest sufficiens voluntarium, & propter nullum malum evitandum licitum est committere peccatum. Et hinc Juristæ dicere solent; *Gesta voluntas est voluntas arg. cap. Merito 15. q. 1.* & habet Glosa *ibidem*.

29. Cæterum licet *pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere*, ut dicitur *c. Sacris, De iis, qui vi metusve cauſa, &c.* adeò quod peccatum sit omnium malorum gravissimum propter offensam Dei, utpote infiniti Boni, quam continet: nihilominus Leges humanæ positivæ quandoque cessant obligare in casu magni periculi, seu damni, quod rationabiliter timetur secuturum, prout patet in præcepto Ecclesiastico jejunii, quod non obligat cum probabili periculo, seu metu secuturæ infirmitatis, de quo alibi. (b)

30. Ex data Conclusione ulterius sequitur, quod Pacta, Contractus, Transactiones, Renuntiationes, & consimiles actus, quamvis fiant ex metu gravi atque injuste incusso, regulariter sint validi tam pro Foro externo, quam

quam conscientiæ, prout post Glossam *c. Super hoc vers. Resignationis de Renunciat.* tenet Enricus Pirhing. *tit. De iis, quæ vi metusve causa fiunt n.* 10. & Sanchez *lib. 4. de Matrim. disp. 8. n. 4.* & communior aliorum, paucis exceptis, quia videlicet, quod ex metu fit, simpliciter est voluntarium. Verum tamen est, quod ea, quæ per metum gravem atque injuste incussum fiunt, ita judente æquitate, sint per sententiam Judicis rescindenda, unde *c. 3. eod.* inquit Pontifex. *Qua metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari.* Quamvis dantur aliqui Contractus, ut Matrimonium, Sponsalia, Profissio Religiosa, &c. qui ob metum gravem, & injuste incussum, (c) ipso jure triti sunt, ratione quorum notanter dictum fuit, *regulariter loquendo.*

31. Porro metus gravis (qui etiam dicitur *Metus cadens in constantem virum*) ille est, quem vir constans, & fortis, prudenter & rationabiliter concipit. Et ad hujusmodi metum, secundum Doctorem Subtilem *in 4. dist. 29. q. un.* & alios communiter duæ requiruntur conditiones. Prima est, quod malum, de quo est metus, sit grave; hujus autem mali gravitas attendi debet ex natura mali in se, ut est v.g. mors, captivitas, carcer, mutilatio enormis, stuprum, & ejusmodi, non autem ex varia & non fundata æstimatione patientis, seu metuentis, qui posset alioquin levissimum malum tanquam grave apprehendere. Secunda conditio ad malum grave requisita est, quod ejusmodi grave malum certo immineat; hoc est, ut non levi æstimatione, sed certitudinaliter, saltem certitudine sufficienti in actibus humanis, judicetur exoriturum. Quod si alterutra harum conditionum deficiat, censebitur metus levis.

32. CONCL. III. Concupiscentia, prout est passio, seu motus appetitus sensitivi prosequentis bonum delectabile, aut fugientis malum, cujusmodi sunt amor, desiderium, spes, gaudium, ira: hujusmodi, inquam, Concupiscentia, seu passio, si sit antecedens, semper minuit voluntarium, seu volibilitatem actus, ad quem impellit: & consequenter minuit etiam virtutis meritum, aut culpæ reatum. Ita D. Thomas 1. 2. *q. 77. art. 5. & 6.* & communis Theologorum. Ratio primæ partis est: quia per Concupiscentiam, seu passionem antecedentem intelligitur ea, quæ in appetitu sensitivo naturaliter exurgens omnem voluntatis deliberationem prævenit, eamque trahit, seu inclinat atque excitat, ad eliciendum actum amoris, iræ, &c. Atqui talia minuunt voluntarium; cum illud voluntati magis sit voluntarium, ad quod ipsa semetipsam movet, quam id, ad quod voluntas ab aliquo alio movetur, & quasi impellitur.

33. Dicitur notanter *Concupiscentia seu passio antecedens.* Nam secus est dicendum de concupiscentia seu passione consequenti, quam videlicet quis voluntate propria excitat in appetitu suo sensitivo, ut inde promptius in objectum feratur, puta si quis in se excitet magnum desiderium vini, ut intemperantius ac delectabilius bibere possit; aut e contra, loquendo de operibus virtuosis, si quis in se excitet magnum misericordiæ erga pauperes affectum, quo magis impellatur ad subveniendum pauperibus, & hujusmodi. Nam loquendo de tali passione consequenti nostram voluntatem, fatentur omnes, eam non solum non minuere, sed etiam augere voluntarium. Ratio est; quia ex magnitudine affectus voluntatis provenit, ut in appetitu sensitivo similis affectus excitetur.

34. Confirmantur hactenus dicta ex illa communi Theologorum doctrina, qua juxta triplicem radicem suam, peccatum distinguunt in peccatum ex infirmitate, ex malitia, & ex ignorantia. Et addunt DD. peccatum ex mera malitia gravius esse, quam peccatum ex infirmitate: atqui peccans ex infirmitate, peccat occasionaliter ex inclinatione Concupiscentiæ antecedentis, seu appetitus sensitivi, cui voluntas nata est condescendere, ergo.

Notant etiam DD. posse accidere, quod quandoque passio omnino tollat voluntarium, quia potest dari passio aliqua vehementissima, quæ aufert judicium rationis, prout nonnunquam contingit ex melancholia, vel alia causa naturali, imo interdum aliqui propter iram, vel amorem inordinatum insaniunt: atqui sine usu ac judicio rationis non consistit libertas, neque ratio voluntarii liberi: ergo. Verum regulariter hoc non contingit, sed habent locum dicta in Conclusione.

QUÆSTIO V.

Quotuplex sit Ignorantia, & an causet Involuntarium.

SUMMARIUM.

35 *Ignorantia quid?*
36 *Qui ignorant homines, sunt in duplici differentia.*

37 *Ignorantia varie dividitur.*
Ignorantia simplicis privationis, & pravæ dispositionis.
38 *Ignorantia juris, & facti.*
39 *Ignorantia antecedens, concomitans, & consequens.*
40 *Ignorantia invincibilis, & vincibilis, atque*
41 *Ignorantia crassa, & affectata, qua?*
42 *Ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter.*
43 *Concomitans facit non voluntarium.*
44 *Consequens causat voluntarium, saltem indirecte & in sua causa.*
45 *Regula generalis traditur.*

35. ADvertendum, quod Ignorantia propriè dicta differat a simplici negatione scientiæ, talis enim negatio scientiæ datur etiam in lapide. Ignorantia vero importat privationem illius scientiæ, quam quis posset habere; unde solum earum rerum proprie dicimur habere Ignorantiam, quas pro tali statu ac tempore scire possemus, & non scimus.

36. Porro ea, quæ ignorant homines, sunt in duplici differentia. Aliqua enim tenetur quis scire, prout omnes tenentur communiter scire principaliores Articulos Fidei, & universaliora Juris præcepta; singuli autem ea quæ ad proprium cujusque statum, vel officium spectant. Quædam vero sunt, quæ licet quis scire possit, non tamen tenetur ea scire: uti sunt pleræque doctrinæ Philosophicæ, Geometricæ, Arithmeticæ, &c. His prænotatis sit

37. CONCL. I. Ignorantia proprie dicta, seu quæ importat privationem talium rerum, quarum notitiam quis habere potest, varie dividitur. Ita communis; idque patet inductione. Siquidem omissis aliis divisionibus, scita minus utilibus, Ignorantia dividitur in primis in Ignorantiam simplicis privationis, & in Ignorantiam pravæ dispositionis. *Ignorantia simplicis privationis* est carentia scientiæ, seu cognitionis alicujus, cujus quis fuisset capax pro tali tempore, & statu: ut si quis adultus, & rationis compos, nesciat ea, quæ scire potuisset. *Ignorantia pravæ dispositionis* est positiva deceptio, & contrarius veritati error: & talis v.g. datur in Judæis, Hæreticis, & Paganis, qui non solum aliquam veritatis, præsertim supernaturalis, cognitionem non habent, sed insuper erronee judicant rem aliter esse, ac revera est.

38. Ignorantiæ alia celebris divisio est, in Ignorantiam juris, & facti. *Ignorantia juris* est, cum quis ignorat legem, seu aliquid esse prohibitum aut præceptum, v.g. si quis nesciat, die Veneris esse prohibitam comestionem carnis; aut si quis nesciat, percussioni Clerici esse annexam excommunicationem, tunc talis dicitur habere Ignorantiam juris. *Ignorantia facti* est, si quis ignoret factum ipsum esse prohibitum, quod tamen revera illicitum est, ac prohibitum; ut si quis occidat hominem, putans esse feram; talis enim ignorat, hic & nunc a se fieri actum prohibitum, nempe homicidium, non obstante, quod alioquin sciat, homicidium esse prohibitum. Idem accidit, si quis nesciat carnem esse, quam comedit die Jejunii, vel si non recogitet, esse diem Jejunii. Et hoc ultimum exemplum ideo hic apponitur, quia oblivio, & inconsideratio, etiam nomine Ignorantiæ comprehenditur.

39. Rursus Ignorantia dividitur in antecedentem, concomitantem & consequentem. *Ignorantia antecedens* est illa, quæ antecedit omnem voluntatem, non solum explicitam, sed etiam implicitam; ac proinde nullo modo voluntaria est, nec directe, nec indirecte. *Ignorantia concomitans* est ea, quæ concomitanter se habet ad actum voluntatis nostræ; ideoque ignorantia habetur de eo quod agitur, tamen etiamsi sciretur, nihilominus ageretur: sic fieret cum quis vellet quidem occidere hostem, sed ignorans eum occidit, putans, se occidere feram. Tandem *Ignorantia consequens* dicitur illa, quæ consequitur aliquo modo voluntatem nostram vel explicitam, vel saltem implicitam, directam, vel indirectam, & hinc Ignorantia consequens censetur esse voluntaria, imo etiam culpabilis, si versetur circa rem scitu necessariam.

40. Ignorantia ulterius dividitur in vincibilem, & invincibilem. *Ignorantia invincibilis* dicitur ea, quæ diligentia humana impediri non potuit: seu (ut alii loquuntur) quæ morali diligentia superari ac tolli nequivit, eo quod nunquam in mentem venerit dubitare, aut cogitare de opposito; vel etiamsi in mentem venit, tamen adhibita diligenti inquisitione ignorantia illa depelli, & veritatis cognitio acquiri non potuit; & hujusmodi Ignorantia invincibilis re ipsa est Ignorantia antecedens, de qua proxime dictum. *Ignorantia vincibilis* ea est, quæ moralí diligentia superari ac tolli, & oppositæ scientia acquiri potuisset, ac debuisset, & hujus-

hujusmodi Ignorantia vincibilis in re coincidit cum Ignorantia consequente.

41. Rursus ignorantia vincibilis, seu consequens, juxta quod consequitur voluntatem nostram vel directe, dum scilicet quis data opera vult ignorare, vel indirecte, quatenus non curat scire ea, quæ scire deberet, dividitur in affectatam, & in crassam seu supinam. *Ignorantia crassa, seu supina* dicitur illa, quia quis non curat scire ea, quæ communiter homines sui status, & conditionis sciunt. *Ignorantia affectata* vocatur ea, cum quis data opera vult ignorare, & non inquirere veritatem, sive ob discendi tædium ac pigritiam, sive ut ratione talis ignorantiæ circa legis obligationem habitat, vel excusationem aliquam mereatur a transgressione legis, vel liberius ac sine remorsu conscientiæ peccare possit. Juxta quod de talibus Job *cap.* 21. legitur: *Qui dixerunt Deo: recede a nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Et Psal. 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret.*

42. CONCL. II. Ignorantia antecedens, seu invincibilis, causat involuntarium simpliciter. Ita communis Doctorum. Ratio est, quia hujusmodi ignorantia nec directe, nec indirecte est voluntaria, imo opus ex illa procedens non fieret, si ignorantia illa non adesset. Patet hoc in eo, qui occidit hominem, putans esse feram; nam is nullatenus hominem occideret, si talis ignorantia non adesset. Et hinc factum ex tali ignorantia, cum homini nullo modo sit voluntarium, non imputatur ad peccatum.

43. CONCL. III. Ignorantia concomitans non quidem causat positive involuntarium; facit tamen non voluntarium. Ita Doctores passim. Ratio est: quia positive involuntarium dicit aliquid voluntati displicens: atqui occisio sui inimici, quem quis occidit, putans esse feram, non displicet voluntati, imo occidisset nihilominus, si scivisset, eum esse suum inimicum; ergo nec est ipsi involuntarium. Quia vero nihil est volitum, quin præcognitum, hinc Ignorantia concomitans reddit talem occisionem non voluntariam.

44. CONCL. IV. Ignorantia consequens seu vincibilis, sive affectata illa sit, sive crassa & supina, non causat involuntarium, sed voluntarium, saltem indirecte, in sua causa, ac proinde factum ex tali Ignorantia vincibili, seu consequente procedens, est simpliciter voluntarium, saltem indirecte. Ita rursum communis Theologorum. Ratio est: quia ipsamet Ignorantia vincibilis, seu consequens, est simpliciter voluntaria, vel directe, si est affectata, vel saltem indirecte, si est crassa & supina, ut patet ex earum explicationibus supra allatis; ergo etiam factum ex tali Ignorantia non est involuntarium, imo simpliciter voluntarium, saltem indirecte, sive in sua causa.

45. Cæterum pro complemento hactenus dictorum, Nota generaliter, dum dictum est, factum ex ignorantia esse involuntarium, sive simpliciter, sive secundum quid: illud intelligendum esse de objecto secundum eam rationem tantum, secundum quam ipsum fuit ignoratum, non autem in quantum ipsum fuit cognitum, ut advertunt omnes Doctores. Hinc si quis occidens alterum, sciat quidem ipsum esse hominem, nesciat tamen esse Patrem suum, vel Sacerdotem: factum ex tali Ignorantia erit quidem involuntarium operanti, in quantum est Parricidium, vel Sacrilegium: non vero, in quantum est Homicidium: & sic loquendo de similibus.

DISTINCTIO II.

De natura Actus Humani, seu Moralis, & variis ipsum concernentibus.

QUÆSTIO V.

Quid & Actus Humanus, seu Moralis.

SUMMARIUM.

1 *Actus humanus, & Actus hominis, differunt.*
2 *Actus humanus hic sumitur pro morali, licet aliquin differant.*
3 *Actus humanus seu moralis, quid?*
4 *Quomodo debeat fieri ad regulam nostrum actuum.*
5 *Regulæ morum alia remota, alia proxima.*

1. ADvertendum I. Quod recepto Theologorum stylo non sit idem *Actus Humanus*, & *Actus Hominis*: omnis enim actio ab homine quomodocunque elicita, etiamsi sit mere naturalis, ut nutritio, augmentatio, &c. aut facta absque advertentia seu deliberatione, ut dum quis pedem aut manum movet, vel barbam fricat aliis intentus, potest dici actus seu *Actio hominis*: *Actus* autem *humani* proprie dicuntur actiones illæ, quæ ex voluntate deliberata procedunt. Hinc Doctor Subtilis 2. *dist.* 41. *q.* un. optime eos appellavit *Actus non humanos*, qui procedunt ex sola imaginatione, & non ex libero arbitrio impellente.

2. Advertendum II. Quod in proposito Actus humanus communiter solet a Doctoribus sumi pro Actu morali, & cum eo converti, non obstante, quod in rigore loquendo latius patere videatur Actus humanus, quam moralis: si quidem actus illi, quos non raro eliciunt pueri, libere quidem, sed ante cognitionem boni, & mali moralis, virtutis nimirum ac vitii (ut dum apprehensione, & cognitione solius commodi, vel incommodi naturalis, deliberate eligunt unum objectum præ alio, v. g. saccarum præ sale) possunt quidem dici *Actus humani*; sed non in rigore loquendo *Actus morales*. Verum his non obstantibus, ac restringendo & sumendo Actum humanum prout coincidit cum morali, sit

3. CONCL. I. *Actus humanus* seu moralis ut sic, bene definitur quod sit Actus voluntatis liber, elicitus cum advertentia rationis ad aliquam regulam nostrorum actuum in ordine ad ultimum finem nostrum. Hæc conclusio in re est communis: & probatur declarando singulas ejus particulas. Dicitur in primis: *Actus voluntatis liber*: quia ad Actum humanum seu moralem omnino requiritur quod sit liber, id est, quod libere procedat a voluntate ex delectu operante; libertas enim actus est fundamentum totius generis moris, & per consequens boni vel mali moralis, etiam quoad malitiam venialem. Et additur; *elicitus cum advertentia rationis*; quia Actus moralis non solum debet procedere a voluntate quomodocunque, sed operante cum advertentia rationis, ita videlicet, ut ratio seu intellectus advertat, quid agatur. Et defectu hujus conditionis actus illi, qui procedunt ex sola imaginatione, utpote inadvertenter fricare barbam, &c. non sunt proprie loquendo morales, eo quod non eliciantur cum advertentia rationis.

4. Dicitur ulterius; *ad aliquam Regulam nostrorum actuum*. Quod intelligendum de Regula, vel præcipiente, vel consulente, vel permittente, vel prohibente, ut sic sub Actu morali generaliter sumpto comprehendamus non solum actus morales bonos, qui nobis sunt præcepti, vel saltem sub consilio propositi, sed etiam indifferentes nobis permissos (de quibus infra *Quæst.* 3.) atque insuper actus moraliter malos, seu peccaminosos, qui per Regulam nostrorum actuum nobis sunt prohibiti. Et defectu hujus conditionis, a ratione Actus moralis excluduntur illi, qui eliciuntur a pueris ante usum rationis. Additur tandem, *in ordine ad ultimum Finem nostrum*, ad quem per actus nostros moraliter bonos accedimus, per malos vero ab eodem recedimus.

5. Quæres autem, quænam sit illa Regula morum, a qua per accessum, vel recessum derivatur moralitas in Actus humanos? Resp. cum D. Thoma 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 4. & communi Theologorum, ejusmodi Regulam esse duplicem, remotam videlicet, & proximam. *Regula morum*, seu actionum nostrarum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rum moralium *remota*, est Lex extrinseca nobis præscribens, quidnam secundum rectam rationem sit agendum, vel fugiendum: de qua in Tractatu II. qui est *De Legibus*, dicetur. *Regula proxima* actionum nostrarum (quam Doctor Subtilis *Quodlib.* 18. appellat *Regulam intrinsecam*) est ipsummet dictamen rectæ rationis, seu conscientiæ nostræ, proxime nobis dictans, quidnam sit conforme vel difforme legi extrinsecæ, ac proinde bonum vel malum, faciendum vel omittendum. Et de hac proxima Regula morum in sequenti Distinctione, quæ erit *De Conscientia*.

QUÆSTIO II.

Unde Actus humani desumant suam bonitatem, vel malitiam moralem.

SUMMARIUM.

6 *Actus voluntatis alii eliciti, alii imperati.*

7 *Bonitas naturalis, & moralis in actibus nostris, qua?*

8 *Bonum triplex, delectabile, utile, & honestum.*

9 *Bonitas vel malitia Actus moralis ex triplici capite desumitur.*

10 *Bonitas vel malitia ex objecto desumpta, est primaria, & essentialis actus; alia est accidentalis, & secundaria.*

11 *Circumstantia quandoque tribuunt actui primam speciem bonitatis, vel malitiæ moralis.*

12 *Sola bonitas intentionis non sufficit ad tollendam malitiam medii pravi.*

13 *Oculus simplex qui?*

14 *Intentio judicat omne, quomodo intelligendum?*

15 *Nunquam licitum est facere malum ex culpa cum ordinatione ad bonum.*

16 *Culpa vacat, eligere ex duobus id, quod minus malum de se foret, si unum necessario eligendum sit.*

17 *Nova instantia, & notabilis solutio ipsius.*

6. ADvertendum I. Quod Actus voluntatis alii sunt eliciti, alii imperati. *Actus voluntatis elicitus* dicuntur illi, qui ab ipsamet voluntate eliciuntur, seu immediate producuntur, uti sunt actus volitionis, nolitionis ac hujusmodi. *Actus imperati* voluntatis sunt illi, qui ex imperio ipsius voluntatis producuntur, uti si voluntas imperet potentiæ loco motivæ, ut pergat in Ecclesiam, talis ambulatio ex imperio voluntatis procedens dicitur Actus voluntatis imperatus, & idem dicendum de Actibus ipsius intellectus, aut aliarum potentiarum, ex imperio voluntatis procedentibus. Imo notant Doctores, voluntatem etiam sibi ipsi posse imperare actus; v. g. detestationem de peccato commisso; ut proinde sint aliqui Actus a voluntate eliciti, & simul ab eadem imperati. Unde autem tales actus voluntatis, five eliciti, five imperati, suam desumant bonitatem, vel malitiam moralem, quæstio remanet.

7. Advertendum II. Quod in actibus nostris duplex Bonitas considerari possit, una naturalis, alia moralis. *Bonitas naturalis* consistit in integritate, seu aggregatione eorum omnium, quæ in entitate actus naturaliter requiruntur: sic v. g. cantus bene consonans, ac juxta regulas Musices factus, dicitur naturaliter bonus, quamvis forsan sit lascivus, & moraliter malus. *Bonitas moralis* consistit in integritate, seu aggregatione eorum omnium, quæ actui humano secundum rectam rationem convenire debent. E contra vero *malitia moralis* consistit in defectu omnium, vel saltem alicujus, eorum, quæ actui humano secundum rectam rationem convenire debent, si quidem, ut post D. Dionysium *lib. de Divinis nominibus, cap. 4.* notant Doctores, *Bonum est ex integra causa, malum vero ex quolibet defectu.*

8. Advertendum III. Quod Bonum communiter triplex assignetur, videlicet Bonum utile, Bonum delectabile, ac Bonum honestum. Ex his *Bonum delectabile* dicitur illud, quod oparanti affert defectabilitatem, ut est cibus, vel potus. *Bonum utile* vero, quod affert utilitatem: ut sunt divitiæ Mundi. Et certum est, in hujusmodi duplici bono non consistere bonitatem moralem actus humani, cum sæpius id, quod nobis utile, aut delectabile accidit, sit lege Divina prohibitum; ut patet in furto, quod furanti affert utilitatem, ac innumeris aliis. Tandem *Bonum honestum* idem est, ac moraliter bonum: estque illud, quod est secundum rectam rationem, id est, quod est conforme dictaminu rectæ rationis, seu conscientiæ nostræ proponentibus nobis, quidnam sit consentaneum legi extrinsecæ, five Divinæ, five humanæ, ac proinde moraliter bonum vel malum, prosequendum vel fugiendum, &c.

Et prosequendo hujusmodi bonum honestum, dicitur quis bene seu virtuose operari, ac propterea esse dignus laude atque præmio: qui vero secus agit, dicitur male seu vitiose agere, atque esse dignus vituperio & supplicio. His præmotatis sit

9. CONCL. I. Bonitas, vel malitia Actus moralis, ex triplici capite desumitur, videlicet ex objecto, ex fine extrinseco, qui dicitur *Finis operantis*, & denique ex aliis circumstantiis. Ita Doctor Subtilis *in 2. dist.* 40. ejusque in re communis Theologorum. Quæ quidem Conclusio sic intelligenda est, quod ad bonitatem Actus moralis, five humani, debeat concurrere & bonitas objecti, & bonitas finis extrinseci, & bonitas omnium circumstantiarum, ita videlicet, ut in nullo horum saltuquo moralis; ad malitiam autem Actus humani sufficiat malitia unicujusque prædictorum trium. Ratio est: quia bonum est ex integra causa, malum vero ex quolibet defectu, ut jam supra dictum est *n. 7.*

10. CONCL. II. Bonitas, vel malitia Actus moralis, ex objecto desumpta, est primaria & essentialis actui in genere moris spectato; desumpta vero ex circumstantiis quæ talibus (sub his etiam comprehendendo finem extrinsecum, seu intentionem operantis) est accidentalis & secundaria. Ita Scotus *Quæst. 1. Prologi*: cum suis, & aliis Theologis plurimis. Declaratur Conclusio exemplis: Sic furtum in genere moris spectatum sumit suam primariam malitiam ab objecto, seu rationi, eo quod repugnet dari furtum, si res ablata non sit aliena: ac proinde talis malitia ex objecto desumpta, dicitur furto in genere moris spectato esse essentialis. Quod si vero quis furetur ex simul intentione, ut possit fornicari, aut gulæ indulgere, tunc hæc malitia ex prava illa intentione, seu fine extrinseco desumpta, erit furto accidentalis, quia potest adesse vel abesse, falva furti malitia essentiali, critque simul secundaria, utpote cum jam aliam malitiam furto essentialem supponat.

11. Dicitur notanter in posteriori parte Conclusionis, *desumpta vero ex circumstantiis quandoque*, Patet enim quippe est, circumstantiam quandoque tribuere actui etiam primam, atque essentialem bonitatis, vel malitiæ speciem: in eo tamen casu ipsæ desinunt esse circumstantiæ in genere moris respectu talis actus (non obstante, quod maneant ejusdem circumstantiæ in esse naturæ) sed induunt rationem objecti, prout recte notat Doctor Subtilis *loc. cit.* Sic fit, dum quis actionem ex se indifferentem, puta ludium, elicit ad honorem DEI; vel actionem bonam ob finem pravum, dando v. g. eleemosynam ob vanam gloriam: in his enim casibus ejusmodi finis extrinsecus, seu intentio bona aut mala, confert actui primam omnino speciem bonitatis vel malitiæ, utpote cum nullam aliam priorem, seu præexistentem supponat. Simulque ex se est opus indifferens, bonitas vero eleemosynæ ob illum pravum finem vanæ gloriæ corrumpitur & cessat in tali actu.

12. CONCL. III. Sola intentio bona, seu bonitas finis extrinseci, diminuit quidem malitiam medii pravi, ipsa tamen non tollit ad malitiam medii pravi omnino tollendam; imo potius totum opus est simpliciter malum. Ita communis. Sic v. g. mendacium officiosum non definit esse mendacium, eo quod per illud necessitati proximi subvenitur: quinimo, ut inquit D. Aug. *lib. contra mendacium, c. 31. etiam ad sempiternam salutem nullus ducendus est opitulante mendacio.* Similiter: si quis furetur animo dandi ex re furtiva eleemosynam, non per hoc excusatur a malitia furti, non obstante, quod ejus malitia per hoc aliqualiter minuatur, si quidem, ut habetur *Rom. c. 3.* non sunt facienda mala, ut veniant bona. Ratio horum generalis est: quia bonum est ex integra causa, malum vero ex quolibet defectu; ergo si medium est malum, integra actio vitiabitur, atque ea detestanda.

13. Objicitur nihilominus contra hanc secundam Conclusionem. Matth. cap. 6. dixit Christus Dominus: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*: ubi per oculum denotatur intentio, secundum SS. Patres, & Doctores passim: ergo si intentio, seu finis bonus est, totum etiam opus erit bonum. Resp. negando consequentiam: quia, ut bene notat D. Bernardus *lib. de Præcepto & dispensatione* (ubi hoc dubium ex professo tractat) non est oculus simplex, nisi cum recta intentione etiam opus sit rectum: etenim, ut intentio sit bona, non solum finis bonus intendi debet, sed etiam bene, id est, sine admixtione pravæ circumstantiæ, aut medii mali.

14. Objicitur ulterius. Juxta illud tritissimum axioma, *Intentio judicat omne*: ergo si quis bona intentione proximo subveniendi facit mendacium officiosum, vel leve furtum, non videtur peccare. Probatur consequentia ex S. Augustino, *in Prefatione ad*

Psal.

Psalm. 31. sic dicente: *Non, valde attendas, quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat:* ergo. Resp. negando consequentiam; nam axioma illud intelligi debet juxta proximè dicta a S. Bernardo: neque enim intentio est bona, nisi finis bonus intendatur & simul bene, id est, sine admixtione pravæ circumstantiæ, aut medii mali. Ad S. Augustinum dicitur, eundem velle duntaxat, quod ad operis honestatem requiratur; ut agens aspiciat ad bonum virtutis, illud attendendo, atque volendo, & non opus ex se bonum, atque ante oculos humanos excellens, faciat ob pravum finem vanæ gloriæ, aut hujusmodi, ne alioquin justum quidem faciat, sed non juste. Neutiquam autem vult S. Augustinus *l. c.* ex sola bonitate finis desumi bonitatem actus moralis, cum bonum debeat esse ex integra causa, malum vero sit ex quolibet defectu. Hinc, ut legitur *1. Reg. c.* 15. Saul Rex plurimum reprehensus fuit, eo quod quædam spolia ex cæde Amalec contra Dei præceptum reservaverit, licet id fecerit ob honestum finem, nempe ut ex iisdem spoliis Deo in signum gratitudinis sacrificaret, atque hostias offerret.

15. Objicitur tertio. Ex duobus malis minus est eligendum, *can. Duo mala, & cap. Nervi dist.* 13. ergo, si v.g. mendacium occurrat dicendum, ut viteutur graviora facinora, illud erit licitum. Resp. negando consequentiam: nam quamvis ex duobus malis minus sit eligendum, quando eorum alterum necessario est faciendum, ut patet quotidie in Civilibus, nec non & Physicis, ubi Chirurgi secant infirmo manum, ut vitam ejus servent: nunquam tamen est faciendum aliquod malum culpæ cum ordinatione ad aliquem finem bonum. Siquidem malum culpæ est gravius omni malo pœnæ, ac proinde nunquam licite potest eligi pro quocumque malo pœnæ vitando: unde, ut inquit Apostolus ad Rom. 3. *Eorum damnatio justa est, qui dicunt, faciamus malum, ut veniant bona.*

16. Urgebis. Ergo saltem minus malum culpæ potest licite eligi ad fugiendum majus malum culpæ. Resp. negando sequelam vel potius suppositum ejus: nam si tanta occurrat necessitas, ut ex duobus, quorum alioquin quodlibet esset peccatum, necessario unum mihi sit eligendum, debebit quidem eligi, id quod cæteroquin minus foret; illud tamen revera tunc non habebit rationem peccati, sed vacabit omni culpa; prout cum D. August. *l. contra mendacium cap.* 18. notat communis Theologorum. Sic quando die Dominico debebo vel amittere auditionem Missæ, vel domi relinquere infirmum solitarium cum periculo vitæ ejus, eo quod non habeam alium, qui interea decumbenti inserviat; tunc teneor eligere omissionem Missæ (nam minus obligat præceptum Ecclesiasticum de Missa audienda, quam præceptum naturale de subveniendo proximo extreme indigenti) quamvis ipsa in tali casu mihi ad culpam nullatenus imputetur.

17. Instabis. Ergo pariter, si possum meo mendacio impedire graviora alterius peccata, potero licite mentiri, neque mentiendo peccabo; quia ex duobus malis minus eligerem. Resp. negando sequelam: aliud enim est, ex duobus malis, quorum unum necessario est eligendum, minus eligere, juxta dicta *num. præced.* aliud vero facere malum culpæ (nam mentiri est intrinsece malum) cum ordinatione ad vitandum majus peccatum alterius, quod alter libere, non vero necessario, committurus putatur, de quo *num.* 15. Et gravius longe mihi malum est, proprio peccato me coinquinare, quam sine culpa mea alterius peccatum permittere, forte non futurum. Et certe (ut optime S. Augustinus, *lib. contra mendacium cap.* 9. solvens hoc dubium notavit) si hanc peccatis aperimus viam, ut committamus minora, ne alii committant majora, lato limite, imo nullo limite, cuncta intrabunt atque regnabunt, dum profecto & furtis nostris stupra cavebuntur aliena, &c. & non solum minora pro majoribus, sed etiam (loquendo de maximis peccatis) pauciora peccata pro pluribus licita esse invenientur, quod absit.

QUÆSTIO IV.

Quomodo malitia, & præsertim bonitas debeat esse volita, ut eam Actus Humanus desumat ex objecto & circumstantiis.

SUMMARIUM.

18 *Ad malitiam actus contrahendam non est necesse, ut ea sit directe volita &c.*

19 *Corollarium notabile.*

20 *Ad bonitatem moralem actus ex objecto desumendam requiritur, ut hæc sit directe volita.*

21 *Licet necesse non sit, ut ea apprætur tanquam objectum formale motivum.*

22 *Ut actus bonitatem moralem desumat ex fine extrinseco, & circumstantiis, quid requiratur?*

23 *Quid*

23 *Quid observandum circa objecta indifferentia?*

24 *Sufficit cognosci & amari honestatem implicite.*

25 *Bona intentio nostris actionibus præfigenda, cur?*

26 *Commendatur bona intentio mane facta & an sufficiat.*

27 *Sufficit ad meritum intentio virtualis, & qua ea sit?*

18. CONCL. I. Ad hoc, ut Actus moralis desumat suam malitiam ex objecto aut circumstantiis, non requiritur, ut malitia ipsius sit directe volita, & intenta, sed sufficit advertere aliquo modo, actum esse malum. Unde ad contrahendam malitiam sufficit quodcumque voluntarium, sive directum, sive indirectum, ac virtuale. Ita omnes Doctores, & ratio est: quia bonum est ex integra causa, malum vero ex quolibet defectu, prout post D. Dionysium *cit. lib. de Divinis Nomin. c.* 4. sentit communis Doctorum.

19. Infertur proinde, quamvis operans directe malitiam nolit, ipsique turpitudo actus displiceat, nihilominus hoc ipso, quod actum illum facit, cui adjunctam esse malitiam advertit, eum peccare. Ratio est, quia licet displiceat malitia, non tamen displicet efficaciter; ac proinde ipsa malitia saltem indirecte, & in sua causa, (seu ut alii loquuntur) interpretative est ipsi voluntaria, quod sufficit ad malitiam actus. Et hoc quidem est certum, in eoque conveniunt Doctores passim: major autem difficultas est de bonitate actus, & quomodo ea debeat esse volita, ut ipsum actus desumat ex objecto & circumstantiis.

20. CONCL. II. Ut actus desumat bonitatem moralem ex objecto, non sufficit voluntarium indirectum seu interpretativum honestatis, sed requiritur, ut hæc sit prægnita, & directe volita: unde si quis faciat objective bonum, seu honestum, nulla habita ratione honestatis ipsius, is non facit actum moraliter bonum, & honestum; puta si quis faciat actum justitiæ in contractibus humanis ex intentione solius lucri, vel reddat alteri quod suum est ex solo metu humano, neutiquam curando, quod hoc sit honestum, Deoque placitum, is non facit actum moraliter bonum & honestum: licet enim talis justum facere dici possit, non tamen juste. Ita Doctor Subtilis *Quodlib.* 28. estque communis aliorum, paucis exceptis.

21. CONCL. III. Nihilominus ad contrahendam bonitatem ex objecto non est necesse, ut honestas ejus appetatur tanquam objectum formale motivum, seu ratio formaliter appetendi; satis quippe est, eam cognosci simulque intendi, etiam si talis honestas non ametur propter se, nec sit ratio motiva actus, sed aliqua alia bonitas, dummodo nulla apponatur mala intentio, aut alia prava circumstantia. Ita Bart. Mastrius *in 2. sent. disp. 5. nu.* 193. est que communior Doctorum. Sic enim, qui dat (forte jussu Confessarii) eleemosynam in satisfactionem suorum peccatorum, non solum elicit actum Pœnitentiæ, sed etiam actum Misericordiæ, non obstante, quod in tali casu motivum formale eliciendi actum illum eleemosynæ sit honestas Pœnitentiæ. Et hoc procedit de bonitate ex objecto desumpta, & cui nulla prava circumstantia admiscetur.

22. CONCL. IV. Loquendo tamen de fine extrinseco, & nonnullis circumstantiis aliis, debet quandoque honestas amari propter seipsam, seu formaliter intendi, ut actus illam honestatem contrahat. Ita Scot. *Quodlib.* 18. §. *de primo.* Mastrius *cit. disp. 5. num.* 199. & videtur communis inter DD. Probatur, si-mulque declaratur Conclusio: nam in primis bonitas finis operantis (qui dicitur *Finis extrinsecus*) est omnino extrinseca, & accidentalis actui; ergo si ipsa non sit ratio motiva agendi, actuique ex intentione agentis data opera non conjungatur, nequaquam poterit actus eam finis extrinseci honestatem participare. Sic v.g. quia jejunium ultra honestatem Temperantiæ, quæ ipsi ex objecto competit, potest ex intentione bona, seu fine extrinseco operantis aliam quoque accidentalem honestatem participare (nimirum Pœnitentiæ, si fiat in satisfactionem peccatorum; Religionis, si fiat ob cultum Dei) ut jejunium etiam hujusmodi honestates participet, necesse est, quod hæ per se intendantur ab operante; & idem sit in similibus.

23. Deinde etiam in objectis indifferentibus, ut actus honestatem cujuspiam virtutis participet ex fine extrinseco, seu bona intentione operantis, necesse est, operantem moveri ab honestate illius finis extrinseci seu virtutis. Sic, ut actus comessionis, studii, dormitionis &c. qui ex se indifferens est, acquirat honitatem Obedientiæ erga Deum, volentem, quod tempore congruo moderate comedamus, dormiamus, studeamus, aut alia ejusmodi opera exerceamus, necesse est, ut hujusmodi honestas virtutis Obedientiæ erga Deum intendatur, & propter se appetatur; alioquin enim actus ille nullam bonti-

ta-

tátem virtutis Obedientiæ contrahet, & remanebit in sua indifferentia. Idem dicendum de aliis similibus.

24. CONCL. V. Veruntamen dicta in præmissis conclusionibus, ubi habetur, quod honestas debeat cognosci, & amari, aut etiam per id intendi, non sic intelligenda sunt, quasi exigatur reflexio cognitionis, vel volitionis circa honestatem objecti, aut circumstantiarum: sufficit enim modo aliquo implicito, atque æquivalenti cognasci, & appeti honestatem illam apprehendendo v.g. objectum ut laudabile, ut dignum præmio, ut placitum Deo, ut commendatum a viris probis, vel in speciali, ut opus Justitiæ, Charitatis, Obedientiæ, &c. sicque illud volendo. Hinc Christus Marth. c. 10. inquit: *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine Discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.*

25. Quæres, quid sit sentiendum de bona intentione nostris operibus præfigenda? Resp. I. Cur Libri Ascetici adeo commendent bonam intentionem, ratio desumitur ex dictis, ne videlicet alioquin justum quidam operemur, sed non juste: simulque negligamus innumeras occasiones bene agendi, atque promerendi augmentum gratiæ & gloriæ cœlestis, quas continuo habere possumus constituti in statu gratiæ, dummodo ex bona intentione, puta Amoris Dei, aliarumque Virtutum supernaturalium, eliciamus actiones nostras, sive ex objecto bonas, sive indifferentes.

26. Ubi quidem in primis commendatur propositum initio dei conceptum, ob Dei Amorem omnia agendi ad ipsius perennem gloriam: sed quia hujusmodi intentio generalis non videtur posse virtualiter permanere, atque influere in omnes actiones totius diei, hinc eam interdum renovandam, atque peculiaribus actionibus nostris præfigendam monet Jeremias Drexelius *l. 1. Æmulis. c. 5. §. 4.* citans D. Th. aliosque. Et hæc etiam sunt expressa mens D. Bonav. *l. 4. dist. 41. art. 3. q. 3. ad 6.* ubi ad hoc, ut actio aliqua sit meritoria, requirit talem relationem ad Deum, *non quia actus in generali refert ad Deum omnia opera sua, sed quia quis refert aliquod opus ad Deum, ita quod opus sequens directam habeat ad opus præsens ordinationem, & consequentiam*, cujusmodi relationem in Deum alii appellant *Intentionem virtualem*. Concordat D. Subsellis *2. dist. 41. q. un.* ubi ait: *Non videtur minor relatio* (in Deum) *sufficere ad meritum, quam relatio virtualis.*

27. Resp. II. Nihilominus sufficere ad meritum intentionem, seu relationem virtualem in Deum, fatentur tum citati, tum alii Doctores. Dicitur autem Intentio virtualis, quæ licet actu jam præterierit, manet tamen in virtute sua: & talis tunc censetur haberi, quando operans virtute actualis intentionis prius habitæ facit omnia, quæ facit, tanquam ex radice, ita quod illa intentio actualis fuerit principium ordinatum ad omnes illos actus sequentes. Exemplum hujus, proposito nostro accommodatissimum, ponit Scotus *4. d. 6. q. 6.* ubi ait. *Hoc modo intendere ire ad sanctum Jacobum, ex intentione hujus finis ordinat multa alia necessaria ad illum finem; exequens autem illa ordinata, non semper cogitat de facto Jacobo, nec de reverentia ejus. Dico tamen, quod semper meretur, quia vel habet intentionem eorum, quæ sunt ad finem illum, cujus est illa prima intentio, vel habet actus aliquos sequentes ex illis intentionibus*, in quibus proinde virtualiter continuatur illa prima intentio eundi ad sanctum Jacobum, non obstante, quod interveniant aliqui actus distrahentes. Similia habet sanctus Bonaventura *4. q. 1.* hinc inferens *de viris Religiosis, qui in principio ex charitate devoverunt portare Religionis onus: quidquid enim* (inquit) *faciunt, quod ad sua Religionis obligationem spectat, ex prima intentione eis vis meritorium ad salutem, nisi forte (quod absit) contrarium intercurrat: in aliis autem, quæ ad Religionem non spectant, secus est, quia illa intentio non se extendit ad illam.* Hinc quoad similia erit renovanda intentio, ne maneant in sua indifferentia, & absque fructu: quamvis admodum sit consultum, meritorium, Deoque gratum, eandem etiam quoad reliquos actus iterare, tum ad debitum Deo servitium eo exquisitius ferventiusque præstandum, tum ad augendos inter nos virtutum actus, & participandam multiplicem bonitatem extrinsecam.

QUÆSTIO IV.

De bonitate, vel malitia Actus externi.

SUMMARIUM.

28 *Bonitas, vel malitia moralis, per se primo inest actui voluntatis interno.*

29 *Actus externus, saltem occasionaliter, additi bonitatem, &c. interno.*

30 *Habet*

30 *Habet etiam distinctam bonitatem, vel malitiam moralem ab interno.*

31 *Hoc amplius probatur.*

32 *Voluntas reputatur pro facto, quomodo?*

33 *Exemplum Vidua, mittentis duo minuta in munera Dei, declaratur.*

34 *Actus interior & exterior, an sint duo peccata?*

35 *Id amplius declaratur.*

28. CONCL. I. Bonitas, aut malitia Actus moralis, per se primo inest actui voluntatis interno atque elicito, in aliis autem actibus exterioribus, ac imperatis, uti sunt actus intellectus, atque actus potentiarum sensitivarum, & membrorum exteriorum, nonnisi secundario & participative, id est, dependenter ab actu interiori voluntatis, reperitur bonitas, vel malitia moralis. Ita Doctor noster *2. d. 42. q. 2.* & alii. Ratio est, quia causa prima eliciendi actum liberum, sicque operandi bonum, aut peccandi, est voluntas; ergo etiam bonitas actus, vel malitia peccati, primario erit in actu voluntatis, in actibus autem aliarum potentiarum solum secundario, & dependenter ab actu voluntatis, cujusque libertate.

29. CONCL. II. Actus externus, regulariter loquendo, addit aliquid bonitatis vel malitiæ actui interiori, saltem caualiter, vel occasionaliter. Hæc Conclusio sic prolata, est certa inter Theologos. Ratio est: quia dum ponitur Actus exterior, occasione ejus regulariter loquendo intenditur, aut diutius continuatur interior; ergo vera est Conclusio, quod nimirum occasione actus exterioris & caualiter, regulariter addatur nova bonitas vel malitia actui interno, utpote qui occasione Actus externi solet intendi, vel diutius continuari. Et hoc ipsum docet experientia: sic qui re ipsa Martyrium patitur, regulariter loquendo plus meretur, quam qui illud solummodo efficaciter exoptat; dum enim re ipsa patitur Martyrium, occasione exterioris passionis elicit plures novos intensiores actus internos voluntatis, quibus Martyrium ob Dei amorem acceptat, & tolerat. Similiter, dum quis actu ipso fornicatur, hic actus exterior reddit utique affectum internum fornicandi intensiorem, quam antea fuerat; ut taceantur aliæ pravæ cupiditates, occasione talis actus externi pravi in homine subsequentes. Et hoc quidem est certum, & a Doctoribus communiter concessum: an autem ipsemet Actus exterior secundum se addat specialem bonitatem, vel malitiam actui interno, inter Theologos plurimum celebris est quæstio, ad quam breviter respondendo, sit

30. CONCL. III. Actus exterior habet etiam bonitatem, vel malitiam moralem propriam, distinctam ab ea, quam habet actus interior voluntatis elicitus, ac proinde simpliciter loquendo, actus exterior superaddit specialem bonitatem, vel malitiam actui interiori. Ita Doctor Subtilis *quodlib. 18.* cum omnibus suis, quamvis multi alii Theologi teneant oppositum. Probatur Conclusio in primis auctoritate D. Augustini *l. 13. de Trinit. cap. 5.* dicentis: *Mala voluntate vel sola, quilibet miser efficitur, sed miserior patefiatur, quia desiderium malæ voluntatis implebitur.* Hinc Glossa *super illud Exodi 20. Non mechaberis*, inquit, *Qui opus adjicit voluntati, iniquitatem addit iniquitati.* Probatur eadem Conclusio ratione: Si actus externus non superadderet specialem malitiam actui interno malo, sequeretur actum externum non esse necessario confitendum; sufficeret enim solum actum internum efficacem occidendi v.g. vel adulterandi, confiteri: consequens est absurdum, & contra Decretum Alexandri VII. Ann. 1665. sequentem inter alias propositionem ordine 25. damnantis: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens, Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* Probatur sequela quia juxta sententiam oppositam actus externus, v.g. fornicationis non habet specialem malitiam ab interiori: ergo hoc solo explicato in Confessione, jam tota malitia sui peccati explicaretur: & consequenter cum hoc dici nequeat, erit admittenda Conclusio.

31. Confirmatur Conclusio. Tum quia Deus ipsemet specialibus præceptis prohibere dignatus est actum internum, & externum peccati, ut patet ex eo quod Sexto præcepto Decalogi expresse prohibuerit adulterium, & Nono pravam concupiscentiam, seu voluntatem adulterandi: ergo aliam agnovit malitiam in actu externo, quam interno, alioquin frustra multiplicarentur ejusmodi præcepta. Tum quia plures Leges, tam Canonicæ, quam Civiles, puniunt actus externos, non tamen internos (non obstante, quod in Foro externo legitime probentur, puta per propriam confessionem) ut patet in excommunicatione annexa hæresi formali externæ, non internæ; aut percussioni actuali Clerici, non autem voluntati hunc percutiendi, & hujusmodi. Tum quia actus externi sunt veræ

liber, haud obstante, quod libertatem participent a voluntate, ejusque imperio; ergo etiam sunt boni vel mali; prout subsunt imperio voluntatis, & quidem distincta bonitate vel malitia, non minus, ac habent diversam libertatem. Nam, ut subtiliter argumentatur Scotus *loc. cit.* voluntas utique actui distinctam & propriam communicat libertatem, dum actui interno communicat libertatem ut eliciens, qui proin est immediate voluntarius; exteriori vero communicat libertatem ut imperans, qui proinde (ne quoad propositum dicatur se habere sicut instrumentum inanimatum manu artificis motum) est saltem participative liber, ac mediate voluntarius.

32. Objicitur tamen contra hanc Conclusionem, asserendo plures SS. Patrum Auctoritates, ac præsertim illam D. Bernardi, *Epist.* 77. dicentis: *Legimus, qui viderit mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est in corde suo. Quid planius, quod voluntas pro facto reputatur, usu factum excludit necessitas.* Hæc ille. Resp. Sensum talium locutionum esse, quod voluntas pro facto reputetur quoad culpam & reatum in malo, non vero quoad quantitatem culpæ: uterque enim peccat mortaliter, tam adulterans, quam concupiscens adulterium, sed ille gravius, utpote iniquitatem addens iniquitati.

33. Quod si quis instet juxta illum communem adagium, *Voluntas pro facto reputatur, ubi facultas operis deest*: unde etiam Christus Lucæ *cap.* 21. Viduam pauperem, quæ misit duo minuta in gazophylacium Templi, præcult aliis, qui multa miserunt; ergo. Resp. dictum illud, *Voluntas pro facto reputatur, &c.* verum esse quantum ad sufficientiam ad salutem, præmumque substantiale in cœlis consequendum; non vero, quantum ad præmii excellentiam, majoremque actus bonitatem. Nec urget exemplum Viduæ pauperis, cum in illo casu cæteri non fuerint pares; nam Vidua illa pauper misit duo minuta ex majori fervore & charitate, quam cæteri, qui plus mittebant: hi enim, ut Christus Dominus ibi attestatur, ex abundanti sibi, miserunt in munera Dei, illa vero omnem victum suum, quem habuit, misit.

34. Quæres; an actus interior, & exterior sint unum, vel duo peccata? Resp. Quantum attinet ad praxin, sufficit in Confessione explicare actum externum deliberate perpetratum, v. g. se furatum esse toties summam gravem; hoc ipso enim indicatur etiam interna voluntas furandi, a qua derivatur malitia peccati in actum externum. Non autem sufficit ei, qui actum internum, sive propositum peccandi opere externo complevit, solum actum internum explicare, sed tenetur etiam explicare actum externum propter dicta n. 30. Et hæc est certa, atque omnimode tenenda, præsertim post Decretum Alexandri VII. ibidem allegatum. Nec obstat quod circumstantiæ peccatorum aggravantes, juxta multos Doctores, non sint necessario explicandæ in Confessione; Respondetur enim, peccatum externum etiam specie morali differre ab interno; cum prima & generica peccatorum divisio sit in peccata cordis, oris, & operis: unde & aliud moraliter est, voluntas occidendi hominem; & aliud, actualis occisio hominis.

35. Num autem actus exterior & interior sint unum vel duo peccata, eo quod habeant duplicem malitiam distinctam, est quæstio magis Theologica, & speculativa. Potest tamen brevi ter dici, quod licet actus exterior, & interior sint duo peccata partialia, quatenus uterque actus in se ipso formaliter consideratus habet propriam suam malitiam; nihilominus tamen sint unum peccatum totale, quatenus sunt ad invicem subordinati, & naturaliter connexi: nam actus exterior naturaliter subordinatur interiori, a quo pendet in suo esse, & vicissim actus interior pendet ab exteriori, tanquam ab objecto, & ultimo suo complemento.

QUÆSTIO V.

An detur Actus Indifferens?

SUMMARIUM.

36 *Actus indifferens, quid?*
37 *Certum est, dari actus indifferentes ab defectum deliberationis.*
38 *Dantur insuper actus humani indifferentes.*
39 *An homo teneatur omnem actum dirigere in finem honestum?*

36. ADvertendum, quod per *Actum indifferentem* in proposito intelligatur ille, qui nec bonus est, nec malus in genere moris; ac proin neque speciali laude & præmio dignus, neque vituperio, aut supplicio. Unde Actus indifferens mediat inter actum moraliter bonum, & inter actum moraliter malum, seu peccaminosum.

37. CON-

37. CONCL. I. Certum est, plures dari actus etiam in individuo, qui nec boni sunt, nec mali propter inadvertentiam, & defectum actualis deliberationis, ac proinde hac ratione indifferentes; uti sunt ex inadvertentia & imaginatione quadam movere manum, fricare barbam, levare festucam, &c. & præsertim innumeri tales dantur in pueris. Ex tales Actus indifferentes dari, admittit pariter Doctor Angelicus 1. 2. *quæst.* 18. *art.* 9. de iis autem non esse quæstionem inter Theologos, notat Scotus *in* 2. *dist.* 41. *ante solutionem argumentorum*, cum defectu deliberationis non sint Actus humani, sed extra genus moris. Igitur loquendo de Actibus humanis libere, & cum advertentia rationis elicitis, fit

38. CONCL. II. Dantur insuper Actus humani indifferentes, qui nec boni, nec mali sunt in genere moris, etiamsi libere & cum advertentia rationis eliciantur. Ita Doctor subtilis *in dist.* 41. *art.* 1. *q.* 3. Alensis, & quamplures Theologi, quamvis etiam non pauci oppositum teneant. Probatur Conclusio in primis auctoritate S. Hieronymi *Epist.* 89. *ad S. Augustinum* sic scribentis: *Bonum est continentia, malum luxuria: inter utrumque indifferens est ambulare, manibus capitis pulvamenta projicere, sputis rheumata facere; hæc nec bonum, nec malum est: sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam.* Hæc ille. Confirmatur. Quia nulla datur obligatio referendi quemcunque actum in finem honestum: ergo potest dari Actus indifferens. Probatur assumptum; tum quia nullibi legitur talis obligatio, simul quæ ea admodum foret dura & difficilis naturæ humanæ, ejusque fragilitati, propter innumera hujus vitæ impedimenta, occupationes, atque distractiones. Tum quia alioquin actus ex objecto indifferentes, & in bonum finem non relati, utpote moderate coincedere, ambulare, pulvamenta e nasibus projicere, &c. non facta alia bona intentione, forent hoc ipso mali, & peccata saltem venialia, ac proinde essent materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ, & Confessionis: hoc autem est contra praxim prudentum Confessariorum, & communem sensum Fidelium, ergo.

39. Objicitur tamen asserendo præcipuum fundamentum adversæ sententiæ. Tenetur homo quemcunque actum ex deliberatione procedentem dirigere in finem honestum; ergo neque dari Actus indifferens, sed erit vel bonus, si dirigatur in finem honestum, vel malus si non dirigatur. Probatur antecedens, quia tenemur diligere Deum ex toto corde, & ex tota anima nostra, *Matth.* 22. cum concordantiis: atqui hoc præceptum non observat is qui scienter ac deliberate exercet actum indifferentem absque ulteriori relatione in Deum; ergo. Resp. Neg. antecedens: id namque videtur esse contra communem sensum hominum; vix enim ullus est, qui quando lavat faciem, aut expuit, aliaque similia opera ex se indifferentia exercet, cogitet, se tenere ad apponendum semper bonum finem, non obstante, quod valde consultum, simulque meritorium & laudabilissimum sit ipsum apponere. Ad probationem antecedentis dicitur, præcepto diligendi Deum super omnia, in hac vita satisfieri certis actibus positivis supernaturalibus, & abstinentia ab actibus dilectioni Dei oppositis, simulque observatione mandatorum Dei juxta illud Salvatoris Joan. 14. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.*

QUÆSTIO VI.

Quid requiratur, ut actus Humani boni sint meritorii vitæ æternæ?

SUMMARIUM.

40 *Meritum; quid?*
41 *Meritum de condigno, & meritum de congruo quid?*
42 *Ad Meritum de condigno, ex parte operantis requiritur Status viæ, & Status gratiæ.*
43 *Status viæ, & Status gratiæ quid?*
44 *Sancti in cœlis sibi nihil amplius merentur, nec Damnati demerentur.*
45 *Requiri Statum gratiæ ad meritum de condigno, probatur.*
(2) *Corollarium.*
46 *Opera bona viva, mortificata, & mortua declarantur.*
47 *Opera bona mortua, seu in statu peccati mortalis facta ad quid prosint?*
48 *Corollarium.*

40. ADvertendum I. Meritum, ut sic bene definiri, dicendo: *Meritum est actus laudabilis, exigens aliquo modo collationem præmii.* Dicitur *actus laudabilis*: quia per actus peccaminosos non meremur præmium, sed potius supplicium. Simulque

per hoc indicatur, quod actus meritorius debeat esse liber, & moraliter bonus; nam per ea, quæ naturaliter, & necessario eveniunt, nec laudem meremur, nec vituperium.

41. Advertendum II. Meritum ut sic communiter dividi a Theologis in Meritum de condigno, quod proprie & absolute meritum dicitur, & in Meritum de congruo, quod dicitur Meritum secundum quid duntaxat, & cum addito ly, *de congruo*. *Meritum de condigno*, generatim illud est, quod habet condignitatem & æqualitatem cum præmio: in quo sensu loquendo de Merito de condigno vitæ æternæ, dicitur Sapient. 3. *Quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se*. Apocal. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt*, & alibi. *Meritum de congruo* illud dicitur, cui licet desit talis condignitas & æqualitas, adhuc tamen congruum est, ut ex liberalitate remunerantis conferatur ipsi aliquod præmium. Et juxta hæc potest Actus moraliter bonus dividi in Actum meritorium de condigno, & de congruo; quod ut clarius intelligatur, sit

42. CONCL. I. Ad Meritum de condigno vitæ æternæ, præter bonitatem moralem ipsius actus requiritur insuper ex parte operantis Status viæ, & Status gratiæ sanctificantis, ac proinde ad actum bonum de condigno meritorium vitæ æternæ, hæc duo requiruntur necessario. Ita certa, & communis Theologorum.

43. Ubi sciendum, quod per *Statum viæ* intelligatur decursus vitæ præsentis, juxta phrasim Sacræ Scripturæ, quæ præsentem vitam appellat peregrinationem 2. *Corinth.* 5. ibi: *Quamdiu dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino*; & alibi: Per *Statum gratiæ* vero intelligitur status gratiæ habitualis, seu sanctificantis, idest, quod quis sic constitutus in gratia sanctificante, per quam homo de facto fit amicus Dei, ejusque filius adoptivus, & dignus vitæ æternæ. Et in tali Statu gratiæ de facto nullus est, quicunque habet peccatum mortale, sive originale, sive actuale nondum remissum; nam gratia habitualis, & peccatum de facto repugnant, sicut lux & tenebræ. Hoc præmisso probatur prima pars Conclusionis, quod nempe Status viæ requiratur ad Meritum de condigno vitæ æternæ. Sic enim 2. *Corinth.* 6. dicitur: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. Et Joan. 9. *Venit nox* (idest, mors) *quando nemo potest operari*; intellige, meritorie.

44. Infertur proinde, quod Sancti in cœlis defectu hujus conditionis (id est, quia non amplius sunt viatores) per intensissimos actus amoris Dei nihil amplius sibi mereantur; quamvis possint pro nobis intercedere, suaque intercessione quidpiam nobis impetrare a Domino Deo. Similiter Animæ in purgatorio nihil amplius merentur in ordine ad augmentum gratiæ, & gloriæ cœlestis, per tolerantiam suarum pœnarum; quamvis latisfacere, seu potius latis pati possint pro suis peccatis. Et e contra Damnati in inferno, licet continuo blasphement Deum, non promerentur novum supplicium (eo quod amplius non sint viatores) sed pro peccatis in hac vita commissis duntaxat æternaliter torquentur.

45. Altera pars Conclusionis, quod nempe ad Meritum de condigno requiratur Status gratiæ, est etiam certa inter Catholicos. Ratio est: quia propter impedimentum peccati mortalis nullus potest de condigno mereri vitam æternam; peccatori enim non debetur vita, sed mors juxta illud Rom. 6. *Stipendia peccati mors*. Accedit, quod quis per peccatum mortale constituatur inimicus Dei, ac proinde hoc ipso sit indignus amicitia, donisque ipsius, præsertim supernaturalibus. Hinc sequitur, quod peccator, quamdiu perstitit in statu peccati mortalis, per eleemosynas, & alia opera bona tunc temporis peracta, nullum promereatur augmentum gloriæ cœlestis, neque aliud donum supernaturale de condigno: quamvis non idcirco ejusmodi bona opera sint prorsus inutilia, propter dicenda in secunda Conclusione.

46. Et conformiter dictis Opera moraliter bona a Theologis communiter dividuntur in Opera mortua, mortificata, & viva. *Opera bona vivæ*, sunt opera moraliter bona in statu gratiæ facta, quæque per nullum peccatum mortale subsequens mortificantur. *Opera mortificata*, sunt opera moraliter bona, quæ quidem fuerunt facta in statu gratiæ, adhuc tamen per peccatum mortale subsequens mortificantur; idest, impediuntur, ne habeant summ valorem promerendi vitam æternam statæ ejusmodi peccato mortali. Cæterum si homo per veram pœnitentiam demto justificetur, tunc hujusmodi merita bonorum operum per peccatum mortale mortificatorum iterum in hominis justificatione reviviscunt, idest, recuperant suum pristinum valorem promerendi vitam æternam in cœlis. *Opera bona mortua* dicuntur ea, quæ fiunt in statu peccati mortalis; peccatum enim mortale est mors animæ. Et talia nunquam reviviscunt in ordine ad meritum vitæ æternæ quondam in cœlis consequendum, eo quod illud, quod nunquam antea vixit, nequeat imposterum revivilcere.

47. CONCL. II. His tamen non obstantibus, Opera bona in statu peccati mortalis facta non sunt penitus inutilia, nec idcirco ab homine intermittenda. Ita omnes Doctores Catholici. Ratio est, quia in primis hujusmodi Opera bona sunt meritoria, saltem de congruo, quatenus gratiarum actualium, seu auxiliorum supernaturalium, quibus ejusmodi homo facilius perducitur, atque excitatur ad agendam veram pœnitentiam de peccatis, ut sic justificetur, & in statum gratiæ restituatur. Deinde solent ejusmodi homines per Dei misericordiam præservari a nonnullis periculis labendi in peccata graviora; aut clementer protegi, ne toties labantur, & sic in altera vita gravius puniri non mereantur. Tertio hujusmodi homines sensim assuefiunt exercitio bonorum operum; ac deinde facilius de peccatis commissis agunt pœnitentiam, & postmodum in statum gratiæ restituti constantius persistunt in continuandis, agendisque aliis bonis operibus.

48. Et hujusmodi effectus bonorum operum licet in statu peccati mortalis peractorum, certe non sunt modici; quamvis omnibus viribus cuique sit elaborandum, ut Divina gratia adjuvante vel nunquam labatur in peccatum mortale, vel si per fragilitatem humanam ceciderit, citius per veram pœnitentiam resurgat, sicque bona opera sua evadant meritoria de condigno augmenti gratiæ sanctificantis, & vitæ æternæ, cum sempiterno fructu in Cœlis quondam recipiendo.

DISTINCTIO III.

De Conscientia ut Regula actuum Humanorum.

QUÆSTIO I.

De natura, & divisione Conscientiæ ut sic, ubi & de Conscientia recta, seu certa.

SUMMARIUM.

1 *Conscientia unde sic dicta?*
(2) Dic. 2. num. 5.
Remorsus conscientiæ & Testimonium ejus quid?
2 *Conscientia quid?*
3 *Dividitur in quinque membra.*
4 *Conscientia recta quid?*
5 *Veritas duplex, speculativa & practica.*
6 *Conscientia recta duplex.*
7 *Quomodo differat a probabili?*
8 *Quando sit obligatio Conscientiæ rectæ?*

1. CONscientia, quæ est regula proxima actionum humanarum, juxta dicta *supertus*, (a) sumitur hic pro judicio practico intellectus proponente quidpiam homini ut bonum vel malum moraliter, 2o proinde prosequendum vel fugiendum: ipse enim actus intellectus practici, quo judicat aliquid esse bonum, vel malum, aut indifferens in genere moris, vocatur *Conscientia*. Dicitur autem *Conscientia*, quasi *Cordis scientia*, ut advertit D. Bernardus *lib. de Conscientia c.* 8. Et partim le extendit ad opera nostra præterita, ea vel accusando tanquam male facta, & dicitur *Remorsus Conscientiæ*, vel commendando tanquam bene facta & appellatur ab Apostolo 2. Corinth. 1. *Testimonium Conscientiæ nostræ*: partim vero respicit opera instantia seu futura dictando, quæ agenda sint tanquam bona seu honesta, quæque omittenda tanquam turpia seu inhonesta, & dicitur alio nomine *Dictamen rectæ rationis*.

2. CONCL. I. *Conscientia* est actus intellectus practici, judicantis aliquid hic & nunc agendum esse vel fuisse & tanquam bonum, honestum; aut fugiendum esse, vel fuisse tanquam turpe & inhonestum. Laym. *l. 1. tr. 1. c.* 2. quæ definitio in re est communis, quamvis Conscientia quandoque etiam accipiatur pro habitu intellectus, idest, pro habituali dictamine intellectus, quo cognoscitur hic & nunc operationem faciendam esse bonam, aut malam moraliter.

per hoc indicatur, quod actus meritorius debeat esse liber, & moraliter bonus; nam per ea, quæ naturaliter, & necessario eveniunt, nec laudem meremur, nec vituperium.

41. Advertendum II. Meritum ut sic communiter dividi a Theologis in Meritum de condigno, quod proprie & absolute meritum dicitur, & in Meritum de congruo, quod dicitur Meritum secundum quid duntaxat, & cum addito ly, *de congruo*. *Meritum de condigno*, generatim illud est, quod habet condignitatem & æqualitatem cum præmio: in quo sensu loquendo de Merito de condigno vitæ æternæ, dicitur Sapient. 3. *Quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se*. Apocal. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt*, & alibi. *Meritum de congruo* illud dicitur, cui licet desit talis condignitas & æqualitas, adhuc tamen congruum est, ut ex liberalitate remunerantis conferatur ipsi aliquod præmium. Et juxta hæc potest Actus moraliter bonus dividi in Actum meritorium de condigno, & de congruo; quod ut clarius intelligatur, sit

42. CONCL. I. Ad Meritum de condigno vitæ æternæ, præter bonitatem moralem ipsius actus requiritur insuper ex parte operantis Status viæ, & Status gratiæ sanctificantis, ac proinde ad actum bonum de condigno meritorium vitæ æternæ, hæc duo requiruntur necessario. Ita certa, & communis Theologorum.

43. Ubi sciendum, quod per *Statum viæ* intelligatur decursus vitæ præsentis, juxta phrasim Sacræ Scripturæ, quæ præsentem vitam appellat peregrinationem 2. *Corinth.* 5. ibi: *Quamdiu dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino*; & alibi: Per *Statum gratiæ* vero intelligitur status gratiæ habitualis, seu sanctificantis, idest, quod quis sic constitutus in gratia sanctificante, per quam homo de facto fit amicus Dei, ejusque filius adoptivus, & dignus vitæ æternæ. Et in tali Statu gratiæ de facto nullus est, quicunque habet peccatum mortale, sive originale, sive actuale nondum remissum; nam gratia habitualis, & peccatum de facto repugnant, sicut lux & tenebræ. Hoc præmisso probatur prima pars Conclusionis, quod nempe Status viæ requiratur ad Meritum de condigno vitæ æternæ. Sic enim 2. *Corinth.* 6. dicitur: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. Et Joan. 9. *Venit nox* (idest, mors) *quando nemo potest operari*; intellige, meritorie.

44. Infertur proinde, quod Sancti in cœlis defectu hujus conditionis (id est, quia non amplius sunt viatores) per intensissimos actus amoris Dei nihil amplius sibi mereantur; quamvis possint pro nobis intercedere, suaque intercessione quidpiam nobis impetrare a Domino Deo. Similiter Animæ in purgatorio nihil amplius merentur in ordine ad augmentum gratiæ, & gloriæ cœlestis, per tolerantiam suarum pœnarum; quamvis latisfacere, seu potius latis pati possint pro suis peccatis. Et e contra Damnati in inferno, licet continuo blasphement Deum, non promerentur novum supplicium (eo quod amplius non sint viatores) sed pro peccatis in hac vita commissis duntaxat æternaliter torquentur.

45. Altera pars Conclusionis, quod nempe ad Meritum de condigno requiratur Status gratiæ, est etiam certa inter Catholicos. Ratio est: quia propter impedimentum peccati mortalis nullus potest de condigno mereri vitam æternam; peccatori enim non debetur vita, sed mors juxta illud Rom. 6. *Stipendia peccati mors*. Accedit, quod quis per peccatum mortale constituatur inimicus Dei, ac proinde hoc ipso sit indignus amicitia, donisque ipsius, præsertim supernaturalibus. Hinc sequitur, quod peccator, quamdiu perstitit in statu peccati mortalis, per eleemosynas, & alia opera bona tunc temporis peracta, nullum promereatur augmentum gloriæ cœlestis, neque aliud donum supernaturale de condigno: quamvis non idcirco ejusmodi bona opera sint prorsus inutilia, propter dicenda in secunda Conclusione.

46. Et conformiter dictis Opera moraliter bona a Theologis communiter dividuntur in Opera mortua, mortificata, & viva. *Opera bona vivæ*, sunt opera moraliter bona in statu gratiæ facta, quæque per nullum peccatum mortale subsequens mortificantur. *Opera mortificata*, sunt opera moraliter bona, quæ quidem fuerunt facta in statu gratiæ, adhuc tamen per peccatum mortale subsequens mortificantur; idest, impediuntur, ne habeant summ valorem promerendi vitam æternam statæ ejusmodi peccato mortali. Cæterum si homo per veram pœnitentiam demto justificetur, tunc hujusmodi merita bonorum operum per peccatum mortale mortificatorum iterum in hominis justificatione reviviscunt, idest, recuperant suum pristinum valorem promerendi vitam æternam in cœlis. *Opera bona mortua* dicuntur ea, quæ fiunt in statu peccati mortalis; peccatum enim mortale est mors animæ. Et talia nunquam reviviscunt in ordine ad meritum vitæ æternæ quondam in cœlis consequendum, eo quod illud, quod nunquam antea vixit, nequeat imposterum revivilcere.

47. CONCL. II. His tamen non obstantibus, Opera bona in statu peccati mortalis facta non sunt penitus inutilia, nec idcirco ab homine intermittenda. Ita omnes Doctores Catholici. Ratio est, quia in primis hujusmodi Opera bona sunt meritoria, saltem de congruo, quatenus gratiarum actualium, seu auxiliorum supernaturalium, quibus ejusmodi homo facilius perducitur, atque excitatur ad agendam veram pœnitentiam de peccatis, ut sic justificetur, & in statum gratiæ restituatur. Deinde solent ejusmodi homines per Dei misericordiam præservari a nonnullis periculis labendi in peccata graviora; aut clementer protegi, ne toties labantur, & sic in altera vita gravius puniri non mereantur. Tertio hujusmodi homines sensim assuefiunt exercitio bonorum operum; ac deinde facilius de peccatis commissis agunt pœnitentiam, & postmodum in statum gratiæ restituti constantius persistunt in continuandis, agendisque aliis bonis operibus.

48. Et hujusmodi effectus bonorum operum licet in statu peccati mortalis peractorum, certe non sunt modici; quamvis omnibus viribus cuique sit elaborandum, ut Divina gratia adjuvante vel nunquam labatur in peccatum mortale, vel si per fragilitatem humanam ceciderit, citius per veram pœnitentiam resurgat, sicque bona opera sua evadant meritoria de condigno augmenti gratiæ sanctificantis, & vitæ æternæ, cum sempiterno fructu in Cœlis quondam recipiendo.

DISTINCTIO III.

De Conscientia ut Regula actuum Humanorum.

QUÆSTIO I.

De natura, & divisione Conscientiæ ut sic, ubi & de Conscientia recta, seu certa.

SUMMARIUM.

1 *Conscientia unde sic dicta?*
(2) Dic. 2. num. 5.
Remorsus conscientiæ & Testimonium ejus quid?
2 *Conscientia quid?*
3 *Dividitur in quinque membra.*
4 *Conscientia recta quid?*
5 *Veritas duplex, speculativa & practica.*
6 *Conscientia recta duplex.*
7 *Quomodo differat a probabili?*
8 *Quando sit obligatio Conscientiæ rectæ?*

1. CONscientia, quæ est regula proxima actionum humanarum, juxta dicta *supertus*, (a) sumitur hic pro judicio practico intellectus proponente quidpiam homini ut bonum vel malum moraliter, 2o proinde prosequendum vel fugiendum: ipse enim actus intellectus practici, quo judicat aliquid esse bonum, vel malum, aut indifferens in genere moris, vocatur *Conscientia*. Dicitur autem *Conscientia*, quasi *Cordis scientia*, ut advertit D. Bernardus *lib. de Conscientia c.* 8. Et partim le extendit ad opera nostra præterita, ea vel accusando tanquam male facta, & dicitur *Remorsus Conscientiæ*, vel commendando tanquam bene facta & appellatur ab Apostolo 2. Corinth. 1. *Testimonium Conscientiæ nostræ*: partim vero respicit opera instantia seu futura dictando, quæ agenda sint tanquam bona seu honesta, quæque omittenda tanquam turpia seu inhonesta, & dicitur alio nomine *Dictamen rectæ rationis*.

2. CONCL. I. *Conscientia* est actus intellectus practici, judicantis aliquid hic & nunc agendum esse vel fuisse & tanquam bonum, honestum; aut fugiendum esse, vel fuisse tanquam turpe & inhonestum. Laym. *l. 1. tr. 1. c.* 2. quæ definitio in re est communis, quamvis Conscientia quandoque etiam accipiatur pro habitu intellectus, idest, pro habituali dictamine intellectus, quo cognoscitur hic & nunc operationem faciendam esse bonam, aut malam moraliter.

3. CONCL. II. Conscientia hactenus explicata communiter dividitur in quinque membra, scilicet in Conscientiam rectam, erroneam seu falsam, dubiam, probabilem seu opinativam, & scrupulosam. Ratio hujus divisionis est, quia Conscientia nihil aliud est, nisi judicium practicum intellectus dictans, quid hic & nunc a nobis sit agendum, vel non agendum, juxta regulas morum extrinsecas: atqui intellectus sic judicando, quandoque est certus in suo judicio, & dicitur *Conscientia recta*, seu certa: aliquando errat, & dicitur *Conscientia erronea*: quandoque probabiliter judicat, & vocatur *Conscientia probabilis*, seu opinativa: interdum vero dubitat, ac neutri parti determinatum præbet assensum, & est *Conscientia dubia*: & tandem quandoque scrupulis agitatur, & dicitur *Conscientia scrupulosa*. Loquendo nunc de altera parte Quæstionis, sit

4. CONCL. III. *Conscientia recta*, seu (ut alii loquuntur) certa & vera, recte definitur, quod sit dictamen verum intellectus, dictans absque ulla formidine de opposito, quod faciendum est, esse bonum vel malum. Ita in re communis. Et quidem, si hujusmodi dictamen practicum intellectus sit rectum, ac verum tam speculativa, quam practica veritate, tunc hujusmodi Conscientia dicitur omnimode recta, seu vera. Si autem sit rectum, seu verum veritate duntaxat practica, non autem speculativa, tunc hujusmodi Conscientia dicitur solum practice vera: quæ divisio Conscientiæ rectæ ut intelligatur,

5. Notandum, quod *Veritas speculativa* sit veritas simpliciter & absolute sumpta, prout objectum est in re: & hoc modo illud duntaxat judicium intellectus est verum, quod est conforme objecto, ut se habet a parte rei, id est, quod ita judicat de objecto, prout ipsum revera se habet a parte rei. *Veritas practica* dicitur illa, quæ fundatur in prudenti, ac firma existimatione rei, ex gravibus motivis orta.

6. Hinc infertur, quod *Conscientia tam practice, quam speculative recta*, sit dictamen intellectus, dictans absque ulla formidine de opposito, aliquid hic & nunc esse honestum, ac proinde prosequendum, quod revera a parte rei honestum est: prout sit in innumeris actibus bonis atque honestis, qui ut tales proponuntur ab intellectu voluntati, atque revera a parte rei sunt honesti. *Conscientia solum practice recta*, est dictamen verum veritate duntaxat practica, id est, desumptum ex prudentibus motivis, dictans absque ulla formidine de opposito, hoc esse honestum & faciendum, quod tamen revera a parte rei non est tale. Exemplum hujus habemus Genes. c. 29. cum Jacob Patriarcha optima fide, & conscientia recta, ad Liam accessit, ita secum discurrens: *Honestum est accedere ad propriam uxorem: hæc est mea uxor* (uti prudenter arbitrari debebat Jacob, cum non nisi temere de mala fide Labani, supponentis sibi pro Rachele Liam, suspicari potuisset) *ergo honestum est ad hanc accedere*: quod tamen a parte rei non erat, cum Lia pro tunc non fuerit ejus legitima uxor, sed Rachel.

7. Porro cum in definitione Conscientiæ rectæ additur, *absque ulla formidine de opposito*, per hanc particulam Conscientia recta seu certa differt a Conscientia probabili, utpote quæ non habetur sine ulla formidine de opposito: prout ex dicendis infra q. 4. patebit.

8. Quæres, quanta sit obligatio Conscientiæ rectæ seu certæ, quidpiam præcipientis, aut prohibentis? Resp. certum esse, Conscientiam rectam seu certam adeo obligare homines, ut is delinquat atque peccet, nisi illam in operando sequatur, quando præscribit aliquid ut faciendum vel fugiendum sub præcepto, & non tantum sub consilio. Ita omnes Doctores. Ratio est: quia voluntas peccat, si in operatione non sequatur suam regulam proximam: atqui Conscientia, præsertim recta, est regula proxima voluntatis operantis, seu actionum ejus; ergo peccat voluntas, nisi Conscientiam recte præcipientem, aut prohibentem, in operando sequatur. Dicitur autem in responsione, *& non tantum sub consilio*. Quia si Conscientia recta quidpiam duntaxat proponat agendum per modum consilii, non autem præcepti, sicuti non obligamur sub peccato ad adimplenda consilia (quamvis eadem sequi sit melius, & consultius) ita nec sub peccato tenemur sequi Conscientiam rectam, quidpiam sub consilio duntaxat proponentem; ut certum est.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De Conscientia erronea, ejusque obligatione.

SUMMARIUM.

9 *Conscientia erronea, quid?*
10 *Conscientia practice duntaxat recta an sit erronea?*
11 *Conscientia erronea invincibilis, & vincibilis, quid?*
(b) Dist. 1. q. 5. n. 40.
12 *Conscientia erronea quacunque obligat negative, &c.*
13 *Corollaria ex dictis.*
14 *Actio debet esse libera, ut quis peccet agendo contra Conscientiam erroneam.*
15 *Ad hanc non sufficit solus scrupulus.*
16 *Conscientia invincibiliter errans obligat, etiam positive.*
17 *Corollarium.*
18 *Conscientia vincibiliter errans obligat, ut eam deponamus, &c.*
19 *Aliquin peccabit operans, quamcunque partem elegerit.*
20 *Solvitur instantia.*
21 *Conscientia erronea, quomodo sit deponenda?*
22 *Notabilis objectio; & quomodo Lex Divina nullum reddat perplexum.*
23 *Quid agendum, quando utraque contradictionis pars putatur esse peccatum?*
24 *Quid, si quis nesciat discernere, ubi sit minus malum?*

9. CONCL. I. *Conscientia erronea* est illa, quæ dictat aliquid esse faciendum, vel non faciendum, quod revera tale non est, absque fundamento probabili. Et dicitur, *absque fundamento probabili*, ad differentiam Conscientiæ probabilis, quæ quandoque etiam dictat aliquid esse honestum seu licitum, quod a parte rei est inhonestum ac illicitum; & tamen, quia id colligit ex motivis probabilibus, non dicitur Conscientia erronea, sed probabilis.

10. Si quæratur, an Conscientia practice duntaxat recta, possit dici erronea, necne? Resp. cum Mistrio *disp. 1. Theolog. Moral. n. 14.* hanc esse quæstionem de nomine: nam hujusmodi Conscientia potest dici & recta, & erronea, sub diverso tamen respectu. Recta quidem respectu voluntatis, quia prudenter eam dirigit, quantum satis est, ut ipsa non peccet, & hæc dicitur *rectitudo practica*. At respectu objecti potest dici erronea, quia re ipsa errat circa objectum putans esse honestum, quod tamen a parte rei tale non est.

11. CONCL. II. Conscientia erronea dividitur in invincibilem, & vincibilem. Ita communis. *Conscientia erronea invincibilis* est, cujus error adhibita diligentia morali vinci, seu vitari non potuit; ideoque nec voluntarius est, nec ad culpam imputatur; talis fuit in Jacob Patriarcha accedente ad Liam. *Conscientia erronea vincibilis* est, cujus error, moraliter loquendo vitari potuit, & debuit, ac proinde indirecte voluntarius, atque culpabilis existit. Unde colligitur hanc divisionem Conscientiæ erroneæ in invincibilem ac vincibilem, multum coincidere cum divisione ignorantiæ in invincibilem & vincibilem, de qua superius: (b) etenim prior procedit ex ignorantia invincibili, posterior autem ex vincibili.

12. CONCL. III. Conscientia erronea quæcunque, sive vincibilis sit, sive invincibilis, præcipiens aliquid ut agendum vel fugiendum, obligat negative, ne videlicet contra eam operemur: ac proinde operari contra ejusmodi Conscientiam erroneam nondum depositam, semper est peccatum. Ita certa, & communis Theologorum. Nam juxta illud Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide* (id est ex dictamine conscientiæ) *peccatum est*. Et, ut inquit Innocentius III. *cap. Litteras de Restit. spoliat. Quidquid sit contra conscientiam, ædificat ad gehennam*. Accedit ratio: quia voluntas operans contra Conscientiam erroneam, vere consentit in malum, habetque sufficientem affectum ad peccatum, quod apprehendit: Nec obstat, quod Conscientia illa sit erronea. Nam hoc ipso, quod error ejus non cognoscatur, agere contra ipsam est peccatum: ita enim Conscientia illa proponit in apprehensione operantis, objectum esse faciendum aut fugiendum, ac si re ipsa sic se haberet.

13. Ex dictis infertur, quod putans esse jejunium de præcepto, quando non est, peccet contra Temperantiam, si non jejunet, nisi Conscientiam suam erroneam, melius investigando veritatem, deponat. Similiter, si quis erronee putet mentiri officiose in tali casu esse peccatum mortale, ac nihilominus mentiatur, peccat mortaliter, quamvis ex eo quin tale mendacium sit solum veniale. Insuper sequitur, quod operans contra Conscientiam erroneam, sive vincibilem, sive invincibilem, peccat in ea specie peccati,

& contra illam virtutem, sicuti intellectus falso judicat; v.g. in praxi duobus casibus prior peccat contra virtutem Temperantiæ, alter in specie mendacii mortalis. Item si quis erronee existimet, se peccaturum mortaliter, operando contra hanc Conscientiam erroneam, peccabit mortaliter; si venialiter, venialiter: quod, si Conscientia dicat peccatum in genere, non descendendo ad aliquam speciem ejus, erit peccatum in genere, & ad nullam particularem peccati speciem pertinebit. Siquidem tota malitiæ hujus ratio consistit in hoc, quod quis operetur contra dictamen suæ Conscientiæ; ergo talis & tanta erit malitia, qualem & quantam Conscientia dictat.

14. Notandum tamen cum Sanch. *l. 1. in Decalogum 11. n.* 3. & aliis, ad hoc, ut quis contra Conscientiam erroneam agendo peccet, necessarium esse, ut actio ipsius sit libera. Hinc si quis in carcere v.g. constitutus existimet, se peccare Missam non audiendo, non ideo peccat; similiter non delinquit scrupulosus, cum involuntarias suas passiones, aut in oratione distractiones, peccata esse arbitratur. Ratio est clara: quia ad omne peccatum requiritur libertas.

15. Adde etiam cum Navarro *in Manuali, Praludio 9. n.* 9. & Doctoribus communiter, quod ad hujusmodi Conscientiam erroneam inducendam non sufficiat solus scrupulus in genere, vel in particulari. Hinc si quis faciat opus licitum, quod credit esse illicite, non peccat, licet angatur scrupulo aliquo in contrarium: quia scrupulosus, quamvis aliquo modo angatur, ac vereatur hic latere peccatum, non tamen determinate sic judicat, imo potius oppositum credit esse verum. Quod si tandem Conscientia erronea sit duntaxat consulens, vel permittens, sicut non est peccatum agere contra consilium, ita nec foret peccatum agere contra istam conscientiam.

16. CONCL. IV. Conscientia invincibiliter errans, præcipiens aliquid ut agendum aut fugiendum, non solum obligat negative, ne scilicet contra eam operemur, juxta proxime dicta; sed obligat etiam positive, ut ipsam sequamur, ut proinde quis peccet nisi dictamen illius in operando sequatur. Ita Scotus 2. *in Reportatis, dist.* 39. Mastrius *dis.* 2. *Theol. Mor. num.* 19. & communis Theologorum. Ratio est: quia ex quo Conscientia est invincibiliter errans, taliter, ut nulla morali diligentia vinci ac deponi possit, ita ipsa se habet in prudenti ac inculpabili æstimatione operantis, ac si esset simpliciter, & absolute recta: ergo tenetur quis eam sequi, non minus, ac Conscientiam rectam seu certam.

17. Infertur proinde, quod si quis mentiatur ad liberandum proximum, e periculo vitæ, ob Conscientiam invincibiliter errantem, putans, se ex misericordia ad id teneri, is actum bonum faciat: & si non mentiatur, peccet contra virtutem Misericordiæ. Dicitur notanter, *ob Conscientiam invincibiliter errantem putans, &c.* nam si Conscientia illa erronea fuisset vincibilis, aliud esset dicendum, juxta Conclusionem sequentem.

18. CONCL. V. E contra Conscientia vincibiliter duntaxat errans, proponens aliquid ut præceptum, quod revera prohibitum est, aut e contra, non solum non obligat positive, ut eam sequamur, sed neque licite ipsam sequi possumus; obligat tamen, ut eam deponamus. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia ex una parte agere contra Conscientiam erroneam, est peccatum, ut patet ex dictis *n.* 12. ex altera vero parte Conscientia talis erronea, utpote vincibilis, non excusat a peccato: ergo qui eam sequitur, revera peccat, & qui contra eam necdum depositam operatur, etiam peccat.

19. Superest proinde, quod quis obligetur ad deponendam Conscientiam suam erroneam vincibilem. Et hæc quidem obligatio tanta est, ut in ejusmodi casu, stante tali Conscientia erronea vincibili, quamcunque tandem partem quis elegerit, sit peccaturus: nam si facit id, quod revera a lege præceptum est, operabitur contra Conscientiam suam oppositum dictantem; sin minus, sed sequatur dictamen Conscientiæ suæ, peccabit contra legem, a qua non absolvitur per errorem suæ Conscientiæ, utpote mere vincibilem & culpabilem.

20. Nec dicas, posse hominem in tali occasione constitui, ut non possit suam Conscientiam vincibiliter errantem deponere; prout v.g. contingeret, si alius non adsit, a quo possit consilium petere, reique veritatem edicere, ipse vero fenestipsum adjuvare non valeat. Resp. enim cum Mastrio *disp.* 2. *Theol. Mor. num.* 34. & aliis, in hujusmodi casibus Conscientiam illam revera reddi invincibilem, siquidem qui illam habet, non potest hic & nunc eam superare atque deponere, ac proinde sequendo illam non peccabit, prout dictum est *n.* 16. Sequendo de conscientia invincibiliter errante.

21. Quod

21. Quod si quis quærat, quomodo Conscientia erronea sit deponenda? Resp. Quando Conscientia erronea est vincibilis, eam facile deponi posse; dummodo quis debitam adhibeat diligentiam in investigando rei veritatem, illudque attentius consideret, in quo se falli suspicatur, discurrendo ex primis principiis practicis ad suum errorem agnoscendum. Idem & quidem facilius fieri potest, adhibendo consilium prudentioris, juxta illud Prov. 13. *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.* Et Eccles. 32. *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* Cæterum Conscientia erronea invincibilis, hoc ipso, quod sit invincibilis, moraliter deponi nequit: nam ad libitum, & sine ulla ratione, non nisi temere deponeretur.

22. Objicies contra IV. & V. Conclusionem simul: Lex Divina nullum reddit perplexum: atqui hoc fieret, si Conscientia erronea sive vincibilis, sive invincibilis, semper obligaret negative, ne scilicet voluntas contra ipsam agat: ergo Conscientia erronea non sic obligat. Major est certa & ab omnibus concessa: quia Lex Divina nunquam facit, quod homo necessario peccet, ita ut peccatum evadere non possit; nam hoc ipso jam non committeretur peccatum defectu libertatis. Minor vero probatur: potest enim quis ex Conscientia erronea existimare, utramque partem contradictionis esse peccatum; prout fieret si quis die Festo assistens moribundo existimaret, esse peccatum mortale, tali die omittere auditionem sacri, ac vicissim esse peccatum mortale in tali extrema necessitate deserere moribundum; ergo. Ad hanc objectionem satis notabilem, & quæ varie proponi, atque urgeri potest, Resp. concessa majori, negando minorem, ejusque probationis consequentiam; nam si ejusmodi conscientia erronea sit vincibilis, tenetur homo eandem deponere juxta proxime dicta, & tuto alteruter eligere, quod judicat hic & nunc esse faciendum; videlicet (loquendo de præmisso casu) audire Missam, si adsint alii, qui commode possunt moribundo assistere, atque inservire: vel, si hi non adsint, omittere Missam, & moribundo assistere, ob rationes mox dicendas.

23. Quod si vero Conscientia erronea sit invincibilis, & talis, quam deponere quis nequeat discurrendo per prima principia practica, vel petendo consilium a Doctoribus; tunc tenetur homo in ejusmodi casu constitutus eligere illud, quod sibi minus malum apparet, & hoc faciendo non peccabit, *arg. c. Duo mala dist.* 13. *&c. juravit David* 22. *q.* 4. At vero, si eligat illud, quod gravius peccatum esse judicaverit, peccati reus erit; ut communiter notant Doctores. Ratio est: quia omne peccatum non ex necessitate, sed ex libertate admittitur, ergo cum hic & nunc (juxta datam hypothesim) necessario sit unum eligendum ab homine, non libertate, sed necessitate eligit minus, sicque non peccat: peccaret autem eligendo majus, quia potest excessum malitiæ ejus vitare eligendo id, quod sibi minus peccatum apparet.

24. Si autem in casu constitutus discernere, atque judicare ex perplexitate, aut alia causa non possit, quodnam illorum sit minus malum sive peccatum, sed in utroque actu partem apprehendat malitiam, homo ille non peccabit, quidquid egerit ex utroque, quia nemo peccat necessitate. Exemplum hujus proxime præmissum est. Aliud cum Layman *l. 1. tr. 1. c. 4. num.* 4. addi potest de Parocho: nam si Parochus ad Ecclesiam Festo die veniens, sacrificaturus pro populo, recordetur se jejunum non esse, nec alius Sacerdos tunc accersiri possit, qui celebret (in quo casu Parochus videtur perplexus: si enim celebrem, cogitat ipse, peccabo adversus reverentiam Sacramenti, propter legem Ecclesiæ; si autem non celebrem, peccabo contra legem Charitatis, propter scandalum populi) profecto in tali casu, si scandalum aliter evitari non potest, ut supponitur, Parochus celebrare deberet: cum lex Ecclesiastica cedat majori legi Charitatis naturalis: si tamen hanc ipsam veritatem præinopinata perturbatione perspicere nequeat, nec alium habeat a quo edoceatur, non peccabit Parochus, licet Sacrificio abstineat cum scandalo populi.

QUÆSTIO III.

De Conscientia dubia, ejusque obligatione.

SUMMARIUM.

25 *Conscientia dubia, quid?*
26 *Dividitur varie juxta variam Dubii divisionem.*
Dubium speculativum, & Conscientia speculativa dubia, quid?
27 *Dubium practicum, & Conscientia practice dubia, quid?*
28 *Dubium practicum duplex, generale.*

Et

Et particulare, seu practice practicum.

29 *Dubium positivum, & negativum, ac Conscientia positive, & negative dubia, quid?*

30 *Cum Conscientia practice dubia illicitum est operari.*

31 *Et operans cum ea peccat pro qualitate dubii.*

32 *Loquendo tamen de dubio proprie practico.*

33 *Cum conscientia solum speculative dubia, seu practice deposita, non est illicitum operari.*

34 *Declaratur hoc exemplis.*

35 *In dubiis tutior pars est eligenda, quomodo?*

36 *Corollaria practica.*

25. CONCL. I. Per *Conscientiam dubiam* intelligitur ea, quæ neutri parti determinatum præstat assensum, sed anceps manet inter utramque, v. g. an sit hoc licitum, vel non licitum; peccatum, necne? Unde Dubium in præsenti accipitur proprie, nempe pro eo, quod contingit, quando intellectus inter duas partes oppositas hæret suspensus, adeo quod neutri determinatum præbeat assensum.

26. CONCL. II. Conscientia dubia varie dividitur, juxta variam scilicet Dubii divisionem. Hinc, quia Dubium in primis dividitur in practicum, & speculativum; etiam Conscientia dubia communiter dividitur in Conscientiam practice dubiam, & speculative dubiam. *Dubium speculativum* dicitur illud, quando dubitatur de aliquo, non quærendo directe de praxi, seu actione humana, num ea licita sit necne, sed de quodam alio, an ita se habeat, necne; v. g. si dubito utrum Baptismus collatus in nomine Christi tantum, sit validus; utrum tali die sit jejunium, necne; utrum fundus, quem possideo, vere sit meus; utrum votum castitatis emiserim; utrum matrimonium, quod contraxi, sit validum; utrum bellum, in quo milito sit justum, &c. Hæc enim omnia, & alia his similia, spectant ad Dubium speculativum, quia in ipsis directe ac immediate non quæritur de praxi, seu actione humana, an ea sit licita necne; sed de quodam alio, ut patet; non obstante, quod ex tali Dubio speculativo multa postea dubia practica oriri possint. Et juxta hoc *Conscientia speculative dubia* est intelligenda, quod nempe sit ea, quæ dubitat de aliquo, non tamen quærendo directe ac immediate de praxi, seu actione humana, utrum ea licita sit necne, sed de aliquo alio; ut sit in allatis exemplis.

27. *Dubium practicum* est, quando dubitatur de operatione; id est, Practicum dubium dicitur illud, in quo directe quæritur de ipsa praxi, seu actione humana, num ea in talibus circumstantiis sit licita, necne; v.g. an hodie tenear jejunare, an sim obligatus hac die audire Missam, vel confiteri? an tenear restituere fundum, quem habeo, &c. Et huic Dubio practico correspondet *Conscientia practice dubia*; estque illa, quæ dubitat immediate de praxi, seu actione humana, utrum ea licita sit, necne, prout sit in allatis exemplis, & aliis hujusmodi.

28. Dubium practicum subdividitur a nonnullis Theologis in generale, & particulare. *Dubium practicum generale*, seu universale, dicitur illud, quando dubitatur in genere, an hæc, vel illa actio sit licita; v.g. an per se loquendo liceat ad beneficium Ecclesiasticum eligere minus dignum relicto digniore, an liceat die Festo bellare, piscari, pingere, &c. *Dubium practicum particulare*, quod proprie practicum seu practice practicum appellatur, censetur illud, quando in particulari dubitatur, utrum hic & nunc licita sit talis actio, necne; v.g. an hodie excuser a jejunio ob certas circumstantias, nempe ob aliqualem infirmitatem, iter, labores susceptos, &c. Et juxta hoc etiam Conscientia practice dubia subdividi potest.

29. Dubium ulterius a Theologis subdividitur in positivum, & negativum. *Dubium positivum* tunc contingit quando quis habet pro utraque parte judicium probabile, quod aliquid sit, & etiam quod non sit. Et juxta hoc tunc dicitur *Conscientia* nostra *positive dubia*, quando pro utraque parte occurrunt rationes æque probabiles, adeo ut intellectus in neutram partem judicium suum inclinet, sed videns rei difficultatem, ac rationes utrinque pugnantes, in suo judicio maneat suspensus. *Dubium negativum* est, quando quis pro neutra parte habet rationes probabiles, & sic remanet suspensus neque affirmando, neque negando, quod talis actus sit licitus, aut illicitus. Et hoc modo etiam *Conscientia negative dubia* est explicanda.

30. CONCL. III. Cum Conscientia vere practice dubia semper est illicitum operari; id est, semper est peccatum operari stante Conscientia vere ac proprie practice dubia, qua nempe quis dubitat, an in particulari illud sit peccatum, necne, quod operatur. Ita Scotus *Quæst.* 2. *Prolegi, in fine, & in* 4. *dist.* 30. *quæst.* 1. § *Dico ergo*; estque communis Doctorum. Ratio est: quia qui operatur cum Dubio proprie practico, *seu* (ut alii loquuntur) practice practico, manifeste se exponit periculo peccandi; ergo etiam peccat, juxta illud Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Confirmatur Conclusio ex illo Rom. 18. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*: atqui illud, quod fit cum Conscientia practice dubia, non est ex fide, id est, ex dictamine Conscientiæ; ergo est peccatum.

31. CONCL. IV. Operans cum Conscientia practice dubia, peccat pro qualitate dubii, & in ea specie peccati, de qua dubitat: ita ut si dubitet, an peccet mortaliter, agendo mortaliter peccet; si venialiter, peccet venialiter; si dubitet, an in specie furti delinquat, operando malitiam furti contrahat, & sic loquendo de aliis. Ita rursum Scotus *loc. cit.* & communiter Doctores. Ratio est quia operans cum tali dubio practico exponit se periculo transgrediendi præceptum tale vel tale, & peccandi in ea specie peccati, de qua dubitat; ergo etiam malitiam ejus contrahit. Probatur Consequentia, quia juxta illud allegatum, *Qui amat periculum, peribit in illo*: atqui talis exponit se periculo peccandi in tali specie peccati; ergo operando cum tali periculo perit in ipso, id est, peccat in tali specie peccati. Et hoc Doctores passim extendunt ad casum, quo quispiam in confuso proponitur aliquod opus peccaminosum a Conscientia, sub dubio tamen, an sit mortale vel veniale: nam exequens tale opus stante illo dubio practico (sermo est de dubio proprie practico, & non de simplici animetate, vel scrupulo) peccat mortaliter; quia operans cum tali dubio practico, exponit se periculo peccandi mortaliter. Concordant in simili dicta superius *num.* 23. de Conscientia erronea.

32. Additur notanter, *sermo est de dubio proprie practico*, &c. Nam dicta in hac utraque Conclusione, intelligenda sunt de vero & proprie dicto dubio practico; id est, de tali quo quis vere ac in particulari dubitat, an hoc vel illud sit peccatum mortale vel veniale; ita quod habeat verum judicium suspensum, neque illud deponat. Nam si quis non vere dubitet, sed solum patiatur quosdam timores, anxietates, aut scrupulos, qui æque etiam hominem nolentem affligunt, non peccabit operando contra illos, præsertim si hoc faciat ex ratione aliqua probabili, vel sequendo consilium Confessarii, aut aliorum doctorum; prout magis dicetur infra *quæst.* 5. agendo de Conscientia scrupulosa.

33. CONCL. V. Nihilominus operari cum Conscientia solum speculative dubia, non semper est peccatum: etenim si tale dubium ex rationabili fundamento practice deponatur, peccatum non est facere aliquid vel omittere cum dubio speculativo. Ita Doctor noster *in* 4. *dist.* 30. *q.* 1. estque rursum communis DD. Ratio est: quia regula nostrarum actionum non est notitia speculativa, quæ in sola objecti veritate cognoscenda consistit, sed practica, quæ omnium circumstantiarum qualitatem, & conditionem perpendit: atqui objectum, quod secundum se & speculative consideratum apparet dubium, accedentibus certis circumstantiis, potest reddi practice certum, quod liceat; ergo.

34. Declaratur Conclusio exemplis. Sic in primis, si quis dubitet speculative, an res, quam possidet, sit sua necne, non obstante ejusmodi dubio speculativo, potest practice judicare, sibi defacto licitum esse rem illam retinere, eo quod in dubio melior sit conditio possidentis: sicque licite, & absque peccato rem illam retinebit. Similiter Sacerdos ægrotus, qui considerata qualitate morbi sui speculative dubitat, an sibi liceat a Divini Officii recitatione abstinere, accedente Medici, vel Confessarii consilio practice est certus, id sibi licere: unde deposito practice illo dubio suo, non peccabit omittendo Divinum Officium. Insuper miles, si speculative dubitet de justitia belli, potest hoc dubium practice deponere; atque ad mandatum sui Principis vel Ducis in eo militare, eo quod in dubiis standum sit judicio Superiorum, simulque sibi a suo Principe hic & nunc pugna præcipiatur; & taliter deponens dubium suum speculativum, non peccabit militando. Idem dicendum de innumeris aliis casibus.

35. Quæres, quomodo sit intelligendum illud commune dictum, *in dubiis tutior pars est eligenda*, prout desumitur ex jure Canonico *cap. Juvenis de Sponsalib. & v. ad audientiam de Homicidio*, & alibi. Resp. I. Per hoc axioma non intendi, quod in omni materia, omnique dubio, etiam mere speculativo, semper sit eligenda tutior pars; nam dubium speculativum potest ex rationabili fundamento practice deponi, sicque cessat dubium, quia non est in dubio, qui probabilibus rationibus flectitur ad unam partem. Sylv. *verf. Opinio q.* 1. Quinimo in certis materiis possumus etiam eligere partem minus tutam relicta tutiore, prout ex professo dicetur *Quæst. sequenti.* Resp. II. cum Ludov. Engel, *tit. de Vito num.* 3. & aliis, hanc regulam plerumque

runque esse tantum de consilio, & non de præcepto, nisi quis in dubio practico perseveret, neque ad ejus depositionem esse resolvere possit; tunc enim non licet agere cum tali Conscientia practice dubia, sed debet eligi pars tutior, juxta dicta n. 30. & 31. Alii respondent, dictum illud procedere in dubio negativo, ac proprie dicto, quando nimirum pro neutra parte adsunt ullæ rationes, vel saltem non sufficientes, cur unam præ altera amplecti debeamus; secus autem esse in dubiis positivis, quando utrinque sunt rationes probabiles. Et hac ratione pro nunc potest responderi ad citatos textus Juris: nam exactior illorum Capitulorum explicatio spectat ad interpretes Juris Canonici.

36. Ex hactenus dictis infertur, si quis dubitat, utrum aliqua actio sit peccatum, nec ne, videt autem, omittendo talem actionem, nullatenus se peccaturum, quod is teneatur perseverante tali dubio abstinere ab illa actione; alioquin enim peccaret. Quod si vero Conscientia dubia existat de utraque contradictionis parte, ita ut quis dubitet, an ipsa actio sit peccatum, aut potius ejus omissio, tunc tutior pars sic debet eligi, quod dubitans adhibeat diligentiam, quam potest, ad dubium prudenter deponendum, petendo videlicet consilium a doctoribus, vel ex se discurrendo, Deumque rogando, ut se dignetur illuminare: hoc enim est tutius, utpote cum in depositione talis Conscientiæ dubiæ nullum subsit periculum peccandi, bene tamen in executione, aut omissione actus durante tali dubio. Si autem adhibitis præfatis mediis pro neutra parte possit quis dubium deponere, eligat illam partem, in qua minus mali sibi apparet; quia hæc censebitur tutior in tali casu, juxta illud commune dictum (& habetur can. *Duo mala*, & can. *Nevvid.* 15.) *Ex duobus malis minus est eligendum*, & tunc aliquis non peccabit eligendo minus malum.

QUÆSTIO IV.

De Conscientia probabili, & an ipsam licite sequi possimus.

37. PRæsens Quæstio est una ex utilissimis, imo & nobilissimis, quæ occurrunt in Tractatu de Actibus Humanis: quia vero ipsa ob sui nobilitatem, simulque copiam materiarum, longiori indiget discussione, ne ejus prolixitas pariat confusionem, expedit, ut eam in Paragraphos dividamus.

§. I.

Quid sit Conscientia, & Opinio probabilis.

SUMMARIUM.

38 *Conscientia probabilis, quid?*
39 *Est cum formidine de opposito.*
40 *Diversitas sententiarum in dijudicando, qua Opinio sit probabilis.*
41 *Opinio probabilis, quæ?*
42 *Opinio probabilis probabilitate intrinseca, vel extrinseca, quid?*
43 *Est alia magis, alia minus probabilis, & tuta.*
44 *Per Probabilitatem quantumvis tenuem, quid intelligatur?*
45 *Sententia Raymundi Lumbier.*
46 *Sententia Joannis de Cardenas.*

38. CONCL. I. *Conscientia probabilis*, quæ etiam *opinativa* dicitur, est judicium practicum intellectus, quo quis ex gravi, licet non penitus certo fundamento, assentit & adhæret uni parti determinatæ, sed cum formidine de opposito. Ita in re communis. Differt in primis a Conscientia *certa* seu recta, quod hæc relinquat intellectum certum de una parte contradictionis; non autem Conscientia probabilis, utpote quæ habetur cum formidine de opposito. Differt etiam a Conscientia *dubia*, utpote quæ neutri parti determinatum præbet assensum, sed manet anceps ac suspensa inter utramque contradictionis partem; non sic Conscientia probabilis, utpote quæ determinate assentit uni parti ex fundamento probabili, licet cum formidine de opposito.

39. Dicitur autem, *licet cum formidine de oppositi*: nam cum illud fundamentum non sit omnino evidens, sed probabile tantum, potest ipsi subesse falsum. Cæterum per hanc formidinem de opposito tollitur quidem firmitas assensus, non autem ejus determinatio: adhuc enim intellectus determinate assentit uni parti, & quidem ex gravi fundamento, licet non adeo firmiter, prout fit in Conscientia recta. Quod si vero intellectus in re morali formet judicium circa honestatem, malitiam, aut indifferentiam actus, vel objecti, duntaxat ex levi, vel etiam nullo fundamento, ea non erit Conscientia probabilis, sed improbabilis & temeraria.

40. Quantum attinet ad alteram partem Quæ-

Quæstionis, necessario prorsus præmittendam, eo quod Conscientia probabilis sequatur ad Opinionem probabilem, sicut assensus Conclusionis ad assensum Præmissarum: quenam in specie Opinio censeri debeat probabilis, prout secernitur ab improbabili, hoc opus, hic labor est: quot enim capita, tot sententiæ, & qui alicujus opinionis assertor est, illi veram probabilitatem assignat. Quminimo jamjam crudæ illa quorundam assertio cæpit in auribus prurire, quod unius aut alterius Auctoris dictum fundet Opinionem probabilem. Sed quoniam hæc doctrina periculosa sane fuit, non immerito eandem Sedes Apostolica rejiciendam censuit, dum Alexander VII. inter alias Propositiones etiam hanc, ordine 27. damnavit. *Si liber sit alicujus incerti, & nudetur, debet opinio conferi probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.* Hac itaque propositione dimissa, sit

41. CONCL. II. *Opinio probabilis* generatim illa censetur, quæ gravi nititur fundamento, licet non penitus certo, simulque nullam contra se habet rationem convincentem. Ita communior modus loquendi Doctorum: neque dissentit Aristoteles 1. *Top. cap.* 1. ubi ait: *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus; vel sapientibus omnibus, vel plurimis*. Præsertim autem ad hoc, ut Opinio censeri possit probabilis, requiritur, quod non sit contra Sacram Scripturam, Definitionem Sanctæ Matris Ecclesiæ, Traditiones Sanctorum Patrum, aut unanimem Doctorum consensum: nam Opinio in aliquo horum deficiens, non tam Opinio censeri debet, quam Hæresis, vel Error, aut Temeritas.

42. Cæterum quia grave illud fundamentum cui Opinio probabilis innititur, duplex esse potest, intrinsecum videlicet, atque ex ipsarei natura, effectibus & circumstantiis ipsius deliuptum: & extrinsecum, nempe ex magna Doctorum cum tenentium auctoritate depromptum: hinc duplicitet potest Opinio quædam operanti esse probabilis, scilicet vel probabilitate intrinseca, vel probabilitate saltem extrinseca. *Opinio probabilis probabilitate intrinseca* dicitur illa, cujus probabilitas habetur ex rationes: id est, ex principiis intrinsecis talis propositionis, qualia sunt causæ, vel effectus ipsius, aut definitio, vel circumstantiæ, aut quid simile. *Opinio probabilis probabilitate extrinseca* censetur ea, quæ habetur ab authoritate; id est, a gravitate, atque prudentia Doctorum eam tenentium: qualis potissimum habet locum respectu Idiotarum, & hominum minus peritorum, qui rationes intrinsecas examinare, atque de ipsis judicium ferre non possunt, quibus proinde ad prudenter & rationabiliter, sicque ad probabiliter operandum, sufficit, si a Viro docto, prudenti, pioque intelligant, hoc sibi licere. Quinimo etiam apud Virum doctum quandoque auctoritatem alicujus Doctoris valde periti, & timoratæ conscientiæ, majoris esse ponderis, quam esset ratio aliqua verisimilis cæteroquin ad probabilitatem sufficiens, inter alios notat Sanchez *lib. 1. in Decalog. c. 9. n. 8.* cum authoritas tanti Doctoris, & qui rem mature examinasse, probeque intelligere censetur, non sit leve fundamentum.

43. Insuper quia fundamentum illud, cui innititur Opinio probabilis, potest esse majus & minus, seu magis minusque grave, hinc sequitur, inter Opiniones probabiles, dari latitudinem: Ex his enim alia est probabilior, quæ videlicet firmiori fulcitur fundamento, efficaciorbusque firmatur rationibus; alia minus probabilis, quæ licet habeat fundamentum ad probabilitatem sufficiens, non tamen tam firmum, ut altera Opinio. Tutior autem Opinio dicitur ea, in qua minus periculum peccandi reperitur: & potest bene accidere, quod Opinio aliqua sit tutior, non tamen probabilior, imo minus probabilis. Exemplum sit in ea Quæstione, an surripiens rem proximi in extrema necessitate, teneatur ad restitutionem, si ad pinguiorem fortunam pervenerit: nam in hoc casu tutius erit restituere, quia restituendo nequit committi peccatum: nihilominus opposita sententia, negans obligationem restituendi, est probabilior, eo quod jure poli in extrema necessitate fiat omnia communia.

44. Quæres, quid intelligatur per *Probabilitatem quantumvis tenuem*, de qua loquitur Propositio novissime damnata ab Innocentio XI. ejusque ordin. 3. & sic sonat: *Generatim dum probabilitas, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non excatur, cautio aliquid agitur, semper prudenter agimus*. Resp. I. Hæc Propositio damnatur a Pontifice, *sicut jacet*, prout in principio sui Decreti monet idem Pontifex: unde cum primis rejecta est sententia, quæ indefinite, atque in omni casu & materia, licitam esse sequlam Opinionis probabilis asserit.

45. Resp. II. Quænam sit Opinio tenuiter pro-

probabilis, atque in citato Decreto damnata, variant Doctores. Et quidem Raymundus Lumbier *tom. 3. Summæ, a num. 1737.* distinguit duplex genus Opinionum probabilium, eo quod aliæ sint certo probabiles, & aliæ sint probabiliter probabiles; & addit, per Opiniones tenuiter probabiles in citato Decreto intelligi eas, quæ solum sunt probabiliter probabiles: id ipsum sentit Emmanuel de Filgueira *in Lucerna Decretali, in expos. 3. Propos. Innocentii XI.* Et hi Authores per Opinionem certo probabilem volunt intelligi eam, quæ est intrinseca ex fundamentis, quibus innititur, vel ex Doctoribus, si existat extrinseca, qui eam tuentur, imo & ex contrariis eam probabilem vocantibus; unde talis Opinio certitudinem tribuit sive eam sequenti, sive consulenti, quod sit probabilis. Probabilitas probabiliter talis duntaxat desumitur communiter ex paucis Doctoribus eam Opinioni tribuentibus, sed ab aliis plerumque probabilis non censetur: & addunt, quod ejusmodi Opinioni probabiliter tali nefas sit adhærere, quia ex ea nequit aliquis prudenter certum dictamen concipere ad operandum, sed tantum dubium.

46. E contra Joannes Cardenas, *in Crisi Theologica, ad Propositionem III. Innocentii XI. c. 1. num. 34.* ait; quod opinio tenuiter probabilis, quæque in dicto Decreto damnatur, non sit ea, quæ est probabiliter probabilis (qui enim formet judicium probabile de probabilitate Opinionis, non habet dubium practicum de illa, sed potius judicium reflexum certum) sed illa, quæ quamvis habeat probabilitatem apparentem, plures tamen Viri sapientes dubitant de ejus probabilitate. Sive ea (inquit) censetur opinio tenuiter probabilis, de cujus probabilitate merito dubitatur; unde Opinio tenuis probabilitatis in idem recidit, ac Opinio dubiæ probabilitatis; quando autem dubitatur de probabilitate, intervenit dubium practicum, in quo tutior pars est amplectenda. Plura de his citatus Cardenas: nobis in progressu non est sermo de Opinionibus tenuiter duntaxat probabilibus.

§. II.

An sit licitum sequi Sententiam probabilem etiam in concursu probabilioris & tutioris?

SUMMARIUM.

47 *Quæstiones aliæ versantes circa honestatem actus, aliæ circa Materiam facti quæ?*

48 *Notabile discrimen inter utrasque.*

49 *Quod amplius declaratur.*

50 *Licitum est, invitus moralibus sese conformare conscientiæ vere probabili.*

51 *Frustra post fallum inquiritur sententia probabilis.*

52 *Ex propositionibus æque probabilibus, eligi circa honestatem actus versantibus, potest eligi qualibet pro libitu.*

53 *Imo Opinio vere quidem, sed minus probabilis, relicta probabiliori & tutiori.*

54 *Quamvis id non semper expediat.*

Neque locum habeat quoad propositiones de Fide.

(c) Tr. 4. Dist. 2. n. 30.

55 *Confessarius debet se conformare opinioni pœnitentis vere probabili.*

56 *Præmissa doctrina non habet locum in quæstionibus circa materiam facti versantibus.*

47. ADvertendum, quod quantum ad propositum, aliæ Quæstiones versentur circa honestatem actus, quæ solet vocari *Materia juris*; & aliæ circa naturam, conditionem, seu validitatem actus, quæ dici solet *Materia facti*, ut notat Mastrius *2. Sent. disp. 5. num. 142. & in Theolog. Mor. disp. 1. num. 74. Quæstiones circa honestatem actus versantes* dicuntur illæ, in quibus quæritur, an hæc vel illa actio sit licita & honesta, ita ut absque peccato fieri possit: puta, an vir sexagenarius teneatur ad jejunium Ecclesiasticum? an Clericus voluntarie distractus sub recitatione Horarum Canonicarum, satisfaciat? an in die Festo licitum sit pingere? ac hujusmodi. *Quæstiones versantes circa validitatem, naturam, seu conditionem actus*, hoc est, circa Materiam facti, censentur illæ, in quibus de aliquo horum quæritur: puta, utrum Baptismus aqua rosacea collatus sit validus? utrum hæc, vel illa medicina sit infirmo profutura? an hæc pars litigantium in Judicio habeat justam causam? in quarum prima quæritur de validitate actus sive Baptismi

ptismi, in secunda de natura seu virtute medicinæ, & in tertia de conditione causæ.

48. Est autem inter Quæstiones prioris & posterioris generis, notabile discrimen: siquidem honestas actus proxime dependet totaliter a prudenti judicio operantis, cui si actus est conformis, hoc ipso bonus est ac honestus; si difformis, malus. Ratio est; quia Conscientia est proxima regula actionum humanarum, per quam voluntas, quæ de se est potentia cæca, dictatur, quid sit agendum vel fugiendum: unde fit, quod si actus est conformis Conscientiæ practice rectæ, licet forsan invincibiliter erranti, adhuc talis actus non sit formaliter peccatum, neque imputetur ad culpam.

49. Secus est de Quæstionibus posterioris generis, seu quæ versantur circa Materiam facti; etenim actus non desumit suam naturam, conditionem, aut validitatem ex judicio nostri intellectus, quantumvis prudenti, sed vel ex natura sua intrinseca, vel ex ordinatione aut institutione extrinseca alterius. Sic enim medicina, si a parte rei & ex intrinseca natura sua non est proficua, sed nociva, nil proderit infirmo, imo ipsum occidet, non obstante judicio probabili Medici, existimantis eam profuturam. Similiter causa litigantis in Judicio non est justa ex eo, quia eam Judex probabiliter censet justam, sed quia ipsa a parte rei, & secundum Legum ordinationem talis est. Sic pariter Baptismus aqua rosacea collatus non valebit ob probabile judicium Ministri, arbitrantis ipsum valiturum, si revera talis non est ex institutione Christi. Et hinc non mirandum, quod diverso modo de his, ac de prioribus in progressu simus locuturi: nam sequendo Sententiam probabilem circa honestatem actus, nullum incurritur periculum alicujus peccati, vel alterius damni; secus accidit in materia facti, ubi ex sequela Opinionis minus probabilis relicta probabiliori ac tutiori, incurritur magnum periculum nocumenti in bonis animæ, corporis, aut fortunæ, proximo inferendi, si forsan a parte rei Opinio illa non subsisteret. His præmissis, sit

50. CONCL. I. Potest homo in rebus moralibus, & actionibus humanis licite sese conformare Conscientiæ seu Opinioni vere probabili. Hæc Conclusio sic absolute prolata, ac præscindendo a quacunque probabilitate Opinionis oppositæ, est ferme omnium Theologorum, imo & Jurisperitorum, prout fatetur Prosper Fagnanus *in cap. Ne inniteris, num. 45. decernitur.* quamvis ipse postmodum contrariam sententiam teneat. Ratio est: quia ut aliquis licite & honeste operetur, sufficit, quod quis regulam rectæ rationis sequatur: sed hoc fit sequendo sententiam vere probabilem; hæc etenim non ex levi, sed gravi fundamento authoritatis, vel rationis concipitur: ergo. Confirmatur; quia, cum in moralibus haberi semper non possit omnimoda certitudo per evidentiam, consequenter sufficit certitudo ex probabilibus desumpta, alioquin enim vix quidquam recte ageretur, propter incertitudinem rerum practicarum. Hinc Alexander Papa VIII. die 7. Decembri, 1690. inter alias Propositiones etiam sequentem, ordine 3. non immerito damnavit: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

51. Objicies tamen: Judicium probabile propter formidinem, quam habet intrinsecus infixam, non est certum; ergo neque potest habere moralem certitudinem, & consequenter nequit esse regula recta nostrarum actionum. Resp. antecedens esse verum speculative, non autem practice; prout in simili dictum est supra *n. 33. & seq.* de Dubio speculativo, & practico; hinc taliter distincto antecedente, negatur consequentia. Solum hic vitandus quorundam abusus, qui post actum jam perpetratum ad medendum remoribus Conscientiæ suæ student casibus, ut inveniant fundamenta & opiniones Doctorum probabiles, quæ suo desiderio faveant. Hoc enim (ut loquitur Herincx *disput. 4. de conscientia, q. 3. n. 25.*) plane est medicinam sperare post mortem: nam attendendum est dictamen Conscientiæ antecedens, quod direxerit operationem, non aliud subsequens, ut pote quod actum jam præteritum practice nequaquam dirigit.

52. CONCL. II. Insuper, quando duæ occurrunt Opiniones æque probabiles circa honestatem actus versantes, licitum erit eligere eam, quam quis maluerit. Ita communior Doctorum, præsertim Theologorum, contra Fagnanum *l. c. n. 121. & seqq.* Ratio desumitur tum ex dictis *n. 50.* Tum ex eo, quia quando utraque opinio est æque probabilis (non enim repugnat, quod intellectus humanus ex diversis principiis, atque rationibus hinc inde applicatis, judicet utramque contradictionis partem æque probabilem) non est major ratio, cur quis unam potius sequi teneatur, quam alteram; ergo liberum erit eligere, quam maluerit. Nec obstat, quod alterutra contradictionis pars a parte

parte rei sit falsa. Quia hoc ipso, quod ejus falsitas determinate non cognoscatur, neque moraliter cognosci possit, ea etiam per errorem electa non violaretur formaliter præceptum aliquod, etsi materialiter contra illud ageretur; quod stante ejusmodi Conscientia vere probabili, culpa vacat ob rationes dictas.

53. CONCL. III. Loquendo de actibus quantum ad eorum honestatem spectatis, etiam in concursu probabilioris & tutioris, licite potest eligi opinio vere quidem, sed minus probabilis, minusque tuta; quamvis hoc non semper expediat. Ita communior Theologorum, præsertim Recentiorum, etsi Canonistæ, atque non pauci alii teneant contrarium. Ratio est. Tum quia, qui juxta Opinionem vere probabilem operatur, non temere, sed prudenter operatur; ergo non peccat, cum honestas actus proxime dependeat a prudenti judicio operantis. Tum quia loquendo de actibus quantum ad eorum honestatem spectatis, qui se conformat dictamini Conscientiæ vere probabilis, non exponit se ulli periculo inferendi aliquod nocumentum, sive sibi, sive proximo ex dictis *n.* 48. *& seqq.* Tum quia Summi quoque Pontifices quandoque secuti sunt Opinionem probabilem, relicta probabiliori, ac tutiori, prout inter alios refert Bernardus Sannig. *tom. 1. Schola Theologica, tr. 7. dist. 5. q. 3. nu. 7.* recte *num.* 4. præmittens, hanc Sententiam non esse revocatam per novissimum Decretum Innocentii XI. 2. Martii 1679. emanatum. Et hoc ipsum patet ex verbis citati Decreti, partim quia circa initium ipsius Pontifex expresse declarat, se damnare propositiones ibi contentas, *sicut jacent*: partim quia prima & tertia propositio, quæ ad propositum præ cæteris faciunt, loquuntur generatim, atque etiam in Sacramentis, vel de Opinionibus, *quantumvis tenuis probabilitatis*, quales adsit defendere, ut supra *num.* 40. *& 44. & seqq.* notatur.

54. Additur notanter in Conclusione, *quamvis id non semper expediat*. Tum quia non omnia, quæ licent, semper expediunt, juxta illud D. Apostoli 1. Cor. 6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*. Tum quia, ut Doctor Subtilis *in 3. dist. 25. quæst. 1. §. sed hic occurrunt*, recte monet: *In moralibus quando sunt altercationes de aliquo peccato, quando primo est mortale, ut si unus pertinaciter dicat, quod non licet sic mercari, & alius dicat, quod licet, tutius est non procedere sic, nec sic, sed expectare, quousque veritas pateat.* Hæc ille, per ly *tutius est*, hanc partem optime consulens, sed eam sub obligationis vinculo non concludens. Adde etiam, quod præmissa Conclusio locum habere non possit quoad propositiones circa Mysteria Fide Divina credenda formatas. Ratio hujus est, quia Conclusio solum loquitur de propositionibus vere probabilibus: atqui circa Mysteria, quæ Fide Divina credenda sunt, propositio falsa in concursu alterius, jam cognitæ ut probabilioris, minquam potest habere rationem propositionis vere probabilis; prout infra suo loco (c) dicetur.

55. CONCL. IV. Confessarius tenetur conformare se quoad Judicium Sacramentale opinioni pœnitentis, si ejus opinio vere probabilis sit, etiam contra propriam opinionem; & consequenter, si pœnitens bona fide sequatur sententiam, quæ a probatis Auctoribus tanquam tuta & probabilis defenditur, Confessarius vero eam speculative improbabilem censeat, tenetur is, deposito, ac relicto proprio judicio, beneficium absolutionis eidem impendere. Ita Sanch. *lib. 1. in Decal. c. 9. n. 27. & seq.* & communior Doctorum, & favet Scotus *4. d. 15. q. 1. §. ex hoc dico*, volens, hoc observandum a Confessario in imponenda pœnitentia. Ratio est, quia audita Sacramentali Confessione, non potest Confessarius negare absolutionem pœnitenti rite dispositio, nullumque peccati obicem ponenti: atqui pœnitens sequendo opinionem vere probabilem non peccat, ac proinde (nisi aliud obstet) recte est dispositus; ergo non potest ipsi absolutio denegari. Hinc Laym. *lib. 1. tr. 1. cap. 3. num. 10.* sic loquitur: *Reprehendenda est quorundam Confessariorum consuetudo, qui veriti pœnitentem contra propriam Sententiam absolvere, eundem ad alium Confessarium abligant, qui expositam opinionem probabilem tenet: si enim ille alter absolvere potest, cum non ex eo posset aut sur tuo speculativa persuasio pœnitenti obesse debeat?*

56. CONCL. V. Etsi in Quæstionibus de honestate actus præmissa doctrina locum habeat, aliter tamen est discurrendum loquendo de Materia facti, & quantum attinet ad Quæstiones de natura, conditione, aut valore actus, prout inter alia suadet diversitas utriusque supra *num.* 48. *& 49.* insinuata. Dicendum proinde cum communissima, & recepti ssima Doctorum sententia (quisquid unus, vel alter frustra reclamet) in Materia facti non esse licitum, sequi Sententiam minus probabilem minusque tutam in concursu probabilioris ac tutioris. Ratio est: quia nemo

nemo potest extra casum necessitatis tuto, ac licite sese exponere gravi periculo inferendi magnum damnum proximo: atqui in Materia facti sequens opinionem minus probabilem in concursu probabilioris, ac tutioris, exponeret se gravi periculo inferendi magnum damnum proximo, & quidem extra casum necessitatis, utpote cum juxta hypothesin tali periculo facile posset occurrere eligendo opinionem probabiliorem & tutiorem; ergo id non licet. Major patet ex præcepto Charitatis de diligendo proximo, sicut se ipsum. Minor probatur inductione. Sic enim Sacerdos in administratione Sacramentorum adhibens materiam vel formam dubiam, minusque probabilem & tutam, cum possit adhibere certam aut tutiorem, exponeret sine ulla prorsus necessitate non solum periculo invaliditatis ipsum Sacramentum, sed etiam recipientem periculo non habendi fructum Sacramenti, cum dispendio æternæ salutis, si forte sua Sententia minus probabilis a parte rei falsa esset. Similiter Medicus adhibendo medicamina minus tuta, probabilioribus ac tutioribus, quæ posset adhibere, relictis, ponit infirmum in periculo perdendæ sanitatis, aut etiam vitæ, cum irreparabili damno. Item Judex, adjudicans causam parti minus probabilem sententiam habenti in Jure, exponeret se periculo inferendi grave damnum in bonis fortunæ alteri parti isigantium probabiliorem sententiam habenti. Siquidem ad evitanda ista damna proximo impendentia, nihil prorsus juvat probabile judicium operantis.

§. III.

Inferuntur corollaria de Ministro Sacramentorum, Medico, Judice, Advocato.

SUMMARIUM.

57 *Tres aureæ Regulæ Scoti a Ministro Sacramentorum observandæ.*
58 *Non licet sequi Opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore.*
59 *Dicta Regula Scoti etiam observanda a Medico, & Judice.*
60 *Quid observandum a Medico in curando infirmo.*
62 *Quid agendum Judici in judicando.*
62 *Præsertim quando litigantes habent pro se Opiniones æque probabiles.*
Reiffenstuel Theol. Moral.
63 *Quid dicendum de Advocatis.*
64 *Quadam obligationes Advocatorum.*
65 *Solvuntur objectiones.*
66 *In Medicina, & Jure, quomodo dentur Opiniones probabiles.*
67 *Differentia inter Judicem, & Advocatum, atque officium utriusque.*
68 *Bellum inferre, & litem judicialiter movere, differunt.*

57. QUantum igitur attinet in primis ad Ministrum Sacramentorum, sunt eidem observandæ, ac præ oculis jugiter habendæ, tres illæ aureæ Regulæ, quas Doctor Subtilis *in 4. dist. 3. q. 2. §. Tertio de forma Vir. Circa ipsum* addu it, & sequuntur alii communiter. Prima est. *Si possibilitas adest, via tutissima est eligenda.* Secunda: *Si non adest possibilitas, via tutissima proxima est tenenda.* Tertia est ista: *Cessante impossibilitate cautes est supplendum, quod impossibilitas prohibebat.* Unde Baptismus v.g. in materia vel forma dubia collatus, denuo sub conditione iterandus est, ut dicitur in Jure Canonico, *c. De quibus, de Baptismo.*

58. Unde jure merito novissime ab Innocentio XI. damnata est, & tanquam scandalosa, & in praxi perniciosa prohibita sequens Propositio, ordine 1. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, convento, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Hæc, inquam, Propositio est damnata: ac proinde hactenus dicta, præsertim circa materiam Sacramentorum, magis confirmantur.

59. Licet autem supradictas tres Regulas Doctor noster ex professo tradiderit observandas circa Sacramentorum materiam, & formam ab eorum Ministro, seu spirituali Medico animæ; oportet nihilominus easdem (servata tamen proportione) etiam observari a vero Medico in curandis ægritudinibus hominis, atque etiam a Judice in ferendis sententiis.

60. Quantum igitur attinet ad Medicum, notant communiter Doctores, Medicum in curando infirmo debere sequi sententias certas, si adsint, relictis incertis ac dubiis. Hinc, ut notat Layman. *loc. cit. n. 15.* citans plures alios, etsi probabilis opinio sit, medicamentum infirmo profuturum esse, non ideo sequitur probabile esse, quod licest Medico, tale medicamentum dubium adhibere: quia

potius, cum agatur de periculo corporis, securior via est eligenda. Quare Medici, & Chirurgi, debent sequi sententias certas & securas, si suppetant, rejectis incertis ac dubiis; graviterque peccat Medicus, si experiendi tantum causa inexplorata medicamenta, certis dimissis, infirmo adhibeat, ejusque sanitatem & vitam hac ratione gravi periculo exponat. Quod si certa curatio non occurrat, tenetur Medicus sectari ea, quæ probabiliora judicat, posthabitis opinionibus minus probabilibus. Si vero nulla medicamenta suppetant, nisi dubia & periculosa, tunc prudenter examinandum erit, hinc quidem vis ac periculum morbi, illinc vero tam spes sanandi, quam timor & periculum nocendi: & quidem si medicus intelligat, certo moriturum infirmum, nisi medicamentum adhibeatur, non carens quidem periculo accelerandæ mortis, junctum tamen cum probabili spe conferendæ sanitatis, adhibere poterit.

61. Quantum tandem attinet ad Judicem, etiam communiter notant Doctores, quod Judex teneatur judicare secundum sententiam, quæ inspectis allegationibus & probationibus probabilior est, Jurique conformior: nam Judicis officium est, partibus litigantibus sententiam dicere secundum merita causæ. Unde cavenda est doctrina nonnullorum Theologorum, olim volentium, si circa propositam controversiam contrariæ sint opiniones probabiles de jure, posse Judicem relicta probabiliore judicare secundum alteram minus probabilem. Quinimo hæc sententia modo est expresse rejecta ab Innocentio XI. qui damnavit sequentem, ordine 2. Propositionem: *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*

62. Similiter cavenda est illa nonnullorum Theologorum sententia, qui volebant, quando utraque opinio est æque probabilis, integrum esse Judici, quam maluerit opinionem eligere, & secundum eam judicare, imo cessante scandalo nunc secundum unam, nunc secundum aliam. Cavendum, inquam, est ab hujusmodi sententia: quis enim non videat, ab æquitate alienum esse, si duo æquale jus habent, Judicem, quem oportet esse Juris Interpretem, Justitiæque Administrum, uni eorum totum adjudicare, alteri abjudicare? Unde non immerito Alexander VII. inter alias etiam sequentem, ordine 26. Propositionem damnavit. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius pro alio.* Igitur in tali casu, si post causæ accuratam discussionem neutra litigantium pars, inspectis allegatis, de facto, aut de jure superare videatur, debebit Judex vel arbitros partium consensu statuere, vel compositionem suadere, imo etiam imperare, si casus nimium sit intricatus, causaque diutius jam protracta; vel denique cuilibet dimidium juris, aut rei, de qua lis est, adjudicare.

63. Quæres, An id quod proxime de Judice dictum est, similiter de Advocato sit sentiendum? Resp. negative, prout tenet communior Doctorum, præter Fagn. *l. c. n. 381. 387. ac seq.* & quosdam alios. Ratio est: quia Advocati officium non est definire, sive jus dicere inter partes contendentes, sed uni parti litigantium assistere, atque patrocinium afferre: cum igitur, quotiescunque causa dubia seu controversa est, permittatur parti litem cum adversario contestari, atque propositis juribus & rationibus suis sententiam Judicis dirimentis exspectare; consequenter, si Advocatus causam clientuli non manifeste iniquam, sed probabilem judicet, licite ejus patrocinium suscipit, etsi causam adversarii probabiliorem & facilius obtinendam arbitretur. Imo fieri potest, atque nonnunquam solet, ut pars illa, quæ a principio minus probabilis apparebat, in progressu litis probabilior evadat.

64. Notant tamen Doctores, quod Advocatus, causam dubiam suscipiens, ad aliqua sit obligatus. Et primo quidem, ut ante omnia diligenter inspiciat causæ sibi propositæ æquitatem, aut probabilitatem; & si injusstam comperiat, nullo modo ejus patrocinium suscipiat. Ratio est: quia alioquin peccaret cooperando ad malum. Secundo, post diligentem totius causæ considerationem sincere aperiat clienti, quantam probabilitatem, vel spem obtinendæ victoriæ habeat: alioquin enim, si falsa opinione, aut spe inani victoriæ clientem detineat, ac sumptibus frustra faciendis involvat, ad compensationem damni ei obligatur. Tertio, ut Advocatus, qui causæ dubiæ patrocinium suscipit, paratus sit quamprimum desistere, & clienti suo significare, si in progressu litis ejus iniquitatem manifeste deprehenderit: non tamen, ut notat D. Thom. 2. 2. *q. 71. ar. 3.* debet eam prodere, ut scilicet, aliam partem juvet, vel secreta suæ causæ alteri parti revelet, sed debet causam deserere, vel cum, cujus causam agit, inducere ad eo-

dendum, vel ad componendum sine adversarii damno.

65. Objicies I. contra hactenus dicta. Ad prudenter operandum sufficit certitudo moralis; non enim tenemur semper habere summam rei certitudinem, sed sufficit moralis; atqui similiter Sacerdos, Medicus, & Judex habent certitudinem moralem, quod non peccent, nullumque damnum proximo inferant, eo ipso, quod pro se habeant sententiam vere probabilem; ergo. Resp. negando minorem, loquendo de casu, quo ejusmodi Opinio probabilis circa Materiam facti habetur in concursu probabilioris, ac tutioris. Tunc enim Medicus v.g. non est moraliter certus de procuranda sanitate infirmi, si neglecto tutiori ac probabiliori pharmaco, quod hic & nunc adhibere posset, adhibet aliud minus tutum, minusque probabile: neque etiam habet pro se sententiam vere probabilem, quod id licite facere possit, tum ob grave periculum nocumenti inferno inferendi, tum ob communem sententiam Doctorum id licite fieri negantium.

66. Dices. Si hoc est verum, ergo in Medicina, in Jure, in Sacramentorum administratione nulla dabitur Opinio probabilis; quia nemini unquam licebit eis uti: atqui hoc est absurdum; ergo. Resp. ejusmodi Opiniones in concursu alterius Opinionis probabilioris, ac tutioris, dici solum probabiles speculative, non autem practice. Ratio est: quia non possumus ex ipsis formare judicium practicum, quod dicitet, hic & nunc esse licitum, absque ulla necessitate omittere viam certam, vel saltem tutiorem, & eligere cum gravi periculo damni proximo inferendi aliam minus certam, minusque tutam. Interim tamen speculative etiam in Medicina, Jure, & Sacramentorum administratione, dantur Opiniones probabiles, quas licebit & expediet sequi in casu necessitatis, & quando Opinio probabilior hic & nunc practicari nequit, juxta tres illas aureas Regulas supra *n.* 57. ex Doctore Subtili allatas.

67. Objicies II. contra dicta *n.* 63. Judex tenetur ex officio ferre sententiam pro parte probabiliori; ergo & Advocatus poterit solum defendere causam magis probabilem: alioquin enim defendendo causam minus probabilem, induceret Judicem, ad aliquid iniquum, nempe ad ferendam sententiam, quam is licite ferre non posset. Resp. negando consequentiam, & paritatem; quia Judicis officium est definire, ac jus dicere inter partes litigantes; sicque causa rite prius discussa, tenetur ex officio pro parte probabiliori stare, sententiamque ferre. Secus dicendum de Advocato, cujus officium non est definire, atque jus inter partes dicere: sed tantum parti uni assistere, atque (sub positis jam cautelis) patrocinium ferre, donec lis per definitivam Judicis sententiam fuerit decisa. Neque idcirco Advocatus censetur inducere Judicem ad aliquid iniquum: nam solum conatur ostendere, partem sui clientuli (prout nonnunquam in progressu litis apparet) esse veriorem, sive probabiliorem; non autem vult, ut stante minori probabilitate talis causæ, pro ea feratur sententia definitiva.

68. Urgebis. Cujus causa est illi minus probabilis, non potest alteri bellum inferre; ergo neque litem judicialem ipsi movere, & consequenter neque Advocatus tali causæ patrocinari. Resp. negando consequentiam, & paritatem. Siquidem per litem judicialiter motam fit solum inquisitio veritatis, utri parti revera plus juris competat, simulque hujus decisio relinquitur Judici, cujus est, utriusque partis fundamenta penitus expendere, ac postea litem sententia definitiva decidere. E contra illatio belli, est ipsamet sententiæ executio; unde supponit, sententiam esse latam, vel saltem debere ferri in favorem ejus, qui bellum infert; cujus autem jus est minus probabile, non debet sententia pro illo, sed potius contra illum ferri, ac proinde is alteri bellum licite inferre non potest.

QUÆSTIO V.

De Conscientia scrupulosa, ejusque signis, & remediis contra scrupulos.

SUMMARIUM.

69 Conscientia scrupulosa, & scrupulus, quid?
70 Signa Conscientiæ scrupulosæ, quæ?
71 Quæ sit origo Scrupulorum?
72 An sit licitum operari contra Conscientiam scrupulosam?
73 Solvitur objectio scrupulosorum.
74 Alia Scrupulosorum instantia diluitur.
75 Explicantur quædam authoritates.
76 Discrimen inter Timoratos timore Dei, & inter Scrupulosos, quale?
77 Mala scrupulosorum.

78 *Remedia contra scrupulos, qualia?*
79 *Consilium pro scrupulosis, qui sua conscientia curam habent.*
80 *Quid de nimium scrupulosis circa peccata præterita, & parum sollicitis circa futura?*

69. *Conscientia scrupulosa* dicitur talis a *Scrupulis*. Porro *Scrupulus* est inanis apprehensio, & hinc ortus timor atque anxietas, alicubi esse peccatum, non revera non est. Unde *Conscientia scrupulosa* importat inanem apprehensionem ex frivolis ortam rationibus; qua quis suspicatur aliquid esse peccatum, quod non est.

70. Signa autem scrupulosæ Conscientiæ sunt potissimum sequentia. I. Pertinacia judicii, qua scrupulosi homines Doctores, aut sui Confessarii consilius non acquiescunt; unde varios consulunt & fatigant, & tamen nullius judicio stant, nisi suo. II. Ex levi apparentia frequens judiciorum mutatio; unde oriturin agendo inconstantia, v. g. In Horis Canonicis aliquando decies mutant judicium, num hunc vel illum Versiculum dixerint, imo nonnunquam contra proprium judicium, quod tale quid agere non sit peccatum, adhuc sunt inquieti, timentque, ne forte peccent, vel peccaverint. III. Perturbate agere, & cæco quodam modo in externis actionibus procedere, & hoc quidem malum ex prioribus defendit. IV. Habere reflexiones extravagantes infinitarum circumstantiarum. V. Timere in omnibus peccatum, & contrain sapientium, imo & contra proprium judicium esse inquietum. His accedit ultimum Conscientiæ scrupulosæ signum, si nempe Confessarius judicat, talem esse scrupulosum, juxta hactenus dicta. In particulari autem signa Scrupuli, hic & nunc præsentis, sunt sequentia duo: in primis, si per illum experiaris te nimium angi, & turbari. Deinde si aliis expertus sis, te similia apprehendisse sine fundamento. Ita discurrit inter alios Hermannus Buslenbaum. *in Medulla Theol. Mor. lib. 1. tr. 1. cap. 3.*

71. Quæritur I. Quæ sit origo Conscientiæ scrupulosæ, & Scrupulorum? Resp. cum Doctoribus passim, origines & causas Scrupulorum esse potissimum sequentes. I. Est ignorantia; qui enim ignorantes sunt, quibuslvis facile moventur, ac decipiuntur. II. Cerebri, & imaginationis debilitas. III. Complexio frigida, & melancholica. IV. Immoderatus, & indiscretus fervor. V. Nimius timor servilis; hic enim animam tremulam, & trepidantem facit. VI. Consuetudo, seu conversatio cum Scrupulosis. VII. Tentatio diabolica. Et tandem VIII. causa Scrupulorum est permissio Dei, qui quandoque singulari sua providentia superbiam nostram a Scrupulis depasci permittit, vel in fornace Scrupulorum nos purgat, nostramque fidelitatem probat.

72. Quæritur II. An sit licitum operari contra Conscientiam scrupulosam? Resp. cum communi Doctorum, affirmative. Ratio est clara: quia Conscientia scrupulosa nititur solum levibus atque frivolis rationibus, ac proinde ejus judicium est imperfectum atque imprudens; ergo licite ac laudabiliter ipsi resistitur.

73. Nec dicatur I. cum Scrupulosis, Juxta illud commune dictum: *In dubiis tutior pars est eligenda*, ergo. Resp. enim, axioma illud loqui de Dubio proprie dicto, non autem de mero ac inani Scrupulo, qui importat inanem suspicionem ex levibus causis ortam, qua quis putat esse peccatum, quod revera non est. Porro quomodo vulgatum hoc axioma sit intelligendum, habetur supra *n.* 35.

74. Nec dicatur II. Ad licite operandum necessario requiritur judicium intellectus saltem probabile de honestate operis: atqui stante Scrupulo deest tale judicium intellectus; ergo co stante non est licitum operari contra Scrupulum. Resp. quippe negando minorem: nam Scrupulus verus, quantumcumque urgeat, minime tollit assensum partis contrariæ, seu judicium intellectus de ipso: quod si vero tollat determinatum assensum alterius partis, jam non erit amplius Scrupulus, sed verum Dubium, ut recte notat Sanch. *lib. 1. Decalog. c. 10. n. 80.* ac proinde cum ipso procedendum foret juxta dicta supernis *Quæst. 3.* Unde cum Conscientia scrupulosa facile transire possit in conscientiam vincibiliter erroneam, vel dubiam, colligere licet, quam miser & periculosus sit status hominis vere scrupulosi.

75. Nec dicatur III. Secundum illud D. Gregorii, ac refertur can. 4. dist. 5. *Bonarum mentium est ubi culpam timere, ubi culpa non est.* Et illud Prov. 28. *Beatus homo, qui semper est pavidus*, & alibi; ergo bene sit, si quis est scrupulosus. Resp. enim negando consequentiam hujusmodi si quidem authoritates loquuntur de Conscientia timorata vera, & rationabili; non autem de Conscientia inaniter scrupulosa, & plurimum cor affligente. Sed occasione hujus,

76.

76. Quæritur ulterius, quale sit discrimen inter Timoratos timore Dei, & inter Scrupulosos? Resp. cum Petro Marchantio *tom. 1. Tribunalis, tract. 5. tit. 6. quæst. 2.* & aliis, plures passim assignari differentias; cæteris tamen clarior est ea, quæ desumitur ab effectibus. Effectus enim Timoris Dei in timoratis, sunt puritas & firmitas cordis, vigilantia & sollicitudo sine anxietate, apprehensio mali sine turbatione, pœnitentia cum spe & amore conservandæ justitiæ, & injustitiæ vindicandæ propter Deum omnis justitiæ Fontem. Hinc Timorati timore Divino, ob amorem Dei, atque observantiam mandatorum ipsius, etiam verbum otiosum refugiunt; simulque imperturbati, stabiles & constantes incedunt viam mandatorum Dei, & cum cordis tranquillitate custodiæ suæ invigilant, atque absque turbatione ad Deum suspirant.

77. E contra vero res se habet in Scrupulosis: primo enim timor Scrupulosorum plenus est impuritate, atque inconstantia mentis. Deinde tantum abest, ut Scrupulosi in sollicitudinem alacrem ac vigilantiam cordis excant, ut potius in anxietatem, pusillanimitatem, tepiditatem, ac tædium omnis boni devolvantur, simulque apprehensio mali sit in ipsis cum turbatione totius hominis, ita ut nec seipsos capiant, imo quodam mentis delirio fatiscant. Omittuntur alia plura discrimina, & mala Conscientiæ scrupulosæ.

78. Quæritur ultimo: Quænam sint remedia contra scrupulos? Resp. In primis faluberrimum contra scrupulos remedium esse, scrupulos contemnere: cum enim hi ex frivolis concipiantur rationibus, hinc tali inanitate perpensa, jure merito contemnuntur, & licite contra eos quis operatur. Quia tamen Scrupulosis non semper semetipsum juvare potest, tunc alterum utilissimum remedium est, ut Scrupulosus deposito proprio judicio, & non obstantibus suis rationibus, per omnia se submittat judicio ac verbo pii ac prudentis Viri, aut Confessarii; cum manifestum sit, Deum non plus exigere a tali persona afflicta. Confessarius autem ante omnia videat, quæ sit causa scrupulorum, eamque cognitam laboret amovere. Præterea sit is in suis responsionibus resolutus, & ne scrupulus scrupulo inducatur, abstinendum est a multis discursibus & probationibus, cum in illis ipsis frequenter non desit scrupulosis talibus materia novorum scrupulorum. Quare urgeat Confessarius scrupulosum, ut simpliciter suis dictis credat: alias certe vix juvari poterit. Et hæc sunt duo remedia præcipua contra scrupulos, quamvis plura a Doctoribus asserantur.

79. Cæteris tamen dimissis, consulit Vasq. *1. 2. disp. 67. cap. 2.* loquendo de illis Scrupulosis, qui simul conscientiæ suæ curam habent, quod Confessarius, si semel cognoscat talem scrupulis agitari, ei tale consilium præbeat, suadeatque, ut nihil putet esse mortale, nisi quod manifeste & absque formidine videatur ipsi esse mortale. Imo vero interdum potest aliquis adeo esse scrupulosus, ut, nisi jurare possit, illud esse mortale, credere non debeat mortale esse.

80. Difficilius remedium adhibetur illis Scrupulosis, qui sunt nimium scrupulosi circa præterita peccata, de futuris autem parum sunt solliciti. Præcipuum autem remedium pro talibus esse solet, ut frequenter ad Sacramentum Confessionis accedant, sicque cautiores efficiantur in cavendis futuris peccatis; de cætero autem remediis supra dictis utantur. Porro si aliqui vere judicentur scrupulosi, etiamsi non fiat adeo cauti in evitandis futuris peccatis, non est cum illis ita severe agendum, sicut cum illis, qui scrupulosi non sunt: quamvis simul attendere debeant Scrupulosi, ne manifeste declinent ad alterum extremum, & prætextu Scrupulorum evitandorum nimiam sibi licentiam usurpent, & interdum pro scrupulis vera, & manifeste recta conscientiæ dictamina contemnant, magnas trabes festucas reputent, & quasi pulices camelos deglutiant. Unde in hisce scrupulis curandis Confessarius magna consideratione status Pœnitentis, prudentia, atque discretione procedere debet.

78 *Remedia contra scrupulos, qualia?*
79 *Consilium pro scrupulosis, qui sua conscientia curam habent.*
80 *Quid de nimium scrupulosis circa peccata præterita, & parum sollicitis circa futura?*

69. *Conscientia scrupulosa* dicitur talis a *Scrupulis*. Porro *Scrupulus* est inanis apprehensio, & hinc ortus timor atque anxietas, alicubi esse peccatum, non revera non est. Unde *Conscientia scrupulosa* importat inanem apprehensionem ex frivolis ortam rationibus; qua quis suspicatur aliquid esse peccatum, quod non est.

70. Signa autem scrupulosæ Conscientiæ sunt potissimum sequentia. I. Pertinacia judicii, qua scrupulosi homines Doctores, aut sui Confessarii consilius non acquiescunt; unde varios consulunt & fatigant, & tamen nullius judicio stant, nisi suo. II. Ex levi apparentia frequens judiciorum mutatio; unde oriturin agendo inconstantia, v. g. In Horis Canonicis aliquando decies mutant judicium, num hunc vel illum Versiculum dixerint, imo nonnunquam contra proprium judicium, quod tale quid agere non sit peccatum, adhuc sunt inquieti, timentque, ne forte peccent, vel peccaverint. III. Perturbate agere, & cæco quodam modo in externis actionibus procedere, & hoc quidem malum ex prioribus defendit. IV. Habere reflexiones extravagantes infinitarum circumstantiarum. V. Timere in omnibus peccatum, & contrain sapientium, imo & contra proprium judicium esse inquietum. His accedit ultimum Conscientiæ scrupulosæ signum, si nempe Confessarius judicat, talem esse scrupulosum, juxta hactenus dicta. In particulari autem signa Scrupuli, hic & nunc præsentis, sunt sequentia duo: in primis, si per illum experiaris te nimium angi, & turbari. Deinde si aliis expertus sis, te similia apprehendisse sine fundamento. Ita discurrit inter alios Hermannus Buslenbaum. *in Medulla Theol. Mor. lib. 1. tr. 1. cap. 3.*

71. Quæritur I. Quæ sit origo Conscientiæ scrupulosæ, & Scrupulorum? Resp. cum Doctoribus passim, origines & causas Scrupulorum esse potissimum sequentes. I. Est ignorantia; qui enim ignorantes sunt, quibuslvis facile moventur, ac decipiuntur. II. Cerebri, & imaginationis debilitas. III. Complexio frigida, & melancholica. IV. Immoderatus, & indiscretus fervor. V. Nimius timor servilis; hic enim animam tremulam, & trepidantem facit. VI. Consuetudo, seu conversatio cum Scrupulosis. VII. Tentatio diabolica. Et tandem VIII. causa Scrupulorum est permissio Dei, qui quandoque singulari sua providentia superbiam nostram a Scrupulis depasci permittit, vel in fornace Scrupulorum nos purgat, nostramque fidelitatem probat.

72. Quæritur II. An sit licitum operari contra Conscientiam scrupulosam? Resp. cum communi Doctorum, affirmative. Ratio est clara: quia Conscientia scrupulosa nititur solum levibus atque frivolis rationibus, ac proinde ejus judicium est imperfectum atque imprudens; ergo licite ac laudabiliter ipsi resistitur.

73. Nec dicatur I. cum Scrupulosis, Juxta illud commune dictum: *In dubiis tutior pars est eligenda*, ergo. Resp. enim, axioma illud loqui de Dubio proprie dicto, non autem de mero ac inani Scrupulo, qui importat inanem suspicionem ex levibus causis ortam, qua quis putat esse peccatum, quod revera non est. Porro quomodo vulgatum hoc axioma sit intelligendum, habetur supertius *n. 35.*

74. Nec dicatur II. Ad licite operandum necessario requiritur judicium intellectus saltem probabile de honestate operis: atqui stante Scrupulo deest tale judicium intellectus; ergo co stante non est licitum operari contra Scrupulum. Resp. quippe negando minoremnam Scrupulus verus, quantumcumque urgeat, minime tollit assensum partis contrariæ, seu judicium intellectus de ipso: quod si vero tollat determinatum assensum alterius partis, jam non erit amplius Scrupulus, sed verum Dubium, ut recte notat Sanch. *lib. 1. Decalog. c. 10. n. 80.* ac proinde cum ipso procedendum foret juxta dicta supertius *Quæst. 3.* Unde cum Conscientia scrupulosa facile transire possit in conscientiam vincibiliter erroneam, vel dubiam, colligere licet, quam miser & periculosus sit status hominis vere scrupulosi.

75. Nec dicatur III. Secundum illud D. Gregorii, ac refertur can. 4. dist. 5. *Bonarum mentium est ubi culpam timere, ubi culpa non est.* Et illud Prov. 28. *Beatus homo, qui semper est pavidus*, & alibi; ergo bene sit, si quis est scrupulosus. Resp. enim negando consequentiam hujusmodi tiquidem authoritates loquuntur de Conscientia timorata vera, & rationabili; non autem de Conscientia inaniter scrupulosa, & plurimum cor affligente. Sed occasione hujus,

76.

76. Quæritur ulterius, quale sit discrimen inter Timoratos timore Dei, & inter Scrupulosos? Resp. cum Petro Marchantio *tom. 1. Tribunalis, tract. 5. tit. 6. quæst. 2.* & aliis, plures passim assignari differentias; cæteris tamen clarior est ea, quæ desumitur ab effectibus. Effectus enim Timoris Dei in timoratis, sunt puritas & firmitas cordis, vigilantia & sollicitudo sine anxietate, apprehensio mali sine turbatione, pœnitentia cum spe & amore conservandæ justitiæ, & injustitiæ vindicandæ propter Deum omnis justitiæ Fontem. Hinc Timorati timore Divino, ob amorem Dei, atque observantiam mandatorum ipsius, etiam verbum otiosum refugiunt; simulque imperturbati, stabiles & constantes incedunt viam mandatorum Dei, & cum cordis tranquillitate custodiæ suæ invigilant, atque absque turbatione ad Deum suspirant.

77. E contra vero res se habet in Scrupulosis: primo enim timor Scrupulosorum plenus est impuritate, atque inconstantia mentis. Deinde tantum abest, ut Scrupulosi in sollicitudinem alacrem ac vigilantiam cordis excant, ut potius in anxietatem, pusillanimitatem, tepiditatem, ac tædium omnis boni devolvantur, simulque apprehensio mali sit in ipsis cum turbatione totius hominis, ita ut nec seipsos capiant, imo quodam mentis delirio fatiscant. Omittuntur alia plura discrimina, & mala Conscientiæ scrupulosæ.

78. Quæritur ultimo: Quænam sint remedia contra scrupulos? Resp. In primis faluberrimum contra scrupulos remedium esse, scrupulos contemnere: cum enim hi ex frivolis concipiantur rationibus, hinc tali inanitate perpensa, jure merito contemnuntur, & licite contra eos quis operatur. Quia tamen Scrupulosis non semper semetipsum juvare potest, tunc alterum utilissimum remedium est, ut Scrupulosus deposito proprio judicio, & non obstantibus suis rationibus, per omnia se submittat judicio ac verbo pii ac prudentis Viri, aut Confessarii; cum manifestum sit, Deum non plus exigere a tali persona afflicta. Confessarius autem ante omnia videat, quæ sit causa scrupulorum, eamque cognitam laboret amovere. Præterea sit is in suis responsionibus resolutus, & ne scrupulus scrupulo inducatur, abstinendum est a multis discursibus & probationibus, cum in illis ipsis frequenter non desit scrupulosis talibus materia novorum scrupulorum. Quare urgeat Confessarius scrupulosum, ut simpliciter suis dictis credat: alias certe vix juvari poterit. Et hæc sunt duo remedia præcipua contra scrupulos, quamvis plura a Doctoribus asserantur.

79. Cæteris tamen dimissis, consulit Vasq. *1. 2. disp. 67. cap. 2.* loquendo de illis Scrupulosis, qui simul conscientiæ suæ curam habent, quod Confessarius, si semel cognoscat talem scrupulis agitari, ei tale consilium præbeat, suadeatque, ut nihil putet esse mortale, nisi quod manifeste & absque formidine videatur ipsi esse mortale. Imo vero interdum potest aliquis adeo esse scrupulosus, ut, nisi jurare possit, illud esse mortale, credere non debeat mortale esse.

80. Difficilius remedium adhibetur illis Scrupulosis, qui sunt nimium scrupulosi circa præterita peccata, de futuris autem parum sunt solliciti. Præcipuum autem remedium pro talibus esse solet, ut frequenter ad Sacramentum Confessionis accedant, sicque cautiores efficiantur in cavendis futuris peccatis; de cætero autem remediis supra dictis utantur. Porro si aliqui vere judicentur scrupulosi, etiamsi non sint adeo cauti in evitandis futuris peccatis, non est cum illis ita severe agendum, sicut cum illis, qui scrupulosi non sunt: quamvis simul attendere debeant Scrupulosi, ne manifeste declinent ad alterum extremum, & prætextu Scrupulorum evitandorum nimiam sibi licentiam usurpent, & interdum pro scrupulis vera, & manifeste recta conscientiæ dictamina contemnant, magnas trabes festucas reputent, & quasi pulices camelos deglutiant. Unde in hisce scrupulis curandis Confessarius magna consideratione status Pœnitentis, prudentia, atque discretione procedere debet.

TRACTATUS II.
DE LEGIBUS.

1. Sicuti Conscientia est actuum humanorum regula, proxima tamen seu intrinseca; ita & Lex est eorundem extrinseca seu remota regula, cui, ut actiones nostræ morales recte fiant, conformandæ sunt. Quare Tractatus de Legibus ad Theologiam Moralem ex professo pertinere dignoscitur: nam quamvis Jurisconsulti Leges pertractent, id equidem faciunt diversa plane ratione, videlicet in ordine ad Forum externum, pacemque Reipublicæ, ac Justitiam politicam procurandam, & conservandam; cum tamen Theologi de Legibus agant, quatenus sunt regulæ extrinsecæ seu remotæ actionum humanarum, quidnam nobis sit agendum aut fugiendum, præceptum vel prohibitum, ostendentes, quatenus sic hominem sibi obsequentem ad Finem ultimum, quo tendit, æternamque salutem dirigant, atque perducant.

DISTINCTIO I.
De Natura Legum.

QUÆSTIO I.

De Natura Legum?

Quid, & quotuplex sit Lex.

SUMMARIUM.

1 *Ratio ordinis.*
2 *Lex unde sic dicatur?*
3 *Varia legis nomina. Et an lex differat a jure.*
4 *Lex, quid?*
5 *Varia legis divisiones.*
6 *Lex naturalis,*
7 *Et positiva, quid, & quomodo differant?*
8 *Lex positiva Divina, duplex.*
9 *Lex positiva humana, quotuplex? Jus Gentium.*
10 *Jus Civile.*
11 *Leges Ecclesiastica, seu Canonica.*

2. Ut a nominis etymologia ordiamur, *Lex* dicitur a *legendo*, eo quod leges solebant olim in publicis tabulis scribi, populo legendæ proponi, ut sentit Isidorus *lib. 2. Etymol. c. 10.* Sive *Lex* dicitur a *ligando*, eo quod homines legibus ligentur, seu obligentur ad aliquid præstandum, vel omittendum, ut inter alios vult Doctor noster 4. *d. 15. q. 2. art. 1.*

3. Solet autem Lex variis aliis nominibus appellari. Aliquando enim *Jus* vocatur, eo quod definiat ac præscribat, quod justum est; Sic dicimus Jus Naturale, Jus Divinum, Jus Civile, ac Ecclesiasticum: quamvis strictius loquendo inter legem, & jus, detur nonnulla differentia: quia, ut dicitur *cap. Jus generale distinct. 1. Jus generale nomen est, lex autem juris est species.* Aliquando Lex dicitur *Statutum*, eo quod sit stabilis atque firma. Quandoque etiam dicitur *Constitutio*, quia illam præcedere solet plurium consilium, & consensus quidpiam constituentium, seu simul statuentium. Quamvis vero Legis nomen late sumptum quamcunque regulam, seu agendorum normam significet; quo sensu etiam

etiam regulæ Grammaticæ & aliarum artium, solent vocari Leges: proprie tamen loquendo, & quantum ad propositum, Lex aliud non est, quam regula quædam actionum humanarum, secundum quam vel ad bene agendum dirigimur, vel a male agendo retrahimur, ut sic in genere moris bene ac honeste agere inveniamur. Et taliter agendo de Lege, sit

4. CONCL. I. Lex est recta agendorum ratio, a publica potestate communitati denuntiata, cum voluntate eam perpetuo obligandi, ad aliquid agendum, vel omittendum. Ita in re Doctores communiter, quamvis alii aliis verbis legem describendo utantur; prout Herincx *disp. 1. de Legibus q. 1.* ait: Lex nihil est aliud, quam regula ab eo, qui potestatem habet, ordinata, obligans creaturam rationalem ut illi se conformet: hujusmodi definitiones in re conveniunt, earumq; particulæ magis patebunt ex dicendis.

5. CONCL. II. Lex ut sic immediate dividitur in naturalem, & positivam: ex quibus Lex positiva subdividitur in Divinam, & humanam; & Divina iterum dividitur in Novam, & Veterem; humana vero in Jus Gentium, Ecclesiasticum, & Civile.

6. *Lex naturalis* (quam alii *Jus naturale* appellant) dicitur ea, quæ non ex libera alicujus Legislatoris voluntate imposita est, sed congenita nobis cum ipsa natura, & ab hac profluens. Porro hujusmodi Legem naturalem dari in nobis, est de fide certum: sic enim lumen naturæ nobis dictat, non esse furandum, non occidendum, non falsum testimonium dicendum, & hujusmodi. Hinc D. Paulus *Rom. cap. 2.* inquit, *Gentes, qua legem non habent* (scriptam videlicet) *naturaliter ea, qua legis sunt, faciunt.* Et infra: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*; & alibi.

7. *Lex positiva* (sive *Jus positivum*) est, & dicitur illa, quæ ex libera Dei, vel hominis voluntate pendet. Et dicitur, *Lex positiva*, quia a Superiore non ex quasi necessitate, ac intrinseca exigentia objecti, sed libere & contingenter ponitur. Differt autem a Lege naturali, quod hæc sit invariabilis, illa vero variabilis. Deinde, quod Lex positiva ex libera Legislatoris voluntate procedat; non item Lex naturalis, utpote quæ ex intrinseca exigentia objecti provenit. Insuper differunt in eo, quod illa, quæ jure naturæ sunt prohibita, ideo prohibita sint, *quia in se mala*: quæ autem Jure positivo prohibentur, ideo sunt mala, quia prohibita sic enim comestio pomi vetiti in paradiso ideo fuit mala & peccaminosa, quia prohibita erat a Deo.

8. *Lex positiva Divina* est, quæ a Deo Opt. Max. in tempore lata, & condita est. Et hæc subdividitur in Legem veterem, quam pro tempore veteris Testamenti Deus ipse condidit, de multis disponendo, quæ ad Jus naturale non spectant; ut fuerunt lex Circumcisionis, lex Agni Paschalis, & plurimæ aliæ leges circa Cæremonialia, & Judicialia veteris Testamenti. Et in Legem novam seu Evangelicam, quam Christus Dominus, Deus simulque homo instituit, atque in novo Testamento observare mandavit; prout amplius patet ex Sacra Scriptura.

9. Lex positiva humana est, quæ immediate fertur ab homine. Unde & *Jus Humanum* dicitur; & subdividitur in Jus Gentium, Jus Civile, & Jus Ecclesiasticum. *Jus Gentium* est lex humana, quam omnes populi, & variæ gentes inter se servare debent: ut est consuetudo recipiendi Legatos sub lege immunitatis ac securitatis, libertas commerciorum inter gentes non inimicas, jus belli fundatum in potestate illa, quam una Respublica vel monarchia suprema habet ad puniendam, vindicandam, atque reparandam injuriam sibi ab altera illatam: hæc enim, & alia hujusmodi, cum sint plurimum consona Legi naturali, omnium populorum consensu sunt recepta & constituta; ac proinde dicuntur esse de Jure Gentium.

10. *Jus Civile*, seu *Lex Civilis* dicitur ea, quæ ad civium politicam gubernationem, atque ad temporalia jura tuenda, ipsamque Rempublicam in pace & justitia conservandam ordinatur. Unde hujusmodi Leges Civiles circa ordinanda bona temporalia præcipue versantur; & quia non omnium Nationum iidem sunt sensus & inclinationes (nam & *diversitatem corporum, diversitas sæpe sequitur animorum, c. Quia diversitatem de Consecr. Prab.*) hinc non est unum idemque Jus Civile apud omnes gentes, sed variatur pro varietate locorum, temporum, personarum, aliarumque circumstantiarum. Et tales Leges Civiles sunt, quæ in Jure Civili continentur: item eæ, quæ dicuntur *Leges municipales*, quas quælibet Civitas sibi constituit.

11. *Leges* tandem *Ecclesiastica*, quæ alio nomine *Leges Canonica* appellantur, sunt illæ, quæ pro recta gubernatione Ecclesiæ, atque ad spiritualem animarum profectum, vel a Summo Pontifice, vel ab aliis Prælatis

atque Magistratibus Ecclesiasticis legitime conduntur. Et tales sunt, quæ tum in Jure Canonico continentur, tum a Conciliis Generalibus, Provincialibus, Synodalibus, aut etiam ab Ordinariis locorum legitima authoritate feruntur.

QUÆSTIO II.

De conditionibus legis, ejusque differentia a simplici Præcepto.

SUMMARIUM.

12 *Legis encomia.*
Legis conditiones generatim, quæ?
13 *Lex debet esse recta agendorum ratio.*
14 *Ad eam requiritur authoritas in Legislatore.*
15 *Ejusque legitima promulgatio.*
16 *Et ut feratur cum voluntate obligandi subditos.*
17 *Lex quomodo debeat esse perpetua?*
18 *Lex quomodo differat a simplici Præcepto?*
19 *Alia differentia utriusque.*

12. CUm optima sit lex, si recte feratur, atque custodiatur, utpote quæ pravam concupiscentiam hominum, seu (ut loquitur Gregorius IX. in Proœmio Decretalium) *effrenatam cupiditatem sui prodigam, pacis æmulam, matrem lasciæ, matrem jurgiorum reprimere satagit*: hinc summe necessarium est ejusdem conditiones rite cognoscere. Et quidem Isidorus, relatus *can. 2. d. 4.* easdem paucis complectitur, dicendo. *Erit autem lex honesta, justa, possibilis secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.* Hæc ille. Brevius tamen omnes necessariæ Legis conditiones continentur in ejus definitione *num. 4.* allata, ubi dicitur. Lex est recta agendorum ratio, a publica potestate communitati denunciata, cum voluntate eam perpetuo obligandi, &c.

13. I. Igitur ad Legem requiritur, ut sit *recta agendorum ratio*, sive, ut air citatus Isidorus, quod sit honesta, justa, possibilis, &c. Si quidem lex injusta non est absolute dicenda *Lex*, sed solum cum addito, *Lex iniqua*: & si constet, eam esse talem, non tenentur eidem subditi obedire. Unde de hujusmodi lege injusta hic non agitur, sed tantum de justa.

14. II. Ad rationem Legis requiritur legitima authoritas legem ferendi in Legislatore; quæ conditio indicatur in supraposita definitione per ly, *a publica potestate*. Porro hujusmodi potestatem condendi leges, & quidem universim, habet Deus ter Opt. Max. Deinde loquendo de legibus positivis humanis, easdem potest ferre Summus Pontifex in materia spirituali, & concernente animarum salutem, rectamque Ecclesiæ gubernationem pro toto Orbe Christiano: quia ipsi, tanquam suo in terris Vicario, commisit Christus Dominus in B. Petro Apostolo omnium suarum Ovium curam, ut habet *Matth. 36. & Jo. 21.* Quin etiam alii Prælati Ecclesiastici inferiores, ut Episcopi, possunt leges qualdam ferre, quæ tamen solum adstringunt proprii Territorii subditos. Similiter Imperator pro toto Imperio Romano, Rex pro suo Regno, aliique Principes ac Magistratus seculares pro suis subditis leges ferre possunt, juxta quod propria cujusque Potestas ac jurisdictio se extendit.

15. III. Ad rationem legis requiritur legitima ejusdem promulgatio; quæ conditio in data definitione legis denotatur per ly, *communitati denunciata*, id est, promulgata. Siquidem, ut habet receptum inter Jurisconsultos dictum ex cap. 1. dist. 4. *Leges instituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur*. Verum de hac Legum promulgatione agetur ex professo *Quæstione sequenti*.

16. IV. Requiritur, ut Lex a superiore feratur *cum voluntate obligandi*; id est, quod Legislator velit communitati quidpiam præcipere, eamque ad observantiam legis obligare: nam si Princeps tantum quidpiam consulat, aut a subditis fieri libenter se videre declaret, non autem clare jubeat & præcipiat, lex non erit, sed consilium, aut beneplacitum Principis.

17. Tandem additur in allata definitione Legis ly, *perpetuo obligandi*. Per quam particulam denotatur, quod lex debeat esse perpetua, id est, lata cum voluntate subditos perpetuo obligandi. Ubi tamen perpetuitas legis non accipitur pro æternitate non habente principium, nec finem (alioquin nulla daretur lex positiva) sed accipitur pro duratione indefinita, quatenus lex debet ferri non pro uno duntaxat die, vel anno, sed cum voluntate subditos perpetuo obligandi. Intellige, quantum est ex prima intentione Legislatoris, & nisi lex postmodum legitime revocetur.

18. Quæres, quomodo Lex differat a simplici Præcepto? Resp. differre in pluribus. Nam in primis præceptum simplex proxime ac immediate fertur in personas singulares, earumque ossibus adhæret, quocunque terrarum discesserint: Lex vero censetur immediate afficere locum, seu territorium Legislatoris, atque hinc in subditos ibidem existentes transire. Et idcirco fit, quod leges territorii non obligent cives absentes; e contra tamen præcepta superiorum, v.g. Prælatorum Regularium, obligent subditos, ubicunque existant: cum eis competat jurisdictio in subditos, non ratione loci, sed per se, ac ratione personæ, propter Votum Obedientiæ.

19. Deinde Præceptum tendit ad personas singulares, cum quibus plerumque extinguitur, nec transit ad successores; quale est, si pater quidpiam præcipiat filio, Abbas Religioso, Princeps huic vel illi subdito: Lex vero imponitur toti Communitati, & loquitur non tantum ad præsentes, sed etiam ad futuros; nam *Lex est commune præceptum. L. 1. ff.* de Legibus. Insuper Præceptum expirat morte præcipientis, & absque nova revocatione cessat cessante vita aut officio præcipientis; Lex autem, & Statutum durat etiam post mortem Legislatoris, semperque vim suam habet, donec revocetur, aut per contrariam consuetudinem legitime abrogetur. Siquidem Leges ex natura sua sunt perpetuæ, non autem Præcepta simplicia, seu quæ non feruntur per modum constitutionis generalis.

QUÆSTIO III.

De Promulgatione ad Legem requisita.

SUMMARIUM.

20 *Ut lex obliget in conscientia, requiritur ejus promulgatio.*
21 *Leges, an interdum extendantur ad præterita?*
Et Regulæ Cancellariæ nondum publicatæ obligent?
Quid de Constitutione Sixtina irritante matrimonia Eunuchorum de facto contracta?
22 *Solutio Præmissorum.*
23 *Scriptura non est de substantia Legis.*
24 *Leges Imperatorum, qualem requirant promulgationem?*
25 *Quid de Statutis inferiorum Principum?*
26 *Lex Pontificia Roma promulgata, an illico obliget pro toto Mundo?*
27 *Fundamenta sententia affirmativa.*
28 *Corollarium pro hac sententia.*
29 *Fundamenta sententia negativa, ab authoritate,*
30 *Et ratione.*
31 *Confirmatur hæc sententia.*
32 *In praxi quid observandum?*

20. CONCL. I. Ut Lex in Conscientia, & quod ad culpam vel pœnam obliget, certum est, requiri ejus publicationem, seu promulgationem. Ita communis, ac præsertim Doctor Subtilis 4. d. 3. q. 4. ar. 2. ubi ex hoc infert, præceptum de recipiendo Baptismo in Lege Evangelica incepisse Hierosolymis primum in die Pentecostes, quando ibidem per Apostolos post receptum Spiritum Sanctum solemniter promulgatum fuit. Ratio est: quia Lex est communis vivendi regula, sive commune præceptum; ergo omnino publicari debet, ut ab omnibus observari, & quilibet secundum eam suas actiones instituere possit, prout lege jubente tenetur, & e contra transgressor legis juxta demeritum puniri valeat. Nam alioquin ignorantia merito excusaret subditum ab observantia legis: *Cur enim* (inquit Imperator Auth. *Ut facta nova constitutiones Collat. 5.*) *enlpabimur eos, qui positus nostras ignoraverint constitutiones?*

21. Nec obstat, quod quandoque leges ad præterita etiam negotia extendantur, prout inuitur in Jure Canonico, *cap. ult. de Constitut.* ibi: *Cum leges & constitutiones futuris certum sit dare formam negotiis, non ad præterita facta trahi; nisi nominatim in iis de præteritis caveatur*: in quo proin postremo casu videntur leges obligare pro tempore, quo necdum fuerunt publicatæ. Confirmari potest hæc instantia ex *Regulis Cancellaria Apostolicæ*, quas singuli Summi Pontifices a principio sui Regiminis circa Causas Beneficiales, & Judiciales facere, vel a suis Prædecessoribus factas renovare, augere, vel minuere solent; atque *etiam* (ita sonat earundem Præfatio) *ex tunc licet nondum publicatas, & suo tempore duraturas, observari voluntus*. Quinimo Sixtus V. in Constitutione, *Cum frequenter* (& habetur tom. 2. Bullarii Romani, *Constitut. 59. dicti Pontif.*) damnavit conjugia per Eunuchos, & Spadones non solum contrahenda, sed etiam de facto jam contracta, eaque nulla & invalida declaravit: & consequenter Lex Pontificia videtur extendi posse etiam ad acta præterita, & obligare ante publicationem.

22. Resp.

22. Resp. enim cum Lud. Engel, *tit. de Prob. num.* 19. & aliis, hasce & consimiles leges, in quibus nominatim sic cavetur, partim obligare quoad nullitatem actus in contrarium gesti, non vero quoad culpam, aut pœnam; de qua posteriori obligatione duntaxat in proposito est sermo. Partim eas obligare in tantum, quod Judex circa talia negotia etiamnum pendentia (id est, nondum sententialiter decisa) teneatur ferre sententiam conformiter tali legi de novo conditæ: prout per quoscunque Judices fieri jubetur cit. Constitutione Sixti V. §. 3. atque circa prædictas Regulas in Cancellaria Apostolica observari debet.

23. Fatendum tamen, quod ad obligationem legis sufficiat quævis promulgatio, sive dein ea fiat per scripturam in publico loco affixam, sive voce præconis: siquidem scripturam ad substantiam legis non requiri, sed voce etiam, aliove signo eam communicari ac denunciari posse, fatentur Doctores. Nec obstat textus *can.* 3. *Dist.* 2. ibi: *Lex est constitutio scripta.* Quia hoc dicitur partim ex eo, quia plerumque lex in scripturam redigi solet, ut perpetua ejus memoria habeatur, perpetuisque temporibus inviolata perseveret: partim ad differentiam Juris consuetudinarii, quod dicitur *Jus non scriptum*, prout habetur §. *Const. Inst. de Jure naturali, gentium, & Civili.*

24. CONCL. II. Leges Civiles a supremo Principe Imperii (puta, ab Imperatore) pro pluribus Provinciis latæ, ut subditos obligent, requiritur earundem promulgatio in singulis respective Provinciis, & si sint latæ absque alia temporis determinatione, non obligant, nisi primum post duos menses a tempore promulgationis legis. Ita Theologi, & Jurisconsulti communiter. Ratio est: quia ita expresse constitutum est in Jure Civili, atque approbatum praxi & consuetudine Sacri Romani Imperii: siquidem in Auth. *Ut facta nova constitutiones, &c. Collat.* 5. Rubrica Tituli absolute sic loquitur: *Ut facta nova Constitutiones post insinuationem earum post duos menses valeant.*

25. Solum nota cum Doctoribus passim, hanc Imperatoriam Constitutionem non habere locum in Statutis inferiorum Principum, vel Civitatum; quippe quorum jurisdictio est angustior. Unde per se loquendo, & nisi aliud in ipsamet Lege præscribatur, aut de longa consuetudine fuerit observatum, Statuta inferiorum Principum sufficienter promulgantur unica solemni publicatione facta in Curia, aut præcipua Civitate: & tunc si certum tempus expressum non habeant, obligant scientem statim, ignorantes autem post tempus arbitrarium, quo rationabiliter potest præsumi de ipsorum notitia, & quod post tale tempus non debuisset Constitutionem ignorare.

26. CONCL. III. Etsi communior Doctorum sententia sit, quod Lex Pontificia, simul ac Romæ in Curia, aliisque locis consuetis solemniter fuerit promulgata, quantum est ex se, sive in actu primo, ubique terrarum vim obligandi habeat; opposita tamen sententia, requirens ad obligationem earum saltem pro Foro interno, seu conscientiæ promulgationem Constitutionum Pontificiarum in singulis Diœcesibus vel Provinciis, non est improbabilis. Hæc Conclusio ex proposito sic ponitur ob magnam sententiarum, atque rationum varietatem, & plurimas inde deducendas consequentias, quæ melius relinquuntur judicio Superiorum; utpote quibus in dubio subditi obedire tenentur.

27. Ratio prioris, & communioris sententiæ, quod nimirum sola promulgatio Constitutionum Pontificiarum Romæ factæ sufficiat ad earum obligationem, desumitur in primis ex Jure Canonico, *c.* 1. *de Postul. Prælat.* ubi dicitur, quod *solum sufficit, ut ad constitutionis Pontificiæ observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter edi am, aut publice promulgatam*: atqui hoc jam fit, si Bulla Pontificia Romæ promulgetur, & de tali promulgatione cuipiam certo constet; ergo. Confirmatur hæc sententia ex praxi, & stylo Curiæ Romanæ: siquidem in Curia Romana totius Orbis lites decidi untur juxta Constitutiones Pontificias Romæ publicatas, etiamsi alibi promulgatæ non sint: hoc autem non videretur justum esse, & æquitati consentaneum, si dictæ Constitutiones non obligarent ubique, haud obstante, quod in aliis Provinciis non sint publicatæ. Accedit, quod Urbanus VIII. in Bulla, *In eminenti* (quæ habetur tom. 5. Bullarii Romani, *Constitut.* 288. *dist. Pont.*) §. 12. expresse declaraverit ad obligationem illius Bullæ sufficere solam publicationem Romæ factam, nec aliam in Regnis, Provinciis, vel Civitatibus requiri: ergo a pari idem dicendum de cæteris.

28. Ex hac sententia, quam sequitur communior Doctorum, ac præsertim Layman *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 4. infert citatus Author, quod Lex Pontificia, simul ac Romæ publicata est, quantum est ex parte sui, ac in actu primo, omnem obligandi vim habeat pro toto

toto Orbe Christiano: cur autem quoad actum secundum (id est ut re ipsa aliquis constringatur) non statim omnes obligent, id aut non provenire ex defectu legis, aut promulgationis, sed ex defectu alicujus conditionis accidentalis; puta quia eam aliqui ignorant. Et ita communiter discurrant Doctores hujus primæ sententiæ.

29. Altera vero pars Conclusionis, continens sententiam Doctorum, asserentium, non sufficere solam promulgationem Romæ factam, probatur in primis ab authoritate: siquidem ita sentiunt Navarrus *c.* 23. *Manuali n.* 44. Medina 1. 2. *q.* 90. *art.* 4. & insuper pro hac sententia Azorius *tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 3. *quæst.* 3. (sed postea secutus priorem sententiam) citat Abbatem, Antonium Butrium, Isolam, Lignanum, Zabarellam, Felinum, Sotum, & alios. Eandem sententiam novissime secutus est Petrus Marchantius *tom.* 2. *Tribunalis, tr.* 1. *tit.* 8. *quæst.* 5. ipsamque ex professo docet Bernardus Sannig. *tom.* 3. *Theologiæ tract. de Legibus, dist.* 3. *quæst.* 6. atque probabilem censet Pirhing. *tit. de Const. num.* 31. & sequitur Ludov. Engel *tit. de Const. n.* 67. ubi etiam respondere conatur ad *c.* 1. *de Postular. Prælat.* pro favore prioris sententiæ supra *n.* 27. allegatum.

30. Fundamentum hujus posterioris sententiæ est: quia Pontifices volunt jus Civile servari, ubicunque Jure Canonico nihil est specialiter constitutum, juxta illud *c.* 1. De novi operis nuntiatione: *Sicut Leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur*: atqui circa modum promulgandi Leges Ecclesiasticas, in Jure Canonico nihil habetur clare constitutum; ergo erit recurrendum ad Jus Civile, quod ad Legum obligationem requirit, ut promulgentur in singulis Provinciis, juxta dicta *n.* 24. Confirmatur: quia ipsimet Summi Pontifices de facto in quibusdam Legibus requirunt, & mandant publicationem fieri in singuli provinciis & Diœcesibus, ut patet ex *c. cum infirmitas, de pœn. & remiss.* & Bulla Urbani VIII. quæ incipit, *Pastoralis* (& habetur tom. 4. Bullarii Romani, *Const.* 62. *dilti Pontif.*) & alibi; sed frustra hoc fieri videretur, si generaliter, & absque alia speciali declaratione (quod additur propter Bullam *num.* 27. citatam) Romanus Pontifex per legem Romæ promulgatam illico totum Mundum obligare intenderet, etiam pro Foro conscientiæ; ergo.

31. Confirmatur secundo: quia, ut eleganter discurrit Sannig. *loc. cit.* ipsamet lex Christi Domini non fuit sufficienter Jerosolymis in ipso die Pentecostes pro toto orbe promulgata, uti omnes concedunt; ergo neque lex Pontificia Romæ duntaxat promulgata. Consequentia tenet, nisi detur disparitas. Unde (infert citatus Author) ex hac sententia patet, quomodo multæ Bullæ Pontificiæ in variis Regnis, & Provinciis, non obligent de facto, eo quod ab Ordinariis locorum, aut ex negligentia, aut aliis de causis gravibus, v. g. ob laicam potestatem, vel defectum finis legis, non fuerint debite promulgatæ in suis Diœcesibus, juxta Paparum voluntatem & mandatum; contra quas longa consuetudo populi contraria invaluit, & vim contrariæ legis tandem obtinuit. Hactenus ille.

32. Quantum ad praxin attinet, in hac sententiarum, & rationum varietate, subditis standum in primis erit judicio superiorum suorum; nam his in dubio obedire tenentur. Deinde attendenda est praxis, & consuetudo locorum, utpote quæ est tantæ efficaciæ, ut non tantum Jus dubium interpretari possit (nam *consuetudo est optima legum interpres*, c. Cum dilectus de Consuetud. & *L.* 36. *ff. de legibus*) sed etiam legi cæteroquin manifestæ debito tempore derogare, *cap. ult. de Consuetud.*

QUÆSTIO IV.

De Acceptatione Legum.

SUMMARIUM.

33 *Legum acceptari, & usu recipi, quid?*
34 *Ad legem, an requiratur acceptatio populi?*
35 *Leges firmantur, cum moribus utentium comprobantur, quomodo?*
36 *Si lex justa est, tenetur eam populus acceptare.*
37 *Nisi habeat justam causam non acceptandi, & quid tunc agendum?*
38 *Quid de singularibus quoad praxin?*
39 *Peccant non recipientes, neque observantes justam legem, donec usu contrario abrogata sit.*
40 *Cur multa Bulla Pontificia in variis Regionibus non obligent?*

33. ADvertendum, quod Lex post promulgationem debite factam tunc con-

censeatur acceptari, quando Communitas eam approbat verbo, scripto, aut alio signo, vel quando ipsam in casu occurrente observat. Deinde dum Communitas legem observat, dicitur *Lex* etiam esse *usu recepta*. Hoc prænotato sit

34. CONCL. I. Ad naturam, & intrinsecam constitutionem legis humanæ non requiritur acceptatio populi, quamvis per acceptationem & usum lex accidentaliter perficiatur, seu confirmetur. Ita communior Doctorum, hoc intelligentium tum de lege Imperatoria, tum Pontificia. Ratio est: quia supremo Principi, utpote Summo Pontifici, aut Imperatori, neque voluntas, neque potestas deest subditos obligandi ad observantiam suæ legis. Non quidem voluntas, uti supponitur; eo, quod velit condere novam legem. Neque deest potestas: quia Summo Pontifici in rebus spiritualem Ecclesiæ gubernationem concernentibus, tenentur obedire omnes Christiani, tanquam Pastori universali, Christique in terris Vicario. In Imperatorem vero populus Lege aurea omnem potestatem contulit. *L. 1. ff. de Const. Principum.*

35. Nec obstat illud Gratiani can 3. dist. 4. *Leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium comprobantur*. Resp. enim, in primis textum hunc aperte stare pro Conclusione, dum concedit, leges jam institui per legitimam promulgationem, ac proinde ante earum acceptationem. Resp. ulterius, illud, quod subjungitur, *Firmantur, cum moribus utentium comprobantur*, non de firmitate intrinseca, & substantiali intelligendum esse, utpote quam leges jam ante earum acceptationem habent; sed de quadam extrinseca duntaxat & accidentali firmitate, quatenus leges moribus utentium comprobatæ, non facile amplius per contrariam legem, vel consuetudinem abrogantur. Sive (ut loquitur Fagnanus *in c. Preguan n. 49. de Treg.*) leges ex moribus ut entium accipiunt firmitatem stabilitatis, non autem firmitatem authoritatis.

36. CONCL. II. Si lex juxta est, tenetur eam populus acceptare sub peccato: nisi habeat justam causam non acceptandi. Ita communis Doctorum, paucis exceptis, quorum tamen sententia novissime ab Alexandro VII. rejecta est, dum ab ipso inter alias Propositiones etiam sequens ordine 28. damnata fuit: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

37. Dicitur in Conclusione, *nisi habeat justam causam non acceptandi*. Nam quando subest rationabilis causa in Principe verisimiliter ignorata, secus erit dicendum. Idem die, quando ex circumstantiis contraria Principis voluntas satis colligitur; prout v. g. præsumi posse videtur in lege valde difficili, nimiumque dura & gravi, quod Princeps non intendat ab initio absolute obligare; sed solum tentare populi sensum, & quomodo is tali legi sese accommodet, ut juxta eum valeat postmodum Princeps legem vel plene confirmare, vel relaxare, ac moderari. Interea tamen populus in tali casu non potest simpliciter rejicere legem, sed debet ad Principem recurrere per remedium supplicationis pro sublatione legis: qua stante supplicatione, licitum est populo, suspendere obligationem legis; prout in simili habetur *c. si quando de Rescriptis*, & notat Sannig. *dist. 3. de Legib. q. 7. n. 4.* post Rodriquez, Bonacinam, & alios.

38. Addit Layman *lib. 1. tr. 4. c. 3. num. 3.* quamvis Lex Pontificia spectata sua natura, quantum est de se, seu in actu primo, mox habeat vim obligandi subditos in toto Mundo: tamen quod attinet ad praxin, peccati damnandos non esse, neque puniendos singulos e Communitate, si legem Pontificiam in sua Diœcesi neque promulgatam, neque usu receptam, ipsi quoque non observent; de quo plura citatus Author.

39. CONCL. III. Etsi primi, qui legem Pontificiam, vel Diœcesanam rite latam, & sufficienter promulgatam non receperunt, neque observarunt, peccaverint, nisi justam causam habuerint non acceptandi, successores tamen eorum illam non observando amplius non peccant. Ita Pirhing. *tit. de Const. n. 42.* & alii. Ratio est: quia, postquam talis Lex longo tempore in Diœcesi non est unquam recepta, neque observata, existimare possunt successores, illam per non usum, ac vi contrariæ consuetudinis jam præceptæ abrogatam esse.

40. Et ex his patet (inquit Herincx *disp. 3. de Legib. num. 117.*) quomodo multæ Leges, ac Bullæ Pontificiæ, in variis Regionibus non obligent; videlicet, quia vel in iis neque publicatæ, neque acceptatæ fuerunt; vel quia defectu publicationis, & acceptationis, esto ab initio culpabili, tandem in perfectam desuetudinem desierunt. Illud autem plerumque oritur ex eo, quod Ordinarii frequenter advertant, aut existiment, ac sæpe non sine fundamento, Leges varias non congruere publicæ utilitati suarum Diœcesium ob inveteratas, & rationabiles earundem consuetudines, genium plebis, defectum finis legis v.g. quia lata fuit ob pericula & defectus, qui ibidem generatim non grassantur, imo vix noscuntur. Interdum etiam Ordinarii ob potestatem Laicam non possunt exequi pro libitu suo mandata Apostolica, donec tandem tractu temporis ea dem abeant in desuetudinem.

QUÆSTIO V.

Quænam opera, & an etiam actus interni, per Legem humanam possint præcipi, vel prohiberi.

SUMMARIUM.

41 *Lege humana quanam generatim præcipi possint?*
42 *Corollaria.*
43 *Consilia Evangelica, an possint præcipi?*
44 *Materia legis prohibitoriæ, quæ?*
45 *Potest idem actus pluribus legibus præcipi.*
46 *Actus interni nequeunt lege humana præcipi.*
47 *Per se & directe.*
48 *Bene tamen indirecte & concomitanter.*
49 *Ratio ulterior Conclusionis.*
50 *Solutio objectionum.*
51 *Lege humana nunquam potest præcipi inhonestum, bene tamen permitti.*

41. CONCL. I. Lege humana, sive Ecclesiastica, sive Civili, possunt præcipi non solum opera Justitiæ, sed etiam aliarum virtutum; dummodo non sint nimis ardua, atque difficilia. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia Legislator potest ejusmodi actiones præcipere, quæ sunt utiles bono communi; aut prohibere, si earum omissio Communitati expedire videatur; atqui non sola opera Justitiæ, sed etiam actus aliarum virtutum, expediunt quandoque bono communi; ergo.

42. Sic in primis Lege Ecclesiastica præcipiuntur opera virtutis Temperantiæ, & Religionis, indicendo certorum dierum jejunium, ac præcipiendo devotam Missæ auditionem diebus Festivis, & hujusmodi; ut sic populus Christianus ad veri Dei cultum excitetur, atque in bonis operibus exercendis amplius confirmetur. Deinde ob eandem rationem possunt lege humana præcipi, aut prohiberi, actiones cæteroquin ex natura sua indifferentes: prout prohibetur Christianis deferre arma ad Infideles, item labor servilis diebus Festivis, & hujusmodi.

43. Dicitur notanter in Conclusione, *dummodo non sint nimis ardua, atque difficilia*: siquidem lex debet esse possibilis, & secundum naturam hominum, id est, humanæ conditioni accommodata. Et hinc Ecclesia non potest absolute præcipere actus consiliorum Evangelicorum, nimirum perpetuæ Castitatis, Paupertatis, atque Obedientiæ Religiosæ: hæc enim, licet ex post facto recte præcipiantur illis, qui ad eorum observantiam sese prius per votum solemne Professionis religiosæ voluntarie obligarunt, utpote qui virtute sui voti ad observantiam ipsorum jam obligantur; juxta Psalm. 75. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro*, & alibi: universaliter tamen, & ante spontaneam obligationem rationabiliter præcipi non possunt.

44. CONCL. II. Insuper Legis prohibitoriæ materia sunt omnia illa, quæ justitiæ, aliisque virtutibus, quarum observatio Reipublicæ utilis est, simulque facilis, contrariantur. Ratio est: quia leges feruntur in bonum Communitatis; ergo juste prohibentur ea, quæ bono communi contrariantur.

45. CONCL. III. Potest idem actus pluribus legibus, & pluribus titulis præcipi, aut prohiberi: pura Lege naturali, divina, ac humana simul. Ita communis Doctorum. Ratio est: quia nihil impedit, quo minus idem actus pro meliori juris Divini, aut naturalis observatione, vel declaratione Jure insuper humano prohibeatur. Sic enim furtum, aut homicidium voluntarium, non solum Jure naturali ac Divino, sed etiam Lege humana tum Ecclesiastica, tum Civili, sub gravissimis pœnis prohibetur: & contra vero honor debitus parentibus, aliisque legitimis Superioribus, deferri mandatur.

46. CONCL. IV. Actus mere interni non possunt ulla Lege humana, sive Civili, sive Ecclesiastica, per se ac directe præcipi. Ita communior, & probabilior Doctorum. Ratio est: quia solus Deus est scrutator cognitor, & judex; atque, ut dicitur Psal. 7. *Scrutans corda, & renes Deus*. Hinc etiam 1. *Regnum* 16. habetur: *Homo videt ea, quæ parent; Deus autem intuetur cor*. Confirmatur Conclusio. Siquidem *Ecclesia non judicat de occultis*, ut dicitur *cap. Sicut tuis de Simonia* & alibi. Et hac de causa Hæresis, aut Simonia, vel Usura mere mentalis, quamvis co-

coram Deo sint ex genere suo gravia peccata, nihilominus pœnas Juris non incurrunt; prout communiter docent tum Theologi, tum Canonistæ. Imo est vulgatum inter Jurisconsultos dictum, & habetur *can. Cogitationis de Pœn. distinct. 1. Cogitationis pœnam nemo patitur*: intellige, ab homine, bene tamen a Deo, ut explicat Glossa ibidem.

47. Notanter autem dictum est in Conclusione, *actus mere interni per se, & directe non possunt præcipi lege humana*: nam per accidens, & concomitanter bene possunt sic præcipi, ut mox dicetur. Hinc sit

48. CONCL. V. Prædictis tamen non obstantibus, possunt actus aliqui interni Lege humana præcipi, vel prohiberi per accidens, seu indirecte & concomitanter, quatenus requiruntur ad moralem substantiam actuum externorum. Ita communior, & probabilior Doctorum. Sic quippe Ecclesia præcipit diebus Festivis devotam auditionem Missæ, atque confessionem Sacramentalem saltem semel in anno peragendam, ad quam utique illine requiritur interior attentio, hinc autem dolor de peccatis. Similiter, cum legitimus Superior Sacerdoti præcipit, ut Missam celebret, eamque pro tali intentione applicet, vel Sacramentum Baptismi, aut Pœnitentiæ administret; consequenter etiam per accidens, seu indirecte & concomitanter præcipit, ut habeat internam intentionem sacrificandi, Missamque applicandi, aut baptizandi, vel a peccatis pœnitentem absolvendi: utpote cum sine ea tales actus valide elici, atque moraliter subsistere non possint.

49. Ratio ulterior Conclusionis est: quia leges & præcepta homini imponuntur, ut ea humano modo impleat, non brutorum more; ergo sicuti opus præceptum violari non potest, nisi per actum, vel omissionem humanam ac liberam, ita neque impleri: unde si quis clerus, vel dormiens, die Festo Missæ interfit, non satisfacit præcepto, quia ipsam non audit actu humano ac morali. Accedit, quod in prædictis casibus actus illi exteriores sine ullo actu interiori, attentione scilicet vel intentione, forent mera simulatio Deo & hominibus execrabilis.

50. Et hac ratione, nimirum rite distinguendo, & concedendo, quod Ecclesia possit quidem præcipere actus internos indirecte, & concomitanter ut conjunctos externis, non vero per se & directe; solvuntur plures objectiones, & instantiæ, quæ in præsenti materia fieri possunt.

51. CONCL. VI. Quamvis Lege humana nunquam possit præcipi aliquid injustum, ac inhonestum, seu peccaminosum, nihilominus aliquando licite permittuntur quædam injusta, atque inhonesta ad evitationem majoris mali, non quidem approbando minus malum tanquam licitum, sed dissimulando ejus pœnam. Ita communis Doctorum. Ratio primæ partis patet ex ipsa definitione Legis: alioquin enim ipsa foret iniqua, sicque non obligaret. Ratio vero secundæ partis est, quia quando utrumque malum omni diligentia possibili per legem evitari non potest, locum habet illud vulgatum, *Ex duobus malis minus est eligendum*; non quidem approbando minus malum, sed quatenus utrumque impediri amplius non potest, minus eligendo tanquam medium ad evitandum majus malum.

DISTINCTIO II.

De Obligatione legum.

QUÆSTIO I.

De Obligatione Legis Veteris, ejusque cessatione.

SUMMARIUM.

1 *Præcepta veteris Legis aliæ morales.*
(a) Ut dicetur n. 11.
Aliæ cæremonialia.
Et aliæ judicialia.
2 *Unde dicta divisio desumatur?*
3 *Lex vetus obligabat solos Judæos per se loquendo.*
4 *An etiam obligarit Gentiles?*
5 *Ea cessavit introducta Lege Evangelica.*
6 *Circumcisio, & alia cæremonialia Legis veteris de facto sunt illicita.*
7 *Sed post Christi mortem per aliquod tempus fuerunt licita.*
8 *Et quamdiu?*
9 *Præcepta judicialia Legis veteris, quomodo sint evacuata?*
10 *Differentia inter cæremonialia, & judicialia Legis veteris.*
11 *Præcepta moralia ipsius obligant de facto, & quare?*
(b) Ut dictum n. 5. & seq.

1. ADvertendum cum communi Theologorum, quod præcepta veteris Legis, seu Mosaicæ, fuerint in triplici differentia. Alia siquidem fuerunt *Præcepta moralia*, quæ ad morum disciplinam spectabant: qualia sunt, *non occides, non mœchaberis*, & hujusmodi, quæ etiamnum remanserunt, & obligant, non quatenus Leges veteris Testamenti, sed quatenus sunt Juris Naturalis. (a) Alia fuerunt *Præcepta cæremonialia*, quæ ad cultum Dei pertinebant, ac præscribebant, quomodo, & quibus cæremoniis in veteri Testamento Deus fuerit colendus, ut sic populus Judaicus, ad idolatriam propensus, ab eadem retraheretur: ut Circumcisio, varii ritus Sacrificiorum, esus Agni Paschalis, & plura hujusmodi, quæ passim in veteri Testamento, ac præsertim in libris Moysis reperiuntur. Et tandem alia fuerunt *Præcepta judicialia*, quibus constituebatur rectus ordo populi tum inter se tum quoad communitatem, atque in exercendis judiciis observandus: hujusmodi enim præcepta fuerunt veluti quædam justæ, inter homines illos observandæ, determinationes, ad quas Judices populi Israelitici in decisionibus occurrentium litium, atque causarum, attendere debuerunt.

2. Porro hæc triplex præceptorum veteris Legis divisio clare habetur *Deuteron. c. 6.* ubi dicitur; *Hæc sunt præcepta, & cæremoniæ, atque judicia*; qualia alibi sæpius leguntur. Hinc D. Apostolus *Rom. 7.* loquens de Lege veteri, vocat illam *Mandatum sanctum, & justum, & bonum. Sanctum* quidem quoad præcepta cæremonialia, ut quibus homo peculiariter ordinatur ad Deum, ejusque cultum exequendum. *Justum*, propter præcepta judicialia, quibus homo proxime ordinatur ad proximum, ut præbeat unicuique, quod suum est. *Bonum* tandem propter præcepta moralia, quæ per se continent bonitatem atque honestatem, & ordinant hominem potissimum ad se ipsum. Hoc prænotato sit

3. CONCL. I. Lex vetus per se loquendo obligabat solos Judæos. Ita Herincx *disp. 2. de Legibus, quæst. 2. num. 15.* estque communis Theologorum. Ratio est: quia ad Judæos solos Lex illa dirigebatur, illique solis fuit promulgata, ut constat ex Sacra Scriptura passim: atqui lex non obligat nisi eos, ad quos dirigitur, & quibus injungitur; ergo.

4. Dicitur, *per se loquendo*. Quia imprimis liberum fuit aliis Nationibus, legem Mosaicam assumere, eamque profiteri per susceptam Circumcisionem; hæc enim erat janua Legis veteris, eo ferme modo, quo de facto Baptismus est janua Legis Evangelicæ, ejusque Sacramentorum. Deinde quamvis præcepta moralia non obligaverint Gentiles, in quantum erant per positivam Dei jussionem in lege Mosaica mediante Decalogo renovata; nihilominus etiam Gentiles tenebantur ejusmodi præcepta moralia observare, in quantum erant Juris naturæ.

5. CONCL. II. Lex vetus, ejusque obligatio cessavit introducta Lege Evangelica. Ista conclusio est de fide; & habetur *Actor. c. 15.* ubi a sanctis Apostolis in Concilio Jerosolymitano congregatis, ex instinctu Spiritus Sancti decretum fuit, atque promulgatum, non amplius obligare Circumcisionem, aliaque Legalia veteris seu Mosaicæ Legis. Idem patet ex tota Epistola D. Pauli ad Galatas, & alibi. Unde in Jure Canonico, *c. Majores de Baptismo*, habetur: *Absit, ut in illam damnatam hæresim incidamus, quæ perperam affirmabat, Legem cum Evangelio, & Circumcisionem cum Baptismo servandam.*

6. CONCL. III. Circumcisio, & alia Præcepta cæremonialia veteris Legis, de facto in Lege Evangelica non solum penitus obligare cessarunt, sed insuper eorum observatio est prohibita, illicita, & Mortifera, seu mortem animæ afferens. Ita omnes Catholici; & patet ex allatis auctoritatibus, de quibus *n. prec.* Accedit ratio, quia omnes cæremoniæ illæ fuerunt umbra & figura futurorum juxta illud 1. Corinth. 10. *Omnia in figura contingebant eis*: fuerunt enim Cæremonialia principaliter instituta ad præfigurandam Christi Mysteria ut futura, ejusque tanquam Messiæ in Lege promissi adventum; ergo cum ejusmodi adventus, aliaque olim præfigurata Mysteria Christi jam fuerint completa, oportuit, ut & illæ cæremoniæ cessarent, ne alioquin significando aliquid ut futurum, quod tamen revera jam est factum, falsum significarent.

7. Fatendum tamen est cum D. Augustino *Epist. 9. & 10. ad S. Hieronymum*, & Theologis communiter, quod usus atque observatio Legalium, seu Cæremonialium veteris Legis, etiam post Christi mortem, atque promulgationem Evangelii, fuerit ad aliquod tempus licitum, modo in eis non collocaretur ulla

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ulla spes salutis, neque ea observarentur ut signa præfigurativa futurorum. Ratio est: quia ipsimet Apostoli sæpius observarunt Legalia post Evangelium jam promulgatum; ergo eorum observatio fuit ad tempus licita, & non illico mortifera. Antecedens patet: sic enim *Actorum cap.* 16. Paulus legitur circumcidisse Timotheum; & *Actorum cap.* 21. idem S. Apostolus, de consilio Seniorum, purificatus ascendit in Templum. Congruentiam hujus opinionis addit D. Augustinus *loc. cit.* ut videlicet Synagoga sepeliretur cum honore, simulque Judæorum scandalum omne evitaretur; sicque ipsi facilius possent ad Fidem Christi converti, dum advertebant suas cæremonias, utpote pro tempore veteris Legis bonas, sanctas, atque a Deo præceptas, non ita subito abrogari, atque contemni, sicuti ejus Gentilium.

7. Cæterum successu temporis, postquam veritas Evangelii magis, magisque mundo illuxit, umbra Legis tandem omnino evanuit; adeo ut jam *Actorum cap.* 15. appellentur *Hæresis Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes, quia oportet circumcidi, & præcipere quoque servare legem Moysi.* Unde patet, jam illo tempore non amplius obligasse legem Moysis. Quo autem tempore cæperit esse illicita, ejusque observatio mortifera, variant Theologi; cum illud ex sacra Scriptura clare non constet, & post dictum Concilium Jerosolymitanum adhuc D. Paulus circumciderit Timotheum, atque ipse purificatus ascenderit in Templum, ut proxime dictum. Sunt, qui Legalium usum voluit fuisse licitum usque ad viginti quinque annos circiter post Christi Passionem, nonnulli ultra: quamvis certum videatur, quod ante mortem S. Ignatii Martyris, ac tertii post S. Petrum Ecclesiæ Antiochenæ Episcopi, rex ista jam fuerit per Ecclesiam decisa, ut notat Bernardus Sannig. *Disp. 2. de Legibus q. 3. n. 9.*

9. CONCL. IV. Præcepta judicialia veteris Legis per adventum ac mortem Christi, atque prædicationem Evangelii, fuerunt quidem evacuata, ita ut desinerent vi illius Legis obligare; nihilominus ob naturalem æquitatem potest eorum aliquorum observatio etiam nunc per Prælatos Ecclesiæ præcipi. Ita D. Thomas *1. 2. q. 105. art. 3.* & alii communiter.

10. Unde est differentia inter Præcepta cæremonialia, & judicialia Legis veteris. Nam cæremonialia adeo sunt evacuata, ut non solum sint mortua, sive nullius amplius obligationis, aut utilitatis; sed etiam mortifera, ita ut illicitum sit ea observare tempore Legis Evangelicæ. Judicialia vero, etsi non obligent tempore Legis gratiæ vi veteris Legis, imo nec observari possint ex obligatione ipsius: tamen ob eorundem convenientiam, & æquitatem naturalem, possunt etiam de facto absque peccato observari, imo de novo præcipi per eos, quorum est condere leges; prout hoc in nonnullis eorum fieri, patet inductione. Sic imprimis de facto solvuntur Decimæ Parochis, aliisque Ecclesiæ Ministris, quia jure naturali, simulque Divino, debetur necessaria sustentatio Ecclesiæ Ministris, juxta illud Salvatoris, Matthæi c. 10. *Dignus est operarius cibo suo.* Et 1. Corinth. 9. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus?* & alibi. Similiter, quamvis mulier post partum statim possit ingredi Ecclesiam, nec teneatur abstinere per certos dies secundum Legem Mosaicam; si tamen puerperæ ex veneratione voluerint aliquamdiu abstinere, earum devotio admittitur ut Jure Canonico *c. nu. de Purificatione post partum.* Idem patet in pluribus similibus passim occurrentibus.

11. CONCL. V. Præcepta moralia etiamnum obligant, non quidem vi veteris Legis, sed quatenus sunt Juris naturalis, aut in Lege Evangelica per Christum denuo renovata. Ita communis Doctorum. Ratio primæ partis est: quia Lex vetus per Christi adventum, & mortem, fuit evacuata; (b) ergo vi ipsius præcepta moralia amplius non obligant. Ratio vero secundæ partis est: quia omnia Præcepta moralia veteris Legis reducuntur tum ad geminum Præceptum Dilectionis Dei & proximi, tum ad præcepta Decalogi: hæc autem obligant de Jure naturali, simulque sunt per Christum renovata, ut habetur *Matth. c. 19. Marci 10. & Luc. 18.* ergo.

QUÆSTIO II.

De Obligatione Legis novæ, seu Evangelicæ, ejusque perfectione.

SUMMARIUM.

12 *Lex nova, quibus nominibus appelletur?*
13 *Lex Evangelica a Christo lata est pro toto Mundo, & obligat etiam Judæos ac Gentiles.*
14 *Obligavit tamen primum post sui promulgationem.*
15 *Lex nova excedit veterem multis modis.*
I. Quia est facilior veteri.

16 *Solvitur objectio.*
(c) Juxta dicta quæst. præc.
17 *II. Quia nunc conferuntur efficaciora auxilia gratiæ.*
(d) De hoc infra Tract. 14. Dist. 1. n. 12. & seqq.
18 *III. Quia lex Evangelica per Filium Dei promulgata est, &c.*

12. ADvertendum, quod Lex nova variis nominibus appelletur. Et primo quidem dicitur *Lex Evangelica*, eo quod in quatuor Evangeliis, vel potius in quatuor libris unius Evangelii contineatur registrata. Secundo dicitur *Lex nova*, vel in comparatione Legis veteris seu Mosaicæ, vel quia totum hominem per gratiam renovat. Tertio dicitur *Lex libertatis*, Jacob. c. 2. Item *Lex fidei*, Rom. c. 3. Et tandem *Lex gratiæ*, eo quod non solum gratiam multo copiosiorem conferat virtute Sacramentorum, ac in veteri Lege contigit; sed insuper contineat, & afferat omnis gratiæ Authorem Christum Jesus. His præmissis sit

13. CONCL. I. Lex Evangelica a Christo Domino condita est, & lata pro toto Mundo; adeoque ad eam, atque ad suscipiendum Baptismum obligantur etiam Judæi, & Gentiles. Ita omnes Theologi. Prima pars, quod nempe Christus sit author Legis Evangelicæ, delumitur ex illo *Isaiæ* 33. ubi de Messia venturo, seu Christo Domino prophetice prædicatur: *Dominus judex noster, Dominus Legifer noster.* Unde & in Evangelio passim, ac præsertim *Joan. c. 14.* Christus de suis legibus ait: *Mandata mea servate.* Altera pars, quod nempe Christus Legem Evangelicam tulerit non pro uno duntaxat populo, sed pro universo Mundo, ipsemet expressim? *Matth. cap. ult.* præcipiens Apostolis: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti: docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Et Marci cap. ultim. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Accedit ratio: quia Christus fuit Redemptor totius Mundi: ergo & Legislator, condendo pro omnibus Leges, per quas ad sanctificationem, vitamque æternam pervenirent.

14. CONCL. II. Nihilominus Lex Evangelica post factam sui institutionem non statim obligavit omnes, sed primum, quando solemniter fuit promulgata. Et hæc quidem promulgatio Jerosolymis contigit in die Pentecostes, qua Apostoli accepto prius Spiritu sancto cœperunt solemniter prædicare Baptismum, ejusque obligationem, dicentes: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum; Actorum cap. 2.* In cæteris vero locis post mensem, vel annum, aut plures annos incepit dicta obligatio, prout nimirum variis populis Evangelium Christi serius, aut citius solemniter, & Deo per miracula doctrinam Evangelicam confirmante promulgabatur. Ita Doctor Subtilis *4. d. 5. q. 4.* cum aliis. Ratio hujus patet ex dictis *Dist. præc. q. 2. & 3.* ubi generatim dictum est, ad cujusque Legis obligationem requiri, quod solemniter promulgetur.

15. CONCL. III. Lex nova ad veterem comparata, multis modis excedit in dignitate seu perfectione. Ita omnes Catholici; idque patet inductione, assignando speciales Legis Evangelicæ prærogativas præ veteri seu Mosaica. Nam I. Lex Mosaica fuit gravior multo Lege Evangelica. Hinc. D. Petrus *Actor c. 15.* dixit de Lege veteri: *Quid tentatis imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus?* Non quod Lex vetus absolute fuerit observatu impossibilis (Deus enim non præcipit impossibilia) sed quia observatu fuit admodum difficilis: quæ quidem difficultas oriebatur ex nimia præceptorum tum cæremonialium, tum judicialium numerositate, quorum aliqua satis erant difficilia. E contra de Lege Evangelica ait Christus, *Matth. cap. 11. Jugum meum suave est, & onus meum leve.*

16. Nec obstat, quod Christus *Matthæi* 5. multa superaddiderit Decalogo, dum v.g. ad illud præceptum, *non occides*, addidit, *non irasci*, & hujusmodi. Resp. enim cum D. Augustino *l. 19. contra Faustum*, negando assumptum: Christus enim nil superaddidit, sed tantum explicavit melius Decalogum, reprobando expositionem antiquorum Pharisæorum. Addo, quod in Lege Evangelica cessarit obligatio cæremonialium & judicialium veteris Legis, etsi non moralium. (c)

17. II. In Lege Evangelica conferuntur efficaciora, & copiosiora auxilia gratiæ ad ferendum onus Legis, justitiamque operandam, quam in Lege Mosaica. Ratio est: quia in Lege Evangelica omnia septem Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato digne suscipientibus; in Lege Mosaica vero sola Circumcisio conferebat gratiam (d) & quidem respectu gratiæ Baptismalis admodum parvam. Insuper in Lege Evangeli-

ca, eo quod merita Christi jam sint actu exhibita, Spiritus Sanctus abunde datur credentibus; in Mosaica vero, quia merita Christi tunc solum erant prævisa, atque in futurum exhibenda, etiam mensura gratiæ dabatur modica.

18. III. Lex Evangelica est dignior veteri: quia quamvis utramque Legem Deus condiderit, nihilominus Mosaicam promulgavit per ministerium Angelorum, Evangelicam vero per Filium suum unigenitum. Excedit præterea, & differt in materia: nam Mysteria Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, & Redemptionis nostræ in Lege veteri fuerunt multum occultata, aut solum præfigurata; quæ tamen in Lege Evangelica sunt revelata, & clarius manifestata, aut jam actu exhibita. Omittuntur plures aliæ similes legis Evangelicæ prærogativæ præ veteri seu Mosaica.

QUÆSTIO III.

De Obligatione Legum humanarum, & an obligent cum periculo vitæ?

SUMMARIUM.

19 *Potestas legislativa alia Ecclesiastica, alia Civilis; & quomodo distinguantur?*

(e) Dist. præc. n. 9. & 14.

20 *Leges humanæ tum Ecclesiasticæ tum Civiles, obligant in Conscientia, & sub peccato.*

21 *Solvitur objectio.*

22 *Id verum regulariter loquendo.*

23 *Lex humana obligat cum aperto vitæ periculo, quando ejus observatio est necessaria ad bonum publicum conservandum.*

24 *Vel quando ejus violatio cederet in contemptum Fidei, aut Ecclesiasticæ potestatis.*

(f) Vide Tract. 7. dist. 1. num. 49. & 50.

25 *Extra dictos duos casus non obligat cum periculo vitæ, vel gravis incommodi.*

26 *Corollarium generale.*

27 *Aliud de infirmo, itinerante, &c.*

28 *Quid liceat excommunicato, vel irregulari occulto, ad vitandam infamiam?*

19. SUpponendum hic conformiter superius (e) dictis, quod Lex, ac potestas legislativa humana, alia sit Ecclesiastica, alia Civilis. Differunt autem inter se varie. I. Ratione originis: quia potestas legislativa Ecclesiastica proxime, ac immediate provenit a Deo; prout patet ex verbis Christi Matth. 16. *Tibi dabo claves regni cœlorum*. Et Joan. 21. *Pasce oves meas*. Item Actorum 20. *Posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. E contra vero potestas legislativa civilis immediate provenit ab hominibus, utpote cum populus per Legem aliquam contulerit in Regem, atque Imperatorem, totam suam potestatem. *L. 1. ff. de Constitut. Principum*; quamvis & hæc saltem mediate sit a Deo, juxta illud Rom. 13. *Non est potestas, nisi a Deo*. II. Differunt ratione objecti, & finis: siquidem potestas legislativa Ecclesiastica per se, & directe, versatur circa res spirituales, ad salutem animarum, & consequendam vitam æternam ordinatas. Civilis vero potestas per se, ac directe, seu immediate, tantum respicit commoditatem, & tranquillam gubernationem Reipublicæ; quamvis mediate, ac per accidens, etiam salutem animarum respicere possit, in quantum vitia prohibet, ac punit. Unde sequitur, quod hæ duæ potestates, Civilis nempe & Ecclesiastica, propriis officiis, ac dignitatibus discretæ sint; quamvis Ecclesiastica ob excellentiam objecti, & finis sui, tanto præstet Civili, quanto quæ sunt spiritualia, præstant corporalibus. His præmonitis sit

20. CONCL. I. Leges humanæ justæ, ac legitime promulgatæ non solum Ecclesiasticæ, sed etiam Civiles, regulariter loquendo obligant in conscientia, ita ut earum transgressio in materia gravi sit peccatum mortale. Ita omnes Doctores. Ratio est: quia juxta quartum Præceptum Decalogi tenemur obedire, non solum parentibus, sed etiam legitimis Superioribus nostris, justa præcipientibus. Accedit illud Apostoli, *Rom. 13. Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*: Et mox infra: *Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*; id est, non solum metu pœnarum, sed etiam, ne peccetis.

21. Quod si quis objiciat: Potestas Civilis non potest infligere pœnam mortis æternæ; ergo neque sub ea, sive sub peccato mortali reatum pœnæ æternæ inducente, quidpiam præcipere. Probatur consequentia: quia ejusdem est, sub pœna quidpiam præcipere, & pœnam transgressoribus inferre posse, ne

alioquin lex sit inutilis. Resp. Negando consequentiam, cum sua probatione: nam ad hoc, ut potestas Civilis quidpiam in conscientia obligans præcipere valeat, sufficit potestas legislativa, quam habet a Deo, qui justit legitimis Superioribus justa præcipientibus esse obediendum. Nec idcirco lex illa erit inutilis: nam pœnam mortis æternæ, transgressoribus impœnitentibus statutam, sufficit, quod Dominus Deus justus Judex infligat; utpote cujus mandatum simul violatur, & a quo etiam, saltem mediate, provenit potestas legislativa Civilis, juxta citatum illud *Rom. 13. Non est potestas, nisi a Deo: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*.

22. Dicitur notanter in Conclusione, *regulariter loquendo*. Siquidem non omnes Leges humanis obligare in conscientia, patebit ex dicendis *Quæst. seq.* ubi ostendetur, dari leges aliquas mere pœnales, quæ ad culpam non obligant, sed ad solam pœnam subeundam.

23. CONCL. II. Quando legis observatio est moraliter necessaria ad publicum bonum conservandum, tunc Lex humana potest obligare cum aperto vitæ periculo. Ita Herincx *disp. 3. de Legibus, quæst. 13.* estque communis. Ratio est: quia conservatio boni communis, omnino est præferenda bono vitæ privati hominis: ergo in tali casu necessitatis potest Superior, cui ex officio incumbit providere bono communi, obligare subditum ad observantiam legis cum periculo vitæ. Sic imprimis communiter admittitur, teneri militem tempore periculoso permanere in statione sua cum aperto mortis discrimine. Similiter tempore pestis tenetur Parochus, tum vi officii sui, tum præsertim accedente speciali præcepto Episcopi, permanere in suo loco ad excipiendas pestiferorum Confessiones, non obstante manifesto vitæ periculo. Idem accidere potest in aliis similibus casibus.

24. CONCL. III. Quando violatio Legis humanæ cederet in contemptum Fidei, aut Ecclesiasticæ legis vel potestatis, tunc est lex servanda etiam cum periculo vitæ. Ita cit. Herincx cum omnibus Catholicis Doctoribus. Sic si quis ab Hæreticis captus, urgeatur ad comedendum carnes tempore Quadragesimæ in contemptum Ecclesiasticæ legis, illique Hæretici minitentur mortem, nisi carnes comedat; potius ei moriendum foret, quam ut in talibus circumstantiis carnes comederet. Ratio est: quia violatio legis Ecclesiasticæ in talibus circumstantiis cederet in contemptum Fidei Catholicæ, potestatisque Ecclesiasticæ, & comedens carnes ad talem Hæreticorum instantiam, eorum sectam externus profiteretur, ac metu mortis ipso opere contemneret potestatem Ecclesiæ: hoc autem nullo modo licet, sed est intrinsece malum. Unde tali potius esset subeunda mors: quam si quis ex præfata causa opperetur, revera foret Martyr (f) cum moreretur ob confessionem Fidei Catholicæ, qua credimus, Ecclesiam a Christo accepisse potestatem certas leges Fidelibus imponendi.

25. CONCL. IV. Extra præfatos casus Lex humana, sive Civilis, sive Ecclesiastica, non obligat cum periculo mortis, aut alterius gravis damni. Ita Doctores communiter. Hinc *cap. 4. de reg. juris*, dicitur: *Quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum*. Accedit ratio: quia lex debet esse secundum naturam hominum, id est, conditioni humanæ accommodata; id autem non fieret, si leges humanæ semper obligarent cum periculo vitæ, etiam extra casus supra memoratos; ergo. Hinc

26. Infertur I. Quia duo memorati casus sunt rari, communiter non obligare Leges humanas cum periculo vitæ, amissionis membrorum, famæ, notabilis boni temporalis, perturbationis pacis, aut alterius similis gravis mali, quod considerata qualitate legis prudenter judicatur tale.

27. Infertur II. Eum non peccare, qui pressus gravi infirmitate corporis, de consilio Medicorum comedit carnes diebus jejunii; aut qui gravi labore corporali fatigatus, vel ex prolixo itinere fessus, utitur secunda refectione: quia cum tanto incommodo corporali non obligat lex jejunii Ecclesiastici. Idem dicendum de iis, qui diebus Festivis remanent domi ad ejus custodiam, nec audiunt Missam in locis, ubi unica Missa celebratur. Innumera similia exempla passim occurrunt.

28. Infertur III. Excommunicatum occultum licite se gerere tanquam non excommunicatum, in quantum hoc est necessarium ad vitandam infamiæ notam, aut similis mali periculum; adeoque si non habet, a quo absolvi possit, non teneri abstinere a Divinis, vel (prævia tamen contritione) Sacramentorum administratione, aut abeligendo, & hujusmodi, si absque periculo infamiæ, aut alterius gravis mali abstinere non possit. Similiter irregularis factus ob culpam

occultam, potest celebrare, ordines suscipere, &c. si tam cito nequeat obtinere dispensationem, & absque gravi nota, vel damno, non possit diutius abstinere. Et ita de multis aliis est discurrendum, ac notat cit. Herincx cum communi.

QUÆSTIO IV.

De Legibus Pœnalibus, earumque obligatione.

SUMMARIUM.

29 *Lex humana moralis, & pœnalis, quid?*
30 *Dantur leges aliquæ meræ pœnales.*
31 *Solvitur objectio.*
32 *Quid lex aliqua sit mere pœnalis, pendet ex intentione Legislatoris.*
33 *Dista intentio Legislatoris, unde desumenda?*
34 *Ad subeundam pœnam ferendæ sententiæ, non tenetur Reus ante sententiam judicis condemnatoriam.*
35 *Pœna ipso jure inflicta, seu lata sententia, & pœna ferendæ sententiæ, quæ?*
36 *Et quando pœna censeatur esse lata, vel ferendæ sententiæ?*
37 *Alia hujus regula.*
38 *Verba illa*, Sit excommunicatus, anathema, &c. *an contineant pœnam latæ sententiæ?*
39 *Pœna latæ sententiæ, si non requiratur executionem externam, statim habent locum in conscientia.*
40 *Secus, quando pœna illa requirit executionem externam, &c.*
41 *Corollarium de Beneficiario.*
42 *Disparitas utriusque casus.*
43 *Instantia de inhabilitate ad Beneficia, & an hæc possint sententiam judicis?*
44 *Quid dicendum de pœnis corporis afflictivis.*
45 *Corollaria notabilia.*

29. ADvertendum, quod Lex humana, præter alias sui divisiones, communiter dividatur in moralem, seu absolute obligatoriam, & in legem pœnalem. *Lex moralis*, seu absolute obligatoria dicitur illa, quæ mores solum dirigit, obligando ad actum aliquem eliciendum, vel omittendum, nullam vero pœnam transgressoribus expresse imponit: unde tunc pœna Judicis arbitrio imponi debet. *Lex pœnalis* e contra dicitur illa, qua aliquid præcipitur, vel prohibetur, sub certa pœna transgressoribus constituta: cujusmodi pœna potest esse multiplex, nimirum vel spiritualis, ut Excommunicatio, Suspensio, &c. vel temporalis, ut confiscatio bonorum; vel etiam corporalis, ut incarceratio, mutilatio, fustigatio, &c. Porro Lex pœnalis rursum dividitur in mere pœnalem, & mixtam. *Lex mixta* dicitur, quę ad actum sub culpa præstandum, simulque ad certam pœnam transgressores obligat: & dicitur *Lex mixta*, quia est mixta ex morali, & pœnali. *Leges mere pœnales* appellantur eæ, quæ ad culpam non obligant, sed ad solam pœnam: & tales dari mox dicetur. Hinc sit

30. CONCL. I. Dantur Leges aliquæ pure pœnales, quæ ad culpam non obligant, sed ad solam pœnam transgressoribus impositam. Ita communis Doctorum, & novissime sequitur Christophor. Haunoldus *tom. 1. de Justicia & jure, tract. 1. cap. 1. controvers. 5.* quamvis Sanchez *lib. 6. in Decalogum, cap. 4. num. 12.* velit ejusmodi ordinationes ad solam pœnam obligantes, non esse proprie leges. Ratio Conclusionis est: quia lex non obligat ultra mentem legislatoris. Unde in simili notant Doctores, quos citat & sequitur Layman *l. 1. tract. 4. cap. 14. num. 2.* quod legislator circa materiam cæteroquin gravem possit obligare solum sub veniali; nam actus agentium non operantur ultra eorum intentionem, *arg. cap. ult. de præbendis*. Hinc dantur quædam Religiosorum Ordinum Statuta, quæ ad culpam, seu sub peccato non obligant, sed tantum ad pœnam a Superioribus infligendam. Similiter ad culpam non obligant nonnullæ Constitutiones Politicæ, circa eos actus, qui nec Juri Divino, nec naturali adversantur, eorum tamen intermissio confert ad tranquillum Reipublicæ statum; v.g. Ne quis noctu sine lumine ambulet. Ne certum vestium ornatum portet, & hujusmodi.

31. Nec dicas. Ubi nulla intervenit culpa, ibi etiam juste non potest a Superiore infligi pœna; nam pœna est noxæ vindicta, ergo. Resp. enim negando consequentiam: quia licet in transgressione legis mere pœnalis nulla interveniat culpa Theologica, seu quæ sit peccatum coram Deo; nihilominus intervenit culpa Politica, importans defectum contra laudabilem Reipublicæ, aut Ordinis Religiosi constitutionem, bonamque politiam, quæ proinde culpa merito castigatur competenti pœna.

32. CONCL. II. Quod Lex aliqua sit mere pœnalis, non bene desumitur ex sola pœnæ adjectione; sed id dependet ex intentione legis-

latoris, quæ tum ex verbis legis, tum ex subjecta materia, aliisque circumstantiis, prudenti judicio desumenda est. Ita D. Thomas 1. 2. q. 108. *art. 4.* & alii communiter. Ratio est: quia in primis adjectio pœnæ spiritualis, v.g. Excommunicationis, Suspensionis, & hujusmodi, potius indicat, legislatorem voluisse obligare sub culpa; cum tales pœnæ nonnisi ob culpam, seu peccatum infligi soleant. Deinde loquendo etiam de pœna temporali, per ejus adjectionem magis augetur virtus obligatoria legis, quam minuitur: unde sequitur, quod, quænam leges sint mere pœnales, recte non desumatur ex adjectione pœnæ, sed hoc pendeat ex intentione legislatoris, utpote a qua leges suam vim obligandi habent.

33. Cæterum ejusmodi intentio legislatoris, si non clare habetur ex verbis legis, prudenti judicio tum ex subjecta materia, tum ex aliis circumstantiis desumenda erit: neque enim circa hoc certa, & generalis regula dari potest. Huc etiam multum juvat consuetudo, utpote quæ est optima legum interpres: siquidem per consuetudinem ex lege pœnali mixta posse fieri pure pœnalem, ac cessante reatu conscientiæ manere solam pœnam Fori externi, observat Suarez *lib. 1. de Legibus, cap. 19. num. 11.* & Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 24. num. 12.* & sequitur Ludov. Engel, *tit. de Consuetud. num. 17.* Qui addunt, id fortasse contingere in Legibus Civilibus imponentibus exactiones, aut prohibentibus venari, vel ligna fendere, sive aliquid ex Regno extrahere: licet enim in principio directivæ fuerint, nihilominus poterunt usu fieri mere pœnales, & quasi naturam mutare, quia non aliter sunt receptæ.

34. CONCL. III. Quotiescunque Lex pœnalis imponit pœnam primum a Judice infligendam, seu pœnam ferendæ sententiæ, certum est, non obligari Reum ad subeundam, vel solvendam pœnam ante sententiam Judicis condemnatoriam. Ita communis. Neque enim Reus ad amplius tenetur, quam lex ipsa imponit; hæc autem solum imponit, ut Reus pœnæ adjudicetur: quod spectat potius ad Judicem, quam ipsummet Reum. Hinc infertur, quando Reus per legem excommunicandus, vel officio, aut Beneficio privandus decernitur (quæ formula continet duntaxat pœnam ferendæ sententiæ) quod is ante latam a Judice sententiam possit valide, ac licite se gerere tanquam non excommunicatum, & non privatum; sicque exercere omnes actus sui officii, aut Beneficii: quia revera ante sententiam Judicis necdum incurrit ejusmodi pœnam, quamvis commiserit crimen, ob quod excommunicandus, vel officio, aut Beneficio privandus est per Judicem. Sed illico pro hujus & sequentium Conclusionum intelligentia

35. Quæres, quid sit pœna ipso jure inflicta, sive latæ sententiæ; & unde dignoscatur, pœnam esse ferendæ sententiæ, vel potius ipso jure latam? Resp. I. Pœna ipso jure inflicta, seu latæ sententiæ, dicitur illa, quę posito delicto statim vi legis irrogatur: ut si in lege pœnali dicatur, *qui tale delictum commiserit, sit ipso facto excommunicatus, officio aut beneficio privatus, &c.* Pœna primum per Judicem juxta præscriptum legis infligenda vocatur illa, quam legislator comminatur delinquenti, nondum autem imponit, sed primum per sententiam Judicis imponendam statuit: ut si dicatur, *qui tale delictum commiserit, privetur officio, excommunicetur, &c.* Et hæc alio nomine dicitur *Pœna ferendæ sententiæ*: prior autem vocatur sub aliis terminis, *Pœna latæ sententiæ*.

36. Resp. II. Pœna censetur lata ipso jure, seu esse latæ sententiæ, quoties in lege pœnali adhibentur hujusmodi verba: *Ipso facto, Ipso jure, Mox, Ex tunc, &c. sit excommunicatus, suspensus, vel privatus.* Insuper est pœna latæ sententiæ, si legislator sibi, vel legi suæ adscribat sententiam, dicendo v.g. *Auctoritate nostra, Virtute hujus legis, Ipso jure, subjaceat tali pœnæ, &c.* Addit Herincx *disp. 5. de Legibus, n. 7.* Idem esse dicendum, si lex utatur solo verbo indicativi modi, præsentis, aut præteriti temporis, v.g. *Excommunicamus, Suspendimus, Excommunicationem se noverit incurrisse, Sciat se esse excommunicatum*, & hujusmodi.

37. Resp. III. Si lex utatur verbis imperativi modi, quæ non afficiunt immediate ipsam pœnam, sed vel reatum pœnæ, dicendo, *qui hoc fecerit, reatum talis pœnæ incurrat, Sint reus talis pœnæ*, vel ipsam actionem Judicis, dicendo, *Excommunicetur, Suspendatur, Privetur suo officio, aut beneficio; Ea excommunicandus, privandus, &c.* Hujusmodi, inquam, formulæ solum continent sententiam ferendam, seu pœnam infligendam a Judice. Ratio est: quia de tali pœna ferendæ sententiæ possunt ejusmodi verba commode explicari: ergo etiam debent sic explicari: siquidem *in pœnis benignior est interpretatio facienda, juxta Regulam 49. Juris in 6.* cum concordantiis.

38. Resp. IV. Num illa verba, *sis excommunicatus, suspensus, privatus officio, sit anathema* & hujusmodi, nullo alio addito contineant pœnam latæ sententiæ, necne, variant Doctores. Affirmant non pauci, eo quod ejusmodi verba imperativi modi afficiant immediate ipsammet pœnam. Oppositum nihilominus tenet Navarrus *c. 27. Manualis num. 12.* ubi ait, quod hujusmodi verba, *sit excommunicatus*, non denotent sententiam latam, sed ferendam, nisi cum alia Jura id declarant. Probat hoc Navarrus varie; & imprimis authoritate Glossæ *cap. 2. Verf. Sequestratus, de Foro competent.* Deinde, quia verbum *sit* est futuri temporis, & potest commode explicari per ly, *Fiat excommunicatus*, &c. unde per illud non fertur sententia ipso jure, nisi aliquid aliud addatur, *ipso jure, ipso facto sit excommunicatus*, &c. Tandem, quia stante dubio, mitior pars in pœnis est eligenda: atqui præfata verba sunt dubia, in patet allatis rationibus, atque ipsa Doctorum varietate sentiendi; ergo.

39. CONCL. V. Loquendo nunc de pœnis latæ sententiæ, si pœna ipso jure imposita aliam executionem externam non requirat, statim ut factum illud, cui talis pœna ipso jure annexa est, committitur, habet ipsa locum in conscientia. Ita Ludov. Engel, *tit. de Constitut. n. 43.* cæteque communior Doctorum. Et tales sunt pœna Excommunicationis latæ sententiæ, & aliæ Censuræ Ecclesiasticæ, item Irregularitates, impedimenta matrimonii, & hujusmodi: nam tales pœnas, si sint latæ sententiæ, ipso facto, & ante omnem sententiam judicis incurri, recepta praxis & usus declaravit.

40. CONCL. VI. Si vero pœnæ ipso jure illatæ etiam externam executionem requirant (veluti est amissio dominii, confiscatio bonorum, privatio Beneficii aut officii Ecclesiastici, &c. ipso jure statuta) tunc ulterius ad obligationem in conscientia producendam requiritur sententia declaratoria Judicis super crimine admisso, nisi lex in specie addat clausulam, *alia etiam declaratione non secuta*. Ita Engel *loc. cit. n. 43.* Laymann. *l. 1. tract. 4. cap. 15. num. 6.* citans alios, & tenent Doctores passim. Desumitur hoc ex *c. Cum secundum de Hæreticis in 6.* ubi bona Hæreticorum ipso jure confiscantur, & tamen ipsi non illico in conscientia obligantur bona sua tradere fisco: quin etiam dictæ confiscationis executio, seu bonorum occupatio, prohibetur fieri ante sententiam declaratoriam Judicis Ecclesiastici super crimine hæresis admisso: ergo idem dicendum est de aliis similibus pœnis externam executionem requirentibus; *eum de similibus idem judicium sit habendum, c. Inter corporalia. De Transl. Episcop.*

41. Ex hac Conclusione infertur cum Bonacina *disp. 1. de Legibus, quæst. 1. punct. 7. §. 2. nu. 11.* & aliis, quod Beneficiarius possit retinere Beneficium suum Ecclesiasticum, donec declaretur per sententiam Judicis, tale delictum ab ipso esse commissum, propter quod privatus sit ipso jure suo Beneficio: nisi forte in lege habeatur expressum, pœnam impositam statim in Foro conscientiæ subeundam esse, seu illico deberi ante ullam Judicis declarationem super crimine admisso.

42. Quod si quæres disparitatem, cur pœnæ latæ sententiæ, sed executionem externam non requirentes, incurrantur ipso facto admissi crimitis ante omnem sententiam Judicis, non vero aliæ requirentes externam executionem? Resp. Doctores hanc disparitatis rationem dare: quia priores sunt pœnæ privativæ, quæ non indigent actione, sed duntaxat cessatione; posteriores autem sunt pœnæ positivæ, atque indigentes reali actione, seu executione. Cum igitur naturæ humanæ foret admodum grave, quin & contrarium, quod quis delinquens teneatur in semetipso exequi pœnam positivam, sieque esse sui ipsius & accusator, & judex, & executor; ejusmodi leges non censentur obligare in conscientia ante sententiam judicis, nisi in eis exprimatur.

43. Fatvor, quod Sanchez *l. 9. de matrimonio, disp. 30. n. 1. & 2.* hanc responsionem impugnet; eo quod inhabilitas ad Beneficia Ecclesiastica, & ad ferendum suffragium, sint pœnæ duntaxat privativæ, & tamen postulent sententiam Judicis, prout volunt Sotus, Navarrus, Molina, & Ledesma, quos citat. Verum hæc doctrina non caret difficultate: nam inhabilitatem ad electionem activam, & passivam, incurri ante omnem sententiam Judicis, censent inter alios Suarez *lib. 5. de legibus, c. 9.* Engel *loc. cit.* & Laymann *lib. 1. Tract. 4. c. 15. n. 5.*

44. CONCL. VII. Tandem loquendo de pœnis corporis afflictivis, tenetur quidem Reus per se ipsum exequi pœnam aliquam honestam, & non nimis acerbam, postquam per sententiam Judicis ad ipsam fuit condemnatus; puta, quod pergat in carcerem, subeat abstinentiam aliquam, vel moderate seipsum flagellet, prout moris est in quibusdam Religionibus; nihilominus nequit Reus obligari, gari, ut graviores pœnas corporis, utpote mortis, mutilationis, &c. directe in semetipso exequatur, sed solum, ut ipsas per ministros Justitiæ illatas patienter sustineat. Ita communis.

45. Unde passim notant Doctores, quod damnatus ad bibendum venenum, parere non teneatur; quod damnatus ad mortem inedia perferendum, possit licite comedere cibos sibi clam allatos; quinimo quod damnatus ad mortem, vel mutilationem, possit etiam post sententiam Judicis fugere, si via effugiendi pateat. Ita Herincx *disp. 5. de Legibus q. 3.* Engel *uti supra n. 44.* Laymin *l. c. n. 7. & seq.* qui tamen recte addunt, quod damnatus ad furcam, vel gladium, debeat collum præbere, aut scalam ascendere, &c. nam hoc non est directe mortem inferre, sed inferendam sustinere, & per accidens solum ac indirecte ad eam cooperari.

DISTINCTIO III.

De Subjecto Obligationis Legum.

QUÆSTIO I.

Quinam obligentur Legibus Pontificiis, aliisque Ecclesiasticis?

SUMMARIUM.

1 *Omnes fideles obligantur legibus Pontificiis pro toto orbe latis.*
2 *Hæretici obligantur etiam hæretici.*
3 *Solvitur instantia.*
4 *Corollarium.*
5 *Judæi tamen, & Pagani, non obligantur legibus Ecclesiasticis.*
6 *Corollaria.*
7 *Limitatio.*
8 *Alia limitatio.*
9 *Leges inferiorum Prælatorum obligant eorum subditos propriis territorii.*
10 *Religiosi exempti, an teneantur Legibus per Ordinarios locorum editis?*
11 *Ipsum amplius declaratur.*

1. CONCL. I. Legibus Summi Pontificis in materia spirituali, & salutem animarum, rectamque Ecclesiæ gubernationem concernente, pro toto Orbe Christiano legitime latis, obligantur omnes Christi Fideles. Ita Catholici unanimiter. Ratio est: quia Christus Dominus Divo Petro, ejusque legitimis Successoribus Romanis Pontificibus, omnium suarum Ovium curam demandavit, *Joan. 21.* trina vice eidem præcipiens: *Pasce oves meas*. Accedit illa generalis promissio eidem facta, Matth. cap. 16. *Tibi dabo claves Regni cælorum & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis*: nam sub ista generali promissione continetur etiam potestas condendi justas leges, ut sic Oves Christi securius pascantur.

2. CONCL. II. Etiam Hæretici obligantur Legibus Pontificiis pro toto Orbe Christiano latis. Ita communis Theologorum, adeo ut Lugo *disp. de Pœnitentia, sect. 7. n. 147.* absurdissimum esse dicat, si quis negaret, Hæreticos obligari Legibus Ecclesiasticis jejunii, abstinentiæ a carnibus, Censuris contra eos latis, & hujusmodi. Ratio est: quia Hæretici per Baptismum jam sunt ingressi Ecclesiam, ejusque membra effecti; ergo obligantur legibus ejusdem. Et certe, si ipsi non obligarentur Legibus Ecclesiasticis, frustra tot leges pœnales in Jure Canonico, aliisque Constitutionibus Ecclesiasticis, contra Hæreticos fuissent latæ.

3. Nec obstat, quod Hæretici resistant Ecclesiæ, Summoque Pontifici, ac legibus ipsius. Resp. enim, hoc neutiquam eos excusare; cum ex suo delicto, atque perfidia, nemo debeat reportare commodum, puta exemptionem a legibus. Quinimo Hæretici pertinaciter non obtemperantes legibus (quibus tamen de jure tenentur obedire) eo amplius peccant: *Cum tanto sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam*, ut dicitur *in cap. ult. de Consuet.* Hinc in forma Resp. distinguendo antecedens: Hæretici de facto resistunt legibus Ecclesiæ, conceditur; de jure ipsis resistunt, ita ut bene in hoc agant, negatur antecedens & consequentia.

4. Ex hac conclusione infertur cum Gobath *tract. 9. Theologiæ Experiment. num. 49. & seqq.* & communi aliorum, quando quidem Hæretici subsint Legibus Ecclesiasticis quod eorum matrimonia contracta cum impedimento dirimente vi Juris Ecclesiastici,

38. Resp. IV. Num illa verba, *sis excommunicatus, suspensus, privatus officio, sit anathema* & hujusmodi, nullo alio addito contineant pœnam latæ sententiæ, necne, variant Doctores. Affirmant non pauci, eo quod ejusmodi verba imperativi modi afficiant immediate ipsammet pœnam. Oppositum nihilominus tenet Navarrus *c. 27. Manualis num. 12.* ubi ait, quod hujusmodi verba, *sit excommunicatus*, non denotent sententiam latam, sed ferendam, nisi cum alia Jura id declarant. Probat hoc Navarrus varie; & imprimis authoritate Glossæ *cap. 2. Verf. Sequestratus, de Foro competent.* Deinde, quia verbum *sit* est futuri temporis, & potest commode explicari per ly, *Fiat excommunicatus*, &c. unde per illud non fertur sententia ipso jure, nisi aliquid aliud addatur, *ipso jure, ipso facto sit excommunicatus*, &c. Tandem, quia stante dubio, mitior pars in pœnis est eligenda: atqui præfata verba sunt dubia, in patet allatis rationibus, atque ipsa Doctorum varietate sentiendi; ergo.

39. CONCL. V. Loquendo nunc de pœnis latæ sententiæ, si pœna ipso jure imposita aliam executionem externam non requirat, statim ut factum illud, cui talis pœna ipso jure annexa est, committitur, habet ipsa locum in conscientia. Ita Ludov. Engel, *tit. de Constitut. n. 43.* cæteque communior Doctorum. Et tales sunt pœna Excommunicationis latæ sententiæ, & aliæ Censuræ Ecclesiasticæ, item Irregularitates, impedimenta matrimonii, & hujusmodi: nam tales pœnas, si sint latæ sententiæ, ipso facto, & ante omnem sententiam judicis incurri, recepta praxis & usus declaravit.

40. CONCL. VI. Si vero pœnæ ipso jure illatæ etiam externam executionem requirant (veluti est amissio dominii, confiscatio bonorum, privatio Beneficii aut officii Ecclesiastici, &c. ipso jure statuta) tunc ulterius ad obligationem in conscientia producendam requiritur sententia declaratoria Judicis super crimine admisso, nisi lex in specie addat clausulam, *alia etiam declaratione non secuta*. Ita Engel *loc. cit. n. 43.* Laymann. *l. 1. tract. 4. cap. 15. num. 6.* citans alios, & tenent Doctores passim. Desumitur hoc ex *c. Cum secundum de Hæreticis in 6.* ubi bona Hæreticorum ipso jure confiscantur, & tamen ipsi non illico in conscientia obligantur bona sua tradere fisco: quin etiam dictæ confiscationis executio, seu bonorum occupatio, prohibetur fieri ante sententiam declaratoriam Judicis Ecclesiastici super crimine hæresis admisso: ergo idem dicendum est de aliis similibus pœnis externam executionem requirentibus; *eum de similibus idem judicium sit habendum, c. Inter corporalia. De Transl. Episcop.*

41. Ex hac Conclusione infertur cum Bonacina *disp. 1. de Legibus, quæst. 1. punct. 7. §. 2. nu. 11.* & aliis, quod Beneficiarius possit retinere Beneficium suum Ecclesiasticum, donec declaretur per sententiam Judicis, tale delictum ab ipso esse commissum, propter quod privatus sit ipso jure suo Beneficio: nisi forte in lege habeatur expressum, pœnam impositam statim in Foro conscientiæ subeundam esse, seu illico deberi ante ullam Judicis declarationem super crimine admisso.

42. Quod si quæres disparitatem, cur pœnæ latæ sententiæ, sed executionem externam non requirentes, incurrantur ipso facto admissi crimitis ante omnem sententiam Judicis, non vero aliæ requirentes externam executionem? Resp. Doctores hanc disparitatis rationem dare: quia priores sunt pœnæ privativæ, quæ non indigent actione, sed duntaxat cessatione; posteriores autem sunt pœnæ positivæ, atque indigentes reali actione, seu executione. Cum igitur naturæ humanæ foret admodum grave, quin & contrarium, quod quis delinquens teneatur in semetipso exequi pœnam positivam, sieque esse sui ipsius & accusator, & judex, & executor; ejusmodi leges non censentur obligare in conscientia ante sententiam judicis, nisi in eis exprimatur.

43. Fatvor, quod Sanchez *l. 9. de matrimonio, disp. 30. n. 1. & 2.* hanc responsionem impugnet; eo quod inhabilitas ad Beneficia Ecclesiastica, & ad ferendum suffragium, sint pœnæ duntaxat privativæ, & tamen postulent sententiam Judicis, prout volunt Sotus, Navarrus, Molina, & Ledesma, quos citat. Verum hæc doctrina non caret difficultate: nam inhabilitatem ad electionem activam, & passivam, incurri ante omnem sententiam Judicis, censent inter alios Suarez *lib. 5. de legibus, c. 9.* Engel *loc. cit.* & Laymann *lib. 1. Tract. 4. c. 15. n. 5.*

44. CONCL. VII. Tandem loquendo de pœnis corporis afflictivis, tenetur quidem Reus per se ipsum exequi pœnam aliquam honestam, & non nimis acerbam, postquam per sententiam Judicis ad ipsam fuit condemnatus; puta, quod pergat in carcerem, subeat abstinentiam aliquam, vel moderate seipsum flagellet, prout moris est in quibusdam Religionibus; nihilominus nequit Reus obligari, gari, ut graviores pœnas corporis, utpote mortis, mutilationis, &c. directe in semetipso exequatur, sed solum, ut ipsas per ministros Justitiæ illatas patienter sustineat. Ita communis.

45. Unde passim notant Doctores, quod damnatus ad bibendum venenum, parere non teneatur; quod damnatus ad mortem inedia perferendum, possit licite comedere cibos sibi clam allatos; quinimo quod damnatus ad mortem, vel mutilationem, possit etiam post sententiam Judicis fugere, si via effugiendi pateat. Ita Herincx *disp. 5. de Legibus q. 3.* Engel *uti supra n. 44.* Laymin *l. c. n. 7. & seq.* qui tamen recte addunt, quod damnatus ad furcam, vel gladium, debeat collum præbere, aut scalam ascendere, &c. nam hoc non est directe mortem inferre, sed inferendam sustinere, & per accidens solum ac indirecte ad eam cooperari.

DISTINCTIO III.

De Subjecto Obligationis Legum.

QUÆSTIO I.

Quinam obligentur Legibus Pontificiis, aliisque Ecclesiasticis?

SUMMARIUM.

1 *Omnes fideles obligantur legibus Pontificiis pro toto orbe latis.*
2 *Hæretici obligantur etiam hæretici.*
3 *Solvitur instantia.*
4 *Corollarium.*
5 *Judæi tamen, & Pagani, non obligantur legibus Ecclesiasticis.*
6 *Corollaria.*
7 *Limitatio.*
8 *Alia limitatio.*
9 *Leges inferiorum Prælatorum obligant eorum subditos propriis territorii.*
10 *Religiosi exempti, an teneantur Legibus per Ordinarios locorum editis?*
11 *Ipsum amplius declaratur.*

1. CONCL. I. Legibus Summi Pontificis in materia spirituali, & salutem animarum, rectamque Ecclesiæ gubernationem concernente, pro toto Orbe Christiano legitime latis, obligantur omnes Christi Fideles. Ita Catholici unanimiter. Ratio est: quia Christus Dominus Divo Petro, ejusque legitimis Successoribus Romanis Pontificibus, omnium suarum Ovium curam demandavit, *Joan. 21.* trina vice eidem præcipiens: *Pasce oves meas*. Accedit illa generalis promissio eidem facta, Matth. cap. 16. *Tibi dabo claves Regni cælorum & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis*: nam sub ista generali promissione continetur etiam potestas condendi justas leges, ut sic Oves Christi securius pascantur.

2. CONCL. II. Etiam Hæretici obligantur Legibus Pontificiis pro toto Orbe Christiano latis. Ita communis Theologorum, adeo ut Lugo *disp. de Pœnitentia, sect. 7. n. 147.* absurdissimum esse dicat, si quis negaret, Hæreticos obligari Legibus Ecclesiasticis jejunii, abstinentiæ a carnibus, Censuris contra eos latis, & hujusmodi. Ratio est: quia Hæretici per Baptismum jam sunt ingressi Ecclesiam, ejusque membra effecti; ergo obligantur legibus ejusdem. Et certe, si ipsi non obligarentur Legibus Ecclesiasticis, frustra tot leges pœnales in Jure Canonico, aliisque Constitutionibus Ecclesiasticis, contra Hæreticos fuissent latæ.

3. Nec obstat, quod Hæretici resistant Ecclesiæ, Summoque Pontifici, ac legibus ipsius. Resp. enim, hoc neutiquam eos excusare; cum ex suo delicto, atque perfidia, nemo debeat reportare commodum, puta exemptionem a legibus. Quinimo Hæretici pertinaciter non obtemperantes legibus (quibus tamen de jure tenentur obedire) eo amplius peccant: *Cum tanto sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam*, ut dicitur *in cap. ult. de Consuet.* Hinc in forma Resp. distinguendo antecedens: Hæretici de facto resistunt legibus Ecclesiæ, conceditur; de jure ipsis resistunt, ita ut bene in hoc agant, negatur antecedens & consequentia.

4. Ex hac conclusione infertur cum Gobath *tract. 9. Theologiæ Experiment. num. 49. & seqq.* & communi aliorum, quando quidem Hæretici subsint Legibus Ecclesiasticis quod eorum matrimonia contracta cum impedimento dirimente vi Juris Ecclesiastici,

v. g. in tertio aut quarto gradu consanguinitatis, vel affinitatis, sint nulla & invalida: unde sequitur, quod si ad veram Fidem Catholicam convertantur, impetrata prius legitima dispensatione, horum matrimonia sint renovanda.

5. CONCL. III. Judæi, Saraceni, atque Pagani, item Catechumeni necdum baptizati, non obligantur Legibus Ecclesiasticis. Ita communior, contra Innocentium, Hostiensem, & Fagnanum *c. Canonum statuta, n. 64. de Constit.* Ratio Conclusionis est: quia tales per Baptismi januam necdum sunt ingressi Ecclesiam, cui proinde subjecti non sunt. Hinc in Jure Canonico *c. Gaudemus de Divortiis*, expresse dicitur, quod Infideles & Pagani, *Constitutionibus Canonicis non arctantur: quid enim ad nos secundum Apostolum* (1. Corinth. 4.) *de his, qui foris sunt, judicare?*

6. Infertur proinde, tales valide contrahere matrimonium cum impedimento dirimente Jure duntaxat Ecclesiastico: ut si contrahant in secundo, tertio, vel quarto gradu consanguinitatis, aut affinitatis, & hujusmodi. Infertur ulterius, Infideles non baptizatos, atque Catechumenos, non obligari lege Ecclesiastica de jejunando, aut habenda abstinentia carnium certis diebus ab Ecclesia præscriptis, & aliis hujusmodi: siquidem tales necdum per Baptismum ingressi sunt Ecclesiam, proinde ejus legibus non subjacentur.

7 Limita tamen hoc primo, nisi hujusmodi Leges Ecclesiasticæ contineant Jus naturale, vel Divinum; utputa de non blasphemando, non furando, & hujusmodi: nam ad talium legum observantiam obligantur etiam Judæi, aliique Infideles, non quidem vi Legis Ecclesiasticæ, sed vi Juris naturalis, aut Divini.

8. Limita secundo, nisi Judæi, aliive Infideles subsint Ecclesiæ in temporalibus; prout fit Romæ, & in nonnullis aliis locis: tunc enim ii tenentur obedire Papæ, aut alii Prælato Ecclesiastico quoad ea, quæ eorum statum concernunt, non minus, ac tenerentur obedire legibus alterius Principis temporalis, si in ejus territorio morarentur.

9. CONCL. IV. Leges inferiorum Prælatorum Ecclesiasticorum solum adstringunt subditos propii sui Territorii: & sic Leges, seu Constitutiones in Concilio Provinciali editæ obligant duntaxat subditos intra talem Provinciam existentes; Statuta vero Episcoporum obligant tantum subditos propriæ Diœcesis, dum intra ipsam existunt; & sic loquendo de aliis. Ita communis Doctorum, Ratio est: quia ad obligationem legis necessaria est jurisdictio: atqui hæc deficit, si alter non sit subditus legislatoris, aut extra ipsius Territorium existat; ergo. Hinc *cap. ult. de Constit. in 6.* decernitur, quod si Episcopus per speciale Statutum sub pœna excommunicationis quidpiam prohibuerit, v. g. furtum, ejusmodi Statutum non obliget suos Diœcesanos extra ipsius Diœcesin actu existentes, ac proinde hi, si extra illam Diœcesin delinquant, v. g. furtum committant, non incurrant excommunicationem. Siquidem *Extra territorium jus dicenti impune non paretur*, prout ibidem subjungitur.

10. Quæres, an Religiosi auctoritate Apostolica ab Ordinariis locorum exempti, teneantur eorum legibus, seu Statutis? Resp. I. Teneri in omnibus casibus, qui in Jure sunt expressi. Sic in Concilio Trid. *Sess. 25. cap. 12. de Regularibus*, habetur statutum, ut Censuræ, & interdicta ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque observentur. Item, ut Dies Festi, quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus serventur. Tacentur alii similes casus, utpote quorum notitia specialiter Religiosis incumbit.

11. Resp. II. Quamvis in aliis casibus Religiosi exempti de jure non teneantur ad observantiam Statutorum Episcopalium, utpote a quorum jurisdictione specialiter sunt exempti, nihilominus ratione scandali evitandi quandoque tenentur Regulares exempti etiam ad observandas alias Constitutiones Synodales, & Statuta Episcopalia, dummodo Statui Religioso non repugnent, simulque spectent ad communem observantiam, ac devotionem totius populi; prout recte observat Sanctus *l. 4. in Decalog. c. 15. n. 21.* Vasquez, & alii. Hinc quando Lege Diœcesana præcipiuntur jejunia, populus valde scandalizabitur, si viderit talia jejunia non observari a Religiosis illis, quos, utpote vitæ austerioris professores, judicat ad hoc magis obligatos: unde revera ratione talis scandali evitandi, tunc Jure naturæ tenebuntur Regulares exempti ad talia jejunia observanda.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An Clerici obligentur Legibus Civilibus, ac Legislator teneatur propriis?

SUMMARIUM.

12 *In Legibus vis obligandi directiva, & coactiva, quid?*
13 *Leges & Statuta Laicorum non extenduntur ad Ecclesias, & Clericos, nisi approbentur ab Ecclesia.*
14 *Eisdem tamen quandoque obligantur Clerici quoad vim directivam.*
15 *Corollarium.*
Non vero quoad vim coactivam.
16 *Legibus a Republica latis tenentur singuli ex illa.*
17 *Princeps supremus tenetur propriis legibus vi directiva, non coactiva.*
18 *Corollarium de Papa, an obligetur præceptis totius Ecclesiæ?*
19 *Declaratur conclusio.*

12. ADvertendum, quod in Legibus duplex vis obligandi distingui soleat, una directiva, alia coactiva. Ille dicitur a lege obligari vi directiva ad quidpiam agendum, vel omittendum, qui in conscientia, & sub peccato tenetur servare talem legem: unde hujusmodi obligatio est sub culpa, sive dein dicta obligatio proveniat ex vi ipsiusmet legis, prout leges solent obligare subditos, sive alitunde, puta ex naturali æquitate, & dictamine rectæ rationis. Ille vero dicitur a lege obligari vi coactiva, qui tenetur ad observantiam ejus ex vi ipsius legis, aut potestatis legislativæ, ita ut sit legi subjectus, & si eam non observaverit, subjaceat pœnis per legem taxatis, aut per legislatorem infligendis: unde hæc obligatio respicit pœnam transgressoribus incumbentem. His prænotatis, sit

13. CONCL. I. Leges civiles, seu Statuta Laicorum, non extenduntur ad Ecclesias vel personas Ecclesiasticas, earumque bona, nisi ab Ecclesia approbentur. Hæc Conclusio habetur expresse in Jure Canonico variis in locis, ac præsertim *cap. 7. & 10. tit. de Constitut.* Accedit ratio: quia Ecclesia, & personæ Ecclesiasticæ, (uti sunt Clerici, atque Regulares) earumque bona, sunt exempta a jurisdictione Principum sæcularium: atqui lex non obligat eos, in quos legislator non habet jurisdictionem; ergo.

14. CONCL. II. His tamen non obstantibus, si Leges Civiles expresse non dissonant de Ecclesiis, Clericis, eorumque bonis, sed ob publicam utilitatem communiter quidpiam statuant, neque repugnent Statui Clericali, aut Immunitati Ecclesiasticæ, eisdem etiam obligantur Clerici quoad vim directivam, licet non quoad vim coactivam. Ita Doctores passim. Ratio est: quia, quamvis talis obligatio erga Clericos directe non possit provenire ex legibus Civilibus, ob defectum jurisdictionis in Clericos; ea tamen partim provenit ex naturali æquitate (nam *turpis est omnis pars sui universo non congruens, c. Quæ contra distinct. 8.*) simulque ad vitandum scandalum aliorum, atque ad conservandam unitatem & pacem Reipublicæ; partim vero dicta obligatio provenit ex auctoritate Ecclesiæ. Nam, ut dicitur cap. 1. *De novi operis nunciat. Sicut leges non denegantur sacris Canonibus imitari, ita sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur*; illis videlicet, quæ communem concernunt Reipublicæ utilitatem, neque sacris Canonibus, aut Immunitati Ecclesiasticæ repugnant.

15. Infertur proinde, quod Leges Civiles pretia rerum taxantes, vel mercium evectionem extra Provinciam prohibentes, aut certum modum ædificandi præscribentes, & hujusmodi, etiam obligent Personas Ecclesiasticas, saltem quoad vim directivam (aliquin enim magna in Republica oriretur deformitas, & confusio) quamvis non quoad vim coactivam, ita scilicet, ut Clerici subjaceant pœnis per leges Civiles statutis, aut per Judices sæculares puniri valeant; cum sint exempti ab eorum jurisdictione. Unde Clerici, si fuerint tranigressores talium legum, oblata querela deferendi sunt ad judices seu Prælatos suos Ecclesiasticos, ab eisque perpensa gravitate materiæ, & scandali suborti, pœna condigna affici debent, sive statuta per legem Civilem, sive alia mitiore; prout notat Roderitus *tom. 1. qq. Regul. q. 66. art. 2. reg. 9.* Laymam *l. 1. tr. 4. cap. 13. num. 4.* & alii.

17. CONCL. III. Quantum nunc attinet ad alteram partem Quæstionis, & loquendo imprimis de talibus Legibus, quæ ab aliqua Republica, vel tota Communitate conduntur, nullum dubium est, quin iisdem singuli ex tali Communitata obligentur: Sic quippe legibus a Magistratu latis, teneantur singuli Consiliarii; & Statutis per Canonicos capitulariter confirmatis, obligantur singuli Canonici in particulari. Ratio est clara: quia singuli

guli Canonici, vel Consiliarii, sunt subditi respectu totius Capituli, vel Magistratus; ergo & obligantur legibus ipsius.

17. CONCL. IV. Loquendo vero de Legibus ab aliquo supremo Principe latis, & quidem de talibus, quæ Principem æque ac subditos decent, Princeps seu Legislator, cessante rationabili causa excusante, tenetur etiam propriis legibus vi directiva, non tamen vi coactiva. Ita communior Doctorum. Ratio primæ partis, loquentis de vi directiva, est: Quia alioquin subditi ex libera transgressione propriæ Legis per Legislatorem facta facile scandalizarentur. Simulque jure de talibus dici posset illud Salvatoris, Matth. 23. *Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* Hinc illud Catonis dictum: *Patere legem, quam tu ipse tuleris, c. Cum omnes, de Constitut.* Altera pars, quod Legislator non teneatur suis legibus vi coactiva, probatur ex eo: quia, ut quis teneatur legibus vi coactiva, debet posse cogi per superiorem ad earum observantiam: & si ipsas non observaverit, puniri: atqui Princeps supremus, seu Legislator non recognoscit superiorem in terris, a quo possit cogi, vel puniri, a se ipso autem nemo proprie cogitur: ergo.

18. Infertur proinde, quod Papa non obligetur vi coactiva præcepto audiendi Missam, vel jejunandi diebus statutis; quia non habet superiorem in terris, a quo cogi possit ad talium legum Ecclesiasticarum observantiam, & ob earum transgressionem puniri: a semetipso autem nemo proprie cogitur. Nihilominus tenetur Papa propriis legibus statum suum æqui ac alios decentibus, vi directiva, adeo ut peccaret, cessante rationabili causa excusante, non observando ejusmodi leges Ecclesiasticas, a se vel suis antecessoribus latas. Et idem dicendum de Imperatore respectu legum Imperialium æque personam Imperatoris decentium, & aliis hujusmodi.

19. Dicitur notanter in Conclusione, *loquendo de talibus legibus, quæ Principem æque ac subditos decent.* Siquidem certum est, Principem atque Legislatorem iis legibus nullatenus obligari, quæ ad subditos directe feruntur, & in Principem proprie non cadunt: quales leges sunt, ne quisin civitate arma ferat, ne vestibus auro intextis utatur, ut qui libet tributa aliasque exactiones diligenter solvat, & alia plura hujusmodi: nam patet, tales leges Principi non convenire, neque ipsum astringere.

QUÆSTIO III.

An Peregrini obligentur Legibus, & Consuetudinibus locorum, per quæ transeunt?

SUMMARIUM.

20 *Peregrini tenentur legibus totius Ecclesiæ ubique locorum.*

21 *Tenentur etiam legibus particularibus locorum, cum primum ibi domicilium, figunt.*

22 *Si mora in aliquo loco sit longior, tenetur peregrinus ad ejus leges.*

23 *Advenæ & peregrini quoad contractus tenentur legibus locorum.*

24 *Corollaria.*

25 *An Advenæ & Peregrini teneantur aliis particularium locorum, variant Doctores. Sententia tamen affirmativa est probabilior.*

26 *Hujus multiplex probatio.*
(a) Dist. 1. n. 18.

27 *Quid dicendum de legibus universalis Ecclesiæ, quando ipsæ alibi, sed non in patria patria obligant?*

28 *Corollarium de incolis regni Castellæ. Aliud de Germanis existentibus in Italia.*

29 *Contraria nonnullorum sententia refertur.*

30 *Quid e contra dicendum de legibus, quæ vigent in patria, sed non in loco, ubi quis hospitatur.*

20. CElebris, & plurimum practica Quæstio est præsens, unde exactius declaranda propter quotidianorum casuum emergentias. Et quidem, ut certa ab incertis separentur, certum imprimis est, legibus communibus totius Ecclesiæ ubique locorum teneri Peregrinos, & Advenas Christianos; cum semper subsint jurisdictioni Ecclesiæ, ubicunque existant. Sic quilibet peregrinus tenetur ad jejunia Quadragesimæ & Vigiliarum; atque ad audiendam Missam diebus Dominicis, Festivisque; quia hæc sunt de præcepto totius Ecclesiæ.

21. Certum insuper est, illum, qui migrat aliorsum fixurus ibidem domicilium, mox teneri legibus illius loci, cum primum incipit ibidem degere: nam ex tunc incipit esse incola illius loci. Sic constituens domicilium in Civitate Frisingensi, mox tenetur ad servanda omnia Festa particularia hujus loci,

loci, quæ sunt de præcepto, quamvis primum heri vel nudius tertius advenerit.

22. Præterea si mora in aliquo loco sit longior, utputa per hebdomadam, vel saltem per mensem, ratione cujusdam negotii expediendi, usus communis docet, tales Peregrinos teneri sese accommodare legibus & consuetudinibus loci, observando scilicet Festa vel jejunia de præcepto illius loci. Ratio est: tum quia hoc exigit quies Reipublicæ, quæ aliasex diversis hominum moribus perturbaretur. Tum quia habitatores ad tempus longius in aliquo loco acquirunt ibidem quasi domicilium; nam quasi domicilium dicitur locus, ubi quis per longius tempus morari trahit, absque tamen animo ibidem perpetuo consistendi. Quæstio igitur remanet solum de Advenis & Peregrinis, qui vel per talem locum transeunt, vel ibidem pro brevi duntaxat tempore morantur absque animo figendi domicilium, vel quasi domicilium; & de his loquendo sit

23. CONCL. I. Advenæ & Peregrini quoad contractus obligantur legibus locorum, per quæ transeunt, atque ibidem contrahunt. Hæc Conclusio est certa, & communis Doctorum ac patet tum ex consuetudine & communi sensu populorum, tum ex *c. ult. de Foro competenti*, ubi dicitur, quod *ratione contractus forum quis sortitur*; atqui forum sortiri, & legibus loci astringi, a pari procedunt. Similia habentur in Jure civili: unde loquendo de legibus contractuum, præsens Quæstio non habet difficultatem.

24. Sic in primis tenentur Peregrini servare formam contractuum in tali loco præscriptam. Similiter obligantur ad pretium ibidem taxatum, in emptione rerum persolvendum. Insuper ab iisdem Advenis, seu Peregrinis, debet solvi vectigal alicui contractui justè appositum; quia est onus contractus ibidem celebrati; & idem dicendum de similibus.

25. CONCL. II. Quamvis multi Doctores probabiliter teneant, Peregrinos & Advenas non astringi peculiaribus legibus atque consuetudinibus particularium locorum, per quæ transeunt, vel in quibus brevi duntaxat tempore per modum hospitii reperiuntur, cessante tamen scandalo, & quando ea non obligant in proprio suo domicilio; prout sub datis limitationibus docet Sanch. *l. 3. de Matrim. disp. 28.* & rursum *lib. 1. in Decal. cap. 12. num. 38.* citans Sylvestrum, Tolet um, Rosellam, Azorium, plurosque alios, quibus postea accesserunt Sannig. *disp. 3. de Legib. quæst. 8. num. 9.* Tannerus, Bonacina, Diana, & Layman *l. 1. tract. 4. cap. 12. n. 4.* inde inferens, quod Peregrinus veniens Augustam die S. Udalrici, qui eo loco Festus est, non teneatur (per se loquendo, & seclusio scandalo) Missam audire, & a servilibus operibus abstinere, licet totum diem ibi mansurus sit. Nihilominus opposita sententia, quæ ejusmodi obligationem admittit, est communior, simulque probabilior, eamque tenet Abbas *in cap. Consilium num. 6. de Observat. jejunior.* id probans ex textu illius Capituli. Hothensis, Suarez, Valquez, Navarrus, Ledesma, Covarruvias, Henriquez, Palaus, Lezana, Herinex, & Mastrius *disp. 2. Theol. Mor. num. 119.* pro hac sententia citans quamplures alios.

26. Ratio hujus posterioris sententiæ desumitur imprimis ex Jure Canonico, *can. Illa, dist. 12.* ubi ex S. Augustino, *Epist. 118.* refertur sententia D. Ambrosii, dicentis: *Cum Romam venio, jejuno Sabbato; cum Mediolani sum, non jejuno: sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem servа, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* Ubi Glossa Verf. Societate, ait: *quod quilibet teneatur vivere secundum consuetudinem illorum, inter quos versatur, c. qua contra dist. 8. &c. quisquis. dist. 41. Unde versus:*

Si fueris Romæ, Romano vivito more:
Et si sis alibi, vivito sicut ibi.

Accedit ratio: quia leges immediate censentur afficere locum, seu territorium legislatoris, atque hinc in subditos ibidem existentes transire, ut dictum superius (a) & notat Layman *l. c. cap. 11. n. 1. & 2.* post Suarez, & alios; ergo hoc ipso, quod Peregrinus reperitur in tali loco, tenetur legibus particularibus illius, ac censetur subditus domini illius territorii. Unde secundum omnes Advenæ, non servans leges peculiares alicujus loci, potest a legislatore, ac Judice illius loci propter talium legum transgressionem puniri; & consequenter ad eas obligatur.

27. CONCL. III. Loquendo nunc de Legibus universalis Ecclesiæ, Advenæ & Peregrini, licet in loco diu moraturi non sint, sed tantum transeant, obligantur communibus legibus & consuetudinibus totius Ecclesiæ ibidem vigentibus, quamvis hæ in ipsorum patria ex speciali privilegio, aut consuetudine non observentur, neque obligent. Hæc Conclusio a fortiori procedit propter dicta *num. præced.* etsique communis inter Doctores, paucis exceptis. Ratio ulterior est:

quia

quia Jus commune universos ex natura sua obligat; & si alicubi ratione specialis privilegii, vel consuetudinis contrariæ non obligat, id videtur esse privilegium locale, seu loco cohærens, non autem personale, seu sequens personam, quocunque ierit. Accedit, quod tales consuetudines a Jure communi exorbitent: sed quæ a Jure communi exorbitant, sunt restringenda, juxta reg. 28. Juris in 6. cum concordantiis.

28. Infertur proinde cum Doctoribus passim, quod Castellanus (id est, incola regni Castellæ in Hispaniis, ubi de antiqua consuetudine licitum est, diebus Sabbatinis comedere extremitates, & intestina animalium) dum per alienas regiones peregrinatur, peccet vescendo extremitatibus ac intestinis illorum animalium diebus Sabbati. Similiter Germani, dum tempore Quadragesimæ, vel aliis diebus jejunalibus morantur in Italia, tenentur abstinere a lacticiniis, juxta consuetudinem universalis Ecclesiæ ibidem etiamnum vigentem, non obstante, quod in Germania licitus sit esus lacticiniorum (id est, lactis, butyri, casei, & ovorum) diebus jejunalibus. Et idem dicendum de aliis similibus.

29. Cæterum quamvis hæc sententia sit valde communis, simulque tutior & probabilior, ac proinde ordinarie in praxi tenenda, maxime ut evitetur occasio omnis scandali: nihilominus non desunt Doctores aliqui oppositum tenentes cum Sanchez *l. 3. de Matrimonio, disp. 28. num. 7.* quorum sententiam non omnino improbabilem censet Layman *cit. cap. 12. nu. 3.* dummodo absit omne periculum scandali. Unde propter authoritatem talium virorum Doctorum (inquit Ludov. Engel, *cit. de Constitut. num. 30.*) non auderem semper alicujus gravis peccati damnare eum, qui contrarium teneret seu praticaret, præsertim accedente aliqua rationabili causa, v.g. conservandæ valetudinis, & remoto scandalo: ut si Germanus tempore Quadragesimæ in Italia privatim comederet ova, caseum, & alia lacticinia. Hæc ille.

30. CONCL. IV. E contra vero Advenæ, & Peregrini non tenentur præceptis Juris communis, etiam in sua patria vigentibus, si hæc non sint in ulu in loco, ubi per modum hospitii reperiuntur, aut morantur. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia quilibet potest se accommodare rationabilibus consuetudinibus locorum, in quibus existit. Hinc infertur, quod Germanus, si per regnum Castellæ in Hispaniis existens transeat, possit ibidem diebus Sabbatinis licite vesci extremitatibus & intestinis animalium, quibus ibidem vesci licitum est. Similiter Itali, dum hospitantur, aut morantur in Germania, licite diebus jejunalibus comedunt lacticinia, non obstante, quod hæc in Italia sint gravissime prohibita: & sic loquendo de aliis. Ratio hujus ulterior est: quia nemo tenetur ad patriæ consuetudines, dum ab ea abest; imo in hujusmodi casibus valet privilegium locale, quo frui possunt omnes, qui morantur in tali loco.

QUÆSTIO IV.

Resolvuntur varia quæsita quoad Peregrinos.

SUMMARIUM.

31 *Occasio movendi sequentes quæstiones.*
32 *Discrepantia inter Calendarium novum & antiquum.*
33 *An extra Parochiam, ubi est Festum, Parochiani possint alibi laborare?*
34 *An etiam exire ad alibi laborandum?*
35 *An talis mane exiens teneatur prius Missam audire?*
36 *Negativa est valde probabilis.*
37 *Quando teneatur prævenire audiendo Missam?*
38 *An discedens loco, ubi non est jejunium, perventurus tamen ad locum, ubi est jejunium, possit comedere carnes?*
39 *Utrum teneatur absolvere jejunium Quadragesimale, qui pervenit ad locum, ubi illud jam est absolutum?*
40 *Cessante fraude, negativa respondetur.*
41 *Quid, si in fraudem jejunii inde discedat?*
42 *An e contra, qui jejunium jam peregit, teneatur rursus jejunare?*

31. ADvertendum, multa esse Festa particularia locorum, quæ in una Diœcesi vel Parochia obligant sub præcepto, in alia vero non obligant. Sic Festum S. Wolfangi in Diœcesi Ratisbonensi, die 31. Octobris, est de præcepto, non vero in vicina Diœcesi Frisingensi: unde in ipsa civitate Landishutana licitum est hac die operas servilia exercere, cum pertineat ad Diœcesin Frisingensem, non vero in suburbiis ultra Isaram, quia spectant ad Diœcesin Ratisbonnensem. Et alia quam plura exempla passim habentur in confinibus duarum Diœcesium,

sium, in ordine ad Festa particularia dictarum Diœcesium.

32. Hoc idem contingit quoad Festa & jejunia totius Ecclesiæ in illis locis, in quorum uno Calendarium Romanum novum, in altero vero vetus observatur: nam quamvis hæc duo Calendaria conveniant quoad dies Dominicos, nihilominus quoad Festa immobilia, una cum jejuniis prævis discrepant decem diebus, quoad Quadragesimam vero, ac Festa mobilia Paschatis, & Pentecostes, &c. quandoque concordant, quandoque pluribus hebdomatibus discrepant. Unde plures casus formari possunt de iis, qui ab uno loco ad alium transeunt, an & quomodo teneantur ad hujusmodi Festa, vel jejunia de præcepto observanda. Hoc præmonito

33. Quæritur I. An, quando est Festum in una Parochia, in altera autem Parochia vicina non est, possint subditi Parochiæ, in qua est Festum de præcepto, extra limites suæ Parochiæ laborare? Resp. affirmative, prout tenet Lessius *lib. 4. de just. & jur. cap. 2. num. 55.* Navarrus *cap. 13. Manualis, num. 5.* & alii. Ratio est: quia Statuta, & consuetudines locales, sunt veluti loco affixæ; unde non ligant talia Festa Parochianos, dum exultans extra districtum Parochiæ.

34. Quinimo Navarrus *loc. cit.* asserit, posse rationabiliter teneri, eos qui in Festi Vigilia, vel etiam ipsomet Festo, a suo proprio loco in alium laborandi gratia exeunt, ubi Festum illud non observatur, juxta rigorem Juris non peccare. Rationem dat: quia non laborant in loco, ubi est dies Festus. Accedit, quod tales videantur uti jure suo. Verumtamen communiter homines magis timorati in tali casu solent servare diem Festum, quamvis si ab aliquibus sententia Navarri præticaretur, non esset ipsis formandus scrupulus peccati: præsertim, si prius ante suum egressum audiant Missam, ut vult citatus Navarrus.

35. Quæritur II. An talis exiens e loco, ubi est Festum de præcepto, teneatur audire ibidem Missam, si eodem die perveniat ad locum, ubi non est dies Festus? Affirmat Navarrus *cit. num. 5.* eo quod dies Festus, ubi aliquem deprehendit, obliget eum ad sui observantiam.

36. Communior tamen, & valde probabilis sententia est, talem non teneri ad Sacrum in priori loco audiendum, dummodo eodem mane sit venturus extra limites illius loci, ubi agitur dies Festus. Ratio est: quia quando præcipitur auditio Missæ, subintelligitur tacita conditio, si toto illo tempore, quo Missæ celebrantur, quis manserit in loco dicti Festi, & consequenter subditus præcepto: talis autem adhuc mane est extra fines illius Parochiæ Festum de præcepto celebrantis, prout supponitur: ergo.

37. Neque tenetur talis prævenire, audiendo Missam ante suum discessum: quia tunc solum tenemur prævenire, quando manente vi præcepti, seu nostra subjectione, videmus nos postea fore impediendos; ut cum quis manens in loco, ubi viget præceptum diei Festi, videt se horis posterioribus impeditum iri negotiorum causa, tenetur prius audire Missam. Secus est, quando intra tempus implendi præceptum definit esse subditus alicujus loci particularis, & reperitur extra limites illius; prout argumentatur Lessius *loc cit. n. 36.*

38. Quæritur III. An, qui mane discedit ex oppido, ubi non est jejunium, possit comedere carnes, quamvis vespere, vel meridie sit venturus ad locum, ubi est jejunium de præcepto? Resp. Affirmative, eo quod in priori loco constituras, nondum teneatur lege jejunii posterioris loci. Non tamen e contra potest quis in loco domicilii, ubi est jejunium, vesci carnibus, si inde mane discedat, perventurus ad locum, ubi non est jejunium. Ratio est: quia tenetur legibus proprii domicilii, quamdiu in eo reperitur.

39. Quæritur IV. Utrum is, qui durante Quadragesima negotiorum causa e loco proprii domicilii recedit, ac venit in locum, ubi ob discrepationem novi & veteris Calendarii Quadragesima jam est peracta, teneatur eandem ibi perficere, & tamdiu abstinere a carnibus, atque jejunare, donec compleatur tota Quadragesima? Ratio dubitandi est: quia præceptum jejunii Quadragesimalis est generale; ergo obligat ubique, & ubique impleri debet. Et hujusmodi sententia affirmativa utique est magis pia, tutior, ac proinde Catholicis omnibus in praxi suadenda.

40. Nihilominus oppositum videtur probabilius: si loquamur de iis, qui non in fraudem jejunii, sed bona fide, v. g. negotiorum causa, ab uno loco in alium commigrarunt, præsertim cum valde difficile sit, in convictu humano seorsim ab aliis servare jejunium, & cæteris omnibus a lege jejunii so-

solutis, ac Festa Paschalia cum gaudio celebrantibus, adhuc jejunare, & Quadragesimam continuare, prout tenet Lessius ibidem *n.* 59. & Bonacina *disp. 1. de Legibus, qu. 1. punct. 6. nu. 64.* cum aliis. Ratio generalis est: quia potest quis sese moribus eorum, quibuscum vivit, accommodare juxta illud vulgatum, & superius jam adductum:

Si fueris Romæ, Romano vivito more;
Et si sis alibi, vivito sicut ibi.

41. Dicitur notanter, *si loquamur de iis, qui non in fraudem jejunii &c.* Siquidem, ut dicitur *c. Sedes, & c. Ex tenore de Rescript. Franc, & dolus alicui patrocinari non debet*: unde non careret scrupulo peccati gravioris, si civis Landishutanus die 31. Octobris exiret ad suburbana civitatis ultra Isaram, eo solum animo, ut ibi posset vesci carnibus (siquidem in Diœcesi Ratisbonensi, ob solemnitatem S. Wolfangi, principalis Patroni, hac die non est jejunium Vigiliæ omnium Sanctorum, sed illud pridie anticipatur) quia hoc fieret in fraudem legis, ac jejunii Vigiliæ omnium Sanctorum totam Ecclesiam obligantis: quidquid cum nonnullis aliis contradicat Bonacina *l. c.* ea ratione permotus, quod talis videatur uti jure suo.

42. Quæritur V. Utrum e contra is, qui explevit jejunium Quadragesimæ, vel aliud, si venerit ad locum, ubi illud necdum est peractum (prout sæpe fit itinerantibus ratione novi Calendarii non ubique recepti) teneatur ibidem rursum a carnibus abstinere, atque jejunare? Resp. cum cit. Lessio *n.* 52. & aliis, talem non teneri: quia præceptum illud jam implevit: Ecclesia vero neminem obligat ad duplex jejunium. Cavendum tamen, ne alii inde scandalizentur. Et hoc idem dicendum est de celebratione Festorum, ac similibus aliis.

QUÆSTIO V.

Qua intentione, quibusque actibus satisfiat præceptis Legum?

SUMMARIUM.

43 *Intentio duplex hic distinguenda.*
44 *Ut impletur præceptum, requiritur intentio faciendi opus.*
45 *Non tamen intentio satisfaciendi præcepto.*
46 *Corollaria.*
47 *Oportet tamen mutare animum.*
48 *Potest quandoque adimpleri præceptum per actum ex circumstantia malum.*
49 *Solvitur objectio.*
50 *Nisi modus sit de intrinseca ratione actus præcepti.*
51 *Potest quandoque uno actu satisfieri pluribus præceptis.*
52 *Fallit hoc in debitis justitiæ.*
53 *Quid de Pœnitentia Sacramentali?*
54 *An eodem tempore per plures actus possit satisfieri pluribus præceptis?*
55 *Corollarium.*

43. QUantum ad primam Quæstionis partem attinet, advertendum est, quod in executione operis præcepti possimus duplicem habere intentionem; unam præstandi opus, quod præcipitur; alteram satisfaciendi præcepto per tale opus. Hoc prænotato Quæstio remanet, quænam ex his intentionibus requiratur ad satisfaciendum præceptis, seu legibus.

44. CONCL. I. Ut præceptum adimpleatur, requiritur ad minimum intentio faciendi opus, quod præcipitur; sic v. g. ut quis satisfaciat præcepto Divini Officii peragendi, requiritur intentio recitandi Horas Canonicas, seu orandi, & non sufficit earum recitatio facta solo animo studendi, vel discendi. Ita Sanchez *lib. 1. Decal. c. 13. n. 2.* Bonacina *disp. 1. de Legibus, q. 1. punct. 10. n. 2.* & alii. Ratio est: quia opera præcepta debent præstari modo humano, non præstantur autem humano modo, nisi adsit voluntas, & intentio eadem præstandi: sic enim recitatio Horarum Canonicarum facta recreationis, aut studii causa, proprie non est oratio. Idem dicendum de eo, qui negotiorum causa, vel animo meditandi intrat in templum, nihil cogitans de Missa audienda, quæ interim celebratur; nam non censetur eam audivisse, cum defuerit animus ipsam audiendi.

45. CONCL. II. Nihilominus ad satisfaciendum præcepto non requiritur intentio satisfaciendi præcepto, sed sufficit intentio præstandi opus, quod præcipitur. Ita cit. Sanchez *nu. 9.* Suarez, Herincx *disp. 3. de Legib. n. 80.* & alii. Ratio est: quia lex humana tantum præcipit voluntariam operis executionem, non autem quasi reflexam implendi præcepti intentionem.

46. Infertur proinde, quod si quis die Festo Missam reverenter audiat, non recordatus, esse diem Festum, is jam satisfaciat præcepto, ex communi Doctorum sententia. Quinimo, licet Missam die Festo attente audiens, habeat expressam intentionem tunc non satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, sed aliam postea Missam audiendi, adhuc is satisfacit, ita, ut non teneatur postmodum aliam audire, prout notant cit. Authores, & Layman *cit. tract. 2. cap. 4. n. 7.* Suarez; & alii; quamvis nonnulli contrarium sentiant. Et eadem ratio est de Horis Canonicis: quod scrupulosis notandum est, qui cum videntur sibi inter orandum distracti, Officium, vel partem Officii recitant cum proposito postea repetendi: neque enim tales tenentur repetere Officium, præsertim si eorum distractio fuit involuntaria.

47. Fatendum tamen est, si quis in tali voluntate non satisfaciendi præcepto permanserit, eum peccaturum ratione pravæ suæ intentionis; quam proinde tenetur deponere, animumque mutare. Similiter si quis in falsa persuasione maneat, quasi præcepto non satisfecerit, peccabit ratione suæ conscientiæ erroneæ, nisi vel animum mutet, aut errorem deponat, vel aliam Missam audiat, sive Horas Canonicas repetat; & idem dicendum de similibus aliis.

48. CONCL. III. Potest quandoque adimpleri præceptum per actum ex aliqua circumstantia malum. Ita Bonacina *loc. cit. punct. 9. nu. 1.* Suarez, Sanchez, & alii. Ratio est: quia talis adimplet substantiam præcepti; ergo etiam satisfacit præcepto, quamvis peccet pro ratione pravi finis, aut circumstantiæ malæ. Idem probatur exemplis, ac inductione: sic enim, qui jejunat ob vanam gloriam, aut ex affectu avaritiæ, ut pareat sumptibus, jam satisfacit præcepto jejunii Ecclesiastici, cum abstinet ab esu carnium, & multiplici refectione. Similiter Sacerdos, qui Missam celebrat in statu peccati mortalis, satisfacit & finæ obligationi, & præcepto audiendi Missam die Festivo, non obstante, quod gravissime peccet: siquidem ponendo actum præceptum jam adimplet quis id, quod injungebatur, & consequenter satisfacit etiam præcepto.

49. Nec obstat, quod talis non adimpleat modum ac finem præcepti, qui est honorare Deum per actum præceptum. Resp. enim, hoc neutiquam obstare: quia modus non cadit sub præcepto, dummodo non sit de intrinseca ratione actus præcepti. Et hoc idem dicendum de fine, juxta illud commune dictum Theologorum: *Finis præcepti non cadit sub præcepto.*

50. Additur tamen, *nisi modus sit de intrinseca ratione actus præcepti*: nam quando modus est de intrinseca ratione actus præcepti, nequit adimpleri præceptum non adimpleto modo. Sic sacrilege confitens, non satisfacit præcepto Paschalis Confessionis; quia ad Sacramentum Pœnitentiæ, tanquam partes ipsius, necessario debent concurrere contritio, & confessio omnium peccatorum. Similiter, si quis dormiens die Festo assistat Missæ, neutiquam satisfacit præcepto Ecclesiæ: quia ad devotam Missæ auditionem requiritur, ut quis assistat modo humano, seu cum advertentia rationis, quod in dormiente non fit. Idem accidit in similibus casibus.

51. CONCL. IV. Possumus uno, eodemque actu pluribus præceptis satisfacere, nisi aliud colligatur ex mente præcipientis. Ita Sanchez *loc. cit. cap. 14. nu. 5.* Herincx *num. 85.* & alii. Patet hoc ex quotidiana praxi: sic enim, qui obligatur ad recitandas Horas Canonicas ratione Ordinis sacri, simulque Beneficii Ecclesiastici, satisfacit una recitatione. Similiter quando Dominica, ac dies Festus de præcepto, incidunt in eundem diem, non tenetur quis audire duas Missas. Insuper qui vovit jejunare die Veneris, satisfacit unico jejunio, quamvis in eundem diem incidant Quatuor anni Tempora, vel Vigilia alicujus Sancti. Et hoc ipsum generaliter contingit in illis casibus, quando obligatio plurium præceptorum cadit super eandem materiam.

52. Dicitur notanter, *nisi aliud colligatur ex mente præcipientis*. Sic enim in primis non possumus unica solutione satisfacere pluribus obligationibus, seu debitis Justitiæ: nam qui debet alteri ex duplici obligatione bis centum florenos, non satisfacit, si semel dat centum. Ratio est: quia in debitis Justitiæ attenditur æqualitas rei ad rem: non potest autem unum centum esse æquale debitis plurium centum. Secus est in debitis legalibus, utpote in quibus attenditur mens & intentio legislatoris, quæ sæpius ferri potest in unum idemque opus.

53. Similiter, si culpam pro pœnitentia Sacramentali injungantur tria Rosaria, is non satisfacit recitando unicum Rosarium; quia circa hoc clara est intentio, & mens Confessarii præcipientis. Quinimo si Confessarius pro pœnitentia injungat auditionem Missæ, censetur (nisi oppositum aliunde colligatur) velle obligare ad aliam auditionem Missæ ab ea, quam quis die Festo audire tenetur: secus, si imponat quotidianam auditionem Missæ, nam tunc satisfaceret pœnitens

nitens unica in Festis audita; quia hæc præsumitur fuisse intentio Confessarii, nisi is aliud expressisset.

54. CONCL. V. Insuper possumus eodem tempore per diversos actus satisfacere pluribus præceptis, quoties unus actus non impedit alium. Ita Sanchez, Bonacina, & alii passim. Ratio est: quia ille præcepto satisfacit, qui facit id, quod præceptum est: sed quoties unus actus non impedit alium, possumus eodem tempore facere, quod pluribus præceptis est injunctum, ergo.

55. Sic qui tempore Missæ recitat Horas Canonicas, satisfacit præcepto Missæ audiendæ ratione diei Festi, utpote quam devote audit sub ea recitando Horas Canonicas; simulque præcepto Officii Divini, utpote quod devote recitat, sicque eodem tempore præstat diversos actus, quorum unus non impedit alterum. Et hæc limitatio ideirco additur, quia si unus actus exercitium alterius impediret, clarum est, non posse eodem tempore per diversos actus pluribus præceptis satisfieri.

DISTINCTIO IV.

De Interpretatione, Dispensatione, ac Revocatione Legum.

QUÆSTIO I.

De Interpretatione Legum, ubi & de Epicheja.

SUMMARIUM.

1 *Interpretatio, quid?*
2 *Interpretatio legum duplex, authentica, & doctrinalis.*
3 *Hæc potius mentі Legislatoris, quam verbis convenire debet.*
4 *Mens Legislatoris unde præcipue cognoscatur?*
5 *Verba generalia generaliter intelligenda, quomodo?*
6 *Lex pœnalis, & odiosa, stricte interpretanda.*
7 *Unde verba ejus accipienda cum effectu. Limitatur in crimine læsæ Majestatis, &c.*
8 *Leges favorabiles ample sunt interpretandæ. Nomine Clericorum, & Populi, qui comprehendantur?*
9 *Epicheja; quid?*
10 *Et quando differat ab interpretatione legis?*
11 *Habet quandoque locum.*

1. INterpretatio aliud non est, quam verbi vel sententiæ per aliud clarius explicatio: unde tunc fit Interpretatio legis, quando ipsa per alia verba clariora explicatur.

2. Cæterum *Interpretatio legum* generatim duplex est, una *necessaria, seu authentica*, qui nempe necessario est acquiescendum: & taliseſt illa, quam Princeps seu Legislator, aut ejus successor, in suis legibus dedit. De hac interpretatione intelligendum est illud, quod habetur *L. 11. C. de legibus*, junctо Summario ibidem: *Ejus est legem interpretari, cujus est condere.* Et *c. Inter alia de Sent. Excommunicat.* ibi: *Ut unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat.* Alia *Interpretatio legis* dicitur *doctrinalis*, scholastica, seu magisterialis: & talem possunt, ac solent dare Doctores, atque Authores diversorum Librorum, quæ tamen probabilitatem duntaxat affert, non necessitatem: unde hinc necessario inhærendum non est, nisi sit communis Doctorum consensus, ac alia meliora Juris fundamenta non suppetant. Porro ut hujusmodi Interpretatio doctrinalis melius fiat, pro ea rite ordinanda communiter solent dari quædam regulæ. Hinc sit

3. CONCL. I. Interpretatio legum potius mentі legislatoris, quam verbis convenire debet. Ita Doctores communiter: nam, ut dicitur *L. Scire. ff. de Legibus. Scire leges non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem.* Et *Regul. 88. Juris in 6. Certum est, quod ei committit in legem, qui legi verba complenti, contra legis mentem facit.*

4. Cæterum mens legislatoris ex ratione in lege posita præcipue cognoscitur. Hinc *c. Intelligentia de verb. significat.* dicitur: *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus.* Unde illud vulgatum: *Ratio legis est anima legis.*

4. CONCL. II. Verba generalia legis generaliter sunt accipienda: sive, Jus generaliter & indistincte loquens, generaliter & indistincte est intelligendum, nisi per aliud distinguatur. Ita rursum Doctores communiter. Hinc illud receptissimum: *Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus*, prout loquitur Summarium, *l. De pretio, ff. de Publiciana in rem actione.* Intellige, nisi jus illud per aliud distinguatur (quæ limitatio notanter in Conclusione additur) nam secus est dicendum, quando una lex generalis per aliam specialem aut per rationis, ac circumstantiarum diversitatem distinguitur.

6. CONCL. III. Lex pœnalis, & omnis alia odiosa, in dubio stricte interpretanda est; nec facile extendenda ultra casum & personas expressas. Ita unanimis Doctorum: siquidem juxta reg. 15. *Juris in 6. Odia restringi, & favores convenit ampliari.* Et *Reg. 40. eod. In pœnis benignior est interpretatio facienda.* Dicitur notanter, *in dubio stricte interpretanda est lex.* Quia si verba legis pœnalis, aut alterius odiosæ, ejusque mens adeo clara sint, ut salva ratione recti sermonis non possint aliam interpretationem habere, lex erit observanda, non obstante, quod odiosa & dura appareat: prout inter alia desumitur ex *l. Proponebat ff. Qui & a quibus manumiss.* Ibi: *Quod quidem perquam durum est; sed ita lex scripta est.*

7. Ex hac Conclusione inferunt Doctores, quod verba legis pœnalis intelligi debeant cum effectu arg. *c. Hæc autem verba de purgat. canonic. 1.* ibi: *Hæc autem verba cum effectu accipimus.* Sic Excommunicationem in percussores Clericorum latam non incurrit, qui Clericum voluit percutere, sed non potuit, quia voluntas, seu conatus, non punitur sine effectu. Excipe tamen crimen læsæ Majestatis, *l. Quisquis, C. ad legem Juliam Majestatis*, & nonnulla alia crimina in Jure specialiter expressa: siquidem quoad talia etiam ipsi conatui, seu voluntati in opus exterius prodeunti, a Legibus Civilibus, & sacris Canonibus, certæ pœnæ fuerunt decretæ, non obstante, quod ea crimina non fuerint opere externo completa; idque factum est ob summam pernicium, quam Reipublicæ inferre solent.

8. CONCL. IV. Leges favorabiles ample sunt interpretandæ: sive, in materia favorabili verba accipi debent secundum amplam suam significationem. Siquidem juxta citatam *reg. 15. Juris in 6. Odia restringi, & favores convenit ampliari.* Intellige, nisi

aliud exprimatur, vel appareat ex verbis legis, seu dispositionis. Sic in materia odiosa nomine Clericorum non comprehenduntur Episcopi, *cap. quia periculosum de Sentent. excomm. in 6.* Neque Canonici, aut alii in dignitate Ecclesiastica constituti, *arg. cap. Sedes de Rescriptis in 6.* Neque Religiosi, *arg. Clem. 1. De suppleuda neglig. Prælat.* cum concordantiis: bene tamen in materia favorabili. Similiter sub nomine Populi in materia pœnali non comprehenditur Clerus, ac proinde interdicto populo non censetur interdictus Clerus, nisi secus fuerit expressum, *c. Si sententia de Sent. excomm. in 6.* tamen in materia favorabili nomen Populi comprehendit non tantum Sæculares, sed etiam Clericos, ac Regulares. Idem dicendum de aliis similibus. Quantum nunc attonet ad alteram Quæstionis partem,

9. Quæres, quid sit Epicheja? Respond. *Epicheja* est benigna legis interpretatio secundum æquum & bonum, declarans, casum aliquem particularem ex mente legislatoris ob suas circumstantias speciales sub lege universaliter lata non esse comprehensum. *Nam in omnibus causis potior debet esse ratio æquitatis, quam stricti juris, l. Placuit. C. de Judiciis.*

10. Differt autem Epicheja ab Interpretatione legis. Siquidem per hanc interpretamur verba legis, quando sunt obscura & ambigua: per Epichejam vero interpretamur mentem legislatoris, ubi constat de universali verborum sensu, dubitatur autem de mente legislatoris, utrum nempe is talem casum particularem ob certas circumstantias voluerit, vel potuerit comprehendere sub generali locutione legis.

11. Et quidem quandoque esse locum Epicheiæ in casu aliquo particulari ob certas circumstantias concurrentes, communiter tenent Doctores. Ratio est: quia de iis, quæ forte uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur, *l. 4. & duabus segg. ff. de Legibus.* Etenim legislator in lege ferenda communem spectat utilitatem, ac proinde ad id præsertim attendit, quod ut plurimum accidere solet: sed possunt aliqui casus particulares occurrere, & quandoque fortuito, in quibus lex illa generaliter lata deficiat, ita quidem, ut non solum non obliget, sed neque licite servari possit; unde ipsa est tunc corrigenda per Epichejam. Sic enim, si lege Civili cautum sit, ne tempore hostili portæ civitatis aperiantur, nihilominus eæ per Epichejam possunt

ac debent aperiri, si cives hostium impetum fugientes in civitatem se recipere volunt: & idem in pluribus aliis.

QUÆSTIO II.

De dispensatione Legum, & variis ipsam concernentibus.

SUMMARIUM.

11 *Dispensatio, quid?*
13 *Papa dispensat in omni lege Ecclesiastica, non vero Divina.*
14 *Potest tamen legem Divinam interpretari.*
15 *Legislator, ejusque successor, dispensat in propria lege.*
16 *Inferior nequit dispensare in lege superioris, nisi in certis casibus, &c.*
17 *Corollarium.*
18 *Dispensatio a legislatore concessa sine causa, est valida,*
19 *Sed non licita.*
20 *An etiam peccet utens tali dispensatione?*
21 *Irrita est dispensatio concessa sine justa causa ab inferiore in lege superioris.*
22 *Corollaria.*
23 *Dispensatio subrepticie obtenta non valet.*
24 *In dispensationibus clausula, si preces veritate nitantur, vel exprimitur, vel subintelligitur.*
25 *Quomodo Papa censeatur dispensare in votis, juramentis, &c. cum tamen hæc obligent jure Divino?*
26 *Responsio verior.*

(b) Tr. 6. Dist. 2. n. 23.

11. CONCL. I. *Dispensatio* est juris communis relaxatio facta cum causæ cognitione ab eo, qui jus habet dispensandi. Ita Glossa *c. Requiritis 1. q. 7.* & Doctores communiter

13. CONCL. II. Papa potest dispensare in omni Jure Ecclesiastico, non autem in Lege Divina. Ita omnes Theologi. Ratio est: quia imprimis legislator, vel ejus successor, potest dispensare in propria lege; siquidem ejusdem est ligare, & solvere. E contra vero inferior non potest tollere, aut relaxare legem superioris: atqui Papa, utpote homo, est inferior respectu Dei, ut patet. Et hinc Papa nequit dispensare in præceptis Decalogi, ut v.g. furtum sit licitum, aut perjurium, & hujusmodi.

14. Quo tamen non obstante interdum in Lege Divina positiva habet locum interpretatio, quod ea ob certas circumstantias hic & nunc per se ipsum obligare cesset: quo modo Judæi interpretati sunt, præceptum Divinum de Sabbato custodiendo non obligare, sed eis licitum esse pugnare, si ipsis die Sabbati pugna inferatur ab hostibus, ne aliquin citius disperdantur a terra; ut legitur *1. Machab. c. 2. vers. 41.*

15. CONCL. III. Quilibet Legislator, aut ipsius Superior, vel Successor in jurisdictione, potest cum suis subditis in lege propria dispensare. Ita communis. Ratio est: quia obligatio legis humanæ inducitur per voluntatem legitimi Superioris præcipientis: ergo etiam per ipsius voluntatem potest auferri: nam *Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur, cap. 1. de Reg. Juris.*

16. CONCL. IV. Inferior non potest dispensare in lege Superioris, nisi in certis casibus ex permissione Juris, aut delegatione Superioris sibi facta, vel expresso privilegio, aut legitima consuetudine, ejusmodi potestatem dispensandi obtinuerit. Ita certa, & communis: quia *lex Superioris per inferiorem tolli non potest*; ut dicitur in *Clem. Ne Romani de Electione.*

17. Infertur proinde, quod Episcopus in Jure communi, aut Lege Pontificia nequeat dispensare, nisi hujusmodi potestas dispensandi sibi competat ex permissione Juris communis, vel delegatione Summi Pontificis, sive ex privilegio, aut longæva consuetudine. Quod notanter additur: quia ex hujusmodi capitibus possunt Episcopi ex causa rationabili dispensare circa observationem Festorum, ac jejuniorum totius Ecclesiæ, & quoad plura alia, puta circa levia, vel circa ea, quæ frequenter occurrunt, aut quando est necessitas & periculum in mora, ac præterea recursus ad Summum Pontificem difficilis, &c.

18. CONCL. V. Dispensatio in lege humana, si concedatur sine Justa causa a Legislatore, vel ipsius Successore, aut Superiore, valida est, sed non licita. Ita Herincx *disp. 4. de Leg. q. 1. n. 14.* Bonacina *disp. 1. de Leg. q. 2. punct. 3.* Sanchez, Filliucius, aliique communiter, contra Vasquez, & nonnullos alios, qui ejusmodi dispensationem ajunt esse invalidam. Ratio primæ Partis est: quia obligatio legis pendet a voluntate legislatoris; ergo si ipse vult aliquem, etiam sine justa causa, eximere ab obligatione legis, valebit ejusmodi dispensatio, seu exemptio.

19. Al-

19. Altera vero pars ex eo patet. Tum quia ejusmodi dispensatio non caret periculo scandali: tum quia dispensans sine causa, imprudenter utitur sua potestate, & temere eximit partem ab ordine totius corporis, nam *turpis est omnis pars suo universo non congruens c. Quæ contra dist. 8.*

20. Addunt multi Doctores, quod non solum peccet legislator sine justa causa in propria lege dispensans, sed etiam qui talem dispensationem postulat, aut eadem utitur: quamvis, an tale peccatum sit ex genere suo mortale, vel duntaxat veniale, idem postmodum inter le varient; & plures velint per se loquendo, ac secluso scandalo, id esse duntaxat peccatum veniale. Sed verius est, utentem tali dispensatione (sub data limitatione) nullatenus peccare: quia per eam, utpote validam, jam est exemptus a lege, simulque talis habet legitimam causam sese cæteris non conformandi, videlicet dispensationem, prout notat cit. Herincx *num. 15.* allegans Rodriquez, Navarrum & alios.

21. CONCL. VI. Quod si vero Inferior sine justa causa dispenset in lege Superioris, v. g. Episcopus in Lege Pontificia, irrita est dispensatio. Ita communis. Ratio est: quia Inferior non habet potestatem dispensandi in Lege Superioris, nisi quatenus ipsi a Superiore concessa est facultas dispensandi; atqui non est verisimile, Superiorem velle concedere Inferiori potestatem dispensandi sine justa causa; cum hoc esset in præjudicium boni communis, simulque talis facultas adverteretur fini legis.

22. Infertur proinde I. Eum, cum quo Inferior dispensavit absque justa causa in lege superioris, non posse uti dispensatione: nam dispensatio est invalida, & consequenter ille, cum quo fuit dispensatum, non est exemptus ab obligatione legis.

23. Infertur II. Etiam invalidam fore dispensationem a Summo Pontifice, vel ejus Delegato impetratam in Votis, ac Juramentis, si ejusmodi dispensatio impetrata fuit per subreptionem; id est, narrata falsa causa, aut tacita veritate necessario exprimenda. Ratio est: tum quia hic non intervenit justa causa dispensandi, eo quod causa illa non subsistat: tum quia Deus Ecclesiæ Prælatis contulit ejusmodi potestatem dispensandi in ædificationem, & non in destructionem, *2. Corinth. cap. 13. vers. 10.* Atqui hoc fieret, si ipsi absque ulla causa possent in Votis, Juramentis, & hujusmodi dispensare; nam id non tam foret dispensare quam dissipare.

24. Et hac de causa, si Summus Pontifex cum aliquo dispenset ad factam præviam ejus supplicationem, solent communiter hujusmodi clausulæ in litteris dispensationis addi: *Si ita est, si preces veritate nitantur.* Quinimo licet tales clausulæ expresse non apponantur, semper tamen tacite intelliguntur; prout clare habetur decisum *cap. 2. de Rescriptis.* Et hæc servata proportione sunt intelligenda de aliis dispensationibus, quæ quandoque impetrantur ab inferioribus Prælatis Ecclesiæ, vel Legatis Summi Pontificis, aut (pro Foro conscientiæ) a confessariis tempore Jubilæi, sive aliis habentibus potestatem dispensandi.

25. Quæres, quomodo sit intelligendum, Papam posse dispensare ex gravi causa in Votis, Juramentis, Matrimonio raro, & hujusmodi, cum tamen obligatio Voti, ac Juramenti sit de Jure Divino, prout & Matrimonium Jure Divino est indissolubile; Papa autem in Jure Divino nequeat dispensare, justa dicta. Respon solutione hujus instantiæ Doctores variare. Nam in primis dicunt aliqui, quos sequitur Fagnanus *in c. Dudum n. 24. de Elect.* in hujusmodi casibus Papam proprie non dispensare, sed tantum declarare, seu interpretari, Jus Divinum ob aliquam necessitatem gravem, aut aliam circumstantiam, in illo speciali casu non obligare, prout in simili *n. 14.* est de Judæis interpretantibus præceptum Divinum quoad observationem Sabbati. Verum hæc sententia ex eo non placet: quia in dispensatione Votorum requiritur potestas jurisdictionis, ut constat ex praxi: atqui hæc non requireretur, si tantum interveniret interpretatio Juris Divini, cum hæc solum requirat prudentiam, cujus est actus; idemque liquet ex allato exemplo de Judæis, dictum præceptum Divinum absque alia jurisdictione interpretantibus.

26. Alio modo respondet Sanchez *l. 2. de Matrim. disp. 24. num. 5. & lib. 8. disp. 6. n. 6.* cum aliis, docens, quod duplex sit Jus naturale Divinum: aliud absolutum: ut de non fornicando, non mentiendo; & in hoc Pontifex nullo modo dispenset. Aliud fundatum in actu, vel contractu humano, ut Votum, Matrimonium ratum; & in hoc potest dispensare. Sed tunc non proprie dispensat Papa in Jure Divino, tollendo hujus obliga-

tionem (Jus enim Divinum est, ut qui Votum habet, id impleat, & hoc semper manet) sed dispensat tollendo obligationis fundamentum, quatenus Papa loco Dei remittit jus, vi Voti v. g. Deo acquisitum; quo facto evanescit Juris Divini circa illud Votum obligatio. Et hoc amplius declarat Herincx *disp. 1. de Legibus quæst. 6. num. 54.* Quia (inquit) in dispensatione Votorum tantum concurrit remissio partis, cui facta est promissio: Deus enim per suum in terris Vicarium remittit, seu condonat jus sibi ex promissione acquisitum: facta autem partis remissione cessat Voti, seu talis promissionis obligatio; quemadmodum etiam alia promissio, sive contractus civilis, non obstante, quod Jure naturæ obligeat ad sui impletionem, dissolvitur, atque obligare cessat pars jus suum remittente. Concordant dicenda inferius (b) explicando conditiones in omni Juramento, & Voto, tacite subintellectas, quorum tertia est hæc, *Nisi is, in cujus gratiam & utilitatem juratum* (vel Votum factum) *est, obligationem remittat*: hoc enim facto cessabit illius obligatio, cum quilibet suo juri renunciare valeat. Porro praxis impetrandi dispensationes quoad Vota, vel etiam quoad impedimenta Matrimonii reperietur in suis propriis locis, nimirum *Tract. 6. dist. 5. quæst. 5.* & *Tract. 14. d. 15.*

QUÆSTIO III.

De Revocatione Legum.

SUMMARIUM.

27 *Abrogatio, Derogatio, & Irritatio legis quid, & quomodo differant?*
28 *Leges semel latæ possunt justis de causis revocari.*
29 *Quæ sint ejusmodi justa causa?*
30 *Nova lex generaliter lata tollit priorem contrariam.*
31 *Nisi prior sit specialiter loquens.*
32 *Anne tollat consuetudines, vel statuta particularia locorum?*
33 *An, & quando cessante causa legis, cesset ipsa lex?*
34 *Declaratur & limitatur data responsio.*

27. NOtandum, quod hæc tria inter se differant, videlicet Abrogatio legis, Derogatio legis, & Irritatio legis. *Abrogatio* quippe *legis* fit, quando lex totaliter cassatur, & tollitur. *Derogatio legis* e contra est, cum ex parte solum tollitur, quatenus legislator unum, vel alterum legis articulum mutat, aut a generali constitutione certos casus speciales excipit, juxta quod *l. Derogatur, ff. de Verb. signif.* dicitur: *Derogatur legi, cum pars detrahitur: abrogatur legi, cum prorsus tollitur.* Tandem *Irritatio legis* fit, quando lex ab inferiori Magistratu constituta, auctoritate Superioris rescinditur, seu irrita & nullius roboris esse declaratur: ut si leges ab Episcopo late auctoritate Summi Pontificis annullentur, seu irritentur.

28. CONCL. I. Leges semel latæ possunt denuo justis de causis revocari, idque potest fieri tum per ipsum legislatorem, tum per ejus successorem. Ita omnes Doctores, atque constat ex praxi: siquidem multæ leges antiquiores tam in Jure Civili, quam Canonico reperiuntur, quæ fuerunt revocatæ per alias posteriores; ut taceamus alias Constitutiones tum Pontificias, tum Imperiales, quæ justis de causis per Successores fuerunt revocatæ.

29. Dicitur, *justis de causis*. Quia nonnisi gravi de causa leges, legitima auctoritate conditæ, sunt immutandæ, siquidem novitates plerumque querelas, & discordias pariunt; ac proinde, uti *L. 3. ff. de Constitut. Princip.* notatur, *in rebus novas constituendis evidens esse utilitas debet; ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est.* Porro justæ causæ mutandi legem sunt, si experimenta teste constet, legem aliquam, quæ a principio sperabatur futura utilis, non expedire Reipublicæ: aut si quidem a principio fuerat utilis, postmodum mutatis rerum circumstantiis desinat esse utilis, & communitati conveniens. Leges enim debent juxta exigentiam locorum, temporum, & conditionem personarum constitui: unde juxta horum diversitatem nonnunquam variæ eduntur leges, atque etiam priores temperantur, supplentur, & corriguntur per posteriores. Hinc illud vulgatum Canonistarum dictum: *Concordia temporis, & concedabis jura*, arg. *c. Si peteaveris, 2. q. 1.* juncta Glossa *c. Si Ecclesia. Verf. Temporibus 23. q. 4.*

30. CONCL. II. Nova lex, seu Constitutio generalis Principis, tollit legem priorem contrariam, etiamsi de ipsa non faciat mentionem. Ita habetur expressum in Jure Canonico *c. 1. de Constitut. in 6.* Accedit ratio: quia Princeps non censetur ignorare legem communem priorem; ergo, dum novam statuit contrariam, aliam ipso facto revocare dignoscitur.

31. Cæterum hæc Conclusio intelligenda est de lege priori generaliter lata. Nam in primis lex prior specialiter loquens non tollitur per legem posteriorem generaliter loquentem, sed hæc per illam distinguitur: sic v. g. leges generales de testamentis editæ, non comprehendunt testamenta ad pias causas, aut testamenta militum, vel alia privilegiata, quia de his habentur speciales leges: idem dicendum de aliis hujusmodi.

32. Insuper ab hac generali doctrina sunt excipiendæ rationabiles consuetudines, & particularia Statuta locorum: siquidem per legem generaliter latam non censetur Papa, vel alius legislator, velle derogare particularibus locorum vel personarum Statutis, aut consuetudinibus rationabilibus, neque eadem revocare, nisi id exprimat. Ita enim habetur expresse decisum *cit. cap. 1. de Constitut. in 6.* Quia talia particularia Statuta, & consuetudines locorum, censetur Legislator probabiliter ignorare, unde non videtur velle quidpiam statuere de ipsis, nisi id exprimat. Dicitur notanter, *nisi id exprimat*: nam si legislator exprimat, velle se derogare etiam particularibus locorum consuetudinibus, aut Statutis, revera etiam istis derogatur. Id autem fit per hujusmodi clausulas in lege appositas, *Nulla obstante consuetudine contraria*: sive, *non obstantibus quibuscunque constitutionibus locorum*, aut hujusmodi.

33. Quæres, an cessante causa legis, lex quoque ipsa cessare videatur? Resp. Cessante causa motiva seu finali legis adæquata, sive in totum, & respectu totius communitatis, cessat etiam obligatio legis, etiamsi non adsit aliud decretum, aut revocatio Principis. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia *cessante causa, cessat effectus*, prout habetur *c. Cum cessante, de Appellat.* Accedit, quod lex non obliget ultra mentem legislatoris: atqui legislator non præsumitur velle obligare ad observantiam legis, quando cessat causa motiva legis adæquata, seu in totum, ac respectu totius communitatis, quia tunc cessaret finis legis; ergo.

34. Dicitur, *cessante causa motiva adæquata, sive in totum*. Quia si ob plures causas motivas lex condita sit, & una causa cesset manentibus cæteris, non cessat obligatio legis. Sic v.g. cessante una causa, propter quam imposita sunt tributa, non illico cessat obligatio solvendi tributa, si aliæ causæ eorum perseverent. Et additur, *& respectu totius communitatis*: Quia secus est dicendum, si causa legis cesset solummodo respectu particularis personæ, seu in casu particulari. Ratio est: quia lex non respicit singulares tantummodo personas, sed totam communitatem; ergo adhuc manet ejus obligatio, non obstante, quod causa ipsius respectu particularis personæ, vel casûs cessarit. Quinimo, quando dubitatur, utrum causa legis cessaverit in totum, & respectu totius communitatis, ac per consequens, an cessaverit obligatio legis, necne, præsumendum erit in favorem legis, & quod adhuc obliget; siquidem in dubio melior est conditio possidentis: atqui in casu lex possidet, cum constet legem latam esse, & dubitetur de ipsius sublatione; ergo.

QUÆSTIO IV.

Quomodo Leges tollantur per contrariam Consuetudinem?

SUMMARIUM.

35 *Consuetudo sumitur dupliciter.*
36 *Consuetudo triplex, præter legem, secundum legem, & contra legem.*
37 *Lex humanæ potest tolli per consuetudinem contrariam, rationabilem tamen & legitime præscriptam.*
38 *Qua consuetudo censeatur rationabilis?*
39 *Solvitur instantia.*
40 *Consuetudo, quomodo dicatur legitime præscripta?*
41 *Per consuetudinem contrariam decennio abrogatur Lex Civilis.*
42 *An decennium pariter sufficiat ad tollendam legem Canonicam?*
43 *Probatur sententia affirmativa.*
(c) Dist. 1. q. 4. per totum.
44 *Solvuntur objectiones.*

35. CONsuetudo aliis verbis dicitur *Jus non scriptum*, ad differentiam legum, seu Constitutionum, quæ appellantur *Jus scriptum*. Porro generatim Consuetudo dupliciter sumitur: primo pro ipso usu, seu frequentatis actibus alicujus communitatis, & a nonnullis appellatur *Consuetudo facti*: secundo pro ipsomet jure, quod tandem ex ejusmodi diuturno usu, & frequentatis actibus nascitur. Et hoc poste-

jam modo *Consuetudo* aliud non est, quam jus quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur: in qua acceptione sermo nunc est de Consuetudine.

36. Consuetudo generatim sumpta dividitur tripliciter, nempe in eam, quæ est præter legem, secundum legem, & contra legem. *Consuetudo præter legem* (quæ & *juris constitutiva* dicitur) est illa, quæ reperitur in casibus a jure non decisis: unde hujus Consuetudinis vis est, constituere jus novum, ubi nulla lex positiva fuit. Ubi tamen ab initio, vel saltem in continuatione requiritur intentio per hos actus inducendi obligationem: in dubio autem probabilius præsumi poterit, hos actus potius ex devotione, quam ex intentione inducendi obligationem processisse; quia libertas est in possessione, neque aliquis præsumitur sibi voluisse onus imponere, nisi de eo sufficienter constet. Suarez hic *l. 7. cap. 15. num. 13. Consuetudo secundum legem* est, quæ legem jam præexistentem supponit, eamque vel deducit in usum, vel si ambigua est, interpretatur: & de hac loquitur illud commune dictum, *Consuetudo est optima legum interpres*, c. *Cum dilectus de Consuetud.* & *L. 3. ff. de Legibus*. Tandem *Consuetudo contra legem* (quæ & *Desuetudo*, seu *consuetudo legi contraria* dicitur) est illa, qua lex vel usu nunquam recepta fuit, vel jam recepta usu contrario denuo tollitur, & abrogatur; & de hac præcipue sermo est in proposito.

37. CONCL. I. Lex humana potest tolli per consuetudinem contrariam, dummodo ea sit rationabilis, ac legitime præscripta. Ita omnes Doctores, & habetur expresse *cap. ult. de Consuetudine*, cum concordantiis. Dicitur notanter, *lex humana*: siquidem contra legem naturalem, ac Divinam, nulla currit consuetudo, quæ potius dicenda esset corruptela; quinimo *tanta gravia sunt peccata, quanto divinius infelicem animam detinent alligatam*, ut *cit. cap. ult.* notatur. Hinc prava consuetudo pejerandi, blasphemandi, vel fornicandi, nunquam potest tollere legem Divinam de non pejerando, blasphemando, aut fornicando.

38. CONCL. II. Ea consuetudo generatim loquendo censetur rationabilis, quæ nec Juri naturali, aut Divino adversatur, neque Jure Canonico reprobatur, neque peccandi licentiam aut occasionem præbet, neque alia ratione communi utilitati pernicio sa est: quæ vero in aliquo horum deficit, censetur irrationabilis, & consequenter nunquam potest induci per actus legi contrarios. Ita Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 24.* & alii.

39. Nec dicas: Omnis lex debet esse rationabilis, & justa: ergo hoc ipso quælibet consuetudo legi contraria erit irrationabilis, atque injusta. Respond. enim negando consequentiam: quia nihil impedit, quod lex secundum unam rationem, & in ordine ad certum finem seu respectum fuerit rationabilis, simul que consuetudo eidem contraria secundum aliam rationem, ac sub diverso respectu ac fine, etiam sit rationabilis: sic enim duæ contrariæ leges solent pariter esse rationabiles, prout videre est in mutatione, seu revocatione legum.

40. CONCL. III. Consuetudo dicitur legitime præscripta in tantum, quatenus tempore a legibus definito est continuata. Ita communis. Ratio est: quia consuetudo legitime præscripta idem est, ac usus longævus, seu longa consuetudo, prout patet ex *cap. Cum consuetudinis*, & *cap. ult. de Consuet.* cum concordantiis. Quod ut magis intelligatur,

41. Queres, quantum temporis requiratur, & sufficiat, ut consuetudo censeatur legitime præscripta, ita ut legem aboleat? Resp. I. Ad consuetudinem contra legem Civilem Principe ignorante inducendam requiritur, & sufficit decennium. Ita communis. Ratio est: quia consuetudo, ut deroget legi Civili, debet esse longa, quæ & sufficit, *arg. L. 1. C. Qua sit longa consuetudo*: atqui per longam consuetudinem intelligitur illa, quæ decennio duravit; nam decennium in Jure vocatur longum tempus, *l. Super longi. C. de Præscript.* ibi: *super longi temporis præscriptione, qua ex decem annis introducitur*.

42. Resp. II. Loquendo de legibus Ecclesiasticis, seu Canonicis, quamvis multi Doctores distinguendum censeant inter legem receptam, & nunquam receptam, & hanc quidem decennio per contrariam consuetudinem tolli concedant, ad illam autem tollendam requiri quadraginta annos, asserant: ut volunt Ludov. Engel. *tit. de Consuetud. num. 15.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 3. num. 4.* Navarrus, Zoesius, & alii plures: Nihilominus probabilius videtur, Jure que conformius, non esse opus memorata distinctione, sed generaliter ad abrogandam quamcunque legem Ecclesiasticam vi contrariæ consuetudinis, rationabilis tamen, sufficere decennium. Ita Lessius *lib. 2. de just. & ju-*

re, cap. 6. num. 46. Pirhing *tit. de Consuet. num. 39.* Christoph. Haunold. *tract. 1. cap. 3. Controv. 2. num. 130.* Sannig. *dist. 4. de Legibus, quæst. 1. n. 5.* & innuit Herincx *disp. 3. de Legibus, q. 16. n. 217.*

43. Ratio hujus posterioris sententiæ est: quia ubi Jus non distinguit, neque nos distinguere debemus: sed Jus nullibi distinguit inter legem Canonicam usu receptam, & non receptam, ergo. Deinde cum acceptatio populi non requiratur ad intrinsecam constitutionem legis humanæ, ut dictum est superius, (c) parum refert, num lex Pontificia fit aliquando recepta, nec ne; cum utraque jam habeat suam intrinsecam, & substantialem firmitatem ac robur obligandi. Confirmatur eadem sententia: quia non est inducenda discrepantia inter Jus Civile & Canonicum, ubi non habetur expressa dispositio Juris in contrarium *arg. cap. 1. De novis operis nuntiat.* atqui ad abrogandam legem Civilem per contrariam consuetudinem sufficit decennium, ut dictum *n. 41.* & in Jure Canonico quoad hoc non reperitur expressa dispositio in contrarium; ergo.

44. Nec obstat, quod *cap. Auditis, de Præscript.* & *cap. Cum Ecclesia de Causa poss.* & alibi, ad præscribendum contra bona, & jura Ecclesiastica requiratur spatium quadraginta annorum. Resp. enim, ibi sermonem esse de præscriptione contra bona immobilia Ecclesiarum, atque earum jura, utpote quæ sunt instar bonorum immobilium; prout desumitur ex ipsomet textu: non autem de præscriptione contra leges Ecclesiasticas, sive Pontificias. Alioquin enim, cum contra Romanam Ecclesiam non currat, nisi sola centenaria præscriptio, *cap. Cum vobis de Præscript.* & alibi, leges Papales non nisi centenaria præscriptione, seu consuetudine in contrarium abrogari possent; quod est contra communem Doctorum.

jam modo *Consuetudo* aliud non est, quam jus quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur: in qua acceptione sermo nunc est de Consuetudine.

36. Consuetudo generatim sumpta dividitur tripliciter, nempe in eam, quæ est præter legem, secundum legem, & contra legem. *Consuetudo præter legem* (quæ & *juris constitutiva* dicitur) est illa, quæ reperitur in casibus a jure non decisis: unde hujus Consuetudinis vis est, constituere jus novum, ubi nulla lex positiva fuit. Ubi tamen ab initio, vel saltem in continuatione requiritur intentio per hos actus inducendi obligationem: in dubio autem probabilius præsumi poterit, hos actus potius ex devotione, quam ex intentione inducendi obligationem processisse; quia libertas est in possessione, neque aliquis præsumitur sibi voluisse onus imponere, nisi de eo sufficienter constet. Suarez hic *l. 7. cap. 15. num. 13. Consuetudo secundum legem* est, quæ legem jam præexistentem supponit, eamque vel deducit in usum, vel si ambigua est, interpretatur: & de hac loquitur illud commune dictum, *Consuetudo est optima legum interpres*, c. *Cum dilectus de Consuetud.* & *L. 3. ff. de Legibus*. Tandem *Consuetudo contra legem* (quæ & *Desuetudo*, seu *consuetudo legi contraria* dicitur) est illa, qua lex vel usu nunquam recepta fuit, vel jam recepta usu contrario denuo tollitur, & abrogatur; & de hac præcipue sermo est in proposito.

37. CONCL. I. Lex humana potest tolli per consuetudinem contrariam, dummodo ea sit rationabilis, ac legitime præscripta. Ita omnes Doctores, & habetur expresse *cap. ult. de Consuetudine*, cum concordantiis. Dicitur notanter, *lex humana*: siquidem contra legem naturalem, ac Divinam, nulla currit consuetudo, quæ potius dicenda esset corruptela; quinimo *tanta gravia sunt peccata, quanto divinius infelicem animam detinent alligatam*, ut *cit. cap. ult.* notatur. Hinc prava consuetudo pejerandi, blasphemandi, vel fornicandi, nunquam potest tollere legem Divinam de non pejerando, blasphemando, aut fornicando.

38. CONCL. II. Ea consuetudo generatim loquendo censetur rationabilis, quæ nec Juri naturali, aut Divino adversatur, neque Jure Canonico reprobatur, neque peccandi licentiam aut occasionem præbet, neque alia ratione communi utilitati pernicio sa est: quæ vero in aliquo horum deficit, censetur irrationabilis, & consequenter nunquam potest induci per actus legi contrarios. Ita Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 24.* & alii.

39. Nec dicas: Omnis lex debet esse rationabilis, & justa: ergo hoc ipso quælibet consuetudo legi contraria erit irrationabilis, atque injusta. Respond. enim negando consequentiam: quia nihil impedit, quod lex secundum unam rationem, & in ordine ad certum finem seu respectum fuerit rationabilis, simul que consuetudo eidem contraria secundum aliam rationem, ac sub diverso respectu ac fine, etiam sit rationabilis: sic enim duæ contrariæ leges solent pariter esse rationabiles, prout videre est in mutatione, seu revocatione legum.

40. CONCL. III. Consuetudo dicitur legitime præscripta in tantum, quatenus tempore a legibus definito est continuata. Ita communis. Ratio est: quia consuetudo legitime præscripta idem est, ac usus longævus, seu longa consuetudo, prout patet ex *cap. Cum consuetudinis*, & *cap. ult. de Consuet.* cum concordantiis. Quod ut magis intelligatur,

41. Queres, quantum temporis requiratur, & sufficiat, ut consuetudo censeatur legitime præscripta, ita ut legem aboleat? Resp. I. Ad consuetudinem contra legem Civilem Principe ignorante inducendam requiritur, & sufficit decennium. Ita communis. Ratio est: quia consuetudo, ut deroget legi Civili, debet esse longa, quæ & sufficit, *arg. L. 1. C. Qua sit longa consuetudo*: atqui per longam consuetudinem intelligitur illa, quæ decennio duravit; nam decennium in Jure vocatur longum tempus, *l. Super longi. C. de Præscript.* ibi: *super longi temporis præscriptione, qua ex decem annis introducitur*.

42. Resp. II. Loquendo de legibus Ecclesiasticis, seu Canonicis, quamvis multi Doctores distinguendum censeant inter legem receptam, & nunquam receptam, & hanc quidem decennio per contrariam consuetudinem tolli concedant, ad illam autem tollendam requiri quadraginta annos, asserant: ut volunt Ludov. Engel. *tit. de Consuetud. num. 15.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 3. num. 4.* Navarrus, Zoesius, & alii plures: Nihilominus probabilius videtur, Jure que conformius, non esse opus memorata distinctione, sed generaliter ad abrogandam quamcunque legem Ecclesiasticam vi contrariæ consuetudinis, rationabilis tamen, sufficere decennium. Ita Lessius *lib. 2. de just. & ju-*

re, cap. 6. num. 46. Pirhing *tit. de Consuet. num. 39.* Christoph. Haunold. *tract. 1. cap. 3. Controv. 2. num. 130.* Sannig. *dist. 4. de Legibus, quæst. 1. n. 5.* & innuit Herincx *disp. 3. de Legibus, q. 16. n. 217.*

43. Ratio hujus posterioris sententiæ est: quia ubi Jus non distinguit, neque nos distinguere debemus: sed Jus nullibi distinguit inter legem Canonicam usu receptam, & non receptam, ergo. Deinde cum acceptatio populi non requiratur ad intrinsecam constitutionem legis humanæ, ut dictum est superius, (c) parum refert, num lex Pontificia fit aliquando recepta, nec ne; cum utraque jam habeat suam intrinsecam, & substantialem firmitatem ac robur obligandi. Confirmatur eadem sententia: quia non est inducenda discrepantia inter Jus Civile & Canonicum, ubi non habetur expressa dispositio Juris in contrarium *arg. cap. 1. De novis operis nuntiat.* atqui ad abrogandam legem Civilem per contrariam consuetudinem sufficit decennium, ut dictum *n. 41.* & in Jure Canonico quoad hoc non reperitur expressa dispositio in contrarium; ergo.

44. Nec obstat, quod *cap. Auditis, de Præscript.* & *cap. Cum Ecclesia de Causa poss.* & alibi, ad præscribendum contra bona, & jura Ecclesiastica requiratur spatium quadraginta annorum. Resp. enim, ibi sermonem esse de præscriptione contra bona immobilia Ecclesiarum, atque earum jura, utpote quæ sunt instar bonorum immobilium; prout desumitur ex ipsomet textu: non autem de præscriptione contra leges Ecclesiasticas, sive Pontificias. Alioquin enim, cum contra Romanam Ecclesiam non currat, nisi sola centenaria præscriptio, *cap. Cum vobis de Præscript.* & alibi, leges Papales non nisi centenaria præscriptione, seu consuetudine in contrarium abrogari possent; quod est contra communem Doctorum.

TRACTATUS III.
DE PECCATIS.

1. POsteaquam visum est de Actibus Humanis generatim, nec non & de Conscientia, utpote Regula proxima eorundem, simulque de Legibus, quæ sunt Regula remota atque extrinseca ipsorum: merito subjungitur præsens Tractatus de Peccatis, utpote quæ fiunt per recessum a memoratis actionum nostrarum Regulis, ipsaque Lege Divina. Nam, ut inquit D. Ambrosius *lib. de Paradiso, cap. 8. Quid est peccatum, nisi prævaricatio legis Divinæ, & cœlestium inobedientia præceptorum?* Prout idipsum uberius declarabitur in progressu.

DISTINCTIO I.
De Diversitate, & Distinctione Peccatorum.

QUÆSTIO I.
Qua ratione Peccatum dividatur?

SUMMARIUM.

1 *Ratio ordinis.*
2 *Peccatum generalissime. Peccatum artis, & naturæ.*
3 *Peccatum animi, quid?*
4 *Peccatum ut sic dividitur.*
5 *I. Ratione diversæ originis, in peccatum originale, &*
6 *Peccatum personale, quid?*
7 *II. Ratione objectorum, in peccata carnalia, &*
8 *Peccata spiritualia, qua?*
9 *Avaritia cur numeretur inter peccata spiritualia?*
10 *III. Ratione legis violatæ, dividitur peccatum in peccatum commissionis, & omissionis, quid?*
11 *Præceptum aliud affirmativum, & aliud negativum; & quomodo differant?*
12 *IV. Ratione diversa radicis, dividitur peccatum in peccatum ex ignorantia.*
(a) Ut dictum tract. 1. distinct. 1. n. 42.
13 *Peccatum ex passione, seu infirmitate, &*
14 *Peccatum ex malitia, quid?*
15 *Peccatum actuale, & habituale.*

1. NOn loquimur hic de peccato generalissime sumpto, ac prout non solum reperitur in anima seu moribus, sed etiam in arte & natura; in qua acceptione generalissima Peccatum definitur a S. Augustino. *lib. 2. De consensu Evangelistarum, c. 4.* dicendo: *Peccatum est transgressio legis.* In hoc enim sensu etiam artifex dicitur peccare, quando errat in opere suo, illud non faciendo juxta regulas artis; & vocatur *Peccatum artis*: sicuti & natura tunc dicitur peccare in suis effectibus, quando producit monstra; & appellatur *Peccatum naturæ*. In proposito non est sermo de peccato artis, vel naturæ; sed solum de peccato animi, seu in actibus moralibus commisso.

3. CONCL. I. Peccatum animi generatim aliud non est, quam aliquid denominans naturam intellectualem Deo displicentem, inducensque in anima reatum alicujus pœnæ; prout amplius explicabitur in sequentibus.

4. CONCL. II. Peccatum ut sic varie divi-

dividitur. Patet hoc inductione. Nam I. Ratione diversæ originis, dividitur Peccatum in originale, & personale: ex quibus personale subdividitur in actuale, & habituale; quorum utrumque denuo subdividitur in mortale, & veniale.

5. *Peccatum originale* dicitur illud, quod trahitur a primo parente nostro Adamo per carnalem propagationem: siquidem juxta illud Apostoli Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quod de peccato originali est accipiendum, prout communiter docent SS. Patres, & Theologi, ipsumque Concilium Trident. *Sess. 5. in Decreto de peccato originali.*

6. *Peccatum personale* est illud, quod a propria cujusque voluntate contrahitur, atque a propria (ut ita dicam) cujusque persona committitur; unde & *Personale* appellatur. Et tale est quodlibet peccatum a nobis commissum, solo originali excepto, utpote quod voluntate propria non commisimus, sed a primo parente nostro Adamo commissum per naturalem propagationem ab eo derivatum contraximus. Quidnam autem sit peccatum actuale & habituale, mortale & veniale, dicetur infra fusius in propriis Quæstionibus.

7. II. Ratione objectorum, circa quæ versantur peccata, & a quibus actiones desumunt suam specificationem, dividuntur peccata in carnalia, & spiritualia, juxta illud Apost. 2. *Corinth. c. 7. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus*, & alibi. Porro *Peccata carnalia* sunt ea, quæ in concupiscentia carnis, seu in inordinata delectatione carnali consistunt: qualia sunt Gula, & Luxuria, & diversæ peccatorum species ad hæc duo peccata reducibiles.

8. *Peccata spiritualia* dicuntur ea, quæ in concupiscentia seu inordinata delectatione spirituali perficiuntur, & consummantur, qualia sunt Superbia, inanis Gloria, & hujusmodi. Immo D. Gregorius *l. 31. Moral. cap. 31.* inquit, quod Capitalium Vitiorum quinque sint spiritualia, videlicet Superbia, Invidia, Ira, Avaritia, & Acedia: duo vero carnalia, videlicet Gula seu ventris ingluvies, & Luxuria.

9. Nec obstat, quod Avaritia versetur circa objectum corporale, nempe circa pecunias: ac proinde non videatur esse Peccatum spirituale. Respond. enim cum D. Thoma 1. 2. q. 71. *art.* 2, quamvis res, in qua delectatur avarus, corporale quoddam sit, & quantum ad hoc connumerari possit Peccatis carnalibus; quia tamen ipsa delectatio non pertinet ad carnem, sed ad spiritum, ideo S. Gregorius dixit, Avaritiam esse Peccatum spirituale: nam finis peccatorum carnalium est delectatio carnis.

10. III. Ratione legis violatæ, Peccatum ut sic dividitur in peccatum commissionis & omissionis. Per *Peccatum commissionis* intelligitur id, quod fit contra præceptum negativum, seu contra legem quidpiam fieri prohibentem: ut est Adulterium, Homicidium & hujusmodi; nam pugnant contra illa Præcepta Decalogi, *non mœchaberis, non occides, &c. Peccatum omissionis* e contra dicitur illud, quo violatur præceptum affirmativum, sive lex quidpiam fieri præcipiens: ut est omissio Missæ die Festo, & hujusmodi. Unde patet, quod peccatum commissionis opponatur præcepto negativo, peccatum vero omissionis præcepto affirmativo: ac proinde, quod hæc peccati divisio desumatur a lege, quæ violatur. Pro cujus clariori intellectu,

11. Notandum, quod lex, seu præceptum aliud sit affirmativum, aliud negativum. *Præceptum affirmativum* est, quo præcipitur, ut fiat aliquid certo tempore: quale est illud Decalogi, *Memento, ut diem Sabbati sanctifices.* Item illud, *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Porro *Præceptum negativum* est, quo prohibetur aliquid, ne fiat; ut illud, *non mœchaberis, non occides, &c.* Est autem inter hujusmodi præcepta, seu leges, notabile discrimen: nam Præceptum affirmativum obligat quidem semper, sed non pro semper; id est, obligat non pro omni, sed pro certo tantum & determinato tempore; sic enim non omni tempore, sed solum die Festivo tenemur audire Missam: item tenemur honorare parentes, tempore opportuno ipsis deferendo honorem, eisque succurrendo in necessitate constitutis. E contra Præceptum negativum obligat semper & pro semper, seu pro omni tempore: quia nullo prorsus tempore licitum est mœchari, aut absque legitima authoritate occidere hominem.

12. Ratione diversæ radicis, ex qua procedit, dividitur peccatum in peccatum ex ignorantia, ex passione, ac ex malitia. *Peccatum ex ignorantia* dicitur illud, quod ex ignorantia vincibili procedit. Dicitur, *ex ignorantia vincibili*: quia quod ex ignorantia invincibili fit, omnino involuntarium censetur, ac proinde peccatum non est. (a)

13. *Pec-*

13. *Peccatum ex passione*, seu infirmitate est, quod ex gravi motione appetitus sensitivi originem ducit, trahentis voluntatem ad consensum: quale est, si quis gravi tentatione victus tandem succumbit peccato. Et tale dicitur etiam *peccatum ex infirmitate*, eo quod ex infirmitate conditionis humanæ proveniat; cum naturale sit voluntati, ut condelectetur motibus appetitus sensitivi, ob fomitem peccati ex peccato originali derelictum.

14. Tandem *peccatum ex malitia* est, quod absque ignorantia, vel passione quadam præcedente, committitur ex plena libertate, seu prava voluntate operantis, juxta illud Job *cap. 34. Qui quasi de industria recesserunt a Deo*. Et hujusmodi peccatum ex mera malitia commissum (cæteris paribus) est gravius, quam peccatum ex passione.

15. Inter alias autem peccati divisiones celebris est illa, qua peccatum dividitur in actuale, & habituale: circa quam quia plura occurrunt elicenda; hinc ex duobus sequentibus Quæstionibus expedietur, prius tamen agendo de peccato actuali, & postea de habituali.

QUÆSTIO II.

Quid sit peccatum actuale, & quæ ejus causa?

SUMMARIUM.

26 *Peccatum actuale, quid?*
27 *Et quotuplex definiatur?*
28 *Solvitur objectio.*
29 *In peccato actuali duo considerandæ, materiale scilicet & formale, quid?*
30 *Peccatum actuale formaliter non consistit in positivo, sed privativo.*
31 *Alia ratio Conclusionis.*
32 *Solvitur instantia.*
33 *Deus non est causa, & author peccati.*
34 *Deus concurrit ad materiale peccati, non tamen ad ejus formale.*
35 *Deus, quomodo dicatur hominem indurare, excecare, &c.*
36 *Alii modi, quibus dicitur Deus hominem indurare, excecare, &c.*
37 *Causa propria & interna peccati est sola voluntas creata.*
38 *Dantur etiam causa externa peccati, quæ?*
39 *Alia circa peccatum actuale remissive.*

16. PEr Peccatum actuale intelligitur actualis transgressio legis Divinæ: unde tunc committitur peccatum actuale, quando actualiter violatur lex Divina, sive deinde id contingat eliciendo actum a lege prohibitum, sive omittendo præceptum. Tale peccatum actuale vg. fit, dum quis actu mentitur, vel actu occidit hominem, aut actualiter omittit auditionem Missæ die Festo. Et de hoc loquendo sit

17. CONCL. I. *Peccatum actuale* bene definitur cum D. Augustino *lib. 22. contra Faustum. cap. 27.* dicendo: *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.* Dicitur primo, *dictum, factum, vel concupitum*, ad indicandum triplex peccatum, videlicet cogitationis, oris, & operis. Dicitur ulterius, *contra legem Dei*: nam quamvis etiam detur transgressio legis humanæ, sive Ecclesiasticæ, sive Civilis; hæc tamen non aliter est peccatum, nisi quia est contra legem Dei, voluntis ac præcipientis, ut nostris legitimis Superioribus quidpiam juste præcipientibus obedíamus, prout patet ex quarto Præcepto Decalogi, & alibi sæpe.

18. Si dicas objiciendo contra hanc Conclusionem: allata definitio non convenit peccato actuali omissionis; ergo non est bona. Probatur antecedens; quia omissio actus præcepti, v.g. auditionis Missæ die Festo, nec est dictum, nec factum, nec concupitum contra legem Dei, sed potius liberá omnium trium omissio; ergo. Resp. negando antecedens, ejusque probationis consequentiam: quia enim *affirmatio & negatio reducuntur ad idem genus*, ut communiter notant Doctores; hinc allata definitione sub ly, *dictum, factum*, &c. etiam horum negationes intelliguntur, id est, *non dictum, non factum contra legem Dei.*

19. Pro resolutione sequentis Conclusionis notandum breviter, quod in peccato actuali commissionis duo considerari possint, materiale scilicet & formale. *Materiale peccati* (quod alii *Substratum peccati* appellant) est ipsemet actus positivus hominis, quo perpetratur peccatum. *Formale vero peccati*, est privatio, seu carentia rectitudinis debitæ inesse illi actui, quæ nempe rectitudo, seu conformitas ad legem Divinam, deberet hic & nunc inesse actui humano, & non inest: & in hac carentia rectitudinis debitæ actui, consistit ratio formalis peccati, seu peccatum formaliter sumptum. Sic in peccato homicidii, materiale, seu substratum hujus peccati, est extensio manus, accelerato gladii erga hominem occidendum: formale vero, est privatio debitæ rectitudinis, seu conformitatis ad legem Divinam, quatenus illa elevatio manus, percussioque fit contra prohibitionem legis Divinæ, volentis, ne homo injuste occidatur: ac proinde actus ille caret sua debita rectitudine, seu conformitate ad legem Dei, quam habere deberet quilibet actus humanus. Et hoc idem fit in aliis peccatis actualibus commissionis, ac suo modo etiam in peccatis omissionis, quo prænotato sit

20. CONCL. II. Peccatum actuale formaliter acceptum non consistit in positivo, sed privativo; id est, in carentia seu privatione debitæ rectitudinis, seu conformitatis ad legem Divinam. Ita Doctor subtilis 2. *dist. quæst. 1.* cum suis (excepto Pontio) D. Bonaventura 2. *dist. 37. art. 2. quæst. 1.* Alensi, & pluribus aliis, contra non paucos Theologos oppositum tenentes. Conclusio hæc sequitur in primis ex præcedenti Notando. Accedit authoritas D. Augustini, qui super illud Joannis, *cap. 1. Sine ipso factum est nihil*: per *Nihil* intelligit peccatum, atque ait: *Manifestum est, quia peccatum nihil est*: ergo hoc neque consistere in positivo. Probatur deinde Conclusio ratione: quia si peccatum formaliter consisteret in positivo, sequeretur, quod Deus per se & directe esset causa peccati: sed consequens est falsum; ergo. Probatur sequela: Quia omne ens positivum per se & immediate efficitur a Deo, utpote fine cujus immediato concursu nulla causa secunda potest operari, aut aliquid efficere, ut magis ostendi solet in Philosophia.

21. Confirmatur hoc ex definitione peccati supra ex D. Augustino relata: nam in ea ly *dictum, factum, concupitum*, denotat materiale peccati; ly *contra legem Dei*, denotat formale peccati: atqui esse contra legem Dei, importat aliquid privativum, videlicet carentiam debitæ rectitudinis, seu conformitatis ad legem Divinam, quæ deberet inesse actui humano, & non inest: ergo.

22. Nec dicas: Homicidium, Blasphemia, & hujusmodi, sunt peccatum, ut patet: sed Homicidium, Blasphemia, &c. consistunt in positivo, ergo peccatum consistit in positivo. Resp. enim distinguendo minorem: sed Homicidium, Blasphemia, consistunt in positivo, si sumantur pro materiali, seu substrato peccati, conceditur; si sumantur pro formali, negatur minor, & consequentia. Sic enim consistunt in privativo, nempe in privatione debitæ rectitudinis, seu conformitatis ad legem Divinam, quæ deberet inesse actui, & non inest: & hinc Homicidium in bello justo, vel authoritate publica erga malefactores factum, non est peccatum, eo quod hic non interveniat illa privatio conformitatis ad legem; quamvis quoad cætera in justa, & injusta hominis occisione, sint omnia æqualia. Verum de hoc plura in Theologia speculativa.

23. CONCL. III. Quamvis peccatum aliquam causam habeat (eo saltem modo, quo privationes dicuntur habere causam) Deus tamen non est causa, & author peccati. Hæc Conclusio est de Fide certa, contra nonnullos Hæreticos. Ratio in primis est: quia peccatum, cum sit malum omnium maximum, quia est aversio a Deo tanquam ultimo Fine, repugnat infinitæ Sapientiæ, Justitiæ, & bonitati Dei; unde is peccatum gravissime, & sub interminatione æternæ damnationis prohibuit. Accedunt clarissima Sacræ Scripturæ testimonia, *ut Psal. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es*, Sapient. 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus*, & alibi sæpe.

24. Nec obstat I. Quod Deus concurrat physice, ac immediate, ad substratum & materiale peccati, puta ad elevationem manus in actu homicidii. Resp. enim: licet Deus, tanquam causa prima & universalis concurrat positive ad substratum seu materiale peccati, ut omnes fatentur; non tamen concurrit ad ipsius actus defectum, id est, ad privationem debitæ rectitudinis, seu conformitatis ad legem Divinam, in qua privatione consulit ratio formalis peccati. Hanc enim Deus solum permittit, quatenus hominem a rectæ rationis regula libere deviantem non impedit, ne tollat ejus libertatem, ac proinde vi pacti sui generalis de fidendo causis secundas motus suos agere, permittit de facto hominem agere, quidquid vult, quem tamen, si peccaverit, nec punierit, suo tempore severissime est judicaturus, ac puniturus.

25. Nec obstat II. Quod Deus in S. Scriptura quandoque legatur hominem indurare, excecare, & hujusmodi: *ut Exod. 7. Ego indurabo cor Pharaonis, Isaiæ 6. Excæca cor populi hujus*, & alibi. Resp. enim cum communi Theologorum, hujusmodi S. Scripturæ loca non esse intelligenda de actione positiva, ita quod Deus immittat errores, aut duritiam in cor peccatoris, ut explicant nonnulli Hæretici (hoc enim repugnat citatis, & alias

aliis pluribus Sacræ Scripturæ testimoniis) sed ea in primis quoad Deum esse intelligenda permissive, sive quatenus is justo suo judicio permittit peccata: Deus enim, partim ut salva remaneat homini peccatori sua libertas, partim ut nonnunquam uno peccato libere ab aliquo eliciendo pœnitæ aliud, partim ut homines justi per malos quandoque exerceantur, partim ob alia sua inscrutabilia judicia, permittit homines male agere, occasione cujus hi subinde in peccatis magis indurantur, atque ad bonum faciendum exercentur.

26. Deinde dicitur Deus hominem indurare, exacerare, &c. subtrahendo specialiora gratiæ actualis auxilia. Deus enim justo judicio, ac in pœnam præsertim priorum peccatorum, subtrahit homini in peccatis inveterato, non quidem omnia, sed solum specialia & uberiora gratiæ actualis auxilia; sine quibus ille posset quidem bene agere, prævidetur tamen a Deo non bene operaturus, idque ob propriam istam malitiam, & perversam voluntatem. Ulterius alio modo dicitur Deus excæcare hominem, occasionaliter videlicet, sive inscrutabili suo judicio aliquid ponendo, vel removendo, ex cujus positione, vel remotione, fumit homo ex propria malitia occasionem peccandi: ut quando respiciens ad munera Abel, præbuit occasionem Cain ad æmulationem, ipsumque fratricidium (nam hoc posse Deum facere, non quidem ex primaria intentione peccati, sed aliis de causis, certum est; cum etiam homo in certis casibus licite possit aliquid facere, vel omittere, non obstante, quod prævideat proximum inde accepturum occasionem peccandi) vel quando patienter & longanimiter fert iniquitates, qua patientia abutentes peccatores sumunt majorem peccandi licentiam, sicque dantur in reprobum sensum.

27. CONCL. IV. Causa propria, & interior peccati, est sola voluntas creata, deficiens a recta regula morum in operationibus liberis. Ita certa omnium. Ratio est: quia voluntas libera est debitrix, ut omnem actum suum, sive elicitum, sive imperatum, eliciat conformiter legi Divinæ; ergo hoc non faciendo peccat, sicque est causa propria peccati.

28. Dicitur notanter, *causa propria, & interior peccati*. Nam dantur etiam causæ exteriores peccati, ex quibus in primis est Diabolus, qui incitando, & tentando homines, est causa moralis inductiva peccati. Accedunt Mundi & Carnis illecebræ, ut patet: immo nonnunquam unus homo est alteri causa peccati; præterea etiam potentiæ exteriores sunt sæpe voluntati causa, seu potius occasio peccati. Adhuc tamen hæc omnia non sufficiunt ad peccatum, nisi voluntas libere consentiat, & aliquin potius præbent homini justo atque in certamine constanti, ansam victoriæ, meritique, & augmenti gratiæ & gloriæ cœlestis.

29. Alia plura, quæ contemnunt Peccatum actuale, partim colligi possunt ex dictis supra *Tract. 1. Dist. 2.* partim amplius patebunt ex dicendis, præsertim ubi agetur de *Peccato mortali & veniali*.

QUÆSTIO III.

De Peccato Habituali.

SUMMARIUM.

30 *Post actum peccati remanet aliquid in homine, unde is denominatur peccator,*
31 *Quod in S. Scriptura dicitur, Macula.*
32 *Peccatum habituale quid?*
33 *Illud quia tale non addit novam malitiam.*
34 *Tamen per accidens, seu ratione alterius præcepti, quod violatur, quandoque novum peccatum committitur.*
35 *Post transactum actum peccati mortalis plura eveniunt in homine; quæ?*
36 *Reatus pœnæ, & reatus culpæ, quid? Sententia Scotistarum.*
37 *Hæc sententia nullis subjacet censuræ.*
38 *Solvitur objectio.*
Peccatum habituale cur potius consistat in reatu culpæ, quam privatione gratiæ?

30. CErtum est apud omnes, & indubitatum, post actum peccati physice jam præteritum, adhuc hominem manere peccatorem; atque adeo aliquid in eo relinqui, per quod in esse peccatoris constituitur, & a quo denominatur peccator, quousque per veram pœnitentiam consequatur remissionem ipsius. Patet hoc ex S. Scriptura passim, ut ex illo *Luca 7. Mulier, quæ erat in civitate peccatrix: Matth. 9. Publicani, & peccatores venientes discumbebant cum Jesu. Rom. 5. Cum adhuc peccatores essemus*, & aliis passim.

31. Hoc autem, a quo post transactum actum peccati denominatur quis peccator, vocatur in S. Scriptura *Macula*; ut Jeremiæ

miæ 2. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua.* Et Josue c. 22. *Usque in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet.* Et Ecclesiastici 31. *Qui inventus est sine macula*, & alibi. Unde homo postmodum a tali Macula per peccatum contracta, dicitur maculatus, pollutus, immundus, coinquinatus, & abominabilis coram Deo, ut sæpissime legitur in S. Litteris, a qua proinde Macula Regius Psaltes petivit ablui, & mundari, dum Psal. 50. oravit, dicens: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.* His prænotatis sit

32. CONCL. I. Peccatum habituale nihil aliud est, quam peccatum actuale, cujus commissio physice jam præterit, moraliter tamen permanet. Ita in re Doctores omnes, prout bene notat Mastrius 2. *disp. 6. n. 161.* licet postmodum multum discrepent in assignando, quidnam sit illud, ratione cujus peccatum physice jam transactum censeatur adhuc moraliter permanere, & durare, quousque per veram pœnitentiam retractetur & deleatur.

33. CONCL. II. Peccatum habituale qua tale non addit novam malitiam supra illam, quæ fuit admissa in instanti commissionis actualis peccati, quæque moraliter permanere dicitur. Ita rursum omnes Theologi, nemine discrepante. Hinc fit, quod propter peccatum habituale præcise, non mereatur homo majorem pœnam, ac supplicium, quantumcunque illud duret, quam fuerit promeritus in illo instanti ac momento, in quo actualiter peccavit.

34. Dicitur notanter, *præcise propter peccatum habituale*. Quia si occurrat tempus, quo urget Præceptum eliciendæ contritionis, amoris Dei, aut receptionis alicujus Sacramenti, & tunc homo negligat mediante contritione, aut digna Sacramenti receptione sese restituere in statum gratiæ, atque expellere peccatum habituale mortale; jam committet is novum peccatum mortale propter violationem hujus præcepti, ac proinde absque dubio erit dignus majori pœna. Verum hoc contingit non vi ipsius peccati habitualis qua talis, ac præcise sumpti, sed per accidens ratione alterius occurrentis præcepti, quod de novo violatur. Et hoc idem dicendum de eo, qui de peccato suo præterito habet novam complacentiam: siquidem per hanc committitur novum peccatum actuale. Cæterum novo peccato actuali non superveniente, sola permanentia peccati habitualis non auget malitiam actus peccaminosi præteriti, neque pœnam ipsi correspondentem.

35. CONCL. III. Post transactum actum peccati mortalis plura eveniunt in homine, peccante mortaliter. Primo enim is labitur in iram, atque inimicitiam Dei, cui æque *odio sunt impius, & impietas ejus*, ut dicitur *Sap.* 14. Secundo, privatur homo per peccatum mortale gratia habituali, seu sanctificante: siquidem de facto gratia & peccatum sunt incompossibilia, eo fermo modo, quo lux & tenebræ. Tertio, remanet in homine reatus, id est, obligatio quædam ad pœnam ex actu peccaminoso præterito contracta: statim enim, ac homo peccat, obligatur is ad pœnam peccato suo correspondentem, quousque pœna illa soluta fuerit, ac remissa.

36. Porro Reatus iste dupliciter potest considerari: primo, prout talis obligatio ad pœnam dicit ordinem ad Deum, qui propter peccatum commissum decernit homini pœnam, suo peccato correspondentem: & talis reatus, seu obligatio ad pœnam, dicitur *Reatus pœnæ*. Secundo, prout ejusmodi obligatio ad pœnam respicit ipsum peccatum actuale præteritum, utpote ex quo proxime contrahitur, illudque immediate consequitur: & talis Reatus, seu obligatio ad pœnam, prout relpicit & proxime consequitur ad ipsum actum peccati præcedentis, dicitur proprio nomine *Reatus culpæ*. Et in hoc reatu culpæ, juxta Doctorem Subtilem 4. *dist. 14. q. 2.* & Scotistas, consistit formaliter Peccatum habituale; id est, ratione hujus Reatus culpæ censetur in homine peccatore moraliter remanere peccatum suum actuale physice jam præteritum, donec per veram pœnitentiam expietur, ipsaque gratia sanctificans recuperetur.

37. Dicet: B. Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Ex omnibus* (estque confirmata a Gregorio XIII. & Urbano VIII. in hujus Constitutione 289. quæ incipit, *In eminenti*, ac refertur tomo V. Bullarii Romani) inter alias Propositiones Michaelis Bai damnavit hanc, ordine 54. *In peccato duo sunt, actus, & reatus: transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, seu obligatio ad pœnam.* Atqui hæc videtur esse ipsissima sententia ex Scoto nunc relata; ergo. Resp. negando minorem: siquidem Bajus ille asserebat, transeunte actu peccati in peccatore nihil manere, nisi reatum, sive obligationem; sicque volebat, in

in ipso etiam non remanere privationem gratiæ sanctificantis, prout liquet ex ejus Propositione tum relata, tum 41. in qua negavit, justificationem hominis fieri per gratiam infusam. E contra Scotus, & Scotistæ unanimiter fatentur, remanere in peccatoribus ejusmodi privationem gratiæ sanctificantis. Tacentur plures aliæ disparitates, quæ legentibus citatam Bullam facile patebunt, in qua simul §. 3. expresse notatur, quod Propositiones illæ *in proprio verborum sensu, ab assertoribus intento*, damnentur.

38. Urgebis. Ergo peccatum habituale potius consistit in privatione gratiæ sanctificantis, quam in Reatu culpæ. Probatur sequela. Peccatum habituale in eo formaliter consistit, quod tollitur in justificatione: sed in justificatione tollitur ipsa privatio gratiæ, ergo. Resp. negando antecedens, cujusque probationis majorem claritatis gratia distinguendo: Peccatum habituale in eo formaliter consistit, quod per se primo tollitur in justificatione, conceditur: quod per se secundo dumtaxat tollitur, negatur major: sicque distincta minori negatur consequentia. Nam quod per se primo tollitur in justificatione, sunt peccata physice præterita, & moraliter adhuc permanentia: censentur autem moraliter permanere propter privationem gratiæ. Et hoc amplius ex eo ostenditur: tum quia hac ratione peccata venialia habitualiter permanent; id est, non propter privationem gratiæ (hanc enim non inducunt) sed propter correspondentem Reatum culpæ. Tum quia alioquin omnia peccata mortalia habitualia forent ejusdem rationis, ac speciei: non minus ac privatio gratiæ est æqualis, ac ejusdem speciei, in omnibus peccatoribus peccato mortali obnoxiis. Uberior de hoc disputatio relinquitur Theologiæ Speculativæ.

QUÆSTIO IV.

Unde desumenda sit Distinctio specifica moralis Peccatorum?

SUMMARIUM.

39 *Cur non sit formo de distinctione specifica physica peccatorum?*

40 *Distinctio specifica moralis peccatorum omissionis, unde desumatur?*

41 *Distinctio specifica moralis peccatorum commissionis desumitur per ordinem ad diversas specie virtutes,*

42 *Vel rectitudines, quarum sunt formaliter privationes.*

43 *Ex sola diversitate præceptorum non semper recte infertur diversitas specifica peccatorum.*

44 *Quando ex diversitate præceptorum possit colligi diversitas specifica peccatorum?*

45 *Saltem ab extrinseco.*

46 *Unitum est peccatum, non jejunare die, quo duplex occurrit jejunium Ecclesiasticum.*

47 *Secus, si ad alterum quis teneatur ex voto.*

48 *Violatio Castitatis in Religioso professo, vel Clerico in Sacris, continet duplicem specie malitiam. Non vero novam, si Religiosus sit simul in Sacris.*

49 *Si votum & juramentum super eadem re factum violetur, est duplex specie malitiæ.*

Quid, si violetur votum sapius renovatum?

39. UT ex Titulo Quæstionis patet, in proposito non est termo de distinctione specifica physica peccatorum, id est, de illa, qua peccata secundum suum esse materiale ab invicem distinguuntur (quæ distinctio desumitur ab objectis, cum generaliter actus distinguantur per objecta) sed de Distinctione specifica morali. Ratio est: quia hic loquimur de distinctione specifica peccatorum in ordine ad Confessionem Sacramentalem, utpote cum juxta Concilium Trid. *Sess. 14. cap. 5. & can. 7.* & Theologos unanimiter, teneantur Fideles in Confessione peccata sua explicare non solum quoad numerum, sed etiam quoad speciem, ac circumstantias peccati speciem mutantes: ad hoc autem parum refert scire distinctionem, aut unitatem physicam peccatorum. Sic enim occisio Laici, & Clerici, sunt quidem physice loquendo ejusdem speciei, non tamen moraliter, utpote cum occisio Clerici superadditat specialem malitiam Sacrilegii: e contra vero furtum bovis, & furtum centum florenorum, physice loquendo, distinguuntur specie, eo quod habeant objecta specie diversa; & tamen moraliter sunt peccata, & furta ejusdem speciei. Igitur loquendo de distinctione specifica morali peccatorum, ac in ordine ad Confessionem Sacramentalem, sit

40. CONCL. I. Distinctio specifica moralis peccatorum omissionis, recte desumitur ex actibus debitis, quorum sunt omissiones; atque ideo omissiones illæ sunt peccata spe-

specie distincta, quæ privant actibus debitis secundum speciem moraliter distinctis. Ita communiter Doctores. Sic v. g. omissio Missæ die Festo audiendæ, distinguitur specie ab omissione largitionis eleemosynæ in casu præcepto, quia ipsa Missæ auditio, atque elargitio eleemosynæ, sunt actus debiti specie distincti. E contra omissio Missæ in die Dominico, & omissio Missæ in die Festo, non distinguuntur specie moraliter, quia neque actus præceptus auditionis Missæ in prædictis diebus distinguitur specie. Et in hoc conveniunt omnes: major autem difficultas est de peccatis commissionis, & unde desumenda sit eorum Distinctio specifica moralis; de quibus loquendo sit

41. CONCL. II. Distinctio specifica moralis peccatorum commissionis, desumitur recte per ordinem ad diversas specie virtutes, vel rectitudines, quarum formaliter sunt privationes. Ita Doctor nôster 2. *dist. 37. q. 1.* cum suis, & alii, qui tenent, peccatum actuale formaliter consistere in privativo. Ratio est: quia universaliter privationes sumunt suam specificationem ab oppositis formis; sic enim cæcitas, & tenebræ distinguuntur specie ab invicem, eo quod oppositæ formæ, nempe lux & visus, specie distinguantur: ergo cum peccatum commissionis formaliter consistat in privativo, juxta dicta *n. 20.* ejusdem Distinctio specifica recte desumitur in ordine ad diversas specie virtutes, vel rectitudines, quarum est privatio.

42. Dicitur notanter sub disjunctione, *per ordinem ad diversas specie virtutes, vel rectitudines*. Nam ad distinctionem specificam moralem peccatorum sufficit, ut vel diversis specie virtutibus opponantur, ut furtum & fornicatio, quorum prius oppositum est virtuti Justitiæ, alterum virtuti Castitatis; vel saltem eidem virtuti secundum aliam, & aliam specie rectitudinem, ut Avaritia & prodigalitas, quæ specie differunt, non obstante, quod opponantur eidem virtuti Liberalitatis; quia licet Liberalitas sit unica virtus formaliter & adæquate, includit tamen duplicem rectitudinem per respectum ad duo extrema, id est, duplex rationis dictamen, quorum uno prohibetur excessus, cui opponitur prodigalitas, & altero defectus, cui opponitur avaritia.

43. CONCL. III. Ex sola diversitate præceptorum non semper recte, ac sufficienter colligitur ab extrinseco diversitas specifica peccatorum. Ita communis. Ratio est: quia fieri potest, & sæpe contingit, quod eadem res, & ex eodem motivo formali, tam præcepto Divino quam humano, Ecclesiastico, & Civili præcipiatur, aut prohibeatur; sic enim fuctum prohibetur tum Jure naturali, ac Divino, tum humano, Ecclesiastico, & Civili: atqui ob hanc solam præceptorum diversitatem furtum simplex non contrahit plures specie malitias, ut omnes fatentur; ergo. Additur tamen in Conclusione, *non semper recte colligitur*, propter mox dicenda: hinc sit

44. CONCL. IV. Tunc solum ex diversitate præceptorum potest ab extrinseco colligi diversitas specifica peccatorum, quando præcepta illa sunt formaliter diversa: id est, quando sub diversis motivis formalibus, ad diversas virtutes, aut rectitudines spectantibus, quidpiam præcipiunt, vel prohibent; ut v.g. quia datur præceptum Divinum prohibens furtum simpliciter ex motivo Justitiæ, & simul aliud præceptum Ecclesiasticum prohibens furtum in loco sacro ex motivo Religionis; hinc malitia furti in loco sacro commissi, distinguitur specie a malitia simplicis furti: & qui furatur in loco sacro, duplicem committit malitiam specie distinctam, injustitiæ scilicet, & sacrilegii. Et idem fit in aliis similibus, quæ prohibentur diversis præceptis ex motivo diverlarum virtutum, vel rectitudinum.

45. Dicitur notanter in Conclusione, *colligi potest ab extrinseco*. Nam supposita etiam ejusmodi lege formaliter diversa, adhuc peccata illa specificantur intrinsece penes diversas illas virtutes, aut rectitudines, ex quarum motivo quidpiam est præceptum, vel prohibitum, & quarum peccata illa sunt privationes: ex diversitate præceptorum vero dicta Distinctio solum colligitur ab extrinseco.

46. Ex dictis deducitur I. cum Vasquez 1. 2. *disp. 98. cap. 3.* & aliis passim, non esse plura specie vel numero distincta peccata, in Confessione necessario explicanda, cum quis non jejunat in aliqua Vigilia incidente in Quadragesimam, aut Quatuor anni Tempora. Item si quis non audiat Missam die Dominico, in quem simul incidit Festum alicujus Sancti. Ratio est; quia jejunium, quamvis in dicto casu bis vel ter præcipiatur ab Ecclesia, adhuc tamen semper præcipitur ex eodem motivo virtutis Temperantiæ: unde quamvis detur duplex causa, seu duplex titulus malitiæ, nempe duplex præceptum Ecclesiæ, adhuc erit unica malitia, unum-

unum que peccatum. Idem dicendum de alterio exemplo, ubi auditio Missæ præcipitur in utroque casu ex motivo virtutis Religionis.

47. Deducitur II. cum eodem Vasquez, & aliis, secus esse dicendum de eo, qui feria sexta tenetur jejunare ex voto: is enim, si feria sexta, in quam simul incidit jejunium Ecclesiasticum Vigiliæ, aut Quatuor Temporum, violet jejunium, peccabit duplici peccato, scilicet & contra virtutem Temperantiæ impositæ ratione præcepti Ecclesiastici, & contra virtutem Religionis ratione voti.

48. Deducitur III. Quod violatio Castitatis in Religioso professo, vel Clerico in sacris Ordinibus constituto, duplicem habeat malitiam specie distinctam, ac necessario in Confessione explicandam: nimirum Luxuriæ contra Temperantiam, seu Castitatem; & Sacrilegii, contra Religionem: quia motiva harum virtutum sunt specie distincta. E contra Religiosus professus, simulque in Sacris constitutus, non peccat nova specie malitiæ propter duplex votum violatum, nempe votum Castitatis religiosæ, & votum Castitatis sacro Ordini annexum: quia hæc vota non sunt distinctæ speciei; sola autem præceptorum diversitas non facit malitias specie distinctas, nisi etiam sint contra diversas specie virtutes, vel rectitudines. Unde sufficit, quod talis in Confessione dicat, se commissse fornicationem contra votum Castitatis, uti post Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 27. n. 27.* Bonacinam, & communiorem aliorum, contra Ledesmam, notat Mastrius *disp. 14. Theol. Mor. num. 32.*

49. Secus foret, si votum, & juramentum, super eadem re factum violetur; quia tunc erit diversa specie malitia, necessario in confessione explicanda. Sanchez ibidem *n. 26.* Etsi enim tam votum, quam juramentum pertineant ad virtutem Religionis, adhuc tamen spectant ad ipsam sub diversa ratione, atque rectitudine: votum quidem, ob fidem datam Deo servandam; juramentum vero, ne Deus in testem falso adducatur. Quod si vero violetur votum, sæpius, aut etiam millies renovatum, committitur unicum mihilominus peccatum: quia omnia ea vota eodem modo ad unam Religionis virtutem pertinent; simulque repetitio illa voti habet se, sicut repetitum ejusdem rei ab eodem Superiore præceptum. Et conformiter dictis resolvi poterunt innumeri casus.

QUÆSTIO II.

Unde desumatur Distinctio numerica moralis Peccatorum?

SUMMARIUM.

50 *Ratio ordinis Quæstionum.*
Actus peccaminosi physice distincti, non semper distinguuntur moraliter.
51 *Tot sunt peccata numero distincta, quot sunt actus peccaminosi moraliter interrupti.*
52 *Quandonam censeantur actus voluntatis moraliter interrumpi? Id fit I. per voluntatem contrariam.*
53 *II. Per cessationem voluntariam ab actu.*
54 *III. Juxta quosdam etiam per cessationem involuntariam & naturalem. Sed hæc sententia videtur limitanda.*
55 *Peccata interna, quæ solo animo perficiuntur, multiplicantur numero, quoties actus ipsi renovantur.*
56 *Peccata, quæ opere externo perficiuntur, quando multiplicentur numero?*
57 *Unico actu occidens decem homines committit unum numero peccatum.*
58 *Secus, si id fiat pluribus actibus externis distinctis.*
Ampliatio dictorum ad alios casus.
59 *Quid dicendum de actibus pravis incompletis v. g. proxime præcedentibus, vel sequentibus fornicationem,*
60 *Vel occisionem inimici.*
61 *Quid de sepius percutiente, blasphemante, contumelias iterante, in eodem commentariis impertit?*

50. CUm Juxta Sacrum Concilium Trid. *Sess. 14. can. 5.* & *can. 7.* & omnes Catholicos, in Sacramento Pœnitentiæ confiteri teneamur omnia, & singula peccata mortalia, tam quoad speciem, & circumstantias peccati speciem mutantes, quam quoad numerum, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habetur: post explicatum modum dignoscendi Distinctionem specificam moralem, merito subjungitur præsens Quæstio de distinctione numerica morali peccatorum. Et additur, *de Distinctione numerica morali.* Siquidem physice loquendo concedunt omnes, quod multiplicentur peccata numero juxta numericam multiplicationem actuum physicorum peccaminosorum, quod tamen moraliter loquendo non

non semper sit: quia multi quandoque actus peccaminosi physice distincti, constituunt unum duntaxat numero peccatum moraliter loquendo; ut patet in eo, qui cogitat occidere suum inimicum, acea intentione quærit equum, præparat arma, accingit se itineri, ponit hosti insidias, & tandem ipsum actu occidit: hic enim multos quidem habet actus illicitos physice distinctos, moraliter tamen non nisi unum numero peccatum committit, ut patebit ex dicendis. Hoc prænotato sit

51. CONCL. I. Loquendo de multiplicatione seu distinctione numerica peccatorum, tot sunt peccata numero distincta, quot sunt actus voluntatis pravi moraliter interrupti, ac repetiti. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia nullum est peccatum, nisi in quantum ab ipsa voluntate deliberate procedit; ergo tot sunt peccata numero distincta, quot sunt actus voluntatis pravi moraliter interrupti, ac repetiti. Sed mox

52. Quæritur, quandonam censeantur actus voluntatis moraliter interrumpi? Respond. cum Mastrio *disp. 15. Theol. Moral. num. 66.* & communi Doctorum. Toties censentur actus voluntatis moraliter interrumpi, quoties nec formaliter, nec virtualiter perseverant; id est, quoties nullus effectus assignari potest, in quo virtualiter prior ejusmodi actus permanere censeatur. Id autem pluribus modis accidere solet. Et primo quidem actus peccaminosus moraliter interrumpitur (ita ut nec formaliter, nec virtualiter permanere censeatur) per voluntatem contrariam; prout fatentur omnes. Sic enim actus prior omnino revocatur, & per consequens etiam formaliter interrumpitur: prout fit, si quis de priore actu peccaminoso agit pœnitentiam, aut dolet ipsum se perpetrasse.

53. Secundo interrumpitur moraliter actus pravus per cessationem ab actu illo voluntariam, & liberam: ut si quis semel suum in procurando peccato quamvis irritum conatum peregit, & postmodum tædio, vel lassitudine victus ab illo conatu pravo desistit sine proposito ulterius progrediendi, jam prior illa actus censetur moraliter interruptus; prout Dr. Petras intra breve tempus hac de causa ter Christum negasse dignoscitur. Ratio est: quia talis censetur actum illum interpretative revocare, hoc ipso, quod ab illo actu pravo cesset sine proposito ulterius pergendi.

54. Tertio, non pauci Doctores, inter *Reiffenstuel. Theol. Moral.* quos est Vasquez 1. 2. *disp. 75. cap. 3.* tenent, etiam per cessationem involuntariam & naturalem, sive ea fiat per somnum, sive per distractionem ad alia, actum peccaminosum moraliter interrumpi. Sed hæc sententia patitur plures instantias, ac proinde nonnulli id relinquendum censent judicio prudentum: quia non in omnibus peccatis requiritur, ac sufficit eadem unio, vel continuatio ad unitatem numericam moralem ipsorum: aut saltem dicta sententia procedit solum in peccatis internis, quæ sola mente consummantur, ut est peccatum odii, hæresis, & hujusmodi; non autem in peccatis, quæ opere externo perficiuntur, prout amplius patebit ex sequentibus: unde fit

55. CONCL. II. Peccata interna, quæ solo animo perficiuntur, ut Hæresis, Odium Dei vel proximi, Delectatio venerea morosa, & hujusmodi, toties multiplicantur numero, quoties actus ipse internus peccati renovatur. Ita communis; & ratio est: quia quilibet talis actus internus in se est perfectus, & consummatus; simulque posterior actus nullam habet dependentiam vel connexionem cum priori. Ex qua doctrina Layman *lib. 1. tr. 3. cap. 3. n. 7.* infert, fieri posse, quod idem homo mille peccata Odii, vel internæ Infidelitatis uno die committat. Quamvis plerumque impossibile fit, internorum horum actuum, seu peccatorum numerum inire; ideoque satis sit in Confessione moram temporis explicare, v. g. dicendo: *Integro anno perstiti in inimicitia &c. sæpe, cum inimici memoria occurrit, actus odii exercui, ferme in singulos dies, vel singulas hebdomadas*: hinc enim prudens Confessarius jam poterit formare judicium de statu pœnitentis.

56. CONCL. III. Peccata, quæ opere externo perficiuntur, toties numero multiplicantur, quoties actus ipsi exteriores peccatum illud consummantes repetuntur. Ita Doctores communiter. Sic, qui plures homines successive occidit, plura committit homicidia numero distincta. Similiter si quis sæpius fornicetur, quamvis eadem nocte, plura committit peccata fornicationis numero distincta, atque in Confessionali explicanda. Ratio est: quia intervenunt duo actus mali, quorum unus ad alterum non ordinatur, nullamque cum ipso habet connexionem: eo quod quilibet eorum in se sit completus, & consummatus actus

57. Dicitur notanter I. *Plures homines* F *suc-*

successive occidit. Nam si quis unico actu decem, vel plures homines occidat, vel occidere velit, v. g. explosione tormenti bellici, vel stratagemate, unum numero peccatum committit, gravius tamen: uti tenent Suarez *part. 3. tom. 4. disp. 22. sect. 5. num. 33.* Matchantius *tom. 1. Tribunalis, tract. 3. tit. 4. quæst. 2. concl. 2.* Navarrus, Layman, & alii, contra Azorium *part. 1. lib. 2. Instruct. Moral. cap. 4. quæst. 2.* Ratio est: quia hujusmodi distinctio numerica objectorum, ut puta plurium hominum, est tantum materialis, cum actus, aut intentio occidendi, respiciat illa omnia per modum unius objecti formalis, totalis & adæquati. Quamvis enim extero-quin singula illa objecta possent actui dare completam malitiam, tamen ut conjunguntur, atque ab actu per modum unius respiciuntur, conferunt actui simul unam completam malitiam, majorem tamen, quam etiam quidam Doctores volunt esse in Confessione exprimendam.

58. Quod si vero contingat, non uno eodemque actu, sed pluribus actibus externis ab invicem distinctis, decem homines successive occidi, tunc erunt decem peccata Homicidii numero distincta, propter rationem positam in Conclusione. Et quod hic dicitur de Homicidio, pariter intelligendum de aliis peccatis opere externo consummatis, utputa de Furtis, Blasphemiis, Detractionibus, & hujusmodi: nam auferens eodem actu res pluribus proprias, aut simul detrahens pluribus, vel blasphemans omnes Sanctos, committit unum numero peccatum; secus, si id fiat pluribus actibus externis ab invicem distinctis.

59. Dicitur II. *Actus exteriores peccatum consummantes, seu completi*. Nam aliter dicendum de quibusdam actibus incompletis, qui solent esse vel via ad actum pravum consummandum, vel ipsum comitari, aut ejusdem esse complementum: uti respectu peccati Fornicationis solent esse delectatio inordinata circa tale peccatum, aspectus, verba obscœna, tactus impudici, & hujusmodi, quæ vel ipsum opus pravum proxime præcedunt, vel comitantur, aut veluti consuetæ appendices mox sequuntur, ac explicato in Confessione ipso pravo opere satis intelliguntur, & unum quodammodo cum ipso opere censentur.

60. Sic pariter, si quis volens occidere inimicum suum, etiam aliquot dierum itinere distantem (prout exemplificat Tannerus *tom. 2. disp. 4. quæst. 2. n. 61.* citans Navarrum, Valentiam, & alios) accipit arma, insidet equo, vocat socios jam paratos ad occidendum, facit iter longum, ac interim animum occidendi sæpius repetit, & somnum vel alia negotia interponit, tandem vero ponit insidias, & actu occidit; censetur moraliter loquendo unum peccatum Homicidii consummati perpetrare, eo tamen gravius, cæteris paribus, quo diutius in tam pravo proposito perseveravit. Ratio est: quia prior prava voluntas in actione itineris, & aliis externis actibus ad finem illum ordinatis moraliter continuatur, & virtualiter perseverat, & quamvis actus physice multiplicentur, non tamen moraliter. Sicuti ergo, quæ plura sunt in genere entis, una domus sunt; ita actus illi in genere entis distincti, sunt unum quid in genere moris, scilicet unum peccatum opere externo consummatum: cum ad hoc illi omnes ordinentur, tanquam actus incompleti ad completum.

61. His addes cum Doctoribus communiter, quod is, qui eodem commotionis impetu, eademque pugna vel contentione, alterum sæpius percussit, vel contumelia repetita affecit, aut iterato blasphemavit; semel tantum peccasse censeatur, saltem in ordine ad Confessionem Sacramentalem: censetur enim moraliter loquendo esse unicus actus, propter ordinem unitatis moralis, quem actus illi repetiti inter se habent. Secus dicendum, si per intervalla ad verberandum quis proximum aggreditur, convitiatur, aut Deum blasphemat.

DISTINCTIO II.

De Peccato mortali, & veniali.

QUÆSTIO I.

De natura, conditionibus, & signis Peccati mortalis, ac venialis.

SUMMARIUM.

1 *Peccatum mortale, quid?*
2 *Peccatum veniale, quid?*
3 *Peccatum mortale, & veniale, in nonnullis conveniunt.*
4 *In pluribus tamen differunt.*
5 *Ad quodcunque peccatum actuale tres requiruntur conditiones.*
I. Ut sit voluntarium.
6 *II. Ut sit liberum.*
7 *III. Ut advertatur malitia peccati.*
8 *Ad peccatum mortale requiruntur alia tria, quæ?*
9 *Ad peccatum veniale sufficit advertentia semiplena intellectus.*
10 *Quinam censeatur perfecta advertentia & sufficiens ad peccatum mortale?*
11 *Et quinam imperfecta, seu semiplena?*
12 *Signa, quibus in dubio diserni possit consensus perfectus ab imperfecto.*
Regula I. Regula II. Regula III. Regula IV.

1. CONCL. I. Per *Peccatum mortale* illud intelligitur, quod ita Deum offendit, ut in animam inducat privationem gratiæ sanctificantis, & amicitiæ Divinæ (quæ privatio est mors animæ) & si quis in ea finaliter decedit, puniatur etiam pœna æterna, quæ est mors secunda. Et de hoc dicitur Sapient. 16. *Homo per malitiam occidit animam suam.* Et Rom. 6. *Stipendia peccati mors.* Qua de causa recte peccatum illud appellatur *mortale*.

2. *Peccatum veniale*, e contra illud dicitur, quod licet Deum offendat, non tamen ita graviter, ut amicitiam cum Deo destruat, & inducat æternæ pœnæ reatum. Et dicitur *veniale* a venia, eo quod facilius veniam consequatur, & aliquo modo venia dignum sit. De hoc intelligitur illud Prov. 24. *Septies enim cadet justus.* Et Jacob. c. 3. *In multis offendimus omnes*, & hujusmodi.

3. CONCL. II. Peccatum mortale, ac veniale, in nonnullis conveniunt, in pluribus tamen differunt. Et quidem conveniunt, in primis ex eo: quia non solum peccatum mortale, sed etiam veniale, est actus moraliter malus, Deo displicens, Ipsumque offendens, ac proinde dignus supplicio sibi correspondente. Insuper conveniunt: quia non solum peccatum mortale, sed etiam veniale nequit eligi ad promovendam honestatem alterius finis; cum juxta illud Apostoli *Rom. 3.* non sint facienda mala, ut eveniant bona. Tertio conveniunt: quia utrumque peccatum est actus humanus moraliter malus, ac proinde requirens voluntarium, atque libertatem sufficientem. Insuper utrumque peccatum a sola creatura rationali, non autem a Deo, vel brutis elici potest. Sunt & nonnulla alia, in quibus peccatum veniale ac mortale conveniunt, quæ hic omittuntur.

4. E contra vero differunt hæc duo: nam peccatum veniale longe facilius potest consequi remissionem, quam mortale; unde jure merito illud vocatur veniale a venia. Deinde, peccatum veniale non tollit vitam animæ, sive gratiam sanctificantem; neque excludit hominem ab amicitia Dei, neque privat ipsum in perpetuum visione Dei, ac æterna beatitudine; bene tamen peccatum mortale. Tertio, peccatum mortale virtualiter ac moraliter magis amat creaturam, quam Deum; nam peccans mortaliter constituit sibi ultimum finem in creatura, saltem virtualiter, ac interpretative, quatenus per peccatum mortale convertitur ad creaturam, bene cognoscens, quod per illam conversionem amittat conjunctionem cum Deo, & ab eo tanquam ultimo Fine suo separetur: secus fit in peccato veniali. Alia discrimina inter utrumque peccatum patebunt ex sequentibus Conclusionibus.

5. CONCL. III. Ad contrahendum quodcunque peccatum actuale, sive mortale, sive veniale, tres requiruntur conditiones. Prima est, ut sit voluntarium, id est, ut fiat a voluntate consentiente. Et defectu hujus conditionis nullus actus est peccatum, qui non est voluntarius; sive is sit internus vel occultus, ut cogitationes contra Fidem,

cogitationes blasphemiæ, motus carnis, etiamsi fiant usque ad effusionem seminis, dummodo non sint voluntarii; sive externus ac violentus, ut si cuipiam reluctanti manus elevetur a Tyranno ad thus Idolo incendendum, vel si stuprum virgini per vim inferatur. Hæc enim, & alia hujusmodi, si sint homini prorsus involuntaria, eusque voluntas in talia nullatenus consentiat, peccata non fiunt, imo potius occasio victoriæ, & augmenti meriti supernaturalis. Unde D. Augustinus, *lib. De vera Religione, c. 14.* ait: *Vitiqua adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.*

6. Altera conditio, ad contrahendum quodlibet peccatum requisita, est, ut sit liberum; id est, ut sit in potestate voluntatis illud facere, vel non facere. Et defectu hujus conditionis excusantur a peccato motus primo primi iræ, concupiscentiæ, ac sensualitatis, qui præveniunt advertentiam & libertatem nostram; item alii motus vehementissimi, quibus usus rationis perturbatur, aut qui nobis dormientibus accidunt, vel contingunt omnino contra renitentiam nostræ voluntatis.

7. Tertia conditio est, ut advertatur malitia peccati. Et defectu hujus conditionis excusatur a peccato, qui aliquo die non jejunat, nihil cogitans de jejunio in tali die; item qui lapidem projicit fortuito, non videns periculum aliquod lædendi transeuntes; item qui celebrat contractum usurarium, non advertens ipsum esse talem. Cæterum hæc tria perfectius debent concurrere ad peccatum mortale, quam veniale; ut mox amplius dicetur.

8. CONCL. IV. Tria insuper ad peccatum mortale requiruntur, quorum si unum desit, jam non amplius sit peccatum mortale, sed ad summum veniale. Primo enim, ex parte intellectus requiritur plena advertentia, & deliberatio. Secundo, ex parte voluntatis requiritur perfectus consensus. Et tertio, ad peccatum mortale requiritur gravitas materiæ. Ita Doctores omnes; idque importat ipsa gravitas peccati mortalis, utpote digni æterna damnatione.

9. CONCL. V. Quamvis advertentia ad peccatum mortale requisita debeat esse plena, & perfecta, per firmum judicium intellectus de malitia actus, vel saltem de periculo ipsius, ut dictum est; nihilominus ad peccatum veniale sufficit advertentia semiplena, seu imperfecta notitia, per imperfectum & semiplenum judicium de malitia actus, vel periculo ipsius. Ita rursum communis. Ratio discriminis inter peccatum mortale, & veniale, est, quod hoc sit levis duntaxat offensa Dei, nec separans hominem ab amicitia ipsius, sicuti peccatum mortale; ergo etiam sufficit minor advertentia, ac deliberatio, ad contrahendum peccatum veniale, quam mortale. Sed occasione hujus,

10. Quæritur I. Quænam censeatur esse perfecta advertentia, & sufficiens ad peccatum mortale? Resp. I. Nullum est peccatum mortale in consensu voluntatis, nisi cogitatio aliqua præcesserit (& quidem cogitatio expressa, quam vocant actualem) malitiæ moralis; vel periculi, vel saltem expressa aliqua dubitatio. Ratio est: quia si nihil horum præcesserit, censetur adfuisse naturalis inconsideratia & oblivio malitiæ actus. Et hinc communiter Doctores eum excusant a peccato, qui in die jejunii comedit carnes, nihil cogitans de præcepto seu die jejunii: & idem de aliis similibus dicendum.

11. Resp. II. cum Sanchez *disp. 1. in Decalogum, c. 1. n. 10.* & aliis, quod tunc plena deliberatio adsit, quando ratio perfecte animadvertit objectum malum quoad circumstantias, quibus moveri potest ad illud excutiendum; semiplena autem & imperfecta, cum quis ita animadverit, aut animadvertere potest quadam præsenti cogitatione, ut possis quidem excutere malum illud, sed non tam facile, eo quod nondum plene cernat, in quonam, vel quali motu hæreat: prout solet accidere semidormientibus, seu illis, qui nondum plene a somno excitati, pollutionis sibi contingentis malitiam adverunt.

12. Quæritur II. Quomodo, quibusve ex signis in dubio discernere possimus, an quis habuerit consensum perfectum, & sufficientem ad peccatum mortale, vel imperfectum duntaxat, qui non sufficit ad mortale? Resp. cum Mairio *disp. 13. Theol. Mor. n. 13.* Bonacina, Reginaldo, & aliis, id ex sequentibus regulis dignosci posse. I. Si homo advertens ad peccatum ita se cognoscit esse animo dispositum, ut quamvis illud facile committere posset, non committeret; tunc ut plurimum signum est, atque judicandum, non adfuisse consensum deliberatum, & sufficientem ad mortale. II. Si dubitans sit vir adeo bonæ & timoratæ conscientiæ, ut peccatis dissentire soleat; in dubio ut plurimum judicandum est, eum non habuisse plenam advertentiam, & perfectum consensum: licet aliquam in repellendis tentationibus negligentiam admiserit. Secus est dicendum de eo, qui frequenter tentationibus succumbere consuevit; hic enim in dubio putandus est consensisse perfecte. Ratio discriminis est, quia cum prior summo odio peccatum mortale prosequatur, si in illud plene, deliberate, ac perfecte consensisset, facile discerneret: e contra vero, cum posterior illud parvi faciat, si minime consensisset, nullum in ipso soboriretur dubium. III. Quando quis dubitat, an aliquid fecerit in somno, an in vigilia, seu dum esset sui compos, vel potius dum ebrietate aut phrenesi correptus fuit, non leve signum est, fecisse seu voluisse sine plena advertentia & consensu: nam quæ cum plena advertentia & consensu fiunt, facillime cognoscuntur facta fuisse ratione plene advertente; cum rationis usus liberam permittat homini de suis actionibus cognitionem, nisi forte mora temporis aliquam induxerit oblivionem. Aliam, & ordine IV. regulam addit Sanchez *lib. 1. Decalog. c. 1. num. 12.* dicens: Quando motus pravus tempore fere imperceptibili insurgit, & paulo post quamprimum in mentem venit eum adversari rationi, voluntas ipsum expellere curat, est signum, aut nullius, aut imperfecti consensus præstiti.

QUÆSTIO II.

Quibus de causis Peccatum ex genere mortale, fiat per accidens veniale, & e contra?

SUMMARIUM.

13 *Peccatum veniale triplex est, videlicet Veniale ex genere suo.*
Ex parvitate materiæ, & ex imperfectione actus.
(b) Juxta dicta num. 8.
14 *Peccatum mortale, duplex, Aliud tale ex genere suo.*
Aliud ex accidenti.
15 *Peccatum genere mortale tribus modis potest fieri veniale per accidens.*
16 *Peccatum veniale quomodo generatim fiat mortale per accidens?*
17 *Illud fit Erratione conscientiæ erroneæ, vel dubiæ.*
18 *II. Ratione finis mortalis adjuncti.*
Et quomodo hoc intelligendum?
19 *III. Ratione contemptus;*
Et quomodo fiat transgressio legis ex contemptu?
Reiffenstuel. Theol. Moral.
20 *Corollaria.*
21 *IV. Ratione nimiæ affectus, voluntas transgredi præceptum sub mortali obligans.*
22 *V. Ratione gravis scandali.*
(c) Tract. 4. Dist. 7. quæst. 2.
23 *Addunt aliqui periculum proximum incidendi in mortale.*
24 *Periculum proximum peccandi mortaliter quod?*
(d) Tract. 14. Dist. 8. q. 3.

13. CONCL. I. Peccatum veniale triplex est; aliud enim est veniale ex suo genere & objecto, aliud ex parvitate materiæ, & aliud ex imperfectione actus. Ita communis. *Peccatum ex genere suo veniale* dicitur illud, quod gerit circa objectum, quod per se, & absolute ipsectatum, est materia offensæ levis: ut cogitatio vana, verbum otiosum, mendacium jocosum, risus immoderatus, & hujusmodi. Ratio est: quia talia ex objecto non habent graveni cum recta ratione; ac lege Dei repugnantiam. *Peccatum veniale ex parvitate materiæ* dicitur illud, quod licet ex genere suo esset mortale, v.g. furtum, ob levitatem tamen materiæ est veniale: ut est furtum unius oboli, aut alterius rei levis. Tandem *Peccatum veniale ex imperfectione actus* dicitur, quod sit veniale ex defectu perfectæ deliberationis, quamvis ex objecto foret mortale. Siquidem ad peccatum mortale requiritur plena deliberatio, ac perfectus consensus (b) unde si talis non adsit, actus ex genere suo mortalis per accidens redditur venialis: ut sunt subiti, ac non plene deliberati motus odii, invidiæ, luxuriæ, superbiæ, & hujusmodi.

14. CONCL. II. Peccatum mortale duplex est, aliud quidem mortale ex genere suo, aliud vero mortale ex accidente. Ita rursum communis Doctorum. Porro *Peccatum mortale ex genere suo* dicitur illud, quod per se graviter lædit charatatum Dei, vel proximi, aut nos ipsos: & talia peccata ex genere suo mortalia sunt omnia, quæ fiunt contra Virtutes Theologicas; item ferme omnia, quæ fiunt contra Præcepta Decalogi, dummodo excipias Mendacium jocosum, una cum similibus, tam illud ex genere suo non est mortale, quamvis sit contra octavum Præceptum Decalogi. *Peccatum mortale ex accidente* dicitur, cum actus aliquis ceteroquin venialis, aut etiam ex genere suo indifferens, fit per accidens mortalis, quod, quomodo contingat, patebit ex dicendis. Hinc ulterius sit

15. CONCL. III. Peccatum ex genere suo Mortale, potest fieri veniale per accidens tribus de causis. I. Si ex parte intellectus non adsit perfecta advertentia malitiæ: prout fit, siquis ex imperfecta advertentia rationis gravem vindictam proximo appetat. II. Ex parte voluntatis, si nempe non adsit perfectus consensus voluntatis: cujus signa sunt, siquis valde timide, ac suspense, processisse se meminit; vel si semidormiens fuit non plene sui compos, judicetque se id non fuisse factorum, si plene vigilasset, & hujusmodi, de quibus dictum *n.* 12. Tandem III. Peccatum mortale potest per accidens fieri veniale ex parte materiæ, si hæc sit parvi momenti; prout Furtum, quod ex genere suo est mortale, ratione parvitatis materiæ potest fieri veniale. Ratio horum omnium patet ex dictis supra *n.* 8. estque certa, & communis inter Theologos.

16. CONCL. IV. Peccatum ex genere suo veniale, potest per accidens fieri mortale variis etiam modis; qui tamen omnes hac universali regula comprehenduntur; quod tunc *Peccatum ex genere veniale fiat per accidens mortale, quando supervenit aliqua circumstantia transferens illud ad speciem peccati mortalis*. Ita certa, & communis Doctorum; & mox explicabitur seq. Concl. unde sit.

17. CONCL. V. Quinque præsertim de causis, seu modis peccatum ex genere veniale, fit per accidens mortale. I. Ratione conscientiæ erroneæ, vel dubiæ, quando videlicet committitur practice dubitando, vel erronee credendo, se facere peccatum mortale. Ratio hujus patet ex dictis *Tract. 1. dist. 3. quæst. 2. & 3.*

18. II. Peccatum ex genere veniale, fit per accidens mortale ratione finis mortalis adjuncti, id est, quando intentio est mortalis; ut, si quis faciat mendacium jocosum, ut fœminam inducat ad fornicationem. Ratio est: quia, cum finis mortalis intendatur, jam committitur peccatum mortale ratione hujus pravi finis. Cæterum hoc non ita accipiendum est, quasi tunc duplex peccatum committatur, unum mendacii mortalis, & alterum fornicationis desideratæ, ac utrumque in Confessione sit necessario explicandum; satis enim est, illud malum desiderium, ut pote ex quo tota malitia mortalis in id veniale derivatur, fateri in Confessione, prout notat Sanchez *l. 1. in Decalog. cap. 5. num. 7.* Nam secluſa malitia finis mortalis, mendacium illud manet veniale, quod non est necessario confitendum: licet optimum sit, illud quoque fateri. Et idem dicendum de similibus.

19. III. Peccatum veniale, per accidens fit mortale ratione contemptus; id est, si transgressio aliqua, vel inobedientia de se venialis, committitur ex formali contemptu Legis, vel Legislatoris: hoc enim est peccatum superbiæ consummatæ, ac formalis inobedientiæ; & licet materia legis obligantis sub veniali sit levis, contemptus tamen legis est gravis. Circa hoc notandum cum Doctore Angelico 2. 2. *quæst. 186. art. 9.* & aliis communiter, quod tunc aliquis transgrediatur præceptum ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis, vel Regulæ sui Ordinis, & ex hoc procedit ad faciendum aliquid contra legem, seu Regulam: id est, contemptus formalis tunc fit, quando contemptus præcepti est causa illius peccati committendi, atque ideo quis præceptum violat, quia ipsi, aut Superiori præcipienti subjici non vult. Quare contemptus formaliter, & directe tendit contra legis, ac Legislatoris superioritatem; atque idcirco ex veniali reddit peccatum mortale.

20. Infertur proinde I. Quod peccare ex contemptu importet duo, nempe actum peccandi, & causam ejus: requiritur enim, ut quis peccet ex contemptu præcepti, id est, ideo, quia præceptum est. Infertur II. cum cit. D. Thoma, & aliis passim, quando quis propter aliquam causam particularem, v. g. ex concupiscentia, vel ira, inducitur ad aliquid faciendum contra legem, vel Regulam, quod is non peccet ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, v. g. ex ira, concupiscentia, vel prava consuetudine. Imo sola prava consuetudo peccandi non illico arguit contemptum legis: quamvis frequentia peccati dispositive inducat ad contemptum, juxta illud Prov. 18. *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

21. IV. Peccatum veniale, per accidens fit mortale ratione nimii affectus; id est, quando in veniali constituitur ultimus finis. Cæterum ad hoc non satis est, quod committens veniale feratur nimis intenso affectu in objectum ejus; sed tunc illud evenit, quando quis eo affectu committit peccatum ex genere veniale, ut vellet illud committere etiam transgrediendo præceptum sub mortali obligans. Sic fit, si quis ita inordinate afficiatur ad fabulas, lusum, verba otiosa, & hujusmodi, ut malit die Festo omittere Sa-

Sacrum, quam illis privari. Item si quis committat veniale cum ea animi præparatione, ut quamvis esset mortale peccatum, adhuc illud perpetraret. Hic tamen affectus non tantum habitualis, sed etiam actualis esse debet, ut peccatum contrahatur: quia ad culpam non imputatur id, ad quod committendum habitus tantum est paratus.

22. V. Veniale transit in mortale ratione gravis scandali, quod peccator secuturum prævidit, aut prævidere potuit, ac debuit: ut si ex tali peccato veniali præbeas alteri directam occasionem blasphemandi, quia in tali casu peccato veniali quidpiam superadditur graviter charitati proximi repugnans. Sed de hoc plura alibi (c) agendo de scandalo.

23. Addunt aliqui, quod veniale, vel etiam opus indifferens, transeat in mortale ratione periculi proximi in mortale incidendi: quando nimirum quis sine sufficienti cautela, aut necessitate aliquid facit, per quod in peccatum mortale labitur, vel in proximum periculum peccandi mortaliter.

24. Porro periculum proximum peccandi mortaliter illud esse censetur, quod ex suo genere frequenter homines similis conditionis in peccatum mortale inducit; vel si experimento constet, in hoc homine talem effectum habere, ut nunquam, vel ferme nunquam ea occasione utatur sine novo peccato. Gob. *tr. 7. Theol. Exper. n. 525. & seq.* ac alii. Et illud quidam Authores moraliter determinant, hoc modo: Si quis, inquiunt, existens in ejusmodi occasione decem vicibus, septies, aut ultra in peccatum cadat, est occasio proxima; unde in Confessione explicanda est species peccati, cujus periculo se exposuit, quia eodem peccati genere peccavit, juxta illud Ecclesiastici 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Verum de hoc alibi. (d)

QUÆSTIO II.

Quibus modis remittantur peccata venialia? ubi & de Sacramentalibus.

SUMMARIUM.

25 *Hic non agitur de remissione peccati mortalis.*

(c) Tract. 14. Dist. 2. q. 2. & 3. ac Dist. 6. q. 3.

26 *Peccata venialia multis remediis extra Sacramentum Pœnitentiæ expiari possunt.*

27 *I. Per contritionem.*

28 *II. In homine justo etiam per attritionem de illis conceptam.*

29 *III. Per actum aliarum virtutum, qui eæque placens Deo, &c.*

30 *IV. Per omnia Sacramenta nova legis vite suscepta.*

31 *Sacramentalia vero non remittunt venialia per se ac immediate.*

32 *Sed remota solum, ac mediate.*

33 *Sacramentalia, quid, & quot sint?*

34 *Inter ea numeratur oratio quotidiana Fidelium.*

35 *Aspersio Aquæ benedictæ, &c.*

36 *Manducatio panis benedicti.*

37 *Confessio generalis.*

38 *Largitio eleemosynæ.*

39 *Et benedictio Episcopi, vel Abbatis consecrati.*

25. UT ex titulo Quæstionis patet, non loquimur hic de peccato mortali: nam quæ dispositio ad ejusdem remissionem requiratur, & quibus modis virtute contritionis perfectæ, aut dignæ receptionis Sacramentorum illud remittatur, dicetur suo loco. (e) Sed loquendo de peccatis venialibus sit

26. CONCL. I. Certum est, quod peccata venialia non sint materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, ac proinde aliis etiam modis extra illud possint remitti. Ita omnes Catholici; & patet ex Concilio Trid. *Sess. 14. cap. 5.* ubi dicitur: *Nunc venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in qua frequentius labimur, quamquam recte & utiliter, citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; tacere tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Hæc Concilium: ubi bene notandum ly *multisque aliis remediis expiari possunt.*

27. CONCL. II. Extra Sacramentum delentur peccata venialia in primis per Contritionem; & quidem omnia, quorum displicentiam continet, seu de quibus in genere saltem habetur Contritio. Ita communis Doctorum: Siquidem Contritio perfecta sufficit ad tollenda peccata mortalia; ergo multo magis ad venialia, si de illis habeatur. Solum hic adde cum Suarez *p. 3. tract. 4. disp. 11. sect. 3. num. 7.* & aliis, quod licet quæcunque Contritio, etiam remissa, sufficiat ad tollendam omnem culpam eorum peccatorum

venialium, de quibus habetur, non tamen semper sufficiat ad tollendam omnem poenam ei correspondentem, ad hoc enim requiritur major satisfactio poenalis, nisi suppleatur per intensiores actus Virtutum.

28. CONCL. III. Peccata venialia extra Sacramenta, delentur in homine justo etiam per Attritionem de eisdem conceptam, ita *Suarez loc. cit. num.* 11. Mastrius *disput.* 21. *Theolog. Moral. num.* 82. Tannerus, aliique, contra Vasquez, & quosdam Recentiores, in homine justo ad deletionem peccati venialis extra Sacramentum requirentes Contritionem formalem, vel saltem virtualem. Ratio autem nostræ Conclusionis est: quia peccata venialia non sunt tam gravis offensa Dei, sicuti mortalia; ergo etiam minor sufficit satisfactio pro eorundem remissione, quam pro remissione peccatorum mortalium.

29. CONCL. IV. Etiam per actus aliarum Virtutum, qui æque placent Deo, ac veniale displicuit, delentur peccata venialia hominis justi, & actus illi virtuosi eliciantur in ordine ad deletionem peccati venialis, aut saltem a Deo ad talem finem acceptentur. Ita Doctor Subtilis 4. *dist.* 21. *q.* 3. *in ipsa quæstione*. Mastrius *loc. cit. num.* 83. & alii. Ratio desumitur in primis ex illa Salvatoris promissione, Lucæ cap. 6. *Dimittite, & dimittemini.* Et similis promissio etiam de aliarum actibus Virtutum, ac præsertim Misericordiæ, passim habetur in scriptura sacra. Accedit Concilium Trid. *loc. cit.* ubi ait, peccata venialia multis aliis remediis expiari posse.

30. CONCL. V. Peccata venialia remittuntur ex opere operato per omnia Sacramenta novæ legis cum debita dispositione suscepta, dummodo ad ea nullus formalis, vel virtualis vigeat affectus. Ita Mastrius ibidem *n.* 85. cum communi SS. Patrum, & Doctorum. Ratio est: quia omnia Sacramenta novæ Legis sunt instituta a Christo Domino ad sanctificeandas animas nostras ex opere operato, seu ex virtute Dominicæ Passionis, atque conferendam digne suscipientibus remissionem peccatorum.

31. CONCL. VI. Sacramentalia vero, qualia sunt Aspersio Aquæ benedictæ, Manducatio panis benedicti, &c. non habent vim remittendi venialia ex se atque immediate, sed remote solum & mediate, quatenus provocet fidem, & preces, atque suffragia Ecclesiæ, quæ in benedictione Aquæ lustralis, & hujusmodi, orat, ut res illæ benedictæ conferant ad salutem mentis & corporis devote recipientium, impetrante nobis a Deo auxilia gratiæ prævenientis atque excitantis nos ad eliciendos actus bonos Pœnitentiæ, vel aliarum virtutum, per se sufficientes ad remissionem peccatorum venialium; simulque, quia ejusmodi Sacramentalia propter Ecclesiæ preces juvant ad impetranda nobis alia Dei beneficia, v. g. dæmonis compressionem, præservationem a peccandi periculis, & corporis sanitatem. Ita Doctor Subtilis 4. *dist.* 21. *q.* 2. D. Thomas, & communior Theologorum, contra Azorium *part.* 1. *Instit. Mor. lib.* 4. *cap.* 11. *qu.* 4. & quosdam alios. Ratio quoad primam partem est: quia hujusmodi Sacramentalia non habent talem virtutem remittendi venialia ex institutione Christi, utpote de qua nullibi constat, sicuti de virtute Sacramentorum; Ecclesia vero ex se hanc virtutem eisdem dare nequit.

32. Secunda vero pars, quod Sacramentalia saltem remote (modo in Conclusione explicato) remittant venialia, probatur ex eo: quia Deus non finit Ecclesiæ preces omnino esse irritas, & inanes. Quamvis interim negari non possit, hunc effectum remissionis peccatorum venialium non esse omnino infallibilem, & hoc præcipue propter exiguam fidem, ac devotionem recipientis, aut ejus indispositionem: alioquin certe aspersio Aquæ benedictæ dormienti facta, conferret ipsi effectum remissionis peccatorum venialium, quod nemo dicet. Sed occasione hujus,

33. Quæres, quid sint Sacramentalia? Resp. *Sacramentalia* nihil aliud sunt, quam res sacræ, seu actiones aut remedia quædam ab Ecclesia instituta, quibus solet attribui effectus remissionis peccatorum venialium, modo proxime declarato. Communiter autem hujusmodi Sacramentalia enumerantur sex, ad quæ cætera reducuntur, & continentur sequenti versiculo,

Orans, tundus, edens, Confessus, dans, benedicens.

34. Per ly *Orans*, denotatur quotidiana Oratio Fidelium, ac præsertim *Pater noster*; de quo dicitur *c. De quotidianis de pœnit. dist.* 3. *De quotidianis, brevioribus, levibusque peccatis, sine quibus hac vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit; eorum est enim dicere, Pater noster, qui es in cœlis, &c. Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata.* Huc reducitur Tunsio pectoris.

36. Per ly *Tundus*, significatur aspersio Aquæ benedictæ, de qua *c. Aquam de Consecr. dist.* 3. sic legitur: *nam si cinis vitulæ sanguine aspersus populum sanctificabat, & mundabat; multo magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata populum sanctificat, atque mundat.* Huc reducitur Unctio exemonialis in Regem, & similes Unctiones: item impositio Cineris benedicti.

36. Per ly *Edens*, intelligunt aliqui dignam Sacrosanctæ Eucharistiæ, imo cujuslibet Sacramenti susceptionem. Verum hoc non tam videtur spectare ad Sacramentalia, quam ad ipsa Sacramenta: & hinc alii per ly *Edens*, intelligunt devotam manducationem Panis benedicti, & hujusmodi.

37. Per ly *Confessus*, communiter intelligitur Confessio generalis, quæ in hunc finem ab Ecclesia est instituta, ut dicatur in principio Missæ, atque sub Prima, & Completorio.

38. Per ly *Dans*, denotatur elargitio Eleemosynæ, juxta illud Tob. 4. *Eleemosyna ab omni peccato liberat.* Daniel. *c.* 4. *Peccata tua eleemosynis redime*, & alibi. Huc reducuntur alia Opera Misericordiæ, tum corporalia, tum spiritualia.

39. Tandem per ly *Benedicens*, designatur Benedictio Episcopi, vel Abbatis consecrati, alios benedicentis; prout explicat Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 6. *sect.* 2. *punct.* 2. citans plures alios, & tenet Glossa in Prœmio Sexti Decretalium, *V. Benedictionem*, ubi inquit: *Per benedictionem Prælati devote susceptam venialia remittuntur*: atque ad hoc allegat *c. Dictum est*, & *c. Maledicam* & *c. Intra* 1. *q.* 1. quamvis non adeo clare id habeant.

DISTINCTIO III.

De Septem Peccatis Capitalibus.

QUÆSTIO I.

De Superbia, & variis eam concernentibus.

SUMMARIUM.

1 *Peccata capitalia sunt septem, & cur sic appellentur?*
2 *Superbia, quid?*
3 *Superbia si sit consummata, est peccatum mortale.*
4 *Secus, si sit imperfecta.*
5 *Plures sunt filiæ Superbiæ, quæ?*
6 *Vana gloria, quid?*
7 *Et quale peccatum?*
8 *Præsumptio quid, & quale peccatum?*
9 *Ambitio, quid, & quale peccatum?*
10 *Superbia, cur dicatur vitium capitale?*
11 *Quinam sint remedia contra Superbiam?*

1. SUpponitur cum D. Gregorio *l.* 31. *Mor. c.* 31. & communi Doctorum, septem esse Peccata Capitalia: quæ sunt, Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Ira, Gula, & Acedia. Et hæc dicuntur *Capitalia*, quonam ab his alia peccata oriuntur, & instar capitis, quod influit in membra, ipsa influunt in alia peccata, ut inquit D. Gregorius *loc. cit.* Siquidem ex his septem Capitalibus vitiis frequentius cætera peccata oriuntur, secundum rationem causæ finalis, licet nonnulla ex aliis causis interdum oriantur. Et quia Superbia vitiorum omnium mater est, ac regina (*in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio*, Tob. 4.) de ea merito ante alia Peccata capitalia tractatur.

2. CONCL. I. *Superbia* est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ super alios. Mastrius *disp.* 15. *Theol. Mor. n.* 17. Dicitur *excellentia super alios*. Nam Superbia propriæ dicta involvit affectum immoderatum excellentiæ suæ relatæ ad alios, quibus aliquis præesse cupit, aut antecellere: prout desumitur ex ipso nomine superbiæ: etenim *superbire* sic dicitur a *super*, & *ire*, quia nempe superbus super alios, & supra suam mensuram ire vult. In quo sensu D. Augustinus *l.* 14. *de Civitate Dei*, *cap.* 3. ait: *Quid est superbire, nisi perversa celsitudinis appetitus?* Nec obstat, quod idem S. Augustinus *l.* 2. *cap.* 13. asserat, quod sibi placens immoderate, sit superbus. Nam hoc recte a Doctore nostro ibidem explicatur de superbia large dicta (quam alio nomine *Philautiam* vocant) cum superbia propriæ accepta involvat relationem excellentiæ super alios, ut dictum.

3. CONCL. II. Superbia est peccatum mortale, si sit consummata & perfecta: id est, si quis ita excellere appetat, ut Deo, Su-

pe-

venialium, de quibus habetur, non tamen semper sufficiat ad tollendam omnem poenam ei correspondentem, ad hoc enim requiritur major satisfactio poenalis, nisi suppleatur per intensiores actus Virtutum.

28. CONCL. III. Peccata venialia extra Sacramenta, delentur in homine justo etiam per Attritionem de eisdem conceptam, ita *Suarez loc. cit. num.* 11. Mastrius *disput.* 21. *Theolog. Moral. num.* 82. Tannerus, aliique, contra Vasquez, & quosdam Recentiores, in homine justo ad deletionem peccati venialis extra Sacramentum requirentes Contritionem formalem, vel saltem virtualem. Ratio autem nostræ Conclusionis est: quia peccata venialia non sunt tam gravis offensa Dei, sicuti mortalia; ergo etiam minor sufficit satisfactio pro eorundem remissione, quam pro remissione peccatorum mortalium.

29. CONCL. IV. Etiam per actus aliarum Virtutum, qui æque placent Deo, ac veniale displicuit, delentur peccata venialia hominis justi, & actus illi virtuosi eliciantur in ordine ad deletionem peccati venialis, aut saltem a Deo ad talem finem acceptentur. Ita Doctor Subtilis 4. *dist.* 21. *q.* 3. *in ipsa quæstione*. Mastrius *loc. cit. num.* 83. & alii. Ratio desumitur in primis ex illa Salvatoris promissione, Lucæ cap. 6. *Dimittite, & dimittemini.* Et similis promissio etiam de aliarum actibus Virtutum, ac præsertim Misericordiæ, passim habetur in scriptura sacra. Accedit Concilium Trid. *loc. cit.* ubi ait, peccata venialia multis aliis remediis expiari posse.

30. CONCL. V. Peccata venialia remittuntur ex opere operato per omnia Sacramenta novæ legis cum debita dispositione suscepta, dummodo ad ea nullus formalis, vel virtualis vigeat affectus. Ita Mastrius ibidem *n.* 85. cum communi SS. Patrum, & Doctorum. Ratio est: quia omnia Sacramenta novæ Legis sunt instituta a Christo Domino ad sanctificeandas animas nostras ex opere operato, seu ex virtute Dominicæ Passionis, atque conferendam digne suscipientibus remissionem peccatorum.

31. CONCL. VI. Sacramentalia vero, qualia sunt Aspersio Aquæ benedictæ, Manducatio panis benedicti, &c. non habent vim remittendi venialia ex se atque immediate, sed remote solum & mediate, quatenus provocet fidem, & preces, atque suffragia Ecclesiæ, quæ in benedictione Aquæ lustralis, & hujusmodi, orat, ut res illæ benedictæ conferant ad salutem mentis & corporis devote recipientium, impetrante nobis a Deo auxilia gratiæ prævenientis atque excitantis nos ad eliciendos actus bonos Pœnitentiæ, vel aliarum virtutum, per se sufficientes ad remissionem peccatorum venialium; simulque, quia ejusmodi Sacramentalia propter Ecclesiæ preces juvant ad impetranda nobis alia Dei beneficia, v. g. dæmonis compressionem, præservationem a peccandi periculis, & corporis sanitatem. Ita Doctor Subtilis 4. *dist.* 21. *q.* 2. D. Thomas, & communior Theologorum, contra Azorium *part.* 1. *Instit. Mor. lib.* 4. *cap.* 11. *qu.* 4. & quosdam alios. Ratio quoad primam partem est: quia hujusmodi Sacramentalia non habent talem virtutem remittendi venialia ex institutione Christi, utpote de qua nullibi constat, sicuti de virtute Sacramentorum; Ecclesia vero ex se hanc virtutem eisdem dare nequit.

32. Secunda vero pars, quod Sacramentalia saltem remote (modo in Conclusione explicato) remittant venialia, probatur ex eo: quia Deus non finit Ecclesiæ preces omnino esse irritas, & inanes. Quamvis interim negari non possit, hunc effectum remissionis peccatorum venialium non esse omnino infallibilem, & hoc præcipue propter exiguam fidem, ac devotionem recipientis, aut ejus indispositionem: alioquin certe aspersio Aquæ benedictæ dormienti facta, conferret ipsi effectum remissionis peccatorum venialium, quod nemo dicet. Sed occasione hujus,

33. Quæres, quid sint Sacramentalia? Resp. *Sacramentalia* nihil aliud sunt, quam res sacræ, seu actiones aut remedia quædam ab Ecclesia instituta, quibus solet attribui effectus remissionis peccatorum venialium, modo proxime declarato. Communiter autem hujusmodi Sacramentalia enumerantur sex, ad quæ cætera reducuntur, & continentur sequenti versiculo,

Orans, tundus, edens, Confessus, dans, benedicens.

34. Per ly *Orans*, denotatur quotidiana Oratio Fidelium, ac præsertim *Pater noster*; de quo dicitur *c. De quotidianis de pœnit. dist.* 3. *De quotidianis, brevioribus, levibusque peccatis, sine quibus hac vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit; eorum est enim dicere, Pater noster, qui es in cœlis, &c. Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata.* Huc reducitur Tunsio pectoris.

36. Per ly *Tundus*, significatur aspersio Aquæ benedictæ, de qua *c. Aquam de Consecr. dist.* 3. sic legitur: *nam si cinis vitulæ sanguine aspersus populum sanctificabat, & mundabat; multo magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata populum sanctificat, atque mundat.* Huc reducitur Unctio exemonialis in Regem, & similes Unctiones: item impositio Cineris benedicti.

36. Per ly *Edens*, intelligunt aliqui dignam Sacrosanctæ Eucharistiæ, imo cujuslibet Sacramenti susceptionem. Verum hoc non tam videtur spectare ad Sacramentalia, quam ad ipsa Sacramenta: & hinc alii per ly *Edens*, intelligunt devotam manducationem Panis benedicti, & hujusmodi.

37. Per ly *Confessus*, communiter intelligitur Confessio generalis, quæ in hunc finem ab Ecclesia est instituta, ut dicatur in principio Missæ, atque sub Prima, & Completorio.

38. Per ly *Dans*, denotatur elargitio Eleemosynæ, juxta illud Tob. 4. *Eleemosyna ab omni peccato liberat.* Daniel. *c.* 4. *Peccata tua eleemosynis redime*, & alibi. Huc reducuntur alia Opera Misericordiæ, tum corporalia, tum spiritualia.

39. Tandem per ly *Benedicens*, designatur Benedictio Episcopi, vel Abbatis consecrati, alios benedicentis; prout explicat Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 6. *sect.* 2. *punct.* 2. citans plures alios, & tenet Glossa in Prœmio Sexti Decretalium, *V. Benedictionem*, ubi inquit: *Per benedictionem Prælati devote susceptam venialia remittuntur*: atque ad hoc allegat *c. Dictum est*, & *c. Maledicam* & *c. Intra* 1. *q.* 1. quamvis non adeo clare id habeant.

DISTINCTIO III.

De Septem Peccatis Capitalibus.

QUÆSTIO I.

De Superbia, & variis eam concernentibus.

SUMMARIUM.

1 *Peccata capitalia sunt septem, & cur sic appellentur?*
2 *Superbia, quid?*
3 *Superbia si sit consummata, est peccatum mortale.*
4 *Secus, si sit imperfecta.*
5 *Plures sunt filiæ Superbiæ, quæ?*
6 *Vana gloria, quid?*
7 *Et quale peccatum?*
8 *Præsumptio quid, & quale peccatum?*
9 *Ambitio, quid, & quale peccatum?*
10 *Superbia, cur dicatur vitium capitale?*
11 *Quinam sint remedia contra Superbiam?*

1. SUpponitur cum D. Gregorio *l.* 31. *Mor. c.* 31. & communi Doctorum, septem esse Peccata Capitalia: quæ sunt, Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Ira, Gula, & Acedia. Et hæc dicuntur *Capitalia*, quonam ab his alia peccata oriuntur, & instar capitis, quod influit in membra, ipsa influunt in alia peccata, ut inquit D. Gregorius *loc. cit.* Siquidem ex his septem Capitalibus vitiis frequentius cætera peccata oriuntur, secundum rationem causæ finalis, licet nonnulla ex aliis causis interdum oriantur. Et quia Superbia vitiorum omnium mater est, ac regina (*in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio*, Tob. 4.) de ea merito ante alia Peccata capitalia tractatur.

2. CONCL. I. *Superbia* est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ super alios. Mastrius *disp.* 15. *Theol. Mor. n.* 17. Dicitur *excellentia super alios*. Nam Superbia propriæ dicta involvit affectum immoderatum excellentiæ suæ relatæ ad alios, quibus aliquis præesse cupit, aut antecellere: prout desumitur ex ipso nomine superbiæ: etenim *superbire* sic dicitur a *super*, & *ire*, quia nempe superbus super alios, & supra suam mensuram ire vult. In quo sensu D. Augustinus *l.* 14. *de Civitate Dei*, *cap.* 3. ait: *Quid est superbire, nisi perversa celsitudinis appetitus?* Nec obstat, quod idem S. Augustinus *l.* 2. *cap.* 13. asserat, quod sibi placens immoderate, sit superbus. Nam hoc recte a Doctore nostro ibidem explicatur de superbia large dicta (quam alio nomine *Philautiam* vocant) cum superbia propriæ accepta involvat relationem excellentiæ super alios, ut dictum.

3. CONCL. II. Superbia est peccatum mortale, si sit consummata & perfecta: id est, si quis ita excellere appetat, ut Deo, Su-

pe-

perioribus, eorumque legibus subjici nolit. Ita certa, & communis Doctorum. Quinimo ejusmodi superbia consummata, est peccatorum omnium gravissimum: talisque præcipue datur in diabolo, ac pessimis hominibus: estque radix omnium peccatorum, prout declarabitur *n.* 10.

4. Dicitur notanter, *si sit consummata & perfecta*. Siquidem imperfecta tantum superbia, qua quis non renuens iis subjici, quibus debet, in suo duntaxat affectu sese magnificat, est tantum veniale peccatum, ut docent passim Doctores: quia sine Dei, & aliorum despectu, sese plus justo efferre, non est adeo gravis inordinatio. Et quamvis superbia ex genere suo sit peccatum mortale, nihilominus aliqui motus ipsius propter imperfectionem actus, aut aliis circumstantias, possunt esse veniales: foret tamen gravis inordinatio, adeoque peccatum mortale, si fieret cum notabili aliorum contemptu, vel cum complacentia in aliorum abjectione.

5. CONCL. II. Etsi plures soleant assignari Filiæ superbiæ, ut Inobedientia, Jactantia, Hypocrisis, Contentio, Pertinacia, Discordia, Curiositas, tres tamen sunt præcipuæ, videlicet Vana gloria, Præsumptio & Ambitio: quæ ideo dicuntur Filiæ superbiæ, quatenus ab ea originantur. Mastrius *disp. 15. Theol. Moral. num.* 138. cum aliis.

6. CONCL. III. *Vana gloria*, quæ est una ex præcipuis Filiabus superbiæ, est cupiditas inanis gloriæ. Ratio est: quia vanus gloriosus vult propriæ manifestationem excellentiæ, sive veræ, sive fictæ; unde appetitus excellentiæ movet ad inanem gloriam, & sic oritur ex superbia, tanquam infelix soboles ipsius.

7. Porro vana gloria est peccatum per se, seu ex genere suo tantum veniale, ut docet D. Thomas 2.2. *q.* 132. *art.* 2. eo quod hoc vitium ex genere suo, & secundum se spectatum, nec Deo, nec proximo, gravem inferat injuriam. Hinc concionari v. g. vel alias actiones sacras facere ob vanam gloriam est tantum veniale peccatum. Quo tamen non obstante, vana gloria sæpe fit peccatum mortale per accidens: idque vel ratione materiæ, finiminus gloriatio fit de re mortaliter mala: quia approbatio operis pravi, eadem cum illo speciem habet: vel ratione notabilis damni proximo illati; ut si quis prorumpat in gravem ejusdem contumeliam, qualis fuit jactantia Pharisæi, *Luca* 18. dicentis, *Non sum sicut cæteri hominum; raptores, injusti, adulteri: velut etiam hic publicanus*, aut hujusmodi.

8. CONCL. IV. *Præsumptio* est appetitus aggrediendi aliquid supra vires: cum enim homo vult dicere, vel facere aliquid supra id, quod potest, dicitur *Præsumptuosus*. Est autem præsumptio communiter, ac ex genere suo, peccatum veniale: fit autem per accidens mortale, si gravis injuria Deo, aut damnum proximo inferatur: v.g. si quis præsumat jurisdictionem Ecclesiasticam, potestatem Ordinis sacri, officium Medici, Advocati, Confessarii, &c. sine debita peritia susceipere; aut si quis aliquid præsumit cum periculo probabili gravis damni proprii corporalis, vel spiritualis incurrendi, absque justa causa.

9. CONCL. V. *Ambitio*, quæ est una ex præcipuis Filiabus superbiæ, est inordinatus appetitus dignitatis, & honoris non debiti: ut si ambias Beneficium, vel Officium, quo ex indignus. Est per se peccatum veniale: fit autem mortale vel ratione materiæ, ex qua honor inordinate petitur; vel ratione medii mortalis, per quod honor quæritur: vel ratione gravis damni, quod proximo infertur. Quod si vero moderate honor appetatur ob honestum finem, nullum erit peccatum, sed actus Magnanimitatis.

10. Quæres, cur Superbia dicatur esse vitium Capitale? Resp. id intelligendum esse potissimum de superbia completa, quæ omnem humilitatem & subjectionem excludit: ut cum quis in tantum sese extollit, ut nolit legi Divinæ, ac legitimorum Superiorum, esse subjectus. Hæc autem non tantum est vitium Capitale, sed etiam regina & mater omnium vitiorum, juxta D. Gregorium *lib.* 31. *Moral. c.* 31. idque tum propter universalem ejus influentiam, quam habet in omnia vitia: tum quia exeo, quod quis renuat esse subjectus legi Divinæ, ac legitimorum Superiorum, aperitur porta latissima omnibus peccatis, legumque transgressionibus. Hinc Ecclesiastici 10. dicitur: *Initium omnis peccati est superbia; qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subvertet eum in finem.*

11. Quæres ulterius, quænam sint remedia contra Superbiam? Resp. cum communi Doctorum, eadem esse remedia superbiæ, quæ Humilitatis adjumenta, de quibus fusè Libri Ascetici. Tria tamen præcipue sunt remedia contra superbiam a Doctore Angelico 2.2. *q.* 162. *art.* 6. *ad* 1. assignata, ad quæ cætera reduci possunt. Primum, est consi-

deratio propriæ infirmitatis; juxta illud *Ecclesiastici* 10. *Quid superbis terra & cinis?* Secundum, est consideratio magnitudinis Divinæ, secundum illud *Job* 15. *Quid tumet contra Deum spiritus tuus?* Tertium, est consideratio imperfectionis propriorum bonorum, de quibus homo superbit; juxta illud *Isaiæ* 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri.* Et Isaiæ 64. *Quasi pannus menstruata universa justitia nostra.*

QUÆSTIO II.

De Avaritia, & Filiabus ejus.

SUMMARIUM.

12 *Avaritia, quid?*
13 *Avaritia, quale sit peccatum?*
14 *Ipsa rectissime numeratur inter Peccata capitalia, cur?*
15 *Filiæ Avaritiæ sunt septem, nempe, Obduratio cordis. Inquietudo mentis.*
16 *Violentia. Fallacia. Perjurium. Fraus, & Proditio.*

12. CONCL. I. *Avaritia* est immoderatus appetitus habendi pecunias, sive possessiones. Ita in re communis. Dicitur, *immoderatus appetitus*: nam si ipse sit ordinatus, qualis fuit in Abrahamo, Jacob, & multis aliis, pecunias & possessiones copiosas ob debitum finem habentibus, peccatum non erit; juxta illud *Psalm.* 61. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Et additur, *habendi pecunias, sive possessiones*: quia circa has, tanquam objectum suum, versatur Avaritia. Quod si vero fiat sermo de immoderata cupiditate habendi voluptates, mundanam excellentiam, aut aliud ejusmodi bonum creatum; non erit proprie Avaritia, & prout hæc est speciale vitium.

13. CONCL. II. Avaritia, prout adversatur Justitiæ, est ex genere suo peccatum mortale; quamvis per accidens possit fieri veniale propter imperfectionem actus, aut levitatem materiæ, sicut de furto dici solet. Prout vero Avaritia opponitur liberalitati, est peccatum ex genere suo veniale; nisi in tantum crescat amor divitiarum, ut præferatur Charitati Dei, aut proximi, volens potius transgredi præceptum sub mortali obligans, quam largiri suas pecunias, dando v.g. eleemosynam pauperi in extrema necessitate constituto. Ita D. Thomas 2.2. *q.* 118. *art.* 4. & alii passim.

14. CONCL. III. Avaritia rectissime numeratur inter Vitia Capitalia. Ratio est: quia ex Avaritia, velut ex fonte & radice, multa alia peccata oriuntur; prout patet ex septem Filiabus ejus mox enarrandis. Hinc 1. *Timoth.* 6. dicitur: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Sic etiam *Ecclesiastici* 10. dicitur. *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet.* Unde *ad Coloss.* 3. Avaritia appellatur *Simulacrorum servitus*, qualia passim habentur in Scriptura sacra.

15. CONCL. IV. Filiæ Avaritiæ sunt septem, ac recte recensentur a Div. Gregorio *cit. lib.* 31. *Moral. cap.* 31. dum ait: *de avaritia proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentia, & contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur.* Ratio est: quia Avaritia excedit in duobus; videlicet in retinendo, & in acquirendo. Ut excedit in retinendo, parit *Obdurationem cordis*, claudens viscera sua ad preces pauperis. Ut vero excedit in acquirendo, sic in affectu parit *inquietudinem mentis*, seu supervacuas curas, queis avarus, semper in crastinum sollicitus, superflue agitatur: nam, ut dicit *Ecclesiastes cap.* 5. *Avarus non implebitur pecunia.*

16. Porro in effectu inducit Avaritia ad alias quinque Filias. Nam interdum impellit, ut vim proximo quis inferat, aliena rapiendo; uti faciunt fures & raptores: & sic committitur *Violentia*. Interdum inducit ad committendum dolum, ut fit in contractibus illicitis, vel licitis male exercitis. Qui dolus si committatur simplici verbo, erit *Fallacia*; si additum fuerit juramentum, erit *Perjurium*. At si dolus committatur in opere, vel id fiet circa rem aliquam, & erit *Fraus*, vel contra personam, & dicetur *Proditio*. Et sic in omnibus sunt septem Filiæ Avaritiæ.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De Luxuria, & Filiabus ejus.

SUMMARIUM.

17 *Luxuria, quid, & quale peccatum? Ejus species, quæ?*
(a) Tract. 9. Dist. 4. per totum.
18 *Luxuria recte numeratur inter vitia capitalia.*
19 *Ejus filiæ sunt octo, nimirum:*
20 *Cæcitas mentis.*
21 *Præcipitatio.*
22 *Inconsiderantia.*
23 *Inconstantia.*
24 *Amor sui, & Odium Dei.*
25 *Affectus præsentis sæculi, &*
26 *Horror futuri sæculi.*

17. CONCL. I. *Luxuria* est inordinatus appetitus, vel usus venereorum. Ita communis. Et hoc peccatum est ex genere suo mortale, ac inter vitia Intemperantiæ vel maxime exprobrabile. Ejus septem species rectè numerantur, videlicet Fornicatio, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, Sacrilegium, & Vitium contra naturam; quamvis nonnulli omittant unam, videlicet Sacrilegium. Verum de Luxuria, ejusque speciebus, alibi. (a)

18. CONCL. II. Luxuria rectè connumeratur inter septem Vitia Capitalia. Ratio est: quia multa alia ex illa oriuntur, tum propter vehementiam delectationis venereæ, tum propter connaturalitatem hujusmodi concupiscentiæ; unde ex ejus appetitu procedit homo ad multa vitia perpetranda, prout nimium quantum probat misera experientia.

19. CONCL. III. Filiæ Luxuriæ post S. Gregorium *lib. 31. Moral. cap. 7.* & communem Doctorum, convenienter numerantur octo; nempe Cæcitas mentis, Præcipitatio, Inconsiderantia, Inconstantia, Amor sui, Odium Dei, Affectus præsentis sæculi, & Horror futuri sæculi. Harum priores quatuor se tenent ex parte intellectus, ejusque vires æque operationes valde deordinant; aliæ quatuor se habent ex parte voluntatis, ipsiusque deordinant operationes.

20. *Cæcitas mentis*, quæ est prima Luxuriæ Filia, facit, quod luxuriosus non apprehendat bonum & malum, ut sunt. Hinc Danielis *cap. 13.* de tali dicitur: *Species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum.* Videmus proinde, tales homines bona sua cum Filio Prodigo, de quo Lucæ *cap. 15.* dissipare vivendo luxuriosè, & honorem parvi pendere, ac multa alia sibi inconvenientia facere. Et hoc experimunt Pictores pingendo subinde Libidinem in forma puelli, velatos oculos habentis.

21. *Præcipitatio* impedit actum intellectus seu rationis, qui est consilium de his, quæ agenda sunt propter finem. Nam qui exco actione agitantur, absque consilio præcipitantur operantur, sibique de rebus agendis consulere nequeunt, ut eas dirigant ad debitum finem; & hinc sæpe in varia mala labuntur, propter consilii defectum.

22. *Inconsiderantia* est tertia Luxuriæ Filia, quia per Luxuriam impeditur, ac deordinatur rectum rationis judicium de agendis: qui enim hac pice maculantur, inconsideratè agunt, quæ proprium statum & personam dedecent. Hinc Danielis *cap. 13.* legitur de Senibus luxuriosis: *Everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum justorum.*

23. *Inconstantia* facit, quod quis ex affectu voluptatum venereárum a piis propositis facile deficiat. Nam homo ex impetu concupiscentiæ impeditur, ne exequatur id, quod rectæ ratio faciendum esse dictavit; unde in omnibus suis decretis inconstans apparet: estque hujusmodi peccator, difficilis curationis.

24. *Amor sui*, ac vicissim *Odium Dei*, dicuntur Filiæ Luxuriæ, eo quod luxuriosus homo ob voluptates serpsim faciat finem suarum actionum, non Deum; imo lascivus solet a rebus Divinis abhorrere, atque ab ipso Deo, tanquam peccatorum vindice. Unde patet, hæc duo deordinare voluntatem, ejusque actum, quoad appetitum finis, ne scilicet debitum finem ultimum, qui est solus Deus, prosequatur.

25. *Affectus præsentis sæculi*, & vicissim *Horror futuri sæculi*, sunt etiam Filiæ Luxuriæ: amor enim voluptatum carnalium ita animum luxuriosi afficit, ut subinde etiam Beatitudini æternæ paratus foret renuntiare, si præsentibus frui jugiter permitteretur. Et hinc oritur

26. *Horror futuri sæculi*. Quia luxuriosus, dum nimis carnalibus delectationibus detinetur, contemnit & fastidit spirituales: & quia nimia detentio & perseverantia in delectationibus carnalibus hinc animum captivavit, illinc vero contemplatio gravitatis peccati cum terrore inferni cor affligit; mox sequitur Horror futuri sæculi, in tantum, quod homo quandoque prolabatur in desperationem. Ecce in quot laqueos incidunt qui in hoc turpissimo vitio habituantur.

QUÆSTIO IV.

De Invidia, ejusque Filiabus.

SUMMARIUM.

27 *Invidia, quid?*
Invidus proprie, quid?
28 *Corollaria.*
29 *Invidia, quale peccatum?*
30 *Invidia recte connumeratur inter vitia capitalia.*
31 *Ejus filiæ sunt quinque, nimirum: Susurratio, Detractio, Exultatio in adversis proximi, Afflictio in prosperis ejus, & Odium.*

27. CONCL. I. *Invidia* est tristitia de bono proximi, prout proprium malum æstimatur, & diminutivum proprii boni, seu propriæ gloriæ ac excellentiæ. Hoc enim vitium est præcipue de bonis, in quibus est gloria & honor; ejusque ad illos tantum, quibus homo vult se æquare, vel præferre, non autem respectu multum distantium; cum nullus plebejus, v.g. homo, nisi insanus, studeat se æquare, vel præferre in gloria Regi, aut alteri multum excellentiori. Porro per Invidiam volumus, & desideramus, alium carere tali bono, quia per illud nos excellit. Unde propriè *Invidus* dicitur, qui tristatur de bono alterius, putans inde propriam excellentiam diminui.

28. Infertur proinde, quod tristari de bono alterius, non quia ipso tale bonum habet, sed quia nos tale bonum non habemus, non spectet ad peccatum Invidiæ: nam hæc tristitia proprie est zelus, & æmulatio; & si sit de bonis honestis, est laudabilis, juxta illud 1. *Corinth. 12. Æmulamini charismata meliora.* Infertur ulterius, si quis tristatur de bono alterius, in quantum imminet sibi exinde periculum cujuspiam nocumenti (ut puta si quis tristetur de exaltatione sui inimici, timens, ne ab ipso postea lædatur) quod talis tristitia non sit invidia, sed magis effectus timoris; ut notat D. Thomas 2.2. *q.30. a.1.* & sequuntur alii.

29. CONCL. II. Invidia est peccatum mortale ex genere suo, contrarium Charitati: quia Charitas gaudet de bono proximi: Invidia vero tristatur de bono proximi. Potest nihilominus Invidia fieri peccatum veniale, tum ob imperfectionem consensus, & non plenam advertentiam: tum ob materiæ levitatem, uti pueris contingere consuevit, qui de levibus aliorum puerorum bonis tristitiam capere solent.

30. CONCL. III. Invidiæ peccatum rectè inter vitia Capitalia numeratur a S. Gregorio *sæpe cit. lib. 31. Moral. c. 31.* & communi Theologorum. Siquidem ex ipsa Invidia, tanquam ex capite, multa alia peccata originem ducunt, uti patet ex quinque Filiabus ejus mox enarrandis: ac merito tum a sacra Scriptura, tum a SS. Patribus gravissimè perstringitur.

31. CONCL. IV. Filiæ Invidiæ rectè a S. Gregorio *l.c.* assignantur quinque; quæ sunt, Odium, Susurratio, Detractio, Exultatio in adversis proximi, & Afflictio in prosperis ejus. Invidus namque, dum de bono proximi tristatur, putans, inde suam excellentiam diminui, ob hanc tristitiam tollendam movetur ad desiderandum, quod proximus illo bono careat: unde incipit suo conatu gloriam alterius diminuere; idque vel occulte, & tunc sequitur *Susurratio*, vel manifestè, & tunc sequitur *Detractio*. Quod si consequatur suam intentionem, gaudet de illius adversitate: si vero non potest, affligitur de ipsius prosperitate: & si hæc tristitia duret, postea generat *Odium*. De hoc peccato dicitur sup. *c. Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.*

QUÆSTIO V.

De Ira, & Filiabus ejus.

SUMMARIUM.

32 *Ira, quid? est bona, si modum non excedat; Et Satellitium rationis.*
33 *Ira inordinata, quale peccatum?*
34 *Filiæ iræ sunt sex, nempe:*
35 *Indignatio.*
36 *Tumor mentis.*
37 *Clamor.*
38 *Contumelia.*
(b) Tr. 9. dist. 6. q. 2. per totum.
39 *Blasphemia.*
(c) Tr. 5. dist. 3. q. 5. per totum.
40 *Rixa.*

32. CON-

32. CONCL. I. *Ira*, prout est unum ex peccatis Capitalibus, est inordinatus appetitus vindictæ. Dicitur, *inordinatus*: nam si ordinate appetatur vindicta, non est peccatum. Quinimo Ira, si præscriptum rationis modum non excedat, bona est, & habet in homine eum locum, quem miles in Republica: nec immerito dicitur *Satellitium rationis*, de qua intelligendum illud Psal. 4. *Irascimini, & nolite peccare*. Sic fit, si vindicta appetatur debito modo, puta exigente Justitia per ministros Justitiæ. Similiter peccatum non est, si Superiores debito cum moderamine irascuntur culpis Subditorum, eosque puniunt.

33. Quod si Ira modum a ratione præscriptum non servet, adeoque fit inordinata, jam erit peccatum. Et quidem, si Ira modum a ratione præscriptum excedat ex parte objecti, expetendo scilicet injustam vindictam, v.g. ob causam non legitimam, aut majorem vindictam quam oportet, vel absque debita auctoritate Superioris exequendam, est ex genere suo peccatum mortale: quamvis per accidens ob imperfectionem actus, vel levitatem vindictæ appetitæ, possit fieri veniale. Et de tali Ira, præsertim tendente ad vindictam mortis, intelligitur illud Salvatoris, Matth. 5. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*. Si vero Ira non servet præscriptum a ratione modum durando ex parte ipsius motus, tunc erit ex genere suo peccatum veniale: quamvis per accidens possit fieri mortale, ut puta ratione affectus adjuncti, quo quis paratus existit aliquid facere, quod est peccatum mortale.

34. CONCL. II. Filiæ Iræ communiter a Doctoribus cum cit. D. Gregorio *lib. 31. Mor. c. 31.* sex assignantur, quæ sunt, Indignatio, Tumor mentis, Clamor, Contumelia, Blasphemia, Rixe.

35. *Indignatio* est inordinatus affectus ex eo, quod quis reputet, se indigne ab alio tractari. Est communiter veniale peccatum; imo si ex justo rationis judicio procedat, nullum est. Posset tamen esse mortale, si cresceret usque ad deliberatum odium, vel contemptum personæ gravem.

36. *Tumor mentis* est, quo quis morose excogitat diversas vias vindictæ, ipsique cogitationibus animum tumefacit. Quale sit peccatum, judicandum est ex qualitate vindictæ, quæ excogitatur accedente sufficienti deliberatione.

37. *Clamor* est, cum iratus extollit vocem malta inordinate & confuse effutiens. Est communiter peccatum veniale, nisi aliud addatur, ut puta blasphemia, vel contumelia, aut hujusmodi.

38. *Contumelia* est dictum, vel factum injuriosum, quo quis proximo præsenti palam aliquod malum objicit, aut ejus honorem & existimationem palam violat. Est ex genere suo peccatum mortale, nisi levitas materiæ, aut imperfectio actus excuset; de qua amplius alibi. (b)

39. *Blasphemia* sit, cum jactamus convitia in Deum, aut Sanctos: est que peccatum mortale, nisi inadvertentia, aut indeliberatio excusent. De hac etiam ex professo alibi. (c)

40. *Rixæ* tandem, si modum graviter non excedant, uti & leviculæ pugnæ, venialem sunt: secus, si progrediantur ad seditiones, vulnera, cædes.

QUÆSTIO VI.

De Gula, & Filiabus ejus.

SUMMARIUM.

41 *Gula, quid?*
Committitur quinque modis.
42 *Gula ut sic dividitur in comessationem, & Ebrietatem.*
43 *Est de se, ac ex genere suo, peccatum veniale.*
44 *Nihilominus per accidens fit mortale in plaribus casibus.*
(f) Dist. 2. num. 21.
45 *Ebrietas, quid?*
46 *Differentia inter dormientem, & ebrium.*
47 *Ebrietas plena est ex genere suo peccatum mortale.*
48 *Signa plenæ ebrietatis, quæ?*
49 *Quando censeatur ebrietas voluntaria, secque peccatum mortale?*
50 *Inebriare se causa recuperandæ sanitatis, vel tuendæ vitæ, non est peccatum.*
51 *Comedentes, & bibentes ob solam voluptatem, an peccent?*
52 *Gula est peccatum capitale, cujus quinque sunt filiæ, nimirum*
53 *Hebetudo mentis.*
54 *Immoderata lætitia.*
55 *Multiloquium.*
56 *Scurrilitas, & quomodo hæc differat a stultiloquio,*
Et Mutiloquio?
57 *Et Spurcitia, seu Impunditia.*

41. CON-

41. CONCL. I. *Gula* est inordinatus appetitus cibi, & potus. Ita in re communis. Sive, ut aliqui loquuntur, *Gula est* vitium in appetitione, & usu cibi, & potus, debitum modum excedens, delectationis gratia. Hoc autem fieri potest quinque modis, sequenti versiculo comprehensis.

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose. Præpropere edit quis, quando tempore jejunii ante horam comedendi sit comestio. *Laute*, quando quis cibos nimis exquisitos, ac delicatos, vult comedere. *Nimis*, quando plus justo comeditur. *Ardenter*, si voraciter quis comedat. *Studiose*, dum quis quærit cibos nimis accurate præparatos.

42. CONCL. II. Gula opponitur virtuti Temperantiæ, & Sobrietatis; atque ut sic dividitur in Comessationem & ebrietatem, tanquam in duas species, quarum illa in inordinato appetitu seu excessu ciborum, hæc vero in excessu potus committitur. De his dicitur ad Galat. 5. *Manifesta sunt autem opera carnis: qua sunt fornicatio, &c. ebrietates, comessationes, & his similia, qua prædico vobis, sicut prædixi: quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

43. CONCL. III. Tametsi vitium Gulæ inter Peccata Capitalia recte numeretur, eo quod plurium aliorum origo esse soleat; nihilominus per se loquendo, atque ex genere suo, ea est peccatum veniale. Ita Sylvester *VV. Gula n.* 2. allegans mentem D. Thomæ pluribus in locis, Mastrius *disp. 15. Th. Mor. n.* 146. Reginaldus *lib. 15. n. 64.* & alii. Ratio est: quia Gula præcise sumpta, & seclusis malitiis contra alias Virtutes pugnantibus, non repugnat graviter Charitati Dei, vel proximi. Unde si quis edat ante tempus, si nimis exquisita, si plus justo, si nimis voraciter ad modum canum, vel nimis exquisita præparata (qui sunt quinque modi peccandi vitio Gulæ) per se loquendo non peccat mortaliter.

44. Nihilominus per accidens, & ob adjunctam malitiam aliis Virtutibus repugnantem, variis modis Gula fit peccatum mortale, atque juxta allegatam sententiam D. Apostoli *ad Galat. 4.* inducit amissionem vitæ æternæ. Idque in primis accidit ratione perversæ voluntatis, quando scilicet in tali delectatione Gulæ constituitur finis ultimus, juxta quod de similibus legitur ad Philip. 3. *Quorum Deus venter est*: hæc enim ratione generaliter ex peccato veniali fieri per accidens mortale, jam supra (f) dictum est. Sic fit, quando homo adeo inhæret delectationibus ciborum & potus, ut ob eas paratus sit legem Dei graviter violare: puta, si quis ob id furetur, vel contractus faciat iniquos; si violet jejunia Ecclesiæ diebus prohibitis vescendo carnibus, vel iæpius comedendo: si non solvat creditoribus, ut opspare victitet, ac hujusmodi. Deinde Gula fit mortale peccatum ratione gravis nocumenti, si id homo corpori suo advertenter adferat. Idem accidere potest in aliis similibus casibus, ac præsertim in Ebrietate, quæ est altera species Gulæ ut sic, & contradistincta a Comessatione; de qua proinde loquendo, sit

45. CONCL. IV. *Ebrietas* est excessus in potu inebriante, causa voluptatis, donec usus rationis admatur. Ita in re Doctores communiter. Dicitur, *donec usus rationis admatur*. Siquidem malitia ebrietatis plenæ, & perfectæ, in eo consistit, quod quis tantum ob voluptatem, aut ingluviem, advertenter se privet usu rationis: & quidem violenter, ac modo innaturali rationem perturbando, seque privando proxima potestate utendi ratione ad omnem subitam necessitatem.

46. Et hoc ultimum notanter additur, ad excludendum somnum: nam etiam dormiens privatus existit usu rationis, sed modo naturali ab auctore naturæ instituto, ad virium naturalium conservationem. Simulque dormiens non simpliciter existit privatus usu rationis: quia excitatus a somno, quocunque tandem tempore, mox habet proximam potestatem utendi ratione ad omnem necessitatem: hoc autem secus fit in plene, ac perfecte ebrio, uti patet.

47. CONCL. V. Ebrietas plena & perfecta, qua prædicto modo usus rationis plene sopitur, est ex genere suo peccatum mortale. Ita omnes Doctores. Ratio est: quia censetur gravis difformitas, magnumque malum, abjecta rationis potestate ad brutorum stoliditatem voluptatis causa ultro se abjicere. Unde ebrietas inter opera carnis, quæ excludunt a regno Cœlorum, merito connumeratur, *cit. c. 5. ad Galatas*.

48. Dicitur, *Ebrietas plena & perfecta*. Nam si quis post potum adhuc discernere possit inter bonum & malum, licet nonnihil phantasia turbata sit, aut sequatur vomitus, lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplicia, vel domus gyrari videatur, nondum est plena ebrietas, ideoque tantum peccatum veniale; quamvis ex gravioribus, & deliberate sit commissum. Lessius *l. 4. de just.*

posit. & jure c. 3. n. 30. Bonacina *disp. ult. in Decalogum qu. 1 punct. 1. n. 4.* & alii; qui simul pro signo ebrietatis ponunt si quis temulentus non advertit, quid agat, & bonum a malo non discernat; adeoque sequenti die non meminerit, quid pridie fecerit, dixerit, aut quæ ratione domum venerit; &c. cum alias talium rite meminisse soleat.

49. Cæterum allata Conclusio intelligenda est, dummodo ejusmodi ebrietas sit voluntaria. Et hoc fit, quando quis ebrietatem intendit directe, vel saltem indirecte, nempe tantum bibendo, quantum potest, non curans, an sequatur ebrietas, necne; vel quando quis advertit se inebriandum, si pergat potare, & nihilominus non desistit. Quod si quis non prævideret periculum ebrietatis (prout accidit in ebrietate Noe, *Gen. 9.*) & ignorans fortitudinem potus, vino circumventus fuit, aut in auram exitus vento turbatus, nec hoc prævidit, culpa vacat, saltem mortali.

50. Inluper Conclusio posita duntaxat procedit, si ebrietas fiat causa voluptatis. Nam non esse peccatum, inebriare se ex præscripto Medicorum, si aliter sanitas recuperari non possit in casu quopiam extraordinario, tenent Sylvester, Cajetanus, Toletus, Layman, & alii. Siquidem malitia ebrietatis in eo consistit, quod quis sine justa & gravi causa, tantum ob voluptatem, adeo se ingurgitet, donec ulla rationis privetur, ut notat Mastrius *disp. 14. Theol. Mor. n. 147.* In casu autem posito adest justa causa reparandæ sanitatis. Et ob eandem rationem non esse peccatum, si quis cogatur bibere intento ende, alioquin interficiendus, tenent Lessius, Azorius, Reginaldus, & alii.

51. Quæres incidentaliter, an comedentes, & bibentes ob solam voluptatem captandam, peccent venialiter? Ad hoc olim multi Doctores responderunt negative; verum eorum sententia amplius tenere non potest, cum sit notissime reiecta ab Innoc. XI. qui inter alias etiam sequentem Propositionem, ordine 8. damnavit: *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quin licite potest appetitus naturalibus suis aliisve finis.* Ubi tamen bene notandum ly *ob solam voluptatem*: nam si quidem sentiatur voluptas, verumtamen ob hanc solam quis non comedat, vel bibat, sed ad conservandam valetudinem, aut restaurandas vires, peccatum nullum committitur; cum hic sit finis a natura intentus moderatæ comestionis.

52. CONCL. VI. Gula merito inter Peccata Capitalia connumeratur; eo quod sit mater plurium vitiorum, prout nimium probat, (pro dolor!) ipsa experientia: præcipue autem, teste S. Gregorio *cit. c. 31.* quinque infelices gignit Filias, quæ sunt, Hebetudo mentis, Immoderata lætitia, Multiloquium, Scurrilitas, & Spurcitia.

53. *Hebetudo mentis*, seu Stupiditas consistit in eo, quod non possit quis orare, aut alia hujusmodi præstare. Hæc fit mortalis tunc, quando quis inordinate bibendo, vel comedendo, voluntarie redditur ineptus ad intelligenda vel præstanda ea, quæ ad salutem sunt necessaria; vel ad quæ ex officio, aut alias sub gravi peccato quis tenetur.

54. *Immoderata*, seu inepta *lætitia*, hoc loco non quamvis inordinatam denotat lætitiam, qualis omne peccatum comitari solet; sed eam præcipue, quæ movet ad cantiones obscenas, actus turpes, saltus ad choreas inhonestas, &c. Et hujusmodi immoderata lætitia fit mortale peccatum, quando est inductiva ad consensum aut delectationem mortalem, vel ad eam ordinatur.

55. Per *Multiloquium* peccatur juxta illud *Pr. 10. In multiloquio non deerit peccatum.* Et quidem tunc peccat quis mortaliter per Multiloquium, quando illo utitur in gravem irreverentiam Dei, aut in tantum eo delectatur, ut paratus sit illud præferre impletioni alicujus præcepti sub culpa mortali obligantis: alioquin vero, ac ex genere suo, est peccatum veniale.

56. *Scurrilitas* idem est, ac jocularitas quædam, proveniens ex defectu rationis, quæ sicut non potest cohibere verba, ita non potest cohibere exteriores gestus. De hac, sicut & de Stultiloquio, fit mentio *Ephes. c. 5.* ubi etiam Scurrilitas aperte secernitur a Stultiloquio, dum dicitur: *Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent.* Differt autem Scurrilitas a Stultiloquio, quod Scurrilitas dicat quandam inhonestatem in verbis & gestibus, v.g. Scurrilia dicere, canere, vel alia hujusmodi ad risum excitandum agere. *Multiloquium* vero consistit in superfluitate verborum: quæ si proferantur absque recta ratione, seu judicio intellectus, *Stultiloquium* erit. Porro Scurrilitas per se, & seclusio scandalo, est peccatum veniale: foret tamen mortale, si fieret causa delectationis venereæ.

57. *Spurcitia* tandem seu *Immunditia*, attenditur secundum inordinatam emissionem quarumcumque superfluitatum, specialiter vero quantum ad emissionem seminis: & hæc si voluntaria sit, est peccatum mortale. Tantum autem cibi vel potus capere, ut vomitus sequatur, si usus rationis non admittatur, per se loquendo non videtur peccatum mortale; ita notat communior, & probabilior Doctorum.

QUÆSTIO VII.

De Acedia, & Filiabus ejus.

SUMMARIUM.

58 *Acedia, quid?*
59 *Acedia dupliciter accipitur.*
I. Generaliter.
60 *II. Specialiter; & qualem peccatum sit?*
61 *Acedia recte ponitur inter vitia capitalia.*
62 *Acedia filia sunt sex, nempe*
63 *Malitia*
64 *Rancor*
65 *Pusillanimitas*
66 *Desperatio*
67 *Torpor, &*
68 *Evagatio mentis. Hæ species Curiositas, Verbositas, & Inquietudo.*

58. CONCL. I. Acedia generatim denotat incuriam, negligentiam, & pigritiam quandam, in proposito autem, & prout est septimum peccatum Capitale, *Acedia* est fastidium rerum spiritualium. Unde directe repugnat effectui Charitatis, qui est, gaudere de bono spirituali.

59. Porro Acedia sumitur dupliciter; Primo generaliter, pro omni tædio, & torpore animi, bona facere negligentis: & hoc modo Acedia non habet rationem specialem vitii, quia omne vitium refugit spirituale bonum virtutis oppositæ; ut patet in luxurioso, & guloso, quorum prior tristatur de bono Continentiæ, posterior de bono Abstinentiæ, illudque refugit, prout est laboriosum, aut corpori molestum, vel delectationis ejus impeditivum.

60. Secundum Acedia sumitur specialiter, seu prout est specialiter vitium: & consistit in tristitia de bono Divino, de quo alioquin Charitas gaudet: & hoc modo Acedia ex se, ac ex genere suo, est peccatum mortale, quia directe repugnat Charitati Dei. Prout autem modo, seu generaliter sumpta Acedia, tunc demum est peccatum mortale, cum propter eam committitur opus prohibitum, vel omittitur opus præceptum sub mortali.

61. CONCL. II. Acedia, prout est tristitia de spirituali bono Divino, ac specialis vitium, recte a S. Gregorio *lib. 31. Moral. c. 31.* inter vitia capitalia numeratur, utpote cum plura alia vitia oriantur ex ea secundum rationem causæ finalis. Nam sicut homines multa operantur propter delectationem, tum ut ipsam consequantur, tum quia ex ejus impetu ad aliquid agendum permoventur: ita etiam propter tristitiam multa operantur, vel ut ipsam evitent, vel quia ejus pondere in aliqua mala agenda prorumpunt.

62. CONCL. III. Filiæ Acediæ merito sex enumerantur a S. Gregorio *loc. cit.* & aliis, quæ sunt Malitia, Rancor, Pusillanimitas, Desperatio, Torpor circa præcepta, ac Evagatio mentis circa ipsa.

63. *Malitia* non sumitur hic, prout est genus omnium vitiorum, sed accipitur specialiter pro ea malitia, qua quis odio habet bona spiritualia, & vellet ea non esse: aut quia ipsum pœnitet bene fecisse, vel implevisse id, ad quod tenebatur: aut quia contemnit Dei beneficia, v.g. desiderando, se non fuisse natum, aut non agnovisse Christum, &c. Est autem malitia sic sumpta ex genere suo mortale peccatum.

64. *Rancor* etiam non accipitur hic communiter pro odio; sed pro quadam indignatione contra eos, qui ad spiritualia bona inducunt.

65. *Pusillanimitas* est respectu consiliorum, qua nimirum homo Divina consilia, quæ perfectionis sunt, exequi non audet ex mero animi timore: ut puta, si quis a jejuniis, Religione, & hujusmodi virtutum actibus se subtrahit, ex timore deficiendi. Et hæc ex genere suo est veniale peccatum, nisi ratione voti, aut alia de causa quis sit obligatus ad talia bona opera exequenda.

66. *Desperatio*, intellige, consequendæ æternæ beatitudinis, est peccatum mortale, quando cum consensu rationis pleno fit, ut est certum.

67. *Torpor* est circa præcepta, quando scilicet homo negligit & omittit facere ea, quæ sunt ex præcepto facienda. Alii vero per Torporem intelligunt eum, cum bona opera non fiunt cum debito fervore.

68. Tandem *Evagatio mentis* est, qua quis in exercitio operum spiritualium evagatur circa illicita, aut saltem impertinentia. Et hæc fi fiat per cogitationem, diffindentem se ad cognitionem impertinentium, dicitur *Curiositas*; si vero per locutionem, dicitur *Verbositas*: & si per inquietudinem corporis, quando scilicet aliquis per inordinatos membrorum motus vagacitatem indicat mentis, tunc dicitur *Inquietudo*.

TRACTATUS IV.
DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

1. JUstitia Christiana generatim duo involvit, fugam scilicet peccatorum, & actionem bonorum operum; juxta quod dicitur Psalm. 36. *Declina a malo, & fac bonum*. Et Isaiæ c. 1. *Quiescite agere perverse, discite bene facere*. Quia igitur præcedente Tractatu visum est de Peccatis, supereſt, ut perspecta peccatorum malitia, Virtutum excellentia, decor, & natura declaretur; atque earum in primis, quæ cæteras antecellunt, uti sunt Virtutes Theologicæ, sic dictæ, quia DEUM pro suo immediato objecto respiciunt. Porro Tractatus de Virtutibus Theologicis celebris est, atque ob sui utilitatem, simul ac neceſſitatem, non solum in Theologia speculativa, sed etiam Morali communiter examinatur.

DISTINCTIO I.

De Virtutibus Theologicis generatim.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit tum Virtus ut sic, tum Theologica?

SUMMARIUM.

1 *Justitia Christiana involvit duo, quæ?*
2 *Virtutis nomen varie accipitur. Et quomodo in proposito?*
3 *Virtus, quid?*
4 *Sumitur magis propriè pro habitu.*
5 *Virtus ut sic tripliciter dividitur.*
6 *Virtutes intellectuales, & morales, quid?*
7 *Virtutes infusæ & acquisitæ dantur, & quid sint?*
8 *Virtus Theologica, quid?*
9 *Virtutes Theologicæ quomodo differant a Moralibus?*
10 *Religio, quomodo respiciat Deum?*
11 *Tres tantum sunt Virtutes Theologicæ.*

2. PRo clariori resolutione præmittendum, quod nomen Virtutis latissime spectatum varias habeat significationes. Et in primis quandoque Virtus accipitur pro quacunque perfectione, præsertim ea, quæ in vi seu facultate operandi consistit. Sic Psal. 32. dicitur: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Sic e contra membra languida hominis, dicuntur esse destituta omni virtute sua. Deinde nomen Virtutis sumitur nonnunquam pro effectu seu opere, quod per excellentem vim operativam attingitur, seu efficitur: sic *Marci c. 6.* dicitur de Christo: *Non poterat ibi virtutem ullam facere*. Sed hæ Virtutis acceptiones nostro proposito parum deserviunt. Tertio igitur, & magis ad propositum, Virtus accipi solet, vel pro actu, sive operatione moraliter bona; ut est actus Fidei, Spei, & Charitatis Divinæ, actus humilitatis, patientiæ, & hujusmodi: in quo sensu D. Augustinus *l. 2. De libero arbitrio, c. 19.* dixit: *Virutem esse bonum usum liberi arbitrii*. Vel pro habitu, seu facilitate & promptitudine quadam, inclinante ad ejusmodi bonam operationem: & hæc posterior est magis propria Virtutis acceptio, de qua loquendo sit

3. CONCL. I. *Virtus* generatim sumpta, est habitus perficiens substantiam intellectualem, & ad bonam operationem inclinans. Ita in re communis Doctorum. Unde & Aristoteles 2. *Ethic. c. 6.* dixit, quod Virtus hominis aliud non sit, quam habitus, ex quo & bonus homo ipse efficitur, & bonum ejus opus; sive, ut verbis ejusdem utamur, *virtus est, qua facit habentem, & opus ejus bonum*. Et in hoc sensu Virtus opponitur vitio; nam vitium reddit habentem malum, & opus ejus malum.

4. Dicitur I. *Habitus*. Quamvis enim Virtus quandoque sumatur pro ipsomet actu virtuoso, ut proxime dictum est; communius tamen, & magis proprie, accipitur pro habitu, ad eliciendos ejusmodi actus bonos inclinante; neque enim illico solet dici virtuosus, temperans, vel mansuetus, &c. qui unum vel alterum actum virtutis temperantiæ, vel mansuetudinis elicuit; sed qui ex actibus illis jam frequentatis acquisivit habitum, sive promptitudinem quandam sic operandi. Dicitur II. *Perficiens substantiam intellectualem*: quia virtus proprie accepta non datur in brutis, aut rebus inanimatis, sed in homine duntaxat, & Angelis, perfectissime autem in DEO. Dicitur III. *& ad bonam operationem inclinans*: quia sicut generaliter habitus inclinant ad actus sibi correspondentes prompte atque faciliter eliciendos, ita & Virtus jam habituata, seu radicata in homine.

5. CONCL. II. Virtus generatim dividitur tripliciter, nimirum ex parte subjecti in Virtutes intellectuales & morales, ex diversitate causæ efficientis in infusas & acquisitas, & ex diversitate objecti in Theologicas & Morales. Ita communis: idque probatur inductione.

6. In primis enim *virtutes intellectuales* sunt eæ, quæ intellectum, in quo subjectantur, perficiunt: & tales juxta Aristotelem *6. Ethic. c. 3.* sunt quinque, videlicet Intellectus, Scientia, Sapientia, Ars, & Prudentia; nam hæ spectant ad intellectum, in eoque subjectantur, quibus addi potest Fides infusa & Theologica, quam Philosophus ignoravit. Verum de his (dempta Prudentia, & Fide, de quibus infra suo loco) melius agitur in Philosophia. *Virtutes morales*, prout contra distinguuntur ab intellectualibus, dicuntur, quæ subjectantur in appetitu rationali (hoc est, in voluntate) & versantur circa dirigendos mores, atque juxta dictamen rectæ rationis moderantur & dirigunt affectus animi nostri. Et hujusmodi Virtus moralis tum ab Aristotele *2. Ethic. c. 6.* & Doctore nostro *3. d. 36. q. un. §. dicitur*, tum ab aliis passim, definitur dicendo, *Virtus est habitus electivus in mediocritate consistens, quoad nos determinata ratione, prout definiret sapiens*.

7. Deinde dari Virtutes infusas, & acquisitas, patet ex eo: quia cum Virtutes nobis a natura non insint, imo de facto, ac post lapsum primi parentis nostri Adæ, cogitationes hominum potius intentæ sint ad malum ab adolescentia sua; hinc duæ generatim sunt causæ effectivæ Virtutum, videlicet Deus per infusionem earum, & proprium exercitium hominis, quo quilibet sibi comparat quosdam habitus virtuosos. Proinde & juxta hoc duplex principium effectivum, Virtutes ut sic rectè dividuntur in infusas, & acquisitas. Et quidem *Virtutes infusæ* dicuntur eæ, quæ nobis a Deo immediate infunduntur, ut sunt habitus Fidei, Spei, & Charitatis, qui etiam parvulis in Sacramento Baptismatis divinitus infunduntur; ut taceantur ex virtutes, quæ Angelis, & primis nostris Parentibus in sua creatione a Deo infusæ fuerunt. *Virtutes acquisitæ* e contra sunt, quæ nostra industria, nostrisque frequentatis actibus comparantur, seu acquiruntur: ut sunt habitus Temperantiæ, Mansuetudinis, & hujusmodi; nam ut inquiunt Philosophi, *ex frequentatis actibus fit habitus*. Cæterum de tertio membro datæ divisionis in Virtutes

Theologicas, & Morales, mox amplius dicetur hinc sit

8. CONCL. III. *Virtus Theologica* ut sic rectè describitur, dicendo: Virtus Theologica est virtus à Deo infusa, cujus principalis actus tendit in Deum tanquam objectum immediatum. Ità in re Doctores communiter. Dicitur in primis, *Virtus a Deo infusa*, nam virtutes Theologicæ, prout sumuntur pro habitu, infunduntur homini à Deo in Sacramento Baptismi. Et additur, *cujus principalis actus tendit in Deum*; quia non est necesse, ut omnis ejus actus immediate tendat in Deum; nam actus ille, quo quis credit propter revelationem Divinam, Mundum esse creatum in tempore, eamen Tobiæ in hujus adventu movisse caudam suam, *Tob. c. 11.* est quidem actus Fidei, non tamen tendit in Deum immediatè. Sufficit proinde ad rationem Virtutis Theologicæ, quod actus ejus principalis sic immediatè tendat in Deum, utpotè in quem credimus, quem consequi speramus, quem super omnia amamus.

9. Cæterum per illa verba, *tanquam objectum immediatum*, assignatur differentia Virtutum Theologicarum à Moralibus, proveniens ex diversitate objecti. Siquidem Virtutes Theologicæ habent pro suo immediato objecto Deum, in quem earum actus principalis tendit tanquam in objectum terminativum *Quod*: secus autem fit in Virtutibus Moralibus, puta in Religione, Temperantia, Misericordia, & aliis hujusmodi: nam hæ pro suo immediato objecto non habent Deum, sed vel cultum Deo exhibendum, vel passiones moderandas, aut miseriam indigentium sublevandam, &c. Quamvis & hæ saltem mediatè ac remotè tendant in Deum, propter quem tales actus boni eliciuntur.

10. Si dicas: Religio etiam immediatè respicit Deum, utpotè cui defert cultum debitum, Eumque honorare latagit: ergo. Resp. claritatis gratia distinguendo antecedens: Religio respicit Deum ut objectum immediatum, ac terminativum *Quod*: negatur; ut objectum *Cui*: conceditur antecedens; sed negatur consequentia. Quia Virtutes Theologicæ respiciunt Deum ut objectum *Quod*, & quidem principaliter (nam actus principalis earum est, credere, Deum esse, sperare Deum consequi in æterna beatitudine, Deum super omnia amare) religio vero pro objecto *Quod* respicit cultum Deo deferendum, ipsum vero Deum respicit duntaxat ut objectum *Cui*, cui videlicet cultum illum deferre laborat.

11. CONCL. IV. Tres tantum dantur Virtutes Theologicæ, videlicet Fides, Spes, & Charitas, & non plures. Ita omnes Theologi; nam prædictis tribus duntaxat convenit definitio Virtutis Theologicæ proxime allata. Hinc & Apostolus *1. Corinth. 13.* has tres tantum enumerat, dicens: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc.* Et Concilium Trid. *Sess. 6. c. 6.* de his tribus solummodo mentionem facit, dum inquit: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* Quo tamen non obstante quælibet harum Virtutum Theologicarum distinguitur in habitualem, & actualem; per hanc intelligendo actuale exercitium, sive actum ipsum Fidei, Spei, vel Charitatis; per illam vero habitum illarum Virtutum divinitus nobis infusum.

QUÆSTIO II.

De perfectione, & cessatione Virtutum Theologicarum, & an habeant medium?

SUMMARIUM.

12 *Virtutes Theologicæ sunt perfectiones Moralibus.*
13 *Inter Theologicas quæ sit perfectior?*
14 *Charitas amittitur per omne peccatum mortale, non fides & Spes.*
15 *Hæ tamen tunc informes sunt, non vivæ.*
16 *In Beatis manet Charitas non fides, & Spes.*
17 *Virtutes consistunt in medio, vel formaliter, vel tantum materialiter.*
18 *Et habent medium vel ex parte objecti, vel solum ex parte actus.*
19 *Virtutes Theologicæ, an, & quomodo habeant medium?*

12. CONCL. I. Virtutes Theologicæ sunt perfectiores omnibus Virtutibus Moralibus. Ita communis: nam Theologicæ habent perfectius objectum, videlicet ipsummet Deum.

13. CONCL. II. Inter ipsasmet Virtutes Theologicas omnium excellentissima est Charitas, deinde Spes; non obstante quod ordine generationis Fides præcedat Spem, & hæc Charitatem. Ita communis omnium, cum Doctore Angelico *1. 2. qu. 62. art. 4.* & desumitur ex illo *1. Corinth. 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas.* Accedit ratio: quia Charitas nos perfectius conjungit Deo, quam Fides, & Spes. Imo Charitas est mater omnium Virtutum, ac sine ea cæteræ Virtutes non sunt meritoriæ, nec prosunt de condigno ad vitam æternam, juxta illud Apostoli *1. Corinth. 13. Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

14. CONCL. III. Charitas amittitur quidem per quodlibet peccatum mortale, non tamen semper Fides & Spes. Ita omnes Theologi. Nam Charitas de facto est incompossibilis cum quolibet peccato mortali, ac per illud demeritorie destruitur: habitus vero infusus Fidei amittitur per oppositum actum Infidelitatis, & Spes per actum Desperationis.

15. CONCL. IV. Fides & Spes, quando in peccatoribus reperiuntur sine Charitate, non obstante, quod in propria sua specie sint perfectæ, nihilominus sunt informes, non vivæ, ac imperfectæ in tantum, quia non perducunt ad beatitudinem. Ita Doctor Subtilis *3. dist. 36. §. de tertio.* Idque desumitur tum ex verbis Apostoli *1. Corinth. 13.* proxime relatis, tum ex illo *ad Galat. 5.* ubi dicitur: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Et in hoc sensu D. Augustinus *lib. 14. de Civitate Dei, c. 9.* ait *Sic igitur fides est quidem sine charitate, sed non perfecta virtus.*

16. CONCL. V. In Patria, seu in Statu gloriæ cœlestis, non remanent in Beatis Fides & Spes, bene tamen Charitas. Ita omnes Doctores. Probatur hoc in primis de Fide: quia Fides est solum de illis rebus, quæ non videntur; unde D. Augustinus *Serm. 27. De verbis Apostoli*, ait: *Quid est Fidem credere, quod non vides.* Atqui Beati vident Deum semper, ac intuitive; ergo non possunt amplius in Deum credere. Confirmatur: quia, ut inquit Apostolus *1. Corinth. 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, &c. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* Probatur idem de Spe; quia, ut ait Apostolus *Rom. 8. Spes, quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?* Atqui Sancti in cœlis vident id, quod est objectum Spei, scilicet Deum, Eoque perfecte fruuntur; ergo amplius non sperant. Quod autem in Beatis maneat Charitas, certum est, juxta illud *1. Corinth. 13. Charitas nunquam excidit.* Unde Sancti in cœlis perfectissime amant Deum.

17. Quantum attinet ad posteriorem partem Quæstionis, est præmittendum, quod Virtutes varie possint intelligi consistere in medio, videlicet formaliter & secundum se, vel duntaxat materialiter. *Formaliter*, & secundum se, *virtus consistit in medio*, quando ipsemet habitus virtutis inter duos extremos habitus vitiosos sibi oppositos versatur: prout Liberalitas mediat inter avaritiam, & Prodigalitatem; nam quodlibet horum vitiorum extreme opponitur Liberalitati: Avaritia quidem per defectum, sumptus etiam necessarios non faciendo: Prodigalitas vero per excessum, expendendo bona sua in sumptus non necessarios. *Materialiter* dicitur *virtus consistere in medio*, quando ex una quidem parte contingit formaliter peccari contra illam virtutem; ex altera vero parte non sic, sed solum, per oppositionem ad aliam virtutem ob certas rationes & circumstantias: sic Temperantia mediat inter Intemperantiam in cibo & potu, & inter Inediam: nam Inedia, per quam quis voluntarie se interficit, formaliter non opponitur Temperantiæ, sed Charitati erga seipsum.

18. Alio adhuc modo Virtutes possunt intelligi, habere medium, nempe vel ex parte objecti, vel solum ex parte actus. Priori modo contingit, Virtutes habere medium, quando objectum actus virtuosi ita requirit medium, ut neque certam mensuram ejus excedere, neque ab eadem deficere possit; sic fit in Virtute Temperantiæ, quæ salvatur in mediocritate cibi & potus sumendi, ita ut neque plus, neque minus sumatur, quam exigit natura præscriptum rectæ rationis. Posteriori modo Virtus intelligitur habere medium, quando virtus non petit certum modum ex parte objecti observandum, bene tamen in actibus circa illud versantibus, ne fiat aliomodo, quam oportet, exerceantur: sic Amor Dei consistit in medio; nam non potest excedere ex parte objecti (Deus enim est dignus omni amore) bene tamen ex parte actus, volendo scilicet amorem Dei eliciere illicito modo, v.g. occidendo seipsum.

19. CONCL. VI. Virtutes Theologicæ habent quidem suo modo medium, quod possunt, ac debent observare; non tamen habent medium ex parte objecti sui formalis, sed solum ex parte actus, sive exercitii earum.

Ita communis; idque suadetur ex illo vulgato dicto: *Virtus consistit in medio*. Hinc *Isaiæ cap.* 38. dicitur: *Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram* (scilicet per excessum) *neque ad sinistram* (nempe per defectum) qualia etiam habentur *Deuter.* 5. & *Prov.* 4. Et D. Apostolus *Rom.* 12. generatim præcipit, *Non plus sapere, quam oportet sapere*. Accedit ratio: quia in exercitio Virtutum Theologicarum potest dari non solum defectus, prout fit in omissione talium actuum tempore urgentis præcepti (ut taceamus vitia extreme opposita per defectum, nempe Infidelitatem, Desperationem, & Odium DEI) sed etiam excessus, si actus illi fiant modo indiscreto, *& plus quam oportet, sapere* volendo; prout fieret, seipsum ob amorem DEI putativum interficiendo, aut eidem immolando filium suum, prout olim fecerunt Gentiles.

DISTINCTIO II.

De Fide.

QUÆSTIO I.

Quid sit Fides, & quod objectum ejus?

SUMMARIUM.

1 *Fidei nomen varie accipitur.*
2 *Alia Fidei acceptiones.*
3 *Fides supernaturalis actualis.*
4 *Et habitualis, quid?*
5 *Objectum materiale Fidei, quod?*
6 *Objectum Fidei complexum, & incomplexum, quid?*
7 *Corollaria.*
(a) Dist. 3. q. 5.
8 *Objectum formale Fidei, est veracitas Dei.*
9 *Plebeji, quomodo credant ob propositionem Concionatoris?*
10 Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas, *quomodo intelligendum?*

1. STylo receptissimo inter Virtutes Theologicas primo loco ponitur Fides, non quod ea sit dignior cæteris, sed quia, ut inquit Concilium Trid. *Sess. 6. c. 8. Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*: quod intelligendum de Fide supernaturali, & Theologica. Siquidem generatim Fidei nomen varie sumitur, quandoque pro fidelitate seu veritate in servandis promissis: in quo sensu is dicitur servare fidem, qui stat suis promissis. Deinde pro conscientia, seu dictamine ejus: sic accipitur *Rom.* 14. *Omne quod non est ex fide* (id est, quod est contra dictamen conscientiæ) *peccatum est*. Quomodo etiam in Jure dicitur quis bonæ fidei possessor, qui bona conscientia quidpiam possidet, credens illud esse suum. Tertio, Fides quandoque sumitur pro fiducia consequendi rem desideratam, aut promissam; prout accipitur *Matth.* 14. *modicæ fidei, quare dubitasti?* Et Jacobi *cap.* 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans*. Quamvis hunc locum multi Doctores non absque fundamento accipiant de ipso actu Fidei Theologicæ, seu assensu credulitatis Divinarum promissionum, cujus effectus est prædicta fiducia, juxta illud Marci *c.* 11. *Omnia, quæcunque petitis, credite, quia accipietis*.

2. Rursus aliquando Fides accipitur pro objecto fidei, juxta illud Symboli S. Athanasii: *Hæc est fides Catholica*, id est, articuli Fidei Catholicæ, seu objecta materialia ejus. Ultimo tandem, & proprie, ac quantum ad propositum, accipitur Fides pro Virtute intellectuali, & quidem Theologica, qua creditur aliquid propter authoritatem DEI illud revelantis. Et dicitur, *propter authoritatem DEI*: non enim hic loquimur de Fide humana, qua aliquid creditur propter authoritatem hominum illud affirmantium: sed sermo est solummodo de Fide Divina, de qua Apostolus *ad Heb.* 10. dicit: *Justus ex fide vivit*. His prænotatis sit

3. CONCL. I. *Fides supernaturalis actualis* est actus supernaturalis, quo quis assentitur alicui propositioni ex eo, quia Deus ipsam revelavit. Ita in re communis. Siquidem motivum Fidei actualis est veracitas Dei, quidpiam nobis revelantis: nam quia Deus, qui nec fallere potest, nec falli, hoc aut illud hominibus revelare dignatus est, hinc Fide Divina credimus, illud esse verum.

4. CONCL. II. *Fides supernaturalis habitualis*

tualis est virtus divinitus nobis infusa, & donum Dei, quo firmiter assentimur iis omnibus, quæ a Deo nobis revelata sunt, quatenus sunt revelata. Ita communis Doctorum. Neque enim differt hæc definitio ab ea, quam assert S. Paulus Apostolus *ad Heb.* 11. dicens: *Est autem fides, sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium*. Nam ly *argumentum non apparentium*, indicat totam naturam Fidei in data definitione clarius explicatam: *argumentum* enim idem est, ac firma adhæsio intellectus: ly *non apparentium*, &c. denotat, quod talis firma & infallibilis adhæsio intellectus nitatur certitudine revelationis Divinæ, factæ de iis, quæ quidem nondum videmus, speramus tamen consequi in cœlis. Unde additur, *sperandarum substantia rerum*: quibus verbis partim nobis indicatur primarium objectum Fidei, qui est Deus, quemque pie vivendo in cœlis consequi speramus; partim vero manifestatur quedam Fidei proprietas, utpote quæ debet esse certa & infallibilis, unde appellatur *substantia*: simulque est fulcrum spei Christianæ, nam quæ speramus, fide Divina fiunt nobis certa.

5. CONCL. III. Objectum materiale primarium incomplexum Fidei, est solus Deus; quamvis omnes aliæ a Deo nobis revelatæ propositiones spectent ad objectum materiale, minus tamen principale, & complexum fidei Divinæ. Ita rursum Theologi communiter. Ratio primæ partis est: quia, ut inquit D. Augustinus *lib. 4. de Civitate Dei. c. 20. Fidei præcipuum officium est, ut credatur in verum Deum*. Accedit, quod inter omnia credibilia omnium maximum, atque præstantissimum sit ipsemet Deus; utpote qui est Ens infinitum, & summe bonum, & ad cujus cognitionem omnia cætera credibilia referuntur: atqui hoc intelligitur per objectum primarium materiale Fidei; ergo. Hinc in Symbolo Apostolorum mox a principio dicitur: *Credo in Deum*, &c. & postmodum pro clariori ejus cognitione cæteri Articuli subjunguntur.

6. Altera pars ex eo patet: quia per objectum materiale Fidei intelligitur illud, quod est credendum fide Divina, præsertim quando per authoritatem Ecclesiæ nobis constat de tali revelatione a Deo facta; ergo etiam omne illud spectat ad objectum materiale. Et additur, *complexum*: nam per *Objectum Fidei complexum* intelligitur tota propositio objectiva divinitus revelata, cui assentimur mediante actu Fidei: per *incomplexum* vero intelligitur subjectum, & prædicatum talis propositionis divinitus revelatæ.

7. Infertur proinde, quod ad objectum materiale Fidei spectet in primis Deus, ejusque existentia, & Mysterium SS. Trinitatis. Deinde creatio Mundi, & redemptio generis humani per Christum facta. Insuper quidquid in S. Scriptura, seu Libris Canonicis continetur: nam quamvis eorum aliqua parum videantur ad Dei cognitionem facere, ut, quod canis Tobiæ caudam moverit, quod Saul quæsierit asinas, & hujusmodi; nihilominus quia & hæc a Spiritu S. in Sacris Litteris nobis sunt revelata, pertinent ad objectum materiale, minus tamen principale Fidei, suntque credenda propter authoritatem Divinæ veritatis, ac revelationis. Insuper spectant ad objectum materiale Fidei ea, quæ ex Traditione Apostolica nobis Ecclesia proponit credenda, ut dicetur infernus. (a)

8. CONCL. IV. Objectum formale & motivum Fidei supernaturalis, est prima & infallibilis veracitas Dei, seu veritas ejus in revelando. Ita Doctor Subtilis *Quæst. 1. Prologi*, cum Scotistis, & multis aliis. Ratio est: quia ideo credimus fide Divina articulis Fidei, quia Deus eos nobis revelavit: & ideo credimus Deo revelanti, quia est prima veracitas: ergo veracitas Dei revelantis est ratio motiva fidei Divinæ, & consequenter ejus objectum formale.

9. Nec dicas: Plurimi de plebe credunt articulis Fidei, non ex motivo veritatis Dei revelantis, sed ob propositionem Concionatoris, vel Ecclesiæ Catholicæ: atqui hi eliciunt veros actus fidei Divinæ; ergo. Respondetur enim, distinguendo majorem; credunt articulis Fidei, ob solam propositionem Concionatoris, aut Ecclesiæ, negatur; credunt ob hanc, & simul implicite apprehensam revelationem veracissimam Dei, conceditur major; & eodem modo distincta minori, negatur consequentia. Siquidem dum homines simpliciores credunt articulis fidei, sibi per Concionatores atque Ecclesiam propositis, simul apprehendunt, id a Deo fuisse revelatum, ob cujus infallibilem veracitatem credunt auditis, ac propositis sibi per Ecclesiam & Concionatores. Nam, ut dicitur *Rom.* 10. *Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi*. Et 1. *Thess.* 2. *Quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei*. Occasione cujus proinde

10. Quæritur, quomodo sit intelligendum illud dictum S. Augustini *l. contra epist. Fundamenti, cap. 6. Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret authoritas.* Unde est communis praxis Fidelium, qui credunt, quidquid sancta mater Ecclesia credendum proponit? Resp. hoc ex eo fieri, non quod Ecclesiæ authoritas sit objectum formale Fidei, seu ratio motiva credendi (hæc enim est sola veracitas Dei, quidquam revelantis) sed quia Ecclesiæ authoritas est ratio nobis proponens, seu ostendens objecta credendi. Nam per Ecclesiam proponuntur, ac exhibentur nobis illi Articuli, qui sunt credendi; atque per ipsam sive libri Canonici Sacræ Scripturæ, sive Traditiones Apostolicæ determinantur, atque declarantur, quod sint a Deo revelati, & a Spiritu Sancto dictati, vel a Christo oretenus Apostolis traditi, atque per Apostolos posteris: sicque fit, quod hi potius, quam alii per Hæreticos, vel apocryphos libros jactitati, propter infallibilem veracitatem Dei Fide Divina sint a Fidelibus credendi. Quia igitur Spiritus Sanctus in negotio tanti momenti non finit Ecclesiam, dilectam suam Sponsam, errare, fecurissime, & absque ullo erroris periculo creduntur propter Dei veracitatem, & fide Divina omnia ea, quæcunque Ecclesia nobis sic credenda proponit. Et hoc innuunt citata S. Augustini verba: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesia commoveret authoritas*; prout clare indicat ly *commoveret*.

QUÆSTIO II.

Quænam puncta Fidei sint necessario explicite credenda?

SUMMARIUM.

11 *Credere explicite, & implicite, quid? Fides explicita, & implicita, qua?*
12 *Salus anima, prima, & ultimata. Necessitas medii & necessitas præcepti, quid?*
13 *Fides tum habitualis, tum actualis, quomodo necessaria ad salutem?*
14 *Infantibus & perpetuo amentibus, non est necessaria fides actualis.*
15 *Necessitas explicite credendi aliquos Articulos non est æqualis respectu omnium.*
16 *Fides explicita de existentia Dei, & ut Remuneratoris, requiritur necessitate medii.*
17 *Idem affirmant multi de Mysterio SS. Trinitatis, & Incarnationis Verbi.*
18 *Notabilis objectio solvitur.*
19 *Dicta solutio propugnatur, & objectio retorquetur.*
20 *Cognitio, & fides ex puris naturalibus non juvat ad justificationem.*
21 *Aliud est, explicite credere; aliud, explicite scire Articulos fidei.*
22 *Non pauci tenent oppositam sententiam.*
23 *Quænam teneantur Fideles explicite credere necessitate præcepti.*
24 *Doctrina notabilis quoad hoc.*

11. ADvertendum cum communi Doctorum, dupliciter nos posse credere Articulos Fidei, nimirum explicite, & implicite. *Credere explicite* idem est, quod distincte & in particulari credere aliquod Mysterium Fidei, puta, quod Deus sit unus in essentia, & in personis trinus; quod Christus pro nobis sit passus, &c. Unde *Fides explicita* dicitur, per quam res divinitus revelata, in se, & sub propria ratione creditur; ut fit in allatis exemplis. *Implicite* vero *credere* idem est, ac alicui propositioni Fidei assentiri confuse, in communi seu universali, quatenus virtualiter continetur in alia propositione, quam distincte credimus; ut si quis credat, quidquid sancta Mater Ecclesia credendum proponit; talis enim implicite credit omnes Articulos Fidei. Hinc *Fides implicita* appellatur, per quam credimus res in universali, seu prout in aliqua alia propositione continentur.

12. Notandum ulterius, quod duplex possit intelligi necessitas Fidei ad salutem animæ (sive primam, quæ est gratia sanctificans; sive ultimatam, quæ est æterna gloria, seu visio beatifica in Cœlis) una medii seu finis, alia præcepti. *Necessitas medii*, seu finis, dicitur illa, qua quidpiam ita est necessarium ad finem, puta ad salutem animæ consequendam, ut sine eo, quamvis inculpabiliter omittatur, finis, v. g. animæ salus, obtineri non possit: sic in statu Evangelii Baptismus est necessarius ad vitam æternam, quia sine eo, etiam ex ignorantia invincibili, aut impotentia physica non suscepto, salus æterna obtineri non potest, uti patet in parvulis in utero materno decedentibus. *Necessitas præcepti* dicitur ea, qua quidpiam sub obligatione præcepti necessario præstandum est ad consequendam salutem æternam, eo quod alioquin quis transgrediendo præceptum mortaliter peccaret, nisi excuset ignorantia vel impotentia. Addunt Doctores tertium membrum, nempe *Necessitatem medii, & præcepti simul*: prout de facto adultis hominibus necessarius est Baptismus ad salutem, casu quo possint eum in re suscipere. His præmonstratis sit

13. CONCL. I. Fides non solum habitualis, sed actualis, seu accepta pro ipso actu credendi aliquod supernaturale objectum, fuit omnibus, usum rationis habentibus, pro quocunque Statu necessaria ad gratiam, & æternam gloriam consequendam, & quidem necessitate medii seu finis: adeo, ut ea prætermissa salus animæ obtineri nunquam potuerit, nec possit, etiamsi inculpabiliter seu ex ignorantia invincibili non habeatur. Ita communis Theologorum, & patet ex illo ad *Heb. 11. Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Quæ verba non solum de Fide habituali, quam solam suscipiunt parvuli in Sacramento Baptismi, sed etiam de Fide actuali quorundam Mysteriorum quandoque ab adultis habenda, communiter intelliguntur a Doctoribus; idque ex se ipsis satis indicant. Hinc Innocentius XI. merito inter alias propositiones sequentem, ordine 16. damnavit: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.*

14. Dicitur notanter, *omnibus hominibus usum rationis habentibus*, Quia infantibus, ac perpetuo amentibus, non est necessaria Fides actualis, sed sufficit habitualis, id est, habitus Fidei supernaturalis in Sacramento Baptismatis infusus. Unde Concilium Trid. *Sess. 7. can. 13. de Baptismo*, ait: *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse: ac propterea præstare, omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola Ecclesia, anathema sit.*

15. CONCL. II. Licet omnes Fideles teneantur explicite credere aliquos Articulos Fidei, hæc tamen necessitas non est æqualis respectu omnium. Ita Scotus 3. *dist.* 25. *qu.* 1. & alii. Ratio est: quia Majores Ecclesiæ, ut Prælati, & præsertim Episcopi, tenentur habere fidem magis explicitam Mysteriorum Fidei Catholicæ, utpote qui subditos suos ex officio instruere tenentur de rebus Fidei. Minores vero, præsertim rudiores & simpliciores, de necessitate non tenentur omnes & singulos Articulos explicite & distincte credere, sed sufficit, principaliores credere explicite (quinam autem hi sint, mox dicetur) cæteros vero credere implicite, scu in generali, credendo, quidquid Ecclesia credendum proponit.

16. CONCL. III. Fides explicita de existentia veri Dei, & quod is sit justus remunerator, decernens præmia justis, & improbis supplicia, omnibus adultis, usumque rationis habentibus, est necessaria ad salutem necessitate medii. Ita communis Doctorum, & desumitur ex citatis illis verbis Apostoli, *Heb. 11. Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Hinc Innoc. XI. merito inter alias sequentem, ordine 22. Propositionem damnavit: *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.*

17. CONCL. IV. Insuper multi Doctores volunt, necessario esse explicite credendum necessitate medii Mysterium SS. Trinitatis, nec non Mysterium Incarnationis, nempe Filium Dei esse pro nobis incarnatum, Christumque esse verum Deum & hominem. Ita sentit Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 2. num. 8. & seqq.* citans pro hac sententia D. Thomam, Gabrielem, Molinam, Valentiam; idemque tenent Masstrius, Sannig, Filliucius, Bassæus, aliique plures. Rationem dant: quia hæc duo Mysteria sunt fundamentum totius nostræ Salutis. Nam in nomine SS. Trinitatis confertur Baptismus, sine quo nemo potest salvari: per Christum vero sumus salvati, atque redempti, ipseque simul est verus Deus, veriquc Dei Filius, per quem creati sumus.

18. Nec obstat (inquiunt) quod multi Gentiles, quin & adulti prius in infantia baptizati, v.g. pueri in sylvis enutriti, & paulo post acquisitos annos discretionis morientes, aut muti & surdi a nativitate, invincibiliter ignorent hæc Mysteria, utpote nunquam sibi proposita. Resp. enim, tales non damnari propter peccatum Infidelitatis, sed vel propter peccatum originale, vel propter alia peccata contra Legem Naturæ commissa. Quod si vero quis eorum jam baptizatus, nunquam mortaliter peccaverit, ad Divinam providentiam pertinet, ut vel speciali lumine supernaturali interius illustretur, vel ab aliquo alio hæc Fidei Mysteria eidem proponantur, ut explicite credere possit; prout in simili factum legitur Eunucho Reginæ Candacis *Actor. c. 8.* & Cornelio Centurioni, *Actor. 10.*

19. Neque hæc responsio cuipiam rara, vel voluntarie data videatur. Siquidem allata

lata instantia non solum urget contra sententiam admittentem, quod explicite credendum sit necessitate medii Mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Dominicæ; sed ea etiam solvenda est ab omnibus Theologis, utpote qui juxta novissimum Decretum Innocentii XI. *n. 16.* allegatum, admittere tenentur, quod Fides explicita *unius Dei ut Remuneratoris* sit necessaria ad salutem necessitate medii. Nam pariter quæritur, quomodo explicite possit credere in Deum ut Remuneratorem, sicque salvari mutus & surdus a nativitate, aut puer jam baptizatus, sed post acquisitos annos discretionis illico moriens, qui de æterna retributione, atque de Deo ut Remuneratore, invincibiliter nihil unquam audivit; imo (loquendo de illo surdo) neque audire potuit?

20. Nec juvat dicere, talia lumine naturali posse cognosci. Nam (si non detur responsio proxime allata) contra est: quia vel Deum ut Remuneratorem non licet naturali ratione cognoscere, vel si hoc fieri possit (prout naturaliter potest cognosci, atque demonstrari existentia Dei) tamen istud non sufficit ad salutem, juxta cit. Decretum Innocentii XI. in quo pariter sequens, ordine 23. Propositio, damnata legitur: *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.* Et merito hæc propositio est damnata: nam, ut loquitur Concilium Trid. *Sess. 6. cap. 8. Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*: atqui hujusmodi initium, fundamentum & radix, nequit haberi ex puris naturalibus, quidquid olim contradixerint Pelagiani, & Semipelagiani hæretici, ergo.

21. Addunt tamen Auctores hujus sententiæ, quod aliud sit, *explicite credere* Articulos Fidei; & aliud, *explicite scire*, ita ut quis interrogatus possit rationem reddere de prædictis Mysteriis Fidei: primum enim Sacramentum est necessitate medii, non secundum. Insuper (inquiunt) sufficit, hujusmodi Articulos & Mysteria Fidei, cognoscere saltem secundum substantiam: imo si quis tam hebes sit, ac obtusus ingenio, ut non possit hos omnes Articulos capere secundum substantiam, sufficit, si saltem assensum præbuerit hujusmodi Articulis ad salutem necessariis, eosque crediderit, dum sibi proponebantur a Parocho, vel alio. Quia sic jam tales explicite credunt, licet non explicite sciant illos, ita ut interrogati possint apte respondere, & rationem reddere: hoc enim posterius non est necessarium ad salutem necessitate medii: sed solum necessitate præcepti, a qua tamen rudes excusantur ratione suæ impotentiæ. Bassæus *Verf. Fides I. num. 11.* cum aliis.

22. Dicitur notanter in Conclusione, *num. 17.* data, *Insuper multi Doctores volunt, &c.* Nam oppositam sententiam, videlicet hæc duo mysteria Fidei non esse necessario credenda necessitate medii; sed duntaxat necessitate præcepti, etiam non pauci tenent; ut Lugo *disp. 12. de Fide, num. 91. & seqq.* citans Medinam, Vegam, Suarez, Turrianum, pluresque alios; eamque non minus probabilem censet Layman *lib. 2. tr. 1. cap. 8.* & Herincx *disp. 7. de Fide, num. 49.* Ratio horum est; quia necessitas illa medii post prædicationem Evangelii neque habetur clare ex S. Scriptura, neque ex traditione Petrum, neque ex ratione; nam tam rationes, quam testimonia S. Scripturæ, atque Sanctorum Patrum, commode intelliguntur de necessitate præcepti, non medii.

23. CONCL. V. Omnes Fideles, postquam ad rationis usum pervenerunt, tenentur necessitate præcepti explicite credere, & saltem quoad substantiam seu crasso modo scire Mysteria contenta in Symbolo Apostolorum, Orationem Dominicam, Sacramenta maxime necessaria, ut Baptismum, Eucharistiam, & Pœnitentiam; reliqua vero tunc, quando quis ea recepturus est, ut v.g. Matrimonium initurus; item Præcepta Decalogi. Ita Doctores communiter. Qua de causa omnes ejusmodi Articuli, & materiæ, dicuntur *Prima Fidei rudimenta*, quæ in Catechesibus & Concionibus publice circumferuntur in Ecclesia, & omnibus proponuntur tanquam explicite credenda, & scienda.

24. Hoc tamen intellige, nisi impotentia, aut invincibilis ignorantia excuset: nam isthæc necessitas, talia explicite credendi & sciendi, est præcepti duntaxat: unde potest excusare impotentia, aut invincibilis ignorantia, non minus, ac in aliis præceptis. Quod notandum pro hominibus agrestibus, & hebetibus: quamvis & hi pro viribus sint instruendi, ut præter primaria Fidei Mysteria sciant saltem ea, quæ ad dignum Sacramentorum receptionem ab ipsis peragendam, & status sui conditionem observandam, requiruntur. Certe Innocentius XI. anno 1679. sequentem inter alias Propositionem ordine 64. damnavit: *Assolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei,*

dei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi. Hactenus Propositio damnata.

QUÆSTIO II.

Quo tempore obligentur Fideles ad eliciendum actum Fidei?

SUMMARIUM.

25 *Præceptum fidei affirmativum, & negativum, quid?*

26 *Obligatio eliciendi actum fidei, Spei, &c. aliaque se & directe, alia per accidens.*

27 *Datur præceptum Divinum per se obligans quandoque ad actum fidei.*

28 *Non sufficit actum fidei tantummodo semel in vita elicere.*

29 *Primum tempus, quo præceptum fidei obligat.*

30 *Quando in fidelibus adultis censeatur vera fides sufficienter proposita?*
(b) De hoc inferius Dist. 3. num. 55. & seqq.

31 *Circa mysteria fidei non licet sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliore; & cur?*

32 *Quando pueri baptizati teneantur elicere actum fidei?*

33 *Secundum tempus, quo præceptum fidei per se obligat.*

34 *Tertium tempus dictæ obligationis. Diversæ Doctorum sententiæ circa tempus, quo in vita decursu teneamur elicere actum fidei.*

36 *Quartum tempus, quo per accidens & indirecte obligamur ad actum fidei.*

37 *Qualis Confessio tunc sufficiat?*

38 *Quintum tempus, quo obligat præceptum fidei, est articulus mortis.*
Moribundi ad actus Virtutum Theologicarum maxime excitandi.

25. CONveniunt Doctores, præceptum Fidei duplex esse, unum affirmativum, aliud negativum. *Præceptum fidei affirmativum* importat, ut ea omnia, quæ a Deo sunt revelata, atque ut talia nobis per Ecclesiam proposita, credamus. *Negativum* est, ut Fidem nunquam negemus, neque dissentiamus ab rebus Fidei, nec etiam erroneis dogmatibus Divinæ veritati contrariis ab Ecclesia reprobatis fidem præstemus. Quia igitur certum est inter Doctores, quod præcepta negativa obligent semper & pro semper; hinc in nullo prorsus casu, aut tempore, licitum est Fidem negare, aut falsum credere. E contra vero, quia præcepta affirmativa obligant quidem semper, sed non pro semper (id est, obligant solum pro determinato tempore; ac in certis casibus & circumstantiis) hinc Quæstio remanet, quandonam illud affirmativum Fidei præceptum obliget, sive quonam tempore quis teneatur ad eliciendum actum Fidei, & quidem internum; nam de Confessione externa Fidei dicetur *Quæst. seq.*

26. Cæterum duplex considerari potest obligatio eliciendi actum internum Fidei (quod servata proportione pariter dicendum de obligatione eliciendi actum Spei, Charitatis, &c.) una per se & directe; altera vero indirecte & per accidens. Prior obligatio tunc censetur adesse, quando præceptum affirmativum Fidei (Spei, vel Charitatis, &c.) ex se ipso, atque immediate obligat, ita ut omittens tunc actum Fidei, contra hanc virtutem directe peccet. Indirecte seu per accidens dicitur obligare præceptum affirmativum Fidei, quando talis obligatio provenit ratione alterius præcepti obligatorii, quod observari non potest absque actu Fidei: ut quando actus Fidei est medium necessarium ad implendum præceptum alterius virtutis, quod servari nequit, nisi præcedat actus Fidei.

27. CONCL. I. Datur præceptum divinum per se obligans ad eliciendum quandoque actum internum Fidei. Ita communis Theologorum; atque desumitur ex S. Scriptura passim, ut *ex cap. 16. Marci, num. 29. allegando*, & *cap. 1. ad Rom. Justus autem ex fide vivit. Ad Heb. 11. Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet, &c.* cum concordantiis. Hinc merito Alexander VII. hanc inter alias, ordine primam Propositionem, damnavit: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

28. CONCL. II. Præceptum Divinum de eliciendo actu fidei per vitæ decursum sæpius obligat, nec sufficit actum Fidei tantummodo semel in vita elicere. Ita certa, & communis: atque præter textus S. Scripturæ proxime citatos, probatur ex illo *1. Corinth. 16. Vigilate, state in fide. Ex 1. Petri 5. Cui* (diabolo) *resistite fortes in fide.* Nam hujusmodi vigilantia, resistentia, & statio in Fide,

de, non salvatur proprie in solo habitu, sed dicit actuale exercitium, simulque persistentiam in ea cum frequentatione actuum. Hinc rectissime Innocentius XI. damnavit sequentem, ordine 17. Propositionem, *Satis est, actum fidei semel in vita elicere*. Item hanc, ordine 65. *Sufficit illa Mysteria semel credidisse*; ubi sermo est de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi. Verum descendendo magis ad particularia tempora dictæ obligationis, sit

29. CONCL. III. Primum tempus, quo præceptum Fidei obligat, illud est, quando Fides cuipiam primitus sufficienter proponitur; tunc enim præceptum hoc per se obligat ad eliciendum actum credendi. Ita communis; & colligitur ex illo Salvatoris, *Marci cap. 16. Euntes in Mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*. Quæ postrema verba gravem obligationem denotant, cum nemo, nisi ob peccatum mortale, condemnetur. Sed occasione hujus

30. Quæres, quandonam censeatur cuipiam vera fides sufficienter proposita? Resp. I. Loquendo de adultis infidelibus, tunc Fides censetur ipsis sufficienter proposita, ita ut non temere aut imprudenter, sed prudenter credant, & non credendo peccent contra præceptum Fidei, quando rationibus, signis sive notis, aut etiam miraculis, aliisque probationibus, accedente præsertim interiori lumine supernaturali, ita illis credibilia proponuntur Mysteria Fidei, ut recta ratio eisdem dictet, nostram Fidem esse veram, & contrariam Sectam esse falsam; juxta quod dicitur *Psalm. 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. (b) Et merito Innocentius XI. sequentem inter alias, ordine 4. Propositionem damnavit: *Abinfidelitate excusabitur Infidelis non credens, ductus opinione minus probabili*.

31. Neque obstat, quod in aliis materiis moralibus quandoque liceat sequi opinionem minus probabilem. Disparitas enim est: quia in talibus non semper potest, adhibita etiam quacunque diligentia, certitudo, atque veritas ipsa deprehendi; bene tamen circa Mysteria de Fide credenda. Unde cognoscens ex memoratis motivis, suam opinionem circa credenda de Fide minus probabilem existere, aut accedente interiori lumine supernaturali tenetur probabiliorem, tutioremque partem sequi, & credere; aut consulendo doctiores, & Divinum auxilium ferventius implorando, veritatem Fidei Catholicæ amplius investigare. Quod si vero vel ex superbia, vel ex inordinato terrenorum affectu, aut negligentia aliunde culpabili id facere intermiserit, jam hoc ipso ignorantia veræ Fidei erit vincibilis, atque culpabilis. Neque opinio illa, veritati Fidei contraria, respectu talis hominis potest revera dici probabilis, eo quod sit destituta gravi fundamento: cum contra eam stet, seu militet ratio convincens, ex infallibili veracitate Dei revelantis deprompta, quam talis, cognita præsertim majori probabilitate assertionis Catholicæ, magis investigare & potuisset, & debuisset; ac nihilominus hoc culpabiliter facere neglexit, haud obstante, quod istud cognoverit esse negotium gravissimum, & tangens totam æternitatem.

32. Resp. II. Loquendo de pueris inter Fideles educatis, tunc illi tenentur vi hujus præcepti elicere actum Fidei, quando rationis usum consecuti Mysteria Fidei audiunt, apprehendunt que, quod illa credere sit necessarium ad salutem. Unde si tunc non eliciant actum Fidei, peccant contra istud præceptum, nisi forte per inadvertentiam excusentur, aut actus Fidei notabiliter non differatur. Et hoc ultimum idcirco additur: quia ejusmodi obligatio non est accipienda pro metaphysico instanti, sed morali; ita videlicet, ut in re tanti momenti non fiat notabilis mora, arbitrio viri prudentis. Sanchez *l. 2. in Decal. cap. 1. n. 3. & seqq.* Herincx *disp. 7. de fide, q. 6. n. 76.* & alii.

33. CONCL. IV. Alterum tempus, quo præceptum Fidei per se obligat, tunc est, quando urget gravis tentatio contra Fidem, quæ aliter vinci nequit: tunc enim tempus est resistendi contrariis actibus Fidei, seque in vera Fide muniendi. Idem dicendum, quando imminet periculum abnegandæ Fidei ex horrore tormentorum; idque ob rationem datam. Item, quando instat præceptum externus confitendi Fidem: hanc enim debite ac veraciter confiteri non possumus, nisi interior Fidei assensus accedat. Herincx *num. 77.* Sanchez, Bassæus *V. Fides l. n. 16.* & alii.

34. CONCL. V. Insuper per vitæ decursum aliis quandoque temporibus urget præceptum eliciendi actum internum Fidei. Ita communis; atque desumitur ex dictis *Concl. I. & II.* Veruntamen in assignando determinato tempore hujus obligationis, multum variant Authores: nam aliqui statuunt tempus unius anni; ut Sanchez *loc. cit. num. 3.* post Ledesmam. Alii assignant Festa solemniora, in quibus celebrantur aliqua Mysteria Fidei: tunc enim dicunt, teneri nos virtute hujus præcepti elicere actum Fidei circa talia Mysteria. Quidam vero non improbabiliter asserunt, singulis diebus Dominicis adesse talem obligationem credendi; quorum sententiæ favet Doctor subtilis *3. dist. 9. quæst. un. §. de secundo*, dicens, *quod Dominicis diebus saltem videatur adoratio aliqua necessario exhibenda Deo*. Et tandem nonnulli censent, hoc committendum cujusque arbitrio, dummodo actus internus credendi non nimium differatur; eo quod tempus hujus obligationis nullibi clare determinatum reperiatur.

35. Pro praxi tamen advertendum, quod quamvis Fideles sæpius in vita teneantur elicere actum internum Fidei, ut dictum est; nihilominus ipsi ob hoc non debeant reddi anxii & perplexi, quasi non semper satisfecissent. Nam in primis plerumque excusantur ratione ignorantiæ, vel inadvertentiæ hujus obligationis, eoque magis, quod neque Doctores conveniant in determinatione temporis, quo urget dicta obligatio, contra quam proinde rarius peccatur. Deinde practice loquendo ejusmodi obligationi censetur satisfieri per actus Fidei, qui concurrunt in exercitio aliorum Actuum bonorum, utputa Spei, Charitatis Dei, Pœnitentiæ, Orationis, devotæ recitationis Symboli, formatione signi Crucis, auditione Missæ, ac hujusmodi. Herincx *loc. cit. n. 77.* Sannig. *disp. 1. de Fide q. 21. n. 3.* & alii.

36. CONCL. VI. Ulterius per accidens & indirecte obligatur quis ad internum actum Fidei eliciendum, quotiescunque adest obligatio exercendi actum alterius virtutis præsupponentis actum Fidei. Ita certa, & communis. Ratio clara est: quia si quis obligetur ad exercitium alterius virtutis, hoc ipso obligatur ad ponenda media ipsius, atque omne illud, sine quo nequit haberi exercitium actus præcepti. Sic qui in certis circumstantiis tenetur Contritionem elicere, tenetur pariter actum Fidei habere: non enim potest quis propter Deum offensum conteri de peccatis, nisi credat & Deum esse, & Ipsum pœnitentibus peccata remittere. Idem servata proportione dicendum in casu, quo quis obligatur elicere actum Spei, vel Charitatis, aut Religionis &c. cum & hi præsupponant actum Fidei.

37. Dicitur in conclusione, *per accidens & indirecte*. Siquidem hæc Conclusio loquitur de illis casibus, in quibus præceptum Fidei non obligat per se & directe, sed duntaxat per accidens, quatenus homo aliunde tenetur elicere actum certæ virtutis, quem elicere nequit absque præsupposito actu Fidei. Et hinc, qui in tali casu non elicit actum illius alterius virtutis, v.g. non convertitur ad Deum per veram contritionem, fatisfacit in Confessione, dicendo, *Se non elicuisse talem actum virtutis*, v. g. Contritionis, *cum elicere teneretur*: nam præceptum Fidei tunc per se non obligabat. Bassæus *V. Fides l. n. 15.* & alii.

38. CONCL. VII. Quintum & ultimum tempus, quo obligat hoc præceptum, est articulus mortis. Ita communis. Ratio est: quia tunc magis tenetur homo seipse munire adversus tentationes diaboli, seque conjungere Deo, tanquam ultimo Fini, per actum Fidei, quæ est primum, & omnium reliquarum virtutum fundamentum, ac radix nostræ justificationis. Et hinc præsertim moribundi excitandi sunt ad eliciendos actus Fidei, aliarumque virtutum Theologicarum, nec non & Contritionis, prout passim monent Ritualia Diœcesana, aliique libri: idque tum ex eo, ut per exercitium harum præstantissimarum virtutum homo inoriturus sese amplius conjungat Deo, tanquam ultimo Fini; tum quia hujusmodi actus sunt valde meritorii, atque ad depellendas, superandasque tentationes diabolicas, tunc fortius urgentes, efficacissimi: tum quia præceptum Divinum de exercendis harum virtutum actibus maxime tunc obligare dignoscitur.

QUÆSTIO IV.

Quæ sit obligatio externa confitendi, & profitendi Fidem?

SUMMARIUM.

39 *Actus Fidei, item confessio & professio Fidei, quomodo differant?*

40 *Datur præceptum Divinum de non neganda Fide externe.*

41 *Etiam externa Fidei confessio quandoque est de præcepto.*

42 *Duplex necessitas externa confessionis Fidei.*

43 *Quando obligemur ad externam Fidei confessionem?*

44 *Casus, in quibus necesse est Fidem occultare modo licito.*

45 *Va-*

45 *Varii modi Fidem licite occultandi.*
Quando liceat eam occultare tacendo, vel non?
46 *Quando Fides possit, vel non possit, occultari fugiendo?*
47 *Licitum est, eam occultare signis ex se indifferentibus.*
48 *Nisi ea præcipiantur in contemptum Fidei, &c.*
49 *Et nisi sint instituta ad profitendam falsam Religionem.*
50 *Quid, si ludis fiant per jocum, aut in Comœdiis?*
51 *Vestibus infidelium quando sit licitum uti?*
52 *Et quando non?*

39. NOtandum, quod assensus seu actus Fidei corde fiat, confessio autem Fidei præstetur ore; juxta illud Apostoli ad *Rom. c.*10. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Sicut autem exterior confessio Fidei fit verbis, ita professio fit factis, aut rebus externis, v. g. vestibus, vel aliis in signum illius assumptis.

40. CONCL. I. Datur præceptum Divinum de non neganda Fide externe. Ita est de fide, atque in Concilio Romano sub S. Cornelio Papa definitum contra hæresim Elcesaitarum dicentium, posse instante persecutione negari Fidem externus, dummodo ea corde retineatur. Sed Catholica veritas aperte desumitur ex verbis Christi, *Matth.* 10. *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*. Item 2. *Timoth. cap.* 2. *Si negaverimus eum, & ille negabit nos*, & alibi. Hoc ipsum confirmat exemplum tot millium SS. Martyrum, qui mori maluerunt, quam Fidem exterius negare.

41. CONCL. II. Etiam externa Fidei confessio pro aliquo tempore est de præcepto. Ita rursum omnes Catholici. Patet hoc ex illis verbis Christi, *Matth.* 10. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*; & alibi.

42. Dicitur notanter, *pro aliquo tempore*. Duplex enim est necessitas externæ confessionis Fidei in præmissis duabus Conclusionibus insinuata: Una negativa, scilicet Fidem exterius non negandi: & hæc, cum in præcepto negativo funditur, obligat semper & pro semper; nunquam enim licitum est, Fidem exterius negare, licet corde retineatur, juxta dicta *num.* 40. Altera est affirmativa, videlicet Fidem exterius confitendi, sive verbis, sive factis: & hæc necessitas, quia fundatur in præcepto affirmativo, obligat quidem semper, non tamen pro semper, sed pro aliquo determinato duntaxat tempore. Quale autem sit hoc tempus, per sequentes Conclusiones restat declarandum: hinc sit.

43. CONCL. III. Tunc obligamur ad externam Fidei confessionem, quando per ejus omissionem subtraheretur honor debitus Deo, aut utilitas proximis impendenda. Ita Doctores communiter cum D. Thoma 2.2. q. 3. *art.* 2. Unde si quis de Fide interrogatus taceret, & ex hoc crederetur, quod Fides non esset vera, aut alii per ejus taciturnitatem averterentur a Fide, peccatum fieret: nam in hujusmodi casibus obligat præceptum confitendi Fidem, cum omissio talis confessionis foret contra honorem Dei, vel utilitatem proximi.

44. Secus est, quando spectatis omnibus circumstantiis nulla honori Divino injuria infertur, neque imminet detrimentum proximo, imo potius timetur turbatio Infidelium suboritura absque alia utilitate Fidei, aut Fidelium: nam tunc non obligat præceptum affirmativum Fidei exterius confitendæ (etsi hanc negare nunquam liceat) neque est laudabile, in tali casu Fidem publice confiteri, imo necesse tunc est, eam occultare modo licito. Unde ait Christus *Matth. 7. Nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & canes conversi dirumpant vos*. Ita rectè observat Doctor Angelicus *loc. cit. ad* 3. & alii passim.

45. CONCL. IV. Extra casum, quo propter honorem Dei, vel proximorum utilitatem urget præceptum affirmativum Fidei exterius confitendæ, licite Fides occultatur variis modis. Et I. quidem tacendo, vel interrogantem, si fuerit privata persona, ratione quadam congruenti eludendo. Additur notanter, *si fuerit privata persona*; nam interrogatus de sua Fide ab eo, qui publica authoritate fungitur, aut a Judice, tenetur ex præcepto affirmativo Fidei eam confiteri, etiamsi ex illa Fidei confessione sibi mors impendeat: quia tunc redundat ingens honor Dei, & Fidei nostræ. Nec obstat, quod sit executura perturbatio Infidelium; hæc enim ob tantam utilitatem honoris Divini, Fideique Christianæ, tunc est contemnenda. Hinc Innocentius XI. sequentem inter alias Propositionem; ordine 16. damnavit; *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosam, per se non damno.*

16. II.

46. II. Potest licite Fides occultari fugiendo. Siquidem licitum est homini Christiano, tempore persecutionis fugere, vel sese occultare, ne cogatur de rebus Fidei respondere, sicque possit periculum vitæ evadere: unde dixit Salvator, *Matth.* 23. *cum persequuntur vos in civitate ista, fugite in aliam*. Accedit ratio: quia sic fugiens non significat, se non esse Christianum, vel se negare Fidem; sed potius indicat contrarium, scilicet se nolle Fidem Christi negare, ac malle fugiendo periculum eam negandi evitare. Potest tamen contingere, quod hujusmodi fuga ob aliquas speciales circumstantias reddatur illicita, si nimirum ex tali fuga redundet periculum in honorem Dei, aut proximorum salutem, quod sua præsentia evitaretur: ut si Episcopus, vel Parochus tempore persecutionis fugiat, cum tunc maxime illius opera & auxilio subditi indigeant; tenentur enim ex officio subditis suis consulere in necessariis ad salutem. Unde Christus *Joan. c.*10. ait; *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis; mercenarius autem videt lupum venientem, & fugit*.

47. III. Licitum est occultare Fidem signis, quæ ex se sunt indifferentia; non vero illis, quæ ad profitendam falsam Religionem instituta sunt. Ita Mastrius *disp.* 10. *Theol. Moral. num.* 12. & communis aliorum. Sic, ut alii taceantur, S. Sebastianus in Aula Dioletiani licite occultavit Fidem sub ehlamyde militari, ut Christianos commodius adjuvare valeret. Similiter secluso scandalo non est illicitum ingredi Templa hæreticorum, vel eorum Conciones audire curiositatis gratia, cum talis ingressus de se sit indifferens. Item transiens per loca Infidelium, vel hæreticorum, potest diebus jejunii vesci carnibus metu mortis, carceris, vel amissionis bonorum, aliquin si deprehenderetur, incurrenda: quia etiam esus carnium ex se est indifferens, neque abstinentia illa est introducta ab Ecclesia ad discernendos Catholicos ab hæreticis, nec urget præceptum jejunii Ecclesiastici cum tanto periculo mortis, aut hujusmodi. Et idem dicendum de similibus.

48. Hæc tamen intellige, nisi Princeps infidelis, aut hæreticus talia præciperet in contemptum Fidei, vel ad profitendam falsam Sectam suam: quia tunc talia non licerent, cum cederent in contemptum Fidei, aut legis Ecclesiasticæ; unde potius cuidam moriendum esset, quam comedere carnes, diebus prohibitis in contemptum Fidei, vel Ecclesiæ Catholicæ appositas. Similiter non liceret illis diebus comedere carnes ab Infidelibus, vel hæreticis appositas ad explorandum, an quis sit Catholicus, si inde sequeretur notabilis Divini honoris diminutio, vel proximi scandalum; justa dicta *nu.* 43. atque docet cum aliis citatus Mastrius *n.* 43. Unde Apostolus 1. *Corinth.* 8. ait: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum*.

49. Additur notanter *n.* 47. *non vero illis, qua ad profitendam falsam Religionem instituta sunt*. Sic enim non est licitum, imo foret peccatum contra præceptum negativum Fidei, sacrificare Idolis, vel coram illis genua flectere, aut imaginem inanium deorum ad collum gestare, vel alias cæremonias, seu actiones facere, quæ ex sua natura protestativæ sunt falsæ Religionis, etiamsi quis talia ficte faceret. Ratio est: quia tales actiones cultum superstitiosum intrinsece continent, suntque ex sua natura falsæ Religionis protestativæ; unde neque metu mortis licet eum cultum exterius exhibere, quantumvis animo ficto.

50. Excipe, nisi id fiat per modum joci, aut repræsentationis, prout in Comœdiis fieri solet: hæc enim non est illicita, cum non sit falsæ fidei protestatio, sed potius repræsentatio illius per modum irrisionis, idque aspicientibus abunde pateat, uti supponitur.

51. Quæres an licitum sit Fideli, per Provinciam Infidelium transeunti, illorum vestibus uti ad occultandam Fidem causa mortis vitandæ? Resp. Solutionem patere ex hactenus dictis: nam licitum est deferre habitum Infidelium, qui ab istis portatur sine ullo Religionis intuitu, sed solum varius est pro diversitate Nationum, & Provinciarum; prout passim in Anglia, atque aliis hæreticis Provinciis, eorum vestibus utuntur Catholici. Idem etiam quandoque fit in Turcicis Regnis.

52. Secus foret dicendum, neque liceret uti talibus Infidelium vestibus, si essent per ipsorum Principes institutæ ut signum ad eorum Sectam profitendam: nam tunc, qui talibus vestibus ad professionem falsæ Religionis deputatis uteretur, hoc ipso talem Sectam vel Religionem exterius profiteretur, quod est contra præceptum negativum Fidei de non profitenda falsa Religione, neque neganda exterius vera Fide, ut dictum *n.* 40.

DI-

DISTINCTIO III.

De Ecclesia, Libris Canonicis, & Traditionibus.

QUÆSTIO I.

De Vera Christi Ecclesia.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia, quid? Dividitur in Triumphantem, Purgantem, & Militantem.*
2 *Ecclesia Militans sumitur dupliciter. Synagoga, quæ?*
3 *Vera Christi Ecclesia in terris est visibilis.*
4 *Solvitur objectio hæreticorum.*
5 *Vera Ecclesiæ Caput invisibile est Christus, Visibile Summus Pontifex;*
6 *Nec tamen Ecclesia est biceps.*
7 *Vera Ecclesia Christi non potest errare in articulis Fidei, neque deficere.*
8 *Extra eam nemo salvatur.*
9 *Quid dicendum de Catechumenis?*

1. NOmine Ecclesiæ, quantum ad propositum, communiter a Doctoribus Catholicis intelligitur certus hominum cœtus, ad veram Dei cognitionem & cultum, veramque Religionis societatem divinitus evocatus. Et Ecclesia sub hac ratione generaliter sumpta, dividitur in *Ecclesiam Triumphantem*, quæ Beatos in cœlis complectitur: *Purgantem*, quæ continet Animas Purgatorii: & *Militantem*, quæ Fideles in præsenti vita etiamnum cum hostibus humani generis militantes comprehendit. Nihilominus adhuc triplex hæc Ecclesia propter unitatem capitis sui, quod est Christus Dominus, censetur unica tantum Ecclesia, tres ejusmodi diversas partes in se continens; juxta quod dicitur in Symbolo: *Credo in unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.*

2. Cæterum in præsenti potissimum sermo est de Ecclesia Militante. Et hæc rursus dupliciter sumitur; primo late, seu universaliter pro cœtu omnium Fidelium ab initio mundi usque ad finem ejus existentium: quomodo loquitur S. Gregorius Papa Homil. 19. in Evang. *Universalis Ecclesia, ab Abel justo usque ad ultimum Electum, qui in fine mundi nascetur est.* Deinde, & quidem frequentius, Ecclesia sumitur pro cœtu, seu congregatione omnium Christi Fidem atque doctrinam profitentium, quæ sub uno & summo post Christum Capite & Pastore in terris gubernatur. Et hoc modo sumimus Ecclesiam in proposito: nam Ecclesia Dei, prout erat sub veteri Testamento, seu tempore Legis Mosaicæ, proprio nomine *Synagoga* appellatur; juxta quod ait Breviarium Romanum, *die 8. Maii*, de S. Michaele Archangelo: *Eumut olim Synagoga Judæorum, sic nunc custodiem & patrocinium Dei veneratur Ecclesia.*

3. CONCL. I. De fide est, veram Christi Ecclesiam in terris esse visibilem, cujus quidem Caput primarium, sed pro nunc invisibile, est Christus Dominus; post ejus vero discessum Caput visibile totius Ecclesiæ Militantis est Romanus Pontifex, Christi in terris Vicarius. Ita omnes Catholici; quamvis hæretici hoc visibile Caput Ecclesiæ communiter negent, ac multifarie impugnent, perpetuoque odio prosequantur, cum videant, ab eodem suas hæreses palam confundi, condemnari, & profligari. Prior pars hujus Conclusionis, videlicet veram Christi Ecclesiam in terris esse visibilem, probatur ex S. Scriptura contra Hæreticos. Et in primis illo Salvatoris *Matth. 18. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Similiter S. Paulus ait, *Actor. 20. Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Et 1. *Timoth.* 3. inquit idem Apostolus: *Hæc tibi scribo, ut scias, quomodo oporteat te in Domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi.* Atqui nemo potest dicere Ecclesiæ, neque scire, num alter eam audiverit; neque etiam potest quis regere Ecclesiam Dei, nisi ea sit visibilis, & sciatur, quæ sit illa Ecclesia, ergo

4. Nec obstat, quod objiciunt hæretici: Quidquid fide credimus, non est visibile: sed Ecclesiam fide credimus, juxta illud Symboli Apostolici, *Credo in sanctam Ecclesiam Catholicam*; ergo ea non est visibilis. Resp. enim, in primis retorquendo argumentum: nam Christus *Joan. 20.* dixit. *Quia vidisti me Thoma, credidisti*; ergo in sano sensu, quod videmus credere possumus, dum videlicet aliud videmus, & aliud credimus, prout fit in proposito. Resp. itaque secundo, majorem esse veram duntaxat in hoc sensu, quod sub ea ratione, qua aliquid videtur, id sub fidem non cadat; quamvis bene possit credi sub alia ratione, sub qua non videtur, ut probat exemplum S. Thomæ Apostoli. Sic in proposito Ecclesia est visibilis, in quantum videntur homines eam constituentes, & audituæ professio Fidei, ac cernuntur factæ Cæremoniæ: quod autem isthæc constituant veram Christi Ecclesiam hoc non videtur, sed creditur, Deo id multipliciter attestante.

5. Altera pars Conclusionis, quod hujus veræ Ecclesiæ Caput primarium sit Christus, nemo Christianorum est, qui neget; id siquidem expressissime docet Apostolus *ad Ephes. cap. 1.* dicens: *Christus est caput Ecclesiæ*. Et rursus Ephes. cap. 1. *Et ipsum* (Christum) *dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*; videlicet Corpus mysticum, cujus ipse est Caput mysticum, & quidem ob suam supremam excellentiam, atque Divinitatem, primarium, & principale. Ultima tandem pars, quæ est contra hæreticos, probatur ex eo; quia quamvis Christus in cœlis existens maneat adhuc Caput Ecclesiæ invisibile, quatenus eandem adhuc gubernat, & regit, foverque per interiorem influxum gratiarum supernaturalium: non tamen manet Caput visibile Ecclesiæ Militantis, utpote quam non amplius per semetipsum gubernat modo visibili (prout olim fecerat in vita sua) cum nec amplius eidem Ecclesiæ Militanti sit visibiliter præsens. Unde ne Ecclesia sua visibilis careret Capite visibili, sanctum Petrum, atque ejus legitimos successores, Summos videlicet Pontifices, constituit Caput Ecclesiæ visibile, summque in terris Vicarium, dicens eidem Petro post resurrectionem suam trina vice, *Joan. 20. Pasce agnos meos, Pasce oves meas.* Idipsum patet ex aliis Sacræ Scripturæ locis, prout amplius ostendunt Controversistæ.

6. Nec dicas, hinc sequi, quod Ecclesia sit biceps, & consequenter monstrosa. Negatur enim sequela. Quia Christus est Caput Ecclesiæ primarium, atque invisibile; S. Petrus vero, ejusque legitimi Successores, sunt Caput Ecclesiæ duntaxat secundarium, & vicarium, visibile tamen, quod est primario subordinatum. Unde non sequitur, quod Ecclesia sit biceps: sicuti neque Regnum quodcunque temporale censetur biceps, quod in absentia sui Regis gubernatur per Proregem, utpote qui plene subordinatur Regi, ipsiusque vices duntaxat gerit, ac ejus nomine cuncta gubernat.

7. CONCL. II. Vera ac visibilis Ecclesia ex speciali promissione Christi, & assistentia Spiritus sancti, non potest errare in Articulis Fidei, neque omnino deficere. Ita omnes Catholici, quamvis hæc Conclusio intelligenda sit non de aliqua parte Ecclesiæ (nam certum est, aliquam partem Ecclesiæ, id est, nonnullos Christianos, imo & aliquas partes Orbis Christiani errare posse, & reipsa quandoque errasse) sed de tota & universali Ecclesia. Conclusio sic explicata probatur ex illo Salvatoris, *Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam. Item Matt. 28* promisit Christus Ecclesiæ perpetuam suam assistentiam, dicens: *Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Et *Joan. c. 16. Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Et 1. Timoth. 3.* vocatur *Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Atqui si Ecclesia universalis in Fide aliquando erraret, aut omnino deficeret, jam prævalerent adversus eam portæ inferi, neque ipsa esset columna & firmamentum veritatis, neque aliæ dictæ Christi promissiones verificarentur; ergo.

8. CONCL. III. Extra veram Christi Ecclesiam nemo potest salvari. Ita certum, est quæ decisum in Concilio Generali, seu Lateranensi sub Innocentio III. atque refertur *cap. Firmiter de Summa Trinitate*, ubi dicitur: *Una vera est Fidelium universalis Ecclesia extra quam nullus omnino salvatur.* Id ipse SS. Patres passim declarant exemplo Arcæ Noe, extra quam regnante diluvio nullus hominum mortem evaserat; ac præsertim S. Hieronymus in Epistola ad Damasum Papam (& habetur *c. Quoniam vetusto 24. q. 1.*) ubi Cathedram S. Petri, seu Ecclesiam Catholicam Arcæ Noe comparans, subjungit: *Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.*

9. Nec obstat, quod juxta D. Ambrosium, aliosque Sanctos Patres & Theologos, Catechumeni possint salvari, & multi salventur, qui tamen per Baptismum necdum sunt ingressi Ecclesiam Dei. Resp. enim cum Sannig. *Distinct. 3. de Fide, q. 1. nu. 6.* & aliis, allatam Conclusionem esse intelligendam sic, quod nemo possit salvari ex-

tra Ecclesiam, id est, qui nec re, nec voto est in Ecclesia: Catechumeni autem, licet per januam Baptismi actu recepti necdum sint ingressi Ecclesiam, nihilominus voto jam sunt in Ecclesia. Et hoc sufficit ad salutem, non minus, ac Baptismus in voto susceptus; mediante quo si desit occasio recipiendi Sacramentum Baptismi, posse hominem salvari, patet ex Concilio Trid. *sess. 6. c. 4.* ac pluribus locis Juris Canonici, & præsertim ex *c. Veniens de Presbyt. non baptizato*, ibi: *Cum quis non solum per Sacramentum fidei, sed per fidem etiam Sacramenti efficiatur procul dubio membrum Christi.*

QUÆSTIO II.

Quænam sint notæ veræ Ecclesiæ Christi?

SUMMARIUM.

10 *Ratio præsentis Quæstionis.*
11 *Notæ Ecclesiæ a modernis hæreticis assignatæ rejiciuntur.*
12 *Veræ notæ Ecclesiæ Christi sunt quatuor, nempe,*
13 *Quod sit Una,*
14 *Sancta.*
15 *Catholica.*
16 *Et Apostolica.*
17 *Has quatuor notas conveniunt soli Romanæ Ecclesiæ.*
18 *Ea est Una, & nulla alia Secta.*
19 *Ea est Sancta.*
20 *Ea est Catholica, non vero ulla Secta hæreticorum.*
21 *Eadem est Apostolica.*
22 *Methodus brevissima reducendi hæreticos ad Fidem Catholicam.*

10. SCiendum, quod ab initio nascentis Ecclesiæ jam diversæ fuerint exortæ sectæ & hæreses, quarum quælibet prætendebat, apud se veram consistere Ecclesiam, hocque signis, seu notis ac symbolis quibusdam ostendere conabantur. Ut igitur vera Ecclesia deprehendi, & a falsis sectis dignosci valeat, consulto recurrendum est ad veras Ecclesiæ notas.

11. Hæretici nostri temporis satis communiter duas assignant Ecclesiæ notas, videlicet veram & inconcussam prædicationem Evangelii, & sincerum usum Sacramentorum. Verum hæc sententia communiter rejicitur a Catholicis: siquidem notæ veræ Ecclesiæ debent ipsa esse notiores (generatim enim notæ debent esse notiores ea re, cujus sunt notæ, quia alias non essent notæ, sed ignotæ) simulque aliis sectis seu Ecclesiis falsis non communes, ut patet; alioquin enim non sufficienter discernerent veram Ecclesiam a falsa. Atque ita accidit prædictis duabus notis: nam quælibet hæreticorum Secta, tum Ariana, Sabelliana, tum Lutherana, Calviniana, Zuvingliana, & Anabaptistica &c. hactenus semper jactavit, & adhuc jactitat, apud se esse veram prædicationem Evangelii, usumque sincerum Sacramentorum (quod ipsum cumprimis, atque veraciter de se affirmat S. Mater Ecclesia Catholica) hinc prædicta duo non possunt esse signa, symbola, notæque veræ Ecclesiæ Christi, ac proinde aliæ erunt investigandæ. Unde sit

12. CONCL. I. Veræ notæ Ecclesiæ Christi principaliter sunt quatuor, videlicet quod ea sit una, Sancta, Catholica, & Apostolica. Ita omnes Catholici. Siquidem hæ quatuor notæ partim habentur in Symbolo Apostolorum, ubi dicitur, *Credo in Sanctam Ecclesiam Catholicam*: partim in Symbolo Nyceno & Costantinopolitano, in quo aliæ duæ clarius sunt expressæ, vel additæ; videlicet, quod sit *Una* (quæ particula tamen in Symbolo Apostolico sufficienter jam continetur, dicendo in singulari, *Sanctam Ecclesiam*) & *Apostolica*, dicendo: Credimus unam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Et hoc quidem Symbolum, utpote in Concilio Generali Costantinopolitano Anno Domini 381. receptum, approbatur, & in SS. Missæ Sacrificio ferme quotidie recitatur a tota Ecclesia universali, imo neque ab hæreticis nostri temporis negatur; unde restant solum prædictæ quatuor notæ explicandæ.

13. Prima igitur Ecclesiæ nota est, quod sit Una. *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis, 1. Cor. 14.* Cæterum hæc Ecclesiæ unitas consistit imprimis in unitate Capitis, quatenus omnes in Ecclesia existentes idem agnoscunt Caput, tum invisibile, sive Christum Dei Filium; tum visibile, sive Summum Pontificem, Christi in terris Vicarium. Deinde in unitate & concordia doctrinæ, juxta illud *Hebr. 13. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Et rursum in unitate cultus Divini, & ritus Sacramentorum, quatenus idem apud omnes Sacrificium offeratur, æqualitas in cultu Divino observetur, atque eadem Sacramenta & cum iisdem cæremo-

niis dispensentur. Et hanc trinam principalem unitatem, in vera Ecclesia Christi observandam, insinuat D. Apostolus, ex instinctu Spiritus Sancti, scribens ad *Ephes. c. 4. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

14. Secunda veræ Ecclesiæ nota est, quod sit Sancta: juxta quod loquitur Apostolus, *Ephes. 5.* vocans *Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit Sancta & immaculata.* Dicitur autem Ecclesia, quantum ad propositum, præcipue ex eo *Sancta*: quia professio ejus & doctrina est sancta, nihilque continens contra rectam rationem, bonosque mores, juxta illud *Psalm. 38. Lex Domini, immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele &c. Justitia Domini recta.* Insuper Ecclesia dicitur *Sancta*, quia a Viris Sanctissimis propagata semper fuit, & in ea plurimi eximiæ Sanctitatis Viri per cuncta semper sæcula floruerunt, & florent.

15. Tertia Ecclesiæ nota est, quod sit Catholica, id est, universalis. Et quidem vera Ecclesia dicitur universalis seu Catholica, inprimis quoad locum, quatenus toto Orbe terrarum diffusa est, *juxta illud Marci 16. Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et *Actorum c. 1. Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.* Deinde vera Christi Ecclesia dicitur universalis, etiam ratione temporis, quia semper durabit, & nunquam deficiet, juxta illud *Matth. 16. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et *Matth. ult. Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*; & consequenter etiam semper manebunt Rectores Ecclesiæ, ficque & ipsa Ecclesia perseverabit usque ad Consummationem sæculi, finemque Mundi.

16. Quarta tandem veræ Ecclesiæ nota est, quod sit Apostolica. Porro vera Ecclesia Christi dicitur *Apostolica*, tum quia in Apostolis initium habuit, ab eisque per universum Orbem propagata est: Tum præsertim, quantum ad propositum, quia in ea datur continua successio Episcoporum ab Apostolis deducta usque ad modernа tempora; qualem continuam, & non interruptam successionem Episcoporum ab Apostolis usque ad nos, nulla alia Congregatio habet præter Romanam Catholicam Ecclesiam. Hinc S. Augustinus, *contra Epist. Manichæi, c. 4.* inquit, *In Catholica Ecclesia tenet me ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Quænam autem sit hæc successio Sacerdotum, idem S. Augustinus *Epist. 165. ad Generosum*, deolarat dicens: *Patres enim successit Linus, Lino Clemens* (numerat omnes Romanos Pontifices usque ad sua tempora) *Siricio Anastasius: in hoc ordine successionis nullus Donatista* (Lutheranus) *Episcopus invenitur*. Idem passim observant alii sancti Patres, hac continuata successione Episcoporum, tanquam efficacissimo argumento, ad ostendendam contra hæreticos veram Ecclesiam utentes.

17. CONCL. II. Hæ quatuor veræ Ecclesiæ Christi notæ conveniunt S. Romanæ Ecclesiæ, & nulli alii Sectæ. Hæc Conclusio est rursus omnium Catholicorum; & quia plurimum ab ipsa dependet, oportet eam breviter per singulas partes probare.

18. Primo igitur S. Mater Ecclesia Romana (quam hæretici ex contemptu, & odio in Summum Pontificem, appellant *Papistiam*) est *Una*: quia præter Christum, Caput invisibile veræ Ecclesiæ, agnoscit unum Caput visibile in terris, Papam videlicet legitimum Petri Successorem, Christique in terris Vicarium: quod nulla alia Secta facit. Habet & unitatem atque concordiam veræ doctrinæ, cultus Divini, usus Sacramentorum, ejusdemque incruenti Sacrificii Missæ, per totum quaquaversum Orbem terrarum. Hoc autem nulli Sectæ hæreticorum competit; cum neque habeant unitatem capitis visibilis in terris, neque conveniant in unitate doctrinæ, usuque & numero Sacramentorum, ut palam est cuilibet terras hæreticorum vel parum peragranti. Certe plerique eorum, qui ab hæreticis ad Catholicos, atque in gremium S. Matris Ecclesiæ redeunt, pro motivo suæ conversionis allegare solent discordiam suorum, concordiamque Catholicorum in doctrina Fidei, cultuque Divino. Huc quadrat illud S. Hieronymi *Epist. 58. ad Damasum*, ubi ait: *Hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat, &c. ego interim clamito: Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus* (Lutherus, Calvinus, Zuvinglius &c.) *sibi hærere se dicunt: possem credere, si hoc unus asseveret*: Nunc aut duo mentiuntur, aut omnes.

19. Secundo Ecclesia Romana est *Sancta*, tum propter Sanctitatem doctrinæ, quam perpetuo tradit, docens præcepta Dei esse observanda, &c. ubi econtra Luthe-

rani, aliique Sectatores asserunt, ea esse observatu impossibilia, & plura hujusmodi. Tum propter Viros Sanctissimos, a quibus propagata, agnita, defensa, & propugnata semper fuit, puta SS. Apostolos, Sanctos Ecclesiæ Doctores, Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Gregorium, Bernardum, Thomam Aquinatem, Bonaventuram, aliosque plurimos Vitæ Sanctitate conspicuos, qui tempore Apostolorum usque nunc in Ecclesia Romana semper floruerunt, & adhuc florent, de quibus extant integri Librorum Tomi: adeo, ut solus Ordo Seraphicus a tempore Lutheri numeret circiter quadraginta solemniter Canonizatos & Beatificatos; & quasi innumeros alios vitæ Sanctitate, miraculisque conspicuos; ut taceamus cæteras Religiones, totamque Ecclesiam Catholicam. Ubi e contra Lutherani, aliique hujus temporis Sectarii, neque unum e suis Sanctum, sive vitæ Sanctitate & miraculorum gloria conspicuum, assignare valent.

20. Tertio S. Romanam Ecclesiam esse *Catholicam*, id est, toto Orbe terrarum nobis cognito diffusam, clarum est: cum non solum in Europa, imo & in Asia, & Africa, in medio gentis perversæ Mahumeticæ, atque in ipsa America longe lateque diffundatur. E contra Sectarii, sive Lutherani, sive Calvinistæ, aut Anabaptistæ, &c. non nisi in parva Germaniæ parte concluse tenentur; aut si aliqui eorum propter negotiationes, & lucra mundana, in Indiis Orientalibus, vel Occidentalibus de facto existant, in comparatione ad Catholicos modicum sane locum occupant. Accedit, ipsos hæreticos extreme inter se dissidere, & quamlibet eorum Classem damnare alteram, veluti in fide aberrantem, ut proinde facta fupputatione singulæ eorum Sectæ non nisi minimum locum obtineant. Unde hoc intelligentes ipsimet hæretici, nomen Catholicorum appropriate attribuunt Romano Catholicis. Quod ipsum jam suo tempore factum, recte notavit D. Augustinus *lib. de vera Religione, c.* 7. dicens: *Tenenda est nobis Christiana Religio, & ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis: videtis enim nolintne ipsi quoque hæretici, & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocare; non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo Orbe nuncupatur.* Hactenus, & ad propositum efficacissime, D. Augustinus.

21. Quarto, Sanctam Romanam Ecclesiam esse *Apostolicam*, sive in ea dari continuam Successionem Episcoporum ab Apostolis usque ad nos, patet vel maxime in continua & nunquam interrupta successione Romanorum Pontificum, a quibus alii Episcopi per totum terrarum Orbem semper fuerunt creati, & destinati. Quod rursum neque Lutheranæ, neque Calvinianæ, aut alii Sectæ convenit, ut patet, cum ante Lutheri tempora nullum appareat vestigium talis successionis; imo omnes Episcopatus modo ab hæreticis occupati, antehac fuerint sanctæ Romanæ Ecclesiæ subjecti, & incorporati.

22. CONCL. III. Methodus brevissima atque efficacissima, errantes animas, & hæreticæ pravitate seductas reducendi ad Fidem Catholicam, est clare proponere atque explicare eisdem præmissas quatuor notas veræ Ecclesiæ Christi. Ita Controversistæ. Et ratio est: quia datur solum una Ecclesia Christi, non plures; ut constat ex Symbolo Apostolorum, in quo in singulari dicitur, *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Simulque illa vera Ecclesia Christi est infallibilis in suis dogmatibus, neque potest errare in Fide, idque ob infallibilem Christi promissionem, ut dictum *num.* 7. ac proinde, quidquid ea proponit esse Fide Divina credendum, absque ullo erroris periculo credere oportet, ob veracitatem Dei talia revelantis, nobisque per Ecclesiam suam proponentis. Cum igitur ex supra dictis quatuor Ecclesiæ notis pateat, Ecclesiam Romanam Catholicam esse veram Christi Ecclesiam, utpote cui soli competunt quatuor illæ notæ, non autem Sectæ Lutheri, Calvini, aut alii, jam ipsa in dogmatibus Fidei est infallibilis; & consequenter cum ea rite creditur Purgatorium, numerus septenarius Sacramentorum, Missæ Sacrificium, & sic discurrendo de cæteris Fidei Mysteriis.

QUÆSTIO III.

De Sacra Scriptura, seu Libris Canonicis.

SUMMARIUM.

23 *Libri Canonici seu S. Scriptura, qui?*
24 *Numerus eorum in Ecclesia Catholica est antiquissimus.*
25 *Solvitur objectio.*
26 *Hunc vel illum librum esse Canonicum, unde constet?*

(a) Supra num. 6.

27 *Di-*

27 *Declaratur amplius Conclusio.*
28 *Vulgata vetus Editio S. Scriptura est authentica.*
29 *An in hac qualibet minima vocula sit de fide?*
30 *Verior opinio.*
31 *Solvuntur objectiones.*
32 *Lectio S. Scripturæ in lingua vulgari, juste est interdicta.*
33 *Quid in Germania quoad hoc?*

23. CONCL. I. Numerus Librorum S. Scripturæ, qui & *Libri Canonici* appellantur, ille est, quem ponit Sacrum atque Oecumenicum Concilium Trident. *sess.* 4. ubi Libros Canonicos ex unanimi totius Ecclesiæ consensu, & antiquissimorum Conciliorum vestigiis inhærendo, recenset, eosque veluti a Spiritu Sancto dictatos recipit ac veneratur, dum inter alia sic habet. *Sunt vero infrascripti, Testamenti veteris, quinque Libri Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Nemias, Tobias, Judith, Hesther, Job, Psalterium Davidi cum centum quinquaginta Psalmorum, Parabola, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est, Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Abacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus & secundus. Novi Testamenti, quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti: quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Petri Apostoli duæ, Joannis Apostolitres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostolinna, & Apocalypsis Joannis Apostoli. Si quis autem Libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro Sacris & Canonicis non suscepterit, anathema sit.* Hactenus verbatim Concil. Trid.

24. Unde patet, Librum tertium & quartum Esdræ, similque librum tertium Machabæorum non esse ex Libris Canonicis, quamvis in Bibliis communiter apponantur, ne penitus pereant. Cæterum prædictus numerus Librorum Canonicorum Sacræ Scripturæ non est novus, quinimo est antiquissimus in Ecclesia Catholica, & receptissimus. Sic quippe S. Augustinus *l.* 2. *de Doctrina Christiana, cap.* 8. omnes & singulos præfatos Libros inter Canonicos reponit, atque enumerat. Similiter omnes illi Libri inter Canonicos recepti sunt in Concilio Carthaginensi (anno 397. celebrato) *c.* 37. item in Concilio Romano primo sub Gelasio Papa *anno* 494. celebrato, atque in aliis subsequentibus Conciliis, & præsertim in Florentino in Decreto Unionis.

25. Nec obstat, quod olim de Libro Tobiæ, Judith, & quibusdam aliis fuerit controversia inter Catholicos Doctores, eosque quidam S. Patres exclusérint e numero librorum Canonicorum. Resp. enim, id contigisse ante definitionem Ecclesiæ, quando re adhuc dubia, & necdum per Ecclesiam definita, utraque pars probabiliter amplecti, & teneri poterat: prout fieri solet in aliis materiis necdum ab Ecclesia definitis, & adhuc inter Catholicos Doctores controversis. At post definitionem Ecclesiæ nullus Sanctus Pater, aut alius vere Catholicus, ullum ex præfatis Libris Canonicis rejecit.

26. CONCL. II. Hunc vel illum Librum esse Canonicum, & habere authoritatem S. Scripturæ a Deo dictatæ, aliunde nobis non constat, quam ex Traditione Majorum, & definitione Ecclesiæ. Ita omnes Catholici. Siquidem Ecclesiam in rebus fidei ob specialem assistentiam Spiritus Sancti errare non posse, tam (a) dictum est: ergo quidquid ipsa Fidelibus credendum, & tanquam Librum a Spiritu Sancto dictatum esse proponit, pro tali indubie recipiendum est. Accedit, quod plura Evangelia sub nomine diversorum Apostolorum, ut Thomæ, Thaddæi, Andreæ, Bartholomæi, Barnabæ &c. fuerint conscripta, de quibus fit mentio *cap. Sancta Romana distinct.* 15. ergo necessaria fuit authoritas Ecclesiæ, quæ insistendo continuæ Traditioni ab Apostolis hauitæ, atque a Spiritu Sancto peculiariter directæ, hujusmodi noxias & apocryphas scripturas a veris discerneret, verumque Evangelium a Deo dictatum Fidelibus credendum proponeret. Et hinc rectissime S. Augustinus *l. contra Epistolam Manichæi cap.* 5. palam protestatur, dicens: *Ego vero non crederem Evangelio, nisi me Catholica Ecclesia commoveret authoritas.* Et rursus ibidem ait: *Evangelium Nazarænorum non admittam, quia non admittitur ab Ecclesia.*

27. Verissimum quidem est, potuisse Deum pluribus aliis modis veram Fidem, verbum-

que suum, seu S. Scripturam manifestare hominibus, puta per semetipsum immediate, vel per Angelos &c. Voluntamen sicut olim Saulum (id est, Paulum Apostolum) & Cornelium Centurionem, & Eunuchum Reginæ Candacis, non per se, aut Angelos suos, in vera Fide erudire voluit, sed per homines, videlicet per Ananiam, Petrum Apostolum, & Philippum, ut legitur in Actibus Apostolorum, *c. 8. 9. & 10.* Ita etiam ordinarium medium agnoscendi veram Scripturam Sacram aliud esse noluit, quam authoritatem Ecclesiæ Catholicæ, utpote quæ teste ipsomet Spiritu Sancto *1. Timoth. 3. est columna & firmamentum veritatis.* Hinc jam a primordiis suis, orta circa observantiam legalium dissensione, S. Mater Ecclesia, in Spiritu Sancto ex Apostolis, aliisque Fidelibus legitime congregata, *Actor. cap. 15.* determinavit, Gentiles ad Fidem Christi conversos non obligari lege Mosaica.

28. CONCL. III. Sacra Scriptura, in vulgata veteri Editione contenta, vere est authentica. Ita novissime declaravit, & propter antiquissimum Ecclesiæ usum observari statuit Concilium Trident. *Sess. 5. in Decreto de Editione Librorum*, his verbis: *Insuper eadem Sacrosancta Synodus statuit, & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata Editio, quæ longa tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.* Hæc Concil.

29. Num autem quælibet minima vocula, & particula Editionis vulgatæ, sit de fide, variant Doctores. Affirmant Franciscus Turrianus *1. 2. disp. 22. dub. 4.* & quidam alii. Tum quia idem Concilium Trid. *ibi. Sess. 4.* ait: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Editione habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit, anathema sit:* atqui etiam omnes voculæ sunt partes. Tum quia alioquin tota Editio vulgata nutabit, si in ea quidpiam non canonicum, & quod non est de Fide, contineri dicatur: nam, ut inquit D. Augustinus, *Epist. 9.* ad Hieronymum, *sacra Scriptura, qua ad fidem posteriori edita, est admissa auctoritate mendacitatis dubia nutat, & fluctuat.*

30. Oppositam nihilominus sententiam plures alii Theologi, & Controversistæ tenent, ut Bellarminus *lib. 2. de verbo Dei, c. 22.* Bernardinus Votveris *in Speculo vere Ecclesiæ, l. 2. c. 6. art. 4. n. 3.* Tannerus *tom. 3. d. 1. de fide, q. 1. n. 79.* Burghaber *Controvers. 4. n. 16.* citatis aliis. Asserunt enim, quamvis Editio vulgata pro authentica ab omnibus habenda sit, utpote quoad fieri potuit, pura & emendata, nihilque continens, quod sit contra Fidem Catholicam, & bonos mores; nihilominus eam necdum ita ab omnibus mendis purgatam esse, quin adhuc emendari possit, aut aliquibus in locis, ubi jam olim ejusdem lectiones variabant, locus esse valeat disceptationi, & aliqua alia lectio ei, quæ in vulgata Editione posita est, subinde præferri. Ratio esse potest: quia hoc ipsum videtur insinuare Præfatio Bibliis vulgatæ Editionis præfixa, dum ait: *Quam quidem (Editionem vulgatam) sicut omnibus numeris absolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita ceteris omnibus qua ad hunc usque diem prodierunt, emendationem pluribusque esse minime dubitandum.* Et infra: *In hac tamen pervulgata lectione, sicut nonnulla confulto mutata, ita etiam alia, qua mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt.*

31. Nec obstat Concilium Trid. *loc. cit.* Quia loquitur de partibus, ut puta Capitulis, atque integris Libris, quorum nonnullos Hæretici, contra quos præcipue agit Concilium, rejecerunt; non autem de voculis, seu particulis. Idque ex eo amplius patet, quod primum post dictum Decretum Concilii Trident. Editio vulgata per Theologos a Sede Apostolica ad hoc destinatos fuerit revisa, & in nonnullis emendata. Dictum autem D. Augustini procedit admisso semel in quapiam Scriptura mendacio, quale nefas est admittere in Editione vulgata Bibliorum.

32. CONCL. IV. Lectio Sacræ Scripturæ in lingua vulgari sine Episcopi, aut Inquisitoris licentia justæ fuit interdicta. Et hæc quidem prohibitio habetur in *Indice Librorum Prohibitorum Regula 4.* Ratio hujus prohibitionis ibidem affertur: quia experimento manifestum est, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri. Siquidem S. Scriptura, ob altitudinem Mysteriorum supernaturalium, de quibus tractat, ac plurimas locutiones Propheticas, & allegoricas &c. non tam intellectu facilis & clara est, ut a quovis, etiam cæteroquin indocto homine, vel muliercula, statim possit recte intelligi, prout præsumptuose jactitant Hæretici moderni. Sed de hoc plura *Quæst. seq.*

33. Notat tamen Layman *lib. 2. tract. 1. c. 15. n. 8.* Quod hæc prohibitio non legendi Sacra Biblia vulgari idiomate, in hisce Regionibus nostris recepta non sit. Nam, ut inquit Nicolaus Serarius, *non tantùm tur, sed laudantur, qui in Germania nostra, nulla diserte petita facultate, Biblia vulgata Ecki, vel Dietenbergii legunt.* Versio autem Germanica Lutheri, & aliorum hæreticorum, prorsus interdicta est, utpote pestifera, ob multas admixtas depravationes, & fallas interpretationes.

QUÆSTIO IV.

De multiplici Sensu, Obscuritate, atque Interpretatione Sacræ Scripturæ.

SUMMARIUM.

34 *Sensus S. Scripturæ duplex, litteralis & mysticus.*
35 *Sensus litteralis alius proprius, alius improprius.*
36 *Sensus mysticus quis?*
37 *Et multiplex, ut Sensus Allegoricus, Anagogicus, & Tropologicus seu Moralis.*
38 *Universim quatuor sensus S. Scripturæ.*
39 *Et in singulis excellebant singuli Ecclesiæ Doctores.*
40 *Quid sensus Accommodatitius S. Scripturæ?*
41 *S. Scripturæ sensus est obscurus.*
42 *Ipsamet S. Scriptura hoc testatur.*
43 *Interpretatio canonica S. Scripturæ pertinet ad Ecclesiam.*
44 *Doctrinaliter eam interpretari, quibus conveniat?*

34. CONCL. I. Generatim, ac prima sui divisione, Sensus Sacræ Scripturæ alius est litteralis, alius spiritualis seu mysticus. Ita communis. Et quidem *Sensus litteralis* est, quem verba ipsa immediate significant: prout v. g. hoc nomen *Jerusalem* significat civitatem Palestinæ, ac plurimæ historiæ in S. Scriptura contentæ litteraliter significant res olim gestas.

35. Porro Sensus iste litteralis S. Scripturæ subdividitur in proprium, & in improprium seu figuratum. *Proprius est*, quem verba in propria sua significatione usurpata immediate significant: prout sit, dum dicitur David esse Rex, Jerusalem capta, &c. *Sensus improprius, seu figuratus* est, quem verba improprie seu figurate accepta significant: puta quem habent per quandam Metaphoram, Metonymiam, Catachresin, aut aliam Figuram Rhetoricam: quales locutiones figuratæ in S. Scriptura sunt satis frequentes, ac præsertim in Prophetis, imo & alibi. Sic Christus Dominus noster dicitur Leo, Petra, Lapis angularis, Agnus, Vitis, &c. per similitudinem quandam, ac metaphoram, non per proprietatem. Sic etiam Deus, qui tamen est purissimus Spiritus, dicitur habere manus, quatenus est Omnipotens; videre oculis, quatenus est Omniscius; habere pedes, quia est ubique; trasire, pœnitere, ac hujusmodi, ob diversos effectus suos.

36. *Sensus mysticus, seu spiritualis* S. Scripturæ, est ille, qui non significatur per verba immediate, sed mediate tolum, quatenus significattur per res illas, quas verba immediate significant. Sic historia Agni Paschalis, *Exodi c. 12.* relata, litteraliter significat ritum Agni Paschalis a Judæis olim immolandis; spiritualiter vero seu mystice significat Christum pro salute totius Mundi in ara Crucis postmodum immolatum: nec videre est in aliis innumeris.

37. Cæterum Sensus spiritualis, seu mysticus S. Scripturæ, rursum dividitur in Allegoricum, Anagogicum, & Tropologicum seu Moralem, juxta numerum videlicet trium Virtutum Theologicarum, quibus hi tres Sensus mystici S. Scripturæ correspondent. Siquidem *Sensus Allegoricus* correspondet Fidei, & tunc habetur, quando verba S. Scripturæ præter sensum litteralem, quem habent, significant aliquid pertinens ad Fidem. *Sensus Anagogicus* correspondet Spei; habetur que, quando verba præter sensum litteralem, quem continent, significant aliquid pertinens ad vitam æternam, quam speramus. *Sensus* tandem *Tropologicus seu Moralis*, correspondet Charitati, & habetur, quando præter sensum litteralem verborum significatur aliquid pertinens ad institutionem morum, seu opera Charitatis exercenda.

38. Et conformiter dictis communiter a Doctoribus dicuntur esse quatuor Sensus S. Scripturæ, videlicet Litteralis, Allegoricus, Anagogicus, & Tropologicus seu Moralis, de quibus extant sequentes duo versiculi.

Littera gesta docet: quid credas, Allegoria: Moralis, quid agas: quo tendas, Anagogia.

Et hi quatuor Sensus commode ostenduntur in nomine *Jerusalem*: nam hæc vox Litteraliter significat urbem Palestinæ, Allegorice Ecclesiam Militantem, Anagogice Ecclesiam Triumphantem, & Tropologice seu Moraliter quamcunque Animam fidelem. Idem sensus vel omnes vel saltem aliqui,

reperiuntur in Cæremoniis veteris Legis, Vasibus Sanctuarii, & aliis hujusmodi, quæ proinde varie exponuntur a Sanctis Patribus, & Doctoribus Ecclesiasticis.

39. Notandum quoque est a Viris doctis, juxta hos quatuor Sensus S. Scripturæ quatuor dari præcipuos Doctores Ecclesiæ videlicet S. Hieronymum, S. Ambrosium, S. Augustinum, S. Gregorium Papam, & singulos in singulis S. Scripturæ sensibus principaliter excelluisse, Hieronymum in Litterali, Ambrosium in Allegorico, Augustinum in Anagogico, & Gregorium in Morali.

40. Tacetur hic sensus Accommodatitius S. Scripturæ, quo videlicet dicta de uno, postmodum accommodantur alteri, ac de eo dicuntur: si quidem ille proprie non est verus aliquis S. Scripturæ sensus, sed potius tradactio verborum S. Scripturæ a suo sensu ad alium, ab Authore Deo non intentum. Nihilominus hic modus applicandi, seu accommodandi S. Scripturam, si cæteri concurrant, malus non est, imo practicatur ab Ecclesia Catholica passim in Breviario, & Missali Romano, dum dicta de Abraham, Noe, & aliis Sanctis veteris Testamenti, accommodantur ad diversos Sanctos novi Testamenti. Idem Sensus Accommodatitius a SS. Patribus frequenter adhibetur in suis Libris, ac Homiliis, idemque in Concionibus frequens est ac utilissimus, nam verba S. Scripturæ miram quandam gravitatem & energiam præseferunt, ita ut ad persuadendum sint accommodatissima. Cavendum tamen, ne quavis occasione verba S. Scripturæ accommodentur, seu applicentur ad profana, scurrilia, fabulosa, & hujusmodi: id enim nefas est, atque etiam in Concilio Trid. *sess.* 4. graviter prohibitum.

41. CONCL. II. Sacra Scriptura sæpius est obscura, neque est tam perspicua, aperta, & intellectu facilis cuivis, etiam indocto homini vel mulieribus, quin indigeat vera & genuina interpretatione. Ita omnes Catholici Doctores contra Hæreticos. Ratio est: quia S. Scriptura tractat de summis & altissimis fidei Mysteriis, rebusque supernaturalibus, nempe de SS. Trinitate, Incarnatione Filii Dei, Sacramentis, Prædestinatione, & aliis hujusmodi captum humanum, nisi Fides adjuvet, longe superantibus. Insuper sacra Scriptura continet plurimas locutiones allegoricas, & figuratas; imo non pauca, quæ prima fronte videntur contraria; verba etiam ambigua, ac phrases Hebraicas. Atqui talia non illico possunt patere hominibus idiotis & indoctis, multo minus quibusvis mulierculis: alioquin certe SS. Patres, atque Ecclesiæ Doctores, frustra tantum temporis consumpsissent in studio, & intelligentia S. Scripturæ.

42. Confirmatur. Ipsamet sacra Scriptura testatur, quædam in ea reperiri obscura, & intellectu difficilia, quæ proinde indigent vera interpretatione. Hinc quippe Christus, incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur duobus Discipulis, euntibus in Emmaus, Scripturas, quæ de ipso erant, *Luc.* 24. Similiter Christus Dominus post suam gloriosam Resurrectionem *aperuit illis* (id est, Discipulis suis) *sensum, ut intelligerent Scripturas, Luc. c.* 24. Atqui hoc non fuisset necesse, imo fruſtraneum; post tot prædicationes integro triennio ex ore Christi jam auditas, si sacra Scriptura esset ex se prorsus clara, & cuilibet aperta, ut præsumptuose jactant Hæretici. Accedit, quod ipsemet Spiritus sanctus per os D. Petri expresse testificetur, in S. Scriptura, & præsertim in Epistolis D. Pauli, esse quædam intellectu difficilia: sic enim habetur 2. *Petri. c.* 3. *In quibus* (nempe Epistolis D. Pauli) *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inhabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Hæc ibi.

43. CONCL. III. Interpretatio canonica & infallibilis S. Scripturæ, verique sensus illius, ad Ecclesiam pertinet. Ita omnes Catholici: habeturque expresse in Concilio Trid. *sess.* 4. hisce verbis: *Quem* (sensum S. Scripturæ) *tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum Sanctarum.* Unde dicitur *Matth.* 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

44. CONCL. IV. Interpretari S. Scripturam etiam doctrinaliter, non cuilibet convenit, sed Viris duntaxat doctis & idoneis, ac præsertim iis, quibus id ex officio incumbit, ut puta Ecclesiæ Doctoribus, Episcopis, & hujusmodi. Ita communis. Ratio est: quia alioquin adesset manifestum periculum errandi in interpretatione S. Scripturæ, si hanc indocti passim & præsumptuose attentarent. Accedit, quod Deus in Ecclesia sua voluerit observari hyerarchiam, & subordinationem subditorum erga Superiores, atque esse ordinem inter Doctores & discipulos, inter Pastores & oves, ut alii doceant, alii discant, alii Scripturam interpretentur, alii alia officia exerceant. Unde

Ephes. 4. dicitur: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum.* Et 1. *Corinth.* 12. *Nunquid omnes interpretantur?* Quasi diceret, *non*; sed illi solum, quibus id ex officio incumbit, quique a Deo ad hoc electi sunt.

QUÆSTIO V.

De Traditionibus.

SUMMARIUM.

45 *Traditio, quid?*
46 *Est triplex, nempe Traditio Divina, Apostolica, Et Ecclesiastica.*
47 *Traditiones Divinæ sunt admittendæ.*
48 *Ipsæ sunt ejusdem infallibilitatis ac Verbum Dei scriptum.*
49 *Regula dignoscendi Traditiones Divinas.*

45. *Traditionis* nomine intelligitur in proposito doctrina quædam ad Religionem spectans, quæ tamen expresse in sacra Scriptura non habetur, neque ex illa clare deducitur; sive dein hujusmodi doctrina in libris SS. Patrum scripta reperiatur, sive non.

46. Dividitur autem Traditio in Divinam, Apostolicam, & Ecclesiasticam. *Traditio Divina* (quæ & *Verbum Dei non scriptum* appellatur) ea est, quam Apostoli immediate a Spiritu sancto dictatam, vel ex ore Christi acceperunt, quæque ab Apostolis promulgata, & continua successione in Ecclesia Catholica conservata, & quasi de manu in manum ad nostra usque tempora tradita fuit: qualis traditio potissimum habetur circa materiam & formam Sacramentorum, & alia hujusmodi in Ecclesia Catholica perpetuo custodita, quæ tamen in S. Scriptura expressa non habentur. *Traditio Apostolica* solet nonnunquam confundi cum Divina, eo quod hæc ab Apostolis promulgata fuerit: proprie autem Traditio Apostolica vocatur ea, quæ ab Apostolis instituta est cum assistentia Spiritus sancti, nec tamen in sacra Scriptura reperitur expressa; ut est jejunium Ecclesiasticum, certis temporibus ab Apostolis institutum. *Traditio* tandem *Ecclesiastica* dicitur, consuetudo quædam antiqua ab Episcopis, vel populo fideli in Ecclesiam introducta. In præsenti sermo est præcipue de Traditionibus Divinis, seu Verbo Dei non scripto.

47. CONCL. I. Præter S. Scripturam sunt admittendæ, & observandæ quædam Traditiones, seu Verbum Dei non scriptum. Ita omnes Catholici; estque novissime definitum in Concilio Trident. *sess.* 4. *in Decreto de Canonicis Scripturis.* Idem communiter probatur ex sacra Scriptura, 2. *Thess.* 2. ubi Apostolus præcipit, dicens: *Itaque fratres state, & tenete Traditiones quas didicistis; sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* In quem locum S. Chrysostomus ita scribit: *Hinc patet, quod non omnia per epistolam tradiderit, sed multa etiam sine litteris; eadem vero fide digna sunt tam illa, quam ista.* Eodem modo passim loquuntur alii Sancti Patres.

48. CONCL. II. Traditiones Divinæ sunt ejusdem infallibilitatis & authoritatis, cujus est ipsum Verbum Dei scriptum. Ita rursum omnes Catholici. Unde Tridentinum Concilium *ibi. sess.* 4. sic ait: *Sacrosancta Synodus Traditiones tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, & veneratur.* Accedit ratio: quia Verbum Dei, sive scriptum, sive non scriptum, eandem vim atque infallibilitatem habet: cum non solum in scriptis, sed & in verbis suis, Deus semper sit infallibilis.

49. CONCL. III. Regula dignoscendi Traditiones Divinas ab Apostolicis, vel Ecclesiasticis, ex eo habetur, si Ecclesia ipsa judicet, hanc vel illam Traditionem esse Divinam: quod quidem patere potest vel ex definitione Ecclesiæ facta in Concilio Generali, aut per Summum Pontificem loquentem (ut ajunt) ex Cathedra, vel si unanimis consensus SS. Patrum, & Doctorum id testetur.

QUÆSTIO IV.

Quænam sit totius Fidei Resolutio.

SUMMARIUM.

50 *Resolvere Fidem, quid?*
51 *Resolutio Fidei a priori, fit in primam veracitatem Dei nobis revelantis.*
(b) Dist. 2. quæst. 1. n. 8.
52 *An resolvatur ultimate in Deitatem?*
53 *Instantia de circulo propinitur:*
54 *Et solvitur.*
55 *Motiva credibilitatis Fidei, quæ?*

56 Fi-

56 Fides non resolvitur in motiva humana.
57 Actus Fidei non est meritus actus intellectus;
Sed ad ipsum requiritur pia affectio voluntatis.
58 Propositio damnata refertur, ac refutatur.
59 Alia duæ propositiones damnatæ quoad propositum.

56. ADvertendum, quod *Resolvere Fidem* aliud non sit, quam ordine retrogrado ea, quibus ad actum Fidei pervenimus, relegendo investigare principium seu motivum primum, cui totius Fidei certitudo innititur. Quando enim interroganti redditur ultima ratio nos movens ad actum Fidei, & ad quem nulla alia nos movit, tunc Fides nostra ultimo resolvi dicitur; ac proinde ibidem standum est, ne detur processus in infinitum. Hoc prænotato sit

51. CONCL. I. Loquendo de Resolutione Fidei in objectum suum formale, sic Fides Divina a priori & ultimate resolvitur in primam veritatem, seu veracitatem Dei nobis revelantis. Ita Doctor noster *3. dist.* 33. cum communi Theologorum. Ratio est: quia objectum formale, & motivum Fidei supernaturalis, est prima & infallibilis veracitas Dei, seu veritas ipsius in revelando, ut dictum superius (b) & consequenter in eam Fides Divina a priori ac ultimate resolvitur. Unde si quæras, cur credam Mysterium SS. Trinitatis? Resp. Quia Deus hoc revelavit. Si rursus quæras, cur credam Deo revelanti? Resp. Quia Deus est prima Veritas, quæ nec fallere potest, nec falli. Et hic datur status in assignanda ratione Fidei supernaturalis, & a priori.

52. Si dicas: Deus est prima veritas in revelando ratione Deitatis; ergo Fides ultimate resolvitur in Deitatem, utpote ratione cujus competit Deo infallibilis veracitas. Resp. negando consequentiam: etsi enim veracitas resolvatur in Deitatem tanquam in rationem essendi, non tamen resolvitur in eam tanquam in rationem formalem credendi: hæc enim potius sistit in ipsa veracitate, quia Fides non attendit, unde ista veracitas Deo competat. Hernicz *disp. 2. de Fide, q. 3. n.* 11. Vel dic cum aliis, distinguendo consequens: ergo Fides ultimate resolvitur in Deitatem materialiter, sive in sensu reali, conceditur; formaliter, seu tanquam in rationem formalem credendi, negatur consequentia.

52. Neque dicas, prius datam responsionem non sufficere, cum ulterius quæri possit, cur credam, hoc Mysterium SS. Trinitatis Deum revelasse? Neque respondere juvat (inquies) quia in sancto Evangelio sic scriptum habetur: nam urgetur quærendo, cur potius credam Evangelio S. Matthæi &c. quam Evangelio Nicodemi, vel Nazarenorum, vel hujusmodi? Quod si cum S. Augustino *L. contra Epistolam Manichei, c. 5.* dicam, Evangelio S. Matthæi credo; quia me Catholicæ Ecclesiæ illud amplectentis, atque a Deo revelatum esse attestantis, & veluti Fide Divina credendum proponentis, commovet authoritas, non sic Evangelio Nicodemi, vel Nazarenorum, aut aliis ejusmodi scripturis, cum non sic ab Ecclesia admittantur; Rursum urgebis, quærendo, cur credam Ecclesiæ? Et si hujus infallibilem authoritatem ex S. Evangelio probare quis conetur, replicabis, hic committi circulum vitiosum, probando S. Scripturam per authoritatem Ecclesiæ, & hujus authoritatem vicissim probando per S. Scripturam.

54. Ad hanc instantiam, quæ in quacunque sententia urget, Respondetur negando assumptum, vel potius supposito totius discursus: nam dum quæritur, cur credam, Deum hoc revelasse, non amplius petitur ratio a priori, seu causa formalis & motiva credendi Mysterium a Deo revelatum: sed petitur ratio a posteriori, seu quoad nos, ipsius revelationis factæ. Porro hæc duo, ut patet ex terminis, sunt valde diversa; & primum quidem spectat ad Motivum formale Fidei, posterius vero ad Motiva credibilitatis Fidei. Quod ut melius intelligatur, sit

55. CONCL. II. *Motiva credibilitatis Fidei* dicuntur ea, propter quæ moraliter fit evidens, quod Mysteria nostræ Fidei sint a Deo revelata, & consequenter propter infallibilem ejus veracitatem credibilia; juxta quod *Psalm.* 92. dicitur: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. Porro hujusmodi Motiva Doctor noster Subtilis *q. 2. Prolegi, §. Contra omnes istos, & seq.* ad octo capita apte reducit, quæ sunt: Prænunciatio Prophetica, Scripturarum concordia, Authoritas scribentium, Diligentia recipientium, Rationabilitas contentorum, Irrationabilitas singulorum errorum, Ecclesiæ stabilitas, & Miraculorum claritas. Et propter hujusmodi Motiva credibilitatis, Mysteria Fidei fiunt evidenter credibilia, hoc est, evidenter digna, quod credantur esse a Deo

a Deo revelata, prout tradit Ecclesia Catholica.

56. Nec dicas: Omnia ista Motiva sunt humana, nobisque innotescunt mera fide humana, ut puta per libros, narrationem Seniorum, prædicationem Parochorum, vel dictamen rationis naturalis: atqui Fides Divina resolvitur in talia motiva; ergo sequitur, eam resolvi in mera motiva humana, quod est absurdum. Resp. enim, quidquid sit de majori, negando minorem: quia ipsa Fides Divina non resolvitur in talia Motiva, tanquam rationem formalem & ultimatam credendi, sed judicium duntaxat credibilitatis objecti Fidei. Nam quia Deus regulariter non loquitur immediate nobis singulis; hinc assensus Fidei supernaturalis ordinarie non fit, nisi prævia fide humana, qua quis prius credit suo Prædicatori, vel Ecclesiæ (quam per supra dictas Notas, veram esse Ecclesiam Christi agnovit) proponenti Mysteria Fidei, atque testificanti, ea esse a Deo revelata, juxta illud *Rom.* 10. *Fides ex auditu*. Hoc autem semel supposito, intellectus fidelis ac persuasus, talia esse a Deo revelata, totum se convertit in ipsius Dei veracitatem, ac propter istum unice per actum Fidei supernaturalis assentitur Mysteriis veræ Fidei.

57. Hoc ipsum amplius declaratur ex eo: quia actus Fidei supernaturalis non est meritus actus intellectus, sed ad eum etiam prærequiritur actus voluntatis, imperantis assensum Fidei propter infallibilem veracitatem Dei revelantis. Siquidem actus Fidei Theologicæ sunt liberi (alioquin enim meritorii non essent) ac proinde non præcise consistunt in actibus intellectus, quæ est potentia naturalis: sed insuper ad eos requiritur pia affectio supernaturalis voluntatis, qua istiusmodi propositis sibi Mysteriis divinitus revelatis, ipsisque Motivis credibilitatis Fidei, libere cooperando Divinæ gratiæ excitanti, & adjuvanti, propter infallibilem veracitatem Dei revelantis firmissime assentitur ejusmodi Mysteriis, credendo vera esse, quæ Deus nobis revelare dignatus est. Quod ipsum apertius docet Concilium Tridentinum *Sess. 6. c. 6.* ibi: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati gratia Divina & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes, vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt*. Et hinc fit, quod audita eadem veræ Fidei prædicatione quidam credant, alii non: quia nimirum illi gratiæ Divinæ excitanti, & adjuvanti libere cooperantes, suo intellectui imperant, simulque eliciunt actum Fidei supernaturalis, non vero cæteri.

58. Huc facit novissimum Decretum Innocentii XI. inter alias Propositiones sequentem, ordine 19. damnantis: *Voluntas non potest efficere, ut assensus Fidei in seipso sit magis firmus, quam merentur pondera rationum ad assensum impellentium*. Et merito hæc Propositio damnatur: siquidem intellectus ex vi objecti propositi non necessitatur ad assensum, nisi ubi adest evidentia veri; atqui in objectis Fidei non adest evidentia veri (nam *Fides, est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, Heb.* 11.) ergo ex vi solius objecti, intellectus nunquam necessitatur ad assensum Fidei, & consequenter ad hunc determinari debet per imperium voluntatis: quale imperium potest esse firmius, quam sint pondera rationum, propter infallibilem Dei revelantis veracitatem.

59. Quantum ad prælectam de Fide materiam, sunt insuper cavendæ aliæ duæ Propositiones, itidem ab Innocentio XI. damnatæ. Earum prior, ordine 20. sic sonat: *Hoc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem*. Altera vero, ordine 21. ita docuit: *Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum mixtione solius probabilis revelationis; imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus*. Ambæ Propositiones, *sicut jacent*, damnatæ sunt, ac proinde vitandæ.

DI-

DISTINCTIO IV.

De Vitiis Fidei oppoſitis.

QUÆSTIO I.

Quotuplex, & quam grave peccatum ſit Infidelitas?

SUMMARIUM.

1 *Infidelitas alia poſitiva, alia negativa.*
2 *Culpabilis, & inculpabilis.*
3 *Infidelitas pure negativa, & privativa, quid?*
4 *Species infidelitatis generatim ſunt tres, nempe Paganiſmus, Judaiſmus, & Hæreſis.*
5 *Pagani, qui? Judæi, & Hæretici, qui?*
6 *Quæ Infidelitas ſit ceteris gravior?*
7 *Infidelitas, an ſit peccatum?*
8 *Et quale?*

1. INfidelitas hic ſumitur, prout eſt oppoſita Fidei Theologicæ. Et hæc generatim eſt duplex: una poſitiva, qui aliquid creditur contrarium Fidei; qualis eſt in Hæreticis, Judæis, ac Ethnicis adultis. Altera negativa, quæ eſt abſentia, vel carentia Fidei; qualis habetur ab ignorantibus Myſteria veræ Fidei.

2. Utraque Infidelitas ſubdividitur in culpabilem & inculpabilem: nam poteſt quis non tantum vincibiliter & culpabiliter ignorare Myſteria Fidei, aut credere erronea in Fide; ſed quandoque etiam invincibiliter, credendo erronee aliquid a Deo ſibi revelatum, quod tamen tale non eſt, imo a parte rei exiſtit falſum atque erroneum.

3. Porro ignorantia invincibilis Myſteriorum Fidei, ſeu carentia involuntaria Fidei, vocatur a Theologis *Infidelitas pure negativa*, qualis datur in iis, qui nihil unquam de Fide audierunt, ſive ſint parvuli, ſive adulti. Ignorantia autem vincibilis, & voluntaria Myſteriorum Fidei, appellatur *privativa*; nec aliud eſt, quam carentia Fidei in eo, qui cum poſſet, & deberet Fidem habere audiendo prædicationem Evangelii, id negligit: quo modo ſolum in adultis reperiri poteſt, eſtque ex genere ſuo peccatum mortale. His prænotatis ſit

4. CONCL. I. Species Infidelitatis generatim ſunt tres, videlicet Paganiſmus, Judaiſmus, & Hæreſis. Ita Theologi communiter, cum D. Thoma 2, 2. q. 10. 4. 5. Unde & Eccleſia Catholica in die Paraſceves pro iſtis tribus tantum generibus Infidelium, nempe pro Hæreticis, Judæis, & Paganis, ſingillatim orare conſuevit. Accedit ratio: quia aut Infidelitas adverſatur veræ Fidei nullo modo ſuſceptæ, & eſt *Paganiſmus*: aut adverſatur Fidei, ſuſceptæ ſolum in figuris, & umbra veteris Legis, nempe in Circumciſione, aliiſque cæremoniis Legis Moſaicæ, & eſt *Judaiſmus*: aut adverſatur Fidei in ſe formaliter ſuſceptæ, & eſt *Hæreſis*; vel ſi quis ad Paganiſmum, ſive Judaiſmum deficiat, appellatur proprio nomine *Apoſtaſia a fide*: quo modo Julianus Imperator, a Chriſtianis ad Ethnicos deficiens, dicitur *Julianus Apoſtata*.

5. Igitur *Pagani* ſunt, qui ſentiunt contraria Fidei Chriſtianæ, quam nullo modo profitentur: ut ſunt Idolatræ colentes plures deos, aut idola ſua: item Turcæ, qui licet unum Deum profiteantur, cœli terræque Conditorem, negant tamen & SS. Trinitatem & Chriſtum, neque alias veritates fidei admittunt, ut a Chriſto revelatas, vel quatenus ad Fidem Chriſtianam pertinent; ſed quatenus a Mahometh Pſeudoprophera eas acceperunt. *Judæi* dicuntur, qui etiamnum legem Moſaicam ad literam obſervant, circumcidendo ſe, ac alia Legalia (quæ fuerunt umbra futurorum, per Chriſtum jam completorum) ſuperſtitioſe cuſtodiendo, totumque novum Teſtamentum negando, ſperantes Chriſtum quam primum venturum, utpote quem necdum veniſſe pertinaciter credunt. *Hæretici* tandem vocantur, qui poſt receptum Sacramentum Baptiſmi pertinaciter ſentiunt, ſeu errant contra aliquam veritatem Fidei Catholicæ: duo ſiquidem ad hæreſin formaliter ſumptam requiruntur, videlicet & error in intellectu contra aliquam veritatem Fidei, & pertinacia in voluntate, ut magis dicetur *Quæſt. ſeq.*

6. CONCL. II. Quamquam extenſive, ſeu ratione errorum materialium cum Fide pugnantium, gravior ſit Infidelitas Pagano-

norum, quod Judæorum; & dein gravior Judæorum, quam Hæreticorum: nihilominus intenſive, ſeu loquendo quantum ad rationem culpæ, gravior eſt Infidelitas Hæreticorum quam Judæorum, & horum quam Paganorum. Ita Doctor Angelicus 2, 2. q. 10. *art.* 6. & Theologi communiter. Ratio primæ partis eſt: quia Gentiles, ſeu Pagani, in pluribus articulis errant contra Fidem, quam Judæi: & hi in pluribus, quam Hæretici, ut patet: quia Paganiſmus negat omnia divinitus revelata: Judaiſmus ea ſolum, quæ ſunt novi Teſtamenti: Hæreſis autem aliqua horum. Atqui per Infidelitatem extenſive graviorem intelligitur ea, quæ pluribus Fidei articulis opponitur ſeu quæ in pluribus errat contra veram Fidem; ergo. Altera pars deſumitur ex *Epiſt.* 2. S. *Petri*, c. 2. ubi de Hæreticis, ſeu relapſis a Fide, dicitur: *Facta ſunt eis poſteriora peiora prioribus: melius enim erat illis, non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti.*

7. CONCL. III. Etſi Infidelitas mere negativa, qualis reperitur in iis, quibus vera Fides nunquam fuit annuntiata, ſicque hanc inculpabiliter ignorant, proprie non ſit peccatum, ſed potius pœna peccati originalis: Infidelitas tamen poſitiva voluntaria eſt graviſſimum peccatum. Ratio primæ partis deſumitur ex defectu voluntarii ad peccatum requiſiti; unde Chriſtus *Joan.* 15. ait: *Si non venſſem, & locutus ſuiſſem eis, peccatum non haberent*, videlicet Infidelitatis. Altera vero pars Concluſionis, nempe Infidelitatem poſitivam eſſe graviſſimum peccatum, habetur ex S. Scriptura paſſim, ut Marci ult. *Qui vero non crediderit, condemnabitur*. Item *Joan.* 3. *Qui non credit, jam judicatus eſt*; & alibi.

8. Cæterum hoc peccatum incredulitatis, ſeu Infidelitatis poſitivæ gravius eſt, quando eſt directe volitum per voluntatem repugnantem auditui Fidei, vel etiam audita, Fidemque contemnendo. Unde ex genere ſuo, ac per ſe loquendo, Infidelitas eſt gravius peccatum omnibus illis, quæ contrariantur Virtutibus moralibus, puta furto, adulterio, homicidio, & hujuſmodi: quamvis per accidens, nempe propter imperfectionem actus, poſſit interdum Infidelitas eſſe minus grave peccatum.

QUÆSTIO II.

Quid requiratur ad formalem & perfectam Hæreſin?

SUMMARIUM.

9 *Hæreſis unde ſic dicatur?*
10 *Et quid ſit?*
11 *Ad hæreſim formaliter ſumptam requiritur & error in intellectu.*
12 *Corollarium.*
13 *Et pertinacia in voluntate.*
14 *Hinc errans contra Fidem, ſed paratus credere, quod credit Eccleſia, non eſt hæreticus.*
Cautela Scriptorum Catholicorum.
15 *Quid, ſi aliquis ignoret, opinionem ſuam adverſari ſenſui Eccleſiæ?*
(a) Juxta dicta Diſt. 2. n. 30.
16 *Pertinacia ad hæreſim requiſita, in quo conſiſtat?*
17 *Corollarium.*
18 *Hæretici formales, &*
19 *Hæretici materiales, qui?*
20 *Dubitans de Fide peccat peccato hæreſis.*
21 *Dummodo excipiatur natus inter hæreticos, donec ſufficienter inſtruatur.*
22 *Quid dicendum de involuntariis cogitationibus hæreticis.*
23 *Dubitans in Fide, an incurrat excommunicationem?*

9. ETſi præſens Queſtio procedat de omnibus tribus Infidelitatis ſpeciebus, ſpecialiter tamen moveri ſolet de Hæreſi, utpote magis obvie: quamvis quæ de hac dicuntur, ſuo modo locum habeant in aliis Infidelitatibus. Porro Hæreſis eſt nomen græcum, & dicitur ſic ab electione, atque ex uſu Scriptorum Eccleſiaſticorum plerumque accipitur in malam partem, nempe pro ea electione, qua ex arbitrio noſtro contra doctrinam Chriſti, & ſenſum S. Matris Eccleſiæ eligimus nobis, quid credere velimus.

10. CONCL. I. *Hæreſis* eſt error voluntarius, quem quis pertinaciter tenet contra aliquam veritatem Fidei Chriſtianæ, quam ſuſcepit ſeu profeſſus eſt. Ita in re communis Doctorum, & magis patebit ex dicendis. Solum nota, ad Hæreſin requiri, ut quis Fidem Chriſti aliquando ſuſceperit per Sacramentum Baptiſmi, vel alias eandem publice profeſſus ſit; alioquin enim error contra Fidem eſſet Paganiſmus, vel Judaiſmus.

Cate-

Catechumeni tamen, id est, in Christum credentes, sed nondum baptizati, si post susceptam Christi Fidem ad hæreticos deficiant, coram Deo vere sunt Hæretici, licet non subjaceant pœnis ab Ecclesia contra Hæreticos latis, eo quod per Baptismum necdum sint ingressi in Ecclesiam. Pirhing *tit. de Hæretic. n.* 3. & alii.

11. CONCL. II. Ad Hæresin formaliter sumptam duo in simul requiruntur, nimirum & error in intellectu, & pertinacia in voluntate. Ita communis. Et quidem requiri errorem in intellectu, patet: quia Hæresis est species Infidelitatis: hæc autem importat errorem in intellectu contra veram Fidem.

12. Inferunt proinde Doctores, quod si quis metu mortis, seu pœnarum neget exterius Fidem, aut aliquid Fidei contrarium affirmet, absque tamen interiori mentis assensu (id est, non credendo id, quod ore profert) quamvis graviter peccet contra præceptum profitendi exterius Fidem, vere tamen & propriè coram Deo, & in Foro conscientiæ non sit hæreticus: quia Hæresis essentialiter consistit in interno judicio erroneo intellectus contra veram Fidem, quale hic non adesse supponitur. Additur notanter, *coram Deo, & in Foro conscientiæ*. Siquidem in Foro externo Ecclesiæ talis censetur hæreticus, atque ut hæreticus per Inquisitores hæreticæ prävitatis merito punitur: nam *Ecclesia non judicat de occultis, t. Extirpetanus. dist.* 32. & *c. Sicut tuis de Simonia*.

13. Quod autem simul ad formalem & perfectam Hæresin requiratur pertinacia in voluntate, fatentur passim Doctores. Unde D. Augustinus *Epist.* 162. ac refertur *can. Dixit Apostolus.* 24. *q.* 3. sic ait: *Qui sententiam suam quamvis falsam, atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis peperverunt, sed a fallaciis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum convenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Hæc ibi.

14. Inferunt rursum Doctores, quod errans contra Fidem, simul tamen judicio Ecclesiæ sese submittens, paratus credere, quod ipsam credere intellexerit, non sit hæreticus, quia in suo errore non est pertinax. Idque desumitur ex Jure Canonico, *c. Damnamus, de Summa Trinitate*: ubi hac de causa Joachim Abbas non censetur hæreticus, non obstantes, quod docuerit sententiam hæreticam ibidem damnatam: quia videlicet scripta sua submisit judicio Sedis Apostolicæ, sicque non fuit pertinax, ac proinde neque hæreticus, sed erraticus, ut loquitur Fagnanus *ad cit. c. Damnamus, n.* 26. Et hac de causa Scriptores Catholici cauté in principio, vel fine librorum suorum, solent apponere protestationem, qua omnia sua dicta & scripta judicio & correctioni Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ subjiciunt: per hoc siquidem evitant periculum hæreticæ prävitatis, etsi forsan in eorum scriptis, per inadvertentiam irrepens doctrina ab Ecclesia damnata reperiretur. Fagnanus *loc. cit. n.* 23.

15. Quinimo addunt Doctores, quos citat, & sequitur Pirhing *tit. de Hæreticis, num.* 2. quod si quis ignoret, etiam ex ignorantia mortaliter culpabili & crassa opinionem suam adversari doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, jam non sit propriè hæreticus, neque Ecclesiasticis Hæreticorum pœnis obnoxius. Rationem dant: quia deest pertinacia, quæ requirit scientiam, quod contrarium teneatur ab universali Ecclesia Christi. Accedit, quod peccatum hæresis non sit peccatum ignorantiæ, sed peccatum infidelitatis positivæ: ad hanc autem requiritur, ut mysteria Fidei cuipiam sufficienter proponantur (a).

16. CONCL. III. Pertinacia ad Hæresin formalem requisita non consistit in hoc, quod quis errorem suum acriter & mordicus diu retineat, & pertinaciter tueatur: sed in eo consistit dicta pertinacia, quod quis suum contra Fidem errorem retineat, postquam contrarium est ipsi sufficienter propositum, sive quando scit contrarium teneri a reliqua universali Christi Ecclesia, cui judicium suum vult præferre. Ita Mastrius *disp.* 10. *Theolog. Moral. num.* 24. cstque in re communis. Ratio est: quia quilibet in rebus credendis tenetur se subjicere regulis ab Ecclesia præfixis, utpote quæ est *columna & firmamentum veritatis. 1. Timoth.* 3. Igitur, si quis hoc non fecerit, jam plus nimio & inordinate adhæret errori suo, atque ideo pertinax in eo censeri debet.

17. Infertur proinde, quod ad hanc pertinaciam non requiratur major mora temporis, quam quæ requiritur ad hoc, ut cum plena advertentia possit quis judicare de veritate Fidei sufficienter sibi proposita, & nihilominus suo velit judicio adhærere. Multo

Multo minus requiritur prima, vel secunda correctio; quamvis hæc possit conducere ad plenæ cognoscendam lateatem pertinaciam contra veritatem Fidei.

18. CONCL. IV. Recte proinde Hæretici dividuntur in formales, & in materiales tantum. *Formales Hæretici* dicuntur illi, qui cum pertinacia eligunt, vel sequuntur sententiam hæreticam contra definitionem Ecclesiæ; sive id fiat lucri temporalis gratia, sive intuitu vanæ gloriæ, vel odii, aut vindictæ. Et de his loquitur S. Augustinus *lib. de Fide Catholica*, atque refertur *c. Firmissime, de Hæretic. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hæreticum, vel schismaticum, cum diabolo & angelis ejus, æterni ignis incendio participandum, nisi ante finem vitæ, Catholicæ fuerit incorporatus, & redintegratus Ecclesiæ.* Hæc ille.

19. *Hæretici materiales* (qui tamen juxta S. Augustinum *n.* 13. relatum, *nequaquam sunt inter hæreticos deputandi*) dicuntur illi, qui non ex malo animo aut pertinacia, sed ex simplicitate, aut defectu debitæ informationis errant circa Fidem. Et horum multi sunt in vulgo Hæreticorum: nam defectu pertinaciæ nemo est hæreticus formaliter, qui paratus est judicium suum Ecclesiæ submittere, aut nescit veram Christi Ecclesiam contrarium tenere, vel ita dispositus est saltem habitualiter, ut a sito errore discederet, si sciret eum esse veræ Fidei contrarium. Mastrius *loc. cit.* & alii.

20. Quæres, an dubitans de Fide sufficienter sibi proposita committat Hæresin? Resp. I. Qui circa Fidei articulum, seu propositionem aliquam sufficienter sibi propositam deliberate dubitat, peccat peccato hæresis; cum virtualiter judicet, ejusmodi articulum Fidei habere incertam veritatem. Hinc Stephanus Papa, relatus *n.* 1. *de Hæreticis*, ait: *Dubius in fide, infidelis est*, sive hæreticus.

21. Dicitur notanter, *circa articulum Fidei sufficienter sibi propositum*. Nam, ut cum aliis notat Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *c.* 13. *n.* 5. hinc excipiendi sunt illi, qui inter hæreticos nati & educati, Catholicam Religionem ignorant: his enim dubitare interim licet, donec instruantur, & argumenta seu motiva credibilitatis Fidei nostræ sufficienter & rectè apprehendant. Ratio est: Quia talis dubitatio in istis non est conjuncta cum pertinacia, imo eam ordinant ad penetranda melius fundamenta Fidei Catholicæ: exemplo Beroensium, qui audita prædicatione S. Pauli *susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent*, ut legitur in Actibus Apostolorum *c.* 17.

22. Additur etiam, *deliberate dubitas*: alioquin enim ob defectum voluntarie peccatum non incurritur. Et hinc annotandum est, eximendum fore scrupulum iis, qui de Fide Catholica dubitare se putant, eo quod hæreticæ, aut blasphemæ cogitationes ipsis occurrere soleant: cum enim has serio detestentur, & nunquam (uti supponitur) in animum venire exoptent, imuper protestationem faciant eis nunquam consentiendi, non possunt culpæ imputari; sed magis merendi apud DEUM occasionem præbent.

23. Resp. II. An dubitans de Fide, suamque dubitationem signo exteriori sufficienter manifestans præter peccatum mortale insuper incurrat excommunicationem ipso jure latam in Hæreticos, major est difficultas. Affirmant plerique in casu, quando quis deliberate dubitat, suam que dubitationem signo externo sufficienter prodit: idque affirmant propter rationes *n.* 20. allatas. Negat Tannerus *tom.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 8. *num.* 109. post Si, eo quod talis hæresis plane consummatam & perfectam non habeat. Idem probabile censet Lud. Engel *in Collegio Juris Canonic, tit. de Hæreticis num.* 2. cum aliis.

QUÆSTIO III.

De conditionibus ad incurrendam excommunicationem ob Hæresin latam requisitis, ejusque absolutione.

SUMMARIUM.

24 *Inter alias hæreticorum pœnas prima est excommunicatio.*

25 *Ad excommunicationem ob hæresin incurrendam quatuor conditiones requiruntur.*

I. 26. II. 27. III. 28. Et IV. Conditio.

29 *De Jure communi nequeunt Episcopi absolvere ab hæresi.*

30 *Solvitur instantia.*

31 *Tamen in Germania solent habere specialem licentiam absolvendi ab ea.*

32 *In mortis articulo potest quilibet Sacerdos absolvere ab hæresi, & aliis casibus &c.*

33 *An*

33 *An tunc simplex Sacerdos possit absolvere præsente proprio Confessario?*

34 *Quis sit modus recipiendi hæreticos resipiscentes?*

35 *In praxi quid dicendum de absolutione eorum, qui sunt hæretici materialiter,*
(b) Ut dictum n. 25.
Aut etiam formaliter?
(c) Ut dictum n. 31.

24. INter varias Hæreticorum pœnas, jure tum Canonico tum Civili contra eosdem latas, de quibus fusius agunt Juris consulti, maxima, & prima est excommunicatio major: quam non quidem ipso Jure Divino, sed antiquissimo Jure Ecclesiastico incurrunt. Et licet olim hæc excommunicatio non fuerit latæ sententiæ, postmodum tamen & ipso jure incurrebatur tanquam censura latæ sententiæ, & defacto est reservata Summo Pontifici per Bullam Cœnæ Domini, sic dictam, quia quotannis a Summo Pontifice promulgari solet in die Cœnæ Domini. His præmonitis sit

25. CONCL. I. Ad excommunicationem ob Hæresin incurrendam requentes quatuor conditiones requiruntur. Prima est, ut quis sit hæreticus formalis: nam hæretici materiales duntaxat, sicuti juxta S. Augustinum superius relatum inter hæreticos deputandi non sunt, ita neque excommunicationem in hæreticos formales latam incurrunt. Hinc tales a proprio Parocho possunt Sacramentaliter absolvi, quamvis aliquarum Ecclesiarum consuetudo exigat, ut tales etiam materiales hæretici mittantur ad eos, qui ab hæresi potestatem absolvendi habent. Layman ibidem *c. 13. n. 4.* Pirhing. *tit. de Hæreticis, n. 16.* & alii.

26. Secunda conditio ad incurrendam dictam excommunicationem requisita est, ut quis hæresim internam signis externis manifestet; siquidem ob solam hæresim mente conceptam non incurri excommunicationem, eo quod Ecclesia non punit actum mere internum, passim fatentur Theologi; ac proinde ab eadem possunt absolvere quivis expositi Confessarii. Sufficit autem ad incurrendam excommunicationem propter hæresin, quod hæc sufficienter exprimatur signo exteriori quamvis occultissimo, ac nullo prorsus alio teste præsente. Dicitur tamen, *sufficienter exprimatur*, propter sequentes conditiones.

27. Tertia itaque conditio est, ut actio externa, per quam hæresis interna manifestatur, sit mortaliter peccaminosa. Unde excommunicatus non est, qui hæresim animo conceptam alteri manifestat consilii petendi causa, vel ut ab eo melius instruatur: nam hujusmodi manifestatio non est mala seu peccaminosa, quinimo actus bonus, qui ab Ecclesia puniri non potest.

28. Quarta tandem conditio est, ut aliquis hæresim suam exterius manifestet animo eam asserendi, seu profitendi. Ratio est: quia excommunicatio lata est propter externum peccatum hæresis, quale non est nisi illud, quod ab interna hæresi informatur, dum quis eam exterius asserere, vel aftruere intendit. Hinc si quis lapsus interne in hæresin Lutheri, carnes comedat die ab Ecclesia interdicto ex mera voracitate seu gula, excommunicationem non incurrit, quia comedere carnes, ex se est res indifferens; ipsas vero manducare die jejunii, est peccatum gulæ, ob violatam legem Ecclesiasticam, ex motivo Temperantiæ latam. Quod si vero per talem carnium comestionem velit suam hæresin internam exterius manifestare (quod ipsum ex aliis circumstantiis, puta loci, temporis &c. determinandum erit) tunc excommunicationem in Hæreticos latam incurrit: quia hæresim interiorem sufficienter opere externo manifestat.

29. CONCL. II. Quamvis de Jure communi non possint Episcopi, multo minus alii inferiores, absolvere ab excommunicatione propter hæresin contracta extra mortis articulum, seu periculum, ac seclusio privilegio speciali; nihilominus tale privilegium in partibus Germaniæ habent plerique Episcopi, possuntque talem potestatem quibusdam aliis viris idoneis communicare. Prima pars, licet ob textum Concilii Trid. *Sess. 24. c. 6. de Reformat.* a nonnullis Doctoribus fuerit olim in dubium revocata, desinitur ex terminis Bullæ Cœnæ Domini, in qua inter alia sic dicitur: *Cæterum a præditis sententiis nullus per aliam, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolvi possit.*

30. Nec obstat, quod hæc verba per quosdam Authores explicare fuerint de absolutione ab hæresi duntaxat publica. Responsio eorum sententiam amplius sustineri non posse, ob decretum Alexandri VII. inter alias Propositiones etiam sequentem, ordine 3. damnatis: *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis,*

hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentinæ, in qua de occultis criminibus sermo est, Anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Em. Cardinalium visa & tolerata est. Hæc tenus Propositio damnata.

31. Altera vero pars patet ex praxi: siquidem, ut testatur Gobat *tract. 7 Theol. Exper. nu. 371.* plerique Episcopi Germaniæ inter alias complures facultates Spirituales, ad reiteratam supplicationem, a Sede Apostolica de quinquennio in quinquennium obtinere solent specialem licentiam absolvendi ab hæresi, quam & quibusdam aliis viris idoneis valeant communicare. Unde in casu emergente talis licentia (si aliunde a Sede Apostolica specialiter non habeatur) erit petenda a Reverendissimo Domino Ordinario loci, vel ejus in Spiritualibus Vicario Generali.

32. CONCL. III. In mortis articulo, vel etiam probabili periculo, possunt quilibet Confessarii (imo & Sacerdotes quicunque) absolvere ab hæresi, atque annexa excommunicatione, omnibusque aliis casibus Papæ reservatis quoslibet pœnitentes, dummodo de stando Ecclesiæ mandatis & satisfaciendo cautionem, si opus fuerit, idoneam præstiterint. Ita communis Doctorum; idque patet tum ex relatis verbis Bullæ Cœnæ Domini, ubi articulus mortis expresse excipitur: tum ex Concilio Trid. *Sess. 14. cap. 7.* ubi sic habetur: *Verumtamen sic admodum in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quolibet pœnitentes, a quibuscumque peccatis & censuris absolvere possunt.* Ita Concilium Tridentinum, admodum provide pro salute animarum sic disponens. Ex quibus verbis S. Concilii tam amplis docet unanimis Doctorum, quod quilibet etiam simplex Sacerdos, imo & Sacerdos degradatus, excommunicatus, irregularis, apostata, possit in mortis articulo absolvere, si non adsit proprius Confessarius, Parochus, vel Episcopus.

33. Num autem præsente proprio Confessario, puta Episcopo, vel Parocho, possit simplex Sacerdos absolvere in mortis articulo, variant Doctores. Negant multi, eo quod præfecta facultas absolvendi solum videatur tunc concessa simplici Sacerdoti ob extremam moribundi necessitatem: quæ jam cessat, si adsit proprius Episcopus, vel Confessarius, aut Parochus. Et hæc sententia in praxi merito est observanda, ne

ob defectum praxis, atque uberioris scientiæ contingat error per simplicem Sacerdotem cum periculo salutis æternæ morituri. Nihilominus seculo tali periculo posse tunc simplicem Sacerdotem absolvere, non obstante præsentia proprii Parochi vel Confessarii, probabile censent multi alii Doctores, eo quod Concilium Tridentinum *loc. cit.* loquatur indistincte, quod nulla sit reservatio in mortis articulo: atqui *ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, l. de pretio. ff. de Publicana in rem actio.*

34. Quæres, quis sit modus recipiendi Hæreticos resipiscentes? Resp. I. Eos, qui a secta Lutheri, Calvini, vel alia recedere volunt, antequam ad professionem Fidei, atque ad Sacram Confessionem admittantur, in primis sufficienter esse instruendos in necessariis Fidei Catholicæ. Alioquin enim multi ficte accedent ob timorem Magistratus secularis, aliamve causam, nec diu in Fide Catholica permanebunt, sed facile in suos errores hæreticos relabentur; unde multa incommoda oriri poterunt. II. Hæreticus resipiscens debet abjurare hæresin suam, prout ordinatur in Jure Canonico, *c. si qui voluerint, 6c. Salubrrimum 1. q. 7.* Et hæc abjuratio communiter fit coram Sacerdote & testibus, faciendo publicam Professionem Fidei, prout præscribitur in Ritualibus Diœcesanis, aliisque Libris de hac materia tractantibus. Tandem III. peracta ista Professione Fidei, post præviam sufficientem institutionem perficienda, resipiscens ab hæresi admittitur ad Sacramentum Pœnitentiæ, & Communionis.

35. Porro si talis reperiatur solum fuisse materialiter hæreticus, aut ex quacunque causa non incurrisse sententiam excommunicationis latam in hæreticos, poterit is absolvi a quolibet Confessario approbato. Siquidem Summus Pontifex ordinarie nullum peccatum sibi reservat, nisi propter annexam excommunicationem sibi reservatam: unde sublata ista excommunicatione, vel ob ignorantiam, aut aliam causam non contracta, potest quilibet Confessarius ab hæresi quoad culpam absolvere. In praxi tamen attendere oportet consuetudinem locorum, juxta quam tales etiam materiales hæretici mittuntur ad eos, qui potestatem absolvendi ab hæresi habent. (b) Quod si vero quis fuerit hæreticus formaliter, neque Confessarius potestatem absolvendi ab excommunicatione propter hære-

sin contracta habeat, tunc vel mittat pœnitentem ad eum, qui simili potestate pollet, vel ipsemet hanc licentiam per speciales supplices litteras ab Episcopo loci, seu ipsius Vicario Generali obtinere satagat: nam in hisce paribus fere omnes Episcopi specialem habent facultatem absolvendi ab hæresi, quam etiam aliis Viris qualificatis delegare possunt. (c)

QUÆSTIO IV.

De Apostasia, Lectione Librorum prohibitorum, & Disputatione cum Hæreticis.

SUMMARIUM.

36 *Apostasia a Fide, quid?*
37 *Apostasia a Religione, Vel Conventu,*
38 *Apostasia ab Ordine, quid?*
39 *Lectio Librorum perversorum, præsertim hæreticorum, nisi prohibita.*
40 *Duplex circa eam prohibitio Ecclesiæ, una contenta in Bulla Cœnæ;*
41 *Sed excusat parvitas materiæ, & quatenus sit?*
42 *Altera in Indice Librorum prohibitorum.*
43 *Disputare de rebus Fidei, quando licitum?*
44 *Laicis prohibitum est sic disputare.*
45 *Tertium Requisitum &c.*
46 *Catholicis an liceat comitari funera hæreticorum?*

36. CONCL. I. *Apostasia a Fide*, est totalis discessio a Fide Christiana, Ita communis. Unde tunc proprie committitur Apostasia a Fide, cum quis non tantum in parte susceptam Fidem Christianam deserit, sed in totum: puta deficiendo ad Paganismum, prout fecit Julianus Apostata, vel ad Judaismum. Fatendum tamen, quod communiter etiam a Fide Catholica transiens ad Hæreticos, dicatur apostatare; sed hæc locutio non est tam propria.

37. Dicitur, *Apostasia a Fide*. Nam præter hanc est adhuc duplex Apostasia, videlicet a Religione, & ab Ordine. *Apostasia a Religione*, est criminosa & mortifera recessio ab Instituto Ordinis Religiosi sine animo revertendi. Et recte apponitur, *criminosa recessio*; nam qui cum licentia Prælati egreditur, v. g. transiens ad arctiorem Religionem, vel ejectus a Religione, aut secundum Canones ad Episcopalem Dignitatem promotus, Apostata non est. Additur etiam, *sine animo revertendi*: nam si quis ad tempus vagaretur sine licentia Prælati, fugitivus potius censeretur spectato Jure Communi, quam Apostata; licet juxta particulares quarumdam Religionum Constitutiones etiam hi nomine Apostatarum quandoque comprehendantur, eorumque pœnis subjaceant; ut de Ordine FF. Minorum observat Sanctorus de Melfi *in Statuta Generalia, cap. 2. Statuto 62.* Huc reducitur *Apostasia a Conventu, vel habitu*; & fit, quando aliquis Religiosus sine licentia Prælati recedit a Conventu, vel omnino habitum Regularem dimittit.

38. *Apostasia ab Ordine* dicitur, cum quis in sacris Ordinibus constitutus, puta Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos, ad statum conjugii, vel laicalis conversationis, dimisso habitu Clericali, propria temeritate se transfert. Pœnæ talium Apostatarum præter peccatum mortale, quod incurrunt, plures sunt in Jure Canonico statutæ, de quibus alii.

39. CONCL. II. Lectio Librorum perversorum, præsertim hæreticorum, quando ex ea aliquod morale periculum subversionis imminet, est indubie Jure Divino naturali prohibita: hinc quia ejusmodi periculum frequenter imminet, absolute loquendo, recte S. Mater Ecclesia lectionem Librorum perversorum, præsertim hæreticorum, prohibuit. Nam, ut dicitur 2. *Timoth. cap. 2. Sermo eorum ut cancer serpit*: unde est merito vitandus, atque per modum justæ cautelæ pie admodum Ecclesia Catholica Fideles ab hujusmodi venenosis scriptis avertit.

40. CONCL. III. Circa Lectionem Librorum prohibitorum duplex de facto est consideranda prohibitio Ecclesiæ. Una est contenta in Bulla Cœnæ Domini, in qua excommunicantur, excommunicatione Papæ reservata, Hæreticorum libros hæresin continentes, vel de Religione tractantes, sine authoritate Sedis Apostolicæ scienter legentes, retinentes, imprimentes, vel quomodolibet defendentes.

41. Cæterum hoc intelligendum est, nisi excuset parvitas materiæ; ut est una pagina, etiam libri in folio impressi. Pirhing. *tit. de Hæreticis, n. 20.* citans alios. Imo plures Doctores censent, dictam excommunicationem non incurri ab eo, qui seclusa alia subversionis periculo legit Epistolam, Concionem, altamque brevem scripturam, etiam impressam, alicujus hæretici, atque hæresin continentem: quia verba Bullæ Cœnæ in rigore

rigore intellecta loquuntur de libris; prædictæ autem scripturæ non censentur vulgariter nomine libri, prout observat Herinex *disp. 9. de Fide, q. 8. n. 86.* Sanchez *l. 2. de Decalog. c. 30. n. 29.* Ideoque Catholici his in locis non faciunt sibi scrupulum, si seclusa alio periculo legant Epistolam, vel Concionem quandam hæreticam, quam interdum ab amicis hæreticis accipiunt: quamvis, quia facile venenum latentis hæresis potest inficere corda incauta, Parochis & Confessariis merito sit invigilandum, ut talia evitentur.

42. Altera Ecclesiæ prohibitio circa Lectionem librorum, ob errores vel errorum suspicionem prohibitorum, continetur in Indice Librorum prohibitorum, qui jussu S. Concilii Tridentini, & authoritate SS. Pontificum editus est, & continet plures regulas. Et quidem virtute dicti Indicis Librorum prohibitorum, ubi is receptus est, incurrunt excommunicationem, non tamen reservatam Papæ, qui legunt libros ob errores vel errorum suspicionem prohibitos. Dicitur, *ubi is receptus est*: nam Indicem librorum prohibitorum quoad secundam Classem non esse in Germania receptum, asserunt multi Authores, ac præsertim Layman *l. 2. tr. 1. c. 15. n. 8.*

43. CONCL. IV. Etsi licitum sit Viris doctis, & quandoque necessarium, justam ob causam de rebus Fidei cum Infidelibus disputare, id tamen non nisi debitis cum circumstantiis est faciendum. Ita communis. Et quidem prima pars patet exemplo Christi, qui disputavit cum Pharisæis, *Joan. c. 8.* & alibi. Similiter S. Stephanus disputasse legitur cum Judæis *Actor. 6.* Paulus cum Judæis & Græcis, *Actor. 9.* quod ipsum SS. Patres contra hæreticos lepius fecisse dignoscuntur. Altera vero pars probatur inductione: in primis enim ad id ex parte disputantis requiritur congrua scientia; quia viris indoctis de Fide disputare non licet, ob periculum multos errores proferendi, cum jactura & dedecore Fidei Catholicæ, atque scandalo audientium.

44. Secundo requiritur ex parte disputantis, ne eidem sit inhibita disputatio legi aliqua positiva humana. Sic quippe in Jure Canonico, *cap. 2. de Hæret. in 6.* sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ, prohibetur laicis, *publice vel privatim de Fide Catholica disputare*. Notat tamen Herinex *disp. 9. de Fide, quæst. n. 34.* post Coninch, & alios, præmissam legem seu prohibitionem vel non esse usu receptam, vel usu contrario abrogatam in terris, in quibus Hæretici cum Catholicis permixti vivunt: quia passim ibidem cum hæreticis in privatis colloquiis disputant laici, & sæpe id necessarium est pro avertendo pusillorum scandalo, præsertim ubi propter persecutiones hæreticorum Clerici non tolerantur.

45. Tertio requiritur finis honestus, videlicet defensio veræ Fidei, errorum confutatio, confirmatio Fidelium, Infidelium conversio, aut infirmorum confortatio. Item, ut ex tali disputatione sperare liceat utilitatem quandam & fructum: sive in eo, cum quo fit disputatio, sive in audientibus: alioquin enim disputatio foret inutilis, aut ob pravum finem penitus illicita.

46. Quæres, an liceat Catholicis comitari funera Hæreticorum ad sepulturam? Respondeo opus esse distinctione. Et quidem in locis, ubi prohibitum est Catholicis conversari cum Hæreticis sub pœna excommunicationis, palam est, non licere eorum funera comitari: alioquin enim quis ageret contra justam, gravemque prohibitionem. E contra vero in illis locis, ubi Catholici promiscue vivunt cum Hæreticis, & quotidie sine alia prohibitione cum eisdem conversantur, licitum est Catholicis comitari funera Hæreticorum, si præcise spectetur sepultura. Ratio est: tum quia hic cessat omne scandalum, simulque nulla est prohibitio in contrarium, uti supponitur: Tum quia sepelire mortuos, secundum se est opus bonum Misericordiæ corporalis: Tum tandem, ut notat Layman *l. 1. tr. 5. part. 2. c. 4. circa finem*, talis comitatus, cognationis vel necessitudinis gratia præstitus, potius spectat ad communionem politicam, non autem est approbatio hæresis.

DISTINCTIO V.

De Spe, atque oppositis Vitiis.

QUÆSTIO I.

De Spe Theologica, ejusque obligatione.

SUMMARIUM.

1 *Spei variæ acceptiones.*
2 *Spes Theologica, quid?*
3 *Spes actualis.*
4 *Objectum materiale primarium Spei, est Deus.*
(a) Ut dictum Tract. 4. Dist. 1. n. 8. & seq.
5 *Ad objectum materiale secundarium Spei, qua spectent?*
6 *Objectum formale Spei Theologicæ, quod?*
7 *Solvitur instantia.*
* *Amor Dei duplex, amicitia scilicet, & concupiscentia.*
8 *Spes Divinæ est infallibilis, quomodo?*
9 *Præceptum Spei aliud negativum, aliud affirmativum.*
10 *Affirmativum, quando obliget per accidens?*
(b) Dist. 2. q. 3. n. 36. & 37.
11 *Et quando obliget per se directe?*
(c) cit. Dist. 2. q. 3. per totum.

1. OMissis aliis Spei acceptionibus, nec minus attinentibus, Spei nomen aliquando sumitur pro ipsa re sperata, juxta illud D. Apostoli ad Titum 2. *Expectantes beatam spem*. Quandoque pro aliquo, in quo speratur, seu spes nostra ponitur, prout accipitur *Psal. 90. Tu es Domine spes mea*. Magis tamen ad propositum, sumitur Spes pro habitu, vel actu quodam voluntatis, exspectantis bonum futurum, arduum item ac difficile. Quod si bonum illud sit naturale, ita ut viribus naturæ acquiri possit, erit spes humana: si vero supernaturale, ut Bonum gratiæ & gloriæ cœlestis, ad quod consequendum opus est auxilio Dei, dicetur Spes Theologica seu Divina. Et de hac loquendo sit

2. CONCL. I. *Spes Theologica* est virtus divinitus infusa, qua desideramus consequi Bonum infinitum, ex gratia & meritis in patria adipiscendum. Ita desumitur ex Doctore nostro 3. *dist.* 26. *q. un.* Nec in re differt ab illa vulgata definitione, qua dicitur: *Spes est virtus divinitus infusa, per quam certa cum fiducia nostra salutis, & æternæ vitæ bona exspectantur*: nam nostræ salutis, & æternæ vitæ bona, primario & principaliter consistunt in consecutione infiniti Boni, qui est Deus Ter Opt. Max. ejusque visione & fruitione beatifica, quam non nisi ex gratia Divina, & accedentibus meritis nostris consequimur.

3. Cæterum Spes Theologica actualis est actus supernaturalis, quo desideratur Bonum infinitum, Deus: nam desiderare idem est ac re, ac sperare æternam beatitudinem, ut notat Saung *tom. 4. dist. 4. qu. 1. num. 7.* Porro per Spem divinam, veluti anchoram fortissimam, firmantur Viatores ad obtinendum æternum beatitudinis Bonum in Cœlis, quod prius fide perceperunt: unde non immerito a Magistro Sententiarum (id est, Petro Lombardo) 3. *dist.* 26. appellatur *Spes, certa expectatio futuræ beatitudinis, ex Dei gratia, & meritis præcedentibus: sine meritis enim sperare, non spes, sed præsumptio dici potest.*

4. CONCL. II. Objectum materiale primarium, seu principale Spei Theologicæ est Deus, seu consecutio Boni infiniti, consistens in visione & fruitione beatifica Dei. Ita in re communis. Siquidem illud Spe Divina primario ac immediate speramus, seu consequi desideramus, quod nos perfecte beatificat: atqui hoc non præstat, nisi Deus Ter Opt. Max. quatenus eodem in cœlis cum Sanctis suis beatifice fruimur. Accedit, quod si Deus non esset objectum immediatum Spei supernaturalis, Spes non esset virtus Theologica; siquidem ad virtutem Theologicam requiritur, ut actus principalis ipsius tendat in Deum tanquam objectum immediatum. (a)

5. CONCL. III. Ad objectum materiale, & secundarium Spei Theologicæ spectant omnia bona, tam ordinis supernaturalis, ut auxilia Divina, gratia sanctificans, condonatio peccatorum, ac hujusmodi; quam ordinis naturalis, quæ aliquo modo remote consequunt ad ateingendum objectum principale Spei, ut puta panis quotidianus, &c. Ita communis. Siquidem ea omnia possunt ordinari ut media, vel proxima, vel saltem remota, ad attingendum objectum principale Spei, id est, Dominum Deum in æterna gloria beatifice possidendum.

6. CONCL. IV. Objectum formale Spei Theologicæ est ipsamet bonitas Dei, quatenus nobis bonus est. Ita Doctor Subtilis 3. *dist. 27. quæst. un.* Tannerus *tom. 3. disp. 2. quæst. 1. num. 14.* citans D. Thomam, Suarez, & alios; Herincx *disp. 10. de Spe, quæst. 1. num. 11.* Sannig, & alii; quamvis nonnulli dissentiant, & præsertim illi, qui tenent, quod objectum formale Spei, seu motivum sperandi, sit summa & infinita Dei promittentis Fidelitas, qui, quod promisit, potest præstare, quia omnipotens est; vult præstare, quia benignissimus est & certissimo præstiturus est, quia fidelissimus est: ut proinde (inquiunt) sicuti objectum formale Fidei Theologicæ est infallibilis Veracitas, & Charitatis infinita Bonitas Dei, sic & Spei objectum formale sit summa ejusdem Fidelitas in servandis promissis. Sed quidquid sit de hac Sententia, captu cæteroquin faciliori, ratio Conclusionis est: quia illud est objectum formale Spei, quod proprie movet ad appetitum, seu desiderium objecti materialis: sed talis ratio motiva est bonitas Dei, ut nobis bonus est, seu commodum affert; ergo. Minor ex eo patet: quia voluntas nihil appetit, nisi sub ratione boni.

7. Nec obstat, quod Deus sub ratione Boni sit objectum formale Charitatis. Resp. enim, adhuc disparitatem esse; quia Deus est objectum Charitatis, ut est infinite bonus in se, seu ut est summum Bonum propter se diligibile amore amicitiæ: Spei vero est Deus objectum formale, ut est bonus nobis, & diligibilis amore concupiscentiæ. Duplex quippe a Theologis solet distingui amor Dei: unus amicitiæ, sive (ut alii loquuntur) benevolentiæ, quo bona Deo volumus, quatenus ipsi sunt bona. Alter concupiscentiæ, quo Deo bona volumus, quatenus nobis sunt bona: ut si Deum amamus, quia est nobis benignus, misericors, &c. Additur noranter, *nobis*: quia si Deus amatur, quatenus in se est bonus, misericors, infinite perfectus &c. erit amor amicitiæ, qui est proprius Charitatis Theologicæ: amor autem concupiscentiæ est proprius Spei Theologicæ, & imperfectior prioris. Solum adde cum Herincx *loc. cit. n. 10.*

quod promissio Divina sit conditio requisita, ut possimus convenienter sperare; non autem ratio formalis, & motiva Spei Theologicæ.

8. CONCL. V. Etsi Spes Divina absolute loquendo sit infallibilis, & certa, juxta illud *Rom. 5. Spes autem non confundit*, & alibi: nihilominus per accidens, & ex parte nostra, ea potest esse incerta & fallax. Ita Pillinctus *tract. 22. nu. 248.* & alii. Ratio est: quia Spes consequendi vitam æternam supponit etiam nostram cooperationem, & merita: atqui de his non habemus certitudinem; nam, ut dicitur *Eccles. cap. 9. Sunt justi, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit*. Et hinc fit, quod ex parte nostra Spes sit incerta, imo quandoque vana & fallax, ob defectum nostræ cooperationis; quamvis in seipsa, propter infallibilem promissionem Dei sit certissima, dummodo aliunde nihil deficiat.

9. CONCL. VI. Certum est, extare præceptum Spei Divinæ, idque aliud est negativum, quo tenumur nunquam desperare, neque præsumere, ac proinde obligat semper, & pro semper: aliud affirmativum, quo aliquoties per vitæ decursum tenemur elicere actum Spei. Hinc quippe Psal. 4. dicitur: *Sperate in Domino*. Et ad Titum *cap. 2. Sobrie, juste, & pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem*. Et similia in S. Scriptura passim occurrunt; unde merito Alexander VII. hanc inter alias, ordine 1. Propositionem damnavit: *Homo tenetur aliquando vita sua tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*. Hæc Propositio est damnata.

10. CONCL. VII. Præceptum affirmativum Spei per accidens seu indirecte obligat, quoties obligat aliquod aliud præceptum, quod observari nequit absque actu Spei Divinæ, saltem virtuali: sic fit, quando urget præceptum agendi pœnitentiam de peccatis; nam veram pœnitentiam non potest quis agere, nisi saltem virtualiter speret, sese veniam suorum peccatorum consecuturum ex meritis Christi. Denique misericordia; pronit in simili dictum est supernus (b) de præcepto affirmativo Fidei.

11. CONCL. VIII. Præceptum affirmativum Spei per se, & directe obligat in primis circa initium vitæ, quando videlicet quis sufficienter instructus de rebus Fidei, sese ad Deum convertere tenetur; juxta illud *Hebr. 11. Accedentem ad Deum credere oportet*,

quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Alterum tempus est finis vitæ, quando homo in extremo constitutus maxime in Deum sperare tenetur, tum ob tentationes eo tempore ingruentes, tum etiam, quia tunc potissimum eo debemus intentionem dirigere, quo migrandum est, nempe ad Deum in æterna beatitudine æternaliter consequendum. Obligat insuper quandoque præceptum affirmativum Spei Divinæ sub decursu vitæ nostræ: veruntamen hujusmodi obligationi sufficienter satisfit per actus Spei, qui concurrunt in exercitio aliarum virtutum: prout in simili dictum est supra (c) fusius declarando, quo tempore teneantur Fideles elicere actum Fidei Theologicæ, quæ (servata tamen proportione) huc erunt applicanda.

QUÆSTIO II.

De Vitiis Spei oppositis, Desperatione scilicet, ac Præsumptione.

SUMMARIUM.

12 *Spei per defectum opponitur Desperatio, per excessum Præsumptio.*
(d) Ut dictum Disp. 1. num. 7. & seqq.
13 *Desperatio, in quo consistat?*
14 *Quale sit peccatum?*
15 *Quid agendum circa personas afflictas?*
16 *Peccata in Spiritum S. quæ?*
Inter ea cur numeretur Desperatio?
17 *Hæc potest consistere cum & sine actu infidelitatis.*
Desperatio, quid?
18 *Præsumptio, quid?*
19 *Potest committi dupliciter.*

12. CUm quælibet virtus suo modo consistat in medio (d) hinc contra eam contingit peccari partim per defectum, partim per excessum. Idipsum videre licet in Spe Theologica, utpote cui per defectum opponitur Desperatio, per excessum autem Præsumptio; non quidem, ac si nimium possimus in Deo sperare (Deus enim est infinite bonus, omnipotens, fidelis, misericors &c. ac proinde ex parte objecti sui formalis non potest fieri excessus contra Spem Theologicam) sed solum, quatenus ex parte actus, seu exercitii Spei Theologicæ, potest fieri excessus, in quantum actus Spei exerceretur modo indebito. Siquidem Spes Theologica includit judicium, & desiderium consequendi æternam beatitudinem modo debito, id est, ex meritis Christi, & accedente propria cooperatione: Desperatio e contra involvit judicium de ea nunquam consequenda: Præsumptio vero includit judicium, ac desiderium consequendi æternam beatitudinem modo aliquo indebito, v. g. per solam fidem, vel ex puris naturalibus, aut vivendo sceleratè, ut amplius in progressu declarabitur. Hinc sit

13. CONCL. I. Desperatio opponitur virtuti Spei per defectum, & committitur, cum quis desperat, sese remissionem peccatorum, & gloriam æternam esse consecuturum, atque ideo omnem conatum eandem consequendi intermittit. Duo siquidem in Desperatione intervenunt: primo judicium intellectus, quo quis judicat, sibi nimis arduum, & impossibile esse consequi beatitudinem. Secundo fuga voluntatis, qua quis refugit salutem tanquam obtineri impossibilem, atque ideo ab ejus procuratione ob difficultatem mediorum apprehensam desistit. Ita Mastrius *disp. 10. Theol. Moral. n. 40.* & alii: quamvis bene notet Herincx *disp. 10. n. 50.* quod Desperatio propriè sit in ipsa voluntate, & actu ipsius, quo quis non vult amplius prosequi beatitudinem, aut media ad eam consequendam opportuna adhibere; judicium vero illud, quo quis putat, se non amplius obtenturum beatitudinem, potius sit aliquid prævium, atque inducens ad Desperationem, non autem propria Desperatio.

14. CONCL. II. Desperatio ex genere suo est peccatum mortale, atque inter cætera maxime periculosum. Ratio est clara: quia Desperatio directè opponitur Spei Theologicæ: & quia avertit hominem ab ultimo Fine suo, seu cœlesti beatitudine, simulque media omnia ad hanc consequendam abjicit, quis neget, eam esse maxime periculosum peccatum? Unde Isidorus *lib. 2. de Summo Bono, c. 14.* ait: *Perpetrare flagitium, mori animæ est; desperare autem, descendere in infernum.*

15. Hoc tamen intelligendum est de vera, & voluntaria Desperatione: nam quandoque accidunt tentationes violentæ, afflictiones graves, & inconsolabiles mœstitiæ, quibus interdum animæ cruciantur, ita ut omni Spe destitutæ videantur. De his autem non procedunt hactenus dicta, quia sunt potius tumores, & angustiæ excitatæ a diabolo,

bolo, vel ex turbatione quadam, aut etiam complexione melancholica provenientes, absque vero & deliberato consensu voluntatis. Super his tamen prudenter invigilare debent Confessarii, hujusmodi afflictas personas in Domino paterne consolando, eisque ostendendo, quod talia culpa vacent, quamdiu voluntas eisdem non consentiat; ac proinde easdem adhortando, ut agnita propria infirmitate, atque demeritis, sese projiciant in sinum bonitatis & misericordiæ Dei, meritaque Salutiferæ Passionis Jesu Christi Domini nostri; simulque non obstantibus quibuscunque afflictionibus, & mœstitiis bonum operari minime desistant.

16. CONCL. III. Desperatio rectè connumeratur inter peccata in Spiritum sanctum, quæ communiter cum Magistro Sententiarum *2. dist. 43.* & D. Thoma *2. 2. q. 14. art. 2.* sex enumerantur; videlicet Desperatio, Præsumptio, Impœnitentia, Obstinatio, Impugnatio veritatis agnitæ, & fraternæ gratiæ Invidentia. Ita Doctores communiter: nam Desperatio ipsam Dei oblatam munificentiam, & gratiam, quæ Spiritui sancto, ceu Fonti omnium bonorum, tribui peculiariter solet, ex malitia contemptim abjicit; juxta quod impii dixerunt, *Jeremiæ 18. Desperavimus: post cogitationes enim nostras ibimus, & unusquisque pravit atem cordis sui mali faciemus.*

17. CONCL. IV. Desperatio potest consistere sine actu Infidelitatis, quamvis non raro habeat annexam Infidelitatem. Ita Mastrius *loc. cit. n. 34.* cum aliis. Ratio primæ partis est: quia potest quis actum Desperationis elicere, quamvis non sentiat aliquid contra Fidem; ut si quis credat quidem, Deum esse justum ac misericordem; desperet tamen ex eo, quia judicat salutem sibi esse impossibilem ob suam pronitatem ad peccandum, & contrarietatem, quam in se experitur ad bene agendum. Altera pars ex eo liquet: quia Desperatio facile excæcat intellectum, ut quis credat, Deum non esse infinite bonum, ac misericordem. Unde Cain ob Abel occisum a Deo correptus, desperans, Deique misericordiam negans ait: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Gen. 4.* Et in hoc posteriori sensu Magister Sententiarum *l. c.* definit Desperationem, dicendo: *Desperatio est, qua quis diffidit penitus de bonitate Dei, æstimans suam malitiam Divinæ bonitatis magnitudinem excedere.*

18. Quantum nunc attinet ad Præsumptionem, quæ est alterum peccatum Spei Divinæ oppositum per excessum, ea rectè definitur, dicendo: *Præsumptio est Spes obtinendi a Deo gratiam & gloriam æternam inordinata*; id est, aliter quam Deus obtinendam statuit. Et hujusmodi Præsumptionem esse peccatum ex genere suo mortale, atque unum ex sex peccatis in Spiritum sanctum, conveniunt Doctores.

19. Dupliciter autem peccatum Præsumptionis committi potest. Primo, cum quis præsumit, se Divinam gratiam, aut æternam gloriam ex seipso, & propriis naturæ suæ viribus adipisci posse: quo modo Pelagiani, antiqui hæretici, & a D. Augustino acerrime impugnati, præsumebant, se propriis viribus sine supernaturali auxilio Dei omnia præcepta servare, & æternam beatitudinem mereri. Secundo contingit Præsumptio, quando contra quis præsumit, se sola Dei misericordia ac liberalitate, Christique meritis, absque propria pœnitentia, & cooperatione per bona opera, beatitudinem, vitamque æternam consecuturum. Et talis erat Præsumptio Lutheranorum, aliorumque quorundam Hæreticorum, qui per solam fidem in Christum absque aliis bonis operibus sperarunt beatitudinem adipisci, quam S. Concilium Trid. *Sess. 6. c. 9.* appellat *inanem hæreticorum fiduciam*, & in progressu pluribus refutat.

DISTINCTIO VI.

De Charitate, ejusque Obligatione.

QUÆSTIO I.

Quid sit Charitas, & quæ ejus obligatio?

SUMMARIUM.

1 *Charitas & amor, generatim quid?*
2 *Charitas, ut virtus Theologica, quid, & quid objectum ejus?*
(a) Juxta dicta Dist. 5. n. 7.
3 *Deus quomodo appelletur Charitas?*
4 *Præceptum de diligendo Deum, partim affirmativum, partim negativum.*
5 *Et satisfit diligendo Deum super omnia appretiative.*
6 *Deum super omnia amare intensive, & appretiative, quid?*
7 *Probatio Conclusionis.*
8 *Præceptum diligendi Deum obligat ad frequens exercitium.*
9 *Quo determinato tempore illud obligat?*
(b) Dist. 2. q. 3. per totum.
Tres propositiones quoad hoc damnatæ.
10 *Tria sunt diligenda, Deus, nos ipsi, & proximus;*
11 *Præceptum diligendi proximum, quantum, & unde oriatur?*
12 *Et non satisfit per solos actus externos.*
13 *Debemus etiam diligere corpus nostrum.*
14 *An creaturæ irrationales ex Charitate sint diligendæ?*

1. CHaritatis nomen generatim quidem significat idem, ac amor seu dilectio; plerumque tamen tum in S. Scriptura, tum a SS. Patribus sumitur in bonam partem, nempe pro amore boni honesti, seu bona voluntate: Amor autem indifferenter in bonam & malam partem accipitur, nempe vel pro amore Dei, vel Mundi, & pro amore tum honesto, tum illicito, & carnali. In præsenti igitur loquimur de Charitate, prout est tertia virtus Theologica, & omnium aliarum virtutum præstantissima, de qua Apostolus 1. *Corinth.* 13. inquit: *Nunc autem manent fides, spes, charitas; tria hæc: major autem horum est charitas.*

2. CONCL. I. Charitas est virtus divinitus infusa, qua diligitur Deus propter se super omnia, & proximus propter Deum. Ita in re communis. Porro objectum materiale primarium Charitatis est Deus: objectum vero secundarium ipsius est proximus noster, & omnia alia honeste amabilia, seu quæ possunt ad gloriam Dei, sicque propter ipsum amari: nam *universa propter semetipsum operatus est Dominus. Prov. c. 16.* Objectum formale Charitatis Dei, est ipsamet infinita Dei bonitas, qua ipse in se bonus est, & amabilis amore amicitiæ; (a) ob hanc quippe bonitatem, veluti propter rationem formalem, atque motivam, Deus tanquam infinitum Bonum, est amandus super omnia.

3. Dices. 1. *Joan. c. 4.* dicitur *l. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet*; ergo Charitas non est virtus aliqua infusa. Resp. negando consequentiam: etenim textus allegatus in primis est intelligendus causaliter, eo modo, quo Deus dicitur spes nostra, patientia nostra, justitia nostra, & hujusmodi, prout passim legitur in S. Scriptura. Deinde Deus dicitur esse Charitas, eo quod sit essentialiter Charitas increata; unde etiam Spiritus sanctus appropriate dicitur *Amor*. Hoc tamen non obstante adhuc in hominibus justis datur Charitas creata, qua ipsi super omnia diligunt Deum propter se, seu infinitam bonitatem suam, & proximum propter Deum.

4. CONCL. II. Extat Præceptum de diligendo Deum super omnia; idque partim est negativum, ne videlicet Deum odio habeamus, aut aliquid agamus, quod dissolvat amicitiam nostram cum Deo, peccando videlicet mortaliter; partim affirmativum, ut observemus mandata ejus. Ita unanimis Fidelium, & patet ex plurimis S. Scripturæ locis. Sic enim *Deut. 6. & Matth. 22.* legitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum, & primum mandatum.* Item *Joan. 14. Qui habet mandata mea & servat ea, ille est, qui diligit me.* Et similia plura occurrunt passim. Hinc Alexander VII. sequentem inter alias, ordine 1. Pro-

positionem damnavit: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

5. CONCL. III. Præcepto diligendi Deum super omnia, seu ex toto corde, satisfit diligendo efficaciter Deum super omnia appretative. Ita communior Doctorum, paucis exceptis, qui volunt adesse obligationem diligendi Deum super omnia etiam intensive. Cæterum ut hæc Conclusio melius intelligatur,

6. Notandum cum Scoto. 3. *dist. 27. q. un. §. Quantum ad illum*, & aliis, dupliciter posse Deum super omnia amari, videlicet intensive, & appretiative. Tunc Deus dicitur *super omnia amari intensive*, quando actus amoris Dei est intensior, ac vehementior omni alio amore. Tunc vero dicitur Deus *amari super omnia appretiative*, quando Deus magis æstimatur, quam omnes creaturæ; ita ut his omnibus præferatur, & nullius creaturæ timore, aut amore, velit quis Deum offendere. Sic Christus *Matth.* 10. ait: *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Et Paulus *Rom. 8. Nulla creatura poterit nos separare a charitate Dei.* Potest autem facile contingere, ut quis magis intensive unum diligat, & simul aliud magis appretiative: sic enim mater magis intensive diligit filium parvulum, seu magis appretiative filium adultum, qui gubernat rem domesticam; quia hunc magis æstimat præ illo, quamvis alterum juniorem teneriori affectu amoris prosequatur. Hæc terminorum explicatione præmissa,

7. Probatur Conclusio. Nam sensus præcepti de diligendo Deo ex toto corde, &c. est, ut Deum diligamus super omnia, ita ut nullius creaturæ amore velimus ejus præcepta transgredi, ipsumque mortaliter peccando offendere. Sic quippe 1. *Joan. 2.* dicitur: *Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est.* Accidit, quod de facto nobis constare vix possit, quisnam actus amoris sit intensior altero, quinimo plerumque parentes solent multum intense amare filios, & conjuges sese mutuo; ergo, si magis intensive tenerentur amare Deum, forent in perpetuo periculo transgrediendi hoc præceptum; quod non est dicendum. Sufficit igitur, amare Deum appretiative super omnia, quatenus plus æstimatur Deus cæteris omnibus, adeo ut nullius creaturæ amore velit quis Deum offendere.

8. CONCL. IV. Præceptum diligendi Deum obligat ad frequens exercitium, ita ut actus amoris Dei non multo tempore omittatur. Desumitur hoc ex magnitudine hujus præcepti, de quo Salvator ait, *Matth. 22. Hoc est maximum, & primum mandatum*: & consequenter per vitæ decursum sæpius obligat.

9. Quo autem determinato tempore currat ejusmodi obligatio, variant Doctores, quamvis conveniant passim in hoc, quod censeant obligare I. Circa initium usus rationis. II. Circa finem vitæ. III. Quando quis gravi urgetur tentatione, præsertim odii Dei cum periculo consensus, nisi ad Deum per actum amoris convertatur. IV. Tota vita sæpius, ita videlicet, ut non multo tempore differendus sit actus dilectionis Dei, co ferme modo, quo superius (b) determinatum est tempus, quo Fideles tenentur elicere actum Fidei Theologicæ. Hinc conformiter dictis ibidem *num.* 53. Doctor Subtilis 3. *dist. 27. q. un. §. quantum ad secundum*, dubitative tamen, innuit, hoc præceptum urgere singulis diebus Dominicis, dum ait: *Quando autem sit hoc* (ut quis teneatur habere actum dilectionis Dei) *forte determinavit hoc illud præceptum divinum: Sanctificabis Sabbatum, &c. & Ecclesia specificavit quantum ad Missam audiendam in die dominico, de consecr. dist. 2. cap. Missas.* Hæc ille. Solum nota, sequentes Propositiones esse virtutes, ut pote quas damnavit Innocentius XI. quarum prima, ordine 1. sic habet: *Aliquando mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita elicuerit, condemnare non audemus.* Altera, ordine 6. talis est. *Probabile est, ne singulis quidem triennio quinquennio per se obligare præceptum charitatis erga Deum.* Ultima, ordine 7. ita sonat: *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.* Omnes hæ tres Propositiones sunt damnatæ, *sicut jacent*; & merito, ut probant authoritates S. Scripturæ *n.* 4. & 8. allegatæ.

10. CONCL. V. Ex Charitate generatim tria nobis sunt diligenda, videlicet Deus, Nosmetipsi, & Proximus. Patet hoc ex illo *Mat. 10. Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum, sicut teipsum*: nam hoc ipso, quod mandatur, ut quis diligat proximum, sicut se ipsum, dilectio sui ipsius non tantum innuitur (quamvis, cum hæc a natura satis dictetur, quinimo homini congenita existat, expressiori præcepto opus non fuerit) sed insuper ipsa prætertur dilectioni proximi.

11. Cæ-

31. Cæterum in allato S. Scripturæ textu ly *sicut* denotat similitudinem, non æqualitatem, prout accipitur *Matth. 5. Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est*, & alibi sæpe. Hinc non jubemur diligere proximum, quantum nos, sed sicut nos; hoc est, primo loco post Deum nos ipsos, deinde ad normam, & exemplar nostræ dilectionis, proximum. Charitas enim inclinat potius in bonum sui subjecti, quam alicujus extranei, idque ob majorem conjunctionem; nam potior est unitas, quam unio. Verum ipsa dilectio proximi necessario sequitur ex præcepto diligendi Deum, prout notat Doctor Subtilis 3. *dist. 37. q. un. §. contra*: nam amans perfecte Deum, hoc ipso debet velle, quod & proximus amet Deum: quia proximus est quoddam bonum extrinsecum Dei, cujus gloria augetur per hoc, quod proximus ipsum amet, eique serviat. Unde ad Charitatem spectat, hæc & similia bona desiderare proximo propter Deum (quod etiam dicendum de bonis proximi corporalibus, aliisque externis, quatenus considerantur ut cedentia ad gloriam Dei) quia ad eadem virtutem pertinet intentio finis & electio mediorum. Herincx *part. 3. disp. 11. q. 4.* & alii.

32. CONCL. VI. Præcepto diligendi proximum (quando videlicet illud obligat in occasionibus sublevandæ necessitatis, aut deponendi odium, vel hujusmodi) non satisfit per solos actus externos, sed adest obligatio diligendi ipsum etiam per actus internos & formales Dilectionis. Deducitur hoc ex pluribus S. Scripturæ testimoniis; ut ex illo *Matth. 22.* & *Luc. 10. Diliges proximum tuum, sicut teipsum*. Item 1. *Joan. 4. Charissimi, si Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere*; ubi in sequentibus plura quoad hoc. Unde Apostolus *Rom. cap. 12.* vult, ut sit *dilectio sine simulatione*: atqui ea, quæ exhiberetur actu exteriori, sed absque ullo actu interno dilectionis, non esset sine simulatione, ergo. Et hinc Innocentius XI. sequentes duas Propositiones damnavit, quarum prior, ordine 10. sic sonat: *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali*. Altera vero, ordine 11. est talis: *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos*. Et merito utraque est damnata: nam diligere, toties in S. Scriptura præceptum quoad proximum, importat etiam actum internum & formalem, suo tempore prodeuntem in opus externum, juxta illud 1. *Joan. 3. Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*, cum concordantiis.

33. Addunt quoad præmissa Doctores cum S. Augustino *lib. 1. de Doctrina Christiana, cap. 23.* etiam corpus proprium ex charitate esse diligendum, eo quod possit participare æternam beatitudinem, postquam fuerit reunitum animæ post generalem Resurrectionem. Verum hoc membrum sufficienter jam includitur sub dilectione sui ipsius. Neque huic dilectioni corporis repugnat moderata & rationabilis castigatio carnis: qui nimo cum ejusmodi discreta carnis mortificatio sit medium consequendi æternam cum anima felicitatem, ea spectat ad verum corporis amorem, sicut ad amorem filii disciplina debita a dilectissimis parentibus imposita.

34. Quæres, an etiam creaturæ irrationales ex Charitate sint diligendæ? Resp. cum D. Thoma 2. 2. *q. 25. art. 3.* & aliis passim, quamvis ex charitate possimus diligere creaturas irrationales, sicut bona, quæ aliis ex charitate dilectis volumus, quatenus scilicet ex charitate volumus eas conservari ad honorem Dei, & utilitatem nostram, vel proximorum; juxta quod *Exod. 23.* præcepit Deus: *Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo*: Nihilominus creaturæ irrationales non sunt amandæ secundum se, quasi ipsis propter semetipsas, & absque respectu ad honorem Dei, vel utilitatem nostram, aut proximorum, velimus bonum: quia charitas fundatur super communicatione beatitudinis æternæ, cujus creatura irrationalis capax non est: neque etiam est ea proximus noster, ac proinde præceptum Dilectionis ad ipsam non extenditur.

QUÆSTIO II.

De Dilectione Inimicorum.

SUMMARIUM.

15 *Datur speciale præceptum de diligendis inimicis.*

16 *Vi illius tenemur inimicis exhibere generalia signa dilectionis.*

17 *Vindictæ quibus interdicta?*

18 *Exempla de Dilectione inimicorum.*

19 *Tenemur deponere odium, & internum rancorem erga inimicum:*
(c) Ut dictum n. 17.

20 *Eique veniam roganti, remittere injuriam, Non*

Non item satisfactionem, aut damnum illatum.

21 *Specialia signa dilectionis, an Exhibenda inimicis?*

22 *Corollaria.*

23 *Limitatur allata doctrina.*

24 *Licitum tamen est, odisse peccatum inimici;*

25 *Atque de ejus punitione lætari.*

35. CONCL. I. Certum est, dari speciale præceptum Charitatis de inimicis diligendis. Ita omnes Catholici: sic enim expresse præcepit Christus Dominus, *Matth. 5. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos*. Et hoc non esse consilium duntaxat, sed verum præceptum, est communis, & concors omnium Theologorum sententia, prout notat Mastrius *disp. 10. Theol. Mor. n. 53.* Accedit illud *Levit. 19. Non oderis fratrem tuum in corde tuo; non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ*. Et *Proverb. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitierit da ei bibere*. Item *ad Rom. cap. 12. Nulli malum pro malo reddentes &c.* Cæterum quæstio potissimum remanet, ad quanam se extendat isthoc præceptum Charitatis de diligendis inimicis: unde sit

36. CONCL. II. Ex speciali præcepto Charitatis sunt inimicis exhibenda generalia signa dilectionis, quæ communiter omnibus eusdem status & conditionis hominibus præstare solemus. Ita communis. Ratio est: quia talis negatio generalis signi dilectionis, seu exclusio ab eo, vindictæ cupiditatem indicat, quæ privatis est interdicta, juxta citatum textum, *non quæras ultionem*, & alibi.

37. Dicitur notanter, *quæ privatis est interdicta*. Num alia ratio est in Parente, Prælato, aliisque Superioribus, qui subditos in se peccantes a communibus beneficiis, aut amoris indiciis, correctionis gratia aliquamdiu possunt excludere; quamvis si alter sit emendatus, & sufficienter correctus, ejusmodi communia amoris indicia rursum sint exhibenda. Sic pater offensus filio, potest in locum pœnæ eidem negare reconciliationem; imo a domo ad tempus excludere, donec resipiscat, aut convenientem pœnam luisse censeatur, exemplo Regis David, qui diu a facie sua exclusit Absalon filium suum, 2. *Reg. 14.*

38. Ex præmissa Conclusione infertur primo cum Doctoribus passim, inimicum non esse excludendum a generali dilectione proximorum. Unde si quis communiter oret pro omnibus, excluso inimico, peccat: quamvis enim ad orandum nullo præcepto teneatur, tamen eo ipso, quo pro omnibus orat, nequit tuta conscientia inimicum excipere. Similiter qui omnibus pauperibus accurrentibus eleemosynam distribuit, peccat eam negando uni pauperi suo inimico. Idem multi extendunt ad casum, quo quis pluribus simul occurrens, salutat omnes præter inimicum: quia in tali eventu videtur negare signum universale Charitatis, & videtur adesse notabilis contemptus, aut scandalum. Verumtamen etsi frequenter id accidat, nihilominus Basseus *V. Charitas, nu. 14.* cum aliis Authoribus, notat, bene ponderandam esse magnitudinem scandali, & intentionem personæ: si enim vel nullum, vel parvum sit scandalum, idque fiat non ex odio, sed in significationem gravaminis accepti, ut alter deinceps caveat offensam inferre, non videtur peccatura saltem mortale incurri.

39. Infertur II. Quemlibet obligari ad deponendum odium, atque internum rancorem erga inimicum, qui comitatur appetitum vindictæ: idque tum per textus S. Scripturæ n. 15. allegatos, tum ex illo *Matth. 6.* ubi Christus nos in hunc modum orare præcepit: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Hinc idem Servator noster *Matth. 18.* dixit: *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris*. Et hac ipsa de causa tenetur quis etiam cavere a signis quibuldam propinquis, quæ gerunt probabilem suspicionem rancoris: ut cum quis nunquam vult loqui injurianti; vel cum ei obviat, divertit, vel torvo vultu respicit, & hujusmodi: nam ex talibus signis patet inimicitia, simulsque oportet etiam *ab omni specie mali abstinere*. 1. *Thessal. 5.* Hoc tamen limita, nisi ejusmodi signa exteriora amicitiæ ad tempus negentur in justam punitionem, quam comitatur zelus justitiæ (c) vel nisi negentur ex eo, quia aliquin timetur inimicus in sua malitia futurus obstinator, aut provocandus ad aliud malum inferendum, sive aliud inconveniens inde oriturum prævideatur. Angelus *V. Diligere*, & alii.

40. Infertur III. Quod proximo veniam petere roganti teneamur remittere injuriam. Hinc quippe Christus *Luc. 17.* præcepit, dicens: *Si peccaverit in te frater tuus, & pœnitentiam egerit, dimitte illi, & si septies in die peccaverit*

cæcerit in te, & septies in die converſus fuerit ad te, dicens, pœnitet me, dimitte illi, cum concordantiis. Non tamen ideirco ab offenſo neceſſario remittenda eſt ſatisfactio pro injuria, vel damno ſibi illato: quamvis injuriam, vel damnum paſſus, poteſt petere debitam ſatisfactionem; & ſi alter hanc ultro præſtare nolit, etiam via Juris, intentando videlicet Actionem injuriarum, vel petendo reſtitutionem, ſeu recompenſationem damnorum illatorum, coram competenti Judicem juſtam ſatisfactionem poſtulare. Ratio hujus eſt: tum quia licitum eſt cuilibet, jus ſuum in Judicio proſequi (dummodo hoc fiat ſeclusò omni pravo affectu, atque animo ſeſe vindicandi) hinc enim conſtituuntur Judices, tanquam publici Miniſtri juſtitiæ: Tum quia aliud eſt malevolentia, aliud offenſa, vel damnum illatum: illam quidem nunquam licitum eſt fovere, bene tamen pro hac debitam petere ſatisfactionem, vel damni dati recompenſationem.

22. CONCL. III. Specialia ſigna, & argumenta Dilectionis, inimicis exhibere, vel eoſdem peculiari benevolentia & dilectione proſequi, conſilium eſt, non præceptum. Ita communis. Ratio eſt: quia non tenemur inimicos magis diligere, quam alios proximos. Nihilominus conſilii, & majoris perfectionis eſt, ita ſeſe propter Deum ſuperare, ut etiam ſingularem benevolentiam inimicis impendamus, exemplo Chriſti Domini, qui pro ſuis crucifixoribus oravit.

23. Infertur proinde cum Laymano *lib. 2. tract. 3. cap. 10.* & aliis, inimicum ægrotum inviſere, mœſtum ſolari, hoſpitio recipere, obviam factum ſalutare, familiariter cum eo agere, ac hujuſmodi, perſe loquendo, atque extra caſum neceſſitatis, aut ſcandali, non eſſe de præcepto: quia hæc ſunt ſpecialia amoris ſigna, quæ inimicis nemo tenetur exhibere; quamvis talibus ſpecialibus benevolentiæ ſignis exhibitis inimicos diligere, ſit opus Miſericordiæ ſpiritualis, & valde meritorium.

23. Addicur notanter, *per ſe loquendo eſſe*. Nam ſecus eſt, ſi exteroquin ſequatur ſcandalum, aut inimicus in neceſſitate poſitus ejuſmodi benevolentia, vel auxilio ſpecialiter indigeat. Siquidem imprimis quilibet tenetur ſcandalum, & ruinam proximi vitare, quoties poteſt abſque gravi ſuo detrimento. Unde peccat, ſi quis negando ſpecialia ſigna amoris, quæ antea præſtare ſolebat, majus erga ſe hominis odium, vel iram conſtitet. Idem dicendum, ſi ſperet, ſalutatione inimici, vel ſimili benevolentiæ ſigno, animum ejus ſibi, ac Deo facile reconciliandum, & nihilominus ejuſmodi ſigna ſubtrahat. Layman *loc. cit.* Deinde ſi inimicus ſit in caſu neceſſitatis conſtitutus, urget illud, quod habetur *Prover. cap. 25. & Rom. 10. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum*. Hinc obſervant Doctores, quod quilibet ſemper debeat animo paratus eſſe, ſpeciatim ſubvenire inimico, cum is graviter indiguerit, & alter commode poterit.

24. CONCL. IV. Licitum tamen eſt & honeſtum, in peccatoribus & inimicis odiſſe atque deteſtari peccatum, illudque per emendationem tollere, & optare, ut a Deo, aut a Superioribus puniatur. Ita Scotus *3. diſt. 30. q. un.* Maſtrius *diſp. 10. Theol. Mor. num. 55.* & alii. Ratio eſt: quia ſic non habetur odio perſona inimici, quæ ad imaginem Dei formata eſt, & capax exiſtit æternæ beatitudinis, ſed potius ejus peccatum, quod tolli, & corrigi, atque puniri volumus. Unde & regius Pſaltes, *Pſalm. 108.* exoptat, dicens: *Deficiant peccatores a terra, & iniqui, ita ut non ſint*; id eſt, efficiatur, ne amplius ſint peccatores.

25. Et hac ratione per Judices, ac publicos juſtitiæ Miniſtros, rectiſſime peccatores puniuntur, imo & pro communi Reipublicæ tranquillitate, aut exigente juſtitia, ultimo quandoque ſupplicio afficiuntur. Atque eadem ratione licitum eſt, & ejuſmodi malefactorum punitione lætari, quatenus nimirum per eam tollitur malum peccati, & publicum Reipublicæ incommodum; & e contra triſtari, ſi videmus peccatores proſperari. Aliud enim eſt, peccatum in proximo odiſſe, ejuſque punitionem, & correctionem optare: aliud vero, perſonam proximi odio habere, quæ ad imaginem Dei facta eſt, atque æternæ gloriæ capax exiſtit. Illud licitum eſt atque bonum, non autem illud.

QUÆSTIO III.

De multiplicibus actibus Charitatis.

SUMMARIUM.

26 *Actus Charitatis, qui?*
27 *Dilectio.*
Beneficentia.
28 *Gaudium.*
29 *Pax,*

29 *Pax, &*
30 *Miſericordia, quid?*
Hujus vitia oppoſita.
31 *Opera Miſericordiæ corporalia.*
32 *Et ſpiritualia, quæ?*
33 *Exuis duo præcipue examinantur a Theologis.*

26. CONCL. I. Plures ſunt actus, vel potius effectus Charitatis, videlicet Dilectio, Beneficentia, Gaudium, Pax, & Miſericordia: hujuſque rurſum alia ſunt opera corporalia, & alia ſpiritualia. Ita communis, & patet inductione.

27. Primus igitur, ac præcipuus Charitatis actus internus, eſt *Dilectio*, qua alteri per charitatem volumus bonum. Porro hujus interno actui Charitatis, quatenus tendit ad proximum noſtrum, reſpondet actus aliquis externus, qui dicitur *Beneficentia*, eſtque veluti executio ipſius dilectionis interiorꝛ: ſiquidem per Beneficentiam proximo re ipſa bonum tribuimus, quod ei volumus, ex interno Charitatis affectu, ſive dilectione. Hinc 1. *Joan. c. 3.* dicitur: *Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate*; id eſt, tum animo, tum externa exhibitione.

28. *Gaudium* non tam virtus eſt, quam effectus virtutis, ſeu ipſius Charitatis; nec aliud eſt, quam quies animi in bono præſenti, & poſſeſſo. Nam dum Deum ex Charitate diligimus, mox lætamur de ipſius bonis, ut puta de infinitis perfectionibus Divinis, de exaltatione Nominis ſui, converſione Gentium, ac hujuſmodi: ac ſimiliter, ſi proximum veraciter diligimus, gaudemus de bonis ipſius, videlicet de converſione ejus a peccatis, de profectu in virtutibus, imo & de bonis aliis tum ſpiritualibus, tum temporalibus.

29. *Pax* ſimiliter eſt actus, ſeu potius effectus Charitatis, juxta illud Apoſt. *ad Galat. 5. Fructus autem ſpiritus ſunt charitas* (id eſt, actus dilectionis internæ) *gaudium, pax &c.* Et *Pſal. 119. Pax multa diligentibus legem tuam.* Porro Pax ſecundum D. Auguſtinum *l. 19. de Civit. Dei c. 13.* eſt *tranquillitas ordinis*. Conſiſtit autem in hoc, quod noſtra voluntas Divinæ voluntati cohæreat, ad eamque reliquas interiores appetitiones accommodet. Item in eo, quod noſtra voluntas cum proximi voluntate concordet in iis, quæ ad ejus ſalutem, æternumque beatitudinem pertinent.

30. *Miſericordia* eſt virtus proxime ex Charitate trahens originem, eaque inter virtutes proximum reſpicientes tenet principatum. Definitur autem a S. Auguſtino *l. 9. de Civit. Dei, c. 5.* quod ſit *aliena miſeria in corde noſtro compaſſio, qua ſi poſſimus, ſubvenire compellimur*. Duo quippe Miſericordia complectitur, videlicet dolorem illum, qui ex alieni mali conſideratione naſcitur: & actum virtutis, quo ſi poſſimus, alienæ miſeriæ ſubvenire conamur; quod fit per opera Miſericordiæ, tum corporalia, tum ſpiritualia. Hanc virtuti Miſericordiæ per excellſum opponitur nimia cordis mollities, ſeu nimia indulgentia: per defectum vero cordis durities, atque crudelitas.

31. CONCL. II. Opera Miſericordiæ recte dividuntur in corporalia, & ſpiritualia. Ita communis. Et quidem corporalia (ſic dicta, quia ad corpus referuntur, & circa illud exhibentur) ſunt ſeptem; videlicet, Eſurientes paſcere, ſitientibus potum dare, nudos operire, captivos redimere, ægrotos viſitare, peregrinos hoſpitio ſuſcipere, mortuos ſepelire. De quibus omnibus fit mentio *Matth. c. 25.* atque extant plurimi alii textus S. Scripturæ paſſim occurrentes, & loquitur ille vulgatus verſiculus:

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

32. Opera Miſericordiæ ſpiritualia, ſeu quæ ad animum referuntur, ſunt itidem ſeptem: videlicet, Peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus recte conſulere, pro ſalute proximi orare, injurias molleſtaſque improborum injurias patienter ferre, aliorum offenſam remittere. Et de his loquitur alter vulgatus verſiculus, ſub ly *conſule* etiam *docere* complectens, dum habet:

Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora.

33. Cæterum dimiſſis aliis actibus Charitatis, utpote de quibus minor eſt difficultas, Theologi poſtremum bina opera Miſericordiæ examinare ſolent, videlicet largitionem Eleemoſynæ, per quam pleraque opera Miſericordiæ corporalia exercentur, & correctionem fraternam: unde de his, eorumque obligatione, ſpeciales Quæſtiones inſtituentur.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De Præcepto dandi Eleemosynam.

SUMMARIUM.

34 *Eleemosyna quid?*
35 *Eleemosyna quandoque est de Præcepto.*
36 *Ad obligationem dandi Eleemosynam duo concurrere debent; quæ?*
37 *Corollarium.*
38 *Necessitas proximi triplex, extrema, gravis, & communis.*
39 *Bona superflua naturæ, & superflua statui, quæ?*
40 *Tempore necessitatis extremæ proximi, danda est Eleemosyna de superfluis naturæ sub præcepto.*
41 *Limitat ut hic doctrina.*
42 *De superfluis naturæ, & statui, danda est Eleemosyna etiam gravem necessitatem patientibus.*
43 *In necessitate communi tenetur quis de bonis superfluis naturæ, & statui dare Eleemosynam sub veniali.*
44 *Nisi sit ratio negandi, & quæ?*

34. ADvertendum, quod *Eleemosyna* generalissime accepta communiter definiatur, quod sit alienæ miseriæ sublevatio. Et hoc modo Eleemosyna tam late patet, quam late sese extendunt miseriæ, quibus creatura rationalis est subjecta, sicque Eleemosyna complectitur subtè omnia opera Misericordiæ, tam corporalia, quam spiritualia. Magis tamen ad propositum, Eleemosyna accipitur pro opere Misericordiæ corporali: estque opus, quo aliquid ex compassione, propter Deum indigenti datur. Unde Eleemosyna est actus externus virtutis Misericordiæ, quatenus procedit ex motivo subsevandi miseriam proximi: quamvis etiam esse possit actus Charitatis, si fiat ob amorem Dei.

35. CONCL. I. Eleemosyna quandoque est in præcepto, tenemurque sub peccato mortali aliquando per Eleemosynam succurrere proximo. Ita omnes Catholici. Patet ex S. Scriptura, ut Ecclesiastici 4. *Eleemosynam pauperis ne defraudes.* Item Luc. 11. *Verumtamen quod superest, date Eleemosynam*, & alibi. Et quidem Eleemosynam corporalem non tantum sub consilio, sed quandoque cadere sub præcepto, patet ex illo Matt. 25. *Discedite a me maledicti in ignem æternum: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Siquidem nullus damnatur ob omissionem consilii, sed solum ob violationem præcepti.

36. CONCL. II. Ad incurrendam obligationem dandi Eleemosynam duo concurrere debent, videlicet quod & accipiens in necessitate constitutus sit, & dans habeat bona superflua, unde dare possit Eleemosynam. Ita Doctores passim. Idque desumitur ex S. Scriptura clare, ut ex illo 1. Joan. 3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in eo?* Et consequenter, ut propter negatam Eleemosynam perdatur Charitas Dei, seu gratia sanctificans, requiritur, ut frater seu proximus noster habeat necessitatem, simulque nos habeamus substantiam, seu media sufficientia eum juvandi. Idem patet *ex eis verbis* Matt. 25. *Esurivi enim, & non dedistis mihi &c.*

37. Infertur proinde, si quis non habeat, unde det Eleemosynam, eundem contra hoc præceptum non peccaturum: quia ad impossibile nemo obligatur. Similiter si quis habeat quidem bona plurima, sed non adsit, qui habeat veram necessitatem, non tenebitur præcepto dandi Eleemosynam. Sed mox restat difficultas, quæ necessitas proximi inducat obligationem dandi eidem Eleemosynam, & quis censeatur habere bona superflua, ita ut obligetur de ipsis dare Eleemosynam, supposita subjecta patefacta vero necessitate proximi.

38. Pro resolutione hujus Quæstionis necessario est præmittendum, quod triplex possit intelligi necessitas proximi. Una extrema, cui si non succurratur, proximi vita certo, vel probabiliter periclitabitur. Altera necessitas dicitur gravis, cui si non subveniatur, proximus vitam ægrè & difficulter conservabit. Tertia necessitas est communis, & ordinaria, qualis est eorum, qui ostiatim mendicare solent.

39. Deinde etiam dupliciter potest quis intelligi, habere superflua bona. Primo quidem superflua naturæ: qualia censentur ea, quæ non sunt necessaria ad vitam, suam suorumque sustentandam, sive deinde requirantur ad honestam conservationem status sui, sive non. Secundo superflua statui personæ: qualia bona censentur ea, quæ etiam non sunt necessaria ad conditionem, seu statum personæ conservandum. Et hæc distinctio ostenditur a contrario sensu: nam, ut ex terminis patet, necessaria ad naturam dicuntur, quæ requiruntur præcisè ad vitam conservandam. Necessaria ad statum vero, quæ ad suum, suorumque statum conservandum requiruntur. Nunc sit

40. CONCL. III. Tempore necessitatis extremæ, vel quasi extremæ proximi, Eleemosyna est danda sub præcepto de superfluis naturæ seu vitæ, quamvis sint necessaria statui personæ; maximè si id fieri possit sine gravi dispendio propri status. Ita communis, & certissimum asserit Joannes Cardenas, *ad Propos. 12. Innocentii XI. num. 9.* Et hoc quidem clare desumitur ex hactenus citatis, aliisque pluribus textibus Sacræ Scripturæ. Accedit ratio: quia ordine Charitatis per se loquendo, præferenda est vita proximi decentiæ status nostri. Hinc S. Ambrosius, relatus *c. Pascat dist. 86.* sic ait: *Pascat fames morientem: quisquis enim non pascendo hominem servare potuit, si non pavisti, occidisti.*

41. Dicitur, *maxime si id fieri possit sine gravi dispendio propri status.* Quia in primis cessat hæc obligatio, quando quis non potest succurrere proximo, nisi cum plena eversione sui status: tum quia Charitas non obligat respectu proximi cum detrimento proprio respective gravi: tum etiam, quia utilius est Reipublicæ Nobilem retinere statum suum, quam quod privatus pauper vitam, alioquin ad breve tempus duraturam, non tam cito finiat, prout argumentatur Herincx *disp. 12. qu. 3. num. 46.* Deinde, nemo tenetur pauperi magnam dare quantitatem pecuniæ ad emendam exquisitissimam medicinam ipsi necessariam, sed sufficit adhibere media communia. Layman *l. 2. tract. 3. c. 6. n. 3.* Sa *Verb. Eleemosyna n. 4.* & alii. Insuper cessat istiusmodi obligatio, si tibi constet, quod ab alio juvandus sit pauper; nam tunc ei non censetur esse in extrema necessitate.

42. CONCL. IV. Loquendo nunc de bonis superfluis & naturæ, & statui personæ, conveniunt Doctores, ex eisdem dandam esse Eleemosynam non solum patientibus extremam, sed etiam gravem duntaxat necessitatem. Hinc, ut omittantur cætera Sacræ Scripturæ textus, S. Ambrosius *l. 1. Officiorum, cap. 31.* ait: *Grandis culpa est, si scias te fidelis egeat: si scias, cum fame laborare, animam pati, præsertim si mendicare erubescat.* Quibus postremis verbis eos indicat, qui honestis parentibus nati sæpe gravioré paupertate premuntur, dum publice mendicare erubescunt. Et quia in nonnullorum sententia vix amplius dabatur superfluum statui, sicque præsens præceptum, dandi Eleemosynam graviter indigentibus de superfluis statui, plurimum enervabatur, jure meritissimo Innocentius XI. inter alias sequentem, ordine 12. Propositionem damnavit: *Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad Eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.*

43. CONCL. V. Tandem loquendo de necessitate communi, utrum ex bonis superfluis naturæ, & statui personæ, sit sub præcepto, vel tantum de consilio danda Eleemosyna pauperibus communem necessitatem patientibus, variant Doctores. Verum communior & probabilior sententia sit, adesse obligationem saltem sub veniali: cum quilibet ex præcepto Charitatis teneatur subvenire proximo necessitatem patienti, si facile possit.

44. Intellige, nisi adsit ratio aliqua negandi: quia tunc nulla omnino culpa foret, negare Eleemosynam. Porro ejusmodi justa causa negandi Eleemosynam pauperibus rogantibus, inter alias censetur ea, si dives propositum habeat aliis pauperibus dandi, vel loco aut tempore opportuniori, sive pauperibus magis indigentibus. Quod si vero abundans divitiis omnes prorsus pauperes a se repellat, in malo plane statu versari videtur, utpote cum divite Epulone omni Charitate Dei & proximi exutus, atque inordinato nimium amore divitiarum affectus, cum Christus dicat Matth. 6. *Non potestis Deo servire, & Mammonæ.* Layman *loc. cit. n. 5.* & alii.

QUÆSTIO V.

De Correctione fraterna.

SUMMARIUM.

45 *Correctio proximi duplex, Judicialis, & fraterna.*
46 *De Correctione fraterna habetur speciale præceptum.*
47 *Quod ex genere suo obligat sub mortali.*
48 *Quatuor conditiones requiruntur, ut hoc præceptum obliget: quæ?*
49 *Hoc præceptum obligat omnes, magis tamen Superiores, quam subditos.*
50 *Et hi varias contra illud mortaliter peccant.*

51 *In correctione fraterna servandus est ordo a Christo præscriptus.*

52 *Casus, in quibus non est necesse præmittere monitionem secretam.*

53 *Aliter corripiendus inferior, aliter æqualis, aliter Superior; quomodo?*

54 *Tralati Ecclesiæ in Concionibus non taxandi.*

45. ADvertendum, quod Correctio proximi delinquentis duplex sit, una judicialis, altera fraterna. *Judicialis* dicitur illa, quæ fit a Potestate publica in bonum communem, id est, quando adhibetur remedium peccatis delinquentium a publicis Justitiæ ministris, secundum quod ea redundant in detrimentum boni communis. Et talis correctio est actus Justitiæ vindicativæ: verum de ipsa in proposito non est sermo. *Correctio fraterna* dicitur ea, quæ adhibet remedium peccato, in quantum est quoddam malum ipsius delinquentis. Et hæc est actus Misericordiæ spiritualis, quo per convenientem sermonem proximum a malo peccati avertere, & ad bonum honestum adducere conamur, juxta illud *Psal. 140. Corriget me justus, & increpabit me.* De qua loquendo sit

46. CONCL. I. De Correctione fraterna habetur speciale præceptum, juxta illud Salvatoris *Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*, & alibi. Quinimo hoc præceptum non solum est Divinum positivum, sed etiam naturale, quo membra ejusdem corporis se mutuo juvare tenentur; unde dicitur 1. *Corinth. 12. Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Et generaliter in lege Evangelica nullum præceptum Divinum continetur, quod non sit Juris naturalis, præter præcepta de Sacramentis, & de Fide. D. Thomas 2. 2. q. 100. *art.* 1. & 2. & alii.

47. CONCL. II. Præceptum hoc ex genere suo obligat sub mortali. Ita Mastrius *disp.* 10. *Theol. Mor. n.* 67. cum communi. Ratio est: qui Correctio fraterna fit ad lucrandum fratrem ab illum per peccatum mortale, juxta cit. textum *Matth. 18. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*; & consequenter hoc præceptum est de materia gravi. Accedit, quod præceptum Eleemosynæ corporalis obliget quandoque sub mortali; ergo multo magis Correctio fraterna, utpote Eleemosyna spiritualis, per quam subvenitur necessitati spirituali proximi.

48. Intellige tamen cum Bassæo, *tom. 2. V. Correptio fraterna. n.* 7. & aliis, quod hoc præceptum obliget, non quidem semper & pro semper (cum sit præceptum affirmativum) sed duntaxat pro aliquo tempore, seu concurrentibus certis conditionibus. Inter has autem conditiones prima est, ut moraliter certus sim de peccato proximi; alias enim non nisi temerarie agerem, ipsum corripiendo. Secundo, ut sit spes fructus, saltem probabilis: nam si nulla adsit spes fructus ex nostra correptione secuturi, sed magis appareat periculum secuturæ deteriorationis, aut aliorum malorum, ea erit omittenda, aut differenda in aliud tempus opportunius. Tertia conditio est, ut correptio commode fieri possit. Et quarta, ut non adsit magis idoneus ad corripiendum, qui possit, ac velit hoc onus subire.

49. CONCL. III. Etsi hoc præceptum Correctionis fraternæ generatim omnes obliget, tam subditos, quam Superiores; strictius tamen obligat Prælatos & Superiores, quibus aliorum cura incumbit. Ita Mastrius *loc. cit. nu.* 68. cum communi. Ratio primæ partis (quæ tamen intelligenda est concurrentibus præfatis quatuor conditionibus) patet ex illis generalibus verbis Christi, *Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum.* Altera vero pars ex eo probatur: quia subditi tantum ex Charitate tenentur corrigere proximum: Superiores vero non solum ex Charitate, sed simul etiam ex Justitia, ac vi officii sui.

50. Quinimo in hominibus vulgaribus, qui non habent tantam authoritatem, neque tantam prudentiam ad corripiendum proximum, hoc præceptum non tam frequenter occurrit. Unde præceptum illud est ample accipiendum, nec facile credendum, timoratos homines aliter contra illud peccare, præsertim si non fuerint Superiores. Imo etiam concurrentibus supra dictis quatuor conditionibus fieri potest, ut tantum peccetur venialiter, si nempe omittatur correptio ex quadam pusillanimitate, verecundia, timore aut tepiditate, qua quis reputat se minus idoneum ad faciendam correctionem, vel non existimat, se tam stricte obligari ad eam faciendam.

51. CONCL. IV. In Correctione fraterna servandus est ordo, quem Christus explicando obligationem Legis Naturalis præscripsit *Matt. 18.* illis verbis: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum &c. Si autem te non audierit, adhibe*

adhibe tecum adhuc unum vel duos testes: ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Ratio hujus salutarissimæ constitutionis est: ut sic consulatur famæ proximi; & fraterna correctio fiat modo, quo potest, secretiori, ac peccatum ipsius absque causa non manifestetur.

52. Cæterum hoc ipsum intelligendum est regulariter loquendo, & concurrentibus certis conditionibus: unde in pluribus casibus necessarium non est, servare hunc ordinem, imo interdum non expedit eundem observare. Et ita in primis accidit, quando peccatum proximi est publicum: hinc quippe dicitur 1. *Timoth. 5. Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.* Quod intelligitur de peccatis publicis: nam, ut loquitur S. Augustinus, *c. Quia aliquando. 5. Hat ergo, de pœnitent. dist. 1.* relatus, *Publica noxa publico eget remedio.* Secundo, si ex prima admonitione secreto facienda non speretur aliquis fructus, quin potius timeantur lites, odia, dissensiones inde orituræ, aut quod delinquens suum peccatum sit confirmaturus, cessat obligatio eam faciendi: siquidem ad inutile, vel nocivum, nemo obligatur: simulque deficiente fine adæquato legis (qualis in proposito est emendatio fratris, ejusque spiritualis profectus) cessat ipsa lex. Tertio, si peccatum proximi, quamvis occultum, sciatur adhuc futurum, simulque vergat in perniciem Communitatis, ut est proditio patriæ, dissemination hæresium, aut hujusmodi. Nam cum talibus peccatis communiter privata monitione satis certo, & efficaciter, consultum esse non videatur; imo potius perversi homines, dum se deprehendendos vident, callidius suam nequitiam occultare soleant, cessat prævia secretæ monitionis obligatio: quia juxta ordinem Charitatis, spectatis omnibus circumstantiis, major est habenda ratio boni communis, quam privatæ famæ delinquentis.

53. CONCL. V. Nihilominus urgente præfato præcepto aliter corripiendus est inferior, aliter æqualis, & aliter Superior. Ita certa, & communis Doctorum, & patet clare ex S. Scriptura. Siquidem inferior plerumque prius increpandus, & postea manifeste hortandus est, monente Apostolo *Galat. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Æqualis vero amice commonendus est, juxta illud 2. *Thessal. 2. Nolite quasi inimicum reputare, sed corripite ut fratrem.* Superior denique humiliter potius rogandus est, quam redarguendus, secundum quod dicitur 1. *Timoth. 5. Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.*

54. Præcipue tamen cavendum, ne Prælati Ecclesiæ in publicis Concionibus taxentur coram plebecula: ex hoc enim nullus fructus sperari potest, quin potius timenda est mentis amaricatio, plebis offensio & scandalum, ac vilipensio Prælatorum. Hinc merito in Clem. 1. de Privileg. *Religiosis ita virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ districtius inhibetur, ut in Sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant.* Et S. Hyeronimus *Epist. 4. ad Rusticum*, relatus *can. Si clericatus. 16. q. 1.* optimum omnibus relinquens exemplum, ait: *Non est humilitatis meæ, neque mensuræ judicare de Clericis, & de ministris Ecclesiarum sinistrum quidpiam dicere: habeant illi ordinem, & gradum suum.*

DISTINCTIO VII.

De Vitiis Charitati oppositis.

QUÆSTIO I.

De Odio Dei, & Proximi.

SUMMARIUM.

1 *Deus secundum se nequit odio haberi, sed solum quoad effectus suos.*
2 *Odium Proximi, duplex, personæ seu Odium inimicitiæ, & qualitatis seu odium abominationis.*
3 *Odium Dei, quale peccatum?*
4 *Odium Proximi est ex genere suo mortale.*
5 *Potest per accidens fieri veniale.*
6 *Odium inimicitiæ semper illicitum, non sic odium abominationis.*
(a) Ut dictum dist. 6. n. 25.
7 *Corollaria de odio inimicitiæ, seu personæ.*
8 *Et de Odio qualitatis personæ, quod vocant abominationis.*
9 *Optare sibi mortem a Deo, quando non sit peccatum?*
10 *Cavenda quoad propositum quædam Propositiones damnatæ.*
21 *Ratio damnationis refertur.*
22 *Aliæ Propositiones damnatæ.*
23 *Maledictio, quale peccatum sit?*
24 *Et cui virtuti repugnet?*
25 *De invidia, Acedia, remissive.*
(b) Tract. 3. dist. 3. q. 4. & 7. per totum.

1. ADvertendum, quod Deus dupliciter considerari possit: primo secundum se, ut est summum, ac infinitum Bonum; & sic a nullo potest Deus odio haberi: nam ubi nulla est ratio mali, ibi nullus potest esse actus odii. Deinde potest Deus considerari quoad effectus suos, quatenus scilicet punit peccatores, leges ac præcepta carni contraria posuit, immittit calamitates hujus sæculi diversas, & tandem transgressores mandatorum suorum æternaliter cruciat in inferno: & hoc pacto dæmones, & nonnulli perversi homines, Deum odio prosequuntur.

2. Advertendum ulterius, quod odium proximi duplex esse possit. Unum dicitur *Odium personæ*, quo personæ cuipiam nobis displicenti malum volumus, quatenus ipsi malum est: & hoc alio nomine dicitur *Odium inimicitiæ*. Alterum appellatur *Odium qualitatis*, quo personam aversamur duntaxat secundum malum ipsi adjacens, quod nobis vel aliis contrarium est, non autem secundum seipsam & hoc vocant *Odium abominationis*. Layman *l. 2. q. 3. c. 8. n. 1.* & alii.

3. CONCL. I. Odium Dei est peccatum gravissimum Charitati oppositum, neque illud ob parvitatem materiæ potest fieri veniale. Ita Bonacina *disp. 3. de Præceptis Decalogi, q. 4. punct. ult.* & alii. Ratio est: quia quodlibet odium in Deum repugnat summæ ejus Bonitati.

4. CONCL. II. Odium proximi ex genere suo est peccatum mortale, oppositum Charitati. Ita communis. Ratio est: quia sicuti virtute Charitatis Deum & proximum diligimus, ita actibus Charitati oppositis homo Deum & proximum detestatur; ergo & odium proximi est ex genere suo peccatum mortale, cum opponatur excellentissimæ virtuti Charitatis.

5. Dicitur, *ex genere suo*. Siquidem odium proximi potest fieri veniale, tum ob imperfectum animi consensum, seu indeliberationem actus (quod etiam in odio Dei locum habet) tum ob parvitatem materiæ: ut si quis leve malum alicui optet, aut si levem aliquam displicentiam seu modicam aversionem habeat erga proximum: hic enim non peccat mortaliter. Idem dicendum etiam, si quis fastidium, indignationem, & quandam modicam aversionem concipiat erga eos, qui nobis spiritualia consulunt, puta erga Concionatores, Confessarios, &c.

6. CONCL. III. Etsi interdum licitum sit, hominibus malis, sive peccatoribus, ex odio abominationis, seu ob qualitates pravas ipsis adjunctas, optare malum, v.g. ut ser Reipublicæ noxius sulpendatur; non quidem hoc optando, quatenus malum ipsius est, sed quatenus boni rationem habet, atque inde majora mala impediuntur (a) nihilominus odium inimicitiæ, quo personam proximi odio habemus, Charitati semper adversatur, ut dictum *Concl. præced.* Hinc

7. In-

7. Infertur I. Eum graviter peccare contra Charitatem, qui alicui magnum malum exoptat ex displicentia personæ, seu quatenus absolute ipsi malum est, non vero ob bonum ipsius vel alterius. Idem de eo dicendum, cui persona alterius tanquam infesta & odiosa displicet, sicque ipsam non esse desiderat, aut aliud grave malum ex animo peccatur. Et hoc ipsum procedit de illo, qui gaudet de gravi malo proximi, quia ipsi malum est. Ratio est clara: quia hæc pertinent ad odium personæ, quod vocant *Odium inimicitiæ*.

8. Infertur II. Secus esse dicendum de eo, qui gaudet de malo alicujus, vel tristatur de ipsius bono ex honesto motivo. Sic quippe a peccato mortali excusatur, qui de alicujus infirmitate, vel morte lætatur, eo quod sic non possit amplius nocere Communitati, aut sibi esse occasio peccandi. Similiter non peccat, qui tristatur, dignitates conferri indignis, impios exaltari, sicque habere ansam amplius nocendi probis hominibus: quia hæc spectant ad odium qualitatis personæ, quod alio nomine *Odium abominationis* appellant. Quinimo Bonacina *loc. cit. num. 7.* hoc extendit ad matrem, quæ mortem filiarum exoptat, eo quod non habeat, unde eas vel ob deformitatem, vel ob inopiam, honestis nuptiis tradat.

9. Insuper passim Doctores a peccato excusant eos, qui cum debita resignatione in Divinam voluntatem, atque patientia (secus, si fiat ex impatientia, aut desperatione) sibi a Deo mortem exoptant ad subterfugiendas multiplices miserias hujus sæculi. Et multo magis id dicendum, si tale desiderium concipiatur ex metu Deum offendendi peccato mortali, aut ex desiderio ipsum æternaliter videndi in æterna beatitudine: nam tale desiderium passim a Libris Ascetis commendatur tanquam bonum, laudabile, denique placens, juxta illud Apostoli, Philipp. 1. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.*

10. Ne autem in præsenti materia laxentur habenæ malitiis hominum ob indiscretas, imo scandalosas quorundam illationes, merito hinc malo Sedes Apostolica providendum censuit, dum Innocentius XI. Anno 1679. sequentes Propositiones, *suas facere, ut minimum tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas* (ita sonat censura) *esse damnandas, & prohibendas statuit, & decrevit.* Una, & ordine 12. sic sonat: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* Ita Propositio damnata.

11. Ratio hujus damnationis est: quia quamvis ordinate, & salva Charitate fieri valeat, quod quis sive ob bonum spirituale ipsius, vel alterius, aut propter bonum commune Reipublicæ, vel etiam ad evitandum ingens malum temporale, optet alteri mortem, vel aliquod temporale incommodum, prout notat tum Doctor Angelicus 2.2. *q. 76. art. 1. & 3. dist. 10. art. 1.* tum Doctor Subtilis 3. *dist. 30. q. un.* (sic enim principalis intentio non fertur ad malum, sed ad bonum spirituale ipsius, vel alterius, vel ad bonum Communitatis, & ut alter nocere desinat) nihilominus illicitum est, & Charitati repugnans, optare mortem proximo ob bonum temporale non necessarium, aut quodcunque etiam modicum: quia tale bonum censetur esse levioris momenti facta comparatione cum vita hominis; ut recte notat Joan. Cardenas *in Crisi Theologica ad cit. Propositionem 13. Innocentii XI. cap. 3.*

12. Altera, & ordine 14. Propositio damnata, sic sonat: *Licitum est absolute desiderio cupere mortem patris, non quidem, ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventuræ est pinguis hæreditas.* Similiter & sequens Propositio, ordine 15. merito est damnata: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.* Hæ proinde Propositiones, tanquam damnatæ, erunt cavendæ; idque ob rationes *num. prec.* allatas, quæ fortius urgent in proposito, ob amorem a filiis specialiter debitum parentibus.

13. Quæres, quale peccatum sit maledictio, qua alicui homini malum imprecamur, v. g. ut fulmine, laqueo pereat, diabolus eum rapiat, &c. Resp. I. Certum est, maledicere alicui serio, & ex animo esse ex genere suo peccatum mortale, quamvis ex inconsideratione actus, vel levitate materiæ, aut si non fiat serio, sed potius ad offendendam suam displicentiam, vel indignationem, possit esse veniale: puta, si pareus filio, hera ancillæ malum imprecetur, non ex animo, ut ita eveniat, simulque id fiat absque notabili honoris imminutione, uti post alios exemplificat Layman *loc. cit. cap. 8. num. 8.*

14. Resp. II. Proximo sine justa causa se-

rio maledicere, seu malum optare, Charitati repugnat, & ad peccatum Odii pertinet; interdum etiam Justitiæ repugnat, & ad Contumeliam spectat. Ita communis. Exemplum prioris est: si quis culpiam absenti ex animo maledicat: nam hoc soli Charitati contrariatur. Exemplum posterioris est: si quis serio maledicat præsenti, ac in faciem ipsius, hoc enim insuper continet Contumeliam, quia lædit honorem Proximi.

15. Solent hoc loco Doctores agere pariter de Invidia, & Acedia, utpote quæ etiam sunt peccata mortalia Charitati repugnantia. Verum de istis jam dictum superius (b) explicando septem Peccata Capitalia, inter quæ & hæc duo connumerantur.

QUÆSTIO II.

De Scandalo.

SUMMARIUM.

16 *Scandalum, quid?*
17 *Scandalum activum seu datum, quid? Est adhuc duplex.*
18 *Scandalum passivum generatim. Scandalum acceptum. Subdividitur in Scandalum pusillorum, & Pharisaicum.*
19 *Peccatum speciale Scandali, quando committatur?*
20 *Non semper est peccatum mortale.*
21 *Scandalum activum quando, & quale peccatum sit?*
22 *Idipsum amplius ostenditur.*
23 *Causa justa faciendi aliquid indifferens, quo alter creditur abuciurus, quæ?*
24 *Vitanda tamen Propositio damnata.*
25 *Scandalum mere passivum interdum permitti potest, interdum non.*
26 *Quando non posse permitti? Et quando posse?*
27 *An ex causa liceat sit, prave ab alio talia, qua non sine peccato præsturus existimatur? Exempla, in quibus id licet.*
28 *Quid dicendum de Scandalo Pusillorum, & Pharisæorum?*

16. CONCL. I. Scandalum recte definitur, dicendo: *Scandalum* est dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis. Ita communis. Dicitur, *dictum, vel factum*; quia externa tantum actio (subintelligo quoque omissionem ejus) potest habere rationem Scandali, non autem sola cogitatio interna. Et additur, *minus rectum*; quia non solum actio mala, sed quæ tantum habet speciem mali, potest habere rationem Scandali, si alteri occasionem peccandi præbitura sit.

17. CONCL. II. Ejusmodi Scandalum dividitur in activum, & passivum. *Scandalum activum*, quod & datum appellant, est illud, cui proxime data definitio convenit, & de quo ex professo loquimur. Et hoc rursus duplex est: nam Scandalum activum aliud est propriùm, seu per se tale, dum scilicet quis expressa intentione dat alteri occasionem peccandi, hortando, inducendo, vel faciendo aliquid, quod per se est inductivum ad peccatum, & hoc dicitur *Peccatum speciale Scandali*. Aliud est impropriè activum: ut sit, si quis ejusmodi actionem exerceat, quæ suapte natura apta est alteri occasionem peccati præbere, etsi hoc non intendat: ut si quis die jejunii carnes comedat coram talibus personis, quæ spectatis circumstantiis possint inde accipere occasionem violandi præceptum Ecclesiæ, vel Fidei jacturam faciendi.

18. *Scandalum passivum* generatim est ipsa spiritualis ruina proximi, in quam quis labitur occasione ab alterius dicto, vel facto accepta. In proposito tamen passivum accipitur, prout contradistinguitur ab activo, atque alio nomine dicitur *Scandalum acceptum*, seu *Scandalum mere passivum*: estque illud, cum & præter intentionem operantis, & præter naturam, seu conditionem operis, alter ex eo peccandi occasionem accipit. Et hoc subdividi potest in *Scandalum pusillorum*, quod ex hominis ignorantia, vel fragilitate provenit: & in *Scandalum Pharisæorum*, quod ex mera malitia alterius ortum habet: prout olim Pharisæi, propria malitia, & invidia erga Christum excæcati, ex optimis ejus actionibus, miraculis, & doctrinis scandalizati sunt, a quibus proinde *Scandalum Pharisaicum* appellatur.

19. CONCL. III. Peccatum speciale Scandali committitur, quoties quis dat, seu dare intendit alteri occasionem ruinæ spiritualis, ea nempe intentione aliquid dicendo, vel faciendo, ut ille peccet: & talis, qui alium inducit ad peccatum intendens illius damnum spirituale, peccat duplici peccato, videlicet peccato speciali Scandali, quod opponitur Charitati, & Correctioni fraternæ; simulque eo peccato, quod ab altero committitur, seu ad quod induxit alterum. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia, qui ex intentione est causa peccati alterius, hoc ipso vult illud peccatum, & consequenter etiam ipsius est reus, & non solius peccati Scandali. Hinc talis non satisfacit in Confessione, dicendo, se alterum ad peccatum induxisse, sed tenetur insuper exprimere speciem peccati, ad quod induxit, utpote vel directe, vel saltem indirecte & in sua causa voliti.

20. Advertendum tamen, non semper esse peccatum mortale, licet quis expresse intendat ruinam proximi: quia si hoc sit duntaxat peccatum veniale, ut puta levis indignatio, ad quam quis proximum inducere intendit, erit tantum peccatum veniale. Ratio est: quia quantitas culpæ peccati Scandali ex solo proximi damno desiderato pensanda est. Bailetus *V. Scandalum num. 6.*

21. CONCL. IV. Scandalum activum ex suo genere est peccatum mortale, quoties quis tenetur impedire occasionem peccati proximi, abstinendo ab opere illo, quod est occasio Scandali, & non abstinet, sive deinde intendat ruinam proximi, sive non. Ita communis; & ratio clara est: quia (ut supponitur) tenetur impedire occasionem peccati proximi, & non impedit: inde locum habet illud Salvatoris, *Matth. 18. Væ homini illi, per quem scandalum venit.* Additur notanter, *quoties tenetur impedire abstinendo &c. & non abstinet*: quia non semper tenetur quis abstinere, ut amplius declarabitur in sequentibus.

22. CONCL. V. Licet is, qui absque sufficienti & justa causa facit opus indifferens (idem a potiori dicendum de opere ex se malo, seu peccaminoso) quo credit alios abusuros ad peccatum, censeatur cooperari peccato alieno, dando Scandalum activum, & consequenter peccet: nihilominus si quis aliquid ex se indifferens faciat justa intercedente causa, non peccat, quamvis ex eo alterum videat sumpturum occasionem peccandi, dummodo hoc nullatenus intendat. Ita Doctores passim. Ratio primæ partis est: quia quilibet tenetur, quantum commode potest, præcavere, atque impellire peccatum proximi; aliter enim faciendo censetur illud indirecte, sive in sua causa velle. Altera vero pars fundetur ex eo: quia talis non censetur cooperari, neque velle peccatum alterius, sed jure suo utendo illud duntaxat permittere.

23. Porro justa causa faciendi aliquid indifferens, quamvis eo credatur alter abusurus, non solum est grave damnum, quod quis pateretur abstinendo a tali opere, verum etiam quævis alia causa, quæ judicio viri prudentis justa censetur. Nam non semper æqualis causa erit proportionata ad excusandam ministrationem indifferentium, cuipiam abusuro factam: sed quandoque major, vel minor requiritur causa, prout & illa indifferentia remotius, aut propinquius ad illum abusum propinquant; vel etiam gravior, aut minus gravis est obligatio illius virtutis, cui peccatum illud proximi hac occasione committendum opponitur, uti notat Sanchez *lib. 1. in Decalogum, cap. 7. num. 12.* cum aliis. Sic vendens ornamenta, vel fucos, quibus mulier jam parata abutetur, excusari potest a peccato mortali, si ipso non vendente alter venderet: quia vendere talia ex se est indifferens, ac remote solum dat ansam peccato, simulque subest proportionata causa vendendi; nam alioquin mercatori sequeretur damnum notabile, cum negando talia passim amitteret emptores. Et ob eandem causam excusari possunt caupones vinum præbentes illis, qui timentur se inebriaturi; vel præbentes coenam eis, qui eandem in die jejunii petunt: item & famuli parantes mensam, aut mensæ inservientes, vel cibos coquentes: quia hi non concurrunt ad potationem, vel comestionem, ut est inebriatio, vel fractio jejunii, sed ut est quid deserviens ad refectionem, quod non est intrinsece malum, sed indifferens.

24. E contra vero Innocentius XI. jure sequentem Propositionem, ordine 15. damnavit: *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem deservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, cum peccat mortaliter, si id faciat merta notabilis damni, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Et merito hæc Propositio damnata, sicque vitanda est: eo quod actiones illæ admodum propinque ad peccatum accedant, imo ad id cooperentur, dum quis eas sciente exercet.

25. CONCL. VI. Scandalum mere passivum, seu acceptum ex nostra operatione, quæ neque in se, neque in specie externa illicita est, interdum permitti potest, interdum non. Ita Layman *l. 2. tract. 3. cap. 13. n. 8.* cum aliis communiter. Ratio est: quia præceptum impediendi spiritualem ruinam proximi non permittendo scandalum pas-

passivum, est præceptum affirmativum: hoc autem non semper obligat, sed concurrentibus certis conditionibus.

26. Itaque scandalum mere passivum permitti non potest, sed debet impediri quotiescunque nulla ratio necessitatis, vel utilitatis propriæ, aut alienæ cogit nos quidpiam agere, ex quo putamus alterum fore scandalizandum, seu sumpturum occasionem peccandi: quia lex Charitatis nos obligat impedire peccata proximi, non minus, ac alia ejus damna, si facile possimus. Et contra vero ob causam necessitatis, vel utilitatis, potest permitti Scandalum mere passivum; ac proinde, si urget necessitas, vel utilitas, licite aliquid cæteroquin non malum dicta nobis, quamvis ex fide alii sumant Scandalum, seu occasionem peccandi. Exempla nonnulla patent ex dictis n. 23.

27. Quinimo fas est ob justam causam necessitatis, seu utilitatis, petere ab altero talia, quæ recte & sine peccato fieri possunt (notanter hoc additur, quia nunquam licet inducere alterum ad agendum id, quod sine peccato fieri nequit) tametsi alter male, & non sine peccato hoc præstaturus existimetur. Sic licite ab usurario in casu indigentiæ petitur mutuum; quamvis ille sciatur usuras exacturus, & sic peccaturus. Similiter, si id necessitas postulet, possim ab Infideli juramentum exigere, licet sciam ipsum juraturum per falsos deos. Insuper Parochianus potest a Parocho conculinario exigere, & recipere Sacramenta, quamvis timeat, hunc nonnisi cum peccato ministraturum. Ratio est: quia talia opera possunt licite præstari; nam potest Sacerdos præmissa, si velit, Confessione, vel saltem Contritione, absque ullo peccato ministrare Sacramenta, alter jurare per Deum verum, si hunc agnoscere velit, aut dare gratis mutuum: unde quia habeo justam causam exigendi, non peccabo talia exigendo, ac permittendo eorum peccata.

28. CONCL. VII. Major tamen causa requiritur, ut permittatur Scandalum passivum ex infirmitate, aut ignorantia, quod vocant *Scandalum pusillorum*, quam requiratur ad permissionem Scandali Pharisaici, seu ex malitia. Ita communis. Unde notant Doctores, Scandali Pharisaici nullam plerumque habendam esse rationem: si autem præviderint Scandalum ex ignorantia, vel fragilitate secuturum, plerumque esse condescendendum, aut præmittendum debitam instructionem, vel admonitionem.

QUÆSTIO III.

De Discordia, Contentione, & Schismate.

SUMMARIUM.

29 *Discordia, quid?*
30 *Contentio, quid?*
31 *Contentio, quale peccatum?*
32 *Schisma, quid?*
33 *Et quale peccatum?*
34 *Schisma aliud purum, aliud conjunctum cum hæresi.*
35 & 36 *Quid faciendum tempore Schismatis, quando electi sunt duo Pontifices?*
37 & 38 *Optima practica pro tali tempore.*

29. CONCL. I. *Discordia* est dissensio voluntatum circa bonum, quod ex charitate velle debemus. Ita D. Thomas 2. 2. q. 37. art. 1. & alii. Sicut enim concordia & pax consistit in consensione voluntatum, ita discordia in earum dissensione. De hac utraque extat vulgatum illud proverbium: *Concordia res parvæ crescunt, Discordia magnæ dilabuntur*. Dicitur in data definitione, *dissensio voluntatum circa bonum*: nam discordia circa malum non est vitiosa, sed laudabilis. Et additur, *quod ex Charitate velle debemus*: non enim est peccatum Discordiæ, dissentire in bono, quod facere ex Charitate non tenemur, v.g. si socium rogantem, ut cum eo Religionem ingrediaris, aut peregrineris, sequi recuses.

30. CONCL. II. *Contentio* est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. Ita Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 11.* cum aliis. Et hæc dupliciter fieri potest; nimirum vel ex intentione formali, quando scilicet quis agnitam veritatem impugnat: vel ex intentione virtuali, si quis doctrinam impugnet non curans, sive ea sit vera, sive falsa.

31. Cæterum Contentio, seu veritatis impugnatio, est ex genere suo peccatum mortale (quamvis ob imperfectionem actus, vel parvitatem materiæ possit esse veniale) quia opponitur Charitati, & paci. Unde Apostolus *ad Galat. 5.* inter opera carnis, quæ excludunt a regno Cælorum, enumerat *Contentiones*. Hoc tamen intellige de tali veritatis impugnatione, quæ serio fit: nam si a Scholasticis exercitii causa, aut ad explorandam alterius doctrinam, fiat cum debitis circumstantiis, ea solet esse laudabilis.

32. CON-

32. CONCL. III. *Schisma* est illicita divisio, per inobedientiam ab unitate Ecclesiæ facta. Ita in re communis. Et sensus est, quod peccatum Schismatis committatur, quando quis sese segregat ab unitate Ecclesiæ, prout ea est Corpus mysticum, ex diversorum statuum Fidelibus, tanquam membris inter se, & cum uno Capite Christo, ejusque in terris Vicario connexis compositum.

33. Schisma opponitur Charitati, qua tenemur diligere Corpus mysticum Ecclesiæ, ejusque Caput Visibile, Christique in terris Vicarium Romanum Pontificem. Unde D. Augustinus *lib. 1. de Serm. Domini, cap. 5. ait: Ubi Charitas non est, non potest esse justitia, quam charitatem si Schismatici haberent, non dilacerarent Corpus Christi, quod est Ecclesia.*

34. CONCL. IV. Schisma subdividitur in purum, & conjunctum cum hæresi. *Schisma purum* non opponitur Fidei, sed Charitati duntaxat & paci: ut si quis ex mera malitia abstraheret se ab obedientia veri Romani Pontificis, & alteri adhæreret. *Schisma conjunctum cum hæresi* dicitur, quando insuper negatur aliqua propositio Fidei, ut puta Primatus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, aut hujusmodi. Et quidem Schisma plerumque tandem transit in hæresim, prout notatur *can. Inter hæresim 24. q. 3.* ibi: *Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest: cæterum nullum schisma in aliquam fidei confugit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.*

35. Quæres, quid faciendum sit tempore Schismatis, quando electi sunt duo Summi Pontifices? Resp. I. Si sit unus certus Papa, de quo prudenter dubitari non potest, ei erit adhærendum: & qui alteri favent, sunt Schismatici.

36. Resp. II. Si vero in tali casu legitimus Papa sit dubius, ita ut non possit prudenter cognosci, nulli est adhærendum. Ita Sanchez *disp. 12. de Schismate, sect. 1. n. 11.* Cajetanus, Sylvester, Basæus, & alii. Ratio est: quia revera tunc nemo ex istis duobus habet verum jus in Ecclesiæ acquisitum. Accedit, quod temerarium sit, ac periculosum, dubia habere pro certis.

37. Itaque unusquisque tunc se gerat, ut unum Ecclesiæ membrum, & Christo Capiti adhæreat, dubios ejus Vicarios habens pro dubiis, paratus uni certo adhærere, quando Ecclesiæ provisum fuerit de certo: quod si contrarium fiat, Schisma fovetur, & hac ex parte peccari potest. Interea vero Christiana Plebs satisfaciet adhærendo suis Episcopis, Parochis, & Doctoribus Catholicis, semper paratæ adhærere illi Papæ, quem Ecclesia tanquam legitimum receperit. Et hæc sententia Suarezii est tutior, & in praxi tenenda.

38. Nihilominus Sayrus *in Thesauro lib. 3. cap. 5. num. 22.* & Trullench arbitrantur, quod quamdiu causa est dubia, & duo vel plures contendunt de Papatu, ac se pro summis Pontificibus gerunt, nec per Concilium Generale res est determinata, tam ipsi, quam sequaces eorum a peccato excusentur; dummodo parati sint ad determinationem Concilii Papatu se abdicare, & ejusdem Concilii determinationi, ac Decreto acquiescere. Cæterum prior Suarezii sententia tutior est, & merito tenenda. Basæus *tom. 2. V. Schisma, num. 5.* & alii.

QUÆSTIO IV.

De Bello, & variis ipsum concernentibus.

SUMMARIUM.

39 *Ratio Ordinis.*
40 *Bellum, quid, & quomodo differat a seditione, & rixa?*
41 *Bellum ex natura sua licitum est, si debitæ conditiones habeat.*
42 *Tres ad Bellum justum conditiones requiruntur, quæ?*
43 *Potest dari Bellum ex utraque parte justum formaliter, non autem materialiter.*
44 *Subditi in dubio de justitia belli, possunt servire Principi.*
45 *Quid dicendum de extraneis,*
46 *Vel paratis sequi quadcunque Bellum?*
47 *In Bello juste licite occiduntur nocentes.*
48 *Quid de Innocentibus?*
49 *In Bello justo, cui acquirantur bona hostium?*
50 *Quid de injustis?*

39. SOlent hoc loco passim Doctores agere de Bello, sive quod per ipsum Charitas plurimum lædatur, præsertim si est injustum; sive quia finis Belli pax est, & securitas, *arg. c. Noli 23. q.*

1. ibi: *Bellum gerite, ut pax acquiratur.* De quo proinde loquendo sit

40. CONCL. I. *Bellum* est conflictus armorum, authoritate Principis Superiorem non recognoscentis indictus. Ita communis. Differt autem a Seditione, & Rixa, quod Bellum sit multitudinis contra extraneos; *Seditio* multitudinis contra multitudinem ejusdem communitatis: *Rixa* vero paucorum, vel singulorum, contra paucos vel singulos.

41. CONCL. II. Bellum, si debitis conditionibus vestitum sit, ex natura sua licitum est. Patet hoc ex innumeris S. Scripturæ locis. Idque intelligendum est, sive Bellum sit mere defensivum, utpote quia Jure naturæ licitum est, vim vi repellere: sive etiam offensivum, quo sumitur publica vindicta de gravibus injuriis, si aliunde congrua satisfactio obtineri nequeat.

42. CONCL. III. Ad Bellum justum tres præsertim requiruntur conditiones, videlicet authoritas legitima Principis Superiorem non recognoscentis, justa causa, & recta intentio. Ita Doctores communiter cum D. Thoma 2. 2. qu. 40. art. 4. Et quidem, si prima vel secunda conditio desit, Bellum non solum Charitati, sed etiam Justitiæ contrarium est cum onere restituendi damna illata: si autem deficiat sola tertia conditio, id est, intentio recta, non est contrarium Justitiæ, sed soli Charitati. Mastrius *disp.* 10. *Theol. Moral. n.* 107. & alii.

43. CONCL. IV. Potest Bellum ex utraque parte esse justum formaliter, non tamen materialiter. Ita cit. Mastrius *num.* 109. cum communi. Et quidem Bellum non posse ex utraque parte esse justum materialiter, seu a parte rei, ac per se loquendo, patet ex eo; quia realiter & a parte rei, soli uni parti potest competere jus. Cæterum quia sæpe ob ignorantiam, vel diversarum opinionum probabilitatem, hoc jus ignoratur, hinc per accidens seu formaliter accidere potest, Bellum ex utraque parte esse justum; prout simile quid sæpe numero contingit in causis civilibus, sive forensibus.

44. CONCL. V. Subditi in dubio de justitia Belli, pro Principe ad Bellum eos vocante præsumere, eique parere, & militare possunt. Ita Layman *l.* 2. *tract.* 3. *cap.* 12. *nu.* 8. cum aliis. Ratio est: quia in dubio quisque tenetur obedire Principi, vel Superiori suo. Sufficit proinde, ut talibus subditis (idem dic de militibus conductitiis, si illis postea Bellum imperetur, de cujus justitia dubitant) manifeste non constet de injustitia Belli.

45. Cæterum milites extranei, atque voluntarii, vocati ad Bellum, justitiæ causam magis examinare tenentur; & si de justitia Belli dubitent, ita ut in neutram partem prudenter assentiantur, plerumque militare non possunt; quia nulla cogente, aut excusante obediendi necessitate, exponunt se periculo gravissimæ injuriæ inferendæ. Dicitur, *plerumque*; nam si quidem causa bellandi speculative appareat dubia, simul tamen præsumptio sit, Principem cum Consiliariis causam illam prius diligenter examinasse, bonaque fide ad Bellum procedere, damnari non debent milites, etiam extranei, si eidem, deposito practice suo dubio, pro stipendio serviant. Layman *loc. cit.* cum aliis.

46. Illud vero apud omnes in confesso est, milites, qui parati sunt sequi quemcunque ad Bellum vocantem, sive justum sit, sive injustum, dummodo stipendium præbeat, verari in malo statu, & nisi proposito mutent, a Confessario absolvi non posse. Layman ibidem, Bassæus *V. Bellum n.* 9. & alii.

47. CONCL. VI. In Bello justo licite occiduntur omnes nocentes ac rebelles, non solum in ipso pugnæ congressu, sed etiam post partam victoriam, si eorum mens ad vindicandam injuriam, & pacem atque securitatem firmandam, necessaria videatur: nisi forte sub promissione vitæ sese dederint; tunc enim pactum erit servandum. Ita Mastrius *loc. cit.* cum communi. Addunt tamen, *nisi forte sub promissione &c.* Nam, ut dicitur *c. Nobis* 23. *q.* 1. *Fides, quando promittitur, etiam hosti servanda est.*

48. Porro Innocentes (quales de Jure naturæ sunt pueri, ac mulieres; de Jure vero Ecclesiastico Religiosi, Clerici, peregrini, homines simplices ac rustici, idque secundum juris præsumptionem, quamdiu contrarium de ipsis non ostenditur, *arg. c. Innovamus de Tregua & pace.*) Innocentes, inquam, per se atque ex intentione in Bello occidere nunquam licitum est: per accidens tamen, ac præter intentionem aliquando possunt occidi, ut puta si Bellum geri, vel victoria obtineri nequit, nisi innocentes una cum nocentibus, quibus permixti sunt, simul occidantur; prout accidit in arcium eversione, urbium expugnatione, &c. Nam tunc ratio boni communis præponderat privato.

49. CONCL. VII. In Bello justo bona mobilia ab hostibus capta Jure Gentium fiunt occupantis; quod verum est, nisi consuetudo, vel leges particulares locorum contrarium statuant: Bona autem immobilia fiunt Principis, vel Reipublicæ justum Bellum indicentis. Ita communis; & patet ex §. *Item ea, Inst. de Rerum divisione*, ibi; *Ea, quæ ex hostibus capimus, Jure Gentium statim nostra fiunt.* Concordat textus *l. Si quid bello. ff. de Captivis*, juncta Glossa ibidem, recte hoc de rebus mobilibus intelligens. Quod si tamen alicubi vigeat lex particularis, vel consuetudo, ut tota præda in communi reponatur, & singulis æqualiter dividatur, juxta illud Davidis Regis effatum, *1. Reg. 30. Æqua pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter divident*; tunc ea omnimodis erit observanda.

50. Dicitur notanter, *in Bello justo.* Nam capta hostibus in bello injusto, omnia sunt obnoxia restitutioni, ut dictum *n.* 42. Plura de Bello dicere non juvat, si verum est illud Poetæ.

Nulla salus Bello: pacem deposcimus omnes.

TRACTATUS V.

DE RELIGIONE, ET VITIIS OPPOSITIS.

1. PRæsens de Religione Tractatus, & cuivis Catholico perutilis, & Confessariis scitu admodum est necessarius: cum enim ad Religionis virtutem pertineat, uni Deo debitam exhibere reverentiam & cultum, eademque inter alias virtutes Morales sit excellentissima, utpote proximius ad Deum accedens in quantum operatur ea, quæ directe & immediate ordinantur in honorem Divinum; hinc patet, quam utilis sit cuilibet tantæ virtutis exactior notitia, ad perfectiorem illius exercitationem apprime conducens.

DISTINCTIO I.

De Virtute Religionis, & variis ejus Actibus.

QUÆSTIO I.

De natura, objecto, & præstantia virtutis Religionis.

SUMMARIUM.

2 *Utilitas præsentis Tractatus.*
2 *Religio, unde sit dicta?*
3 *Sumitur tripliciter.*
4 *Religio, quid?*
5 *Cultus & Honor differunt; quomodo?*
6 *Objectum Religionis quale?*
(a) Ut dictum Tr. 4. Disp. 1. n. 8. & 10.
7 *Religio inter virtutes Morales præstantissima.*
8 *A Religione possint imperari actus virtutum Theologicarum, & aliarum omnium.*

2. NOmen *Religionis a religando* dictum est, eo quod nos Omnipotenti Deo religet, seu astringat, juxta illud D. Augustini, *lib. De vera Relig.* circa finem: *Religet nos Religio uni Omnipotenti Deo.* Quamvis alii aliam hujus nominis derivationem assignent, dum volunt, Religionem dici *a relegendo*, quod ea, quæ ad cultum Divinum pertinent, sæpius sint animo relegenda, seu revolvenda: vel tandem *a reeligendo*, quod per eam Deum, quem per peccatum rejecimus, rursum eligamus, seu reeligamus.

3. Tripliciter autem sumitur Religio. I. Pro virtute, qua debitum Deo cultum exhibemus. II. Pro formula cultus Divini omnibus communi, per quam mancipantur homines obsequio divino, quantum præcise necessarium est ad salutem consequendam: sic dicitur Religio Christiana, & Religio Catholica. III. Pro Statu Religioso; nec aliud est, quam Fidelium ad Christianæ Charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, stabilis in communi vivendi modus; in quo sensu dicitur *Religio Seraphica, Religio S. Dominici*, &c. & ejus Professores dicuntur *Religiosi*, & quandoque

que *Regulares*, a speciali Regula, quam profitentur. In proposito sumitur Religio in prima dumtaxat acceptione, seu quatenus est virtus, prout inscriptio præsentis Distinctionis, & Quæstionis, satis indicat, ibi: *De Virtute Religionis*.

4. CONCL. I. *Religio* est virtus moralis, inclinans ad debitum cultum Deo tanquam primo rerum omnium Principio exhibendum. Ita Lactantius *lib. 4. Divin. Instit. c. 28.* estque in re communis. Dicitur, *Virtus*; quæ particula stat loco generis. Et additur, *Moralis*, ad differentiam Virtutum Theologicarum, a quibus distinguitur.

5. Dicitur ulterius, *ad debitum cultum* &c. Ubi per cultum intelligitur honor, non quidem quomodocumque, sed cum quadam animi submissione exhibitus *Deo, tanquam primo rerum omnium Principio*, prout denotant verba sequentia. Nam hujusmodi submissionem honor in genere non includit; quia honor exhibetur non solum Superioribus, sed etiam æqualibus, imo & inferioribus, juxta illud Apostoli *Rom. 12. Honore invicem prævenientes*. Honor quippe generatim nihil aliud est, quam testimonium excellentiæ alterius; Cultus autem ulterius addit submissionem unius ad alium: unde Deus honorat quidem Sanctos, non vero colit. Nos vero per virtutem Religionis non solum absolute seu nude honoramus Deum, ipsius protestando excellentiam; sed etiam colimus, protestando supremam ejus excellentiam, nostramque ad ipsum submissionem, tanquam ad primum rerum omnium Principium: utpote cum omnia producat, conservet, atque gubernet infinita Sapientia, Bonitate, atque Potentia sua.

6. CONCL. II. Objectum materiale atque immediatum Religionis, sive *Objectum Quod* (ut loquuntur Theologi) non est DEUS, sed ipsemet debitus cultus Deo exhibendus; quamvis virtus Religionis remote quodammodo, & indirecte, etiam Deum respiciat pro objecto, nempe pro *Objecto Cui*: id est, quem attingit per actus suos tanquam finem, seu cui debitum cultum exhibere studet. Ita Lessius *lib. 2. de just. & jure, cap. 36. dubitat. 2.* Herincx *disp. 1. de Religione, quæst. 1.* estque in re communis. Ratio est: quia per hoc Religio differt a tribus Virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate, quod hæ immediate respiciant Deum, tanquam *Objectum Quod* saltem primarium; idoque immediate nos conjungant Deo. Econtra vero Religio respicit immediate cultum Deo exhibendum, tanquam *Objectum Quod*, ipsum vero Deum tanquam *Objectum Cui*, seu mediante cultu, qui ei exhibetur. (a) Porro Objectum formale Religionis vel est ipsa Divina Excellentia, vel debitum in ea fundatum, indeque consurgens honestas colendi Deum.

7. CONCL. III. Etsi Virtutes Theologicæ sint præstantiores Religione, eo quod immediate attingant Deum, tamen inter Virtutes Morales Religio est omnium præstantissima. Ita Doctores communiter cum D. Thoma 2. 2. q. 81. *art. 6.* Ratio est: quia excellentia virtutum desumitur ex præstantia objecti, ac modi illud attingendi: atqui Religio post Virtutes Theologicas (utpote quæ pro objecto immediato habent ipsum met Deum) habet objectum præstantissimum, videlicet debitum cultum Deo exhibendum, simulque magis de propinquo accedit ad Deum, tanquam ultimum Finem nostrum; ergo. Minor probatur inductione: nam Misericordia v. g. respicit pro objecto miseriam Proximi sublevandam, Justitia jus suum cuilibet reddendum, & sic loquendo de cæteris; At Religio respicit pro objecto cultum Deo exhibendum, sicque propinquius attingit Deum.

8. CONCL. IV. Nihilominus actus virtutum tum Theologicarum, tum aliarum omnium, possunt a virtute Religionis imperari, hocque aliquo modo ad hanc spectare. Ita Herincx *loc. cit. n. 3.* Bassæus *tom. 1. V. Religio 7. num. 4.* & alii; Ratio est: quia omnes actus aliarum Virtutum possunt assumi ut medium colendi Deum, atque supremam ejus excellentiam profitendi. Sic D. Augustinus *c. 3. Enchiridii* ait, quod *Deus colitur Fide, Spe, & Charitate*. Similiter D. Jacobus *in sua Canonica cap. 1.* ait: *Religio munda & immaculata hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo*. Hoc quippe verificatur ex eo, quatenus ex motivo colendi Deum, nostramque erga eum submissionem profitendi, tales Virtutum actus elicimus; qui proinde a virtute Religionis imperantur, seu causantur. Nisi dicere velis cum Lessio *loc. cit. n. 12.* Religionem & Cultum interdum sumi generatim pro omni Virtutis officio, quo ordinamur ad Deum, sicque accipi in citato S. Scripturæ textu.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De variis actibus virtutis Religionis.

SUMMARIUM.

9 *Religio generatim, & proprie accepta.*
10 *Actus Religionis universim quot?*
11 *Alii sunt interni, alii externi.*
12 *Devotio, ut est specialis actus Religionis, quid?*
13 *Devotionis largior acceptio.*
14 *Devotionis causa.*
15 *Sacrificium proprie, quid?*
(a) Tract. 14. Dist. 5. per totum.
(b) Ut dictum. Quæst. præc. n. 5.
16 *Sacrificium sumitur quandoque large.*
17 *Oblatio late, & proprie accepta, quid?*
(c) Plura de his Tract. 11. Dist. 4. n. 9. & seqq.
18 *Primitiæ, quid?*
19 *Decima, quid.*
(d) Tract. 11. Dist. 4. q. 1. & seqq.
20 *Adjuratio, quid?*
21 *Fit duobus modis.*
22 *Laus Dei.*

9. ADvertendum, quod quamvis Religio interdum sumatur generatim pro omni actu virtuoso, quo ad Deum ordinamur, eique obedire & placere studemus (nam & hoc modo servire Deo, sicque nostram erga Deum submissionem profiteri fatigimus) proprie tamen illi sunt actus virtutis Religionis, atque ab ea proxime eliciantur, qui peculiariter conveniunt nostram erga Deum subjectionem, seu quibus proprie significamus Divinam Excellentiam, & nostram erga Deum submissionem. Et de his loquendo, sit

10. CONCL. I. Actus Religionis universim sunt undecim, videlicet Adoratio, Oratio, Devotio, Sacrificium, Oblatio, Primitiæ, Decimæ, Votum, Juramentum, Adjuratio, & Laus Dei. Ita Doctor Angelicus 2. 2. q. 82. & seqq. cum communi, & patebunt singula magis ex dicendis.

11. CONCL. II. Ex hujusmodi actibus Religionis, alii sunt interni, alii externi. Horum priores sunt, qui sola mente interius perficiuntur; ut sunt Devotio, & Oratio: datur enim & Oratio mentalis, ac proinde hæc non necessario in opus externum prodit. Posteriores sunt, qui in opus externum prodeunt; ut sunt Sacrificium, Oblationes, præstatio Primitiarum, vel Decimarum, & hujusmodi. Et de his omnibus singillatim agendo, sit

12. CONCL. III. *Devotio*, ut est specialis actus Religionis, nihil aliud est, quam interna quædam sui ipsius ad cultum Divinum oblatio, seu traditio; & rectè describitur, dicendo: Devotio est actus voluntatis hominis, offerentis seipsum Deo ad serviendum. Ita communis: nam *Devotio* dicitur a *devovendo*, seu se ad alicujus servitium totaliter obstringendo. Unde & olim apud Gentiles *Devoti* dicebantur, qui seipsos Idolis devovebam in mortem.

13. Dicitur notanter, *Devotio, ut est specialis actus Religionis*. Siquidem Devotio quandoque sumitur non pro actu peculiari, sed pro ipsa pia affectione, seu promptitudine ad faciendum ea, quæ sunt Cultus Divini; ut sunt Orationes, Laudes Dei, Sacrificium, &c. Qua ratione illi, qui prompte & ferventer talia affectant, & superatis vani timoris, tergiversationis, & aliarum perturbationum difficultatibus, cum gaudio spirituali similia præstant, dicuntur *Devoti*: & merito, quia ostendunt se Divino cultui & servitio esse totaliter addictos, & mancipatos. Hinc etiam nonnunquam illi, qui in sæculo vivunt sub obedientia & directione alicujus Patris Spiritualis, *Devoti* appellantur, utpote specialibus Dei servitio dedicati.

14. Porro Devotionis hujus causa principalis est Spiritus Sanctus, intellectum illuminans, & voluntatem accendens: quamvis ex parte nostra plurimum ea foveatur ex attenta & frequenti consideratione Divinarum Perfectionum, Beneficiorum Creationis, Conservationis, Gubernationis, ac præsertim Redemptionis per Christum factæ, atque vicissim propriæ nostræ indigentiæ & miseriæ. Nam ex harum pia ruminatione oritur in nobis humilitas, & pia affectio totaliter nos Divino cultui & servitio mancipandi; sicque immittere se diversi actus aliarum Virtutum, præsertim Theologicarum.

15. CONCL. IV. *Sacrificium* proprie acceptum, ac prout est actus distinctus a cæteris actibus Religionis, est oblatio externa rei permanentis Deo exhibita, qua significatur supremum Dominium atque excellentia Dei, & subjectio sacrificantis ad ipsum, mediante aliqua ipsius rei oblatæ destructione, seu immutatione. Ita in re communis. Dicitur, *Oblatio externa*. Quia Sacrificium proprie dictum est actus Religionis, & quidem externus, consistens in externa alicujus rei oblatione: prout in Veteri Lege factum legimus in immolatione boum, arietum, vitulorum, hircorum, Agni Paschalis, atque in effusione diversorum libaminum. Sed hæc omnia Sacrificia de facto in Lege Evangelica coadunata sunt in uno tremendo, & incruento Missæ Sacrificio, de quo tamen plura suo loco (a). Dicitur ulterius, *qua significatur supremum Dominium Dei, & subjectio sacrificantis ad ipsum*. Si quidem in hoc consistit ratio virtutis Religionis, quod Deo debitum exhibeamus cultum cum nostra erga ipsum submissione (b).

16. Additur vero, *Sacrificium proprie acceptum, & prout est actus distinctus a cæteris actibus Religionis*. Siquidem large ac impropriè loquendo, Sacrificium quandoque accipitur pro quolibet opere bono, quod instar Sacrificii Deum placat, & conciliat: quo modo Contritio, Eleemosyna, imo & quodvis opus justitiæ, non raro in S. Scripturæ Sacrificium vocatur, ut *Psalm. 50. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus. Psalm. 4. Sacrificate sacrificium justitiæ*. Et *Psalm. 49. Sacrificium Laudis honorificabit me*, & alibi. Verum in hisce textibus Sacrificium non accipitur proprie, ac prout est actus specialis Religionis, sed impropriè, atque largè pro quolibet actu bono in Deum relato.

17. CONCL. V. *Oblationis* nomen dupliciter sumitur. I. Late seu generice, pro omni videlicet re ad cultum Divinum oblata, seu data: quo modo quælibet oblationes ad Dei cultum factas, & ipsas quoque Primitias atque Decimas comprehendit. II. Proprie, ac prout est specialis actus Religionis: sicque Oblatio accipitur pro spontanea illis oblationibus seu donis, quæ Fideles ob Dei cultum atque honorem ad Altare deferre solent: quales oblationes ad Templum, & Aream Dei, olim plurimas factas esse, constat ex S. Scriptura passim; talesque etiam de facto tum sub Missarum Solemnitis, tum aliis crebro fieri videmus (c).

18. CONCL. VI. *Primitiæ* vocantur primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, & arborum, Deo, ut Largitori omnium bonorum in signum gratitudinis, nostræque subjectionis oblati. Unde patet, oblationem Primitiarum esse specialem actum virtutis Religionis, & quidem externum; cum non nisi per actualem primorum fructuum ad Dei cultum oblationem fiat. Cæterum in animalibus *Primitiæ* proprio nomine appellantur *Primogenita*.

19. CONCL. VII. *Decima* rectè definiuntur, quod sint pars decima omnium fructuum justè acquisitorum, Deo in recognitionem universalis sui Dominii debita, atque Ecclesiæ Ministris quotannis exsolvenda. Ita in re communis, & desumitur ex *can. Decimas Deo 16. quæst. 7. & c. Tua nobis de Decimis*, ibi: *Decimæ, quas Deus in signum universalis Dominii, sibi reddi præcipit, suas esse decimas & primitias asseverans*, cum concordantiis. Verum de Decimis, quin & Oblationibus ac Primitiis, ex professo alibi (d).

20. CONCL. VIII. *Adjuratio* est rei sacræ contestatio ad permovendum alterum. Ita communis. Sic 1. *Thessal. 5. ult.* Apostolus petit, dicendo: *Adjuro vos per Dominum, ut legatur Epistola hæc*. Item *Matth. 26.* Princeps Sacerdotum adjuravit Christum, dicendo: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus*, & alibi. Igitur Adjuratio debite facta est actus Religionis; quia per Divini Nominis invocationem, vel alterius rei sacræ reverentiam adjurando alterum, boni quidpiam ab eo obtinere contendimus; estque Deo gratissimum, si reverentia & amore sui quispiam adjuranti obsequatur, prout & Christus illico Principi Sacerdotum sese adjuranti obsecutus fuit; dicendo manifeste veritatem, de qua interrogabatur.

21. Duobus autem modis Adjuratio fieri potest, videlicet præcipiendo, & deprecando. Exemplum prioris habetur in citatis verbis Apostoli *1. Thessal. cap. ult.* Et hoc modo etiam adjurantur dæmones in Exorcismis Ecclesiæ, eisdem imperando, & hac Divini Nominis, atque rerum cælestium contestatione, terrorem incutiendo. Exemplum posterioris habetur in precibus Ecclesiæ, per Christi adjurationem supplicantis exaudiri, dum in earum fine subjungere solet: *Per Dominum nostrum Jesum Christum* &c. vel absolute, *Per Christum Dominum nostrum*. Item & in Litaniis deprecari Deum, *Per crucem & passionem, Per mortem & sepulturam* Christi Domini, ac hujusmodi.

22. CONCL. IX. cum Laus præconium importet, ac proprie sit populi de aliquo rectè loquentis, prout explicat Calepinus: quid sit Laus Dei, notum erit omnibus Laudes divinas in Ecclesia quotidie & audien-

dientibus, & personantibus; juxta illud *Apoc. 19. Laudem dicite Deo nostro omnes Sancti ejus, & qui timetis Deum, pusilli & magni.* Et *Psal. 33. Semper laus ejus in ore meo.* Quamvis Laus Dei, dum sit a nobis Viatoribus, ferme semper Orationi misceatur, sicque ad hanc reduci possit, ut notat Lessius *lib. 2. cap. 37. n. 1.*

QUÆSTIO III.

De Adoratione Deo debita.

SUMMARIUM.

23 *Adoratio, quid?*
24 *Adoratio mere civilis, seu politica;*
Et Sacra seu Religiosa.
25 *Hujus tres sunt species, nimirum Latria.*
Hyperdulia.
Et Dulia.
26 *Adorationis objectum duplex, materiale & formale.*
27 *Deo debetur Cultus Latriæ.*
28 *Tres personæ Divinæ sunt una Adoratione adorandæ, quomodo?*
29 *Christus adoratur Cultu Latriæ.*
30 *SS. Eucharistiæ Sacramentum est adorandum Cultu Latriæ.*

23. EXplicatis præcedenti Quæstione nonnullis actibus virtutis Religionis, qui minori discussione indigere videbantur, pergendum ad reliquos (Juramento, & Voto ad specialem Tractatum reservato) sigillatim explicandos. Et primo loco occurrit Adoratio, utpote præstantissimus Religionis actus, per quem reverenur supremam Dei Majestatem, nosque illi quanta possumus corporis & animæ demissione subjicimus. Siquidem, ut inquit S. Damascenus *Orat. 1. de Imaginibus: Adoratio est submissionis nota*; id est, Adoratio est actus, quo quis alteri se submittit in recognitionem suæ excellentiæ.

24. Quia vero varia sunt excellentiarum genera, hinc pariter diversæ distinguuntur Adorationum species. Et quidem imprimis datur Adoratio mere Civilis, seu politica; qualis exhiberi solet Regibus, Principibusque, propter excellentiam sui status, seu potestatis humanæ, quam præ aliis habent; quomodo passim in Sacra Scriptura leguntur quidam adorasse suos Reges; ut David 1. *Reg. 20. Adoravit tertio* Jonatham, *cadens pronus in terram.* Verum de Adoratione mere Civili in proposito non agitur, sed solum de Adoratione sacra sive religiosa, quæ cuipiam exhibetur ob excellentiam suam sacram & supernaturalem. Et de hac loquendo, fit

25. CONCL. I. Adorationis sacræ seu Religiosæ tres sunt species, videlicet Latria, Hyperdulia, & Dulia. Ita communis Catholicorum, *Latriæ* juxta receptum Theologorum sensum, significat supremam & singularem illam Adorationem, quæ soli Deo propter summam atque infinitam suam excellentiam debetur: unde taliter describi solet: Adoratio Latriæ est actus Religionis, quo quis alteri (scilicet Deo) se submittit tanquam habenti supremam supra se excellentiam. Per *Hyperduliam* intelligitur Adoratio, seu cultus ille, qui exhibetur creaturæ cuipiam propter singularissimam suam excellentiam: & talis competit Beatissimæ Mariæ Virgini, propter excellentiam Maternitatis Dei, ac specialissimam Sanctitatem, aliaque excellentissima dona sua. Per *Duliam* vero communiter intelligitur cultus ille, qui debetur Sanctis propter supernaturalem excellentiam suæ sanctitatis & gloriæ, quam habent in Cœlis.

26. Et notandum est, quod objectum Adorationis sit duplex, formale scilicet & materiale. *Objectum formale* Adorationis est ratio ipsa, propter quam aliquid adoratur; cujusmodi ratio adorandi semper est dignitas, & excellentia reperta in persona, quæ adoratur. *Objectum materiale* est ipsamet res seu persona adorata, in qua reperitur ejusmodi excellentia. Sic cum Christum Deminum adoramus cultu Latriæ, ipsemet Christus est objectum materiale Adorationis; Divinitas vero Christi, ejusque suprema excellentia, est objectum formale ipsius.

27. CONCL. II. Deo, totique Sanctissimæ Trinitati, ac cuilibet Personæ Divinæ, debetur cultus Latriæ. Ita certa, & indubitata omnium Catholicorum: cum quælibet Persona Divina sit Deus; Deo autem propter supremam suam in omnes excellentiam deberi cultum Latriæ, patet ex ipsa hujus ordinis explicatione jam posita.

28. CONCL. III. Tres personæ Divinæ una Adoratione sunt adorandæ; non quidem sic hoc intelligendo, quasi una non possit distincte ab aliis adorari, sed sic, quod aliæ duæ explicite non excludantur. Ita communis

munis Theologorum, ac præsertim Mastrius *disp. 11. Theol. Mor. n. 18.* Ratio prioris partis est: quia una est essentia, excellentia, Divinitas atque Majestas omnium trium Personarum Divinarum, & per consequens una Adoratio debetur omnibus. Altera pars patet: quia sicut unam Divinam Personam possumus distincte concipere ab alia, ita & adorare, modo alteram explicite non excludamus. Unde in Litaniis nunc Patrem, nunc Filium, nunc Spiritum Sanctum invocamus; & pleræque Orationes Ecclesiæ diriguntur modo ad Patrem, modo ad Filium, modo ad Spiritum sanctum, quamvis interim cæteræ Personæ explicite non excludantur. Impium enim, ac nefarium esset, alias excludere explicite; quia licet tres sint Personæ SS. Trinitatis, una tamen omnium est Essentia, Divinitas, atque Majestas. Hinc dum unam Personam SS. Trinitatis adoramus, ac invocamus, semper implicite ad alias duas, ceu unum Deum, nostra dirigitur adoratio, atque invocatio.

29. CONCL. IV. Christus est adorandus Adoratione Latriæ. Est de Fide. Ratio est: quia Christus non solum est homo, sed etiam verus Deus, cui utique debetur cultus Latriæ. Nec obstat, quod Christus simul includat naturam humanam, quæ non videtur posse adorari cultu Latriæ. Resp. enim, hinc solum sequi, quod natura humana non spectet ad objectum formale Adorationis, sive quod non sit ratio formalis adorandi Christum, utpote quæ est Divinitas ejus: non autem, quod non spectet ad objectum materiale, seu *Quod* Adorationis, ut loquuntur Theologi. Nam, quia juxta Symbolum S. Athanasii, licet Christus sit *Deus & homo, non duo tamen, sed unus est Christus*, etiam unica Adoratione Latriæ is adoratur: in qua tamen ratio formalis & motiva adorandi est Divinitas ejus; objectum vero materiale seu *objectum Quod*, ac terminus adæquatus hujus Adorationis, est unus ac totus Christus, verus Deus, verusque homo.

30. CONCL. V. Etiam Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum est adorandum cultu Latriæ. Ita omnes Catholici, estque novissime definitum in Concilio Tridentino *Sess. 13. c. 5. & can. 6.* ibi; *Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu Latriæ, etiam externo adorandum, &c. vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus Adoratores esse idolatras, anathema sit.* Ratio est, quia in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento adest, realiterque continetur Christus Dominus, verus Deus, cultu Latriæ dignissimus.

QUÆSTIO IV.

De cultu Sanctorum, Sacrarum Reliquiarum, atque Imaginum.

SUMMARIUM.

31 *Adoratio absoluta, & respectiva, quid?*
32 *Sancti in cœlis adorantur cultu Dulia, & B. V. Maria cultu Hyperdulia absoluto.*
33 *Hic cultus est sacer.*
34 *SS. Reliquiæ, & Imagines, quomodo veneruntur?*
35 *Verba notabilia Conc. Trid. circa cultum SS. Imaginum.*
36 *Imagines possunt dupliciter considerari, quomodo?*
37 *Objectio Hæreticorum contra Imagines diluitur.*
38 *Homines Sancti necdum Canonizati non possunt cultu publico honorari, bene tamen private.*
39 *Cultus publicus, & privatus, quis?*
40 *Corollaria de cultu private.*
41 *Corollaria de cultu publico.*
42 *Limitatio præcedentium.*
Forma Canonizationis, qua nunc est, olim non requirebatur.
43 *Decretum Urbani VIII. circa Imagines Sanctorum necdum Beatificatorum.*
44 *Declaratio dicti Decreti.*

31. ADvertendum, quod Adoratio alia sit absoluta, alia respectiva. Absoluta convenit rei intellectuali, quæ per se honorabilis, atque adorabilis est; sic Deus, ac Christus cultu Latriæ absoluto est adorandus. Unde *Adoratio Absoluta* illa est, qua quis colitur ob perfectionem, atque excellentiam sibi intrinsecam. *Adoratio respectiva* vero, qua quis adoratur seu colitur propter excellentiam alterius, quam repræsentat, aut in ordine ad eam consideratur: unde hæc convenit rebus etiam ratione carentibus, ut puta sacris Imaginibus, quæ non propter se, sed propter alium, quem repræsentant, honorantur. His notatis sit

32. CONCL. I. Sancti cum Christo in cœlis regnantes, adorantur seu coluntur

cultu

cultu Duliæ absoluto, propter excellentiam suæ sanctitatis & gloriæ: Beatissima Virgo MARIA vero cultu Hyperduliæ, tum ob perfectissimam atque excellentissimam ejus præ cunctis puris creaturis Sanctitatem & gloriam; tum ob singularissimam dignitatem Maternitatis DEI, qua vere nominatur, & est Mater DEi & Christi. Ita omnes Catholici.

33. Et nota, hujusmodi Adorationem seu cultum Sanctorum (qui duo termini apud Theologos inter se confunduntur; quamvis inter rudiores, ac præsertim in publicis Concionibus lingua germanica habitis, ly *Adorare*, cultum Latriæ Deo debitum, & ly *colere* seu *venerari*, cultum Sanctorum denotare soleat) esse cultum sacrum & religiosum; quia objectum ejus formale, nempe excellentia Sanctitatis, gratiæ, & gloriæ, propter quam Sanctos, tanquam Dei amicos venramur, est aliquid sacrum & supernaturale. Unde sequitur, cultum Sanctis cum Christo in cœlo regnantibus exhibitum, specie distingui a cultu mere civili & politico, qui hominibus, v.g. Regibus, Principibus &c. propter dignitatem sui status, vel potestatem humanam dari solet.

34. CONCL. II. Sacræ Reliquiæ, & Imagines Sanctorum, venerantur cultu Duliæ respectivo; Imagines autem Beatissimæ MARIÆ Virginis cultu Hyperduliæ respectivo; ac tandem Imagines Dei & Christi, item & Sacra Crux Christi, cultu Latriæ respectivo. Ita passim Catholici omnes. Et quidem loquendo de sacris Reliquiis Sanctorum, in Concilio Trident. *Sess. 25. in Decreto de Invocatione Sanctorum &c.* sic habetur statutum: *Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & templum Spiritus sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur.* Hæc Concilium, exinde oppositum affirmantes denuo condemnans, prout jam pridem eos damnavit Ecclesia.

35. Loquendo nunc de cultu Sacrarum Imaginum, quas tum memoriæ gratia, atque ad recolenda Christi & Sanctorum gesta, tum ad impertiendum eisdem honorem debitum atque venerationem retinendas esse, Fides Catholica, atque perpetua Traditio Ecclesiæ docet, sunt in primis bene notanda verba S. Concilii Trident. *loc. cit.* sic statuentis: *Imagines vero Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem & reverentiam impertiendam: non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colenda; vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant: sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad Prototypa, quæ illa representant, ita ut per Imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illa similitudinem gerunt, veneremur, id quod Concilium, præsertim vero secunda Nicæna Synodi decretis contra Imaginum oppugnatores est sancitum.* Hæc Concilium: cui modo loquendi ubique nos oportet insistere.

36. Ulterius quoad hunc Sacrarum Imaginum cultum advertendum est cum Filliucio *tract. 23. de Religione, cap. 1, n. 27.* & aliis, dupliciter Imagines considerari, ac venerari posse. Primo, quatenus sunt res quædam sacræ, spectantes ad usum Pietatis, & Religionis; quod est, considerare Imagines materialiter. Deinde, quatenus sunt, Imagines, ac repræsentativæ Prototypi, quod est considerare Imagines formaliter. Si ergo considerentur Imagines primo modo, honorandæ sunt tantum ut res quædam sacræ; prout etiam vestes spectantes ad usum Pietatis & Religionis, in veneratione habentur; si secundo modo, honorandæ sunt sicuti Prototypa, cultu tamen respectivo. Circa quod ultimum extat communissimum inter Doctores dictum, quod si Prototypon adorctur adoratione Latriæ absoluta, Imago ejus adoranda sit adoratione Latriæ respectiva; si autem Prototypon adoratur adoratione Hyperduliæ, vel Duliæ absoluta, Imago ejusdem adoretur adoratione Hyperduliæ, vel Duliæ respectiva.

37. Nec dicatur cum Hæreticis: *Exodi cap. 20.* habetur: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ in cœlo desuper &c.* ergo usus Imaginum est illicitus, Resp. enim negando consequentiam: nam loco citato, & in aliis hujusmodi S. Scripturæ locis, non prohibentur Imagines absolute, vel quodcunque sculptile, sed solum, ut non fiant ad adorandum ea. Unde *loc. cit.* mox subjungitur: *Non adorabis ea, neque coles:* eo videlicet modo, five cultu

cultu Divino, quo Gentiles adorabant communiter sita Idola, deoque alienos. Et certe, si Imaginum, aut cujuscunque sculpturæ usus fuisset dictis verbis absolute prohibitus, Salomon pessime egisset, quod in Templo Jerosolymitano posuerit duos Cherubim, 3. *Reg.* 6. Imo & Deus præcepisset contraria, dum Moysi, *Num. cap.* 21. præcepit, ut faceret Serpentem æneum: quod absit dicere.

38. CONCL. III. Homines vitæ Sanctitate, vel Martyrii fama insignes, quamdiu a Summo Pontifice vel Ecclesia, in numerum Sanctorum necdum sunt relati, non possunt cultu publico & solemni honorari, bene tamen cultu privato. Ita Bellarminus *l. 1. de Sanctis, cap. 10.* Sanchez *l. 2. in Decalog. cap. 43. nu. 3. & seq.* & alii communiter. Idque desumitur ex *cap. 1. & ult. de Reliquiis & venerat. Sanct.* ubi prohibetur, aliquem publice venerari pro Sancto absque authoritate Romanæ Ecclesiæ, sicque a sensu contrario privatus honor permittitur.

39. Porro per *Cultum privatum* intelligitur ille, qui non exhibetur tanquam institutus ab Ecclesia, neque nomine Ecclesiæ, sed fit ex peculiari devotione colentis; sive deinde talis cultus fiat privatim, sive publice videntibus aliis. *Cultus* autem *publicus*, seu solemnis, non ideo dicitur talis, quod coram aliis exhibeatur, sed quia defertur nomine Ecclesiæ, & tanquam ab ea institutus.

40. Hinc sequitur I. Imaginem Sancti nondum Canonizati, neque Beatificati, posse in domibus nostri depingi & retineri, licere pedes vel manus talium Sanctorum deosculari, ipsorum vestes accipere, Reliquias asservare, in eorum honorem jejunare, preces ad Deum fundere, &c. sive alii hoc videant, sive non, dummodo absit scandalum. Ratio est: quia hujusmodi cultus est privatus, & non fit nomine Ecclesiæ.

41. Sequitur. II. Non posse Episcopum in honorem Sancti necdum Canonizati diem Festum instituere: quia cultus publicus, qualis est celebratio Festi Sanctorum nondum Canonizatorum, reservatus est Summo Pontifici, *cit. cap. 1. de Relig. & venerat. Sanctorum.* Item non licet privatim, aut publice, in Litaniis vel Officio Divino, invocare Sanctum nondum Canonizatum: quia Litaniæ, & Divinum Officium, sunt cultus, qui Sanctis exhibetur

tanquam institutus ab Ecclesia, & nomine totius Ecclesiæ. Sanchez *loc. cit. nu. 5.* Bonacina *disp. 3. in Decalogum q. 1. num. 2.* cum aliis. Idem dicendum de SS. Missæ Sacrificio, ob eandem rationem: unde si a Fidelibus petatur celebratio Missæ in honorem alicujus Sancti necdum Canonizati, oportet celebrare Missam de Festo vel Feria occurrente, & non propriam Missam, acceptam de Communi cum memoria, & invocatione talis Sancti. Insuper non licet necdum Canonizati Reliquias publice venerandas proponere, sive in Processionibus circumferre, aut Altaria vel Templa ipsis dedicare: hujusmodi quippe cultus pariter censetur publicus, ac proprius eorum, qui ab Ecclesia in Sanctorum numerum sunt relati.

42. Veruntamen hoc intelligendum est, nisi vel speciali indulto Apostolico provisum fuerit: quomodo patet aliunde, non raro hactenus pro certis locis unum vel alterum prædictum, imo & ipsam celebrationem Divini officii de nonnullis Sanctis concessam esse, absque alia solemni eorum Canonizatione, vel Beatificatione. Vel nisi per antiquam Traditionem, aut universalem Ecclesiæ consensum, de cujuspiam Sanctitate constet: Nam hujusmodi approbatio æquivalet Canonizationi, & antiquitus non requirebatur forma Canonizationis, quæ nunc in usu est. Bonacina *cit. n. 2.* Sanchez *n. 11.* Suarez, & alii, & concordant dicenda *n. seq. in fine.*

43. CONCL. IV. Imaginibus Defunctorum, qui cum bona Sanctitatis fama decesserunt, non possunt apponi Aureolæ, sive Radii, neque ipsæ in Oratoriis, aut locis publicis exponi, donec a Sede Apostolica Beati declarentur; & si quæ appositæ sunt, omnino amoveri debeant. Ita Angelus Landuscа *in Theatro Regularium, V. Beatificatio, num. 2.* idque patet ex Decreto Urbani VIII. quod incipit, *Sanctissimus* (& habetur tomo 4. Bullarii Romani, *Const. 39. dicti Pontificis*) atque ex alia speciali ejusdem Constitutione, quæ incipit, *Cœlestis Hierusalem* (ac refertur in cit. Bullario, *Const. 134. dicti Pont.*) ubi præfatus Pontifex, volens occurrere abusibus, qui irrepserunt in colenuis quibusdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama vel opinione defunctis, & necdum Canonizationis, vel Beatificationis honore ab Apostolica Sede insignitis, sub gravibus pœnis prohibuit, ne ejusmodi hominum cum Sanctitatis,

seu Martyrii fama (quantacunque illa sit) defunctorum Imagines cum laureolis, radiis seu splendoribus in Oratoriis, Ecclesiis, aliisque locis publicis aut privatis apponantur; neve eorum gesta, miracula, revelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus a Deo accepta, sine recognitione & approbatione Ordinarii in libris enarrentur; & ne ad eorum sepulchra Tabellæ, atque Imagines ex cera, argento, aliave materia confectæ, vel lampades appendantur. Ubi tamen illico subjungens Summus Pontifex declarat, quod per supra scripta præjudicare in aliquo nolit, neque intendat iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum Virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii coluntur.

44. Quia vero postmodum occasione dicti Decreti a quibusdam revocabatur in dubium, an Tabellas & Imagines, quas imposterum offerri contigerit, recipere, & antea oblatas conservare liceret? Eadem Sanctitas sua, quæ tantummodo voluit occurrere abusibus, qui irrepere videbantur, in alio Decreto (& refertur in cit. Bullario, ad finem prælleganæ *Const.* 39. nec non & in *eis. Constit.* 134.) declaravit, quod suæ intentionis nunquam fuerit prohibere oblationem, receptionemque Tabellarum & Imaginum hujusmodi; ita ut approbantibus Ordinariis in secreto aliquo, seorsum ab Ecclesia, loco custodiri, ibidemque jam amota collocari, & asservari possint, ut si quando Dominus talium Virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent hujusmodi Sanctitatis qualescunque probationes, Apostolicæ Sedis judicio tunc examinandæ.

QUÆSTIO V.

De Oratione, & Conditionibus ad ipsam requisitis.

SUMMARIUM.

45 *Oratio varie accipitur.*
46 *Oratio propriissime accepta, quid?*
47 *Oratio mentalis.*
Vocalis.
Publica, &
Privata, qua?
48 *Oratio aliqua est præcepta.*
49 *Quibus temporibus urgeat præceptum Orationis?*
50 *Qua bona recte per orationem postulentur a Deo?*
51 *Oratio debite facta habet infallibilem effectum.*
52 *Sed quatuor ad hoc requiruntur conditiones.*
53 *I. Ut oratio fiat pro seipso.*
54 *II. Ut petantur necessaria ad salutem.*
55 *III. Ut Oratio sit pia.*
(e) Ut dictum Tract. 1. dist. 2. n. 42. & 45.
56 *IV. Ut fiat perseveranter.*
57 *Causa, cur multi petant, nec accipiant, quia?*
58 *Preces nostræ debite factæ, nunquam sunt irritæ etiam pro bonis temporalibus.*
59 *Cautela petentium bona temporalia.*

45. ORatio quandoque sumitur large, videlicet pro quacunque actione bona, atque ex pia intentione procedente: in qua acceptione videtur intelligendum illud Lucæ 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* In quem textum Ven. Beda ait: *Semper orat, qui semper secundum Deum operatur.* Deinde sumitur Oratio magis proprie, nimirum pro quovis animi pio motu erga Deum: hoc modo capitur a S. Damasceno *lib. 3. de fide, cap. 24.* dicente, quod *Oratio sit ascensus mentis in Deum;* & sic comprehendit sub se etiam illos pios motus intellectus & voluntatis, quibus Deum laudamus, benedicimus, atque pro acceptis beneficiis gratias agimus. Propriissime tandem Oratio sumitur pro petitione, seu postulatione alicujus boni ad Deum facta; cujusmodi petitionem ipsum Iy *Orare*, ex primæva sua institutione importat.

46. CONCL. I. *Oratio* propriissime accepta, est rationabilis alicujus boni a Deo postulatio: sive, est decentium a DEO petitio. Ita in re communis. Tria siquidem in oratione spectari possunt. I. Desiderium nostrum, quo bonum aliquod nobis, aliisve conferri, vel malum averti cupimus. II. Hujus desiderii practica quædam explicatio, qua Deum conamur inducere ac promovere, ut id præstet, pro quo rogamus. III. Collatio boni desiderati; qualis fit a Deo. Ipsa vero essentia orationis consistit in secundo actu, nimirum in explicatione desiderii nostri per modum deprecationis, seu petitionis.

47. CONCL. II. Oratio recte dividitur in

in mentalem & vocalem, ac rursus in publicam & privatam. Ita communis. *Oratio mentalis* est, quæ non voce, sed mente formatur; exercendo videlicet interiores animæ potentias circa Deum, & Mysteria potissimum Fidei, cum interna & familiari ad Deum collocutione, variisque piis affectibus voluntatis: prout fit in Meditatione; de qua D. Augustinus *l. de Spiritu & anima, cap. 70.* ait: *Meditatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio vero perfectionem orationem.* Cæterum *Oratio vocalis* est, quæ formatur distinctis verbis ad extra prolatis, exprimentibus pium internum desiderium nostrum ad Deum. Additur notanter, *exprimentibus pium internum desiderium.* Nam hæc sine ulla attentione atque interiori affectu prolata, parum prodest, quin potius iram Dei provocat, juxta illud vulgatum,

Si mens non orat, in vanum lingua laborat.

Et tales merito reprehenduntur illis verbis: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Isaiæ 29. & Matth. 15. Oratio publica* dicitur, quæ nomine totius Fidelis populi per Ministros Ecclesiæ Deo offertur, ut fit in Missa, & Horis Canonicis: & talis necessario debet etiam esse vocalis. *Oratio privata* est, quam singuli privati quocumque decenti modo peragunt: de qua loquitur Apostolus 1. *Timoth. 2. Volo ergo viros orare in omni loco*, &c.

48. CONCL. III. Oratio aliqua est præcepta a Deo, & adultis usum rationis habentibus necessaria ad salutem. Ita communis; & patet ex S. Scriptura, orationem passim nobis inculcante: ut *Coloss. 4. Orationi instate, vigilantes in ea.* Item 1. *Thess. ult. Sine intermissione orate*, & alibi. Accedit ratio: quia auxilia Divinæ gratiæ, sine quibus homo nequit consequi salutem, communiter a Deo non conferuntur, nisi ad humiles preces nostras, juxta illud *Matth. 7 Petite, & dabitur vobis.*

49. Porro tempora necessario orandi, seu quibus urget præceptum Orationis, apte determinantur a Sannig. *tr. de Relig. dist. 1. q. 5.* & aliis: ut primo sit necessitas orandi ad Deum tempore obligationis, quo peccator tenetur se reponere in statum gratiæ. Deinde tempore gravis tentationis, quæ alio congruenti remedio repelli nequit. Rursus tempore manifesti periculi mortis, quam constitutus in illo subire debet. Quarto tempore gravis pressuræ Reipublicæ, aut Proximi, quæ sola oratione aboleri potest. Et tandem, quotiescunque aliquod auxilium Divinum speciale necessarium est ad salutem spiritualem, vel corporalem. Atque, ut taceantur particulares obligationes Clericorum, aut Beneficiariorum ad persolvendum Horas Canonicas, vel Confitentium ad implendam Pœnitentiam injunctam; haud desunt Doctores, non excusantes a peccato veniali eos, qui mane ac vesperi orare negligunt, tum Deo gratias debitas referendo pro receptis præterita die aut nocte beneficiis, tum ejus auxilium implorando pro evitandis instantibus periculis. Cæteri vero satis communiter fatentur, Orationem non posse intermitti ad longum tempus, ut puta ad mensem, vel, ut aliqui volunt, ad octo dies. Herincx *disp. 1. de Relig. q. 3. n. 9.* & concordant dicta superius *tr. 4. disp. 2. q. 3.*

50. CONCL. IV. Non modo bona spiritualia, sed etiam temporalia, a Deo recte postulantur; ita tamen, ut bona temporalia, v. gr. sanitas, longitudo vitæ, officia, divitiæ, &c. non omnino absolute, sed solum sub conditione, quatenus ad bonum salutaremque usum, atque ad vitam æternam consequendam profuut, neque saluti animæ obstant, recte a Deo postulentur. Ita communis; & constat ex Oratione Dominica, in qua juxta Christi institutionem bona tum spiritualia, tum temporalia, postulantur. Quod autem bona temporalia non absolute, sed duntaxat ut conducentia ad vitam æternam, recte postulentur a Deo per orationem, patet ex eo: quia non raro ejusmodi bona sunt homini occasio ruinæ spiritualis, ac protrahunt in peccatum; unde in hujusmodi circumstantiis, Deo optime præcognitis, male eadem absolute peterentur.

51. CONCL. V. Oratio, si fiat cum debitis conditionibus, indubitatam, atque ex Christi promissione infallibilem habet efficaciam. Ita Sannig *loc. cit. n. 6.* Laym. *l. 4. tr. 1. c. 1.* & Theologi communiter cum D. Thoma *2. 2. q. 83. art. 15. ad 2.* Habetur hoc clare ex S. Scriptura, ac Christi promissione, dicentis, *Matth. 7. Petite, & dabitur vobis.* Item *Lucæ 11. Omnis, qui petit, accipit.* Et rursum *Joan. 16. Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Atqui promissio Christi est infallibilis; ergo.

52. CONCL. VI. Conditiones, quibus concurrentibus semper aliquis impetrat, quod petit, quatuor sunt: ut videlicet quis

pro se petat necessaria ad salutem, pie, & perseveranter. Ita Doctor Angelicus *loc. cit.* & alii. Et hæc quatuor conditiones continentur in præa legat s Salvatoris verbis, *Joan.* 16. Nam ly *dabit vobis*, primam conditionem; ly *si quid*, secundam; ly *in nomine meo*, tertiam, ac tandem ly *petieritis*, quartam satis demonstrat.

53. Prima itaque conditio est, ut *Oratio fiat pro seipso*, non pro aliis, juxta doctrinam S. Augustini, *tr.* 102. *in Joannem*, dicentis: *Exaudiuntur omnes pro seipsis, non autem pro omnibus: unde non simpliciter dictum est, Dabit; sed, Dabit vobis.* Nam etsi pro aliis quoque ex charitate orare possimus, ac debeamus, juxta illud *Jacobi* 5. *Orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet oratio justi assidua*: Ideo tamen difficilior impetratio censetur esse pro altero, quam pro ipso: quia, ut Deus conferat gratiam, seu donum, quod petitur, debet homo esse dispositus ad recipiendum: quæ dispositio non est in libera potestate orantis, si pro alio oret; bene tamen, quando orat pro se ipso. Quod si persona altera, pro qua oratur, sit debite disposita, etiam orationem factam pro ipsa, cæterisque vestitam conditionibus, comprehendi sub dicta Christi promissione, merito censet Layman *l. c. n.* 10.

54. Altera conditio est, ut *petantur necessaria ad salutem*. Nam, ut discurrit D. Augustinus *loc. cit. Non petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis.* Et infra: *Quidquid autem aliud petitur, nihil petitur: non quia nulla omnino res est, sed quia in tanta rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est.*

55. Tertia conditio est, ut *Oratio sit pia*; videlicet actus virtutis Religionis, per quem homo se Deo, tanquam supremo Domino, subjicit. Ad hoc autem multum conducit humilitas orantis, plena fides seu fiducia in Deum, opera Misericordiæ, &c. juxta varios, & passim obvios textus S. Scripturæ. Ut vero is, qui orat, sit in statu gratiæ constitutus, tametsi ad impetrationem orationis, stantibus supra dictis conditionibus, absolute non requiratur: ut patet ex oratione Publicani a Deo exaudiri, cum dixit *Luca* 18. *Deus propitius esto mihi peccatori*: requiritur tamen status gratiæ ad meritum de condigno vitæ æternæ, atque augmenti gratiæ sanctificantis. (e)

56. Quarta est, ut *perseveranter oremus*: id est, non statim desistamus ab oratione, si nos non exaudiri arbitremur; sed iterato, sæpius, & instanter petamus, secundum illud *Luc.* 18. *Quoniam oportet semper orare, & non deficere*. Et *Coloss.* 4. *Orationi instate*. Etenim ut S. Augustinus *serm.* 5. *de Verb. Domini*, *c.* 5. monet, ideo Deus tardius nonnunquam dat, quæ petimus, ut tandem ferventius & perseverantius orantes, plus etiam impetremus, ac petimus. Quædam etiam non negantur, sed ut congruo tempore detur, differuntur.

57. Ex dictis patet ad communem multorum hominum querelam, qui orant, & non accipiunt. Causa quippe est, cur multi non obtineant, quod petunt: quia nimirum conditiones præscriptas non observant; ac præsertim bona temporalia petendo, eadem non ad debitum finem, sive salutem animæ suæ referunt; juxta illud *Jacobi* 4. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis*. Unde D. Basilius *Serm. De orando Deum*, inquit: *Ideo quandoque petis, & non accipis, quia perperam postulasti, vel infideliter, vel leviter, vel non conferenda tibi, vel destituisti.*

58. Imo dum cæteroquin debite rogamus pro bonis temporalibus, v.g. moderatis divitiis, sanitate, &c. quas nobis non expedire nescimus, non idcirco irritæ erunt preces istæ: tum quia, si fiant in statu gratiæ, sunt meritoriæ gloriæ cœlestis, & augmenti gratiæ: tum quia in tali casu ordinarie loco ejusmodi bonorum temporalium, v.g. sanitatis, divitiarum, quæ Deus novit nobis magis fore nociva, sicque misericorditer negat, solet Deus debite rogantibus conferre alia bona temporalia, vel saltem spiritualia specialium auxiliorum gratiæ, magis profutura ad consequendam vitam æternam. Audiatur Jeremias Drexelius *l.* 5. *Electroqui*, *c.* 2. dicens: *Certissimum est, nullas preces cum debita voluntatis resignatione factas esse irritas, nullas omnino: aut enim quod petitur, aut melius quid impetrabitur.* Et S. Isidorus in Sententiis: *Crudelissime nos exaudit Deus ad voluntatem, sed exaudit ad salutem.*

59. Quod si vere absque debita in Divinam voluntatem resignatione, quin & *obstinate*, *quidpiam a Deo extorquere contendamus, veredum, ne quod ut optimus Pater negavit ut rigidus Judex permittat in nostrum malum.* Ac proinde, *in omnibus omnino precibus illud Domini pro clausula usurpandum: Verumtamen non mea, o Deus, sed sua voluntas fiat*, prout devotissime monet citatus Drexelius.

DI-

DISTINCTIO II.

De Vitiis Religioni oppositis per excessum.

QUÆSTIO I.

Quid sit Superstitio, & quæ species ejus?

SUMMARIUM.

1 *Religio consistit in medio.*
Qua vitia eidem opponantur?
2 *Superstitio, quid?*
3 *Contra Religionem quomodo possit peccari per excessum?*
(a) Conformiter dictis Tr. 4. Dist. 1. n. 19.
4 *Superstitionis duæ sunt species.*
5 *Una ratione rei cultæ, qua coli non deberet; & quomodo hæc subdividatur?*
6 *Altera ratione Cultus incongrui; ejusque subdivisio.*
7 *Cultus falsus quis, & quomodo accidat?*
8 *Et quale peccatum?*
9 *Cultus superfluus, quis?*
10 *Et quale peccatum?*

1. SIcut in cæteris Virtutibus, ita & in Religione vendicat sibi locum illud vulgatum: *Virtus consistit in medio*. Unde Poeta canit: *Est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra, citraque nequit consistere virtus*. Igitur contra Religionem potest peccari, tum per excessum, & nomine generico dicitur *superstitio*; tum per defectum, & vocatur *Irreligiositas*. Utraque harum varias sub se species complectitur. Et quidem sub Irreligiositate continentur ea vitia, quæ pertinent ad contemptum seu irreverentiam Dei, ac rerum sacrarum, cujusmodi sunt Tentatio Dei, Sacrilegium, Simonia, Blasphemia, perjurium, ac Violatio Voti; de quibus singillatim dicetur, tum in sequenti Distinctione, tum alibi propriis in locis. Superstitio continet sub se Idololatriam, Divinationem, vanam Observantiam, & Magiam, una cum aliis adhuc duabus Superstitionis speciebus, quæ contingunt ex parte cultus indebiti; de quibus omnibus in præsenti Distinctione, ordiendo a Superstitione, ejusque speciebus in genere sit

2. CONCL. I. Superstitio in genere est falsa religio, seu vitiosus cultus veri aut falsi Numinis; ac recte definitur, dicendo: *Superstitio* est vitium Religioni oppositum secundum excessum, quo quis Divinum cultum vel illi exhibet, cui non debet; vel eo modo, quo non debet. Ita in re communis. Etsi enim vel maxime Superstitio committatur in cultu falsorum deorum, tamen etiam in cultu veri Dei hoc vitium accidere potest: prout patet in Judæis de facto Legalia veteris Legis observantibus, & in Hæreticis, qui olim aquam pro vino, vel sanguinem infantum in Eucharistia offerebant, qui idcirco non Religiosi, sed Superstitiosi nuncupandi sunt, quamvis vero Deo talia præstiterint. Itaque Superstitio utrumque complectitur, & cultum falsorum Deorum, & excessum in cultu veri Dei.

3. Neque dicas: Deus est dignus omni laude, cultu ac reverentia; ergo non potest dari excessus in ejus cultu, neque peccari contra virtutem Religionis per excessum. Resp. enim (a) concesso antecedente, distinguendo consequens: ergo non potest dari excessus ex parte objecti virtutis Religionis, id est, respectu Majestatis Divinæ, utpote, quæ dignissima est omni honore & cultu, concedit: non potest dari excessus ex parte modi incongrui, aut cultus indebiti ratione rei cultæ, negatur consequentia. Sicut enim *v. g.* Amor Dei ex parte objecti non habet medium, imo eo perfectior est, quo intensius fertur in Deum, utpote objectum infinite amabile; habet tamen medium ex parte actus, quia potest dari excessus in ejus exercitio, si nimirum modo illicito Dei Amorem eliceremus nos v.g. interficiendo: ita & Religio ex parte objecti, quod est Divina Majestas, medium non habet, neque patitur excessum; bene tamen ex parte actus, uti fit, si verum Deum falso, aut indebito cultu colamus, vel loco veri Dei falsum Numen adoremus.

4. CONCL. II. Duæ sunt species superstitionis, in quas ipsa immediate dividitur, nempe Superstitio ratione rei cultæ, quæ coli non deberet; & Superstitio ratione cultus incongrui, dum modo indebito seu inconvenienti verus Deus colitur. Ita

communis, & patet ex proxime dictis. Porro utraque hæc Superstitionis species rursum subdividitur; & hinc fit

5. CONCL. III. Superstitio ratione rei cultæ, quæ coli non deberet, sive Superstitio ratione cultus falsi Numinis, subdividitur in Idololatriam, Divinationem, Observantiam superstitiosam, & Magiam. Ita Henricx *disp. 7. de Religione, n. 3.* & communiter; quamvis Billuicius *tom. 2. tract. 5. un. 4.* addat pro quinta specie Maleficium; alii vero ad vanam seu superstitiosam Observantiam referant Magiam, & Maleficium; ac proinde tres duntaxat Superstitionis species ex parte rei cultæ, quæ coli non deberet, assignent. Ratio Conclusionis est: quia vel diabolus honoratur ut numen; & est Idololatria: vel colitur, ut aliquid occultum revelet; & est Divinatio: vel, ut dirigat in operando; & sic est Superstitio vanarum Observationum, aut Magia, ad quam reducitur Maleficium, prout amplius patebit ex dicendis.

6. CONCL. IV. Superstitio ratione cultus incongrui, subdividitur in Superstitionem cultus falsi, & Superstitionem cultus superflui. Ita D. Thomas 2. 2. q. 93. *art. 1.* & 2. cum communi: & patet inductione. Siquidem

7. *Cultus falsus*, seu mendax dicitur, vel quia habet falsam significationem: ut si quis de facto coleret Deum cæremoniis Judaicis, quæ significant Christum venturum. Vel quia innitatur quis falso verum cultum: ut si quis falsis Miraculis veram doctrinam Christianam confirmare velit, aut proponat falsas Reliquias: item si quis mutet materiam, vel formam Sacramentorum, animo colendi Deum, prout faciunt Hæretici nostri temporis in Cœna sua committentes Superstitionem falsi cultus; non enim Christi mistetum, sed suas inventiones pertinaciter sequuntur. Insuper ejusmodi cultus potest esse falsus, ac mendax, falsitate ex parte ipsius colentis se tenente: ut dum quis Deum colit tanquam publicus ab Ecclesia constitutus Minister, cum commissionem seu potestatem nullam habeat, vel talem non habeat; puta si quis Sacrificium offerat, cum Sacerdos non sit, cujus exemplum habemus in Saule, *1. Reg. 13.*

8. Et quidem certum est, quod hujusmodi Superstitio, atque omnes isti superstitiosi, falsique cultus, sint ex genere suo peccatum mortale. Tum quia gravis inde irreverentia Deo infertur: Tum quia sunt falsitates perniciosæ, atque nonnunquam nascuntur ex infidelitate ac hæresi; uti fit in Ritibus superstitiosis Judæorum, & Hæreticorum: Tum tandem, quia prædicatione falsorum Miraculorum, nec non & falsarum Reliquiarum suppositione, obfuscatur fides verorum, minorque reverentia & cultus eisdem exhibetur: & hinc eos qui prædicant falsa Miracula, vel incerta, excommunicari refert Navarrus *Cap. 77. Manualis, num. 111.* Idque desumitur *ex Constitut. 21.* Leonis X. *Supernæ Majestatis*, & habetur *tom. 1.* Bullarii Romani.

9. *Cultus superfluus* econtra dicitur ille, quando præter morem Ecclesiæ ponitur Religio in quibusdam circumstantiis, vel rebus, in quibus non est ponenda: ut si quis Deum colere aggrediatur illis ritibus, modo, seu Cærenonis, quæ neque ad ipsius Dei gloriam, neque ad spiritus excitandi devotionem inserviunt, aut quæ sunt contra statuta, vel consuetudinem Ecclesiæ: uti foret in Missa sæpius dicere Alleluja, plures Cruces facere, quam sit præscriptum, in eam tot vel talibter dispositas candelas, & non plures adhibere, audere Missam a Sacerdote, qui nominatur Joannes, aut hujusmodi.

10. Cæterum Cultus iste superfluus, seu tales ritus superstitiosi, seclusto scandalo & Ecclesiæ contemptu, sunt ordinarie tantum peccata venialia, ut docent Cajetanus, Lessius, Layman, Navarrus, Toletus, & alii. Quod intelligendum, nisi esset cultus non tantum vanus, sed etiam turpis, aut alias graviter in eodem excederetur: nam tunc incurri peccatum mortale pro gravitate materiæ certum est.

QUÆSTIO II.

De Idololatria.

SUMMARIUM.

11 *Idololatria, quid?*
12 *Est peccatum gravissimum.*
13 *Idololatria metaphorice accipitur pro omni peccato mortali.*
14 *Hic sumitur proprie, nec tamen comprehendit Cultum Sanctorum.*
(b) Dist. præc. Quæst. 4. per totum.

11. CONCL. I. *Idololatria*, quæ est prima Superstitionis species, & ex suo genere peccatum mortale gravissimum, re-

recte describitur, quod sit Servitus, quæ soli Deo debetur, exhibita alicui creaturæ. Ita in re communis. Dicitur, *Servitus*: quia per Idololatriam Idololatræ serviunt Idolis, cultum Latriæ, soli Deo debitum, illis impendendo; juxta quod dicit Apostolus *Rom. 1. Servierunt creaturæ potius, quam Creatori.*

12. Quod autem Idololatria sit peccatum mortale gravissimum, patet ex eo: quia Idolatra per Idololatriæ peccatum, honorem Divinum, ipsamque Divinitatem, quantum in se est, transfert in creaturam; teste Apostolo *Rom. 1. Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis imaginis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium*; & alibi. Unde sicut in Republica gravissimum censeretur crimen læsæ Majestatis, honorem Regium, ipsamque Regiam Majestatem in alium, quam legitimum Principem, ex plena scientia, quantum in se est, transferre; ita & in proposito gravissimum crimen est læsæ Majestatis Divinæ, gloriam Dei in creaturam, seu idolum transferre.

13. Notandum tamen, quod nomen Idololatriæ dupliciter accipiatur. Primo quidem proprie pro cultu, quo creatura colitur loco Dei. Deinde metaphorice, pro omni peccato mortali, quo quis mortifere inhæret creaturæ: quo modo *ad Phil. c. 3.* Avaritia vocatur *Idolorum servitus*. Et in hoc sensu S. Hyeronimus *in c. 2. Amos*, ait: *Avarus aurum, gulosus ventrem, libidinosus pectus & Bethphegor colit, Lascivus mulier, qua cum sit in deliciis, mortua est, adorat venereas voluptates.* Et merito omne peccatum mortale sub nomine Idololatriæ metaphorice sumptæ denotatur, cum peccator per peccatum mortale voluntarie recedens a Deo, ut creaturæ adhæreat, censeatur pluris facere creaturam, quam Deum; ac proinde illam habere loco Dei, hæque ipsi esse instar Idoli.

14. Sed hoc loco Idololatria proprie sumitur pro cultu, quo creatura colitur loco Dei. Nec tamen idcirco cultus Sanctorum cum Christo in cœlis æquantium, aut Sacrarum Imaginum, erit Idololatria: nam illos non honoramus ut deos, sed ut Amicos Dei, cohæredes Christi, nostrosque apud Deum intercessores; Imagines autem cultu duntaxat veneramur respectivo, ut jam dictum superius. (b)

QUÆSTIO III.

De Divinatione, variisque ejus speciebus, & gravitate.

SUMMARIUM.

15 *Divinatio, quid?*
16 *Contingit dupliciter.*
17 *Divinationis per expressam dæmonis invocationem, variis modi; qui?*
Est gravissimum peccatum, nec admittit parvitatem materiæ.
18 *Divinatio per tacitam dæmonis invocationem qua?*
19 *Ejus plures sunt species, I. Astrologia judiciaria.*
Sed naturalis est licita.
20 *II. Physiognomia.*
Metoposcopia, & Chiromantia.
Verum naturalis licita est.
21 *III. Observantia somniorum.*
22 *Et quale peccatum sit?*
23 *Unde dignosci possit, somnium esse a Deo, vel potius a dæmone?*
24 *IV. Hujus Divinationis species est Augurium.*
25 *Et V. Sortilegium.*
Sortes divisoria, &
Sortes consultoria sunt licitæ.
Sortes divinatoria sunt illicitæ.
26 *Solvitur instantia ex nonnullis exemplis adducta.*
27 *Divinatio quælibet est peccatum mortale.*
(c) Supra num. 17.
28 *Dummodo serio & firma fide fiat, aliter secus.*

15. CONCL. I. *Divinatio* (prout de ea hic loquimur, est que species Superstitionis) est inquisitio de aliquo occulto, ope vel disciplina dæmonis facta. Quo modo Divinatio passim accipitur in S. Scriptura, in qua soli illi vocantur *Divini*, qui ope dæmonis divinant, seu futura aut incerta revelare nituntur. Etsi enim dæmones non possint certo cognoscere futura, circa quæ potissimum versatur Divinatio (quamvis latius accepta etiam ad aliorum occultorum, v. g. thesaurorum abscondit orum inquisitionem, ope dæmonis factam, se extendat) longe tamen plura dæmones de rebus futuris, aliisque occultis cognoscere possunt, quam homines.

16. CONCL. II. Divinatio dupliciter

contingit, nimirum vel per expressam dæmonis invocationem, vel per implicitam. Ita certa & communis. Ex his ulterius

17. Prima Divinationis species, seu in qua diabolus expresse invocatur, multis modis contingit, prout nimirum diabolus diversimode consulitur, aut consultus respondet. Aliquando enim apud veteres Gentiles consulebatur per sacrificia animalium, & diabolus respondebat per signa quædam apparentia in extis animalium, & vocatur *Haruspicium*. Aliquando consulebatur per preces coram Idolis profusas, & solebat dæmon respondere per Idola; & dicitur *Oraculum*. Aliquando consulebatur in Pythonicis, vel Pythonissis, quos ipse possederat: quandoque id accidit per varias adjurationes, figuras, unctiones, specula, aliaque signa per diabolum instituta, & media detestanda, quæ Dominus DEUS passim in S. Scriptura execratur. Et hanc Divinationis speciem, in qua diabolus expresse invocatur, esse gravissimum peccatum mortale, certum est, & indubitatum; eo quod importet consortium, & societatem cum dæmone perpetuo & infensissimo hoste veri Dei. Et hæc de causa recte notant Doctores, ut Bonacina *disp. 3. in Decalogum, q. 5. punct. 3. n.* 17. Herincx *cit. disp. 7. n. 16.* & alii, non dari parvitatem materiæ a mortali excusantem, si Divinatio serio fiat.

18. Altera Divinationis species, seu quæ continet tacitam & implicitam dæmonis invocationem, fit, cum quis notitiam alicujus rei ex signo aliquo consequi serio confidit, quam illud naturaliter nullo modo indicare potest. Tunc enim Divinator talem notitiam a dæmone tacite desiderare convincitur, cum certum sit, ejusmodi signa vanitatis a DEO instituta non esse.

19. Hujusmodi Divinationis, quæ fit per pactum implicitum, plures species recenset D. Thomas 1.2. *q. 95. art. 3. & seqq.* quem sequuntur alii. Prima est Divinatio per Astra; Vocaturque *Astrologia judiciaria*, quæ ex aspectu, situ, & motibus astrorum, eventus a libero arbitrio pendentes prædicit, vel præteritos aut præsentes occultos effectus revelat: v. g. Platonem tale conjugium celebraturum, esse authorem hujus furti, moriturum ruina suarum ædium, &c. Dicitur notanter, *eventus a libero arbitrio pendentes*, &c. Nam per hoc nullatenus reprobatur Astrologia naturalis, qua situs & motus astrorum observantur, atque ex iis colliguntur effectus pure naturales: ut eclipses, pluviæ, siccitates, morbi animalium, pestes, salubritates, &c. Hæc enim omnino licita est, & humano generi perquam utilis.

20. Secunda hujus Divinationis species est *Physiognomia*, per quam ex corporis, puta vultus, manuum &c. lineamentis libere contingentes eventus, aut prospera vel adversa prædicuntur. Ejus partes sunt *Metoposcopia*, & *Chiromantia*: quarum prior ex facie hominis, frontisque inspectione; altera vero ex manuum lineamentis, quid cui eventurum sit divinat, seu prædicit: ut solent facere Cingari. Dicitur rursum, *libera contingentes eventus*: datur enim etiam Physiognomia, Metoposcopia, & Chiromantia naturalis, per quam ex corporis & membrorum habitudine ac proportione vultus item ac manuum lineamentis, de corporis valetudine ac temperamento, consequenter de hominis etiam ingenio, atque animi propensione, nec non & de superventuris morbis, morte, vel famitate, prædictio aliqua vel conjectura licite fieri potest. Lessius *lib. 2. cap. 43. n. 55.* Delrius *lib. 4. cap. 3. q. 4.* Sanchez, Layman, & alii.

21. Tertia dictæ Divinationis species fit per somnia. Et quidem tunc *Observantia somniorum* est illicita, & cum dæmonis pacto saltem implicito conjuncta, cum ex illis vane ac temere fit conjectatio de effectu libere eventuro, aut mere casuali vel fortuito. Talis Observantia somniorum multum apud Ethnicos fuit usitata, & a S. Scriptura graviter reprehensa; ut *Levit. c. 21. Non augurabimini, neque observabitis somnia* & alibi. Unde & 2. *Paralip. 33.* graviter taxatur Manasses, quia *observabat somnia, sectabatur auguria, maleficis artibus inservichat*. Cum enim somnia pleraque naturaliter contingant, atque alia & alia juxta diversam corporis constitutionem, ac temperamentum, aut præcedentes animi affectiones, aliasque causas naturales proveniant: nequit ex iisdem capi prænotio de eventibus liberis, nisi vel a Deo, vel a diabolo immittantur: ergo quoties non dignoscuntur esse a Deo, si quis ex eisdem divinet, subjicit se disciplinæ diaboli.

22. Ex his sequitur, quod Divinatio ex observatione somniorum sit ex genere suo peccatum mortale. Per accidens nihilominus potest Observantia somniorum quandoque esse venialis: ut puta ratione simplicitatis, dum homo rudis ea putat esse a Deo vel quia solum tenuiter credit eisdem.

Quod

Quod si somnia putentur provenire ex causis naturalibus, licitum est ex iisdem capere conjecturas de ejusmodi causis, v. g. de valetudine, vel constitutione corporis, ac hujusmodi. Somnia autem divinitus immissa, certum est esse sequenda; qualia leguntur habuisse Joseph Pro-Rex Ægypti, *Genes. c. 37.* S. Josephus, Sponsus Beatæ MARIÆ Virginis, *Matth. 1.* Tres Magi, *Matth. 2.* aliique plures; juxta quod *Num. 12.* Deus dixerat: *Si fuerit Propheta inter vos, per somnium loquar ad eum.*

23. Quæres, unde dignosci possit, somnium esse a Deo, vel potius a dæmone? Resp. Inter somnium Divinum & diabolicum communiter discernunt Viri sancti & Doctores, tum ex materia sinæque ejus, utrum ad rem bonam & honestam, an vero ad turpem impellat: tum ex interna somniantis, atque ex somno excitati affectione; ut est illustratio, & consolatio animi, insolita promptitudo ad Dei obsequium, & hujusmodi. Nam talia somnio Divino causantur; e contra vero somnia diabolica vel ad malum inclinant, vel animum perturbant & ad Dei obsequium tardiorem reddunt, ipsumque intellectum obnubilare solent.

24. Quarta Divinationis species fit per avium, piscium, aut aliorum animalium observationem, & dicitur *Augurium*. Hæc futuros liberos eventus, vel casus mere fortuitos, enuntiat e volucrum volatu, aut cantu, vel ex piscium motu, animalium occursu, voce & similibus; ac prohibetur a S. Litteris sæpius, præsertim locis *num. 22.* allegatis. Quo tamen non obstante ex avium volatu, piscium in mari occursu &c. possunt naturaliter colligi pluviæ, serenitates, tempestates, & hujusmodi effectus naturales, quos animalia citius præsentiunt, quam homines.

25. Quinta species Divinationis est per sortes (& dicitur *Sortilegium*) quæ eventus futuros, vel veritatis occultæ manifestationem, explorat per sortes. Est autem triplex genus sortium, nempe divisorium, consultorium, & divinatorium. *Sortes divisoria* sunt, quæ applicantur ad dividendas hæreditates, ad litem dirimendam, ad honestum usum &c. & hæ per se malæ non sunt, sed sæpe bonæ ac utiles, juxta illud *Proverb. 18. Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque dijudicat.* Porro *Sortes consultoria* sunt, quibus a Deo postulatur occultæ veritatis manifestatio, vel consilii directio: istæ etiam non sunt prohibitæ, si Dei justu & instinctu fiant; de quibus dicitur *Proverb. 16. Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.* Tandem *Sortes divinatoria* sunt, quibus absconditæ veritatis notitia vel consilii directio, non a Deo, & consequenter a dæmone expresse, vel tacite, implioratur. Et hæ superstitiosæ, illicitæ atque prohibitæ sunt, prout habetur *can. Sortes 26. q. 5.* cum concordantiis: quia continent expressam, vel tacitam dæmonis invocationem. Unde merito *cap. 2. & 2. tit. de Sortilegiis*, sub gravibus pœnis prohibetur, ne per sortes inquiratur author furti, vel quid impositorum futurum sit: & similiter *cap. ult. eod. tit.* generaliter sortium usus in Electionibus ad Beneficia Ecclesiastica damnatur.

26. Nec obstat, quod peccatum Achor sorte deprehensus legatur *Josue 7.* & Jonas sorte deprehensus fuerit, *Jona cap. 1.* Item Jonathas mel degustans, *1. Reg. 15.* imo & Saul missis sortibus in universas Tribus Israel electus in Regem, *2. Reg. 10.* & hujusmodi. Resp. enim, quod talia ex speciali justu, aut instinctu Dei facta creduntur: non tamen idcirco *sortibus indifferenter est credendum; cum privilegia singulorum non possint legem facere communem*, ut dicitur *c. Non statim*, &c. *Non exemplo 26. q. 2.*

27. CONCL. III. Divinatio, & quælibet prædictarum species, est ex genere suo peccatum mortale, sive fiat cum expressa, sive cum tacita dæmonis invocatione. Ita communis; & patet ex dictis (c) quia Divinatio importat consortium, & servitutem cum dæmone, perpetuo Dei hoste; ac ipsum homo tacite honorat, ejusque disciplinæ se subjicit, ab eodem occulta vel futura edocendus.

28. Hoc tamen intelligendum, si Divinatio serio fiat, & cum firma fide. Quod si vero joci causa quis ostendat, se velle futura divinare, interim credens, totum esse futile & inane, communiter Doctores censent, talem non incidere in culpam gravem; cum sit potius quædam vanitas quam superstitio, ut ait Bonacina *disp. 3. in Dec. q. 5. p. 3. num. 18. & 19.* Ubi etiam somnia, sortes &c. a mortali excusat, si quis per simplicitatem (quod in mulierculis facilius locum habet) illis fidem præstet, ut quando ex ruditate putat, a Deo esse, vel tenuiter credit. Hoc modo multæ vanæ, atque inutiles observationes, v. g. ex sternutatione, vulturis occursu, corrigiæ ruptione, & hujusmodi vanitates, excusari possunt a culpa mortali: quia non firma fides, sed vana tantum formido eis tribuitur.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De vana Observantia, ejusque speciebus, & gravitate.

SUMMARIUM.

29 *Vana Observantia, quid?*
30 *Et quomodo distinguatur a Divinatione?*
31 *Ejus tres sunt species; quæ?*
32 *Ars notoria, quid?*
33 *Observantia sanitatum, quid?*
34 *Et quo pacto hæ cognosci possint?*
35 *Observantia eventuum, quid? Et quomodo a Divinatione differat?*
36 *Vana Observantia, omnesque species ejus, sunt peccatum mortale.*
37 *Nisi excuset ignorantia &c.*
38 *Licitum tamen est, gestare Agnos Dei, Cruces, &c.*
39 *Consuetudines aliquid faciendi, vel omittendi certis Festis, an damnandæ?*
40 *Quid in dubio, num effectus excedat vires causæ naturalis?*
41 *Protestatio quando excusat?*

29. CONCL. I. *Vana Observantia* est Superstitio, qua adhibentur media inutilia ad aliquid præstandum, vel impediendum, ad quod a Deo vel natura nullam virtutem habent: uti contingit, quando quis mediis inutilibus contendit acquirere bona temporalia, sanitatem, vel scientiam; aut quando aliquibus verbis intendit alligare dæmonem, eumque includere in annulo, vase; aut cum quis mittit chirographum animalibus noxiis, vel eis litem movet, ut illa expellat; aut cum quis certis schedulis, vel verbis, a globorum ictibus immunem sese reddere satagit, & hujusmodi. Ita Doctores communiter.

30. Cæterum dicta vana Observantia distinguitur a Divinatione, quod hæc circa speculativam occultorum, aut futurorum effectuum cognitionem versetur; illa vero ad opus aliquod præstandum, vel impediendum tendat, utputa ad obtinendam corporis sanitatem, thesauri absconditi inventionem, & quidem per pactum aliquod cum dæmone, ut dictum est.

31. CONCL. II. Vanæ Observantiæ tres sunt species, nempe *Ars notoria*, *Observantia sanitatum*, & *Observantia eventuum*; ad quas species cæteræ sunt revocandæ, sive cum expressa, sive cum tacita, seu implicita dæmonis invocatione fiant. Ita rursum communis; idque amplius patebit ex dicendis discurrendo de singulis. Unde sit

32. CONCL. III. *Ars notoria* est, cum per precationes quasdam verborum ignotorum, inspectiones certarum figurarum, & alia hujusmodi media prorsus inutilia, exspectatur scientia infusa quarundam rerum absque alio labore. Hæc arte utuntur Anabaptistæ, dum sumpto poculo suæ Cœnæ in instanti aliquando scripturarum antea omnino ignotarum scientiam consequuntur, dæmone indubie eam suggerente, vel per os ipsorum loquente, ipsosque sic dementante, ut S. Scripturas se intelligere putent.

33. CONCL. IV. *Observantia sanitatum* est superstitio, qua adhibentur media inania & inutilia ad sanandos morbos hominum, vel brutorum: ut contingit, dum ad sanitatis conservationem, recuperationem, vulnerum Sanationem, dolorum mitigationem, ab hostibus globorumque ictibus protectionem, atque immunitatem, & hujusmodi, adhibentur verba, signa & cæremoniæ, quæ nec ex Divina institutione, nec a natura ad id vires ullas habent. Ita passim Doct. Sed quia res quam plures habent varias virtutes naturales, non raro hominibus ignotas, hinc

34. Quæres, quo pacto dignosci possit hæc species vanæ Observantiæ? Resp. cum Filliucio *tom. 2. disp. 24. c. 6. n. 158. & 159.* & aliis, id potissimum ex sequentibus circumstantiis agnosci posse. I. Si adhibeantur verba ignota, aut characteres ignoti; talia enim implicite referuntur ad dæmonem ex instituentem, atque intelligentem. II. Si inserantur aliqua falsa, Apocrypha, aut minus certa; ut quod Christus habuerit febres, spasmum, &c. III. Si causa applicetur improportionata ad effectum, vel in loco valde distanti a passo. Idem dicendum de iis, qui adhibent verba, signa, cæremonias, imagines astronomicas, & similia, ad obtinendam sanitatem, ad quam tamen procurandam nullam ex se vim habent: unde necesse est, quod hanc habeant aliunde; non quidem a bonis Angelis, vel a Deo, cum id legitime non constet, imo per Prælatos Ecclesiæ prohibeatur, atque per Theologos & Concionatores concorditer negetur; ergo eam haberi ab arte diabolica, præsumendum est. Et ex his regulis innumeri casus in praxi possunt resolvi, quorum plurimos refert Gobat *tract. 11. Theol. Experimentalis, parte 4. de Superstitiosibus.*

35. CON-

35. CONCL. V. *Observantia eventuum*, quæ est tertia species vanæ Observantiæ, contingit, quando fortuito aliquid accidit vel occurrit, ex quo homo sibi, vel alteri aliquid prosperi, aut adversi conjectat, indeque suas actiones moderatur; ut si v. g. egredienti domum occurrat lepus; aut is picam picitantem audiat, & inde malum sibi augurium præsagiens, domum revertatur. Hæc vanæ Observantiæ species Divinationi, *Quæst. præced.* explicatæ, valde vicina est: differt tamen ab ea per hoc, quod in ista vana Observantia principaliter intendatur directio operationum, & quidem ex signis fortuito occurrentibus, aut incidentibus; in Divinatione autem signa ex proposito quærantur, & adhibeantur, & quidem ea principaliter intentione, ut notitia acquiratur futurorum, aut occultorum.

36. CONCL. VI. Hactenus explicata vana Observantia, & singulæ tres ejus species ex genere suo sunt peccatum mortale. Ita omnes Doctores. Ratio est clara: quia continent aut expressam, aut saltem implicitam societatem, pactumque cum dæmone, ejusque auxilii invocationem, utpote a quo vel scientiæ infusio, vel curatio morborum aut operum nostrorum directio expectatur.

37. Addunt tamen Bonacina *cit. disp. 3. q. 5. p. 4.* Lessius, Valentia, Sanchez, Herincx, aliique communiter, homines simplices sæpius a peccato mortali excusari ratione ignorantiæ, aut bonæ fidei; quia nihil mali in his contineri putant: cum ab hujusmodi hominibus non tam facile semper illud apprehendatur. Insuper tradit Filliucius *disp. 24. n. 161.* etiam peccatum tantum veniale committi, si id fiat ex intentione elandi operam ejusmodi vanitatibus, non tanquam efficacibus, sed ex quadam levitate: ut si quis semel annulum moveri sinat super filum, idque joco faciat, & ad experiendum effectum causa curiositatis.

38. CONCL. VII. Nihilominus licitum est, gestare Agnos Dei, Evangelium S. Joannis, Cruces benedictas, & hujusmodi res spirituales atque sacratas, ad sanitatem recuperandam, vel contra maleficia præservandam, similesque effectus consequendos. Ita D. Augustinus *tract. 7. in Joannem*, & tenent Catholici unanimiter: dummodo talia debita cum reverentia atque fiducia in Deum gestentur, & nulla conditio superveniat propter adjunctam spem in modo scribendi, portandi, appendendi, aut alia loci vel temporis inani observatione, ad Divinum cultum, reverentiamque, minime pertinente.

39. Utrum autem damnandæ, vel excusandæ sint quædam consuetudines, quibus nonnulli aliquid facere, vel omittere solent certis diebus festivis, distinguendum est. Si enim hæc faciant, ut se magis excitent ad precandum propter diem Sancto dedicatum, vel propter affectum, quem specialiter habent erga Sanctum, a quo opem & auxilium sperant, non committitur Superstitionis peccatum, saltem secluso scandalo, & alia prava intentione. Item non est superstitiosum, notare tempora, vel dies, quibus major vel minor influxus Cœlorum reperitur, seu quæ aptiora v. g. sint ad certas herbas medicinales colligendas, atque ad scindenda ligna, vel ad evitandam rerum corruptionem, &c. Hoc enim non excedit vires naturæ, atque quotidiana experientia comprobatur.

40. Tandem, quando rationabiliter dubitatur, an effectus sit a causa naturali (multa enim sunt secreta naturæ, virtutesque arcanæ doctissimorum etiam quandoque virorum ingenia subterfugientes) Quando, inquam, rationabiliter dubitatur, an hujusmodi effectus excedat vires causæ naturalis, præsumendum est, provenire a causa naturali. Bonacina *cit. q. 5. punct. n. 9.* citans Lessium, Suarez, Sanchez, Layman, & alios. Ratio est: tum quia dubium explicandum est in mitiorem partem: tum quia multæ res naturales admirabili præfulgent virtute, plerisque etiam viris doctis incognita.

41. Quamobrem excusandi sunt illi, qui hujusmodi res, de quarum virtute naturali dubitatur, ad expellendum morbum adhibere intendunt, dummodo protestationem præmittant, nolle se effectum consequi, si aliqua subsit virtus ex quocunque pacto diabolico, & superstitioso. Secus dicendum, quando palam est, effectum excedere vires causæ naturalis: ac proinde certo, vel fere certo constat, actum hujusmodi esse superstitiosum, seu rem vanam, & inutilem esse ad talem effectum: tunc enim subest malitia Superstitionis, cum adhibeatur medium inutile ad illum effectum. Neque in tali casu, ubi constat certo de inefficacia mediorum, prodest protestatio, cum sit contraria facto: nisi forte id fiat alia intentione, nempe ad convincendum & confundendum dæmonem, non ad experiendum effectum.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De Magia, & Maleficio, aliisque huc attinentibus.

SUMMARIUM.

42 *Magia naturalis, quid? Et pericuſoſa.*
43 *Magia ſuperſtitioſa, quid?*
44 *Duplex ejus finis. Magia propria. Maleficium, vel Veneficium; quid?*
45 *Magia, & Veneficium eſt peccatum mortale, & habet annexa multa alia peccata.*
46 *Remedia Maleficiorum alia Moralia.*
47 *Alia naturalia.*
48 *Et alia ſupernaturalia, quæ?*
49 *Licitum eſt tollere ſigna Magica, ut diabolus nocere deſinat.*
50 *Dummodo id fiat abſque novo Maleficio.*
51 *Solvitur inſtantia.* (c) Tr. 4. diſt. 7. n. 27.
52 *Quid agendum Confeſſario cum Malefico pœnitente?*
53 *Maleficus pœnitens non tenetur curare ſibi chyrographum a dæmone reſtitui. Bene tamen rumpere aliud, ſi quod penes ſe habet.*
54 *Alia tunc a Confeſſario obſervanda.*
55 *Quid agendum circa bona Malefico per diabolum data?*
56 *Quomodo ſe muniendus contra relapſum?*

42. SCiendum, quod Magia communiter duplex diſtinguatur, una naturalis, & altera ſuperſtitioſa, ſeu diabolica. *Magia naturalis* eſt ratio quædam operandi mira, per cauſas naturales abſque dæmonis opera. Hanc Magiam, etſi de ſe mala non ſit, tamen ut periculoſam, & ſenſim ad ſuperſtitiones manuducentem, paſſim cenſent Doctores eſſe cavendam: quia ingenia humana rebus curioſis & inutilibus implicat, Magiſque ſemper curioſa reddit, & ſucceſſive ad Magiam ſuperſtitiosam inducit. Unde merito Leſſius *lib. 2. de juſt. & jure, c. 44 n. 2.* omnes libros, qui Magiam naturalem tradunt, ſuſpectos habendos eſſe, & tamquam periculoſos, præſertim juventuti, vitandos aſſerit.

43. *Magia ſuperſtitioſa* (quam alii *Diabolicam* appellant, & de qua ſolum hic agitur) eſt ratio quædam operandi mira per ſigna ope dæmonum: ſicut enim Magia naturalis utitur cauſis naturalibus, ita Magia ſuperſtitioſa utitur nonnullis ſignis, quibus ex pacto quodam allicitur dæmon, ut faciat id, quod Magus vult.

44. Porro Magia ſuperſtitioſa duplex eſt, ſeu potius duplicem habet finem. Primus finis ejus eſt propria oſtentatio, aliudve commodum ſuum, aut alienum: ſic communi nomine vocatur *Magia*: nam Magia proprie eſt ratio quædam operandi mira ope dæmonum. Alter finis ipſius, eſt noxa alicui inferenda; & proprio nomine dicitur *Maleficium*, vel *Veneficium*. Maleficium quidem, ſi noxa inferatur incantationibus, ſeu carminibus, characteribus, aliiſve hujuſmodi ſignis, ex pacto cum dæmone inito. Veneficium vero, quando malis pharmacis, ſive venenis id fit; quamvis non nunquam etiam Incantatores appellentur Venefici.

45. CONCL. I. Magia, ſicut & Veneficium ac Maleficium, ex genere ſuo eſt peccatum mortale, utpote continens expreſſam vel tacitam dæmonis invocationem, ac proinde ſocietatem & benevolentiam erga illum. Ita omnes Doctores. Quinimo Magia ordinarie multa alia peccata annexa habet; ut ſunt hæreſis, abnegatio Dei & Sanctorum, idololatria, blaſphemia in Deum & Sanctos, profanatio & abuſus rerum ſacrarum, maxime Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramenti, luxuria, & nefariæ cum dæmone commixtiones, &c. Ea inſuper inferre ſolet maxima damna in bonis temporalibus proximorum, homicidia præſertim infantium, mortes animalium, vaſtationes ſegetum, & hujuſmodi. Ex quibus, aliiſque ſimilibus effectibus, colligere licet immanitatem hujus criminis, merito juxta Leges etiam Civiles ignibus plectendi. Sed occaſione præmiſſorum

46. Quæres I. Quænam remedia adverſus Maleficia ſint adhibenda? Reſp. Remedia Maleficiorum quædam ſunt naturalia, quædam ſupernaturalia, & quædam moralia. Horum poſtrema ſunt ea, quæ pertinent ad pactum cum dæmone diſſolvendum, quando ex pacto nocet: quod fit amovendo ſigna Magica, ad quorum præſentiam diabolus nocumentum infert; de quo mox plura *n. 49. & ſeqq.*

47. Naturalia remedia Maleficiorum plerumque parvam vim habent, quia diabolus facile omnem illorum actionem eludit, ſi velit, & a Deo permittatur. Bonum tamen eſt,

eſt, illa ab initio experiri, juxta præſcriptum Medicorum, ſeu quæ ipſi magis congrua judicabunt.

48. Supernaturalia, ſeu ſpiritualia, atque Eccleſiaſtica remedia Maleficiorum ſunt optima, & horum decem numerantur cum Leſſio *cit. cap. 44. num. 28.* Bonacina, Reginaldo, & aliis. I. Magna fides & fiducia in Deum, ſeu Divinam protectionem. II. Suſceptio Baptiſmi, ſi quis nondum eſt baptizatus. Vel III. loquendo de baptizatis, Confeſſio Sacramentalis peccatorum: ſæpe enim ob peccata permittitur diabolo poteſtas in hominem, quibus per veram pœnitentiam, vitæque emendationem deletis, hæc quoque evaneſcit. IV. Sumptio Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti. V. Exorciſmi Eccleſiæ, quorum maximam eſſe vim probat praxis, atque ordinatio Eccleſiæ, cujus nomine fiunt, ipſaque quotidiana experientia. VI. Aqua benedicta: hæc enim habet vim ex precibus Eccleſiæ ad avertendas dæmonis infeſtationes. VII. Reliquiæ Sanctorum, Agnus Dei, Cerei ſacri, Panis, & Sal benedictum, & ſimiles res ab Eccleſia benedictæ, ob prælegatam rationem. VIII. Signum S. Crucis, cujus vis maxima eſt contra omnes diaboli machinationes. IX. Invocatio Sanctiſſimi Nominis JESU, B. MARIÆ Virginis, Sancti Angeli Cuſtodis, & aliorum Sanctorum. X. Oratio, præſertim conjuncta jejunio, ut patet ex verbis Chriſti, *Matth. 17.*

49. Quæres II. An liceat tollere ſigna Magica, v. g. ligaturas, nodos, volumina capillorum &c. eo fine, ut diabolus nocere deſinat? Reſp. I. Certum eſt, & fatentur omnes, ſi nullum novum adhibeatur Maleficium, hujuſmodi ſigna licite poſſe tolli; idque tum in contemptum diaboli, atque Magicæ ſuperſtitionis; tum in odium facinoris, quo Maleficus ea poſuit veluti teſſeram ſui pacti cum dæmone. Ratio clara eſt: quia ſic ſolummodo evertuntur opera diaboli, ejuſque atque Malefici impietas execratur. Et hoc quidem licitum eſt facere etiam ea intentione, ut dæmon nocere deſinat: quia ejuſmodi amotio ſignorum (ſeclusa novo Maleficio) non eſt invocatio dæmonis ex natura rei, ſed potius everſio prioris pacti per Maleficium cum Cacodæmone initi; & deſtructio operum diaboli. Et in hoc ſenſu loquitur Doctor Subtilis 4. *diſt. 34. quæſt. un.* dicens, quod ridiculum ſit quærere, *an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum; non enim* (inquit) *ſolum licet, ſed eſt meritorium, deſtruere opera diaboli.*

50. Reſp. II. Nihilominus non licet tollere Maleficium, vel ſigna Magica per novum Maleficium; neque hoc a Malefico ſcienter petere, quamvis hic ſeſe paratum offerat. Ita certa & communis. Ratio eſt: quia adhibitio novi Maleficii eſt intrinſece mala, cum ſit uſus artis Magicæ, & tacita vel expreſſa dæmonis invocatio ad aliquem effectum obtinendum; ac proinde nullo modo bene fieri poteſt, neque peti, neque ut id fiat, aſſenſus præberi, juxta illud Apoſtoli *Rom. 1. Qui talia agunt, digni ſunt morte: non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

51. Nec dicis: Licitum eſt petere pecuniam ad uſuram ab uſurario parato dare; item exigere juramentum ab eo, qui paratus eſt per falſos deos jurare: ergo etiam licitum erit, alterius, qui ad id paratus eſt, incantatione & Maleficio uti ad amovenda a nobis vel aliis Maleficia. Reſp. enim negando conſequentiam, & paritatem. Ratio diſparitatis eſt: quia id, quod in dictis caſibus petitur, nempe pecunia mutua, vel juramentum, ex ſe malum non eſt, & bene fieri poteſt, ſi velit is, a quo petitur, ut dictum ſuperius (c). Secus eſt in noſtro caſu, ubi Maleficium (juxta Hypotheſin) non niſi per novum Maleficium tolli poteſt.

52. Quæres III. Quid agendum Confeſſario cum Malefico pœnitente? Reſp. cum Bonacina *diſp. 3. in Decalogum, quæſt. 5. punct. 5. n. 11.* Sanchez *l. 2. in Decalog. cap. 40. n. 52.* & aliis, ante omnia inquirendum eſſe, an Maleficus inierit pactum cum dæmone: id ſiquidem tenetur Maleficus in primis diſſolvere. Videtur autem ejuſmodi pactum ſufficienter diſſolvi per veram ac ſinceram de ſuis peccatis actam pœnitentiam, ex puro corde peccata deteſtando, ac dæmoni renuntiando, & toto affectu DEI Miſericordiam implorando.

53. Non tamen neceſſe eſt, ut Maleficus pœnitens curet ſibi chyrographum a dæmone reſtitui: quia per veram pœnitentiam ſufficienter recedit a pacto. Sanchez *cit. cap. 40. num. 53.* Suarez, Candidus Brognollus, & alii. Quod ſi vero ipſemet Maleficus apud ſe habeat chyrographum, vel ejus exemplar (regulariter enim, ut notat Candidus Brognollus Bergomenſis, *in Manuali Exorciſtarum, part. 1. c. 2. art. 3. §. 10.* cum aliquis homo Deo abrenuntiat, ac dæmoni ſe devovet, ſolent duo fieri chyrogra-

grapha, vel si quis scribere nesciat, alia duo signa confici, quorum unum apud dæmonem conservatur, alterum apud Magum, vel Maleficum) tunc is tenetur alterum, quod penes se habet, perfringere, aut ipsimet Confessario tradere: idque partim in detestationem criminis; partim, ut exterius testetur internam, ac perfectam dæmoni abrenuntiationem, sinceramque in Deum conversionem. Alioquin enim, si hujusmodi externum signum, quod penes se habet, nollet Maleficus destruere, adhuc eo ipso pergeret internum voluntatis actum in dæmonis obsequium profiteri.

54. Secundo debet Confessarius inquirere a Malefico, an commiserit illa enormia peccata superius *n.* 43. recensita, vel alia hujusmodi: quibus intellectis, debito modo procedat, prout cæteroquin necesse est ad Confessionem Sacramentalem.

55. Tertio, si aliquid ope diaboli Maleficus acquisitum haberet, quod cujusdam tertiæ personæ esse cognosceret (puta, quia huic a diabolo sublatum, & Malefico traditum fuit, prout sæpe contingit,) illud domino suo erit modo competenti restituendum, sicuti in rebus furto ablatis fieri debet. Si vero aliunde, ut puta ex occultis thesauris, aut ex rebus in mari totaliter amissis perditis, eam rem diabolus habuerit, Magoque tradiderit; ex eadem persona illis Magus satisfacere tenebitur, quibus fortasse damna in rebus suis familiaribus, aut animalibus intulit. Et hoc idem dicendum, si Magus haberet aliunde, unde damna illata refarcire posset; nam restitutio rerum injuste ablatarum, & aliorum damnorum illatorum recompensatio, erit necessario facienda, nisi impotentia excuset, prout alibi constat.

56. Quarto, ne Maleficus pœnitens iterum seducatur, & ad vomitum redeat, simulque ut is a dæmoniacis divexationibus, non raro redituris, magis magisque præservetur, eundem Confessarius muniat remediis spiritualibus, nimirum Agnis Dei, aut aliis rebus consecratis ipsi communicatis; simulque eum exhortetur ad crebro eliciendos actus Virtutum Theologicarum, atque ad meditationem Dominicæ Passionis, detestationemque suorum gravissimorum peccatorum, nec non & aliarum Virtutum exercitium, præsertim vero ad frequentiorem Sacramenti Pœnitentiæ, atque Eucharistiæ receptionem. Quin etiam poterit quandoque Confessarius adhibere Exorcismos convenientes, quales pro hujusmodi hominibus tum in Ritualibus Dioecesanis, tum in aliis Benedictionum Libellis passim reperiuntur.

DISTINCTIO III.

De Vitiis Religioni oppositis per defectum.

QUÆSTIO I.

De Tentatione Dei.

SUMMARIUM.

1 *Irreligiositas, quid, & qua vitia sub se contineat?*
2 *Tentatio, alia probationis: Alia seductionis.*
3 *Tentatio Dei, quid?*
4 *Est duplex, expressa & interpretativa.*
5 *Tentatio Dei ex genere suo est peccatum mortale.*
6 *Purgationes vulgares sunt prohibitæ.*
7 *Salvatur ignorantia.*
8 *Tentatio Dei per accidens potest esse venialis.*

1. UT patet ex dictis *Dist. præced. n. 1.* alia Vitia opponuntur Religioni per excessum, alia per defectum. Visis itaque hactenus prioribus, pergendum ad posteriora, quorum omnium genus est *Irreligiositas*, quæ est defectus cultus Deo debiti. Porro sub Irreligiositate, tanquam species sub suo genere, continentur Tentatio Dei, Sacrilegium, Simonia, Blasphemia, Perjurium, atque violatio Voti: de quorum quatuor prioribus in præsenti Distinctione, de aliis duobus in sequenti Tractatu dicetur.

tur. Et quidem, ordiendo a materia præsentis Quæstionis,

2. Tentatio generatim est dictum, vel factum, ad capiendum de aliquo experimentum, ut sciatur, quantæ sit potentiæ, prudentiæ, scientiæ, & hujusmodi. Et hæc dicitur *Tentatio probationis*, seu experimenti: quo modo Deus dicitur tentasse Abraham, Job, Tobiam, & alios Sanctos, dum immissis adversitatibus eorum obedientiam, patientiam, atque in aliis virtutibus constantiam experiri voluit. Est & alia, quæ dicitur *Tentatio seductionis*, seu inductionis ad peccatum: quo modo diabolus tentat homines, dum eos ad malum seu peccatum incitat. In proposito sumitur Tentatio priori modo, & quidem in malam partem, quatenus nimirum homo inique tentat Deum, volens aliquam ejus perfectionem experiri: de qua loquendo, sit,

3. CONCL. I. *Tentatio Dei* est actus Religioni oppositus, quo quis absque justa causa dicit, aut facit aliquid, ad capiendum experimentum de Divina quapiam perfectione, utputa de Potentia, Sapientia, Justitia, aliisve Dei Attributis. Ita Herincx *disp. 8. de Relig. q. 1.* Lessius, estque in re communis. Dicitur *actus Religioni oppositus*: quia est quædam Dei irreverentia, velle de perfectionibus ejus experimentum sumere absque justa causa, & relictis mediis ordinariis a Deo institutis. Et additur, *absque justa causa*: quia si talis adsit, non erit Tentatio: ut si fiat ex Divino instinctu, vel si quis habeat Donum miraculorum, aut sanitatum, vel si honor DEI, atque defensio Religionis postulet aliquod opus, ad quod tale experimentum est necessarium. Porro per *experimentum Divinæ perfectionis*, intelligitur omne extraordinarium opus, vel auxilium Dei supra communem rerum ordinem præstandum, quo Divina Potentia, Sapientia, Justitia &c. quasi experientia ipsa cognoscatur.

4. CONCL. II. Tentatio Dei potest fieri dupliciter, expresse scilicet, vel interpretative. Ita communis. Et quidem *Tentatio Dei expressa* tunc accidit, quando aliquid fit directe ea intentione, ut experimentum capiatur de quadam Dei perfectione; ut si te projicias in puteum, expecturus, an Deus te sinat submergi, vel an possit te salvare. *Interpretativa tentatio Dei* contingit, quando quis non intendit explicite tale experimentum de Divina perfectione, facit tamen aliquid ob finem alium, quod ex se requirit extraordinarium Dei auxilium, illudque temere expectat: ut si quis tota Quadragesima velit cibo & potu abstinere ad Christi exemplum, persuasus, Deum vires præbiturum (nisi id fieret ex speciali instinctu Divino) aut si alicui alteri periculo absque necessitate se committat, a quo fine extraordinario auxilio Dei, quod temere expectat, liberari nequit. Huc etiam pertinent Purgationes vulgares, de quibus *num. 6.*

5. CONCL. III. Tentatio Dei, prout fit absque justa causa, regulariter loquendo, atque ex suo genere, est peccatum mortale. Ita Doctores communiter. Ratio est: tum quia adversatur excellentissimæ inter Morales Virtuti Religionis, & consequenter ex suo genere est peccatum mortale: Tum quia vel tentando Deum quis est incredulus, aut dubius de aliqua ipsius perfectione, & consequenter præter malitiam Infidelitatis irrogat Deo gravissimam injuriam; prout fecerunt olim perfidi Judæi, de quibus dicitur *Psal. 77. Tentaverunt Deum in cordibus suis, dicentes: Numquid & panem poterit dare, aut parare mensam in deserto?* vel tentans petit a Deo auxilium extraordinarium sine justa causa, quod arguit gravem audaciam, sicque irreverentiam erga Majestatem Divinam, quæ Ter sancte, simulque humiliter ac reverentialiter est tractanda: atque insuper est istud contra sapientissimam Dei ordinationem, qua voluit servari ordinem naturalem, neque absque necessitate eundem invertendum statuit. Unde Christus dæmoni, præcipitium e Templi pinnaculo, unde tamen per scalas descendere poterat, suggerenti respondit, *Matth. 4. Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.*

6. Hinc mortaliter peccaminosa est omnis illa Tentatio, qua tentans Deum, absque alia necessitate committit se aperto periculo vitæ; utputa projiciendo se in ignem, aut præcipitando ex turri, interim putans, Deum esse ipsum salvaturum. Huc etiam spectant *Purgationes vulgares* (sic dictæ, quod nullo jure, sed *populari inventione*, & *fabricante sunt omnino ficta invidia, c. Mennam 2. q. 5.*) quales olim fieri consueverant ferventis sive frigidæ aquæ, ignitique ferri contactu, & hujusmodi, in quibus expectabatur incolumitas a Deo extraordinarie præstanda innocenti; quæ merito reprobantur a Jure Canonico *cit. c. Mennam*,

&

grapha, vel si quis scribere nesciat, alia duo signa confici, quorum unum apud dæmonem conservatur, alterum apud Magum, vel Maleficum) tunc is tenetur alterum, quod penes se habet, perfringere, aut ipsimet Confessario tradere: idque partim in detestationem criminis; partim, ut exterius testetur internam, ac perfectam dæmoni abrenuntiationem, sinceramque in Deum conversionem. Alioquin enim, si hujusmodi externum signum, quod penes se habet, nollet Maleficus destruere, adhuc eo ipso pergeret internum voluntatis actum in dæmonis obsequium profiteri.

54. Secundo debet Confessarius inquirere a Malefico, an commiserit illa enormia peccata superius *n.* 43. recensita, vel alia hujusmodi: quibus intellectis, debito modo procedat, prout cæteroquin necesse est ad Confessionem Sacramentalem.

55. Tertio, si aliquid ope diaboli Maleficus acquisitum haberet, quod cujusdam tertiæ personæ esse cognosceret (puta, quia huic a diabolo sublatum, & Malefico traditum fuit, prout sæpe contingit,) illud domino suo erit modo competenti restituendum, sicuti in rebus furto ablatis fieri debet. Si vero aliunde, ut puta ex occultis thesauris, aut ex rebus in mari totaliter amissis perditis, eam rem diabolus habuerit, Magoque tradiderit; ex eadem persona illis Magus satisfacere tenebitur, quibus fortasse damna in rebus suis familiaribus, aut animalibus intulit. Et hoc idem dicendum, si Magus haberet aliunde, unde damna illata refarcire posset; nam restitutio rerum injuste ablatarum, & aliorum damnorum illatorum recompensatio, erit necessario facienda, nisi impotentia excuset, prout alibi constat.

56. Quarto, ne Maleficus pœnitens iterum seducatur, & ad vomitum redeat, simulque ut is a dæmoniacis divexationibus, non raro redituris, magis magisque præservetur, eundem Confessarius muniat remediis spiritualibus, nimirum Agnis Dei, aut aliis rebus consecratis ipsi communicatis; simulque eum exhortetur ad crebro eliciendos actus Virtutum Theologicarum, atque ad meditationem Dominicæ Passionis, detestationemque suorum gravissimorum peccatorum, nec non & aliarum Virtutum exercitium, præsertim vero ad frequentiorem Sacramenti Pœnitentiæ, atque Eucharistiæ receptionem. Quin etiam poterit quandoque Confessarius adhibere Exorcismos convenientes, quales pro hujusmodi hominibus tum in Ritualibus Dioecesanis, tum in aliis Benedictionum Libellis passim reperiuntur.

DISTINCTIO III.

De Vitiis Religioni oppositis per defectum.

QUÆSTIO I.

De Tentatione Dei.

SUMMARIUM.

1 *Irreligiositas, quid, & qua vitia sub se contineat?*
2 *Tentatio, alia probationis: Alia seductionis.*
3 *Tentatio Dei, quid?*
4 *Est duplex, expressa & interpretativa.*
5 *Tentatio Dei ex genere suo est peccatum mortale.*
6 *Purgationes vulgares sunt prohibitæ.*
7 *Salvatur ignorantia.*
8 *Tentatio Dei per accidens potest esse venialis.*

1. UT patet ex dictis *Dist. præced. n. 1.* alia Vitia opponuntur Religioni per excessum, alia per defectum. Visis itaque hactenus prioribus, pergendum ad posteriora, quorum omnium genus est *Irreligiositas*, quæ est defectus cultus Deo debiti. Porro sub Irreligiositate, tanquam species sub suo genere, continentur Tentatio Dei, Sacrilegium, Simonia, Blasphemia, Perjurium, atque violatio Voti: de quorum quatuor prioribus in præsenti Distinctione, de aliis duobus in sequenti Tractatu dicetur.

tur. Et quidem, ordiendo a materia præsentis Quæstionis,

2. Tentatio generatim est dictum, vel factum, ad capiendum de aliquo experimentum, ut sciatur, quantæ sit potentiæ, prudentiæ, scientiæ, & hujusmodi. Et hæc dicitur *Tentatio probationis*, seu experimenti: quo modo Deus dicitur tentasse Abraham, Job, Tobiam, & alios Sanctos, dum immissis adversitatibus eorum obedientiam, patientiam, atque in aliis virtutibus constantiam experiri voluit. Est & alia, quæ dicitur *Tentatio seductionis*, seu inductionis ad peccatum: quo modo diabolus tentat homines, dum eos ad malum seu peccatum incitat. In proposito sumitur Tentatio priori modo, & quidem in malam partem, quatenus nimirum homo inique tentat Deum, volens aliquam ejus perfectionem experiri: de qua loquendo, sit,

3. CONCL. I. *Tentatio Dei* est actus Religioni oppositus, quo quis absque justa causa dicit, aut facit aliquid, ad capiendum experimentum de Divina quapiam perfectione, utputa de Potentia, Sapientia, Justitia, aliisve Dei Attributis. Ita Herincx *disp. 8. de Relig. q. 1.* Lessius, estque in re communis. Dicitur *actus Religioni oppositus*: quia est quædam Dei irreverentia, velle de perfectionibus ejus experimentum sumere absque justa causa, & relictis mediis ordinariis a Deo institutis. Et additur, *absque justa causa*: quia si talis adsit, non erit Tentatio: ut si fiat ex Divino instinctu, vel si quis habeat Donum miraculorum, aut sanitatum, vel si honor DEI, atque defensio Religionis postulet aliquod opus, ad quod tale experimentum est necessarium. Porro per *experimentum Divinæ perfectionis*, intelligitur omne extraordinarium opus, vel auxilium Dei supra communem rerum ordinem præstandum, quo Divina Potentia, Sapientia, Justitia &c. quasi experientia ipsa cognoscatur.

4. CONCL. II. Tentatio Dei potest fieri dupliciter, expresse scilicet, vel interpretative. Ita communis. Et quidem *Tentatio Dei expressa* tunc accidit, quando aliquid fit directe ea intentione, ut experimentum capiatur de quadam Dei perfectione; ut si te projicias in puteum, expecturus, an Deus te sinat submergi, vel an possit te salvare. *Interpretativa tentatio Dei* contingit, quando quis non intendit explicite tale experimentum de Divina perfectione, facit tamen aliquid ob finem alium, quod ex se requirit extraordinarium Dei auxilium, illudque temere expectat: ut si quis tota Quadragesima velit cibo & potu abstinere ad Christi exemplum, persuasus, Deum vires præbiturum (nisi id fieret ex speciali instinctu Divino) aut si alicui alteri periculo absque necessitate se committat, a quo fine extraordinario auxilio Dei, quod temere expectat, liberari nequit. Huc etiam pertinent Purgationes vulgares, de quibus *num. 6.*

5. CONCL. III. Tentatio Dei, prout fit absque justa causa, regulariter loquendo, atque ex suo genere, est peccatum mortale. Ita Doctores communiter. Ratio est: tum quia adversatur excellentissimæ inter Morales Virtuti Religionis, & consequenter ex suo genere est peccatum mortale: Tum quia vel tentando Deum quis est incredulus, aut dubius de aliqua ipsius perfectione, & consequenter præter malitiam Infidelitatis irrogat Deo gravissimam injuriam; prout fecerunt olim perfidi Judæi, de quibus dicitur *Psal. 77. Tentaverunt Deum in cordibus suis, dicentes: Numquid & panem poterit dare, aut parare mensam in deserto?* vel tentans petit a Deo auxilium extraordinarium sine justa causa, quod arguit gravem audaciam, sicque irreverentiam erga Majestatem Divinam, quæ Ter sancte, simulque humiliter ac reverentialiter est tractanda: atque insuper est istud contra sapientissimam Dei ordinationem, qua voluit servari ordinem naturalem, neque absque necessitate eundem invertendum statuit. Unde Christus dæmoni, præcipitium e Templi pinnaculo, unde tamen per scalas descendere poterat, suggerenti respondit, *Matth. 4. Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.*

6. Hinc mortaliter peccaminosa est omnis illa Tentatio, qua tentans Deum, absque alia necessitate committit se aperto periculo vitæ; utputa projiciendo se in ignem, aut præcipitando ex turri, interim putans, Deum esse ipsum salvaturum. Huc etiam spectant *Purgationes vulgares* (sic dictæ, quod nullo jure, sed *populari inventione*, & *fabricante sunt omnino ficta invidia, c. Mennam 2. q. 5.*) quales olim fieri consueverant ferventis sive frigidæ aquæ, ignitique ferri contactu, & hujusmodi, in quibus expectabatur incolumitas a Deo extraordinarie præstanda innocenti; quæ merito reprobantur a Jure Canonico *cit. c. Mennam*,

&

& 1. Omnibus & c. Consuluisti 2. q. 5. Item Purgationes, quæ duello fiunt, in quo expectatur, ut Deus tueatur partem innocentem; quod itidem damnatur *can. Monachiam. 2. q. 5. & cap. 1. ac seqq. de Purgat. vulgari*; & in Concilio Trid. *Sess. 25. cap. 29. de Reform.*

7. Nec obstat, quod DEUS olim videatur quandoque hujusmodi Purgationibus miraculo favisse. Resp. enim, id factum esse vel ob simplicitatem illius sæculi, atque antequam tales Purgationes fuerunt publice ab Ecclesia damnatæ; vel quia innocentes suspecti ad eas adhibendas cogebantur. Leffius *l. 2. c. 15. n. 4.* Quandoque tamen effectus non respondebat, de quo refertur insigne exemplum *c. 2. de Purg. vulgari.*

8. Dicitur nihilominus in Conclusione, *regulariter loquendo*, ad denotandum, quod Tentatio Dei aliquando per accidens possit esse peccatum veniale. Et hoc contingit vel ratione inconsiderationis, aut ignorantiæ non crassæ; vel ratione parvitatis materiæ, aut periculi; ut quando quis levi morbo affectus, vane sperat sanitatem a Deo relictis mediis ordinariis. Bonacina *tit. disp. 3. q. 9. n. 6.* & alii.

QUÆSTIO II.

De Sacrilegio, & quale sit peccatum?

SUMMARIUM.

9 *Sacrilegium, quid?*
10 *Ejus tres sunt species.*
11 *I. Qua violatur Persona sacra.*
12 *II. Qua locus sacer.*
13 *Et III. Qua alia Res sacra violantur. Huc spectat abusus sententiarum S. Scripturæ.*
14 *Sacrilegium ipsi ex genere suo peccatum mortale.*
15 *Clerici, & Religiosi, a quibus abstinere teneantur ratione Voti Castitatis?*
16 *Sacrilegium per accidens sit quandoque peccatum veniale.*
17 *Non omne peccatum a Persona sacra commissum, est sacrilegium.*

9. SAcrilegium, quod a *sacris legendis*, id est, suffurandis sic dicitur, proprie accipitur pro violatione, seu indigna tractatione rei sacræ; sive pro injuria ac irreverentia illa, quæ infertur Deo per indignam tractationem rerum sacrarum. Et de hac loquendo sit

10. CONCL. I. Sacrilegiorum universim tres sunt species; aut enim Sacrilegium fit contra Personam sacram, aut contra Locum sacrum, aut contra Rem sacram. Ita Doctores communiter; & ratio est: quia generatim etiam tria sunt genera rerum sacrarum, videlicet personæ, loca, & res aliæ ad Divinum cultum ordinatæ.

11. Porro ad primam Sacrilegii speciem, qua violatur Persona sacra, pertinet percussio Clerici; fornicatio Ordine sacro initiati, sive Religiosi, aut Religiosæ, & cujusliber Votum Castitatis habentis. Huc adducit Doctores pertractionem personarum Ecclesiasticarum ad Tribunal sæculare, earundem incarcerationem, & hujusmodi, utpote quibus indigne tractantur personæ Deo sacratæ.

12. Ad secundam speciem Sacrilegii pertinent omnia, quæ fiunt contra sanctitatem Loci sacri; ut sunt destructio malitiosa Loci sacri, eversio Altarium, injuriosa effusio sanguinis, vel seminis humani in Loco sacro; item, si confugientes ad Locum sacrum, tanquam ad Asylum, per vim inde extrahantur, & hujusmodi.

13. Ad tertiam Sacrilegii speciem pertinent ea peccata, quibus aliæ Res sacræ temerantur, seu injuriose tractantur. Dicuntur autem Res sacræ in primis Sacramenta; deinde Vasa sacra, vestesque benedictæ, Reliquiæ Sanctorum, Dei ac Sanctorum Imagines; & deinde ea omnia, quæ adhibitis certis precibus, ac Ritibus Ecclesiasticis sunt consecrata, & pertinent ad cultum Divinum, atque ministerium Ecclesiasticum. Insuper ad hanc tertiam Sacrilegii speciem spectat abusio sententiarum sacræ Scripturæ ad superstitiones, ad stabiliendas hæreses, ad amatoria, fabulosa, vana, scurrilia, adulationes, detractiones, libellos famosos, & hujusmodi: quam quidem temeritatem graviter inhibuit Concilium Trid. *sess. 4. in Decreto de Editione, & usu sacrorum Librorum*; atque omnes hujus generis homines, seu violatores, ac temeratores verbi Dei, juris & arbitrii pœnis, per Episcopos coerceri præcepit.

14. CONCL. II. Sacrilegium ex genere suo est peccatum mortale. Ita communis: nam opponitur excellentissimæ inter Morales virtuti Religionis. Sic quippe certum est, esse peccatum mortale, quando Sacrilegium fit in contemptum Rei sacræ, prout solent facere Hæretici, cum Vasa sacra, Imagines Dei ac Sanctorum, & hujusmodi profanant, & vastant. Similiter constat, committi peccatum mortale Sacrilegii, quando fit aliquid voluntarie ac deliberate in materia gravi, quod habet peculiarem repugnantiam cum sanctitate Rei sacræ: ut est percussio Clerici, item peccatum carnis cum persona Deo sacrata, vel ab eadem persona sacra commissum &c. Quia talia notabiliter contraveniunt sanctitati Rei sacræ, eique gravem inferunt irreverentiam.

15. Ubi sciendum, quod Religiosi professi aut Clerici in sacris constituti, ratione Voti Castitatis teneantur abstinere ab omni deliberata vencrea delectatione, actuque tum interno, tum externo, qui est contra Castitatem: uti sunt non solum fornicatio, aut alius actus venereus, sed etiam turpes cogitationes, delectationes morosæ, aspectus impudici, vel tactus obscœni &c. Unde quidquid in sæcularibus extra conjugium est aliquo modo peccatum contra Castitatem, id in Religiosis, & Clericis memoratis etiam est Sacrilegium ratione Voti; adeoque habet duplicem malitiam; ita tamen, ut malitia Sacrilegii sit mortalis in iis actibus, in quibus malitia libidinis est mortalis; venialis vero, in quibus illa est venialis, prout non raro contingit ratione imperfecti voluntarii. Leffius *lib. 2. cap. 4. n. 78.* Sylvester, Layman, & alii.

16. CONCL. III. Nihilominus per accidens quandoque Sacrilegium potest fieri peccatum veniale. Ita communis. Sic in primis accidit, quando irreverentia Rei sacræ illata, est duntaxat levis, prout fieri potest in aliquali inhonoratione, aut dilaceratione Imaginum, seclusa contemptu, in levi abusu sacrarum Vestium ad profanos usus, in allegatione cujusdam sacræ Sententiæ ad jocum, & idem dicendum de aliis hujusmodi levioribus irreverentiis erga Res sacras, quæ non excedunt peccatum venale, seclusa contemptu, propter parvitatem materiæ, seu irreverentiæ commissæ. Similiter erit peccatum veniale tantum, & quandoque nullum, si irreverentia aliqua fiat Rei sacræ ex inadvertentia, indeliberatione, aut ignorantia non crassa, vel invincibili: hæc enim a peccato mortali excusat in omni materia.

17. Tandem notandum cum Herinex *disp. 8. de Relig. quæst. 2. n. 12.* & aliis, non omne peccatum a Persona sacra, vel in Personam sacram commissum, esse Sacrilegium proprie & formaliter; sed illud tantum, quod directe committitur contra sanctitatem Personæ. Hinc inebriatio, superbia, mendacium, ac hujusmodi, si committantur a Persona sacra, non sunt sacrilegia. Similiter neque ira erga Personam sacram habita, citra corporalis injuriæ illationem, est Sacrilegium: cum talia directe non repugnent ejus sanctitati, bene tamen percussio corporalis ipsius.

QUÆSTIO III.

De Simonia.

SUMMARIUM.

18 *Simonia unde sic dicta?*
19 *Ea est species Sacrilegii.*
20 *Simoniæ definitio declaratur.*
21 *Simonia quam grave peccatum?*
22 *Est triplex.*
23 *Simonia mentalis, quid?*
24 *Simonia conventionalis, quid? Alia pure conventionalis, & alia mixta.*
25 *Simonia confidentialis declaratur.*
26 *Simonia realis.*
27 *Si quid gratis detur, & recipiatur, non fit Simonia.*
28 *Simonia non est, intuitu spiritualium functionum dare, aut recipere aliquid per modum stipendii.*
29 *An de hujusmodi stipendio licitum sit pacisci?*
30 *Ibi sum magis declaratur.*
31 *Simonia non est dare quid ad redimendam injustam vexam circa spiritualia.*
32 *Fallit Conclusio in Beneficiis Ecclesiasticis, si quis necdum habet jus in re.*
33 *Licitum est, dare vel recipere pretium pro labore per accidens conjuncto cum sacro Ministerio.*
34 *Non item pro labore intrinseco, sive per se conjuncto cum ipso.*

18. SImonia a Simone Mago nomen, atque in Lege Evangelica originem traxit, non obstante, quod jam in Lege veteri a Balaam *Num. cap. 22.* & a Giezi *lib. 4. Regum, cap. 5.* & a nonnullis aliis, hoc peccatum legatur commissum. Dicitur nihilominus *Simonia a Simone* Mago, qui, cum vidisset, quod per manuum impositionem ab Apo-

Apostolis daretur Spiritus Sanctus (ut legitur in Actibus Apostolorum *c. 8.*) obtulit eis pecuniam, dicens: *Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.* Cui S. Petrus Apostolus respondit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Unde passim SS. Canones graviter reprehendunt Simoniam, appellantes eam *Execrabile vitium, turpissimum lucrum, piaculare flagitium, simoniacam pestem, haeresim simoniacam, ad cujus comparationem omnia crimina quasi pro nihilo reputantur*: ubi videre est *cap. Reperiuntur* ; & *cap. Quicumque, ac seqq. 1. quæst. 1. & cap. Patet 1. quæst. 7. & cap. Per tuas de simonia*, & alibi. Ex quibus verbis facile patet gravitas hujus criminis.

19. Est igitur Simonia species Sacrilegii: cum vendere rem sacram, seu spiritualem pretio temporali, sit contra reverentiam Deo in rebus sacris debitam: simulque violet ipsius rei sacræ sanctitatem, quæ cum gratiose nobis a Deo concedatur in nostram, proximorumque salutem, atque insuper tantæ sit dignitatis, ut sit pretio inæstimabilis, ac proinde dignis debeat dari gratis, juxta illud Salvatoris, *Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date*: Nihilominus æstimato pretio venditur, aut emitur, rebusque temporalibus æquiparata, humanis contractibus subjicitur.

20. CONCL. I. *Simonia* est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, pretio temporali. Ita Glossa *in Rubricam, tit. de Simonia*; cujus definitio hæc communiter recepta inter Doctores, & patebit ex ejus declaratione. Dicitur I. *Studiosa voluntas*; id est, actus deliberatus voluntatis: & hæc particula stat loco generis; reliqua adduntur per modum differentiæ. Dicitur II. *Emendi, vel vendendi*; sub qua particula comprehenduntur omnes Contractus, & pacta onerosa, in quibus datur pretium temporale, vel ejus æstimatio pro spirituali, sive id fiat per veram emptionem aut venditionem, sive per aliquam permutationem, aut alium hujusmodi Contractum onerosum. Dicitur III. *Pretio temporali*: sub qua particula comprehenditur non solum omnis pecunia, sed etiam quidquid pecunia est æstimabile; ut est munus a lingua, munus a manu, & munus ab obsequio. Hinc in Jure Canonico *c. sunt nonnulli 1. q. 1.* reprobatur, veluti simoniacum, *Munus ab obsequio, & munus a manu, & Munus a lingua*. Et *can. Salvator. 1. q. 3.* dicitur: *Quicquid igitur rei Ecclesiasticæ uni ad hoc, ad quod instituta sunt, sed ad propria lucra, munere linguæ, vel indebite obsequii, vel pecuniæ largitur, vel adipiscitur, simoniacus est*; cum concordantiis.

21. CONCL. II. Simonia ex genere suo est peccatum mortale. Ita certa omnium, & patet ex supra citatis verbis D. Petri, *Act. 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Unde passim SS. Canones graviter reprehendunt Simoniam, appellantes eam *Execrabile vitium, turpissimum lucrum, piaculare flagitium, simoniacam pestem, haeresim simoniacam, ad cujus comparationem omnia crimina quasi pro nihilo reputantur*: ubi videre est *cap. Reperiuntur* ; & *cap. Quicumque, ac seqq. 1. quæst. 1. & cap. Patet 1. quæst. 7. & cap. Per tuas de simonia*, & alibi. Ex quibus verbis facile patet gravitas hujus criminis.

22. CONCL. III. Simonia recte dividitur in mentalem, conventionalem, & realem. Ita communis, & patebit ex earum explicatione. Itaque

23. *Simonia mentalis* est internum propositum, quo quis, dum confert alteri spirituale, intendit eum obligare ad reddendum temporale, vel e contra, sine ullo pacto exteriori expresso vel tacito: ut si quis det alicui centum aureos, aut eidem inferiat cum intentione ipsum obligandi, ut in mercedem sibi conferat Beneficium Ecclesiasticum, & hoc postea sibi conferatur, quamvis nullum pactum externus circa hoc intervenerit. Unde per Simoniam mentalem non intelligitur hic merum propositum committendi Simoniam (quamvis & hoc jam sit peccatum) sed intelligitur ea Simonia, quæ quidem aliquam actum externum habet, v. g. dationem pecuniæ, malitia tamen ejus non se prodit exterius, sed in sola mente manet, eo quod nullum pactum externum interveniat.

24. *Simonia conventionalis* est, quando non solum est internum propositum obligandi, sed etiam proceditur ad externam conventionem, seu pactum expresse aut tacite factum, dandi sive recipiendi rem spiritualem pro temporali, ubique tamen executione, saltem utrinque facta. Additur notanter, *saltem utrinque facta*: nam alia est *simonia pure conventionalis*, quæ videlicet ex neutra parte est completa: ut si quidem pactum fuerit initium conferendi Beneficium Ecclesiasticum pro certa pecunia, adhuc tamen neque Beneficium collatum, neque pecunia soluta est. Alia vero est *simonia conventionalis mixta*, quæ nimirum est completa solum ex parte unius, sive dando pretium nondum collato Beneficio, sive e contra.

25. Simoniæ Conventionalis species quædam est *simonia*, quæ dicitur *Confidentialis*, qua quis cuipiam Beneficium Ecclesiasticum procurat, eligendo, præsentando, resignando, confirmando, aut alia ratione cum certa confidentia, seu pacto inito, ut is, qui Beneficium accepturus est, illud ipsum sibi procuranti, vel alteri, ut puta fratri aut nepoti suo, cum fructibus, aut aliqua eorum portione suo tempore cedat. Et adversus hanc Simoniacæ pravitatis speciem, quam *Confidentialem, seu Beneficiorum confidentiam* appellant, eo quod circa sola Beneficia Ecclesiastica contingat, & per quam ex illicita beneficentia quandoque illa asservabantur personis pro tempore inhabilibus, vel etiam nondum natis, edidit Pius IV. severissimam Bullam, quæ incipit, *Romanum Pontificem* (habeturque *tom. 2.* Bullarii Romani, *Constit. 85. dicti Pont.*) in qua sub gravissimis pœnis ipsam prohibuit, eamque prohibitionem innovavit S. Pius V. in sua Constitutione 84. *inter alia*.

26. Tandem *Simonia realis* est, quando pactio ex utraque parte impleta est, saltem inchoate: ut si collatio Beneficii facta est, & vicissim pretium solutum, aut saltem pars pretii data pro eo.

27. CONCL. IV. Etsi certum sit, committi Simoniam, si pretium temporale exigatur pro administratione Sacramentorum, sepultura Ecclesiastica, confirmatione electionum, installatione in Beneficiis, ac hujusmodi; nihilominus si quid gratis detur, ac recipiatur, Simonia non committitur. Ita communis. Et quidem prior pars sequitur ex dictis *num.* 20. Unde in Jure Canonico *tit. de Simonia, c. Non satis, & cap. Cum in Ecclesia. & cap. Ad Apostolicam*, & alibi, gravissime reprehenduntur, ac prohibentur pravæ consuetudines exigendi pro similibus sacris functionibus pretium temporale; quamvis laudabiles consuetudines erga sanctam Ecclesiam pia fidelium devotione introductæ, sponte aliquid dandi Ecclesiæ Ministris talia spiritualia ministrantibus, observari præcipiantur. Et per hoc patet altera pars Conclusionis, quæ amplius habetur *can. sicut Episcopum. 1. q. 2.* & alibi.

28. CONCL. V. Insuper Simonia non est, si intuitu spiritualium functionum, ut puta administrationis Sacramentorum, Concionum, Missarum celebrandarum, ac hujusmodi, datur aut recipitur aliquid per modum stipendii, hoc est, pro justa & congrua sustentatione Ministri Ecclesiastici. Est certa, atque communis; & patet ex omnimi sensu, & praxi quotidiana fidelium. Ratio est: quia unusquisque meretur sustentari ab illo, in cujus licito ministerio occupatur. Unde dicit Christus Dominus *Matth. 10. Dignus est operarius cibo suo*. Et Apost. *1. Corinth. 9. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Quasi diceret: id magnum non est, sed debitum: prout ex contextu patet. Quinimo ex hujusmodi textibus inferunt Doctores, quod eis, qui ministrant populo Spiritualia, debeatur sustentatio ex Justitia, sicut operariis mercedes sive cibus: unde appellatur *Stipendium sustentationis*, quia vere debitum ut stipendium, juxta illud *1. Cor. 9. Quis militavit suis stipendiis?*

29. Addunt non pauci, quos sequitur Layman *lib. 4. tract. 10. cap. ult. §. 2. n. 15.* etiam licitum esse Ministris Ecclesiasticis, quantum est ex natura rei, de hujusmodi stipendio congruo sustentationis ob spiritualia ministeria persolvendo pacisci. Ratio est: Tum quia quilibet potest pacisci de eo, quod sibi Jure naturæ debetur. Tum quia Clerici sic pacificentes non exigunt aliquid tanquam pretium spiritualis ministerii (hoc enim, tanquam majus omni pretio temporali, gratis exhibent, & alioquin manifestam committerent Simoniam) sed ejusmodi ministerium sacrum gratis exhibentes, requirunt duntaxat congruam a populo sustentationem; atque ad majorem hujus securitatem pacificuntur de certa ejus quantitate, ubi hæc Superiorum authoritate, vel consuetudine nondum est determinata; vel si est determinata, ut integre præstetur.

30. Notanter hic additur, *Id esse licitum, quantum est ex natura rei*. Siquidem spectato Jure communi antiquo fuisse Simoniam, saltem Juris humani Ecclesiastici, sic pacisci, censet Lessius *lib. 2. de just. & jure, cap. num. 49.* id probans ex *cap. ult. de Raptu*, & aliis textibus Juris Canonici; quibus tamen per contrariam consuetudinem in quibusdam rebus, & functionibus, aut esse derogatum. Deinde ubi stipendium functionis a Prælatis, vel consuetudine est determinatum, non potest illud excedi sine injustitia. Tandem qui sic pacificuntur, cavere debent, ne habeant intentionem pacificendi de pretio officii spiritualis, sed tantum de congrua sustentatione: caveant etiam, ne imperiti ex tali pacto offendantur, & scandalizentur; qui proinde monendi sunt, pecuniam non pro ipsa actione sacra, sed pro necessaria solum sustentatione postulari.

31. CONCL. VI. Non est Simonia, dare pecuniam solum ad dirimendam vexam circa spiritualia, quam quis injuste patitur. Ita communior Doctorum, contra Innocentium; idque desumitur tum ex *c. Quæsitum. 1. q. 3.* tum ex *c. Dicitur*, juncta Glossa *ibid. de Simonia*, ubi talis redemptio injustæ vexæ refertur, nec tamen reprehenditur, imo potius approbatur. Accedit ratio: quia dans pecuniam ex tali causa, non dat ipsam pro re spirituali, & tanquam pretium ipsius, sed dat ipsam pro tollenda vexa, seu auferendo majori gravamine, atque ad removendum impedimentum pravæ voluntatis alterius. Sic v. g. licitum est, saltem urgente casu necessitatis, aut alterius gravis periculi, dare pecuniam ratione Sacramentorum administrandorum illi Clerico, qui non vult ex ministrare gratis; non quidem ut pretium Sacramentorum (hoc enim est intrinsece malum, atque simoniacum, & in nullo prorsus casu licitum) sed tanquam medium ad removendum impedimentum pravæ voluntatis, seu avaritiæ alterius, atque ut is peccato injustæ vexationis abducatur, & ad officium suum rite præstandum inducatur.

32. Cæterum hæc Conclusio patitur limitationem in Beneficiis Ecclesiasticis: in his quippe non est licitum, quin potius simoniacum, dare pecuniam pro redimenda vexa, quando offerens pecuniam necdum habet jus in re, sive jus quæsitum in Beneficio. Desumitur autem hæc limitatio ex *cap. Matthæus. de Simonia*; ubi electus a majori parte, aliis tamen contradicentibus, si his det, aut dari consentiat pecuniam, ut a contradictione desistant, ac ipse postea confirmetur, censetur Simoniacus, & obligatus ad resignandum Beneficium. Ratio est: quia sic daretur pecunia ad consequendum libere jus spirituale, prout discurrit Abbas Panormitanus *super cit. cap. Matthæus. de Simonia*, clare distinguens, quod pro jure quærendo non sit licitum dare pecuniam etiam ad redimendam vexam, ob textum & rationem allegatam: sed quando jus cuipiam jam est quæsitum, & vexatur quis in eo, bene dari possit pecunia pro redimenda vexatione, per textus & rationes *num. prox.* adductas; quia tunc non amplius sterneretur via per pecuniam ad Beneficium Ecclesiasticum. Hoc ipsum tradit Layman *cit. §. 2. num. 22. & seqq.* citans alios, & Ludov. Engel *tit. de Simonia, num. 31.* ubi etiam resolvit, quod lite beneficiali pendente absque labe Simoniæ non possit fieri transactio (secus dicendum de compositione amicabili) ut adversarius accepta pecunia a lite desistat, per textum clarum *cap. Constitutus. & cap. Super eo de Transactionibus.*

33. CONCL. VII. Loquendo de corporali labore, defatigatione, atque molestia in sacris Ministeriis, utputa in celebrationibus Missarum, administrationibus Sacramentorum, aut Consecrationibus Ecclesiarum &c. occurrente, & an pro eodem licitum sit dare, vel recipere pretium, distinguendum est. Et quidem convenunt Doctores, pro labore aut obligatione, quæ facto Ministerio per accidens conjuncta est, licite aliquid dari, & accipi ut pretium: prout fit, quando Sacerdos iter longum concere debet ad celebrandam in certa Ecclesia Missam, vel administrandum Sacramentum: aut quando Capellanus obligare se debet ad persistendum in suis spiritualibus functionibus toto anno, præsertim tempore pestis, & hujusmodi. Ratio est: quia talis labor, aut obligatio ex se est pretio æstimabilis, & per accidens solum hic & nunc annectitur spirituali Ministerio.

34. Secus dicendum de labore intrinseco, seu qui per se ac necessario conjunctus est cum sacro Ministerio: nam pro tali simoniacum est dare, vel recipere pretium, *arg. c. Si quis objecerit. 1. qu. 3. & c. Ad vestram, de Simonia*, ubi generaliter *mandatur, quatenus pro ministerio Ecclesiastico exercendo nullatenus pecunia exigatur.* Quo tamen non obstante potest aliquid dari, ac recipi per modum justi stipendii, seu ad honestam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, ut dictum *numer. 28.* Et hoc solum volunt nonnulli antiquiores Authores, qui videntur oppositum tenuisse: nam commode explicantur, quod loquantur de justo stipendio, Ministris Ecclesiæ in gratiam Fidelium laborantibus debito ad ipsorum sustentationem, non autem de pretio laboris spiritualis. Layman *lib. 4. tract. 10. §. 4. num. 41.* & alii.

QUÆSTIO IV.

Solvuntur alia Dubia circa Simoniam, ejusque pœnas.

SUMMARIUM.

35 *Simonia alia Juris Divini, alia Juris Ecclesiastici.*

36 *Exemplum Simoniæ Juris Ecclesiastici.*
37 *Papa an possit involvi crimine Simoniæ?*
38 *Pretium simoniacum, quid, & quotuplex?*
39 *Munus a manu, a lingua, & ab obsequio, quid?*
40 *Ad Simoniam requiritur pactum, quale?*
41 *Corollaria.*
42 *Solvitur instantia de obligatione Antidorali.*
43 *Simoniacum est, dare temporale tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale.*
Propositio damnata refertur.
44 *Per gratiam an compositionem, quid intelligatur in ista?*
45 *Alia propositiones quoad propositum earundem.*
46 *Unde colligendum, an quid detur vel accipiatur ex pacto simoniaco, nec ne?*
47 *Pœna contra Simoniacos in Jure statuta.*
Ens non inducit Simoniam mentalis.
48 *Neque conventionalis*
Excepta Confidentiali.
49 *Quid, si simonia conventionalis postmodum hinc inde completur?*
50 *Simonia Realis inducit pœnas Juris, quando fit in ingressu Religionis, Ordine, vel Beneficio.*
Beneficium simoniace recipienti, quid acquirat?
51 *Dispensatio super Beneficio simoniace recepto, a quo possit dari?*
Et qualiter sit obtinenda?
52 *Non autem ante sententiam judicis, si committitur in aliis casibus.*

35. QUæritur I. An Simonia alia sit Juris Divini, alia Juris Ecclesiastici? Resp. affirmative, cum Glossa communiter recepta *c. Ex parte 1. 1. V. dimittere, de Offic. delegat.*: ubi dicit quod *quædam sunt prohibita, quia simoniaca; ut vendere Sacramenta &c. Et quædam simoniaca, quia prohibita; & sunt illa, quæ per constitutionem Ecclesiæ facta sunt simoniaca.*

36. Exemplum Simoniæ Juris dumtaxat Ecclesiastici, est in primis permutatio præbendarum, sive Beneficiorum Ecclesiasticorum; quæ si fiat pacto intervenente, ac propria authoritate, sine interventu Episcopi, prohibetur tanquam simoniaca, *c. Quæsitum, de Rerum permutat.* & alibi: cum tamen permutare unam rem spiritualem cum alia spirituali (ut sunt duo Beneficia) ex natura sua non sit simoniacum. Aliud exemplum habetur *cen. Plaustr, 1. q. 1.* ubi *Reiffenstuel Theol. Moral.* pro modico balsamo, quod benedictum pro Sacramento Baptismi, datur per Ecclesias, prohibetur exigi tremissis, tanquam speciem habens Simoniæ. Similiter *c. Non sacris, & c. Ea, quæ de Simonia*, cavetur, ut pro Chrismatis, & Olei receptione, nulla cujusquam pretii exactio attentetur. Atqui hanc non esse Simoniam Juris Divini, sed duntaxat Ecclesiastici, patet ex eo: quia oleum, vel balsamum illud, quod benedicitur, secundum se est pretio æstimabile, sicque pro eo pretium recipi, Jure divino aut naturali non prohibetur; ergo prohibitio illa, ob speciem Simoniæ, fit solo Jure Ecclesiastico.

37. Hinc infertur, quod Papa quidem possit involvi crimine Simoniæ, quæ est Juris divini, vendendo v. g. Sacramenta, quia & Papa est subjectus Legi divinæ: tamen minus in ipso non habeat locum Simonia Juris dumtaxat Ecclesiastici, qualis reperitur in iis, quæ sunt simoniaca, quia prohibita; ut notat Fagnanus *c. Cum pridem, num. 55. de Pactis*; Zoesius *tit. de Simonia, n. 26.* & communis. Siquidem Summus Pontifex *secundum plenitudinem potestatis de jure potest supra jus dispensare, c. Proposuit de Concess. præbenda.* Similique antecessor *successorem sumum quomodolibet non obligavit; cum non habeat imperium par in parem*, prout notatur in *c. Exsit. §. Cæterum de Verb. signific. in 6.* cum concordantiis.

38. Quæritur II. Quid, & quotuplex sit pretium simoniacum? Resp. cum communi: *Pretium simoniacum* est aliquid temporale datum pro spirituali. Et hoc in Jure Canonico vocatur *Munus*; non quidem, prout munus significat donum gratuitum, sed prout importat onus seu debitum ex obligatione. Cæterum hujusmodi Munus est triplex, videlicet Munus a manu, Munus a lingua, & Munus ab obsequio, prout patet ex dictis, & textibus *n. 20.* allegatis.

39. Per *Munus a manu* intelligitur non solum pecunia, sed etiam omnis res temporalis pretio æstimabilis, *c. Totum 1. q. 3.* Per *Munus a lingua* intelliguntur laudes, preces, seu recommendationes apud Principem v. g. vel populum, ex pacto interponendo pro eo, qui Beneficium vel rem spiritualem cuipiam contulit, vel collaturus est: sic enim res spiritualis pacto interposito datur pro illa recommendatione, & e contra, cum tamen ejusmodi recommendandi obligatio sit quid temporale, ac pretio æstimabile. Lessius *l. 2. cap. 33. dubit.*

bit. 20. & alii. Et hæc de causa, si detur aliquid temporale Officialibus pro præbendo duntaxat aditu, vel Mediatori seu Intercessori pro labore illo, quem in se suscipit in semel vel sæpius adeundo collatorem Beneficii, aut ratione alicujus imminentis damni, v.g. periculi disparitæ, non committi Simoniam, docent Navarrus *cap. 23. Manualis, n.* 106. & Layman *lac. cit. n.* 65. quia videlicet talia sunt pretio æstimabilia. Secus foret, si pro ipso Beneficio conferendo, vel impetrando, daretur, aut reciperetur pecunia, ut patet. Tandem per *Munus ad obsequio* intelliguntur servitia seu obsequia temporalia cuipiam præstita, seu præstanda sub pacto, seu obligatione Beneficii Ecclesiastici collati, seu conferendi, & e contra.

40. Quæritur III. Quid censendum de pacto simoniaco? Resp. 1. Certum est, ad rationem Simoniæ requiri pactum expressum vel tacitum, dandi rem spiritualem pro temporali, aut e contra; ita videlicet, ut dans temporale intendat alterum obligare ad reddendum spirituale, & e contra. Quamvis idcirco non negetur, posse dari Simoniam ex parte unius duntaxat; prout patet in Simone Mago, qui solus, non autem D. Petrus, incurrit Simoniam. Idem accidere solet in Simonia mentali.

41. Infertur proinde, si quis det honorarium alteri ad captandam duntaxat ejus benevolentiam, vel conciliandam amicitiam, ut postea sui memor ex benignitate conferat Beneficium, vel aliam rem spiritualem, non committi Simoniam: quia deest pactum, & totum hinc inde gratis datur. Idem dicendum, si quis inserviat Episcopo gratis ad consequendam ejus benevolentiam, vel ut is suam scientiam atque dexteritatem perspectam habeat, sicque citius alliciatur ad conferendum sibi Beneficium: deest enim pariter omne pactum, uti supponitur. Tellius *lac. cit.* Layman *cit. cap. ult.* §. 2. & 3. & alii, post Glossam *c. Cum essent V. Promiserat de Simonia.*

42. Nec obstat, quod ex talibus obsequiis, atque honorariis, oriatur obligatio quædam Antidoralis, id est, talis, qua dans obligat alterum naturaliter ad remunerandum ex virtute gratitudinis. Resp. enim cum Navarro *c. 23. Manualis, num.* 106. Lessio, & aliis, hoc non obstare: quia ad Simoniam requiritur obligatio ex Justitia, sive, ut ex pacto, expresso vel tacito, detur temporale pro spirituali. At obligatio Antidoralis, seu remuneratoria, solum est ex decentia & honestate, & procedit ex liberalitate; simulque ex se non determinatur ad reddendam rem spiritualem, cum alia ratione remunerando, possit eidem satisfieri, nec proprie est obligatio.

43. Resp. II. Nihilominus dare temporale tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, Simoniacum est. Ratio est. Tum quia, quando temporale assumitur ut motivum ejusmodi, jam æquivalenter oblatio illa est tempsio, & res temporalis est pretium: simulque per temporale paratur via ad spirituale obtinendum, prout fecit Simon Magus, sponte offerendo pecuniam ad consequendam potestatem spiritualem; cui proinde dixit S. Petrus *Act. 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Tum quia hic intervenit pactum, si non explicitum, saltem implicitum, dum ideo datur temporale, ut alter moveatur, seu tacite obligetur ad reddendum spirituale; quæ est ipissima Simonia tacitalis, quamdiu intentio ista alterum sic tacite obligandi, atque movendi, aliunde exterius se non prodit. Hinc merito Innocentius XI. inter alias sequentem, ordine 45. Propositionem damnavit sicut jacet: *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam, quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.*

44. Ubi circa posteriorâ hujus damnatæ Propositionis verba notandum cum Joanne Cardenas, *in Crisi Theologica, ad illiam Propositionem 45. num. 37. & seqq.* quod per gratuitam compensationem intelligatur ea, quæ fit cum pacto, seu interveniente obligatione dandi aliquid titulo gratitudinis: ut si Patronus conferat Clerico Beneficium cum pacto, ut se gratum exhibeat, & ex gratitudine det ipsi aliquam pecuniam (prout esse licitum pacisci de dando ex gratitudine dono temporali pro spirituali, & e contra, olim fuit opinio quorundam.) Nam qui sic exigit titulo gratitudinis aliquid temporale, excedit limites obligationis Antidoralis, utpote quæ non determinat aliquid temporale, sed potest aliunde impleri; prout bene notat cit. Cardenas *num.* 46. & jam dictum est supra *n.* 42.

45. Quoad præsentem materiam cavendæ sunt insuper aliæ duæ Propositiones, quarum prior, ordine 22. ab Alexandro VII. damnata fuit, & sic sonat: *Non est contra pi-*

ssitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficio Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non censebatur. Alia vero, illico sequens supra memoratam Propositionem 45. ab Innocentio XI. condemnatam, sic habet: *Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiam si sit finis effectivi spiritualis sic, ut illud pluris æstimatur, quam res spiritualis.* Hæc utraque propositio merito est condemnata, ut satis patet ex hactenus dictis.

46. Resp. III. An aliquid detur, vel recipiatur ex pacto simoniaco, vel potius ex alio justo titulo, pro Foro interno seu conscientiæ facile dijudicatur, utpote in quo propria cujusque intentio seu mens inspicitur: siquidem bona intentio ponit rem extra vitium; mala vero parit Simoniam, ad minimum mentalem. Zoesius *tit. de Simonia, n.* 55. Loquendo vero pro Foro externo, in dubio ex circumstantiis id erit dijudicandum; & quantum ad hoc, *tria sunt maxime attendenda, persona scilicet dantis & accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus*, uti notatur *c. Esti quæstiones, de Simonia.*

47. Quæritur IV. Quænam pœnæ in Jure sint contra Simoniacos statutæ? Resp. I. Diversæ quidem sunt pœnæ in Jure statutæ, etiam ipso facto incurrendæ per Simoniacos, prout habetur in *Extravag. Sane, & Extravag. Cum detestabile, de Simonia* (nam, ut ibidem notat Pontifex, *plures panarum gravitas, quam Dei timor movere solet avaritiæ*) nihilominus nulla Simonia duntaxat mentalis inducit ejusmodi pœnas. Ita communis; & desumitur *ex cap. ult. de Simonia*, ibi: *pro Simonia, qua nullo pacto, sed affectu animi prædicto delinquitur, suffecit per solam pœnitentiam sua facinora flere Creatori.*

48. Resp. II. Insuper Simonia pure conventionalis non inducit ipso facto pœnas a Jure statutas: nam Canones statuunt pœnas in eos, qui *quomodolibet dando, vel recipiendo, Simoniam committunt, Extrav. Cum detestabile, juncta Extrav. Sane cod.* Idem probabilius dicendum de Simonia conventionali mixta (dummodo hinc excipiatur ea, quæ appellatur *Confidentialis*, seu *Confidentia beneficiorum*, propter specialem Bullam S. Pii V. *Intollerabilis*, de qua *nu.* 25.) ut notat Navarrus *cap. 23. Manualis, n.* 104. Zoesius, Engel, Lessius, Covarruvias, & communior. Ratio est: quia nullibi in Jure habentur tales pœnæ clare expressæ contra Simoniam conventionalem, etiam mixtam: stante autem dubio, *in pœnis benignior est interpretatio facienda*, juxta reg. 49. Juris in 6. cum concordantiis.

49. Fatendum tamen, quod tum Simonia conventionalis, tum etiam mentalis, & grave peccatum. Quinimo si Simonia conventionalis postmodum ex parte utriusque compleatur, in totum vel in partem, hinc dando pretium vel partem ejus, illinc vero rem spiritualem, v.g. Beneficium Ecclesiasticum, etiam incurruntur pœnæ ipso Jure statutæ contra Simoniacos, ac retrotrahuntur ad tempus pactionis præteritæ, juxta stylum antiquum Curiæ Romanæ. Navarrus *cit. n.* 104. Lessius *l. 2. c. 36. n.* 117. & alii.

50. Resp. III. Simonia realis, quæ committitur in ingressu Religionis, in Ordine (id est, in susceptione, vel collatione Sacramenti Ordinis) vel in Beneficio Ecclesiastico, inducit ipso facto pœnas a Jure statutas. Ita communis, & habetur clare *in cit. Extrav. Sane, & Extravag. Cum detestabile, de Simonia*: ubi committentes hujusmodi Simoniam realem, ipso facto excommunicantur, alisque pœnis subjiciuntur, quæ ibidem enumerantur. Et præsertim *cit. Extrav. Cum detestabile*, circa committentes Simoniam in Beneficiis Ecclesiasticis statuitur, quod non solum ipso facto incurrant excommunicationem Summo Pontifici reservatam, sed insuper talis collatio, sive provisio irrita sit, nullumque jus tribuat; adeo, *ut nec inde faciat aliquis fructus suos; sed ad illorum omnium, quæ percepit, restitutionem sub animæ suæ periculo sit astrictus.*

Quia igitur omnis collatio Beneficii, quam simoniaca contingit labe fœdi, viribus omnino caret, atque exinde jus cuipiam nullatenus acquisitur, juxta *cit. Extravag. Cum detestabile*: hinc ille, qui Beneficium simoniace recepit, tenetur (cessante legitima dispensatione) Beneficio taliter acquisito renunciare. Angelus *V. Renunciatio n.* 13. Sylvester *V. Simonia qu.* 13. §. *Oitavum* & alii. Non tamen debet talis dimittere possessionem Beneficii, quam de facto habet, absque licentia legitimi Superioris: sed abstineat a perceptione fructuum; excepta stricta necessitate vitæ, & quærat quam cito poterit, resignare, uti notat Angelus *num.* 13.

51. Additur vero, *cessante legitima di-*

spensatione. Nam in primis, qui Beneficium simplex per simoniam, ab aliis commissam ignoranter recipit, neque eandem simoniam ratam habuit, & postmodum cognita rei veritate Beneficium illud resignat, potest per Episcopum dispensari ad Beneficium illud retinendum, *arg. cap. penult. de Elect.* in 6. Secus, si fit Prælatura, Dignitas, vel Beneficium curatum; quia circa majora cautius est agendum; hocque Episcopus quoad ista non potest dispensare. Glossa *fin.* & Barbosa *ad cit. cap. penult. num.* 4. Pirhing. *tit. de electione, n.* 9. *& seqq.* & alii. Quod si ipsemet Beneficiatus commisit simoniam, aut eam ab aliis commissam ratam habuit, nequit Episcopus cum eo dispensare ad retinendum Beneficium ita simoniace acquisitum, sed solus Papa, *arg. cit. Extravag. Dum detestabile*.

Deinde loquendo de Foro conscientiæ, & quando simonia est occulta, poterit adiri Summus Pontifex, vel potius Major Pœnitentiarius ipsius; & exposito rite per litteras crimine simoniæ (tacito tamen nomine Rei, prout in impetratione dispensationis super occultis impedimentis matrimonii fieri solet, juxta inferius dicenda *Tract. XIV. disp. 14. n.* 170. & 172.) supplicari Eidem, ut præter absolutionem ab excommunicatione, de opportuna dispensationis, seu inhabilitationis remissio supplicanti providere dignetur, vi cujus idem supplicans pro Foro conscientiæ impositarum valet tale Beneficium retinere, ejusque fructus percipere, & hactenus perceptos retinere. Allegatis in hunc finem veris, & rationabilibus causis, ut puta periculo scandali, aut infamiæ, quæ ex dimissione Beneficii oriri posset, vel paupertate Beneficiati &c.

52. Dicitur notanter n. 50. *qua committitur in ingressu Religionis, Ordinis, vel Beneficii Ecclesiastici*. Siquidem nulla alia Simonia, etiam realis, inducit pœnas juris ipso facto, & ante Sententiam Judicis, nisi in tribus dunta xat enumeratis casibus; prout observant Lessius n. 130. Pirrh. *de simonia, n.* 15. Navarrus, aliique communiter. Quare si quis committat Simoniam in administratione aliorum Sacramentorum, quam Ordinis, vel in Consecrationibus, Benedictionibus, Dispensationibus, aut hujusmodi, graviter quidem peccabit, non tamen ipso facto incurret pœnam excommunicationis, suspensionis, vel inhabilitatis alicujus. Ratio est: quia nullibi in Jure exprimitur pœna ipso facto incurrenda, præter tres Simoniæ species proxime enumeratas, quamvis *c. quicquid 1. q. 1.* qui committit Simoniam in Baptismo, vel collatione Chrismatis, dicatur *competenti pœna, & debita excommunicatione plectendus*: atque etiam *c. Qui alium & c. Ea sicut & c. Ea qua de Simon.* convicti de Simonia jubeantur deponi: nam hæc verba non indicant pœnam latæ, sed duntaxat ferendæ sententiæ.

QUÆSTIO V.

De Blasphemia.

SUMMARIUM.

53 *Blasphemiæ vi nominis quid?*
54 *Ejus definitio.*
Qua declaratur.
55 *Datur Blasphemia in Deum & Sanctos.*
56 *Blasphemia dividitur in hæreticalem, & non hæreticalem.*
57 *Estque ex genere suo peccatum mortale.*
Nec admittit parvitatem materiæ.
58 & 59 *Peccata verborum maxime sunt ex intentione dicentis dijudicanda.*
60 *Ex ira dicere*: Corpus Dei, Chrisma, Sacramenta, &c. *quale peccatum?*
61 *Quid de nonnullis aliis verbis.*
62 *An omnes blasphemiæ sint ejusdem speciei?*
63 *Quid de blasphemia in Deum, & Sanctos?*
64 *Sententia opposita non caret sua probabilitate.*

53. BLasphemia est nomen græcum, & juxta nominis etymologiam idem est, ac *Nocens dictum*, unde & Maledictioni, Convitio, atque Contumeliæ convenire potest: communiter tamen sumitur pro verbo contumelioso in Deum. Et hoc annotavit D. Augustinus, *lib. 2. de moribus Manichæorum, c.* 11. dicens: *Est autem Blasphemia, cum aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque jam vulgo Blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere; de hominibus namque dubitari potest, Deus autem sine controversia bonus est.* Hæc ille. Et de tali Blasphemia loquendo sit

54. CONCL. I. *Blasphemia* est contumelioſa in Deum locutio: sive (ut alii loquuntur) Blasphemia est verbum maledictionis, convitii, sive contumeliæ in Deum. Ita in re communis. Unde patet, quod Blasphemia immediate opponatur Laudi Dei.

Di-

Dicitur, *locutio contumelioſa*. Quia Blasphemia consistit præcipue in verbis irreverentibus, injuriosis & Divinum Nomen seu honorem lædentibus, etsi aliquando etiam committatur ipsis factis; utputa si Deus contumelioso signo vilipendatur; ut exspuendo in cœlum, aut hujusmodi. Datur insuper Blasphemia cordis, seu interna, non minus ac dari solet Laus interna Dei: circa quam nihilominus bene attendendum est, num adfuerit plena advertentia & consensus, vel potius duntaxat sint cogitationes blasphemiæ incidentales, & involuntariæ: hæ enim peccatum non sunt, aut saltem non grave, defectu voluntarii, plenæque deliberationis.

55. Dicitur ulterius, *contumelioſa in Deum*. Quia, ut notat D. Th. 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. Blasphemia est peccatum, quo quis ex pravo cordis affectu de excellentia Divinæ Bonitatis detrahit, illique contumeliam infert, vel negando aliquid, quod ipsi proprium est, vel aliquid imponendo, quod ei minime convenit. Cæterum per hoc non negatur, dari etiam Blasphemiam in Beatissimam Virginem Mariam, aliosque Sanctos; etenim, sicuti Deus laudatur & honoratur in suis Sanctis, horumque gloria redundat in Deum; sic etiam Blasphemia erga Divam Virginem, & Sanctos, redundat in ipsum Deum.

56. CONCL. II. Blasphemia inter alias divisiones suas præcipue dividitur in hæreticalem, & non hæreticalem, seu simplicem. *Blasphemia hæreticalis* est illa, quæ Articulis Fidei directe opponitur: seu, qua aliquid asseritur Fidei contrarium per verbum indicativi modi: ut si quis dicat: *Deus est crudelis, injustus, mundus, infidus, qui res hominum non curat*; vel si quis dicat: *o Deum injustum!* aut, *Absurda Deum*, &c. *Blasphemia simplex*, seu *non hæreticalis* dicitur, quæ Articulis Fidei directe non opponitur, sed aliquid vituperabile per modum detestationis, & quasi imprecationis, in Deum profert: ut si quis Deo maledicat, aut optet, non esse Deum.

57. CONCL. III. Blasphemia ex genere suo est peccatum mortale; estque lethalis culpa, quoties cum perfecta advertentia verba blasphemiæ proferuntur. Ita communis: siquidem Blasphemia gravem infert Deo injuriam. Quinimo notant Doctores, Blasphemiam ratione parvitatis materiæ non posse fieri peccatum veniale (in ipsa enim non datur parvitas materiæ, cum omnis Blasphemia gravem injuriam Deo inferre videatur) sed tantum ex indeliberatione, & inadvertentia actus, posse quandoque Blasphemiam fieri veniale peccatum.

58. Circa quod bene notanda est doctrina, quam tradit Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 73. *art.* 2. quod *peccata verborum maxime sunt ex intentione dicentis dijudicanda*. Hæc quippe doctrina etiam locum habet in verbis Blasphemiam sonantibus, vel non sonantibus; quibuscunque enim verbis utaris, non eris reus Blasphemiæ in Foro Dei, si abfit omnis tam indirecta seu virtualis, quam directa seu formalis intentio inhonorandi Deum; & econtra coram Deo judicaberis Blasphemus, etiamsi sanctissimis verbis inhonores ex intentione Creatorem tuum. In Foro autem externo præsumitur quis eo sensu locutus, quem verba ex communi usu loquendi indicant. Unde D. Gregorius *lib. 26. Moral. c. 7.* relatus *can. Humana 22. q. 5.* sic inquit: *Humana aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant: Divina vero judicia, talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur*. Hinc

59. Infertur I. Si quis verba Blasphemiæ proferat, animo nec actualiter, nec virtualiter advertente, puta in ebrietate, non esse Blasphemiam propriè dictam, sed tantum materialem. Additur notanter, *animo nec actualiter, nec virtualiter advertente*: quia licet non possit esse malitia peccati Blasphemiæ, nisi homo actualiter vel virtualiter intelligat, seu advertat ad verba, quæ ore profert; sufficit tamen ad hoc indirecta, & virtualis attentio, & intentio. Unde si quis scienter ac serio loquatur verba, quæ vel ex propria significatione, vel ex modo proferendi, alisve circumstantiis Divini honoris diminutionem continent, quamvis homo eam directe non intendat, adhuc tamen committit Blasphemiam: sicut a pari ad peccatum detractionis, vel contumeliæ erga hominem, non requiritur formale nocendi propositum, sed sufficit virtuale. Layman *lib. 4. tract. 10. cap. 6. nu.* 2. 6. & 7. ac alii.

60 Infertur II. cum Sanchez *lib. 2. in Decal. cap.* 32. Laymano, Cajetano, Navarro, & aliis, non esse propriè Blasphemiam, quando quis in ira, vel rixa cum aliquo, enuntiat quidpiam de Deo, quod verum est; utputa ex indignatione dicendo: *Corpus Dei, Chrisma, Sacramenta*, &c. Quia etsi

irra-

irreverenter dicantur, non tamen proferuntur per modum contumeliæ, vel injuriæ Deo irrogatæ, nec aliquid falsum Deo tribuunt, sicque plerumque non sunt peccata mortalia: dummodo affectus ille indignationis, & iræ non tendat in Deum, sed tantum contra hominem, vel jumentum, cui aliquis irascitur; quod ex modo dicendi, aliisque circumstantiis, erit dignoscendum. Verum hoc non obstante, ejusmodi verba sacra temere & irreverenter proferre in ira, est peccatum cujusdam Irreligiositatis, sed tantum veniale, ut ajunt Sanchez, Cajetanus, Armilla, & alii: quamvis ob scandalum, vel periculum formaliter blasphemandi, mortale fieri possit, ideoque homines a tali Irreligiositate, & apparente Blasphemia merito abstinendi sint.

61. Hoc autem intellige, si ejusmodi verba secundum se divini honoris diminutionem nullam exprimant: nam si verba talia, aut tali modo proferantur, ut contumeliam Dei, aut Sacramentorum significent, videlic. *Dolia plena Sacramentorum, Tricremes plena Sacramentorum, ut te Deus Chrisma in omnia afferiat* (ut exemplificat, & docet Layman *l. 4. n. 12.* & post eum Gobat. *tract. 1. Theol. Experim. nu. 739.* cum aliis) censeri debent Blasphemiæ, dummodo homo attenderit ad vilipensionem Dei, aut rei sacræ, quæ talibus verbis exprimitur. Sæpe autem homines ejusmodi verba blasphema proferunt inadvertenter, & materialiter tantum, non attendendo, quid significent: tum vero excusantur a peccato mortali, dummodo interim conentur perversam ejusmodi consuetudinem deponere.

62. Quæres, an omnia peccata Blasphemiæ sint ejusdem speciei? Resp. I. Blasphemia hæreticalis specie distinguitur a simplici Blasphemia. Ita certa, & communis. Ratio est: quia illa opponitur etiam Fidei, hæc autem Religioni tantum; quæ duæ virtutes sunt specie diversæ.

63. Resp. II. Probabilius est, etiam Blasphemiam in Deum, & Blasphemiam in Sanctos, specie distingui. Ita Mastrius *disp. 11. Theol. Moral. n. 46.* post Caspensem, & alios, contra Sanchez *tit. c. 33. n. 38.* Cajetanum, Bonacinam, Azorium, aliosque. Ratio datæ responsionis est: quia cultus Deo debitus est Latriæ; cultus vero Beatissimæ Virgini Mariæ, & Sanctis debitus, est Hyperduliæ, vel Duliæ, atqui hi cultus specie differunt; ergo etiam Blasphemia in Deum, & Blasphemia in Sanctos, specie differunt, cum opponantur ejusmodi diverso cultui, Deo & Sanctis debito.

64. Cæterum quia opposita sententia, asserens Blasphemias in Deum & Sanctos esse ejusdem speciei, eo quod opponantur eidem virtuti Religionis, quæ tribuit cultum Deo, & Sanctis propter DEUM (non obstante, quod hic cultus sit diversus ab illo) multorum Doctorum existit, neque caret sua probabilitate: hinc ipsa nonnunquam Confessarius deservire poterit, præsertim quoad Pœnitentes, hanc diversitatem ultro non exprimentes.

TRA-

TRACTATUS VI.

DE HORIS CANONICIS, JURAMENTO, ET VOTO.

1. INter alios Religionis actus connumerari Juramentum & Votum, superius (a) jam dictum est: verum de ipsis merito seorsim agitur, tum ob copiosiorem quam continent materiam, specialesque difficultates; tum majoris claritatis gratia. Quia vero Horæ Canonicæ comprehenduntur sub Oratione, uno ex primariis actibus virtutis Religionis, prius de eisdem sub propria distinctione dicendum erit.

DISTINCTIO I.

De Horis Canonicis.

QUÆSTIO I.

Quid sint, & quo Jure obligent Horæ Canonicæ?

SUMMARIUM.

1 *Ratio Ordinis.*
(a) Tract. 5. dist. 1. n. 10.
2 *Horæ Canonicæ, quæ?*
Dicuntur Officium Ecclesiasticum, & Divinum.
3 *Officium Ecclesiasticum, Nocturnum, & Diurnum, quid?*
Laudes an possint separari a Matutino?
4 *Officium totum constat septem Horis Canonicis.*
Mystica variis hujus septenarii numeri.
5 *Usus Horarum Canonicarum jam a tempore Apostolorum.*
6 *Eas non primitus instituit S. Gelasius I.*
7 *Obligatio recitandi Horas Canonicas non est Juris Divini, sed Ecclesiastici.*
8 *Solvitur objectio.*
9 *Nova instantia de Clericis Beneficiariis proponitur.*
10 *Ea diluitur, ostendendo, quod etiam Clerici Beneficiarii solo Jure Ecclesiastico teneantur ad Horas.*

1. CONCL. I. Nomine *Horarum Canonicarum* intelliguntur ex preces vocales, quæ ex præcepto Sacrorum Canonum ab Ecclesiasticis personis nomine Ecclesiæ DEO persolvuntur. Et hujusmodi Horæ Canonicæ continentur in Breviario, atque alio nomine appellantur *Officium Ecclesiasticum*, item *Officium Divinum*: de quo Seraphicus Doctor S. Bonaventura, *in Speculo Novit. part. 1. cap. 16.* verissime dixit: *Nemo Dei se æstimet servum, si Dei potissimum negligat servitutem, quæ appropriato vocabulo Dei servitium* (Officium Divinum) *nuncupatur.*

2. Porro totum Officium Ecclesiasticum dividitur in Diurnum, & Nocturnum; sicuti colligitur ex Jure Canonico, *cap. Dilecti, de Celebrat. Missarum*, ibi: *Districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium, nocturnum pariter & diurnum, quatenus eis Deus dederit, studiose celebrent pariter & devote.* Ubi per *Nocturnum Officium* intelligitur id, quod de nocte dici consuevit, & vulgo *Matutinum* nuncupatur, cui juxta morem Ecclesiæ Romanæ *Laudes* adjunguntur, etsi hæ olim in multis Ecclesiis fuerint a Matutino, intempestæ nocte (uti nunc multi Religiosi Ordines etiamnum faciunt) persoluto separatæ: quemadmodum & de facto in nocte Nativitatis

De-

irreverenter dicantur, non tamen proferuntur per modum contumeliæ, vel injuriæ Deo irrogatæ, nec aliquid falsum Deo tribuunt, sicque plerumque non sunt peccata mortalia: dummodo affectus ille indignationis, & iræ non tendat in Deum, sed tantum contra hominem, vel jumentum, cui aliquis irascitur; quod ex modo dicendi, aliisque circumstantiis, erit dignoscendum. Verum hoc non obstante, ejusmodi verba sacra temere & irreverenter proferre in ira, est peccatum cujusdam Irreligiositatis, sed tantum veniale, ut ajunt Sanchez, Cajetanus, Armilla, & alii: quamvis ob scandalum, vel periculum formaliter blasphemandi, mortale fieri possit, ideoque homines a tali Irreligiositate, & apparente Blasphemia merito abstinendi sint.

61. Hoc autem intellige, si ejusmodi verba secundum se divini honoris diminutionem nullam exprimant: nam si verba talia, aut tali modo proferantur, ut contumeliam Dei, aut Sacramentorum significent, videlic. *Dolia plena Sacramentorum, Tricremes plena Sacramentorum, ut te Deus Chrisma in omnia afferiat* (ut exemplificat, & docet Layman *l. 4. n. 12.* & post eum Gobat. *tract. 1. Theol. Experim. nu. 739.* cum aliis) censeri debent Blasphemiæ, dummodo homo attenderit ad vilipensionem Dei, aut rei sacræ, quæ talibus verbis exprimitur. Sæpe autem homines ejusmodi verba blasphema proferunt inadvertenter, & materialiter tantum, non attendendo, quid significent: tum vero excusantur a peccato mortali, dummodo interim conentur perversam ejusmodi consuetudinem deponere.

62. Quæres, an omnia peccata Blasphemiæ sint ejusdem speciei? Resp. I. Blasphemia hæreticalis specie distinguitur a simplici Blasphemia. Ita certa, & communis. Ratio est: quia illa opponitur etiam Fidei, hæc autem Religioni tantum; quæ duæ virtutes sunt specie diversæ.

63. Resp. II. Probabilius est, etiam Blasphemiam in Deum, & Blasphemiam in Sanctos, specie distingui. Ita Mastrius *disp. 11. Theol. Moral. n. 46.* post Caspensem, & alios, contra Sanchez *tit. c. 33. n. 38.* Cajetanum, Bonacinam, Azorium, aliosque. Ratio datæ responsionis est: quia cultus Deo debitus est Latriæ; cultus vero Beatissimæ Virgini Mariæ, & Sanctis debitus, est Hyperduliæ, vel Duliæ, atqui hi cultus specie differunt; ergo etiam Blasphemia in Deum, & Blasphemia in Sanctos, specie differunt, cum opponantur ejusmodi diverso cultui, Deo & Sanctis debito.

64. Cæterum quia opposita sententia, asserens Blasphemias in Deum & Sanctos esse ejusdem speciei, eo quod opponantur eidem virtuti Religionis, quæ tribuit cultum Deo, & Sanctis propter DEUM (non obstante, quod hic cultus sit diversus ab illo) multorum Doctorum existit, neque caret sua probabilitate: hinc ipsa nonnunquam Confessarius deservire poterit, præsertim quoad Pœnitentes, hanc diversitatem ultro non exprimentes.

TRA-

TRACTATUS VI.

DE HORIS CANONICIS, JURAMENTO, ET VOTO.

1. INter alios Religionis actus connumerari Juramentum & Votum, superius (a) jam dictum est: verum de ipsis merito seorsim agitur, tum ob copiosiorem quam continent materiam, specialesque difficultates; tum majoris claritatis gratia. Quia vero Horæ Canonicæ comprehenduntur sub Oratione, uno ex primariis actibus virtutis Religionis, prius de eisdem sub propria distinctione dicendum erit.

DISTINCTIO I.

De Horis Canonicis.

QUÆSTIO I.

Quid sint, & quo Jure obligent Horæ Canonicæ?

SUMMARIUM.

1 *Ratio Ordinis.*
(a) Tract. 5. dist. 1. n. 10.
2 *Horæ Canonicæ, quæ?*
Dicuntur Officium Ecclesiasticum, & Divinum.
3 *Officium Ecclesiasticum, Nocturnum, & Diurnum, quid?*
Laudes an possint separari a Matutino?
4 *Officium totum constat septem Horis Canonicis.*
Mystica variis hujus septenarii numeri.
5 *Usus Horarum Canonicarum jam a tempore Apostolorum.*
6 *Eas non primitus instituit S. Gelasius I.*
7 *Obligatio recitandi Horas Canonicas non est Juris Divini, sed Ecclesiastici.*
8 *Solvitur objectio.*
9 *Nova instantia de Clericis Beneficiariis proponitur.*
10 *Ea diluitur, ostendendo, quod etiam Clerici Beneficiarii solo Jure Ecclesiastico teneantur ad Horas.*

1. CONCL. I. Nomine *Horarum Canonicarum* intelliguntur ex preces vocales, quæ ex præcepto Sacrorum Canonum ab Ecclesiasticis personis nomine Ecclesiæ DEO persolvuntur. Et hujusmodi Horæ Canonicæ continentur in Breviario, atque alio nomine appellantur *Officium Ecclesiasticum*, item *Officium Divinum*: de quo Seraphicus Doctor S. Bonaventura, *in Speculo Novit. part. 1. cap. 16.* verissime dixit: *Nemo Dei se æstimet servum, si Dei potissimum negligat servitutem, quæ appropriato vocabulo Dei servitium* (Officium Divinum) *nuncupatur.*

2. Porro totum Officium Ecclesiasticum dividitur in Diurnum, & Nocturnum; sicuti colligitur ex Jure Canonico, *cap. Dilecti, de Celebrat. Missarum*, ibi: *Districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium, nocturnum pariter & diurnum, quatenus eis Deus dederit, studiose celebrent pariter & devote.* Ubi per *Nocturnum Officium* intelligitur id, quod de nocte dici consuevit, & vulgo *Matutinum* nuncupatur, cui juxta morem Ecclesiæ Romanæ *Laudes* adjunguntur, etsi hæ olim in multis Ecclesiis fuerint a Matutino, intempestæ nocte (uti nunc multi Religiosi Ordines etiamnum faciunt) persoluto separatæ: quemadmodum & de facto in nocte Nativitatis

De-

Domini fieri solet. Ad cujus imitationem, inquit Layman *l. 4. tract. 1. cap. 2.* cum aliis, neque hodie quidquam obstat, quo minus in privata Oratione preces Nocturnæ a Laudibus separentur: quamvis in publico Choro cujusque Ecclesiæ consuetudo sit servanda. Per *Officium Diurnum* e contra intelliguntur exteræ Horæ Canonicæ, quæ de die sunt persolvendæ.

4. Hoc totum Officium Divinum communiter septem partibus, seu Horis Canonicis continere dicitur; juxta illud Psalmistæ, *Psalm. 118. Septies in die laudem dixi tibi. Qui septenarius numerus* (subjungit Concilium Agathense, relatum *c. 1. de Celebrat. Miss.*) *a nobis impletur: si Matutini, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, & Completorii tempore nostræ servitutis officia persolvamus: nam de Nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait: Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Usque ibi. Accedit etiam Mystica ratio hujus septenarii numeri Horarum Canonicarum: septem quippe sunt dona Spiritus Sancti, septem diebus completa fuit creatio mundi, septem sunt Mundi ætates, septem petitiones Orationis Dominicæ, septem Psalmi Pœnitentiales, ac præsertim septem præcipuæ Dominicæ Passionis Mysteria, in quorum proinde commemorationem septem Horæ Canonicæ recitantur, juxta illos vulgatos versiculos, a Glossa *cap. 2. de Celebrat. Miss.* relatos:

Hæc sunt, septenis propter quæ psallimus Horis.
Matutina *ligat Christum, qui crimina purgat.*
Prima *replet fletus: causam dat* Tertia *meriti.*
Sexta *Cruci nectit: latus ejus* Nona *bipertit.*
Vespera *deponit: tumulo* Completa *reponit.*

5. CONCL. II. Usus Officii Divini, ac recitatio Horarum Canonicarum, est antiquissimus in Ecclesia, & jam a tempore Apostolorum inchoatus, atque celebratus. Ita Doctores communiter, & colligitur ex illo *Actorum 3. Petrus & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.* Et *Act. 16. Media nocte Paulus & Silas orantes laudabant Deum.* Item *Actor. 10. Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam.* Accedit illud Clementis Papæ I. *l. 8. Constit. Apostol. can. 34.* sic dicentis: *Precationes facite mane, hora tertia, sexta, & nona, & vespere, atque ad Galli cantum.*

6. Nec obstat, quod aliqui afferant, a Gelasio I. vel S. Gregorio Magno Horas Canonicas coepisse. Id siquidem non recte dici, patet ex proxime allatis authoritatibus tum S. Scripturæ, tum S. Clementis Papæ I. qui S. Petri Apostoli Discipulus extitit. Fortassis tamen (inquit Azorius *tom. 1. l. 10. cap. 1.* & Filliucius) Gelasius Papa legem publicam constituit, qua Clerici preces Canonicas septies in die persolvere cogerentur, ita ut, quod antea usu & consuetudine antiqua servabatur, lege deinde lata fuerit confirmatum, ac perpetuo in Ecclesia servari præceptum: eo ferme modo, quo S. Callistus Papa I. constituit Quatuor anni Tempora, quibus jejunium ex Apostolica traditione acceptum, ab omnibus servaretur; ut habetur in ejusdem Festo, *die* 14. *Octob.* ac refertur *can. 1. d. 76.* Certe S. Gregorius Magnus Ecclesiasticum Officium auxisse legitur in sua Vita, & per consequens illud primitus non instituit, sed antea jam institutum augmentavit.

7. CONCL. III. Obligatio recitandi septem Horas Canonicas non est Juris Divini, sed solum Ecclesiastici. Ita Sanrig. *d. 2. de Horis Canonicis, nu. 5.* Azorius, & alii, contra Abbatem *in cap. 1. de Celebr. Miss.* & alios nonnullos, volentes esse Juris Divini. Ratio est: quia nullibi habetur expressum præceptum Divinum recitandi septem Horas Canonicas in S. Scriptura: sed hic mos primum ab Apostolis, tanquam Ecclesiæ Prælatis, ac Rectoribus incepit, qui postmodum a Successoribus Romanis Pontificibus expressius fuit præceptus.

8. Nec dicas cum opposita sententia: *Ps. 118.* dixit Regius Psaltes: *Septies in die laudem dixi tibi*; ergo hoc est Juris Divini. Resp. enim negando consequentiam: nam hinc quidem factum Regis Davidis habetur, non autem aliquod jus constituitur: alioquin non tantum Clerici, sed vel maxime Reges obligarentur ad recitandum septem Horas Canonicas; quod nemo dixerit. Verum quidem est, quod Ecclesia hoc Davidico exemplo cœlitus instructa, ad imitationem ipsius legem sanciverit, ut Clerici septem Horas Canonicas persolverent, inde tamen non sequitur, id esse Juris Divini; nisi velimus Jus Divinum nimis late sumere pro omni eo, quod habetur in S. Litteris, ac ex eis derivatur: quo modo authoris oppositæ sententiæ videntur impræ-

sinpræsentiarum Jus Divinum accipere, latius tamen quam par est.

9. Urgebis autem: Clerici sunt in sortem Domini vocati, atque ideo *Clerici* dicti, ut habetur *can. Dun sunt 12. q. 1.* Item Clerici percipiunt Decimas, proventus Ecclesiasticos, redditus annuos Beneficiorum, aliasque eleemosynas a Laicis, ut pro ipsis Deum precentur: ergo Jure Divino, quia & naturali, tenentur ad recitandas Horas Canonicas. Probatur consequentia, quia qui de Altari vivit, Altari inservire tenetur: atque, ut dicitur *cap. ult. de Rescriptis in 6. Beneficium Ecclesiasticum datur propter officium*: simulque lex Justitiæ, vel saltem Gratitudinis postulat, ut Clerici pro Fundatoribus atque Benefactoribus, quorum eleemosyna sustentantur, Deum precentur. Ob has, aliasque similes rationes, loquendo de Clericis Beneficiariis, multi Authores, nominatim Abbas *cap. 1. de Celebrat. Missarum*, Navarrus *cap. 7. de Oratione, n. 3.* Zabarella, Rosella, Tabienna, Armilla, aliique sentiunt, hujusmodi Clericos Beneficiarios etiam Jure Divino, imo & naturali, urgente nimirum lege Justitiæ, & non tantum Jure Ecclesiastico, teneri ad recitandas Horas Canonicas. Hoc tamen non obstante sit

10. CONCL. IV. Etiam Clerici Beneficiarii solo Ecclesiæ præcepto tenentur ad recitandas septem Horas Canonicas. Ita Sylvester *verf. Hora quæst. 8. dicto 9.* Azorius *l. 10. cap. 4. quæst. 13.* & alii. Ratio est: quia etsi Clericus Beneficiarius debeat servire Ecclesiæ, atque pro benefactoribus, ipsisque Fundatoribus de Jure naturali, id est, lege Justitiæ, & Gratitudinis, Deum deprecari: inde tamen continuo non sequitur, hoc fieri debere recitando septem Horas Canonicas. Ratio hujus est: quia dantur alia servitia spiritualia Clericis Beneficiariis præscripta, queis Ecclesiæ servire debent, posseque dictæ obligationi naturali abunde satisfieri, si qualecunque preces ad Deum pro benefactoribus, atque Fundatoribus Beneficiorum persolverent; ergo obligatio determinate recitandi septem Horas Canonicas, non est de Jure naturali ac Divino, & consequenter solum de Jure Ecclesiastico. Et per hoc patet adrationes oppositæ sententiæ, quæ solum probant, aliqua servitia Ecclesiastica, præcesque a Clericis Beneficiariis esse persolvendas Jure naturali; non autem determinate septem Horas Canonicas, nisi accedente primum præcepto Ecclesiastico.

QUÆSTIO II.

Quinam teneantur recitare Horas Canonicas?

SUMMARIUM.

11 *Tria genera hominum, de quibus præsenti Quæstio.*
12 *Clerici in Sacris constituti tenentur recitare Horas Canonicas.*
13 *Subdiaconus tenetur eas dicere jam primo die quo ordinatur, & quas?*
14 *Clerici in Sacris, etsi sint excommunicati, suspensi &c. tenentur recitare Horas.*
15 *Excommunicati tamen non debent dicere,* Dominus vobiscum.
16 *Clerici non Beneficiarii Minoristæ non tenentur ad Horas.*
17 *Sola Professio Religiosa non inducit obligationem recitandi Horas.*
18 *Religiosi quinam, & unde teneantur recitare Horas Canonicas?*
19 *Novitii, an sub culpa teneantur recitare Horas?*
20 *Quid de Societate JESU, & nonnullis Monasteriis Monialium?*
21 *Quanta sit obligatio Religiosorum persolvendi Horas Canonicas in Choro?*
22 *Quid de Religioso Clerico, ad statum Laicalem translato?*
23 *Quid de Clerico Professo, sed ejecto ex Monasterio?*
24 *Clerici Beneficiarii, qui?*
(b) Tract. II. dist. 1. quæst. 1.
25 *Clerici Beneficiarii obligantur ad Horas Canonicas.*
26 *Quibusdam tamen exceptis.*

11. TRia sunt genera hominum, de quibus præsens Quæstio movetur: nam alii sunt Clerici non beneficiarii, alii Beneficiarii, & alii Religiosi: & hi sive sint suspensi, excommunicati, degradati, aut Religiosi ex Ordine ejecti, sive non. De quibus omnibus per sequentes Conclusiones singillatim dicendum.

12. CONCL. I. Clerici omnes in Ordinibus sacris constituti, licet nullum beneficium Ecclesiasticum habeant, ad recitandas Horas canonicas sub culpa mortali sunt obligati. Ita omnes Doctores: id-

que

que loquendo de Sacerdotibus clare habetur in Jure Canonico, *c. Presbyter* & *c. Dolentes de Celebrat. Missarum*. Loquendo autem de Diaconis, & Subdiaconis, utpote de quibus citati Canones expresse non loquuntur, dicta obligatio fundatur, atque desumitur ex generali ac immemoriali consuetudine Ecclesiæ; nam consuetudo legitime præscripta habet vim legis, simulque ea est *optima legum interpres*, *c. Cum dilectus, de Consuet.*

13. Et notandum cum communi Doctorum, quod initiatus sacro Subdiaconatus Ordine teneatur jam primo die, quo Ordinem istum sacrum recepit, Officium Divinum persolvere; quamvis primo illo die nondum teneatur totum illius diei Officium dicere, sed obligetur solum ad eas Horas Canonicas recitandas, quæ correspondent tempori illius diei, quo ordinatus fuit, sicque obligationem recitandi contraxit, puta, ut inciptat a Sexta vel Nona, si illo tempore fuit ordinatus in Subdiaconum. Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 6. num. 3.* & communis. Notant insuper Doctores, tale non satisfacere præcepto, suæque obligationi, si reciter Horas illas Canonicas ante Ordinationem suam in subdiaconum: quia (inquiunt) pro illo priori tempore necdum currit præceptum recitandi Horas, & consequenter tunc nondum potuit illi præcepto satisfieri.

14. CONCL. II. Ejusmodi Clericus non liberatur hac obligatione recitandi Horas, etiamsi sit excommunicatus, suspensus, depositus, aut degradatus. Ita communis. Ratio est. Tum quia per excommunicationem v.g. non tollitur Ordo sacer, utpote cujus character indelebiliter inhæret animæ, & consequenter neque tollitur obligatio recitandi divinum Officium eidem annexa. Tum quia nemo debet ex propria culpa, & iniquitate, commodum reportare: prout fieret, si quis excommunicatus, aut ob propriam culpam degradatus, liberaretur ab obligatione dicendi Horas Canonicas.

15. Observat etiam Bonacina *tom. 1. disp. 2. de Horis Canon. q. 2. punct. 3. n. 3.* Clericum degradatum, aut excommunicatum, non posse, dum recitat Divinum Officium, dicere, *Dominus vobiscum*; sed debere loco illius dicere, *Domine exaudi*; quia hæc est functio Ordinis, & communicatio quædam in Officiis Divinis, quæ non est licita excommunicatis. Imo Suarez, & Navarrus, relati a Bonacina *tom. 1. disp. 2. de Excommunicatione, q. 2. punct. 3. §. 2. num. 6.* cum quibusdam volunt, excommunicatum incurrere irregularitatem, dicendo, etiam privatim, *Dominus vobiscum*. Sed hoc non videtur admittendum: quia parvitas materiæ sicut excusat a mortali peccato, ita & ab irregularitate, quæ oritur ex delicto, & imposita est ob peccatum mortale. Bonacina *loc. cit.* Henriquez, Filliucius, & alii.

16. CONCL. III. Clerici non Beneficiarii, neque Religionem professi, constituti solum in quatuor Ordinibus minoribus, non obligantur recitare Horas Canonicas. Ita unanimis Doctorum: idque patet ex communi Ecclesiæ consuetudine, quæ est optima legum interpres; simulque ex eo, quia ejusmodi obligatio nullibi reperitur in Jure expressa.

17. Quantum attinet ad alterum genus hominum, nempe Religiosorum, sciendum est, ex vi solius Religiosæ Professionis non sequi obligationem dicendi Horas Canonicas; ut inter alios bene notat Reginaldus *lib. 18. cap. 11. num. 137.* Patet hoc tum ex eo: quia Professio ipsa Religionis ordinarie obligat tantum ad tria vota essentialia, Paupertatis nimirum, Castitatis, & Obedientiæ, servanda secundum Regulam. Tum quia dantur Religiones non deputatæ ad Chorum, sed quæ institutæ sunt præcipue ad exercenda corporalia Misericordiæ opera in Hospitalibus, vel ad Militiam adversus Infideles, vel ad aliquas actiones spirituales: imo & in Religionibus Choro addictis dantur Laici, seu Conversi professi, quos constat non teneri ad recitationem Horarum Canonicarum. Hinc videndum, quinam Religiosi, & ex quo fundamento teneantur recitare Horas Canonicas.

18. CONCL. IV. Religiosi omnes, ac singuli (exceptis Novitiis, & Laicis conversis) qui profitentur Religionem Choro addictam, tenentur sub mortali ad persolvendum Divinum Officium, tametsi ad cultum Ordinem sacrum sint promoti; idque vel ratione propriæ Regulæ (ut FF. Minorum Clerici professi, quibus etiam ante receptionem Ordinum sacrorum *cap. 3. Regulæ* præciptur, ut faciant Divinum Officium secundum ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ) vel saltem vi generalis consuetudinis, quæ in omnibus Religionibus Choro addictis cum tanta obligatione acceptata est. Ita Doctores communiter, paucis exceptis,

ceptis, quos allegat, & rejicit Layman *loc. cit. n. 1. & 2.* Ratio est: quia consuetudo habet vim legis; est que dicta consuetudo in Religionibus Choro addictis passim recepta.

19. Dicitur notanter b. *Exceptis Novitiis, & Laicis professis*: siquidem Laici Choro addicti non sunt. Novitios autem Clericos, Chorumque frequentantes, etsi Paludanus affirmare videatur, teneri persolvere Officium Divinum, eo quod ex eleemosynis vivant, & gaudeant privilegiis Clericorum; communis tamen opinio censet, eos non teneri, prout observat Azorius *loc. cit. cap. 6.* & Bonacina *disp. 1. de Horis Canon. q. 2. punct. 2. n. 1.* Ratio est: quia ex quo necdum sunt Religionem professi, sed libere possunt exire, ad onera Religionis non tenentur sub obligatione. Adde, de Novitiis non currere consuetudinem necessario dicendi divinum Officium. Unde Novitii in favorabilibus quidem veniunt nomine Religiosorum, non vero in odiosis.

20. Dicitur II. *Vi generalis consuetudinis*. Hæc enim potissimum est ratio, cur Religiosi Professi Choro addicti jam antea ceptum Subdiaconatum teneantur recitare Horas Canonicas. Unde si hæc consuetudo in aliqua Religione non viget (sicut dicitur esse in Societate JESU, habente circa hoc specialem Constitutionem Pauli III. *Regimini militantis Ecclesiæ. §. 12.* & habetur *tom. 1. Bullarii Romani. Const. 25. dicti Pontific.*) non erit talis obligatio ante promotionem ad Ordines sacros. Et hac ipsa de causa multa Monasteria Monialium, quæ hactenus consueverunt recitare duntaxat Cursum, seu Officium parvum B. Mariæ Virginis, non obligantur ad recitandas Horas Canonicas.

21. CONCL. V. Etsi Communitas Religiosi Ordinis Choro addicti ex generali consuetudine teneatur statutis temporibus Horas Canonicas in Choro persolvere; eaque obligatio, quæ procul dubio gravis est, atque sub mortali obligans, in primis Prælato incumbat, ut curam adhibeat, ne in sua Ecclesia cantus Horarum Canonicarum debitis temporibus intermittatur, ad singulos tamen religiosos hæc obligatio in particulari non descendit: quare peccati mortalis damnari non debet, qui cæteris in Choro rite canentibus, ob pigritiam abest. Ita communis. Ratio est: quia talis quidem dignus est pœna a suo Prælato juxta Ordinis Constitutiones infligenda, nulla tamen consuetudine introducta est tam gravis obligatio, seu singulos obligans sub peccato mortali. Quod si quis justo impedimento detentus absit, ut puta ratione Conciones, vel Confessionum excipiendarum, certum est, eum nullatenus peccaturum, si Horas privatim persolvat.

22. CONCL. VI. Religiosus Clericus professus, necdum sacris Ordinibus initiatus, qui Superioris authoritate ad statum Laicalem Conversorum translatus est, a recitando Divino Officio liber est. Ita communis. Ratio est: quia mutavit statum, cui talis obligatio annexa est,

23. Num autem idem dicendum sit de ejusmodi Religioso nondum sacris Ordinibus initiato, si fuit ejectus ex Monasterio, variant Doctores. Et quidem Azorius *cit. lib. 10. cap. 6. quæst. 6.* post Navarrum *c. 7. de Oratione num. 20.* probabilius censet, talem ejectum Religiosum adhuc obligari ad recitandas Horas Canonicas, eo quod etiamnum sit Religiosus, finoque vitio contigerit, ut e Monasterio ejiceretur: simulque æquum non censeatur, ut quis ex suo delicto commodum reportet. Eum nihilominus ab ejusmodi obligatione liberum pronuntiat Herinex *tract. 4. de Religione disp. 2. n. 6.* post Bonacinam, & alios: quia (inquit) per sententiam remotus est a statu, in quo erat consuetudo obligans, & translatus ad statum, in quo non reperitur ista obligatio & consuetudo.

24. Quantum attinet ad tertium genus hominum, scilicet Beneficiarios, notandum, per Clericos beneficiarios intelligi eos, qui habent Beneficium aliquod Ecclesiasticum, sive deinde sint insigniti Ordine aliquo sacro, sive non. Nomine autem Ecclesiastici Beneficii, intelligitur jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod officium spirituale personæ Ecclesiasticæ authoritate Ecclesiæ constitutum: prout amplius suo loco (b) explicabitur. Et de hujusmodi Beneficiariis loquendo, sit

25. CONCL. VII. Clerici Beneficium Ecclesiasticum possidentes, etiamsi nullo sacro Ordine sint insigniti, obligantur ad Horas Canonicas recitandas. Ita certa, & communis: & patet tum ex *cap. Dolentes*, supra *num. 3.* relato, tum ex aliis Summorum Pontificum Constitutionibus: siquidem *Beneficium datur propter officium, cap. ult. de Rept. in 6.*

26. Excipiuntur tamen quædam Beneficia,

cia, v. g. Præposituræ, Personatus, &c. quibus ex speciali sua institutione solum annexa est obligatio recitandi Officium parvum B. M. Virginis, aut quid aliud simile. Excipitur etiam is, qui titulum quidem Beneficii obtinet, sed per eum non stat, quominus defacto aliquos fructus percipere queat, sive per se, sive per alios, aut in aliis substitutis: talis quippe ex communi Doctorum sententia non tenetur ad Horas Canonicas recitandas; nemo enim suis stipendiis militare cogitur, & qui Altari deserviunt, de Altari participant. 1. *Corinth.* 9. Herinex *part.* 3. *tract.* 2. *disp.* 7. *n.* 58. Navarrus *cap.* 7. *de Orat. num.* 28. Layman *cit. c. n.* 3. *& seq.* & alii.

QUÆSTIO III.

Quanta sit obligatio recitandi Horas Canonicas?

SUMMARIUM.

27 *Obligati ad Horas, & eas in totum, vel quoad partem notabilem culpabiliter omittentes, peccant mortaliter.*

28 *Quænam censeatur pars notabilis, sufficiens ad peccatum mortale?*

(c) Relato Superius n. 3. & 4.

29 *Quot peccata mortalia committat omittens Officium totius diei?*

30 *An peccet duplici peccato omittens Officium ad quod tenetur ratione Ordinis sacri simul & Beneficii?*

31 *Beneficiarii omittentes Horas tenentur ad restitutionem fructuum pro rata omissionis.*

32 *Idque post sex menses adepti Beneficii, ac Juris Ecclesiastici.*

Rata neglecti Officii, quomodo taxanda?

33 *An tunc etiam restituendi fructus percepti ratione aliarum obligationum?*

34 *Vitanda circa hoc quædam propositiones damnatæ.*

35 *Officium Defunctorum, & Litania majores, &c. an extra Chorum sub præcepto dicenda?*

36 *Affirmativa est tenenda.*

37 *Solvitur ratio dubitandi.*

27. CONCL. I. Omnes hactenus enumerati, atque ad dicendas Horas Canonicas obligati, peccant mortaliter, si eas vel in totum, vel quoad partem notabilem culpabiliter, seu absque rationabili causa excusante, dicere omittant. Ita certa, & communis. Ratio est; quia est præceptum grave, & quidem in materia gravi, spectante ad virtutem Religionis, non minus, ac præceptum audiendi Missam diebus Festivis; ergo etiam transgressio talis præceptis est peccatum ex genere suo mortale. Sed occasione hujus Conclusionis

28. Quæritur I. Quænam sit censenda pars notabilis, cujus omissio constituat peccatum mortale? Resp. Quamvis non parum varient circa hoc Doctores, uti videre est apud Reginaldum *lib.* 18. *cap.* 11. *n.* 143. *& seq.* dum Navarrus tertiam Partem unius Horæ sufficere, Rosella vero totius Officii unius diei omissionem requiri ad constituendum peccatum mortale, asserat: sed ambo improbabiliter; Communior tamen Doctorum opinio (paucis dissentientibus, aut Velperas Sabbati Sancti ob sui brevitatem excipientibus, apud Gobat *tract.* 5. *Theol. Experim. num.* 608. & 609.) videtur tenere, voluntariam omissionem cujuscunque Horæ Canonicæ sufficere ad peccatum mortale: idque etiam Doctores intelligunt de uno Nocturno Matutini, utpote æquivalente uni Horæ minori. Fundatur hæc satis communis recepta sententia, in *cap.* 1. *& c. Dolentes, de Celebrar. Missar.* (c) ubi omnes septem horæ significantur, ac nominatim quotidie recitari præcipiuntur: unde deducitur, unam Horam omissam censeri partem notabilem.

29. Quæritur II. Quot peccata mortalia committat omittens integrum Officium unius diei? Lessius *lib.* 2. *de just. & jure: c.* 37. *n.* 53. putat, tot numero peccata committi, quot sunt Horæ; eo quod singulæ sint distincta Officia, distinctis temporibus ex præcepto Ecclesiæ persolvenda. Sed melius Herinex *disp.* 2. *de Hor. can. q.* 2. *n.* 8. Gobat *disp.* 2. de Bonacina *disp.* 1. *q.* 5. *punct.* 1. *lec. cit. n.* 617. Navarrus, & alii respondent, esse unicum peccatum, gravius tamen. Ratio est: quia omittitur unicum tantum integrum Officium unius diei, cujus singulæ Horæ sunt pars; ergo etiam sit unicum duntaxat peccatum externum consummatum omissionis.

30. Quæritur III. An peccet duplici peccato, qui omittit officium Divinum, ad quod recitandum tenetur ratione Ordinis sacri, simul & beneficii? Affirmant Bonacina *lec. cit. n.* 7. Lessius *n.* 52. Sanchez, Suarez, & alii, & sequitur Sannig *cit. disp.* 2. *qu.* 1. *numer.* 16. Rationem afferunt: quia talis Clericus Beneficiarius in Sacris constitutus peccat & contra virtutem Religionis, cujus intuitu obligatur ratione Ordinis sacri, & contra Justitiam ratione Beneficii. Sed Herinex *loc. cit. num.* 9. cum Diana *part.* 1. *tract.* 12. *de Horis Canon. resol.* 5. & aliis, probabilius negat, commiti duo peccata, etsi duobus vel pluribus titulis quispiam ad Horas Canonicas recitandas obligetur. Ratio est: quia Clericus Beneficiarius omitteas Horas non peccat contra Justitiam, sed tantum contra Religionem, ac præceptum Ecclesiæ, quæ istam obligationem Beneficiariis imposuit; prout nec tenetur Jure naturæ ad restitutionem fructuum, sed tantum ex præcepto Ecclesiæ post primos sex menses, ut mox amplius dicetur. Et per hoc solvitur fundamentum oppositæ sententiæ.

31. CONCL. II. Præter reatum culpæ lethalis, si Beneficiarii Horas Canonicas culpabiliter, seu cessante legitimo impedimento intermittant, post sex menses a Beneficio obtento obligantur ad fructuum perceptorum restitutionem pro rata omissionis. Ita certa, & communis omnium; & habetur expresse statutum in Generali Concilio Lateranensi, sub Leone X. *Sess.* 9. quam Constitutionem innovavit, magisque explicavit S. Pius V. Constitut. 135. quæ incipit, *Ex proximo* (ac refertur *tom.* 2. *Bullarii Romani*) ubi inprimis Pontifex hic loquitur: *Ex proximo Lateranensi Concilio ea salubris sanctio emanavit, ut quicunque habens Beneficium Ecclesiasticum, cum cura, & sine cura, si post sex menses, quam illud obtinuerit, Divinum Officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, Beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis Officii, & temporis, suos non faciat, sed eos tanquam injuste percepros, in fabricas eorum Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur.* Hæc ibi.

32. Ex quibus verbis colligitur primo, hanc obligationem restituendi fructus Beneficii pro rata neglecti Officii, incipere duntaxat post primos sex menses a tempore adepti Beneficii computandos (nam exceptio illa, *si post sex menses*, firmat regulam in oppositum) quamvis ille, qui primis sex mensibus, cessante legitimo impedimento, Officium non dixerit, grave peccatum intelligatur admisisse, prout subdit Pontifex ibidem. Colligitur ulterius, hujusmodi obligationem restituendi fructus esse

Juris duntaxat Ecclesiastici: tum quia ortum habet ex salubri sanctione Concilii Lateranensis: tum quia, si esset Juris naturalis, aut Divini, pariter pro primis sex mensibus dicta obligatio procederet. Ut autem intelligatur, cujusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda, idem Pontifex in citata sua Constitutione declarando statuit: *Ut qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficii, vel beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat.* Hæc Pontifex.

33. Cæterum quoad memoratam obligationem restituendi notandum est, quod quamvis Azorius *cit. cap.* 14. *q.* 5. ob tam generalem S. Pii V. loquendi modum & Constitutionem teneat, quod Beneficiarius omnes sui Beneficii fructus, etiam illos, quos propter alias obligationes, utpura Conciones, Sacramentorum administrationem, Missæ celebrationem &c. si simul est Parochus, sibi comparaverat, pro rata neglecti Divini Officii restituere teneatur; oppositum tamen, nempe tuta conscientia posse eam fructuum partem retineri, quam ejus labor, quo alioquin inservivit Ecclesiæ, promeruit, cum multis aliis Authoribus a se allegatis, probabile, & in praxi tutum censet Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 5. *n.* 1. & 2. & 82 *Vers. Beneficium num.* 38. quorum posterior prounde subjungit, quod sufficiat Parocho restituere quintam partem, Canonico quartam, aliis Beneficiariis tertiam. Sed melius Layman attendendum censet ad aliorum quantitatem officiorum, quæ quandoque plura, quandoque pauciora sint; ac proinde hoc erit prudentis, & timorati Viri arbitrio disjudicandum.

34. Circa hoc tamen notanda, & vitanda erit gemina Propositio, novissime ab Alexandro VII. condemnata, quarum prior, ordine 20. sic sonat: *Restitutio a S. Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.* Altera, ordine 33. sic habet: *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum supplere potest per quascunque eleemosynas, quas ante Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.* Utraque, inquam, hæc Propositio est damnata, ac proin evitanda.

35. Quæres, an Officium Defunctorum in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, item Litaniæ majores in festo S. Marci, ac tribus diebus Rogationum, privatim sint a præfatis Clericis, Religiosis, ac Beneficiatis de præcepto recitandæ? Ratio dubitandi est: quia S. Pius V. in Bulla, *Quod a nobis*, Breviario præfixa ab obligatione recitandi extra Chorum diebus in Rubricis præscriptis, eximit Officium B. MARIÆ Virginis, & Defunctorum, item septem Psalmos Pœnitentiales, & Graduales. Et quidem Diana *part. 1. resol. 42. de Horis Canonicis*, loquendo de Litaniis, post paucos alios a se allegatos, probabile censet, non teneri eos privatim recitare Litanias in diebus Rogationum, qui non intersunt Processionibus.

36. Resp. tamen cum Herincx *disp. 2. q. 2. num. 14.* Gobat *tract. 5. Theolog. Experim. n. 614.* Gavanto *p. 2. sect. 7. cap. 13.* allegante Suarium, & sequitur Bonacina *tract. 23. cap. 7. num. 243.* Officium Defunctorum in Die Commemorationis Animarum, ac Litanias præfatis diebus, etiam privatim recitandas esse ex præcepto. Ratio est: quia officium Defunctorum censetur esse pars officii diei Animarum, cui ideirco in Calendario, & Martyrologio, tribuitur nomen Commemorationis Defunctorum: Litaniæ autem ut præfatis diebus privatim dicantur ab iis, qui non intersunt Processionibus, expresse præscribunt Rubricæ. Neque Litanias commemorat, & excipit S. Pius V. in prælegata Bulla, quæ tamen jam olim præceptæ fuerunt *c. Rogationes, de consecr. dist. 3.* Accedit communis sensus Doctorum, & praxis Fidelium, optima Legum interpres.

37. Et per hoc patet ad rationem in oppositum. Siquidem S. Pius V. de Litaniis nullam facit mentionem, ac proinde obligationem easdem privatim dicendi non tollit. Et dum obligationem recitandi privatim, seu extra Chorum, Officium Defunctorum in citata Bulla sustulit, loquitur de diebus Ferialibus, quetis illud Officium aliquoties per annum dicendum esse, volunt Rubricæ; non autem sub hac generali abrogatione, seu deobligatione, comprehenditur Dies Commemorationis Defunctorum, cum sit pars Officii illius Diei. Atque ex his inferunt Doctores, Beneficiarium talia cessante justo impedimento non recitantem, teneri ad restitutionem fructuum pro rata partis omissæ.

QUÆSTIO IV.

Quænam intentio, & attentio requiratur ad recitationem Horarum Canonicarum?

SUMMARIUM.

38 *Quid sit, studiose & devote celebrare officium Divinum?*

39 *Attentio circa orationem vocalem triplex, ad verba, ad sensum, ad finem Orationis.*

40 *Requiritur intentio orandi.*

(d) De hoc tract. 2. dist. 3. n. 44.

41 *Sufficit tamen ad satisfaciendum intentio virtualis.*

42 *Qualibet attentio, tam ad verba, ad sensum, quam ad Deum sufficit.*

43 *Voluntarie distractus absque ulla interiori attentione, non videtur satisfacere.*
Opposita quorundam opinio refertur.

44 *Ratio Conclusionis.*

45 *Solvitur objectio.*

(e) Conformiter dictis tract. 2. Dist. 11. n. 46. 48. & seq.

46 *Leviter duntaxat distractus satisfacit.*
Et facile est satisfacere.

47 *Quid, si distractio non sit plene voluntaria; Vel omnino involuntaria?*

48 *Remedia ad repellendas distractiones opportuniora, quæ?*

38. Est hic recolendum ex dictis *quæst. 1. num. 3.* quod in *c. Dolentes, de Celebrat. Miss.* præcipiatur, ut Divinum Officium *studiose celebretur pariter & devote.* Ubi Glossa notat, *studiose* quantum ad officium oris, verba non syncopate pronuntiando. Et *devote* quantum ad officium cordis juxta illud Apostoli, *Ephes. 5. Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino*: unde Glossa *c. Cantantes, dist. 92.* hosce vulgatos versiculos refert:

Non vox, sed votum; non musica chorda, sed cor;
Non clamans, sed amans, cantat in aure Dei.

Igitur ad devotionem, seu officium cordis, requiritur tum intentio, tum attentio, de qua alii duo versiculi sic canunt:

Dirige cor sursum: bene profer: respice sensum;
Inque Choro ne sis corpore, mente foris.

39. Adverteudum quoque cum D. Thoma

ma 2. 2. q. 83. *art.* 13. & communi Doctorum, quod attentio triplex sit, quæ oration vocali potest adhiberi: una ad verba, qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis proferendis erret. Secunda ad sensum verborum, qua attenditur, quid verba significent: & hanc habere nequeunt ignari illius idiomatis, in quo recitatur Divinum Officium, v.g. Moniales ignorantes linguam latinam; quamvis possint habere primam & tertiam attentionem, sicque omnino satisfacere. Et tertia ad finem orationis, qua nempe attenditur ad Deum ceu terminum nostræ orationis, & ad rem, pro qua oratur: quæ est omnium optima, atque etiam ab idiotis, linguæque, in qua Divinum Officium recitatur, ignaris haberi potest. Prima harum attentionum, ut ait Filliucius, dicitur materialis, secunda litteralis, & tertia Spiritualis.

40. CONCL. I. Certum est, intentionem aliquam orandi, seu recitandi Horas Canonicas necessariam esse: alias hujusmodi recitatio non esset actus humanus, honestus ac devotus, neque proprie oratio. Unde si quis legeret Horas Canonicas in somnio, sub quo nonnulli loqui solent, vel recreationis aut studii causa, talis non impleret præceptum, quia non haberet intentionem orandi. (d)

41. CONCL. II. Ad orandum, & satisfaciendum præcepto, sufficit intentio virtualis ac implicita, neque requiritur necessario intentio expressa & formalis. Ita Navarrus *cap. 13. de Oratione n. 16. & seq.* Filliucius *tract. 23. cap. 2. num. 71.* & Doctores communiter. Ratio est: quia ejusmodi intentio virtualis, ac implicita, sufficit ad actum moralem. Talis intentio v.g. est in eo, qui habet voluntatem satisfaciendi suæ obligationi, vel dicendi Horas Canonicas, ut debet. Imo sufficere ajunt, animo deliberato capere Breviarium, ire ad Ecclesiam seu Chorum, ita ut interrogatus vere responderet, se id facere ad recitandum Horas, vel satisfaciendum suæ obligationi. Et hoc confirmatur ex dictis supra *tract. 2. dist. 3. quæst. 5. numer. 45. & seqq.* ubi ostensum est, ad satisfaciendum præcepto non requiri specialem intentionem satisfaciendi (dummodo non habeatur intentio contraria) sed sufficere intentionem præstandi opus, quod præceptum est, ut puta studiose pariter & devote recitandi divinum officium.

42. CONCL. III. Loquendo nunc de attentione; sufficit quidem ad satisfaciendum præcepto recitandi Horas Canonicas, quælibet trium supra enumeratarum attentionum, videlicet ad verba, ad sensum, & ad Deum vel finem Orationis: tamen secunda attentio est præstantior quam prima: & tertia, quam secunda. Ita post D. Thomam *loc. cit.* communis Doctorum. Notat tamen Navarrus *cap. 28. de Orat. num. 28.* id quod de tertia attentione ad Deum dicitur, esse intelligendum, dummodo interim, quantum necesse est, attendatur, ne orans erret in verbis, dicendo aliud vel aliter, quam quod, vel quomodo præceptum est.

43. CONCL. IV. Qui voluntarie, seu sua sponte distrahitur, & toto animo in alia per cogitationem dispergo, atque adeo absque ulla prædictarum trium interiori attentione Horas Canonicas persolvit, non videtur satisfacere præcepto. Ita communior, probabilior, & securior Doctorum sententia, quam tenent Azorius *c. 12. quæst. 6.* Bonacina *disp. 1. quæst. 3. punct. 2. §. 2.* Mastrius *disp. 2. Theol. Moral. numer. 92.* Sannig *quæst. 2. num. 11.* Herincx, Navarrus, Lessius, Suarez, Reginaldus, Layman, aliique plures: quamvis non desint oppositum tenentes, quos citat, & sequitur Diana *part. 1. tract. 12. resol. 2.* qui volunt, interiorem attentionem ad Horas Canonicas non requiri, sed sufficere exteriorem; ut videlicet eas recitans, exterius reverenter assistat, nec sese occupet in aliquo negotio incompatibili cum attentione interiori, ut puta confabulando, scribendo, jocando &c. hancque solam exteriorem attentionem (inquiunt) præcipi in sæpe *cit. c. Dolentes, de Celebr. Missarum*, non autem interiorem.

44. Probatur tamen Conclusio. Quia *cit. c. Dolentes*, præcipitur, ut Officium Divinum devote recitetur: atqui devotio est actus internus, ergo. Confirmatur. Oratio non subsistit sine omni interiori attentione, neque est actus Religionis, sed potius simulatio quædam devotionis aut orationis, quam merito Christus reprehendit, *Matth. 15.* dicens: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*: ergo solam exteriorem orationem sine ulla prorsus interiori attentione non potuit Ecclesia præcipere, & consequenter ea sola non sufficit ad satisfaciendum præcepto.

45. Nec dicas, Ecclesia non potest præ-

cipere actum internum; ergo neque attentionem internam in Horis Canonicis. Resp. enim (*e*) quamvis Ecclesia non possit per se ac directe precipere actum mere internum, ac seorsim sumptum, potest tamen Ecclesia ipsum compræcipere, seu indirecte & consonanter præcipere una cum actu externo, quando ad ejus rationem, seu modalem substantiam, actus interior requiritur. Prout in proposito attentio interior requiritur ad rationem orationis, cum hæc sine ulla attentione interiori potius esset simulatio orationis, ut dictum: Ecclesia vero non præcipit simulationem orationis, sed orationem devotam.

46. Dicitur notanter in Conclusione, *voluntaria, seu sua sponte distrahitur, & toto animo in alia per cogitationem dispersa &c.* Nam in primis, si quis Horas Canonicas animo duntaxat leviter distracto persolvat, juxta communem & certam Doctorum sententiam mortaliter non peccat, & satisfacit præcepto. Et certe, cum sola attentio ad verba sufficiat, facile est; præcepto Ecclesiæ in hac re satisfacere, ut bene notat Lessius *lib. 2. de just. & jure cap. 37. n. 69. & 70.* Ubi etiam addit, si quis cum hac attentione, saltem confusa ad Deum, vel ad verba, posset simul ad alia attendere (sicut illi, qui ternas simul, vel plures epistolas dictant) quod talis satisfaceret præcepto Ecclesiæ, nec peccaret mortaliter, juxta Navarrum *cap. 13. num. 23.* quamvis peccaret venialiter ob irreverentiam admissam.

47. Deinde si distractio non sit plene voluntaria, vel contingat solum ex imperfecta animi deliberatione, rursus certum est satisfieri præcepto, nec committi peccatum mortale; quamvis ob negligentiam in repellendis distractionibus commissam quandoque peccatum veniale contrahatur. Quod si autem distractio omnino fuerit indeliberata, atque involuntaria, & patienter tolerata, homine quod in se est faciente; tunc ejusmodi distractiones, quibus homo invitus abripitur ex humana fragilitate, nequaquam et ad ullum peccatum imputabuntur: imo sunt non raro homini devoto materia patientiæ, meritumque, quo Deus animas nostras a superbia, vanæque gloriæ inquinamentis tutari, propugnareque solet.

48. Quæres, quænam sint remedia ad repellendas animi distractiones opportuniora? Respond. esse potissimum sequentia. Primum est, æstimatio magna de Divino Officio, oratione siquidem Deum alloquimur, quia teste S. Damasceno *l. 3. de fide cap. 24. Oratio est ascensus mentis in Deum*; simulque Breviarium plenum est pulcherrimis Virtutum affectibus, utilissimisque petitionibus ab ipso Spiritu Sancto dictatis. Secundum renovatio attentionis per certa intervalla, maxime ad versum *Gloria Patri &c.* procurata. Tertium, accurata sensuum custodia, quæ est mater & conservatrix devotionis. Quartum, præsentia Dei, & Sanctorum, memoriæ firmiter, ab initio maxime orationis, per devotam præparationem impressa. Et tandem remedium ultimum, est obligationis nostræ, & officii consideratio, si videlicet quis perpendat, se ideo ab Ecclesia ordinatum, ut Dei obsequio laudibusque se totum impendat, & quasi Legatus necessitates Sanctæ Matris Ecclesiæ, Fidelium que petitiones Deo proponat, & commendet.

QUÆSTIO V.

De Integritate, Continuatione, Ordine & Qualitate, quibus persolvendæ sunt Horæ Canonicæ.

SUMMARIUM.

49 *Septem requisita ad debitam Horarum Canonicarum recitationem.*
50 *Contra Integritatem Officii Divini, qui peccent? Et quomodo?*
51 *Satisfacit, qui recitat cum socio non obligato.*
52 *Quid de occupatis in pulsandis Organis, succendis libris &c.*
53 *Continuatio Horarum etiam requiritur.*
54 *Nisi excuset justa causa; qualis?*
55 *Aliquin peccatur venialiter.*
56 *Ordo insuper requiritur, & qualis?*
57 *Causa licite invertendi ordinem Horarum.*
58 *Qualitas in Divino Officio, qua servanda? Quo Breviario utendum?*
59 *Recitans Horas ex Breviario aliene, an peccet mortaliter?*
60 *Non commutandum Officium unius diei in aliud; aliquin peccatur, & quomodo?*
61 *Quid, si aliud Officium sit æquivalens, aut interveniat causa?*
62 *Ut puta error, aut inconsideratio.*
63 *Corollarium.*

64 Quid

64 *Quid agendum, si quis bodie legit Officium aut Lectiones diei crastinæ?*
65 *Aut omisit hodie recitare de Festo occurrente?*

49. AD studiosam, & devotam Horarum Canonicarum recitationem, juxta Doctores communiter, septem requiruntur, nempe Attentio (sub qua & Intentio recitandi comprehenditur) Integritas, Continuatio, Ordo, Qualitas, Locus, & tempus accommodatum. Et quia de Attentione ad recitationem Horarum Canonicarum requisita jam dictum *quæst. præc.* hinc de aliis sex requisitis, pro majori hujus materiæ quotidie occurrentis intelligentia, singillatim dicetur in hac, & sequenti Quæstione. Quantum igitur in primis attinet ad Integritatem Divini Officii, seu Horarum Canonicarum, sit

50. CONCL. I. Contra Integritatem Officii Divini (præter eos, qui illud vel ex toto, vel quoad partem notabilem penitus omittunt) peccant, qui Horas Canonicas recitant verba mutilando, syncopando, deglutiendo, si id fiat ex toto, vel quoad partem notabilem penitus omittunt) peccant, qui Horas Canonicas recitant verba mutilando, syncopando, deglutiendo, si id scienter fiat: secus, si id vel vitio linguæ, vel consuetudine quadam inveterata, & quodammodo in naturam conversa, accidat. Ita communis; & colligitur ex *c. Dolentes, de Celebrat. Missarum, & Clem. 1. eod.* ubi taliter verba syncopantes, merito reprehenduntur. Ordinariæ tamen preces, quæ ita recitantur, non sunt necessario repetendæ: nam etsi non nihil ea in re peccetur, legis tamen substantia servatur, atque regulariter parvitas materiæ excusat: nisi sit defectus omnino gravis, tunc enim secus foret dicendum.

51. CONCL. II. Satisfacit præcepto Ecclesiæ, qui Horas Canonicas recitat alternis versibus cum socio libero ac minime ad eas recitandas obligato. Ita communis, & patet ex praxi quotidiana: nihil enim refert, an socius sit præcepto adstrictus, nec ne; cum adhuc totum Officium Divinum studiose pariter ac devote persolvatur.

52. CONCL. III. Illi, qui inter publicam Horarum Canonicarum recitationem ex officio, vel Superioris jussu occupantur in pulsandis Organis, vel ponendis libris, aut thurificandis Altaribus (unde non raro fit, ut aliquam partem Divini Officii nec proferant, nec audiant) satisfaciunt obligationi recitandi, quamvis talem partem non dicant per seipsos. Ita Reginaldus *lib. 18. n. 160.* & alii. Ratio est: quia cum illi ad celebritatem Divini Officii occupentur in tali servitio, totus Chorus supplet pro ipsis, ita ut satis dicere existimentur, dum ministrant dicentibus.

53. CONCL. IV. Quantum attinet ad Continuationem Horarum Canonicarum, ea insuper ad studiosam Divini Officii recitationem requiritur, ut nempe illud non interrumpatur cessante justa causa. Ita communis: alioquin enim nonnulla committeretur irreverentia, si absque ulla prorsus causa interrumperetur Divinum Officium.

54. Dicitur notanter, *absque ulla prorsus causa*: nam si causa justa interrumpendi recitationem Divini Officii intercedat, nullum ne quidem veniale peccatum committitur. Et tales causæ variæ esse possunt: reputa, si Superior psallentem avocet, vel occurrat necessarium exercitium Charitatis Proximo exhibendum; item si interponantur aliqui pii affectus meditationis, devotionisque internæ; vel si quid facias ad tollendam distractionem, aut si quid internus te inquietum facit, ideoque breviter id in charta annotes, vel si in Confessionali expectes pœnitentes; quorum aliqui, dum interim recitas Horas, accedunt, & hujusmodi.

55. Quod si autem absque ulla rationabili causa interrumpatur Officium Divinum, præsertim loquendo, vel agendo aliena a recitatione, aut profana, peccati venialis culpa non evitatur; uti colligitur ex sæpe *cit. c. Dolentes*. Peccatum vero mortale non erit, quantacunque fiat interruptio, dummodo omnes Horæ absolvantur intra eundem diem: siquidem adhuc adimpletur substantia præcepti; simulque singulæ partes habent suum pondus, atque significationem; suntque per se quædam preces, & laudes Divinæ.

56. CONCL. V. Quod ad Ordinem attinet, etiam ordo in recitatione Horarum Canonicarum requiritur, nempe ut non invertatur ordo earum inter se, dicendo v.g. Sextam ante Primam, vel Tertiam; sed recitentur eo ordine, qui ex præscripto Ecclesiæ in Breviario ponitur. Ita rursum omnes Doctores.

57. Cæterum hæc conditio leviter duntaxat obligat, potestque facile justa causa intervenire, saltem in Officio privato, Horas transponendi: ut si quis ab amico, vel

Superiore, invitatur ad recitandum secum Primam, cum necdum recitaverit Matutinum, potest hoc posthea recitare. Idem accedens ad Chorum potest cum Choro pergere, & Horas necdum lectas, vel ex oblivione dilatas posthea dicere. Similiter servus intrans Chorum, parte Horæ jam inchoata, potest cum Choro pergere, & post expletum Officium partem illam supplere; prout passim tradunt, atque exemplificant Doctores.

58. CONCL. VI. Quod ad qualitatem attinet, qualitas in Divino Officio attenditur in primis ex eo, quod recitetur Breviarium approbatum ab Ecclesia, quale est solum Breviarium Romanum novum jusso S. Pii V. editum: illis tamen Ordinibus, Monasteriis, locisque exceptis, quos, ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, quæ, vel ipsa institutio ducentis annis correctionem Breviarii novi, factam anno 1568. per S. Pium V. antecessit, aliis certis Breviariis usos fuisse constiterit; quibus inveteratum illud jus dicendi, & psallendi suum Officium, præfatus Pontifex non ademit. Ita Bulla dicti Pontificis Breviario Romano præfixa.

59. Quæres autem, an recitans Horas Canonicas ex Breviario alieno, sed approbato, consuetudine ducentorum annorum, peccet mortaliter? Affirmant multi, negat Sylvester *V. Hora, quæst.* 12. Melius tamen dicitur cum Reginaldo *lib.* 18. *num.* 170. non esse peccatum, si id fiat uno vel altero die justa de causa, v. g. juvando in recitando infirmum, aut Prælatum defessum, vel ob repentinam necessitatem studendi, ac hujusmodi.

60. CONCL. VII. Qualitas Officii Divini ulterius attenditur penes hoc, ut recitetur Breviarium Romanum non commutando Officium unius diei cum altero. Unde peccat mortaliter, qui data opera, recitat aliud Officium notabiliter brevius, quam sit Officium cadens & ordinarum pro tali die. Ita Sannig. *dist.* 2. *de Horis Can. quæst.* 3. *num.* 3. Herincx *dist.* 2. *de Horis Can. q.* 3. *num.* 18. cum communi. Ratio est: quia alioquin citra peccatum mortale posset quotidie recitari Officium Paschale; quod est contra communem Doctorum, & Decretum Alexandri VII. qui anno 1666. inter alias propositiones etiam sequentem, ordine 34. damnavit: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto*. Accedit alia ratio: quia hoc modo omittitur magna & notabilis pars Officii diei, & quidem contra ordinationem Ecclesiæ sine justa causa; ergo est peccatum mortale.

61. Dicitur, *qui data opera, & sine justa causa, recitat aliud Officium notabiliter brevius, peccat mortaliter*. Nam secus dicendum est, si quis aliud Officium recitet æquivalens Officio occurrenti, vel si ex inadvertentia, aut ob aliam rationabilem causam recitet etiam aliqualiter minus. Ratio est; quia talis partim satisfacit substantiæ præcepti recitando septem Horas Canonicas; partim non censetur Ecclesiam notabiliter defraudare, aut saltem non advertenter ac deliberate; ergo. Hinc

62. Infertur I. Si quis Officium vel ex toto, vel ex parte, per errorem aut inconsiderantiam mutavit, recitando aliud, eum non teneri ad repetitionem Horarum jam lectarum; etsi eas repetere ad servandam debitam qualitatem Officii Divini, utique sit laudabilius. Ratio est: quia is præcepto Ecclesiæ jam satisfecit: neque Ecclesia præsumitur velle ad duo Officia astringere, cum præsertim, qui sine culpa est.

63. Infertur II. cum Herincx *loc. cit. num.* 19. Lugone, Tamburino, aliisque, quos refert, & sequitur Gobat *tract.* 5. *Theol. Experim. num.* 642. quando incepisti per inadvertentiam recitare Officium non præscriptum, & recitato jam Matutino primum advertis errorem, si nolis ab initio repetere, posse te pergere corrigendo ex tunc errorem, ac recitando Officium præscriptum illius diei quoad reliquas Horas: quidquid contradicat Caramuel *in Theolog. Regul. disp.* 110. tibi asserit, te fore obligatum ad pergendum in tuo errore, ne alioquin confles tale Officium, quale non reperitur in toto Breviario.

64. Quæres, si quis hodie legisset Officium crastinum, aut Lectiones Scripturæ diei crastinæ assignatas, ex inadvertentia, quid erit crastina die recitandum? Resp. cum Lugone *lib.* 5. *Respons. Moral. dub.* 8. Herincx *loc. cit. n.* 20. Sannig. 9. 3. *nn.* 5. & aliis, recitandum rursus esse officium crastinum. Ratio est: quia pro tali die est præceptum obligans de pertolvendo isto officio, cui fieri, cum tempus præcepti necdum curreret, non fuit satisfactum. Fateor, quod Gobat *loc. cit. num.* 640. nonnullos Doctores, ac rationes, in oppositum adducat; verum & ipse potius huic sententiæ insistendum existimat.

65. Quod si quis per errorem, vel oblivionem, omisit hodie recitare de Festo novem Lectionum Sancti occurrentis, illud vel eo anno penitus ipsi erit omittendum, ut probabilius censet Gobat *loc. cit. nu.* 638. vel poterit prima die non impedita recitari, ut alii existimant.

QUÆSTIO VI.

De Loco & Tempore, quibus persolvendæ sunt Horæ Canonicæ.

SUMMARIUM.

66 *Ratio Ordinis.*
67 *Extra Chorum, ubi possit recitari Officium Divinum?*
68 *Canonici tenentur recitare Officium in Choro.*
69 *Nisi adsit necessitas, consuetudo, vel institutio specialis.*
70 *Quæ tempore recitanda Hora in & extra Chorum?*
71 *Matutinum & Laudes possunt pridie vesperi recitari.*
Sed circa horam variant Doctores.
72 *Hora Minoris, ac Vesperæ quo tempore recitandæ?*
73 *Quid de Vesperis in Quadragesima?*
74 *An satisfaciat incipiens Officium ante mediam noctem diei sequentis?*
Nequit unica recitatione pro duobus diebus satisfieri.
75 *An sit peccatum mortale, celebrare Missam ante dictum Matutinum.*

66. EXplicatis prioribus quinque conditionibus, ad studiosam & devotam recitationem Officii Divini requisitis, nempe Attentione, Integritate, Continuatione, Ordine, & qualitate, pergendum ad alias duas, nimirum ad Locum & Tempus, quo illud recitari possit, ac debeat. Hinc sit

67. CONCL. I. Quantum attinet ad Locum, illi, qui ad Chorum deputati non sunt, possunt ubique Officium Divinum recitare, dummodo non recitent in loco indecenti, aut ubi attentio impediri possit. Ita communis; & ratio est clara: quia nullum Jus reperitur, quo quis Choro non obligatus, teneatur Divinum Officium in certo loco recitare. Unde satisfacit præcepto, sive Officium recitetur stando, sive sedendo, sive ambulando, sive domi, sive in vinea, &c. Dummodo recitetur studiose pariter ac devote (modo hactenus explicato) simulque non in loco indecenti; hoc enim esset contra debitam reverentiam.

68. CONCL. II. Canonici tenentur recitare Divinum Officium in sua Ecclesia, juxta institutionem Beneficii; nisi alio cogat necessitas, aut permittat longæva consuetudo, vel Fundatoris institutio. Ita communis. Ratio est: quia Canonici tenentur satisfacere intentioni Fundatorum; similque *in Cl. 1. de Celebr. Miss.* injungitur Canonicis omnes canendi Horas Canonicas in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis. Accedit, quod *Beneficium detur propter officium*, atque ut inserviatur Ecclesiæ, *cap. ult. de Rescript. in 6.*

69. Additur notanter, *nisi alio cogat necessitas, aut permittat consuetudo &c.* Nam in primis necessitas non habet legem: unde *c. 4. de Reg. juris* dicitur: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum*: ut si quis sit infirmus, aut justa de causa absens. Insuper consuetudo cujuslibet Ecclesiæ, atque Fundatoris institutio, circa hoc bene sunt attendendæ; ac juxta eas major vel minor obligatio Canonicorum assistendi Choro colligenda. Quomodo autem Religiosi sint Choro adstricti, dictum est supra n. 21.

70. CONCL. III. Loquendo tandem de tempore, in publico officio chori servanda est consuetudo recepta cujuslibet Ecclesiæ: in privata vero recitatione Horarum Canonicarum, etsi laudatissimum sit singulas Horas suis temporibus orare, nihilominus ad vitandum peccatum mortale sufficit, ut recitentur eo intervallo, quod est inter medium noctis præcedentis & sequentis. Ita omnes Doctores. Unde qui intra hoc tempus recitat, satisfacit substantiæ præcepti, nec peccat mortaliter, etiamsi omnes Horas absolvat mane post mediam noctem, aut primum Vesperi ante aliam mediam noctem; quamvis sit peccatum veniale, si id fiat absque causa rationabili, aut alias Horæ ultra debitum tempus sine causa differantur.

71. CONCL. IV. Nihilominus ex recepta Ecclesiæ consuetudine licitum est recitare Matutinum, & Laudes sequentis diei, pridie ad vesperam, nempe post tempus Vesperarum & Completorii circa horam quartam promeridianam. Ita communis: nam consuetudo derogat rigori Juris positivi, *cap. ult. de Consuetud.* estque optima legum interpres. Imo Gobat *tract.* 1. *Theol. Experim.*

rim. n. 670. allegat plures Doctores, qui docent, quod is non peccet mortaliter, qui incipit statim hora secunda post meridiem. Et licet citatus Author id solum admittat justa causa urgente, ut si v.g. forent excipiendæ Confessiones ab hora tertia usque ad cœnam; alii vero, ac præsertim Escobar *tract. 6. Exam. 6. num. 60.* talem damnent peccati mortalis: idem tamen Escobar culpæ venialis duntaxat reum censet inchoantem citra justum causam media tertia; nullius qui tertia.

72. Cæterum Horæ Minores non possunt dici pridie, sed solum post mediam noctem dici occurrentis: possunt tamen omnes usque ad Vesperas exclusive ob causam honestam vel utilem, v.g. ob majorem devotionem, majorem commoditatem studendi, ob iter inchoandum, vel alias hujusmodi causas, recitari mane. Ut autem Vesperæ possint mane dici extra tempus Quadragesimæ, requiritur paulo major causa, ut tenet cit. Gobat *n. 682.* afferens, eum peccaturum venialiter, qui ante meridiem recitat Vesperas, & Completorium absque rationabili causa.

73. Porro Rubrica illa Breviarii, quæ in Quadragesima vult Vesperas dici ante prandium, solum Chorum obligat; uti notat Tobias Lohner *Instruct. 2. part. 4. §. 10. quæst. 3.* post Gobat *loc. cit. n. 688.* dicentem, fas quidem esse in Quadragesima, Vesperas dicere ante prandium private, at non esse necesse.

74. Quæres, an præceptum recitandi adimpleat is, qui incipit hodiernum Officium recitare paulo ante mediam noctem diei sequentis, ut puta media duodecima, si idipsum absque interruptione prosequatur post mediam noctem? Affirmat Leander *Quæst. Moral. part. 1. & in ora. 6. tract. 8. disp. quæst. 109.* Ratio esse potest: quia præceptum celebrandi Missam inter auroram & meridiem, servatur incipiendo Missam paulo ante meridiem, etsi pars ejus absolvatur primum post meridiem, uti tenent Doctores passim; ergo a pari idem dicendum in proposito. Cæterum Gobat *loc. cit. n. 686.* hanc Leandri sententiam ex profesto rejicit, utpote repugnantem communi judicio & praxi omnium Superiorum, Confessariorum, & aliorum Doctorum. Illud certum est, quod quis noctu recitans totum Officium, non possit pro duobus diebus satisfacere: nam Alexander VII. sequentem propositionem, ordine 35. jure damnavit: *Unicus officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti, & crastino.* Hinc tenendum oppositum.

75. Quæres ulterior, an sit peccatum mortale, celebrare Missam ante recitatum Matutinum? Respond. negative, cum Lessio *l. 2. de just. & jure. c. 37. num 81.* quidquid pro, & contra disputent Doctores apud Barbosam *par. 2. de Off. & Pot. Episc. alleg. 24. n. 15.* ubi viginti Authores citat, dicentes, esse peccatum mortale, sine rationabili causa celebrare Missam nondum dicto matutino; & triginta octo alios, qui negant, id esse peccatum mortale. Ratio horum est: quia nihil in Jure de hoc præceptum reperitur, neque consuetudo contraria sub tam gravi obligatione est recepta. Nec obstant Rubricæ Missalis, *Tit. De præparat. Sacerd. celebraturi*, ubi dicunt Missam esse celebrandam *saltem Matutino cum laudibus absolute.* Nam cum nullum verbum præcepti contineant, tam gravem obligationem non censentur inducere. Imo Gobat *loc. cit. nn. 667.* etsi velit, non esse absque causa rationabili practicandam mitiorem sententiam, eo quod recitatio Matutini sit optima præparatio ad Sacrum, ne venialem quidem culpam per se loquendo hic intervenire censet.

QUÆSTIO VII.

De causis excusantibus a recitatione Horarum Canonicarum.

SUMMARIUM.

76 *Oblivio inculpata excusat a recitatione Horarum.*
Quid in dubio de recitatione?
77 *Gravis infirmitas etiam excusat.*
Quid in dubio?
78 *Aut si infirmitas est levior?*
79 *An providens impedimentum futurum, teneatur prævenire recitande Horas?*
80 *An morbi causa impediens, teneatur audire alium recitantem?*
81 *Occupatio gravis etiam excusare potest; qua?*
82 *Impotentia quoque excusat.*
(c) Tr. 1. Dist. 1. n. 20. & seq.
83 *An qui non potest recitare totum Officium, teneatur recitare partem, quam potest?*
84 *An qui solus recitare nequit, teneatur adhibere socium?*

85 *La-*

85 *Legitima dispensatio etiam excusat a recitatione Horarum.*
(d) Conformiter dictis n. 7. & seq.
86 *Item & metus gravis.*
(e) Tr. 2. Dist. 2. n. 25. & seq.
87 *An qui non potest per seipsum, teneatur recitare per alium?*
88 *An quis Officium omissum teneatur recompensare alio die?*
89 *Et an Beneficiarius supplens alio die, liberetur ab onere restituendi fructus?*
90 *Quid, si ille Beneficiarius sit pauper?*
91 *An Beneficiarius ex justa causa non recitans, teneatur restituere fructus?*

76. CONCL. I. Prima causa excusans ab Officio Divino, est naturalis, seu inculpata oblivio recitandi unam, vel plures Horas: unde qui ex oblivione inculpabili eas omittit, non peccat. Ita certa, & communis. Notat tamen Henricx *disp. 2. de Horis Canon. n. 46.* quod, si quis advertat, id sibi frequenter contingere, dum statis temporibus non persolvit, omni culpa non vacet: tenebitur enim postmodum meliorem circa hoc attentionem habere. Si vero dubitet, an recitaverit, stat possessio pro præcepto. Secus est, si certus de recitatione Horæ, dubitet de Psalmo aliquo in Hora, certo recitata incluso: tunc enim præsumitur Psalmum illum cum reliqua materia cohærenter esse recitatum, quamquam ob naturalem inadvertentiam, uti sæpe fit, memoriam subterfugiat.

77. CONCL. II. Altera causa excusans ab Officio Canonico, est gravis infirmitas; id est, talis, ut sine magna difficultate, vel corporis periculo, Horariæ preces recitari non posse videantur. Ita rursum communis, & desumitur ex *c. Gloriosi victimis dist. 91.* In dubio tamen aut Confessarius erit consulendus, vel prudentis & probi Medici judicio acquiescendum; tametsi enim Medicus (sicut & Confessarius) in lege recitandi Horas Canonicas vel etiam jejunii, dispensare nequeat; potest tamen infirmum dubio liberare, atque secundum præsentes circumstantias declarare, justam excusationis causam ipsum hic & nunc habere.

78. Dicitur notanter in conclusione; *gravis infirmitas*, &c. Siquidem communiter notant Doctores, nonnullas esse corporis ægritudines, quæ Clericos ab eo onere non liberant: vel quia sunt leviores, quales sere sunt capitis, pectoris, aut stomachi dolores, ut exemplificat Azorius *cit. lib. 10. cap. 13.* vel quia ad tempus tantum justam excusationem afferunt, qualis solet esse febris quartana, aut tertiana levis non multum vexans, quæ proin communiter non excusat ægrotum a recitando Officio, quia plerumque tempus a morbo liberum relinquit, quod ad orandum eligi possit, saltem anteponendo vel postponendo, ut notant Abbas, Innocentius, Layman.

79. Et quamvis nonnulli apud Gobat *tract. 5. Theol. Experim. n. 711.* negare videantur, quod teneatur quis prævenire tempus, si sciat, postmodum se impediendum ex impedimento involuntario (secus juxta omnes, si quis sponte poneret tale impedimentum) quia v.g. parochus se brevis impediet tempus Vesperarum: nihilominus timorati quique non facile intermittent Officium Divinum, si poterunt prævenire, Quinimo juxta communiorem, & probabiliorem sententiam, ad hoc tenentur; cum obligatio recitandi Divinum Officium sit annexa substantialiter toti diei, & accidentaliter solum determinatis horis ipsius.

80. Quæres, an qui morbi causa Divinum Officium persolvere nequit, teneatur saltem alium audire illud recitantem? Affirmant nonnulli, ejusmodi ægrotum debere alium recitantem audire, quoties commode possit audire, & non recitare. Constans tamen est aliorum opinio, ægrotum ea lege minime teneri, neque enim ullus exstat Canon, quo id præcipitur; neque ratio, quæ id convincit. Azorius *loco cit. quæst. 3* Navarrus, & alii.

81. CONCL. III. Insuper gravis & repentina occupatio, quæ sine scandalo, aut notabili detrimento proprio, vel alieno omitti aut differri nequit, cum ea autem Officii Divini recitatio moraliter loquendo consistere nequit, excusat a recitatione Horarum Canonicarum. Ita Layman, Navarrus, aliique passim. Exempla sunt: si populi tumultus subito exortus sedandus sit: si in Sacra v.g. Hebdomada non solum Confessiones magno pœnitentium concursu Sacerdoti excipiendæ sint, sed etiam Concliones ad populum eidem habendæ, &c. Quando tamen tali casu preces Horariæ intra eundem diem naturalem sine magna difficultate anteponi, vel postponi possunt, id fieri debebit: prout notant ibidem Auctores.

82. CON-

82. CONCL. IV. Impotentia quoque, qualis est in cæco, aut in eo, qui Breviarium in itinere amisit, neque aliud acquirere potest, excusat ab obligatione sæpe dictæ recitationis. Ratio est: quia *nemo potest ad impossibile obligari*; *c. 6. de Reg. Juris in 6.* Vomitu nihilominus est, eum, qui sponte Breviarium v. g. in mare projicit, unde pluribus diebus Horas recitare non possit, peccaturum mortaliter per talem Breviarii projectionem. Ratio est clara: quia per ejus abjectionem voluntariam (si non urgeat aliqua necessitas illud abjiendi) per se & proxime impedimentum voluntarie apponit, quo minus possit sequentibus diebus divinum officium persolvere, cujus proinde omissio eidem in causa censetur fuisse voluntaria, ut alibi (c) dictum.

83. Quæres autem occasione hujus, & præcedentis Conclusionis, an infirmus, vel alias legitime impeditus, qui non potest totum officium recitare, teneatur saltem partem recitare, quam potest? Negarunt olim non pauci Doctores; eorum tamen sententia amplius sustineri nequit, cum Innocentius XI. sequentem inter alias Propositionem ordine 54. damnaverit: *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad seminorem.* Hæc igitur relicta propositione respondetur, affirmativam sententiam esse tenendam: unde si indubitatum sit, te integram aliquam Horam, puta Tertiam vel Vesperas, commode recitare posse, licet alias horas non possis, teneris illam recitare. Ita Layman *loc. cit. n.* 2. Suarez *l.* 4. *de Horis cap.* 28. Mastrius *disp.* 14. *Theol. Moral. n.* 59. fuitque hæc sententia ante Decretum Innocentii XI. jam inter Doctores communior & probabilior, eo quod quilibet Hora per se sit Canonica oratio, a reliquis Officii partibus distincta.

84. An autem, qui Horas Canonicas ob supervenientem cæcitatem, aut aliud impedimentum, recitare solus non potest, sed cum socio, teneatur eum sibi adsciscere, variant Doctores. Et quidem nonnulli affirmant, negant vero Lessius, Henriquez, & alii, quos allegat Bonacina *disp. 1. q. 6. punct. 2. n. 8.* Cæteri respondent sub distinctione, & affirmant, illum duntaxat teneri adhibere socium, qui vel antea consuevérat adhibere, vel potest ipsum commode habere: alias vero non teneri, etiamsi consulendum ei sit, ut sibi ad tam pium opus socium, quoad potest, procuret.

85. CONCL. V. Præter causas hactenus enumeratas, & magis frequentes, insuper excusat legitima dispensatio. Ita Doctores passim. Et in primis dispensationem Summi Pontificis, etiam sine causa concessam, excusare a recitatione Divini Officii, concedunt omnes illi, quicunque (d) Horas Canonicas Jure duntaxat humano Ecclesiastico præceptas esse asserunt. Negant autem Abbas *cap. 1. de Celebrat. Miss.* & alii, qui volunt jure divino teneri Clericos ad septem Horas Canonicas; quamvis (subjungit Abbas) quia ista determinatio, seu distinctio Officii divini, est de jure positivo, licite Papa dispensare valeat circa ejus mutationem. An autem, & quomodo etiam Episcopus, vel Superior Regularis, possit cum suis subditis ex causa gravi & justa dispensare circa recitationem Officii Divini, fusius explicant Doctores.

86. CONCL. VI. Tandem a recitatione Horarum Canonicarum potest excusare metus gravis: sicut accidit in casu, quando Clericus transiturus est per latrones, vel loca Hæreticorum, aut infidelium, cum periculo gravi, ita ut si deprehenderetur, in certum ac evidens vitæ periculum aut alia gravia incommoda deveniret. Ita communis; & ratio clara est: quia cum tanto periculo leges Ecclesiasticæ non obligant, prout alibi (e) dictum.

87. Pro complemento hujus materiæ, Quæres I. An qui per se ipsum non potest ex justa causa recitare Horas, teneatur eas recitare per alium? Resp. cum Doctoribus communiter, negative: quia ex nullo jure constat talis obligatio recitandi per alium, si quis per se ipsum non potest. Accedit, quod obligatio recitandi Divinum Officium sit personalis, cui proinde per alium satisfieri nequit. Hinc Alexander VII. sequentem inter alias damnavit Propositionem, ordine 21. *Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.*

88. Quæres II. Num talis teneatur Officium omissum alio die recompensare? Respondetur negative. Ratio est: quia onus persolvendi Officium est affixum diei; obligatio autem affixa diei transit cum ipso die, nec potest eidem altero die satisfieri: prout in simili sine justa causa negligens audire Missam die Festo, non satisfacit præcepto Ecclesiæ, si Missam audiat sequenti die feriali.

89. Sunt

89. Sunt quidem aliqui Doctores, nempe Filliucius *tract. 23. cap. 10. nu. 307.* Major, Paludanus, Ledesma, Molinæus, aliique, quos refert Bonacina *quæst. 5. punct. 2. nu. 5.* asserentes, Beneficiarium, qui alio die supplet defectum, omissione Divini Officii commissum, liberari ab onere restitutionis: quorum ratio est; quia talis expendit æquale recitando alio die, sicque facit restitutionem in spiritualibus. Opposita tamen sententia, quam tenet Carmmel *resol. 24.* & communior aliorum, quamque probabiliorem censet Bonacina ibidem, negat, talem liberari ab onere restitutionis fructuum pro rata omissionis Breviarii. Ratio est: quia obstat præceptum Concilii Lateranensis sub Leone X. & Constitutio S. Pii V. injungentis restitutionem fructuum pro rata omissionis Officii, utpote *quos non fecit suos*, ut loquitur Pontifex in Constitutione *n.* 31. allegata; ergo tenetur hosce restituere, tanquam non suos.

90. Illud tamen recte admonet Navarrus *cap. 7. de Hor. Canon. n. 34.* ac sequitur Layman *l. 4. tract. 4. cap. 5. num. 1.* cum aliis: si ipsemet Beneficiarius pauper sit, fructus restituendos pro rata omissionis Divini Officii, eidem per modum eleemosynæ applicari posse. Tamen consultum erit in hoc casu, si Confessarius aliam similem satisfactionem imperet, puta ut oret, vel sacrificet pro defuncto Fundatore; aut, si malit, Officium neglectum suppleat: & sic fructus pro rata neglecti Officii eidem per modum eleemosynæ applicari sinantur.

91. Quæres ultimo, an Beneficiarius, qui ex justa causa omittit recitare Horas Canonicas, teneatur restituere fructus Beneficii pro rata omissionis. Resp. negative: idque constat ex citata Constitutione S. Pii V. qua Beneficiarii non recitantes Horas post primos sex menses *cessante legitimo impedimento* obligantur ad restitutionem fructuum; ergo, qui ob legitimum impedimentum non recitant, hoc ipso nihil tenentur restituere: nam *exceptio firmat regulam in oppositum*, juxta vulgatum Canonistarum dictum, atque desumitur ex *lege Quæsitum. §. denique. ff. De fundo instructo*, juncta Glossa *verf. Non potest non videri.*

DISTINCTIO II.

De Juramento.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Juramentum?

SUMMARIUM.

1 *Juramentum debite factum est bonum. Et quomodo?*
2 *Juramentum, quid?*
3 *Ejus divisiones.*
4 *Juramentum assertorium, & promissivum.*
5 *Juramentum simplex, & solemne.*
6 *Juramentum per simplicem Dei contestationem, & per execrationem.*
7 *Juramentum an sit,* Per fidem meam &c.
8 *Quid pro Foro externo?*
9 *Alia jurandi formula examinantur.*
10 *In illis intentio loquentis spectanda.*
11 *An hoc supra meum juramentum sit juramentum?*

1. NOmine *Juramenti* in proposito intelligitur actus Religionis, quo quis Deum in testem adhibet ad confirmationem eorum, quæ affirmat, vel promittit; eaque ratione profitetur, Divinam veritatem esse indefectibilem. Neque enim Juramentum debite factum ex se est malum, sed potius actus Religionis; unde *Deut. 6.* dicitur: *Dominum Deum tuum timebis, ac per nomen illius jurabis.* Sed hoc intelligendum est de Juramento debite facto, sive quando juratur in veritate, judicio, atque justitia, prout requiritur *Jerem. cap. 4. & quæst. seq.* amplius dicetur. Quia Juramentum non est de genere eorum bonorum, quæ per se bona sunt, & frequentanda, ut est Oratio, Eleemosyna, & hujusmodi; sed quæ bona sunt duntaxat suppositæ necessitate, seu causa rationabili. Et de tali loquendo, sit

2. CONCL. I. *Juramentum* recte definitur, dicendo: Juramentum est invocatio Divini Nominis in testimonium alicujus rei.

rei. Ita D. Augustinus, *de Ser. Dom. in monte, cap.* 17. & alii. Ratio est: quia finis immediatus usus Juramenti est confirmatio rei dubiæ, seu controversæ; juxta illud *Hebr. cap.* 6. *Omnes controversiæ finis ad confirmationem est juramentum*: quo videlicet aliquid affirmamus, vel promittimus sub obtestatione Divini Numinis, ejusque testimonii invocatione.

3. CONCL. II. Inter varias Juramenti divisiones præcipua est illa, qua Juramentum dividitur in assertorium, & promissorium. Ita Scotus 3. *dist.* 39. *quæst. unic.* & alii communiter. Ratio est: quia aut Juramentum fit ad fidem veritatis narratæ adstruendam illi, qui audit; aut fit ad promissionem firmandam, qua alteri vel sponte, vel ex ejus impulsu quidpiam promittimus: Atqui prius Juramentum est assertorium, posterius promissorium, ergo. Itaque

4. *Juramentum assertorium* est, quo simpliciter sine alia promissione aliquid affirmamus, vel negamus. *Juramentum promissorium* dicitur, quod ad confirmationem promissionis, pollicitationis, aut alterius contractus, seu pacti corroborationem adjicitur. Et ad hoc Juramentum promissorium (ut notat Engel *tit. de Jurejurando num.* 6.) duplex requiritur veritas: una intentionis, seu veritas dicti, qua juranis verum existimat esse id, de quo jurat: Et altera executionis, seu veritas facti, qua quis in animo habet servare illud, quod promittit, suoque tempore servat.

5. CONCL. III. Juramentum tum assertorium, tum promissorium ulterius dividitur in simplex, & solemne. *Simplex* dicitur omne illud, quod solemne non est. *Solemne Juramentum* est, quod per certam verborum formulam, vel corporalem alicujus rei v.g. Sancti Evangelii attactum, perficitur coram Superiore, ut majorem auctoritatem æstimationemque habeat: quale potissimum solet fieri in Judiciis, in professione Fidei, fidelitatis, in homagiis, & hujusmodi.

6. Rursus Juramentum aliud est per simplicem Dei contestationem, aliud vero per execrationem (quod & *Juramentum execratorium* appellatur) & fit, cum jurans sibi ipsi, vel alteri sibi charo, malí quidpiam a Deo falsitatis vindice imprecatur, nisi verum sit, quod asserit, aut promittit. Porro *Juramentum per simplicem contestationem Dei* censetur omne id, quod fit absque tali execratione. Sed occasione præmissorum

7. Quæres I. An Juramentum censeri debeat, si quis per fidem suam, aut honorem Sacerdotalem, vel Nobilitatis suæ, aliquid affirmet, vel promittat? Resp. cum Engel *tit. de Jure jur. n.* 3. Lessio *lib.* 2. *de just. & jur. c.* 42. *n.* 4. & aliis, hujusmodi interpositionem fidei tactam hac formula, *per fidem meam, fide boni Sacerdotis*, & hujusmodi non contenere Juramentum proprie dictum. Ratio est: quia per illa verba Deus non vocatur in testimonium, sed proferens tantum indicat, se omnino deliberatum, ac memorem fidei, conscientiæ, & status sui loqui. Quod si tamen aliquis per Fidem Christianam seu Catholicam, aut per S. Evangelium rem promitteret, sive confirmaret, pro Juramento haberi deberet: quia censeretur Authorem Fidei in testem statuere.

8. Notant tamen Doctores, hujusmodi interpositionem fidei, quam faciunt Ecclesiastici sub honore Sacerdotali aut Religionis, item Personæ Illustres sub honore suæ Dignitatis, Nobilitatis, &c. in Foro externo Juramenti loco acceptari, maxime in causis minoribus, in quibus non decet Ecclesiasticos jurare. Quinimo Reges, & Principes non facile aliorum more jurare solent, sed loco Juramenti, in fide, seu per fidem Principis promittere. Layman *lib.* 4. *tr.* 3. *cap.* 2. *num.* 3.

9. Quæres II. Quid sentiendum de aliis quibusdam jurandi formulis? Resp. In primis certum est, hanc esse veram eamque expressam Juramenti formam: *Juro per Deum: Per Deum ita est: Deum testem invoco: Deus mihi testis esto*. Quia hujusmodi formulæ expressam invocationem Divini testimonii in se continent: unde si adsit animus seu intentio jurandi, certum est, habere actionem juramenti.

10. Quod si quis per simplicem assertionem hujusmodi verba proferat: *coram Deo hæc dico: Deus scit, me verum dicere: Deus videt, ita esse, &c.* non erit juramentum: quia juramentum debet in se continere non meram assertionem, sed etiam invocationem Divini testimonii, saltem virtualem. Verum in his, & aliis hujusmodi jurandi formulis, spectanda est vel maxime intentio loquentis: qua de causa hujusmodi dicta quandoque ut juramenta usurpantur; ut videre est apud S. Paulum 1. *ad Timoth.* 5. *Testificor coram Deo. Ad Galat.* 1. *Coram Deo, quia*

quia non mentior. Ad Rom. 2. *Testis mihi est Deus*: quibus verbis Apostolus juraße existimatur. E contra multi jurant ex ira, qui non intendunt proprie jurare, sed potius imprecari malum, vel patefacere iram, ut observat Lessius *cap.* 42. *num.* 7. Unde & huc applicandum illud jam citatum dictum D. Thomæ 2. 2. *q.* 73. *art.* 2. *Peccata verborum maxime sunt ex intentione dicentis dijudicanda.*

11. Quæres III. Utrum isthæc formula, *Volo dictum meum esse juramentum* (vulgo, *fide supra meum Juramentum*) veram Juramenti rationem habeat? Resp. I. In foro externo, seu judiciali, talia verba prolata ad petitionem Judicis exigentis, ut quis juratus annuat, censentur juramentum. Layman *l. c. n.* 2. post Sanchez *l.* 3. *in Decalog. c.* 2. *n.* 4. Resp. II. Verba illa, *supra meum Juramentum*, vulgari sermone plerumque Juramentum continent, si deliberate proferuntur. Ratio est: quia ad jurandum satis est, velle verba usurpare in sensu a jurantibus communiter usurpato: atqui hæc formula, juxta consuetudinem Germanorum, pro juramento usurpari solet: ergo tale præsumendum est, nisi de alia usurpantis intentione constet.

QUÆSTIO II.

De conditionibus ad Juramentum requisitis.

SUMMARIUM.

12 *Tres juramenti comites, Veritas, Judicium, & Justitia.*
13 *Quale peccatum, si desit judicium in Juramento?*
14 *Consuetudo incaute jurandi, quale peccatum?*
15 *Quid de consuetudine jurandi sine justa causa?*
16 *Justitia, quomodo requiratur ad Juramentum?*
17 *Juramentum promissorium sine animo exequendi, est perjurium.*
18 *Si fiat circa rem malam, quale peccatum?*
19 *Juramentum de re illicita non obligat.*
20 *Item, si fiat Juramentum de faciendo opere indifferenti.*
21 *Corollaria.*
22 *Alia notabilia Corollaria.*
23 *In omni Juramento, & voto, quatuor conditiones subintelliguntur; quæ?*
24 *Conditiones, quæ tacite seu de Jure insunt, non faciunt aliam conditionatum.*
25 *Juramentum promissorium de re bona obligat.*
26 *Quid si fiat de opere minus bono?*
27 *Veritas etiam requiritur in juramento.*
28 *Perjurium, quid?*
Est Peccatum mortale.
29 *In perjurio non datur parvitas materiæ.*
30 *Potest fieri veniale ex defectu voluntarii, ac deliberationis.*
Peccata verborum maxime sunt ex intentione dicentis dijudicanda.

12. CONCL. I. Certum est, atque ab omnibus concessum, ut Juramentum sit licitum, & opus bonum, actusque virtutis Religionis, tres requiri conditiones, tanquam comites ejus, nempe Veritatem, Judicium, & Justitiam; juxta illud *Jerem.* 4. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, judicio, & justitia*. Veritas in eo consistit, ut veracissimi Numinis testimonium non adducatur in testimonium falsi, seu mendacii. Justitia consistit in eo, ut æquissimi Numinis testimonium non adducatur in confirmationem dicti, aut rei iniquæ, & peccato obnoxiæ. Judicium, seu judicii discretio in eo, ut cum prudenti intellectus consideratione, ac pia & reverenti voluntatis affectione, non sine necessitate, aut magna utilitate juretur.

13. CONCL. II. Quantum attinet ad ultimam Juramenti conditionem, quæ est *judicium*, conveniunt Doctores, si desit duntaxat judicium (id est, si sine justa causa, & imprudenter juretur, quod verum est) ordinarie non esse, nisi peccatum veniale. Ratio est: quia tunc non latet gravis irreverentia: cum Deus adhuc adducatur in testimonium rei veræ, licet sine justa causa, & sic imprudenter. Verum occasione hujus

14. Quæres, quale peccatum sit consuetudo incaute jurandi? Resp. I. Consuetudo jurandi indiscriminatim verum & falsum, etiam cum advertentia, quamdiu voluntaria est, constituit hominem in statu peccati mortalis. Ita Herincx *part.* 3. *disp.* 6. *q.* 2. *num.* 15. & alii. Ratio est: quia ex vi illius consuetudinis, est homo in maximo periculo perjurii committendi; juxta quod *Ecclesiastici c.* 23. dicitur: *vir multum jurans implebitur iniquitate*. Additur tamen, *quamdiu voluntaria est*: quia si homini dicta consuetudo efficaciter displiceat, vi illius displicentiæ,

& pro-

& propositi eam deponendi, interrumpitur consuetudo.

15. Resp. II. Si consuetudo sit tantum jurandi sine justa causa, & imprudenter, ea quidem non constituit hominem in statu damnationis, est tamen omnino dissuadenda. Ratio est. Tum quia sine justa causa jurare, ad minus est peccatum veniale. Tum quia Juramentum a Christo citra necessitatem prorsus reprehenditur, *Matth. 5. Ego autem dico vobis, non jurare omnino &c. Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, a malo est.* Intellige, si non subsit justa causa, seu necessitas jurandi. Unde *Ecclesiastici* 23. dicitur: *Juratiani non assuescat os tuum, multi enim casus in illa*, cum concordantiis.

16. CONCL. III. Quantum attinet ad alteram Juramenti conditionem, quæ est *Justitia* (id est, ut res, de qua juratur, sit res honesta, justa, nulloque peccato obnoxia) multip'ici opus est distinctione. Et quidem imprimis distinguendum inter Juramentum assertorium, & promissorium; atque loquendo de Juramento assertorio, facto circa rem injustam, vel peccatum alterius, illud regulariter est peccatum duntaxat veniale, si veritas subsit. Herincx *loc. cit. n.* 13. & communis. Dicitur, *regulariter*; quia videtur mortale, si Juramentum assumatur ut instrumentum peccati, puta, si per Juramentum confirmetur gravis detractio infamatoria Proximi: contra vero, si quis in Judicio legitime interrogatus, sub Juramento testificetur de peccato Rei, nullum erit peccatum. Quod si vero Juramentum sit promissorium, ad dijudicandam ejus malitiam, vel etiam obligationem, multipliciter rursus erit distinguendum, præsertim an opus illud, super quod cadit Juramentum promissorium, sit bonum, indifferens, vel malum; atque, an adfuerit ex parte jurantis sufficiens deliberatio, simulque animus id exequendi, nec ne. Hinc sit

17. CONCL. IV. Quandocunque Juramentum promissorium deliberate fit, sive super re bona, sive mala, aut indifferenti, sine animo exequendi, committitur perjurium. Ita communis. Quia Deus deliberate (secus, si id fiat ex inadvertentia) adducitur in testimonium rei falsæ; in quo formaliter consistit malitia perjurii.

18. CONCL. V. Si Juramentum promissorium deliberate fiat circa rem malam animo illud exequendi; jam ratione illius affectus interni pravi erit peccatum mortale, vel veniale, pro pravitate operis exequendi; simulque Juramentum, quatenus est testificatio Dei super re illicita facienda, habebit distinctam malitiam, pro gravitate operis exequendi, nisi forte inadvertentia excuset. Ita Lessius *cit. c.* 42. *num.* 18. & alii.

19. CONCL. VI. Juramentum de re illeita præstitum nullam parit obligationem. Ita communis, *arg. cap. Quanto, de Jurejurando*, ubi dicitur, quod *Juramentum non fuit institutum, ut esset vinculum iniquitatis*. Et Reg. 58. Juris in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum Juramentum*. Hinc jurans, quod nolit inimico ignoscere, nullum proximo auxilium facere, & hujusmodi, ex tali juramento non obligatur: quia, ut dictum, juramentum non potest esse vinculum iniquitatis.

20. CONCL. VII. Ex Juramento de faciendo opere indifferenti nulla quoque oritur obligatio; utputa si quis juret, festucam se levaturum, se barbam fricaturum &c. Ita communis. Ratio est: quia hujusmodi actiones non sunt fructuosæ, quin potius impeditivæ majoris boni. Veruntamen hoc intelligendum est, nisi alia causa, ex qua actiones cæteroquin indifferentes honestatem virtutis acquirant, adjiciatur: ut v. g. si jures, te eadem alicujus non ingressurum, cum tali meretrice non locuturum &c. causa vitandi peccati, jam ob hanc additam causam actio illa, vel potius omissio actionis, erit capax obligationis Juramenti, quamdiu periculum illud durat.

21. Ex his patet resolutio illorum casuum quotidianorum, nempe de Patre jurante, se graves pœnas repetiturum a filio: de Hera jurante, se non servaturam diutius hanc, aut illam ancillam; de Fratre, vel Condiscipulo, se apud patrem vel magistrum accusaturum esse suum fratrem, vel condiscipulum; de Mercatore, se hanc mercem non viliori pretio venditurum, vel non majori empturum; de Aulico, se non priorem sessurum, non priorem ingressurum, &c. Nam imprimis, si tales serio jurant, nec tamen habent intentionem exequendi id, de quo faciendo jurant, delinquunt mortaliter, juxta dicta *num.* 17. & amplius notat Gobat *tract.* 11. *Theol. Experim. num.* 258. quia tunc in tali Juramento deest veritas, atque Deus adducitur in testem falsitatis.

22. Nihilominus, ut idem Gobat notat,

raro hujusmodi homines peccant mortaliter non faciendo postmodum, id quod serio juraunt se facturos: ut quando Pater videt, filium alia ratione emendatum, vel maternis lamentis domum impletum iri, si cædatur filius albæ gallinæ, ac proinde minas remittat; quod etiam de cæteris dicendum. Ratio est: quia vel hujusmodi Juramenta non fiunt ex motivo Virtutis, sed ut frequenter contingere solet, ex impatientia, & propositio viadictæ, ac proinde non obligant, cum sint facta de re mala, nempe propter vindictam, aut iram suam complendam. Vel, & quidem non raro, fiunt de re indifferenti, v. g. non prius sedere, intrare, &c. Vel inutili: ut si corrigendus jam aliunde emendatus sit, neque correctione amplius indigeat. Vel non gravi; ut si pater juravit, se castigaturum puerum ita promeritum, & postea sine causa omittat; prout exemplificat Layman *cit. tract.* 3. *cap.* 14. *num.* 6. Aut certe solet frequenter intervenire una saltem ex quatuor illis conditionibus, quæ subintelliguntur in omni Juramento promissorio. Hinc sit

23. CONCL. VIII. In quolibet Juramento promissorio (imo & Voto) quatuvis absolute facto, tacitæ quædam conditiones subintelliguntur. Ita desumitur ex *cap. Quemadmodum* junctâ Glossa, *verf. Condicio de Jurejur.* & notat Abbas ibidem *nu.* 8. Piringh. *tit. De Jurejur. num.* 119. & communis. I. Conditio est, *Si potero*: quia ad impossibile nemo obligatur. II. *Salvo jure, & authoritate Superioris*: quæ conditio desumitur tum ex *c. Ad nostram* 21. *de Jurejur.* tum ex *c. Non est de Voto.* Ibi: *Non est vori dicendus transgressor, qui quod vovit, authoritate Sedis Apostolicæ dispulit adimplere.* III. conditio est: *Nisi ei, in cujus gratiam & utilitatem juratum est, obligationem remittat*, sive expresse, sive tacite: quia quilibet potest cedere juri suo, illudque remittere. Et tandem IV. est: *Dummodo res in eodem statu permanserit*; id est, notabilem mutationem non accipiat: quia notabilis mutatio quasi aliud objectum facit, ad quod verisimili præsumptione, jurantis, & promittentis intentio se non extendit.

24. Nec dicas: Juramentum sub conditione conceptum, est conditionale, ergo si in omni Juramento (imo & Voto) tacite insunt prædictæ conditiones, illud omne erit conditionale, & consequenter nullum absolutum; quod est contra communem Doctorum. Resp. enim distinguendo antecedens; Juramentum sub conditione extrinseca conceptum (ut puta, Juro me hoc facturum, si navis ex India advenerit, si Petrus erit Romam iturus, &c.) est conditionale, concedituir: Juramentum sub conditione, quæ tacite seu de jure inest, conceptum, est conditionale, negatur antecedens, & consequentia. Nam generaliter conditiones, quæ tacite seu de jure insunt, non faciunt actum conditionatum, *arg. L. 3. ff. de Legatis I. & L. Conditionis ff. de Conditionib. & demonstrat.* ibi: *Conditiones, quæ tacite insse videntur, non faciunt legata conditionalia*, cum concordantiis.

25. CONCL. IX. Juramenta promissoria, quæ cedunt tum in honorem Dei, tum ad bonum tertii, Ecclesiæ aut Communitatis, fiunteque circa materiam honestam, pariunt obligationem. Ita communis. Et merito quoad hoc traditur hæc generalis regula, ex *c. Si vero, & c. Cum contingat. de Jurejurando*, desumpta: *Omne juramentum additum in alterius utilitatem servandum est, si sine peccato, seu salutis dispendio servari potest.* Ratio est: quia talia Juramenta involvunt reverentiam Divini Numinis, simulque sunt honesta; ergo ex motivo Religionis parunt obligationem ea adimplendi. Subintellige, nisi excusetur una ex proxime dictis quatuor conditionibus, in omni Juramento promissorio tacite subintellectis.

26. CONCL. X. Juramentum conceptum de opere minus bono, & cujus oppositum est melius, non obligat, nisi fit factum in favorem tertii. Ita Doctores passim. Ratio est: quia in simili, hac ipsa de causa Votum de opere minus bono editum non obligat, aut saltem ipsius voventis, sive jurantis arbitratu, potest commutari in melius opus: puta, si vovisti Deo, te uxorem ducturum, potes absque alia dispensatione Religionem ingredi, aut in sæculo perpetuam Castitatem servare; cum hoc sit opus melius. Similiter si vovisti (idem dicendum, si jurasti) te hac hora oraturum, postea vero intelligas, gratius Deo futurum, si ægroto assistas, opemque feras: non teneris Juramento aut Voto, cum in talibus circumstantiis non sit de meliori bono, sed præcedat auxilium infirmo præstandum. Additur notanter in Conclusione, *nisi sit factum in favorem alterius*. Tunc enim obligabit Juramentum, nisi illud alter remittat: quia in promissione facta homini, aut Juramento in ejus favorem præstito spectatur, quid illi gratius sit; in promissione

vero

vero facta Deo, quid melius. Layman *l. 4. tr. 3. c. 6. n. 6.* & alii.

27. CONCL. XI. Quantum attinet ad tertiam Juramenti conditionem, quæ est *Veritas* (& consistit in eo, ut Dei Veracissimi testimonium non adducatur in confirmationem falsi, aut mendacii) certum est, eandem requiri ad Juramentum licitum; eaque deficiente committi Perjurium, quod ex genere suo est peccatum mortale.

28. Porro *Perjurium* proprie dictum, est Juramentum falsum, quo quis aliquid sub obtestatione Divini Numinis confirmat esse verum, quod tamen credit esse falsum; vel e contra, ait esse falsum, quod putat esse verum. Vel brevius; *Perjurium* est juramentum de falso in opinione jurantis. Ita Mastrius *dis. 1. Theol. Moral. n. 58.* & alii. Additur, *in opinione jurantis*: quia quamvis, quod quis jurat esse verum vel falsum, sit tale a parte rei, si tamen jurans putaret non esse tale, nihilominus pejeraret; quia deliberate Deum in testem rei, juxta suam opinionem falsæ adduceret. Infertur proinde, omne Perjurium cum deliberatione factum, esse peccatum mortale: quia revera est gravis irreverentia Deo illata, ipsum deliberate adducere in testem mendacii. Et hoc idem dicendum, si quis dubitaret de veritate rei: nam exponeret se manifesto periculo adducendi Deum in testem falsitatis, ac proinde peccaret.

29. Nec obstat, quod materia sit levis, aut exigui momenti. Adhuc enim intervenit tota Perjurii malitia, in hoc consistens, quod Dei Veracissimi testimonium in confirmationem falsitatis, & mendacii adducatur. Inferunt proinde Doctores communiter, in perjurio non dari parvitatem materiæ, quæ ipsum a mortali excusat, ob rationem prædictam: quia nimirum in quolibet Perjurio, deliberate & advertenter facto, tota hujus peccati malitia reperitur. Unde merito Innocentius XI. hanc inter alias, ordine 24. Propositionem damnavit: *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velis, aut possit damnare hominem.*

30. Additur notanter; *deliberate & advertenter facto*. Quia, ut notat Doctor noster *3. dist. 39. q. un.* est quæ communis, Perjurium sine deliberatione factum, non est peccatum mortale, cum generaliter ad omnem actum humanum, ac præsertim ad peccatum mortale, requiratur voluntarium, ac sufficiens deliberatio. Unde quamvis nunquam ratione parvitatis materiæ, adhuc tamen ratione defectus voluntarii, aut insufficientis deliberationis, quandoque homines a peccato mortali contingit excusari: dum videlicet proferunt verba, ex se quidem juramentum falsum sonantia, sed sine intentione actuali, vel virtuali, Deum in testem falsitatis adducendi: aut quia id faciunt non cum plena deliberatione; siquidem, ut notat sæpe citatus D. Thomas *2. 2. q. 73. art. 2. Peccata verborum maxime sunt ex intentione dicentis dijudicanda.*

QUÆSTIO III.

Solvuntur diversa Dubia, Juramentum concernentia.

SUMMARIUM.

31 *Violatio juramenti promissorii, quale peccatum?*
32 *Quid, si res sub juramento promissa sit levis?*
33 & 34 *An liceat juramentum exigere a juraturo falsum?*
35 *Præsertim in judicio.*
36 *Aut a juraturo per falsos Deos, vel Machometem?*
37 *Vel a juraturo bona fide contra veritatem?*
38 *An liceat jurare cum restrictione mentali?*
39 *Vel æquivoce?*
40 *Quid, si injuste quis cogatur ad jurandum?*
41 *Juramentum, quis possit irritare, dispensare, commutare, &c.*

(a) Dist. seq. Quæst. 4.

31. QUæritur I. Utrum violatio juramenti promissorii, præsertim in re prava, sit peccatum mortale? Resp. I. Si promissio Juramento firmata, sit res notabilis seu gravis, violatio ejus erit peccatum mortale. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia, ut jam dictum *n. 4.* ad Juramentum promissorium requiritur duplex veritas; una intentionis, seu veritas dicti, qua quis ab initio debet habere intentionem servandi id, quod promittit: & altera executionis, seu veritas facti, qua suo tempore servandum est id, quod sub juramenti religione quis promisit. Itaque si quis cessante justo impedimento, ac nulla subsistente conditione tacita ex quatuor illis *n. 23.* assignatis, atque in omni Juramento promissorio tacite subintellectis, non impleat id, quod se facturum sub Juramento promisit, jurans, quantum in se est, facit, ut Deus falsum testatus sit.

32. Resp. II. Num autem idem dicendum sit, si materia sub Juramento promissa sit levis, ac parvi momenti, variant Doctores. Et quidem affirmativam ob reverentiam Divini Numinis observare, procul dubio laudabilissimum est, atque omnimodis consulendum. Negativam tamen sententiam, id est, peccatum mortale tunc non committi, tenent Reginaldus *lib. 18. nn. 97.* Suarez, Sanchez, Sotus, plurisque alii. Ratio desumitur ex dictis *nn. 23.* ubi diximus, plures conditiones dari, quæ excusant jurantem ab obligatione implendi Juramentum promissorium, quarum una est: *Si is, in cujus gratiam juratur, id remittat.* Atqui nullus censetur facile, & rationabiliter, velle obligare sub gravi culpa ad præstandam materiam levem, quam quis promisit sibi sub juramento: ergo non erit peccatum mortale, materiam levem sub juramento promissam non adimplere: idque tum ob tacitam remissionem alterius, in cujus favorem juratur; tum ob levitatem materiæ, ut pote quæ in simili etiam in votis excusat.

33. Quæritur II. An liceat Juramentum exigere ab eo, quem quis scit falso juravisse, aut juraturum per falsos deos, vel per Machometem Pseudoprophetam? Resp. I. Si quis exigat juramentum ab aliquo, quem nescit juravisse aut juraturum falso, non peccat. Ita communis, & ratio clara est: quia ignorantia ipsum excusat, præsertim accedente bona fide, qua sperat, alterum reverentia Numinis non auditurum falso jurare. Id tamen absque justa causa non est faciendum: quia sicuti peccatum est, saltem veniale, absque necessitate verum jurare, ita etiam alterum absque necessitate ad juramentum adigere, juxta illud Salvatoris, *Matth. 5. Quod amplius est, a malo est.*

34. Resp. II. Cum Doctore Angelico *2. 2. q. 98. art.* & aliis, fas non esse, nisi justa causa subsit, exigere Juramentum ab eo, qui scitur pejeraturus. Ratio est: quia inducere aliquem ad peccatum mortale, puta ad perjurium in casu nostro, est peccatum mortale; tenemur enim, quantum in nobis est, tenere Dei injurias, & proximi peccatum evitare.

35. Dicitur notanter, *absque justa causa*. Nam in primis Judex, si tanquam persona publica secundum ordinem juris exigat a litigante Juramentum, non peccat, sive sciat eum falso juraturum, sive non. Tum quia facit id, ad quod ex officio tenetur, petente præsertim parte adversa: tum quia Judex non debet sequi privatam scientiam, sed præscriptum Juris, adhibendo ea, quibus solet elici veritas; alioquin daret justam causam scandali. Quando tamen Judex id commode potest declinare, debet, ut notat inter alios Lessius *lib. 2. cap. 42. n. 59.* plures causis subjungens.

36. Insuper, ubi justa ratio ad damnum, vel injuriam cavendam suppetit, etiam in contractibus, & aliis causis, potest quis exigere Juramentum ab eo, qui per falsos deos, aut Machometem Pseudopropheta m nosciter juraturus; non quidem, ut determinate juret tali modo, sed absolute & in genere: sicuti post D. Augustinum, *Epist. 154. ad Publicolam*, notant Doctores communiter. Sic Laban, iniens fœdus cum Jacob, juravit per Deum Abraham, & Deum Nachor, *Gen. 31.* Idipsum est quotidianum apud Mercatores cum Infidelibus contrahentes. Id tamen sine justa causa exigere non licet: neque etiam permissum est, aliquem inducere ad hoc determinate, quod per falsos deos juret, quia cooperaretur peccato alterius.

37. Quæritur III. An liceat exigere Juramentum ab eo, qui bona fide jurabit contra veritatem, id est, firmiter sibi persuadens esse verum, de quo jurat, quod tamen a parte rei est falsum? Resp. negative, prout notat Henricx *disp. 6. de Religione, n. 36.* cum Doctoribus communiter, contra paucos laxos. Ratio est: quia respectu petentis est inductio ad falsitatem testificandam, & jurandam; quod est intrinsece malum.

38. Quæritur IV. An liceat æquivoce, vel cum restrictione mentali jurare? Resp. I. Hic in primis cavendæ sunt Propositiones illæ, quas Innocentius XI. *sicut jacent, ut minimum tanquam scandalosæ & in praxi perniciosæ*, merito damnavit; quarum prior, ordine 25. sic habet: *cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.* Altera, ordine 26. est hæc: *Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam coram ab eo, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* Tertia, ordine 27. & itidem damnata, taliter sonat. *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem,*

res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium veritatis actum; tunc veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa. Quæ ita, ordine 48. est illa: *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod Jo mandatur Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.* Ita Propositiones damnatæ.

39. Resp. II. Quando quis se sponte offert ad jurandum, vel si legitime ad hoc compellitur, v. g. per Judicem juridice interrogantem, peccat moraliter, si aliena tenus juret. Ita communis: & patet tum ex Propositionibus proxime relatis, ac damnatis; tum ex eo, quia si juridice interrogatus, æquivoce, atque in alio sensu jurare posset, facile perverteretur Judicium. Accedit, quod juridice interrogatus teneatur obedire judici, sicque jurare in sensu ab eodem intento; ergo jurans æquivoce, vel cum restrictione mentali, committeret perjurium.

40. Resp. III. Nihilominus, quando aliquis injuste cogitur ad Juramentum, non peccat jurans amphibologice, si justa ira jurandi causa subsit ad veritatem aliquam dissimulandam. Ita cit. Lessius n. 47. Layman *l. 4. tract. 3. cap. 14. n. 7.* & alii. Atqui hanc doctrinam non continent sub censura Propositionum damnatarum supra allegatarum, satis indicat Joan. Cardenas *in Crit. Theol. ad dictas Propositiones, præsertim n. 27.* Ratio est: quia amphibologicæ locutionis unus sensus verus est; ergo secundum illum, postulante tali necessitate, locutio illa potest. Juramento confirmari: cum enim injuste quis cogatur ad Juramentum, non tenetur loqui ad mentem alterius.

41. Quæritur V. & ultimo, quis possit irritare, dispensare, relaxare, aut commutare Juramentum promissorium? Resp. de hoc inferius (2) fore dicendum, agendo de Voto. Nam qui potest Votum relaxare, dispensare, irritare, vel commutare, poterit etiam Juramentum promissorium soli Deo factum: quia Votum, & Juramentum pium, in Jure & apud Doctores æquiparantur quoad vinculum, & ambo similem ergo solum Deum ex virtute Religionis obligationem continent; ideoque dispositum de uno, conferi etiam debet dispositum de altero. Sanchez *l. 8. de Matrim. disp. 7. num. 18.* Layman *l. 4. tract. 3. cap. 11.* cum communiori, contra Navarrum, & paucos alios.

DISTINCTIO III.

De Voto.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Votum?

SUMMARIUM.

1. *Votum, quid?*
2. *Promissio, quid? & quomodo differat a simplici proposito?*
3. *An Promissio sola animo concepta obliget?*
4. *Deliberatio requiritur ad votum; & quanta?*
5. *Votum fit soli Deo.*
6. *Promissio etiam hominibus fieri potest. Votum est de meliori bono.*
7. *Matrimonium, an sit materia apta Voti?*
8. *Voti divisiones variæ.*
   Votum simplex, & Votum solemne, quid?
9. *Differentiæ Voti solemnis a simplici.*
10. *Votum personale, reale, & mixtum.*
11. *Votum absolutum, & conditionatum.*

1. CONCL. I. *Votum* est promissio deliberata facta DEO de meliori bono. Ita communis. Dicitur I. *promissio*: Quia ad votum non sufficit nudum & simplex propositum, aliquid melius agendi vel faciendi; sed ulterius requiritur promissio cum vera voluntate esse obligandi, ut habetur *cap. litterarum de Voto*.

2. Cæterum *Promissio* est deliberata, & spontanea fidei obligatio, facta alteri de re bona & possibili. Et differt per hoc a *simplici Proposito*, quod Promissio inducat obligationem faciendi id, quod promittitur: Propositum autem, licet sit firmum ac deliberatum, ex se talem obligationem non inducit. Mastrius *disp. 4. Theolog. Moral. n. 26.* cum aliis. Hinc Promissio Deo facta de bono

bono meliori, coincidit cum Voto: & potest fieri non solum oretenus, sed etiam per solum actum locutionis interioris, dummodo fiat deliberate, & cum animo se obligandi.

3. Nec obstat, quod in promissione homini facta secus fiat, neque sufficiat sola interior promissio, nisi hæc verbis aut aliis signis exterioribus sufficienter manifestetur, atque a promissario acceptetur. Resp. enim, disparitatem esse: quia, ut dicitur *1. Reg. 16. homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor.* Unde promissio Deo facta, licet animo tantum interno, mox a Deo cordium nostrorum inspectore videtur, & acceptatur; sicque illico obligat, dummodo sit deliberate concepta. Secus fit in Promissione homini facta: nam hæc neque cognosci potest ab homine, cui fit, neque ab ipso acceptari, quousque verbis vel aliis signis exterioribus sufficienter exprimatur.

4. Dicitur II. in allata definitione Voti, *deliberate*. Quia promissio subita, & inconsiderata, non sufficit ad rationem Voti: siquidem Votum est lex aliqua privata, qua quis Deo se obligat; nemo autem se obligare vere censetur, nisi plenam habeat deliberationem ejus, quod facit. Unde Vota infantium, ob defectum sufficientis usus rationis, non tenent; neque etiam obligat Votum per simplenam duntaxat deliberationem editum: imo tanta, & talis requiritur deliberatio ad validitatem Voti, quanta requiritur ad peccatum mortale committendum. Herincx *disp. 4. de Voto, qu. 1. nu. 1.* & alii passim.

5. Dicitur III. *Deo facta*. Quia, cum Votum proprie sit actus Religionis, & Latriæ, soli Deo fieri debet. Quare dum aliquid vovemus Sanctis, sensus est, illud vovere Deo, Sanctis nostri emissi Voti futuris testibus; vel id Deo vovere in honorem Sanctorum: quo modo etiam Templa, & Altaria ædificamus Deo in honorem Sanctorum; nam in Sanctis ipsum Deum coli, ac venerari, fatentur omnes Catholici. Circa quod D. Thomas 2. 2. q. 88. *art. 5. ad 3.* observat, quod Votum soli Deo fiat, sed Promissio possit fieri homini: qualis Promissio de re bona hominis facta, puta, Sancti in Cœlo, Prælatis Ordinum, &c. potest cadere sub Voto, in quantum homo vovet Deo, se impleturum, quod Sanctis vel Prælatis promittit.

6. Dicitur IV. *De meliori bono*. Quia ad Votum duæ ulterius requiruntur conditiones: una est, ut illud, quod vovemus, sit opus bonum, sive deinde jam aliunde sit præceptum, sive non. Altera, ut bonum illud melius sit, quam ejus oppositum: id est, ut ex eo non sit impeditivum alterius operis excellentioris, & perfectioris.

7. Hinc matrimonium, regulariter loquendo, non est apta materia Voti; quia melior est virginitas matrimonio; unde ipsa semper potest eligi, ac licite conservari, non obstante Voto de incundo matrimonio. Dicitur, *regulariter loquendo*: nam matrimonium etiam potest cadere sub Voto, quando per matrimonium ob speciales circumstantias potest procurari majus bonum, prout fieret, si vovens frequenti periculo peccatis carnis obnoxius, voveat matrimonialem statum, tanquam remedium suæ incontinentiæ, citius assumere. *Melius est enim nubere, quam uri*, ut inquit Apostolus *1. Corinth. 7.*

8. CONCL. II. Plures sunt divisiones Voti; ex quibus tamen præcipua est illa, qua Votum dividitur in simplex, & solemne. Ita communis; & patebit explicando singulas divisiones ejus. Igitur, quantum attinet ad præsentem divisionem, *Votum simplex* consistit in nuda & simplici promissione Deo facta sine alia solemnitate. *Votum solemne* dicitur illud, quod solemnizatur per susceptionem sacri Ordinis, aut per Professionem Religionis ab Ecclesia approbatæ: ut dicitur *cap. un. de Voto in 6.* Et tale Votum solemne, est Votum perpetuæ Castitatis Ordinibus sacris annexum: quo pariter spectant tria Vota substantialia Religionum, nimirum Obedientiæ, Paupertatis, ac perpetuæ Castitatis, & si quæ alia sunt Vota Religionum approbatarum.

9. Unde non ex eo Votum solemne differt a Voto simplici, quod hoc sit factum privatim, illud publice; cum econtra possit accidere, sed ex eo, quod Votum solemne solemnitetur per susceptionem Ordinis sacri, vel professionem Religiosam, ratione cujus aliquis magis se ponit in potestate Ecclesiæ, quantum ad materiam Voti. Hoc quippe non fit in Voto simplici, cum ob id Ecclesia non accipiat majorem potestatem in sic vovente, sicut vi Voti solemnis accipit in Clericos in Sacris constitutos, ac in Religiosos solemniter professos; qua de causa hos de matrimonium ex post facto contrahendum illegitimavit Ecclesia, non autem contrahentes

res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium veritatis actum; tunc veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa. Quæ ita, ordine 48. est illa: *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod Jo mandatur Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.* Ita Propositiones damnatæ.

39. Resp. II. Quando quis se sponte offert ad jurandum, vel si legitime ad hoc compellitur, v. g. per Judicem juridice interrogantem, peccat moraliter, si aliena tenus juret. Ita communis: & patet tum ex Propositionibus proxime relatis, ac damnatis; tum ex eo, quia si juridice interrogatus, æquivoce, atque in alio sensu jurare posset, facile perverteretur Judicium. Accedit, quod juridice interrogatus teneatur obedire judici, sicque jurare in sensu ab eodem intento; ergo jurans æquivoce, vel cum restrictione mentali, committeret perjurium.

40. Resp. III. Nihilominus, quando aliquis injuste cogitur ad Juramentum, non peccat jurans amphibologice, si justa ira jurandi causa subsit ad veritatem aliquam dissimulandam. Ita cit. Lessius n. 47. Layman *l. 4. tract. 3. cap. 14. n. 7.* & alii. Atqui hanc doctrinam non continent sub censura Propositionum damnatarum supra allegatarum, satis indicat Joan. Cardenas *in Crit. Theol. ad dictas Propositiones, præsertim n. 27.* Ratio est: quia amphibologicæ locutionis unus sensus verus est; ergo secundum illum, postulante tali necessitate, locutio illa potest. Juramento confirmari: cum enim injuste quis cogatur ad Juramentum, non tenetur loqui ad mentem alterius.

41. Quæritur V. & ultimo, quis possit irritare, dispensare, relaxare, aut commutare Juramentum promissorium? Resp. de hoc inferius (2) fore dicendum, agendo de Voto. Nam qui potest Votum relaxare, dispensare, irritare, vel commutare, poterit etiam Juramentum promissorium soli Deo factum: quia Votum, & Juramentum pium, in Jure & apud Doctores æquiparantur quoad vinculum, & ambo similem ergo solum Deum ex virtute Religionis obligationem continent; ideoque dispositum de uno, conferi etiam debet dispositum de altero. Sanchez *l. 8. de Matrim. disp. 7. num. 18.* Layman *l. 4. tract. 3. cap. 11.* cum communiori, contra Navarrum, & paucos alios.

DISTINCTIO III.

De Voto.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Votum?

SUMMARIUM.

1. *Votum, quid?*
2. *Promissio, quid? & quomodo differat a simplici proposito?*
3. *An Promissio sola animo concepta obliget?*
4. *Deliberatio requiritur ad votum; & quanta?*
5. *Votum fit soli Deo.*
6. *Promissio etiam hominibus fieri potest. Votum est de meliori bono.*
7. *Matrimonium, an sit materia apta Voti?*
8. *Voti divisiones variæ.*
   Votum simplex, & Votum solemne, quid?
9. *Differentiæ Voti solemnis a simplici.*
10. *Votum personale, reale, & mixtum.*
11. *Votum absolutum, & conditionatum.*

1. CONCL. I. *Votum* est promissio deliberata facta DEO de meliori bono. Ita communis. Dicitur I. *promissio*: Quia ad votum non sufficit nudum & simplex propositum, aliquid melius agendi vel faciendi; sed ulterius requiritur promissio cum vera voluntate esse obligandi, ut habetur *cap. litterarum de Voto*.

2. Cæterum *Promissio* est deliberata, & spontanea fidei obligatio, facta alteri de re bona & possibili. Et differt per hoc a *simplici Proposito*, quod Promissio inducat obligationem faciendi id, quod promittitur: Propositum autem, licet sit firmum ac deliberatum, ex se talem obligationem non inducit. Mastrius *disp. 4. Theolog. Moral. n. 26.* cum aliis. Hinc Promissio Deo facta de bono

bono meliori, coincidit cum Voto: & potest fieri non solum oretenus, sed etiam per solum actum locutionis interioris, dummodo fiat deliberate, & cum animo se obligandi.

3. Nec obstat, quod in promissione homini facta secus fiat, neque sufficiat sola interior promissio, nisi hæc verbis aut aliis signis exterioribus sufficienter manifestetur, atque a promissario acceptetur. Resp. enim, disparitatem esse: quia, ut dicitur *1. Reg. 16. homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor.* Unde promissio Deo facta, licet animo tantum interno, mox a Deo cordium nostrorum inspectore videtur, & acceptatur; sicque illico obligat, dummodo sit deliberate concepta. Secus fit in Promissione homini facta: nam hæc neque cognosci potest ab homine, cui fit, neque ab ipso acceptari, quousque verbis vel aliis signis exterioribus sufficienter exprimatur.

4. Dicitur II. in allata definitione Voti, *deliberate*. Quia promissio subita, & inconsiderata, non sufficit ad rationem Voti: siquidem Votum est lex aliqua privata, qua quis Deo se obligat; nemo autem se obligare vere censetur, nisi plenam habeat deliberationem ejus, quod facit. Unde Vota infantium, ob defectum sufficientis usus rationis, non tenent; neque etiam obligat Votum per simplenam duntaxat deliberationem editum: imo tanta, & talis requiritur deliberatio ad validitatem Voti, quanta requiritur ad peccatum mortale committendum. Herincx *disp. 4. de Voto, qu. 1. nu. 1.* & alii passim.

5. Dicitur III. *Deo facta*. Quia, cum Votum proprie sit actus Religionis, & Latriæ, soli Deo fieri debet. Quare dum aliquid vovemus Sanctis, sensus est, illud vovere Deo, Sanctis nostri emissi Voti futuris testibus; vel id Deo vovere in honorem Sanctorum: quo modo etiam Templa, & Altaria ædificamus Deo in honorem Sanctorum; nam in Sanctis ipsum Deum coli, ac venerari, fatentur omnes Catholici. Circa quod D. Thomas 2. 2. q. 88. *art. 5. ad 3.* observat, quod Votum soli Deo fiat, sed Promissio possit fieri homini: qualis Promissio de re bona hominis facta, puta, Sancti in Cœlo, Prælatis Ordinum, &c. potest cadere sub Voto, in quantum homo vovet Deo, se impleturum, quod Sanctis vel Prælatis promittit.

6. Dicitur IV. *De meliori bono*. Quia ad Votum duæ ulterius requiruntur conditiones: una est, ut illud, quod vovemus, sit opus bonum, sive deinde jam aliunde sit præceptum, sive non. Altera, ut bonum illud melius sit, quam ejus oppositum: id est, ut ex eo non sit impeditivum alterius operis excellentioris, & perfectioris.

7. Hinc matrimonium, regulariter loquendo, non est apta materia Voti; quia melior est virginitas matrimonio; unde ipsa semper potest eligi, ac licite conservari, non obstante Voto de incundo matrimonio. Dicitur, *regulariter loquendo*: nam matrimonium etiam potest cadere sub Voto, quando per matrimonium ob speciales circumstantias potest procurari majus bonum, prout fieret, si vovens frequenti periculo peccatis carnis obnoxius, voveat matrimonialem statum, tanquam remedium suæ incontinentiæ, citius assumere. *Melius est enim nubere, quam uri*, ut inquit Apostolus *1. Corinth. 7.*

8. CONCL. II. Plures sunt divisiones Voti; ex quibus tamen præcipua est illa, qua Votum dividitur in simplex, & solemne. Ita communis; & patebit explicando singulas divisiones ejus. Igitur, quantum attinet ad præsentem divisionem, *Votum simplex* consistit in nuda & simplici promissione Deo facta sine alia solemnitate. *Votum solemne* dicitur illud, quod solemnizatur per susceptionem sacri Ordinis, aut per Professionem Religionis ab Ecclesia approbatæ: ut dicitur *cap. un. de Voto in 6.* Et tale Votum solemne, est Votum perpetuæ Castitatis Ordinibus sacris annexum: quo pariter spectant tria Vota substantialia Religionum, nimirum Obedientiæ, Paupertatis, ac perpetuæ Castitatis, & si quæ alia sunt Vota Religionum approbatarum.

9. Unde non ex eo Votum solemne differt a Voto simplici, quod hoc sit factum privatim, illud publice; cum econtra possit accidere, sed ex eo, quod Votum solemne solemnitetur per susceptionem Ordinis sacri, vel professionem Religiosam, ratione cujus aliquis magis se ponit in potestate Ecclesiæ, quantum ad materiam Voti. Hoc quippe non fit in Voto simplici, cum ob id Ecclesia non accipiat majorem potestatem in sic vovente, sicut vi Voti solemnis accipit in Clericos in Sacris constitutos, ac in Religiosos solemniter professos; qua de causa hos de matrimonium ex post facto contrahendum illegitimavit Ecclesia, non autem contrahentes

cum simplici voto Castitatis, sed istos reliquit Divino judicio. Scotus 4. *dist.* 38. *q.un.* & alii.

10. Votum ulterius dividitur in personale, & reale. *Personale* est, quo Deo promittitur aliqua actio ipsius personæ voventis: ut cum quis vovet peregrinationem, jejunium, orationem, aut hujusmodi. *Votum reale* est, quo res aliqua Deo promittitur, ut puta largitio eleemosynæ, aut alia res externa pretio æstimabilis. Addunt Doctores tertium membrum, nempe *Votum mixtum*; estque illud, quod ex utroque participat: ut si quis voveat peregrinationem ad D. Virginem Lauretanam, ibique elargiri certam eleemosynam ad Ecclesiæ illius utilitatem, vel hujusmodi.

11. Votum dividitur rursus in absolutum, & conditionatum. *Absolutum* est, quod independenter ab omni conditione emittitur. *Conditionatum* vero, quod sit sub conditione, ac proinde non implenda conditione illa nullam obligationem inducit: ut si quis vovet peregrinationem, si a tali morbo convalescat, si filius filii sit sanitatem recuperaturus; nam non secuta convalescentia, aut sanitate filii, ad implendum Votum non tenetur. Et idem dicendum de similibus.

QUÆSTIO II.

Quæ sit Obligatio Voti?

SUMMARIUM.

12 *Transgressio Voti est mortalis ex genere.*
13 *Per accidens potest esse venialis.*
14 *In juramento falsum non excusat levitas materiæ; secus in Voto violato, cur?*
(b) Justa dicta dist. præc. n. 27. & 29.
15 *Dubius de emissione Voti, non tenetur.*
16 *Solvitur instantia.*
(c) Tr. 1. dist. 3. n. 30. & 35.
17 *Certus de Voto, sed dubitans de intervenisse se obligandi, tenetur.*
18 *Votum sine temporis determinatione quando obligat?*
19 *Voti obligatio est personalis.*
20 *Dummodo excipiantur Vota realia.*
21 *Quid de votis Communitatum?*
22 *Factum alienum si voveatur, quomodo explicandum?*
23 *Voventes tenentur implere Votum per seipsum.*
24 *Et impeditus non tenetur substituere alium.*

12. CONCL. I. Transgressio Voti ex genere suo est peccatum mortale. Ita communis. Ratio est: quia Votum tendit ad Fidelitatem Deo ex virtute Religionis præstandam. Unde dicitur *Ecclesiastici 5. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim infidelis & stulta promissio, sed quodcunque voveris, redde: multoque melius est non vovere, quam post Votum promissa non reddere.*

13. CONCL. II. Nihilominus ob levitatem materiæ transgressio Voti quandoque efficitur venialis. Ita pariter communis. Quia Votum est quasi privata lex, quam sibi quis imponit: atqui in legibus excusat parvitatem materiæ a culpa mortali, aliunde liquet. Sic qui singulis diebus vovit dicere tria *Pater & Ave*, & postmodum quandoque, seclusa contemptu, omittit recitare, non peccat mortaliter, ob levitatem materiæ. Similiter si quis vovit recitare Rosarium in honorem B. MARIÆ Virginis, & postmodum omittit dicere pauca aliquot *Ave*, pari ratione non peccat mortaliter. Idem dicendum de similibus.

14. Nec dicas: Jurans falsum, etiamsi res sit parva, peccat mortaliter; ergo. Resp. enim negando consequentiam, & paritatem: quia in omni perjurio, etiam circa rem levem deliberate commisso, intervenit tota malitia perjurii, dum Deus adducitur in testem falsitatis. (b) Secus est in Voto circa materiam levem violato, ubi proinde excusat levitas materiæ, non minus, ac in furto. Accedit, quod quamvis in Juramento assertorio levitas materiæ non excuset a peccato mortali, si quis deliberate falsum juret, ob rationem præmissam: nihilominus violatio Juramenti promissorii, si materia sub Juramento promissa sit levis, a pluribus Doctoribus excusatur a culpa mortali, prout dictum *dist. præc. n.* 32.

15. CONCL. III. Qui dubitat, num Votum emiserit, nec ne, non obligatur Voto: & idem dicendum, si dubitet, fuerit ne Votum, vel duntaxat Propositum; præsumitur enim non fuisse Votum. Ita Engel *tit. de Voto, num.* 1. Regnaldus *lib.* 18. *numer.* 279. & alii communiter, paucis exceptis. Ratio est: quia *in dubio melior est conditio possidentis*, juxta *Reg.* 65. *Juris in* 6. Talis autem dubitans, est in possessione suæ libertatis.

16. Nec obstat illa communis regula, quod *in dubiis tutior pars sit tenenda. c. Juvenis, de Sponsalibus*, cum concordantiis. Resp.

Resp. enim, hanc regulam plerumque esse tantum de consilio, non de præcepto. Vel quando est de præcepto, loquitur præcipue de dubio practico, ad cujus depositionem quis se reflectere non potest: quia stante dubio practico, non licet contra conscientiam practice dubium operari, ut jam suo loco (c) dictum.

17. CONCL. IV. E contra si quis certus sit de Voto, dubitet autem, an habuerit intentionem se obligandi, aut sufficientem deliberationem, tenetur Voto. Ita Sanchez *l. 1. de Matrim. disp. 9.* Sannig *dist. 4. de Relig. q. 2. n. 6.* & alii. Ratio est: quia tunc Votum stat in possessione, ac proinde obligat: præsumitur enim, Votum esse editum juxta naturam Voti, id est, cum animo obligandi se, ac sufficienti deliberatione, quandoquidem de opposito post sufficientem disquisitionem constare nequeat.

18. CONCL. V. Votum sine temporis determinatione editum executioni mandari debet, cum primum commode potest. Ita communis. Et desumitur ex *cap.* 23. *Deuter.* ubi: *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur in peccatis.*

19. CONCL. VI. Obligatio Voti est personalis, ita ut (Sluta voventem, & non aliam personam obliget: dummodo excipiantur Vota realia. Ita Layman *lib. 4. tract. 4. c. 3. n. 6.* & 10. cum communi. Ratio desumitur ex illo *Psalm. 65. Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Accedit ratio: quia obligatio Voti ex propriæ voluntatis contentia nasci debet, cum sit quasi privata quædam lex; ergo non alium, quam ipsum voventem, aut consentientem obligat. Addit hic notanter, *aut consentientem*: quia si quis in se sponte suscipiat obligationem exequendi alterius Votum, tenetur: nam tunc non ex aliena, sed ex propria voluntate obligatur, quia obligationem alterius in se sponte suscipit.

20. Dicitur in Conclusione, *dummodo excipiantur Vota realia*: si quidem horum Votorum obligatio transit ad hæredes, *arg. c. Ex parte de Conjugat.* & fatentur passim Doctores. Ratio est: quia Vota realia obligant voventem, non quomodocunque, sed quatenus est dominus rei promissæ: ergo sicut dominium rei illius, ita & obligatio, vi emissi Voti realis eidem annexa, transit ad hæredem: nam hoc ipso, quod quis hæreditatem adit, confetur contractum iniisse ad solvenda omnia defuncti debita, & vota realia. Hinc Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 15. n. 25.* ait, hæredem obligari ad solvenda defuncti Vota realia, non vi Voti (nam & hæc solum voventem afficere potest) sed vi contractus memorati.

21. Ex dicta Conclusione, ac præsertim priori parte ipsius, infertur I. cum Layman *lib. 4. tract. 4. c. 3. num. 6.* citante Suarezium, Vasquez & Sanchez: quod si Communitas aliqua certum Votum ediderit, quotannis v.g. peregrinationem instituendi, Posteri eorum non obligentur ex virtute Religionis, seu vi Voti, in quod ipsi non consenserunt: quamvis interdum ratione pacti vel statuti, aut longæ consuetudinis ab Ordinario loci tacite vel expresse approbatæ, subsit obligatio ejusmodi votum obeundi, prout amplius explicat Sanchez *cit. c. 15. n. 16. & seqq.*

22. Infertur II. Quod factum alienum voveri non possit, v. g. alium jejunaturum, Religionem ingressurum, &c. Ne autem irrita omnino sit ejusmodi Voti promissio, non raro usurpata, ita explicari debet, quod animus voventis fuerit, obligare se ad curandum, quantum in ipso est, ut alter promissum adimpleat: sic enim non alienum, sed potius proprium factum promittitur. Unde liberi non obligantur Voto parentum offerentium eos Religioni, nisi ex debito quodam honestatis, aut nisi intelligentes consentiant, vel postea ratificent: aliosquin jure contradicere possent, eo quod Religionis ingressus liber esse debeat. *c. præsent. 20. q. 3.*

23. Infertur III. Quod voventes teneantur Votum personale per se ipsum implere, & non liberetur, si per alium impleat, v.g. qui vovit, se jejunaturum, vel peregrinaturum &c. non satisfacit, si alium roget, ut loco sui jejunet, peregrinetur, &c. Ratio est: quia vovens factum proprium promisit: ergo ad illud ipsemet obligatur. Ex quo

24. Infertur ulterius, quo si quis Votum suum personale ipsemet implere non possit, non teneatur alium rogare, vel substituere, qui impleat. Ratio est: quia actus se non extendit ultra intentionem agentis, *arg. cap. nic. de Prabendis* cum concordantiis: atqui intentio voventis fuit (uti supponitur) se facturum, v.g. se oraturum, jejunaturum, peregrinaturum &c. ergo ipse solus obligatur; & consequenter, si id præstare non possit, cessat obligatio Voti, nec tene-

tur illud per alium implere, nisi etiam ad hoc esse obligare intenderit. Quamquam substituere alium in casu justi impedimenti, procul dubio sit laudabile.

QUÆSTIO III.

De Cessatione, commutatione, & Irritatione Votorum.

SUMMARIUM.

25 *Obligatio Voti quatuor modis desinere potest.*
26 *Cessante causa finali cessat Votum.*
27 *Cessat etiam Votum ob mutationem materiæ.*
28 *Clausula in omni Voto subintelligitur.*
(d) Dist. præc. n. 23.
29 *Votum conditionale cessat non impleta conditione.*
30 *Quid de Votis temporalibus, vel affixis certo tempori?*
31 *Votorum Commutatio propria auctoritate potest fieri in melius.*
32 *Limitatur hoc.*
33 *In Professionem Religiosam omnia Vota commutantur.*
34 *Quid de Commutatione Voti in opus æquale?*
35 *Vota a quibus irritari possint?*
36 *Corollaria.*
(e) Dist. præc. n. 23.
37 *Limitatio circa potestatem irritandi Vota.*
38 *Impuberum Vota omnia possunt irritari a parentibus.*
Pubertas quando incipiat?
39 *Prælati an, & qua Vota Religiosorum irritare possint?*
40 *Quid de Votis liberorum pubertum, & servorum?*
41 *Et quid de Votis Conjugum?*
Ratio generalis dictorum.

25. ADvertendum cum Doctoribus communiter quatuor potissimum modis obligationem Voti definire posse. I. Per Cessationem; cum nempe Votum ex se ipso cessat obligare, absque alia commutatione, irritatione, vel dispensatione; quod variis ex causis contingere potest, uti mox dicetur. II. Per Commutationem. III. Per Irritationem Voti, auctoritate Superioris factam. IV. Per legitimam Dispensationem; quæ contingit tunc, quando legitima Superioris auctoritate, ex causa rationabili, cum vovente super Voto dispensatur. De quibus tribus prioribus per sequentes Conclusiones plura, de Dispensatione vero subsequenti Quæstione.

26. CONCL. I. Quantum in primis attinet ad Cessationem Votorum, cessante causa finali ac principali Voti, cessat quoque obligatio ejus: v. g. si vovisti te peregrinaturum pro impetranda valetudine filii, is vero ante peractam peregrinationem moriatur, liberatus es a Voto. Ita Suarez *lib. 4. de Votet. 18.* & alii.

27. CONCL. II. Cessat insuper obligatio voti ob mutationem materiæ, si videlicet ea fiat impossibilis, illicita, indifferens, aut majoris boni impeditiva. Ratio est: quia in ejusmodi casu neque Votum incipere potuisset, cum hoc debeat esse de re possibili, licita, bona, & majora boni non impeditiva. Idem dicendum in casu, si postea tam notabilis rerum mutatio accidat, vel specialis & inopinatus casus occurrat, ut rationabiliter præsumi possit, voventis intentionem ad ejusmodi eventum, aut casum specialem, se non extendisse. Ratio est: quia actus non se extendit ultra intentionem agentis. Accedit, quod lex positiva in ejusmodi casibus per epiekeiam solet admittere benignam interpretationem; ergo idem dicendum de Voto, utpote quæ est lex quædam privata, quam ipsimet vovens sibi imposuit.

28. Quinimo in omni Voto tacite subintelligitur ista hæc conditio: *Si res in eodem statu permanserit*; prout a pari supra (d) de Juramento dictum est. Sic qui vovit peregrinationem longam, vel magnam eleemosynam; superveniente gravi morbo, aut inopinata depauperatione, non tenetur Voto. Similiter sicut ignudo v. g. excusat a præcepto jejunii Ecclesiastici, ita etiam sufficit ad excusandum ab obligatione jejunii, Voto promissi: & idem de similibus.

29. CONCL. III. Votum conditionatum cessat obligare, si non impleatur conditio apposita; sic qui vovit peregrinationem, si lanitatem filio, vel aliud beneficium obtineat, hoc non obtento ad Votum non tenetur. Ratio est: quia generaliter conditio apposita sufrendit actum, eaque non eveniente nihil debetur; cum non fuerit animus esse obligandi, nisi in eventum ipsius conditionis.

39. CONCL. IV. Qui votum temporale emi-

emisit, v. g. Votum Castitatis ad biennium, elapso biennio liber est a Voto. Idem sit de Voto, affixo certo tempori, puta, jejunandi diebus Sabbatinis in honorem B. MARIÆ Virginis: nam si intermisit ob die jejunium, sive culpabiliter, sive sine culpa, amplius alio die non tenetur jejunium illud peragere. Ita Doctores communiter, ac præsertim Herincx *part. 3. Theologiæ. disp. 4. de Voto quæst. 4.* Neque enim vovens voluit se obligare, nisi pro tali determinato tempore.

31. CONCL. V. Quantum attinet ad Votorum Commutationem, vovens proprio arbitrio potest Votum suum commutare in id, quod spectatis omnibus manifeste melius, seu præstantius est. Ita communior Doctorum apud Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 49.* & Layman *etc. tract. 4. cap. 8. num. 19.* Et desumitur ex Jure Canonico *cap. Perrenit de Jurejurando.* ibi: *Non enim propositum aut promissum infringit, qui in melius illud commutat.*

32. Hoc tamen intelligendum, si opus sit manifeste melius: nam in dubio stat possessio pro obligatione Voti ad rem promissam, quæ proinde mutari non potest sine Superioris authoritate. Excipi etiam debent Vota Summo Pontifici reservata: qualia sunt quinque, videlicet Votum perpetuæ Castitatis, Religionis, Peregrinationis Romanæ seu ad limina Apostolorum, Peregrinationis ad S. Jacobum in Compostellam, & Peregrinationis in Terram Sanctam. Siquidem horum commutationem ipsemet Papa sibi propriam reservavit, ac proinde in alia, etiam manifeste præstantiora opera (sola Professione Religiosa excepta) sine Summi Pontificis authoritate commutari nequeunt.

33. Dicitur, *sola Professione Religiosa excepta.* Nam in Votum Religiosæ Professionis possunt commutari omnia Vota antecedentia, tam realia, quam personalia, etiam Summo Pontifici reservata; prout habetur *c. Scripturæ de Voto* ubi dicitur: *Reus fractæ voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam susceperit Religionis observantiam commutare.*

34. CONCL. VI. Commutatio Voti in aliud opus æquale, proprio voventis arbitrio fieri non potest, sed opus est auctoritate Prælati, puta Papæ, vel Episcopi, aut ejus, qui ab his habet commissionem seu potestatem delegatam. Ita Sanchez *l. 4. Decal. cap. 49. num. 13.* Layman *num.* 19. Sannig *disp. 4. de Voto. quæst. 4. n. 3.* & communior contra quosdam alios, qui putant, per quemlibet Confessarium posse Votum commutari in opus æquale. Ratio Conclusionis est: quia commutatio Voti est actus jurisdictionis, *arg. cap. 1. de Voto;* ergo ea non competit Confessario, nisi habeat potestatem delegatam, sed solis Prælatis. Nec obstat, quod quilibet possit Votum suum commutare in id, quod est manifeste melius, absque alia jurisdictione. Resp. enim, id fieri ex eo, partim quia promissio rei minoris abunde solvitur in præstatione rei majoris: partim quia is, cui fit Votum (nempe Deus) consentit in solutione melioris, *arg. cit. c. Scripturæ de Voto.*

35. CONCL. VII. Quantum attinet ad Irritationem Votorum, Vota facta de re in alterius potestate constituta irritantur, si hic contradicat, & opus promissum absolute nolit fieri. Ita D. Thomas 2, 2. *quæst. 88. art. 8.* & Doctores communiter. Idque intellige, quod ad hujusmodi Irritationis validitatem nulla alia requiratur causa, præter ipsam Superioris voluntatem. Ratio est: quia, ut Votum obliget, præter alia requiritur, quod persona vovens sit sui juris quoad illud, quod Voto promittitur: neque enim potest quis per promissionem sese firmiter obligare ad id, quod non est in sua potestate, sed in potestate alterius.

36. Hinc *Numer. cap. 30.* mandatur, quod si mulier, quæ vel est in domo patris, atque in ætate adhuc puellari, vel mariti habuerit, quidpiam voverit, & sic se Juramento confrinxerit, si pater aut maritus ejus contradixerit, tam vota, quam Juramenta ejus irrita sint, nec eam obligent, eo quod pater, aut maritus contradixerit. Et hoc idem dicendum est de aliis hujusmodi personis, quæ non sunt omnimode in sua potestate, sed sub potestate alterius, atque ideo non habent liberam facultatem vovendi, ut sunt Religiosi, servi, filii familias, &c. Hi tamen vovendo non peccant, quia in eorum Votis subintelligitur tacita conditio: *si placuerit superioribus meis, vovto, hoc vel illud me facturum*, ut dictum supertus (e).

37. CONCL. VIII. Nihilominus allata doctrina, seu Conclusio proxima, intelligenda est de iis duntaxat Votorum materiis, in quibus præfatæ personæ voventes non sunt sui juris, sed subjectæ potestati alterius: nam Vota quoad alias materias facta, ut

quibus dictæ personæ non subjiciuntur alterius potestati, valida sunt, neque irritari possunt. Estque satis communis inter Doctores, quia tunc cessat ratio in priori Conclusione allata, nempe injunctio respectu alterius; eo quam tantæ datur potestas irritandi Vota. Restat magis patefiat exemplis, atque inductionibus itaque

38. I. Conveniunt Doctores cum D. Thoma 2. 2. *quæst. 88. art. 9.* omnia Vota impuberum, sive personalia, sive realia, irritari posse, a patre, Tutore, aut aliis personis, quarum potestati subsunt: idque accidit tum ob defectum rationis, quem impuberes patiuntur: tum quia sunt naturaliter sub cura parentum, vel Tutorum, qui eis loco parentum sunt. Porro in masculis ad pubertatem requiruntur quatuordecim anni completi, in fœminis vero duodecim anni completi: antea vero censentur impuberes. Nec obstat, quod quandoque ante dictam ætatem cuipiam adveniat judicii maturitas, aut quis etiam Votum ingrediendæ Religionis emiserit. Adhuc enim irritari possunt talia Vota ab impubere edita, ut docet Sanchez *lib. 4. Decal. c. 35. nu. 13.* Layman *loc. cit. c. 7. n. 10.* & alii, eo quod Jura quoad hoc non distinguant.

39. II. Conveniunt Doctores, id, quod proxime dictum est de impubere, videlicet omnia Vota ejus irritari posse a patre, patiter intelligendum esse de Religiosis professis, utpote qui per Votum Obedientiæ penitus abnegarunt propriam voluntatem, neque amplius habent velle & nolle. Excipe tamen Votum Religionis arctioris ingrediendæ, utpote ad quam transitus eisdem Religiosis a Jure conceditur, *c. Licet. de Regularibus*. Simulque ea Vota, quæ ipsamet Ordinis constitutio effugatas; nam talia non posse a Prælatis irritari, talem est.

40. III. Loquendo de Votis liberorum puberum adhuc in patria potestate existentium, quidquid pauci contradicant, satis etiam inter Doctores convenit, quod patres non possit omnia vota liberorum puberum irritare, sed ea tantum, quæ patriæ potestati præjudicium afferunt: pura, quæ liberam & expeditam familiæ gubernationem impediunt, vel filium aut filiam nimis abstrahunt ab obedientia & cura paterna, & hujusmodi. nam in his solum filius puber est subjectus patri. Et eadem ratione Vota servorum, sive mancipiorum, illa tantum a dominis irritari possunt, quæ, & quatenus servitutis obligationi officiunt.

41. IV. Conveniunt passim Doctores, quod maritus non possit omnia Vota uxoris irritare, sed ea tantum quæ, & quatenus juri suo, quod habet ad conjugis usum, & familiæ gubernationem, præjudicium afferre possunt. Prout vicissim etiam uxor ea tantummodo Vota mariti rescindere, atque irritare potest, quæ derogant juri suo, quod habet in corpus mariti: v. g. ne obsistentia immoderata affligatur, & hujusmodi. Ratio horum omnium generalis est ea, quæ affertur in utraque præmissa Conclusione: quia Vota possunt irritari a Superiore in his tantum, in quibus alter ipsi subjicitur: atqui filii familias, servi, uxor &c. non subjiciuntur parentibus, dominis, marito, &c. quoad omnia, sed tantum quod aliqua, istorum statuum concernentia, de quibus passim, & fusius Authores; ergo.

QUÆSTIO IV.

De Potestate dispensandi in Votis.

SUMMARIUM.

42 *Datur in Ecclesia Dei potestas dispensandi in Votis.*

43 *Hæc potestas residet generaliter pro toto Orbe in Papa.*
Quibus aliis ea competat? remittitur.

44 *Quam potestatem dispensandi in Votis habeant Confessarii Ordinum Mendicantium?*

45 *Vota Summo Pontifici reservata, quæ?*

46 *Ea sunt stricte interpretanda.*
Quid de Voto Castitatis non perpetuæ, vel non integræ?
Item de Voto conditionato; de pœnali.

47 *Limitatio quoad Confessarios Mendicantium.*

48 *Possunt Mendicantes dispensare ad petendum debitum cum conjugibus incontinentibus, & contrahentibus cum Voto Castitatis; & qui?*

49 *Dispensatio in Voto, ut sit valida, requirit causam.*

50 *Causa justa dispensandi in Votis, quæ?*
(f) Juxta dicta n. 4.
(g) Ut dictum n. 27. & seqq.

51 *An prædicta habeant locum in Votis in favorem tertii emissis?*

52 *Qui*

52 *Qui potest dispensare in Votis, an idem possit in Juramentis?*
(h) Dict. præc. n. 41.

53 *Quid de Regularibus Mendicantibus.*

42. CONCL. I. Certum est inter Catholicos, dari potestatem in Ecclesia Dei dispensandi super Votis, ipsi a Christo concessam. Patet hoc tum ex perpetua praxi, & traditione Ecclesiæ: tum ex illa generali potestate, D. Petro, ac ejusmodi successoribus, a Christo concessa *Matth. 16. & 18. Tibi dabo claves Regni cœlorum &c. Et quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*. Nam ly *quodcumque solveris*, etiam Dispensationem, seu solutionem a Voto, & Juramento, complectitur. Quomodo autem dispensatio in Votis, & Juramentis fieri possit, non obstante, quod eorum obligatio sit de Jure Divino, dictum est supra *tract. 2. dist. 5. nu. 25. & 26.*

43. CONCL. II. Hujusmodi potestas dispensandi in Votis, primario, ac generaliter pro toto Orbe, ex Jure Divino residet in Summo Pontifice, tanquam legitimo Petri Successore, Christique in terris Vicario: ut patet ex citato S. Scripturæ textu, specialiter de D. Petro, ac legitimis ejus Successoribus loquente. Quibus aliis autem, sive Jure ordinario, sive ex delegata potestate, aut privilegiis a Summo Pontifice sibi concessis, id competat, quilibet in particulari, conferendo suo statu, melius dignoscere poterit. Nihilominus loquendo de Seraphici Ordinis privilegiis, sit.

44. CONCL. III. Confessarii Ordinum Mendicantium, & qui participant in eorum privilegiis, habent potestatem delegatam dispensandi in omnibus Votis (similique communicandi omnia Vota, etiam juramenta, ex extensione Gregorii Papæ XII.) in quibus de jure ordinario dispensare possunt Episcopi, Ita Herincx *disp. 4. Voto. q. 6. nu. 66.* id ex plurium Summorum Pontificum Concessionibus copiose demonstrans. Quamvis enim Innocentius VIII. hinc exceperit Vota peregrinationis ultra duas dietas: tamen ex concessione aliorum Pontificum, ac nominatim Eugenii IV. Pauli III. & Gregorii XIII. dicta restrictio est sublata; ut patet ex Compendio Privilegiorum Mendicantium, *vers. Votum in Caputini Annotatione*, & Emman. Rodr. *in Tom. 1. quæst. Regul. quæst. 63. art. 3. & 4.*

45. Dicitur notanter, *in quibus de jure ordinario dispensare possunt Episcopi*. Siquidem Episcopi, etsi jure ordinario possint dispensare in omnibus aliis Votis, non tamen in iis (extra casum necessitatis, & impedimenti recursus ad Summum Pontificem) quæ sunt Papæ specialiter reservata. Et quidem ejusmodi Vota Summo Pontifici reservata regulariter sunt quinque, scilicet Votum Castitatis perpetuæ (subintellige, & integræ) Votum Religionis ab Ecclesia approbatæ, Votum Peregrinationis Romam ad limina Apostolorum, Peregrinationis ad S. Jacobum in Compostellæ, & Peregrinationis in Terram Sanctam. Unde in his neque Confessarii Ordinum Mendicantium dispensare possunt, utpote quæ summo Pontifici specialiter reservantur, & in Regularium privilegiis communiter excipiuntur.

46. Porro hæ exceptiones, cum juri ordinario Episcoporum præjudicent, ceu odiosæ, sunt strictæ interpretationis, ac proinde in propria verborum significatione accipiendæ. Unde Episcopi jure ordinario (consequenter Confessarii Ordinum Mendicantium, & Communicantium in privilegiis eorum, rite approbati, ex delegata potestate sibi a Summis Pontificibus concessa) possunt dispensare in Voto Castitatis non perpetuæ, sed ad certum duntaxat tempus promissæ, v.g. ad annum, vel decennium. Item in Voto Castitatis non integræ, v.g. non fornicandi, non nubendi, non petendi debitum, frevandi virginitatem duntaxat, quæ per unicum lapsum carnis irrecuperabiliter amittitur, sitque postmodum observatu impossibilis: secus, si vovens virginitatem intendisset per talia verba sese obligare ad Castitatem absolutam: nam Deus intuetur cor, sicque votum hoc, utpote Castitatis absolutæ ac perpetuæ, foret indispensabile per Papa inferiorem. Item possunt supra dicti dispensare in Voto conditionato, ante conditionem impletam; ut si voveat quis Religionem, aut Castitatem perpetuam, si ex morbo convaleseat, potuerunt dispensare in voto, antequam hæc conditio impletur: secus, si votum impleta conditione omnino purificetur, ut habet Herincx *cit. disp. 4. quæst. 6. nu. 62.* sitque probabilior, quamvis Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 10. numer. 13.* & Diana *part. 3. tract. 5. resol. 25.* cum nonnullis aliis asserant, etiam post impletam conditionem posse Episcopum dispensare. Item possunt

præ-

prædicti dispensari a superdictis in voto pœnali, v.g. si fornicatus intro, voveo me ingressurum Religionem, sive ante (ut est communior sententia) sive post eventum peccati, atque incuriam præfatam; prout sentit cit. Sanchez *n. 7. & 8.* citans non paucos alios Auctores.

47. Notanter autem hactenus dictum, *in quibus de jure ordinario possunt Episcopi dispensare*: ut excipiantur illi casus, in quibus competit Episcopis facultas dispensandi, etiam in votis Papæ reservatis, ratione necessitatis extraordinariæ, & quando est impedimentum a leando summum Pontificem. In illis enim casibus, ut docet Layman *cap. 8. n. 16.* citans alios, nequeunt Confessarii Ordinum Mendicantrum, vel Communitatum in privilegiis eorundem, dispensare, sed opus est recursu ad Episcopum, quamvis nonnullis, ab Henrico relatis *loc. cit. n. 69.* prædicta limitatio non placeat.

48. CONCL. IV. Insuper ex speciali concessione S. Pii V. vivæ vocis oraculo facta, quin & iterata concessione Eugenii IV. Congregationi S. Benedicti tum Cassinensi, tum Vallisoletanæ facta, nec non facultate Julii II. eidem Congregationi Vallisoletanæ impertita (ac referuntur singillatim a Petro de Murga *tom. 2. Disput. Mor. disq. 1. dub. 23. §. 6. num. 121. & seqq.* & Ant. Quintanadvenas *tract. 9. singular. 2. 3. & 4.*) possunt Confessarii Mendicantium dispensare ad petendum debitum cum iis conjugibus, qui contraxerunt Matrimonium cum Voto simplici castitatis antea emisso: item & cum incestuosis conjugibus, qui contracto Matrimonio cum alterius conjugis consanguinea intra secundum gradum adulterium perpetrarunt: si tamen tales Confessarii sint viri docti, atque ad hoc a suo Provinciali deputentur. Et hæc quidem expiatio est necessaria juxta tenorem concessionis, & praxin, prout notat Henricx *cit. disp. 4. nu. 68.* Et Portel *in Dubiis Regularium, verf. Confessor. num. 23.* ubi bene addit, quod ejusmodi licentia cuipiam Confessario ab uno Provinciali facta, non expirat amoto Provinciali ab officio; eo quod illa facultas non detur a Provinciali, sed ad committionem sive deputationem ipsius a Papa, cujus gratia jam facta non expirat morte concedentis. Sunt quidem nonnulli Authores, qui præmissam Provincialis deputationem non requiri asserunt, quos refert, & sequitur Antonius a Spiritu S. Carmelita, *in Directorio Regularium, part. 1. tract. 2. disp. 1. sect. 2. §. 3. num. 112.* & Diana *par. 2. tract. 1. resol. 14. & part. 5. tract. 13. resol. 46.* ubi hoc ipsum non improbabile censet, licet in priori loco oppositam sententiam sequatur. Verum tenor concessionis S. Pii V. quam refert Rodericus *tom. 1. q. Regul. quæst. 63. art. 1. & 2.* expresse requirit, quod ejusmodi dispensatio in Foro conscientiæ ad petendum debitum fiat *ex commissione Provincialis*.

49. CONCL. V. Dispensatio in votis, ut sit valida, requirit causam justam dispensandi. Ratio est: quia potestas dispensandi in jure Superioris, nempe ipsius Dei, Prælatis Ecclesiæ *data est in ædificationem, & non in destructionem*: ut dicit Apostolus *2. Corinth. 13. v. 10.* Id autem non esset, si possent dispensare absolute absque ulla causa.

50. Porro causæ justæ dispensandi in Votis oriuntur ex variis motivis. I. Ex imperfectione actus, si absque prudente & perfecta deliberatione, in ira, meta, mœrore, vel tenera ætate &c. Votum factum sit, *arg. cap. 2. de Voto*: quamvis ob imperfectionem actus, & defectum sufficientis deliberationis quandoque Votum penitus non obliget. (f) II. Ex materia Voti, si nimirum proventi, spectata corporis constitutione, naturæ fragilitate, &c. Votum ipsius majoris ruinæ periculum parturum videatur: adeoque spectatis omnibus dispensatio ad spiritualem ejus utilitatem (quæ præcipue hic consideranda est) cessura videatur. III. Ob difficultatem exequendi Votum postea supervenientem, vel ante non prævisam; quamvis interdum, si hæc gravis & manifesta sit, obligatio Voti per se sine dispensatione cesset. (g) IV. Ob necessitatem, vel magnam utilitatem Reipublicæ, aut familiæ: ut si quis longas peregrinationes vovisset, cum præstaret ipsum familiæ, vel Reipublicæ regendæ interesse, aut hujusmodi. Unde bene Innocentius III. relatus *cap. Magna, de Voto*: ait: quod in materia dispensationis Votorum hæc tria semper consideranda sint, videlicet, *quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, & quid expediat secundum utilitatem*.

51. Quæres, num prædicta etiam locum habeant in Votis in favorem tertii emissis, ut pura in Voto dandi eleemosynam certæ personæ indigenti, aut certæ Ecclesiæ; ita ut ejusmodi Votum adhuc possit commutari,

mutari, vel dispensari ab habentibus facultatem commutandi, vel dispensandi Voti? Resse distinguendum. Num si ejusmodi personæ pauperi, vel Ecclesiæ, per acceptationem, ab ipso vel Rectore Ecclesiæ, aliove administratore factam, jus acquisitum jam fuit, tunc amplius absque ejusdem consensu commutationi, vel dispensationi locus non est: quia privilegia commutandi, vel dispensandi in Votis, intelliguntur esse concessa sine præjudicio atque injuria tertii. Secus dicendum de ejusmodi Votis spectatis ante factam illam acceptationem; quia enim tertio tunc nondum aliquod jus, actio, aut petitio competit, Votum alicujus certæ personæ pauperis, aut Ecclesiæ commodum & favorem edita, per dispensationem vel commutationem tolli posse, communior est sententia. Ita Lud. Miranda *tom. 1. Manual. Prælat. quæst. 48. art. 4.* Layman *tract. 4. de Voto, c. 8. n. 21.* Sylvester, & alii.

52. Tandem pro fine hujus materiæ, & conformiter dictis supra (h) notandum, quod qui habet potestatem dispensandi, seu commutandi Vota, censetur similiter habere facultatem dispensandi, seu commutandi Juramenta. Ratio desumitur ex dictis ibidem: quia Votum, & Juramentum promissorum Deo factum, æquiparantur quoad vinculum; ideoque dispositum de uno censeri etiam debet dispositum de altero. Et quidem inter omnes convenit, eos, qui ratione muneris sui ordinarium habent potestatem commutandi, vel dispensandi Vota (ut sunt Episcopi, cæterique quasi Episcopalem jurisdictionem ordinariam habentes) posse eadem quoque authoritate respectu sibi subjectorum Vota jurejurando confirmata commutare, vel dispensare.

53. Cæterum loquendo de Regularibus Mendicantibus, & Communitatibus in eorum privilegiis, qui quoad sæculares potestates habent potestatem solum delegatam dispensandi, vel commutandi Vota (exceptis quinque votis Sedis Apostolicæ specialiter reservatis) variant Doctores, an dicti Religiosi similiter habeant potestatem dispensandi, vel commutandi Juramenta. Siquidem Azorius *part. 2. lib. 11. cap. 19. q. 2.* cum quibusdam aliis, sententiam negativam tenet. Nihilominus partem affirmativam, videlicet Religiosos Mendicantes posse dispensare, vel commutare etiam Juramenta, tenent plures alii Doctores, quos citat & sequitur Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 2. num. 18.* Schurg. *disp. 6. de Juram. q. 3. n. 8.* Lessius *lib. 2. de just. & jure, c. 42. nu. 59.* & alii: nam mihi tat æque pro illis superius allata ratio. Accedit extensio Gregorii XIII. juxta quam possunt regulares Mendicantes commutare Vota etiam jurata, dummodo commutatio non fiat in præjudicium tertii, prout habetur in Compendio Privilegiorum, *verf. Votum in Capucini Annotatione*.

QUÆSTIO V.

Quomodo practice impetrari possit Dispensatio in Votis?

SUMMARIUM.

54 *Ponitur casus conformis materiæ.*
55 *Indaget Confessarius 1. An Puella vere Votum emiserit?*
56 *Indaget II. An fuerit Votum perpetuæ Castitatis?*
57 *III. An fuerit absolutum, vel conditionatum?*
58 *IV. In qua ætate fuerit emissum?*
59 *V. Indaget, an quoad dispensationem non sit periculum in mora?*
60 *Norma Suppletionis faciendæ.*
61 *Norma Responsionis ad Supplicam.*
62 *Quidnam debeat notare Executor Dispensationis circa Confessionem Mendicantium injungendam?*
63 *Quidnam observandum circa alia pietatis opera injungenda?*
64 *Qualis adhuc Instructio danda ab Executore tali dispensato?*
65 *Qualiter dispensatus sit absolvendus?*
66 *Qualiter practice sit procedendum, ut dispensetur in Voto Religionis?*
67 *Ponitur Supplica circa Votum Religionis.*
68 *Rescriptum ad priorem Supplicam.*
69 *Qualiter dispensetur cum puella, si non adsit periculum incontinentiæ?*

54. PONamus Casum in Voto Castitatis; nimirum quod quædam puella soluta voverit perpetuam Castitatem, modo autem suis orbata Parentibus sit in eo statu, ubi variis exponitur periculis incontinentiæ; quare instanter petit dispensari ad effectum nubendi. Quæritur, quomodo practice res sit instituenda?

55. Respondeo: Confessarium prudenter & recte agere quoad præsens, si indaget I. Num talis puella vere emiserit Votum, inten-

prædicti dispensari a superdictis in voto pœnali, v.g. si fornicatus intro, voveo me ingressurum Religionem, sive ante (ut est communior sententia) sive post eventum peccati, atque incuriam præfatam; prout sentit cit. Sanchez *n. 7. & 8.* citans non paucos alios Auctores.

47. Notanter autem hactenus dictum, *in quibus de jure ordinario possunt Episcopi dispensare*: ut excipiantur illi casus, in quibus competit Episcopis facultas dispensandi, etiam in votis Papæ reservatis, ratione necessitatis extraordinariæ, & quando est impedimentum a leando summum Pontificem. In illis enim casibus, ut docet Layman *cap. 8. n. 16.* citans alios, nequeunt Confessarii Ordinum Mendicantrum, vel Communitatum in privilegiis eorundem, dispensare, sed opus est recursu ad Episcopum, quamvis nonnullis, ab Henrico relatis *loc. cit. n. 69.* prædicta limitatio non placeat.

48. CONCL. IV. Insuper ex speciali concessione S. Pii V. vivæ vocis oraculo facta, quin & iterata concessione Eugenii IV. Congregationi S. Benedicti tum Cassinensi, tum Vallisoletanæ facta, nec non facultate Julii II. eidem Congregationi Vallisoletanæ impertita (ac referuntur singillatim a Petro de Murga *tom. 2. Disput. Mor. disq. 1. dub. 23. §. 6. num. 121. & seqq.* & Ant. Quintanadvenas *tract. 9. singular. 2. 3. & 4.*) possunt Confessarii Mendicantium dispensare ad petendum debitum cum iis conjugibus, qui contraxerunt Matrimonium cum Voto simplici castitatis antea emisso: item & cum incestuosis conjugibus, qui contracto Matrimonio cum alterius conjugis consanguinea intra secundum gradum adulterium perpetrarunt: si tamen tales Confessarii sint viri docti, atque ad hoc a suo Provinciali deputentur. Et hæc quidem expiatio est necessaria juxta tenorem concessionis, & praxin, prout notat Henricx *cit. disp. 4. nu. 68.* Et Portel *in Dubiis Regularium, verf. Confessor. num. 23.* ubi bene addit, quod ejusmodi licentia cuipiam Confessario ab uno Provinciali facta, non expirat amoto Provinciali ab officio; eo quod illa facultas non detur a Provinciali, sed ad committionem sive deputationem ipsius a Papa, cujus gratia jam facta non expirat morte concedentis. Sunt quidem nonnulli Authores, qui præmissam Provincialis deputationem non requiri asserunt, quos refert, & sequitur Antonius a Spiritu S. Carmelita, *in Directorio Regularium, part. 1. tract. 2. disp. 1. sect. 2. §. 3. num. 112.* & Diana *par. 2. tract. 1. resol. 14. & part. 5. tract. 13. resol. 46.* ubi hoc ipsum non improbabile censet, licet in priori loco oppositam sententiam sequatur. Verum tenor concessionis S. Pii V. quam refert Rodericus *tom. 1. q. Regul. quæst. 63. art. 1. & 2.* expresse requirit, quod ejusmodi dispensatio in Foro conscientiæ ad petendum debitum fiat *ex commissione Provincialis*.

49. CONCL. V. Dispensatio in votis, ut sit valida, requirit causam justam dispensandi. Ratio est: quia potestas dispensandi in jure Superioris, nempe ipsius Dei, Prælatis Ecclesiæ *data est in ædificationem, & non in destructionem*: ut dicit Apostolus *2. Corinth. 13. v. 10.* Id autem non esset, si possent dispensare absolute absque ulla causa.

50. Porro causæ justæ dispensandi in Votis oriuntur ex variis motivis. I. Ex imperfectione actus, si absque prudente & perfecta deliberatione, in ira, meta, mœrore, vel tenera ætate &c. Votum factum sit, *arg. cap. 2. de Voto*: quamvis ob imperfectionem actus, & defectum sufficientis deliberationis quandoque Votum penitus non obliget. (f) II. Ex materia Voti, si nimirum proventi, spectata corporis constitutione, naturæ fragilitate, &c. Votum ipsius majoris ruinæ periculum parturum videatur: adeoque spectatis omnibus dispensatio ad spiritualem ejus utilitatem (quæ præcipue hic consideranda est) cessura videatur. III. Ob difficultatem exequendi Votum postea supervenientem, vel ante non prævisam; quamvis interdum, si hæc gravis & manifesta sit, obligatio Voti per se sine dispensatione cesset. (g) IV. Ob necessitatem, vel magnam utilitatem Reipublicæ, aut familiæ: ut si quis longas peregrinationes vovisset, cum præstaret ipsum familiæ, vel Reipublicæ regendæ interesse, aut hujusmodi. Unde bene Innocentius III. relatus *cap. Magna, de Voto*: ait: quod in materia dispensationis Votorum hæc tria semper consideranda sint, videlicet, *quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, & quid expediat secundum utilitatem*.

51. Quæres, num prædicta etiam locum habeant in Votis in favorem tertii emissis, ut pura in Voto dandi eleemosynam certæ personæ indigenti, aut certæ Ecclesiæ; ita ut ejusmodi Votum adhuc possit commutari,

mutari, vel dispensari ab habentibus facultatem commutandi, vel dispensandi Voti? Resse distinguendum. Num si ejusmodi personæ pauperi, vel Ecclesiæ, per acceptationem, ab ipso vel Rectore Ecclesiæ, aliove administratore factam, jus acquisitum jam fuit, tunc amplius absque ejusdem consensu commutationi, vel dispensationi locus non est: quia privilegia commutandi, vel dispensandi in Votis, intelliguntur esse concessa sine præjudicio atque injuria tertii. Secus dicendum de ejusmodi Votis spectatis ante factam illam acceptationem; quia enim tertio tunc nondum aliquod jus, actio, aut petitio competit, Votum alicujus certæ personæ pauperis, aut Ecclesiæ commodum & favorem edita, per dispensationem vel commutationem tolli posse, communior est sententia. Ita Lud. Miranda *tom. 1. Manual. Prælat. quæst. 48. art. 4.* Layman *tract. 4. de Voto, c. 8. n. 21.* Sylvester, & alii.

52. Tandem pro fine hujus materiæ, & conformiter dictis supra (h) notandum, quod qui habet potestatem dispensandi, seu commutandi Vota, censetur similiter habere facultatem dispensandi, seu commutandi Juramenta. Ratio desumitur ex dictis ibidem: quia Votum, & Juramentum promissorum Deo factum, æquiparantur quoad vinculum; ideoque dispositum de uno censeri etiam debet dispositum de altero. Et quidem inter omnes convenit, eos, qui ratione muneris sui ordinarium habent potestatem commutandi, vel dispensandi Vota (ut sunt Episcopi, cæterique quasi Episcopalem jurisdictionem ordinariam habentes) posse eadem quoque authoritate respectu sibi subjectorum Vota jurejurando confirmata commutare, vel dispensare.

53. Cæterum loquendo de Regularibus Mendicantibus, & Communitatibus in eorum privilegiis, qui quoad sæculares potestates habent potestatem solum delegatam dispensandi, vel commutandi Vota (exceptis quinque votis Sedis Apostolicæ specialiter reservatis) variant Doctores, an dicti Religiosi similiter habeant potestatem dispensandi, vel commutandi Juramenta. Siquidem Azorius *part. 2. lib. 11. cap. 19. q. 2.* cum quibusdam aliis, sententiam negativam tenet. Nihilominus partem affirmativam, videlicet Religiosos Mendicantes posse dispensare, vel commutare etiam Juramenta, tenent plures alii Doctores, quos citat & sequitur Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 2. num. 18.* Schurg. *disp. 6. de Juram. q. 3. n. 8.* Lessius *lib. 2. de just. & jure, c. 42. nu. 59.* & alii: nam mihi tat æque pro illis superius allata ratio. Accedit extensio Gregorii XIII. juxta quam possunt regulares Mendicantes commutare Vota etiam jurata, dummodo commutatio non fiat in præjudicium tertii, prout habetur in Compendio Privilegiorum, *verf. Votum in Capucini Annotatione*.

QUÆSTIO V.

Quomodo practice impetrari possit Dispensatio in Votis?

SUMMARIUM.

54 *Ponitur casus conformis materiæ.*
55 *Indaget Confessarius 1. An Puella vere Votum emiserit?*
56 *Indaget II. An fuerit Votum perpetuæ Castitatis?*
57 *III. An fuerit absolutum, vel conditionatum?*
58 *IV. In qua ætate fuerit emissum?*
59 *V. Indaget, an quoad dispensationem non sit periculum in mora?*
60 *Norma Suppletionis faciendæ.*
61 *Norma Responsionis ad Supplicam.*
62 *Quidnam debeat notare Executor Dispensationis circa Confessionem Mendicantium injungendam?*
63 *Quidnam observandum circa alia pietatis opera injungenda?*
64 *Qualis adhuc Instructio danda ab Executore tali dispensato?*
65 *Qualiter dispensatus sit absolvendus?*
66 *Qualiter practice sit procedendum, ut dispensetur in Voto Religionis?*
67 *Ponitur Supplica circa Votum Religionis.*
68 *Rescriptum ad priorem Supplicam.*
69 *Qualiter dispensetur cum puella, si non adsit periculum incontinentiæ?*

54. PONamus Casum in Voto Castitatis; nimirum quod quædam puella soluta voverit perpetuam Castitatem, modo autem suis orbata Parentibus sit in eo statu, ubi variis exponitur periculis incontinentiæ; quare instanter petit dispensari ad effectum nubendi. Quæritur, quomodo practice res sit instituenda?

55. Respondeo: Confessarium prudenter & recte agere quoad præsens, si indaget I. Num talis puella vere emiserit Votum, inten-

intendendo se obligare sub culpa, vel saltem sub levi, si tamen firmum eligerit propositum quoddam servandi Castitatem, eo ferme modo, quo homines in Confessionali sibi fixum firmissime proponunt vitare deinceps peccata confessa; non tamen exinde vovent. Quod si puella dicat, se tantum fecisse propositum, ante saltem prudenter dubitet, num fuerit propositum, vel votum, incurrique obligationem: quoniam liberrasset in professione. Quando vero judicat, se voluisse pro tunc obstringere Voto, ulterius

58. Indaget II. Quomodo ergo vovent: nimirum an hoc Votum fuerit perpetuæ & integræ Castitatis: nam (ut jam dictum *præced. quæst. numer. 44. & seqq.*) in Votis *non nubendi, servandæ Virginitatis*, aut *Castitatis perfectæ* quidem sed non *perpetuæ*, poterunt denuo dispensare Confessarii privilegiati: ubi tamen in similibus semper notent præfati, ne hoc faciant sine causa; alias enim erit invalida dispensatio. Item ne facile dispenset ex integro, sed subjungant v. g. Confessionem singulis mensibus biennio faciendam &c. Item addant in Votis perpetuis, etsi non perfectis, v. g. in Voto non nubendi &c. opus saltem leve perpetuum, puta, qualibet septimana duo vel tria *Pater noster*, & *Ave Maria*. Vide Sporer *part. 3. Theol. Moral. exp. 3. sect. 4. n. 128.* Quod si vero talis emittent Votum integræ & perpetuæ Castitatis

57. Indaget III. An hoc Votum fuerit absolutum, vel conditionatum. Etenim in conditionato adhuc posset Confessarius privilegiatus dispensare saltem ante adventum conditionis, de quo pariter jam facta est mentio superius *n. 46.* Quando vero foret absolutum

58. Indaget IV. Qua ætate emiserit hoc votum; etenim ante annos pubertatis (N. B. Masculi dicuntur impuberes, nisi duodecim annum decimum quartum, fœmellæ vero, usqueduum duodecimum compleverunt) emissa Vota, & postmodum in pubertate non de novo ratificata, possunt irritari ab ipsomet Parente vel Tutore Pupilli, & quidem ordinarie sine ulla causa gravi, cum voluntas filiorum in voluntate Patris aut sui Tutoris existat. Vide meum Jus Canonicum *lib. 3. Decret. tit. 34. n. 12. & 15.* Si autem promisisset, aut de novo ratificasset adepta jam pubertate

59. Indaget, & attendat V. Num forsan non adsit urgens necessitas dispensandi, similique periculum in mora, quo casu posset dispensare juxta dicta antecedentia Ordinarius seu Episcopus supplicantis; alias vero erit scribendum Romam ad sacram Pœnitentiariam, illas Litteras vel per tertium, puta, per Generalem Procuratorem Ordinis, aut per aliquem Agentem Romanum, vel immediate per postam ordinariam dirigendo Romam ad Majorem Pœnitentiarium cum sequenti superscriptione: *Eminentissimo & Reverendissimo D. Cardinali Majori Pœnitentiario &c.*

60. Porro in dicta Epistola veridicum quoque specificet animum, ob quam Orator, seu Oratrix supplicat dispensari, v. g. in nostro præcedenti casu posset sic formari:

N. Puella saluta emissa Votum Castitatis perpetuæ, sed cum adsit, vel futurum esse prævideat periculum incontinentiæ (si alia foret causa petendi dispensationem, eadem inseratur) *humillime supplicat pro dispensatione ad effectum nubendi, quam gratiam fidelis pro fœlibili precibus sui demeruit. Dignetur autem Eminentia Vestra referibere ad N. N. in Diœcesi N. oppido N.* Hic ponatur una cum expressione Diœcesis & oppidi nomen & cognomen illius, ad quem Litteræ dispensatoriæ debent dirigi v. g. ad Confessarium, nullatenus autem exprimatur verum nomen & cognomen ipsius supplicantis, puta, in præsenti casu illius puellæ solutæ: nam in Pœnitentiaria similia omittuntur.

61. Ad factam supplicationem solet ordinarie, accommodando ad præsentem casum responderi in forma sequenti:

Si Periculum.

Sacra Pœnitentiaria tibi Confessario N. Latore præsentium electo, concedit facultatem, ut Latrici præfatum votum ad effectum nubendi tantum, Authoritate Apostolica dispenſando, commutandi in Sacramentalem Confessionem semel quolibet mense, & in alia Pœnitentia opera per te injungenda, inter quæ sint etiam aliqua pietatis, quæ quotidie facere tenetur, ut ea adimpleta animæ sic semper obligationis, qua, emisso voto, astringebatur, prout secundum Deum ipsius animæ saluti expedire judicaveris, in foro conscientiæ, & Sacramentali Confessione tantum. Imo, quod facito, cui conjungetur, supervixerit, Castitatem servet, ut prius obligata, &, si unquam extra matrimonium fornicata fuerit,

aut*

aut mortuo vero alteri nupserit absque nova dispensatione, sciat se contra votum Castitatis facere, & debitum conjugale exigere non posse. Et ita eam moneat &c.

62. Circa præsentem Ordinariam formam Dispensationis Executor per has Litteras deputatus notet I. Sequentem clausulam: *Dispenſando commutet in Sacramentalem Confessionem semel quolibet mense, & in alia Pœnitentia opera prefacta injungenda &c. inter quæ sint etiam alia pietatis, quæ quotidie facere tenetur.* Ex qua deducitur, tria debere dispensando injungi: I. Sacramentalem Confessionem quolibet mense, vel si ejs negotia, aut alias graves rationes id ferri non posset, etiam licitum foret (quidquid demum nonnulli contradicant) eandem ad bimestre, vel trimestre extendere, præsertim si clausula sic habeat: *Singulis mensibus, vel quoties tibi videbitur.* Aut saltem si ad finem hujus specificationis addat: *prout secundum Deum ipsius animæ saluti expedire judicaveris &c.* II. Debent imponi tertiam aliam opera, puta, medium Rosarium intra octiduum semel recitandum &c. vel respectu divinum opus misericordiæ qualibet septimana semel &c. vel Lectio spiritualis, aut aliqualis mortificatio in cibo vel potu &c. vel oratio pro Defunctis præsertim quoad pauperes, quæ apud eosdem loco eleemosynæ corporalis poterit succedere &c. prout secundum DEUM & animæ salutem, Statum, Sexum, & ætatem pœnitentis expedire videbitur &c. III. Debent præterea adjungi adhuc aliqua opera quotidiana, puta, singulis diebus de mane & de nocte unum *Ave Maria* &c.

64. Notet Executor hujus Dispensationis I. Quod præterea Pœnitentem oporteat instruere in sequentibus. I. Quod hæc opera pietatis quotidiana injungantur, ut quotidie recordetur obligationis, quam ob votum habebat. II. Quod commutatio, quæ datur ad posse contrahere matrimonium, ad nihil inserviat, quousque ipsum matrimonium contrahatur, & si carnaliter peccaret ante talem contractum, contra votum delinqueret: unde nec tenetur implere pœnitentias impositas, nisi a die contracti & consummati matrimonii. III. Quod commutatio, quæ datur, non solum valeat ad posse contrahere matrimonium, sed etiam ad posse reddere & exigere debitum conjugale. IV. Quod hæc commutatio valeat solum ad contrahendum & consummandum semel matrimonium, unde mortuo viro, cum quo modo intendit contrahere, aliam ducere non potest sine nova dispensatione, cum statim Obligatio voti reviviscat, sicut erat a principio. V. Quod, si durante matrimonio extra illius usum fiat lictum, alium actum carnis peccaminosum fecerit, contra Votum peccet, & teneatur hanc circumstantiam aperire in Confessione.

65. Notet III. Quod post hanc instructionem talis pœnitens impositis prius pœnitentia pro peccatis etiam aliis in Confessione detectis, absolvatur in forma Ecclesiæ consuta a censuris, & peccatis per ista verba: *Dominus noster JESUS Christus te absolvat &c.* Deinde *ego te absolvo a peccatis tuis &c.* quibus subjungat: *item Auctoritate Apostolica specialiter mihi delegata tibi votum Castitatis, quod emisisti ad effectum, ut matrimonium contrahere, ac debitum conjugale reddere, & exigere licite valeas, in opera tibi præscripta dispenſando commuto in Nomine Patris &c. Pereat Domine Noſri &c.* Et licet ista formula expressa non sit omnino de essentia dispensationis, attamen saltem est valde congrua.

66. Quæres, quomodo practice procedendum, ut dispensetur cum aliquo in Voto Religionis? Exempli gratia formemus hunc casum, quod quis voverit ingredi certam Religionem, postea tamen seductus in juventute nomen dederit militiæ, modo autem exauctoratus, ac stimulis carnis agitatus cupiat nubere, quomodo ergo instruenda Supplica?

67. Respondeo, præmissa, & cum grano salis applicatis prioribus indagationibus de voto simplici Castitatis, taliter Supplica poterit instrui:

N. Pro nunc miles exauctoratus, antea studiosus votum fecit in humanioribus scholis, ut juvenis annorum N.N. quod ingredi vellet certam aliquam Religionem assumendo ibi Statum Clericalem; quia tamen de facto tum ob stimulas carnis, quibus multum agitatur, tum ob mores militares depravatos se minus capacem judicat ad servitia talis Religionis, præsertim etiam, quia species illa ad studia ut plurimum evanuerunt, hinc humillime supplicat

tat pro commutatione hujus Voti ad effectum contrahendi matrimonium. Frequa gratia permanebit perpetuus ad Deum pro sua Sanctitate intercessor.

68. Adhanc Supplicam Rescriptum Romanum similis erit plerumque formulæ.

Pro parte Laicis nobis oblata petitio continebat, quod ipse ut Juvenis annorum &c. ingressum in certam Religionem simpliciter voverit, assumendi ibidem Statum Clericalem. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, tum ob stimulos carnis, quibus multum agitatur, tum ob depravatas venere militares se minus aptum judicet ad servitia Religionis, hinc pro conscientia sua quinte cupit votum hujusmodi ad effectum contrahendi matrimonium, in alia pœnitentia & pietatis opera per Sedem Apostolicam commutari. Quare supplicari fecit humiliter, sibi super id de opportuno remedio misericorditer provideri. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ D. Papæ curam gerimus, ejusmodi supplicationibus inclinati, Auctoritate Apostolica specialiter nobis commissa discretioni tuæ committimus quatenus si ita esse per diligentem Oratoris examinationem, ac post monita & consilia opportuna illi præstita inveneris, eundem a mutatione propositi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta ei pœnitentia salutari, subinde votum prædictum ad hoc, ut matrimonium legitime contrahere possit, in frequentiam Sacramentalis Confessionis peccatorum suorum singulis scilicet mensibus semel, aut quoties tibi videbitur, & in alia pœnitentia opera perpetua, inter quæ sint etiam aliqua Religionis, quæ quotidie facere teneatur ad eum finem, ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis, qua hujusmodi voto astringebatur, prout ipsius animæ saluti expedire judicaveris, dispensando commutes in foro Conscientia & Sacramentali Confessione tantum. Datum Romæ &c.

69. Quod si non adest apud dispensandum verum periculum incontinentiæ, sed pœteretur dispensatio ob alias causas v. g. ratione profectæ ætatis, quæ videretur sufferendis Religionis oneribus impar, in eo casu, ordinarie loquendo, non solet dari dispensatio absolute, & ad effectum nubendi, sed restrictive & cum clausula: *Dummodo celibem vitam ducat*, vel: *ad effectum remanendi in sæculo in vita celibe.*

Qua clausula stante talis etiam in sæculo remanens nequit vi hujus dispensationis contrahere matrimonium.

TRA-

TRACTATUS VII.

DE JUSTITIA ET JURE, CÆTERISQUE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

POst explicatas Virtutes Theologicas, atque Religionem, utpote inter Virtutes Morales præstantissimam, ipsa materiarum connexio subministrat Tractatum de Virtutibus Cardinalibus, ac præsertim de Justitia & Jure; utpote de qua occurrunt Difficultates speciales, atque ob earum præstantiam scitu admodum necessariæ; adeo, ut materia de Justitia & Jure, ob sui excellentiam, simul & necessitatem, non solum in Theologia Morali, verum & speculativa fusius atque ex professo tractari consueverit. Nec immerito: si quidem & Spiritus Sanctus, tantæ Virtutis necessitatem generi humano inculcaturus, per os Sapientis in ipso exordio Libri Sapientiæ exclamat, dicens: *Diligite Justitiam, qui Judicatis terram*. De qua proinde, unica distinctione de cæteris Virtutibus Cardinalibus præmissa, præsens Tractatus instituitur.

DISTINCTIO I.

De Virtutibus Cardinalibus.

QUÆSTIO I.

De Prudentia, ejusque partibus.

SUMMARIUM.

1 *Ratio ordinis, ac præstantiæ hujus Tractatus.*
2 *Virtutes Cardinales, quæ? Et cur sic dictæ?*
3 *Prudentia encomia.*
4 *Prudentia, quid?*
5 *An sit unicus habitus?*
6 *Partes subjectivæ, potentiales, & integrales Prudentiæ, Justitiæ, &c. quid?*
7 *Partes subjectivæ Prudentiæ sunt quinque, nimirum Monastica,*
8 *Oeconomica, Politica, seu Civilis, Legislativa, & Militaris.*
9 *Partes potentiales Prudentiæ tres: Eubulia, Synesis, & Gnome. Epicheja, quid?* (2) Ut dictum Tract. 2. Diss. 4. n. 9. & seq.
10 *Partes integrales Prudentiæ sunt octo; quæ?*

2. COnveniunt Doctores, quatuor esse Virtutes Cardinales, videlicet Prudentiam, Justitiam, Temperantiam, & Fortitudinem; de quibus legitur *Sapient. c. 8. Sobrietatem enim & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Ubi per sobrietatem Temperantia, & per virtutem Fortitudo designatur. Idcirco autem hæ quatuor dicuntur *Virtutes Cardinales*, quia sunt tanquam aliarum Virtutum fontes & cardines:

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nes: nam quemadmodum ostium in cardine, sic omnis honestæ vitæ ratio in illis versatur, atque universa boni operis structura eisdem innititur.

3. Inter has autem primum locum sibi vindicat Prudentia: quæ licet secundum essentiam suam sit Virtus Intellectualis, ad hoc tamen inter Morales merito connumeratur, eo quod actionum nostrarum moralium sit directiva. Qua de causa pluribus passim ea encomiis exornatur: Prudentia etenim, sive discretio, (teste S. P. N. Francisco (teste S. Bonaventura *cap. 5. legenda*) recte vocatur *Auriga virtutum*: ipsa siquidem est lux agendorum, ars recte vivendi, voluntatis oculus, cæterarum virtutum dux, soror, & norma, sine qua nulla potest consistere. Nam, ut inquit S. Bernardus *Serm. 40. super Cantica*: *Tolle discretionem* (Prudentiam) *& virtus vitium erit*. Unde & in Jure Canonico *c. Prælatorum. 1. quæst. 6.* & *c. Custos. de Offic. Custod.* legitur, quod Prudentia, sive *Discretio mater est omnium virtutum*.

4. CONCL. I. Prudentia est recta agendorum ratio: sive est virtus, quæ secundum honesti rationem quid agendum, quidve fugiendum sit, homini proponit. Ita in re communis: nam inquit S. Basilius *Hom. 12. ad Populum*: *Prudentia est recta eorum, quæ agenda vel non agenda sunt, cognitio*.

5. Quia tamen diversa sunt specie agibilia moralia, puta Prudentiam in particulari dijudicanda; hinc ipsa non est unicus habitus specie indistinctus, sed tot dantur habitus partiales Prudentiæ specie distincti, quot sunt virtutes specie diversæ in voluntate, respicientes diversa agibilia moralia, quæ a Prudentia in particulari dijudicanda, & dirigenda sunt. Quamvis omnes illi habitus partiales constituant unum totalem habitum prudentiæ in viro prudente: inniti, inquam, non specie, sed genere; prout cum Doctore Subtili *3. dist. 36. quæst. un.* §. *de alia*, notant Scotistæ communiter contra nonnullos alios.

6. Pro intelligentia sequentium est præmittendum, quod partes Prudentiæ (idem est de Justitia, Temperantia, & Fortitudine dicendum) aliæ dicantur subjectivæ, aliæ potentiales, aliæ integrales. *Partes subjectiva* sunt species, seu inferiora, in quas ejusmodi virtus subdividitur. Nomine *Partium Potentialium* intelliguntur virtutes, Prudentiæ v. g. affines, ad quam proinde ratione magnæ suæ cognationis reducuntur, eique annecti solent. *Partes integrales* tandem vocantur eæ, quæ ad perfectum actum prudentiæ concurrere debent; unde hæ non ex eo dicuntur integrantes, quasi virtutem ipsam integrent & componant, quemadmodum manus, pes & caput integrant corpus hominis; sed quod ad perfectum actum virtutis omnes concurrant, ut dictum.

7. CONCL. II. Partes subjectivæ, seu species sub Prudentia tanquam sub genere contentæ, sunt quinque, videlicet Monastica, Œconomica, Politica, Legislativa, & Militaris. Ita D. Thomas 2. 2. 3. 47. & alii. Ratio est: quia *Prudentia* generatim alia est *Monastica* (quam & *Personalem* appellant) estque ea, qua quisque sibi & propriæ suæ directioni prospicit; & alia *Gubernativa*, quæ aliorum prospicit directioni. Atqui Gubernativa ulterius arcte subdividitur in quatuor enumeratas posteriores species: quælibet enim earum prospicit directioni aliorum, sed diversimode: ergo in omnibus erunt quinque.

8. Cæterum *Prudentia œconomica* est, quæ totius familiæ honestam institutionem tuetur, & gubernat, ejus bonum duntaxat attendens. *Prudentia Politica, seu civilis* est, qua quis recte novit administrare Rempublicam, legumque observantiam procurare: hæc enim spectat bonum commune Civitatis, seu Reipublicæ, sicut œconomica familiæ. *Prudentia legislativa* est, qua quis novit idoneas leges condere: & hæc vel maxime necessaria est Legislatoribus. Tandem *Prudentia militaris* est, qua recte administratur militia: & hæc requiritur in militibus, & amplius in belli Ducibus, ut militia recte administrata bonum commune strenue defendatur.

9. CONCL. III. Partes potentiales prudentiæ tres communiter assignantur cum D. Thoma *loc. cit. q. 51.* videlicet Eubulia, Synesis, & Gnome. *Eubulia* (latine bona consultatio) est habitus recte inclinans ad consultandum, seu ad excogitanda media apta pro consecutione finis. *Synesis* (quod latine est, sensate discernere) est habitus disponens ad ferendum rectum judicium de particularibus operabilibus consultatis, idque juxta regulas communes. *Gnome* est habitus recte judicandi ex principiis quibusdam altioribus præter ordinarias leges, sive contra tenorem verborum legis: prout fit per Epichetam, quæ est benigna legis interpretatio secundum æquum & justum, quæ-

tunque nonnunquam determinantur, seu practicanda judicantur aliqua contra verba legis, esi non contra mentem legis; eo quod ejusmodi casum ob speciales circumstantias non censeatur Legislator comprehendere voluisse sub lege generaliter lata. (a) Notat tamen Herincx *disp. 1. de Prudentia. quæst. 1. nu. 15.* quod Synesis & Gnome revera sint ipsamet Prudentia, eamque integrent, uti diversi habitus circa diversas conclusiones integrant unam scientiam totalem.

10. CONCL. IV. Partes integrantes, sive integrales Prudentiæ, a S. Thoma *loc. cit. quæst. 48.* & aliis, octo numerantur. I. *Memoria præteritorum*: nam hæc magnam opem affert ad recte formandas deliberationes de fine, ac mediis ad finem assumendis; quia ex ea nascitur experientia, optima rerum magistra. II. *Intellectio*, id est, cognitio primorum principiorum practicorum. III. *Docilitas*; qua quis facilitatur ad prompte acquiescendum monitis prudentium, quibus recte instituitur. IV. *Solertia*; qua operans disponitur ad facilem, & subitum mediorum excogitationem. V. *Ratio*; qua quis promptus efficitur ad inferendum unum ex alio simili, atque applicandum principia generalia ad particulares conclusiones. VI. *Circumspectio*; per hanc quippe habilitatur homo ad recte expendendas omnes circumstantias actionis moralis. VII. *Prudentia*; qua recte expenduntur futura agibilia moralia, veluti jam connexa cum præsentibus. VIII. *Cautio*; qua instruitur operans, qualiter declinare debeat impedimenta occurrentia, & ne sub specie boni voluntas applicetur malis. Sciendum tamen, quod prædictæ octo non eodem modo consecantur partes integrantes Prudentiæ: nam quinque priores eatenus dicuntur tales, in quantum prærequiruntur ut conditiones previæ ad actum, seu executionem Prudentiæ; sed tres posteriores, quatenus sunt aliqui actus Prudentiæ, ut notat Sanig. *disp. 2. de Prud. quæst. 1. n. 12.*

QUÆSTIO II.

De Vitiis Prudentiæ oppositis.

SUMMARIUM.

11 *Prudentia qua vitia opponantur?*
12 *Per defectum contra Prudentiam peccatur Precipitatione, Inconsiderantia, Inconstantia, & Negligentia. Baiffenstuel Theol. Moral.*
13 *Per excessum contra eam peccatur sex modis.*
14 *Prudentia carnis, qua?*
15 *Astutia, quid?*
16 *Dolus, &*
17 *Fraus, quid?*
18 *Sollicitudo temporalium, qua?*
19 *Non prohibetur moderata sollicitudo temporalium.*
20 *Sollicitudo futurorum, qua?*

11. CONCL. I. Licet omne peccatum opponatur Prudentiæ, eo quod sit contra rectum ejus dictamen: magis tamen directe, ac generatim loquendo opponitur Prudentiæ hinc per defectum Imprudentia, illinc per excessum, seu quasi excessum, Prudentia falsa sive fucata. Ita communis; & ratio est, quia Prudentia consistit in medio, non minus, ac aliæ Virtutes morales; ergo peteſt contra eam peccari non solum per defectum, sed etiam per excessum, seu quasi excessum. Unde inquit Apostolus *Rom. 12. Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*.

12. CONCL. II. Per defectum, sive Imprudentiam, peccatur contra virtutem Prudentiæ quadrupliciter, videlicet Præcipitatione, Inconsideratione, Inconstantia, & Negligentia. Et quidem *Precipitatione* peccatur contra Prudentiam, dum quis proposito aliquo fine statim opus aggreditur, non præmissa sufficienti deliberatione de totius negotii qualitate, de mediis illud exequendi, deque cavendis impedimentis. *Inconsideratione* peccatur contra ipsam, dum temere judicatur, & concluditur de ipso opere exequendo, non præmissa diligenti rerum ac circumstantiarum inspectione. *Inconstantia* vero contra Prudentiam peccat ille, qui rebus jam semel deliberatis, ac recte judicatis, sine ulla, vel certe sine sufficienti causa murat judicium suum. Et tandem contra eandem Prudentiam peccatur *Negligentia*, quæ est omissio diligentiæ requisitæ in actu intellectus ad excitandam & dirigendam voluntatem, ac vires externas, ut exequantur illud opus, quod faciendum esse, judicatum est.

13. CONCL. III. Per excessum, aut quasi excessum, seu potius quadam falsa seu fucata specie Prudentiæ, peccatur contra eam sex modis, videlicet Prudentia carnis, Astutia, Dolo, Fraude Sollicitudine temporalium, & Sollicitudine futurorum. Ita communis.

14. *Prudentia carnis* ea dicitur, qua quis novit excogitare idonea media ad opera carnis complenda: qualia sunt fornicatio, immunditia, gula, ira, & cætera hujusmodi, quæ recenset Apostolus *Galat.* 5. Et hæc Prudentia carnis, qua quis vivit secundum carnem, id est, secundum instinctus, commoditates ac motus naturæ corruptæ, opponitur Prudentiæ spiritus, quæ novit excogitare idonea media ad opera spiritus seu virtutum perficienda. De qua utraque legitur *Rom. c. 8. Prudentia carnis mors est; Prudentia autem spiritus vita & pax: quoniam sapientia carnis inimica est Deo.*

15. *Astutia* sumitur hic in malam partem, nempe pro notitia prævorum mediorum ad fallendum proximum idoneorum, cum affectu id opere exequendi. Et hæc continet artem simulandi, & dissimulandi, estque species quædam Prudentiæ carnis: illi etenim maxime videntur esse potentes secundum carnem, qui modos norunt occultos fallendi proximum, & sic obtinendi bona temporalia. Porro Astutiæ vitium alio nomine dicitur *Cordis duplicitas*, de qua *Ecclesiastici* 2. dicitur: *Væ duplici corde, & labiis scelaratis, & manibus male facientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis.*

16. *Dolus* est actus externus, seu executio ipsius Astutiæ; & habet præcipue locum in materia Justitiæ, puta in contractibus humanis. Et communiter definitur, quod sit machinatio ad circumveniendum, decipiendum, seu fallendum proximum adhibita.

17. *Fraus* ferme idem est, quod dolus: differt tamen ex eo a Dolo, quod Fraus fiat per factа; ut cum mensura est minor justo, vel cum moneta est adulterina, & hujusmodi. Unde Fraus est quid minus commune, quam Dolus.

18. *Sollicitudo temporalium* est nimia mentis occupatio in conquirendis, & conservandis rebus temporalibus, proveniens ex inordinato habendi amore, & amittendi timore. Unde tria in hoc vitio includuntur, nempe nimius affectus ad bona temporalia, timor & anxietas in iis conquirendis vel conservandis, simulque nimia occupatio mentis in illis cogitandis & tractandis. Et hanc inordinatam temporalium Sollicitudinem, veluti valde perniciosam animæ, passim reprehendit Scriptura Sacra, & vel maxime Christus Dominus *Matth. 6.* dicens: *Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini*; & alibi.

19. Cæterum prædictis verbis prohibetur solum inordinata temporalium Sollicitudo, id est, ea, quæ est conjuncta cum nimio affectu temporalium, nimiaque mentis occupatione, & anxietate in iis conquirendis, & conservandis. Siquidem moderata sollicitudo & provisio temporalium, quæ sit absque nimio ad eadem affectu, cordisque anxietate, non solum non est prohibita, sed etiam commendatur, *Prov.* 6. ibi: *Vade ad formicam, o piger.* Et *Prov.* 10. *Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem æstate dormit, filius confusionis.* Huc facit illa generalis maledictio toti humano generi data *Gen. 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo.*

20. Tandem *Sollicitudo futurorum* est species quædam Sollicitudinis temporalium; & consistit in nimia animi occupatione circa futura, maxime ut vitæ necessaria habentur, quæ est conjuncta cum cordis anxietate & parva fiducia Divinæ Providentiæ: ut cum quis plus justo sollicitus est de victu, vestitu, aliisque rebus necessariis in futurum annum, mensem, vel diem.

QUÆSTIO III.

De Justitia, & variis ipsam concernentibus.

SUMMARIUM.

21 *De his remissive.*

21. MAteria præsentis quæstionis commodius examinabitur inferius *dist. seq. quæst.* 1. & 2.

QUÆSTIO IV.

De Temperantia, & annexis Virtutibus.

SUMMARIUM.

22 *Temperantia, quid? Sumitur etiam large.*
23 *Ejus partes subjectivæ sunt tres: Abstinentia.* (b) Tr. 3. Dist. 3. quæst. 6. *Sobrietas, &* (c) Cit. quæst. 6. n. 45. & seq.
24 *Castitas.* (d) Tr. 9. Dist. quæst. 1. & seq. *Pudicitia, & Continentia reduntur ad Castitatem.*

25 *Partes*

25 *Partes potentiales Temperantiæ; quæ?*
26 *Mansuetudo.*
27 *Clementia.*
28 *Studiositas.*
29 *Humilitas, &* (e) Tr. 3. Dist. 3. quæst.
30 *Modestia quid, & qua vitia ei opponantur?*
31 *Eutrapelia, quid?*
32 *Temperantia partes integrantes sunt Verecundia, & Honestas.*

22. CONCL. I. *Temperantia* est Virtus refrænans inordinatos appetitus & concupiscentias corporis, præsertim circa gustum & tactum. Ita communis. Dicitur notanter, *præsertim circa gustum & tactum*: quia Temperantia proprie dicta proxime versatur in moderandis voluptatibus gustus & tactus, quæ solent oriri ex esculentis, poculentis, & venereis. Unde nemo proprie judicatur intemperans, qui immodice delectatur in contemplatione rerum naturalium, in honoribus, in picturis, aut cantibus cæteroquin honestis, vel in odoriferis, & hujusmodi; sed talis proprie dicitur curiosus, ambitiosus, vel alio ejusmodi nomine notatur. Verum hoc intelligendum de temperantia proprie dicta: nam si ea sumatur generaliter & large, sic *Temperantia* est virtus, quæ refrænat affectum hominis ab iis, quæ ipsum quomodocunque contra præscriptum rationis allicunt.

23. CONCL. II. Temperantiæ proprie accepæ tres potissimum sunt partes subjectivæ, seu species, videlicet Abstinentia, Sobrietas, & Castitas; quamvis nonnulli addant Pudicitiam. *Abstinentia* est virtus, quæ secundum rectam rationem moderatur appetitum, usumque ciborum oblectantium. Huic peculiariter adversatur *Gula*, quæ est inordinatus appetitus, vel usus ciborum, voluptatis causa: sed de hac jam alibi. (b) *Sobrietas* est virtus, quæ secundum rectam rationem moderatur inordinatum appetitum, usumque potionis, vim inebriandi habentis. Huic adversatur *Ebrietas*, quæ est excessus in potu inebriante voluptatis causa factus, donec usus rationis sopiatur: de qua pariter jam dictum. (c)

24. *Castitas* tandem est virtus, quæ moderatur inordinatum appetitum, usumque venereorum: & hæc triplex est, nempe Virginalis, Vidualis, & Conjugalis; de qua, sicut & de oppositis vitiis, ex professo alibi. (d) *Pudicitia* est moderantia circa oscula illicita, tactusque impudicos, & similes lascivias, aspectulque venereos; & dicitur *Pudicitia*, quatenus pudori, qui in usu illorum intervenire solet, conformis existit. Quia tamen censetur una eademque virtus circa prævia, & circa principale: hinc Pudicitia commode reducitur ad Castitatem. Idem dicendum de *Continentia*, quæ est virtus refrænans motus concupiscentiæ carnalis contra rectam rationem insurgentes: quinimo hæc in re est ipsa Castitas.

25. CONCL. III. Ad Temperantiam plures aliæ reducuntur virtutes, quæ & partes potentiales ipsius appellantur ratione magnæ suæ affinitatis, quam cum temperantia habent; videlicet Mansuetudo, Clementia, Studiositas, Humilitas, Modestia, Eutrapelia.

26. *Mansuetudo* est virtus temperans irrationabiles passiones iræ, juxta mensuram rectæ rationis. Et dicitur, *juxta mensuram rectæ rationis*: nam contra eam potest peccari tum secundum excessum per peccatum iracundiæ; tum secundum defectum per iræ vacuitatem, scilicet non increpando, castigando, & vindicando malum, ubi & sicut oportet.

27. *Clementia* magnam cum Mansuetudine gerit affinitatem, nec aliud est, quam lenitas superioris adversus inferiorem in constituendis pœnis. Huic per excessum adversatur *Crudelitas*; per defectum vero *nimia*, seu indiscreta *lenitas*.

28. *Studiositas* est virtus, inordinatam sciendi cupiditatem temperans; nam omnis homo naturaliter scire desiderat. Eidem secundum excessum opponitur *Curiositas*, quæ est superflua cognoscendi, aut discendi cura, quamque prohibitam legimus *Ecclesiastici c. 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; & in pluribus operibus ejus* (Dei) *ne fueris curiosus*. Secundum defectum adversatur eidem *Negligentia*; quæ est voluntaria omissio eorum addiscendorum, quorum cognitio ad cujusque statum vel officium spectat.

29. *Humilitas* est virtus temperans inordinatum appetitum tendendi ad excelsa. Sive, ut eam S. Bernardus *tract. de 12. gradibus humilitatis*, definit: *Humilitas est virtus, qua homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit*. Huic secundum excessum contrariatur *Superbia*, de qua jam alibi: (e) & secundum defectum *nimia Abjectio sui*.

30. *Modestia* est virtus moderans exteriores corporis actiones juxta præscriptum re-

ctæ rationis: estque alia Modestia, quæ servatur in verbis; alia, quæ in factis; & alia, quæ in exteriori cultu, sive in decenti apparatu vestium, convivorum, atque suppellectilis, juxta propriam cujusque status mensuram observatur. Modestiæ secundum excessum opponitur *Prodigentia*, *Scitolentia* secundum defectum vero *morum Rudities*.

31. Tandem *Eutrapelia* est virtus, in recreationibus honestis, atque ad animi & corporis refocillationem susceptis, rectum rationis moderamen servans; nam excessus in eisdem, sicut & nimius defectus, in vitio sunt.

32. CONCL. IV. Partes integrantes Temperantiæ sunt Verecundia, & Honestas. *Verecundia* quandoque accipitur pro passione, sic quæ importat dolorem, vel timorem, confusionem ex consideratione alicujus facti inferentis dedecus: sed accepta pro habitu vel actu virtuoso, *Verecundia* est virtus, a turpibus & inhonestis cupiditatibus retrahens. *Honestas* vicissim est virtus, inclinans ad decorem in abstinentia inhonestarum voluptatum resplendentem.

QUÆSTIO V.

De fortitudine, ejusque partibus & oppositis Vitiis.

SUMMARIUM.

33 *Ratio ordinis.*
Fortitudo large, quid?
34 *Fortitudo propria, quid? Vir fortis, quis?*
35 *Fortitudinis partes potentiales, quæ?*
36 *Magnanimitas, Confidentia, Patientia, & Perseverantia, quid?*
37 *Fortitudini opponitur Timiditas, stupiditas animi.*
38 *Audatia, & Iguavia animi.*

33. POstquam de Temperantia, quæ turpia refugit, & abstinet ab illicitis voluptatibus, dictum est; restat agendum de fortitudine, quæ honesta aggreditur, & animo doloremi fortiter sustinet: eo præsertim, quod & ipsa occupetur in moderandis passionibus animi, ne mentem ab honesto avocent, atque illis præsertim, quæ pertinet ad fugam corporalem malorum. Potest equidem Fortitudo in largiori sensu accipi pro firmitate animi in bono honesto, qualis in cujuslibet virtutis actione reperitur: verum in hac acceptione ea non est virtus a cæteris distincta, sed potius consilio ad omnem virtutem requisita. Proprie igitur loquendo de Fortitudine, sit

34. CONCL. I. *Fortitudo* est virtus, quæ voluntatem inclinat ad labores perferendos, & justa pericula aggredienda. Ita in re communis. Siquidem hæc virtus mediocritatem tenet inter Timiditatem & Audaciam, juxta illud Aristotelis 3. *Eth. c.* 6. dicentis, quod ea sit *Mediocritas circa metum & audaciam.* Nam Fortitudinis virtus consistit in perpessione justorum laborum, quos fugit Timiditas, & in aggressione justorum periculorum; ubi Audacia in quolibet pericula prorumpit, sive justa sint & honesta, sive non. Unde *Vir fortis* est, qui honestatis causa nunc quidem cum fiducia pericula aggreditur & tolerat, quando, ubi, & secundum rationem dictat; nunc vero ingruentia mala timet, aut sustinet, quæ & quando timere, aut tolerare oportet. Et de talibus legitur *Hebr.* 11. *Fortes facti sunt in bello.*

35. CONCL. II. Partes Fortitudinis potentiales (nam subjectivas non habet, quia hæc virtus versatur circa materiam valde specialem, quæ plures virtutum species constituere nequit) sunt præsertim Magnanimitas, Confidentia sive Securitas, Patientia, & Perseverantia: quæ quia sunt multum affines ipsi Fortitudini, recte partes potentiales ipsius dicuntur.

36. *Magnanimitas* est virtus, ad opera magna & heroica in omni virtutum genere inclinans. *Confidentia* (quam alii *Securitatem* appellant) est quietatio voluntatis orta ex fiducia, qua quis rationabiliter confidit, se malum imminens superaturum. *Patientia* est virtus, quæ in adversis rebus animi mœrorem temperat, ac mala præsentia æquanimiter tolerat. Et tandem *Perseverantia* est virtus, consistens in eo, quod quis in bene cœpris pergat, eaque usque ad finem continuet; juxta quod *Matth. cap.* 10. Salvator ait: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

37. CONCL. III. Fortitudini, quæ hinc timorem, illinc nimiam fiduciam sive audaciam moderatur, per excessum & defectum utriusque opponuntur varia vitia. In primis enim per excessum timoris, opponitur ipsi *Timiditas*, qua fit, ut mala imminentia nimium formidentur, & non aggrediantur, etiam dum recta ratio dictat aggressionem eorum. Per defectum vero timoris oppo-

nitur eidem *Stupiditas animi*, qua quis ob animi stuporem nulla mala seu pericula formidat, etiam quando eadem formidare, & cavere secundum rectam rationem deberet.

38. Deinde per excessum fiduciæ, opponitur Fortitudini *Audacia*, seu temeritas in aggrediendis periculis, quando, quomodo, vel ubi non oportet. Per defectum vero fiduciæ, oppositur Fortitudini aliud vitium, & dicitur *Iguavia animi*, nihil audentis, ubi, quando, & quomodo aggredi, vel sustinere oporteret.

QUÆSTIO VI.

Quæ requirantur ad Martyrium.

SUMMARIUM.

39 *Martyrium excellentissimus actus Fortitudinis.*
40 *Martyrium, quid?*
41 *An illud in adultis quæ requirantur?*
42 *Quid sufficiat in parvulis?*
43 *Hæretici propter sectam suam occisi, non sunt Martyres.*
44 *Ad Martyrium in adultis requiritur ejus acceptatio.*
45 *Quid, si dormiens occidatur in odium fidei?*
46 *Milites pugnantes contra Infideles, an sint Martyres?*
47 *Quid, si pugnent intentione defendendi fidem?*
48 *Exercent actum valde meritorium. Sententia notabilis circa hoc.*
(f) Vide dicenda in simili nu. 55. & 57.
49 *Morientes pro defensione cujuslibet virtutis supernaturalis, sunt vere Martyres.*
50 *Exempla hujus.*
51 *Quid, si Tyrannus alios pœnarum fingat?*
52 *Ad Martyrium requiritur, ut mors inferatur; quomodo?*
53 *Missi in carcerem, vel exilium, propter fidem, an, & quando sint Martyres?*
54 *Martyres desiderio, an sint propriæ Martyres?*
55 *Pulchra sententiæ circa Martyrium sunt sanctorum.*
Qua explicantur.
56 *Morientis in pia causa v. g. servitii proferorum, an sint Martyres?*
57 *Sensus fidelium antiquitus circa hoc.*
58 *Ad Martyrium requiritur vel status gratiæ, vel dispositio ad eam.*
59 *Ejusmodi debita dispositio, quæ? Reiffenstuel Theol. Moral.*
60 *Infantium facti Martyri, quidam pro Martyre.*

39. FOrtitudinis virtus vel maxime elucesceret occurrentibus malis seu periculis repentinis, iisque maximis, ut puta quæ mortem inferunt. Unde colligunt Doctores, Martyrium esse excellentissimum fortitudinis actum; Nam Martyres propter testimonium Christi, servandumque bonum veritatis Fidei, ipsam vitam profundere non perhorrescunt *Martyr* enim græce, latine *testis* est: unde *Martyres Christi* dicuntur quasi testes ipsius, sive veritatis, quæ per Christum nobis innotescit. Agendo igitur de Martyrio, sit

40. CONCL. I. *Martyrium* est tolerantia voluntaria mortis ex odio veræ Fidei, vel alterius Virtutis Christianæ inflictæ. Patebit hoc amplius ex declaratione conditionum ad Martyrium requisitarum; unde sit

41. CONCL. II. Ad verum Martyrium, tanquam excellentissimum actum virtutis Fortitudinis, requiritur in adultis ex parte intellectus vera Fides; ac deinde ex parte voluntatis pia voluntas tolerandæ mortem pro Fide Christi, vel pro defensione alterius Virtutis supernaturalis. Ita communis.

42. Dicitur I. *Requiritur in Adultis*. Nam in parvulis, qui nullum actum proprium elicere possunt, datur Martyrium absque actu propriæ voluntatis: quando occiduntur odio Fidei: ut patet in SS. Innocentibus, qui ab Herode Rege propter Christum occisi, rite ab Ecclesia coluntur tanquam Martyres. Ratio est: quia licet nullum possint elicere actum, quo acceptent Martyrium propter Fidem, adhuc tamen re ipsa propter fidem perdunt animam suam: ergo tam rituis in eis invenient, juxta generalem promissionem Christi, *Matth.* 10. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Omnino ex speciali privilegio Christi, occisio propter causam Fidei est parvulis instar Baptismi: unde salvantur, etiamsi in utero materno occidantur propter Christum, utpote proprio sanguine baptizati.

43. Dicitur II. *Requiritur ad Martyrium ex parte intellectus vera fides*: quia ut dicitur *Hebr. cap.* 11. *sine fide impossibile est placere Deo.* Unde Hæretici, si occidantur propter sectam suam hæreticam, quam profitentur, Martyres non sunt: imo, ut S. Augustinus in *Psalm.* 24. ait, *Martyrem non pœna, sed causa facit: pœna enim communis est latroni & Martyri, hæretico & Catholico, sed causa dispar.*

44. Dicitur III. *Deinde ex parte voluntatis*

pia voluntas tolerandi mortem pro fide Christi. Siquidem ad Martyrium in adultis omnino requiritur, ut mors voluntarie acceptetur propter Fidei veritatem tuendam: nam sicut ad Baptismum fluminis, ita & ad Martyrium, seu Baptismum sanguinis, requiritur consensus, sive prævia acceptatio illius.

45. Hinc si quis adultus in odium Fidei Christianæ dormiens occidatur, cum antea de morte propter Fidem inferenda nihil omnino cogitasset, sicque eam nullatenus acceptaverit, non est proprie censendus Martyr, prout notat Lessius *lib. 3. de just. & jure, c. 8. n. 25.* & Layman *lib. 3. tract. n. 4.* citans Suarezium. Secus foret, si quis ob Fidem in vincula conjectus, statuisset secum, mori potius, quam Fidem negare: nam si talis postea in odium Fidei dormiens interficiatur, verus Martyr erit; cum in simili etiam ille Baptismi Sacramentum suscipiat in somnis, qui illud antea desideraverat.

46. Quæres, an milites, qui in bello pro defensione veræ Fidei contra infideles juxta pro pugnantes occidantur, sint Martyres? Resp. I. Certum est, si ejusmodi milites intentionem suam non referant ad causam Fidei, vel aliud motivum supernaturale, sed ad alium finem, ut puta honorem, pecuniam, vel bonum duntaxat humanum Reipublicæ, eos occumbendo in tali bello neutiquam esse Martyres: cum non moriantur propter Christum, aut in testimonium alicujus veritatis supernaturalis a Deo revelatæ, sed ob finem mere humanum.

47. Resp. II. Supposita pia intentione defendendi veram Fidem contra hostes ejusdem, ipsoque statu gratiæ, milites in tali bello pugnantes exercent actum valde meritorium: si tamen pugnando occidantur, proprie Martyres non sunt. Ratio posterioris partis est: quia milites actu pugnantes, non voluntate, sed potius necessitate mortem sustinent; quinimo hanc hostibus inferrent, niti ab ipsis vincerentur. Insuper ipsi non præferunt mansuetudinem Christi, cujus Passio est exemplar veri Martyrii, quique, *cum paterentur, non comminabantur. 1. Petri 2.* Lessius *loc. cit. n. 36.* Layman, & alii. Accedit praxis, ac sensus Ecclesiæ, quæ decedentes in actuali pugna nunquam consuevit colere pro Martyribus.

48. Prior autem pars ex eo patet: quia milites illi, cæteroquin in statu gratiæ constituti, & ex tali optima intentione pugnantes, publicum Deo, veræque Fidei testimonium perhibent, hujusque augmentum atque propagationem totis viribus promovere satagunt, atque pro ejusdem defensione mortem saltem indirecte acceptant, dum periculo ipsius manifesto se exponere non perhorrescunt. Huc faciunt verba illa Gregorii Papæ IV. exhortatoria ad milites pro Christianorum defensione pugnantes, & consolatoria morientium in hac pulsura intentione, quæ referuntur *c. Omni timore 23. q. 8.* ibi: *Omni timore, ac terrore depulso contra inimicos sanctæ Fidei, & adversarios omnium Religionum agere viriliter studete. Novit enim Omnipotens, si quilibet vestrum moriatur, quod pro veritate Fidei, & salvatione patriæ, ac defensione Christianorum mortuus est, & ideo ab eo præmium cœlestis consequetur.* Idipsum S. Joannes a Capistrano, ejus Crucesignatis contra Turcas, insensissimos Christiani Nominis hostes, prope Belgradum fortiter pugnaturis, affectuose proponebat, illis (apud Vuaddingum ad Ann. 1456.) verbis: *O quam felices, qui in hac pugna Christi moriuntur; quia statim ab Angelis cum sanctis Martyribus, qui pro Fide mortui sunt, coronabuntur.* (1)

49. Dicitur IV. *Vel pro defensione alicujus veræ Virtutis supernaturalis:* nam non solum, qui propter Confessionem Fidei, sed etiam, qui pro defensione aliarum Virtutum supernaturalium moriuntur, Martyrii palmam consequuntur. Generaliter enim loquendo omnia Virtutum opera, quatenus referuntur in Deum, sunt quædam Fidei protestationes: quia dum quis potius vult mori, quam Deum peccato quopiam offendere, ipso facto protestatur, Deum esse Summum Bonum, ac omnibus aliis bonis creatis præferendum; quod est articulus Fidei Christianæ.

50. Infertur proinde, quod omnium Virtutum supernaturalium opera possint esse causa Martyrii. Sic enim S. Joannes Baptista est Martyr, quia in odium Virtutis ac Veritatis, quam libere ac impavide prædicabat, fuit occisus. Similiter multæ Sanctæ Virgines sunt Martyres, eo quod fuerint mortuæ pro defensione Virginitatis. Sic enim S. Thomas Episcopus Cantuariensis est Martyr, quia pro Catholica Ecclesia, ejusque Immunitate defendenda mortuus est: idem dicendum de plurimis aliis.

51. Et notandum, quod si quis ob prædictas causas occidatur, vere sit Martyr, licet Tyrannus alios falsos prætextus fingat. Nam & Judæi sub prætextu violatæ Legis Mosaicæ, & quod se Regem fecillet, Christum Dominum veluti malefactorem occiderunt, qui tamen Martyr fuit; imo Dux, & Princeps Martyrum. Similiter in primitiva Ecclesia non raro occidebantur Martyres, vere quidem in odium Fidei, sed sub prætextu perversionis Reipublicæ: quibus similia postmodum plurimis aliis SS. Martyribus falso imposita fuerunt.

42. CONCL. III. Ad Martyrium insuper requiritur, quod mors inferatur, ita ut vel mors re ipsa sequatur (& hoc est perfectissimum, & completum genus Martyrii) vel saltem posita fuerit causa sufficiens, ex qua naturaliter ipsa mors consequeretur, nisi divinitus impediatur. Ita communis, & tequitur Herincx *disp. 8. de Baptismo, quæst. 2.* Sic enim S. Joannes Evangelista ab Ecclesia celebratur inter Martyres, eo quod missus fuerit in ferventis olei dolium: & eadem ratione tres Pueri in fornacem Babylonicam missi, Martyres censentur, quia pro cultu unius veri Dei lethalem cruciatum (etsi postea divinitus impeditum) fornacis ardentis subire non exhorruerunt.

53. Infertur proinde I. Quod proprie & perfecte Martyres non sint, qui in vincula conjecti, vel in exilium acti, aut omnibus bonis suis spoliati, multa pro Fide Christi patiuntur, nisi forte secundum quod ex his mors sequitur; prout notat D. Thomas *2. 2. q. 124. art. 2.* Nam talia de se non sunt illativa mortis: quinimo consueverunt homines omnia hujusmodi subire, & gravissimos etiam corporis dolores sustinere, ut vitam conservent. Quod si vero ex præmissis ipsa mors sequatur, Martyrium perficitur: ut patet exemplo SS. Martyrum & Pontificum Marcelli, Joannis, Silverii, Martini, Pontiani, quos in carcerem, vel exilium missos, atque ibi ærumnis confectos, Ecclesia pro Martyribus veneratur.

54. Infertur II. Quod Martyres solo desiderio non sint proprie Martyres: non obstante, quod amorosissimo ejusmodi desiderio maximum in cœlis cumulum meritorum consequantur; ac, etiamsi affectus Martyrii ad effectum non deducatur, nihilominus ipsa sola eorum voluntas *Deo Judice coronetur, c. Nunquid Gaius, de pœnit. dist. 1.* Quia videlicet re ipsa non sufficient mortem propter Confessionem veræ Fidei, neque causam proximam illius.

55. Nec obstat id, quod de S. Martino Turonensi Episcopo, canit Ecclesia: *O sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen Martyrii nos amisisse.* Quo faciunt plures aliæ SS. Patrum sententiæ: ut illa S. Hieronymi, in Epitaphio Paulæ, circa finem: *Non solum effusio sanguinis in Confessione reputatur, sed devota quæque omnis servitus immaculata, quotidianum est Martyrium.* Accedit D. Augustinus *Serm. 250. de Tempore*, ibi: *Christianis quotidiana Martyria deesse non possunt. Sicut enim Castitas, & veritas, & justitia, Christus est: sic & ille, qui eis insidiatur, persecutor est. Qui & in aliis defendere, & in se custodire voluerit, Martyr erit.* Item S. Bernardus *Sententiæ brevior. Puritas in ubertate, largitas in paupertate, Castitas in juventute, Martyrium est sine sanguine.* Et concordant plures similes SS. Patrum sententiæ. Respondetur enim, hujusmodi authoritates loqui de Martyrio, non proprie, sed per quamdam similitudinem; ut explicat D. Thomas *2. 2. quæst. 125. art. 2. ad 1.* Unde idem D. Augustinus *lib. de sancta virginitate*, præfert Martyrium perpetuæ Virginitati. Martyrium enim inter omnes actus virtuosos maxime monstrat perfectionem Charitatis, juxta illud Salvatoris, *Joan. 15. Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

56. Infertur III. Quod morientes in causa pia, v. g. vitam prosituentes ob amorem Dei in servitio pestiferorum, proprie non sint Martyres, eo quod mors eisdem non inferatur odio Fidei Christianæ, vel alicujus Virtutis supernaturalis. Martyrium enim est testimonium externum, quod Christo, vel ejus doctrinæ præbetur per hoc, quod quis mortem pro ea voluntarie subeat; quod non fit, nisi adsit, qui mortem inferat, ut Christum vel ejus doctrinam nobis auferat. In quo sensu loquitur ille vulgatus, Martyrum patientium commendans versiculus: *Actio displicuit, Passio grata fuit:* per actionem denotans crudelitatem Tyrannorum mortem inferentium, per passionem vero patientiam SS. Martyrum.

57. Fatendum tamen, quod olim eos, *quicum postis ferventissima grassaretur Alexandria, morbo laborantibus ministrantes libentissime mortem oppetiere, velut Martyres religiosa fidelium fides venerari consuevit;* ut legitur in Martyrologio Romano, *ad diem 28. Februarii.* Quod quidem factum fuit propter excellentiam operis adeo heroici, atque eximiæ Charitatis, Christo in suis membris (Fidelibus nimirum) exhibitæ. Quamvis simul notanter ibidem addatur ly *velut Martyres*; ad insinuandum, quod proprie

loquendo, & in toto rigore, tales non sint Martyres.

58. CONCL. IV. Ut Martyrium cuipiam prosit ad salutem, requiritur insuper status gratiæ, vel saltem legitima dispositio ad gratiam, juxta illud Apostoli 1. *Corinth.* 13. *Et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quibus verbis excluduntur illi, qui nec Charitatem habent, nec ad eam sunt dispositi: ut sunt Schismatici, Hæretici, aut alii peccatis mortalibus affectu inhærentes; prout inter alios observat Herincx *disp. 8. de Baptismo. q. 2. n. 14.*

59. Porro dispositio debita ad Martyrium in peccatoribus, non solum est contritio perfecta, sed etiam attritio, ut innuit D. Thomas *part. 3. quæst. 78. art. 1.* dicens: *Passio pro Christo sustenta obtinet vim Baptismi:* ad hujus enim fructum consequendum sufficit in peccatoribus attritio. Concordat Scotus *4. d. 14. q. 1. §. ex his*, ac sequuntur Lessius, Martinus, Herincx, & alii.

60. Atque de hujusmodi Martyribus verificatur illud D. Augustini, *Serm. 17. de verbis Apostoli*, & refertur *cap. Cum Marthæ, §. tertio loco, de Celeb. Missar. injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Quod intellige, dummodo de ejusmodi Martyrio propter Christum perfecto legitime constet.

DISTINCTIO II.

De Virtute Justitiæ, ac Jure generatim.

QUÆSTIO I.

Quid sit Justitia, & quæ Virtutes eidem annexæ?

SUMMARIUM.

1 *Justitia varie accipitur.*
2 *Ejus acceptio magis propria.*
3 *Justitia proprie sumpta, quid?*
4 *Reddit alteri jus & quale?*
5 *Debitum legale, & Debitum morale, quid?*
6 *Virtutes Justitiæ annexæ, quæ?*
(a) Tr. 1. Dist. 1. per totum.
7 *Pietas varie accipitur.*
8 *Observantia, quid?*
9 *Justitia propriè dicta, an detur inter patrem & filium, dominum, & servum?*
10 *Gratitudo quid?*
Ejus officia quinque.
11 *Veritas, quid?*
Mendacium triplex, jocosum, officiosum, & perniciosum.
12 *Amicitia, & Affabilitas, quid?*
Et quomodo differant?
Adulatio, & Meretrix, quid?

1. JUstitiæ nomen varie sumitur: & in primis Justitia communissime, ac secundum rationem suam generalissimam aliud non est, quam *rectitudo voluntatis propter se servata*, ut post D. Anselmum, *de veritate, c. 13.* loquitur Scotus *4. dist. 46. q.*

Et hoc modo Justitia in se continet Virtutes omnes, atque in S. Scriptura non raro sic accipitur; ut *Matthæi 5. Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Et alibi. Deinde sumitur Justitia pro ipsamet rectitudine actus: in quo sensu bona opera exercentes, dicuntur operari justitiam, juxta illud *ad Hebr. 11. Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam.* Sed de Justitia taliter accepta hic non est sermo.

2. Ulterius igitur, & magis ad propositum, Justitia sumitur pro habitu, seu virtute inclinante voluntatem ad reddendum alteri debitum suum, qualecumque illud sit: juxta quod loquitur Apostolus *ad Rom. 14. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Unde Justitia sic accepta, comprehendit sub se omnes eas virtutes, quæ respiciunt alterum in ordine ad reddendum ipsi quoddam debitum; cujusmodi Virtutes recensentur *num. 6. & seqq.* Ultimo tandem Justitia sumitur stricte & propriè: quomodo respicit debitum legale, ac jus proprie dictum, reddendum alteri. Et in hac ultima acceptione loquendo de Justitia, sit

3. CONCL. I. *Justitia* stricte & proprie sumpta bene definitur cum Ulpiano *l. Justitia, ff. de Justitia & Jure*, taliter: *Justitia est constans, & perpetua voluntas, jus suum unicuique tribuens.* Quæ definitio communiter est recepta, & sequum facit: Justitia est virtus, inclinans, & firmans voluntatem ad

per-

perpetuo tribuendum jus suum unicuique. Dicitur, *constans & perpetua voluntas*: quæ particula stat loco generis. Commune est enim omni virtuti, quod sit constans & perpetua voluntas; id est, firmus habitus voluntatis, inclinans ipsam non ad unum duntaxat diem, vel annum, sed quantum est ex natura talis habitus, perpetuo circa proprium objectum recte operandi.

4. Additur, *jus suum unicuique tribuens*; sive, ut alii legunt, *jus suum cuique tribuendi*: quæ particula stat loco differentiæ, per quam Justitia differt a cæteris Virtutibus tanquam per proprium objectum, quod est jus suum cuique tribuere. Dum autem dicitur, *jus suum*, id intelligendum est de jure proprie dicto, seu debito legali; non autem de jure large sumpto, ac debito morali tantum. Et per hoc differt Justitia proprie dicta, & hic definita, ab Observantia, Pietate, & aliis hujusmodi Virtutibus, quæ licet alterum respiciant, non tamen reddunt ipsi debitum aliquod legale, seu jus proprie dictum, sed morale solum; ac proinde non sunt Justitia propriè dicta

5. Porro *Debitum legale* (quod est debitum stricte, & proprie dictum) illud est, ad quod reddendum, & quidem quoad æqualitatem, quis lege astringitur. Et additur, *quoad æqualitatem*: quia dum redditur, seu solvitur debitum legale, servatur Justitia proprie dicta, ad quam inter alia requiritur æqualitas dati & accepti; ita scilicet, ut si debeam centum, reddam centum, vel quid æquivalens: & si non posset fieri talis æqualitas, hoc ipso jam non posset esse sex de debito illo totaliter reddendo, utpote cui numquam posset satisfieri, sicque non interveniret debitum legale. *Debitum morale* e contra dicitur illud, ad quod alteri reddendum obligatur quis solum moraliter, ac honestate virtutis: id est, quod vel est altioris ordinis, &ita magnum, ut non possit ei reddi ad æqualitatem, ac proinde solum obligat ad satisfaciendum ipsi pro viribus, seu quantum est moraliter possibile; vel ita parvum, ut non inducat obligationem legalem & strictam, sed moralem duntaxat, quæ ex quadam honestate virtutis procedit; prout istum Virtutibus Justitiæ annexis, de quibus sit

6. CONCL. II. Virtutes Justitiæ annexæ, ac veluti partes ejus potentiales, dicuntur omnes illæ, in quibus intervenit quidem aliquod debitum ad alterum, illud tamen non est legale, sed duntaxat morale: eo quod sit (uti proxime explicatum) adeo magnum, ut non possit illi satisfieri ad æqualitatem; aut ita parvum, ut non inducat veram obligationem legalem & strictam, sed duntaxat ex quadam honestate virtutis procedentem. Prioris generis sunt Religio, Pietas, Observantia, & Obedientia, quæ est pars Observantiæ. Posterioris generis est Gratitudo, Veritas, Amicitia, Affabilitas, & si quæ sunt aliæ hujusmodi Virtutes, in quibus est solum debitum morale ad alterum. Ita communis post D. Thom. 2. 2. qu. 80. Nam sola illa virtus, quæ respicit debitum legale, ac jus proprie dictum alteri reddendum, censetur Justitia proprie dicta; cæteræ vero, quæ respiciunt quidem debitum alteri reddendum, sed duntaxat morale, hoc ipso deviant a ratione perfectæ Justitiæ: tamen, quia respiciunt aliquod debitum erga proximum, censentur Virtutes Justitiæ annexæ, ac veluti partes illius potentiales, uti sunt enumeratæ. Et quidem de *Religione* jam dictum est suo loco. (a)

7. *Pietas* quandoque sumitur pro studio internæ devotionis, & sinceri affectus erga Deum, & proximum: in quo sensu *1. Tom. 4.* dicitur: *Exerce teipsum ad pietatem.* Et infra: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ;* & alibi. Quandoque Pietas accipitur pro Misericordia, seu benigno affectu erga alios, præsertim filios nostra ope indigentes: qua ratione Pietas passim in S. Scriptura Deo attribuitur, ut *Ecclesiastici 2. Quantus pius, & misericors est Deus*, & alibi. In proposito tamen pietas sumitur pro speciali virtute, qua debitum cultum exhibemus parentibus, tanquam vitæ & educationis nostræ post Deum authoribus.

8. *Observantia* est virtus, qua debitus cultus defertur Superioribus, tanquam gubernationis nostræ authoribus. Sicuti enim pietas colit parentes, eo quod sint nobis post Deum auctores vitæ, atque educationis nostræ: ita Observantia defert cultum Superioribus, quia sunt authores nostræ gubernationis. Ad hanc reducitur *Obedientia*, quæ, quatenus est specialis virtus, ideo aliquid facit, quia præceptum est. Et prædictæ tres virtutes, nempe Religio, Pietas, & Observantia respiciunt debitum adeo magnum ad alterum, ut non possit eidem satisfieri ad æqualitatem: unde verificuli illi,

Dignas Calitibus, Genitoribus, atque Magistris
Pro merito grates reddere nemo potest.

9. Sed

9. Sed occasione dictorum, Quæres incidentaliter, an inter patrem & filium, dominum & servum (id est, mancipium) possit intercedere Justitia proprie dicta? Resp. negative, loquendo de istis spectatis quoad jura & debita, quæ sunt inter eos qua tales. Ita Aristoteles 5. *Ethic. c. 6.* Scotus *in. dist. 36. q. 1.* & alii. Ratio est: quia ad Justitiam propriè dictam requiritur jurium alteritas, id est, jurium Distinctio; atqui hæc non habetur inter patrem & filium, inter dominum & servum qua tales; cum filius & servus non sint sui juris respectu patris, ac domini: ergo. Additur tamen: *loquendo de ipsis spectatis quoad jura & debita, quæ sunt inter eos qua tales.* Quod enim filius ut filius debet patri, debet ei lege Pietatis, non Justitiæ. Si vero ipsi spectentur, ut sunt distincti homines, atque in multis rebus sui juris, ac diversa jura habentes, sic inter eos potest esse Justitia, & injuria: ut si filius sit emancipatus, vel habeat bona castrensia, aut quasi castrensia, & hæc ipsi à patre contra fas auferantur: item si dominus servum occidat, vel mutilet; nam in vita, membrisque conservandis, servus non subest domino, sed est sui juris.

10. Quantum attinet ad Virtutes posterioris generis, itidem Justitiæ annexas; *Gratitudo* est virtus, qua iis, qui de nobis bene meriti sunt, non solum gratias agimus, sed etiam cum possimus, referimus. Ejus officia sunt quinque, videlicet beneficii accepti æstimatio, ejus benigna acceptio, gratiarum actio, grata commemoratio, & tandem repensio.

11. *Veritas*, sive *Veracitas* est virtus, qua nos proximis tales dicta & factis exhibemus, quales re ipsa sumus. Huic opponitur *Mendacium*; estque locutio contra mentem, cum scilicet aliud loquimur exterius, aliud interius sentimus. Et dividitur communiter ratione finis, & effectus in jocosum, officiosum, & perniciosum. *Mendacium jocosum* est, quod fit causa voluptatis absque alterius nocumento. *Officiosum*, quod fit causa utilitatis, simulque nemini nocet: & horum utrumque est peccatum ex genere veniale. *Perniciosum* est, quo alicui injuste nocetur, sive alteri profit, sive non. Et hoc genere suo est peccatum mortale, atque gravissime puniri in S. Scriptura perstringitur; quamvis per accidens, atque ob levitatem materiæ, seu nocumenti illati, possit esse veniale.

12. *Amicitia* est virtus, qua aliqui mutuam apertamque inter se benevolentiam gerunt, seque invicem bonis affici volunt honestatis gratia, & non solum jucunditatis. *Affabilitas* est virtus, quæ procurat, ut conversatio nostra in communi hominum consuetudine sit grata, & talis, qualem esse decet spectata conditione nostra, & eorum, quibuscum agimus, aliisque circumstantiis. Differt ab Amicitia; quod hæc inter notos duntaxat, Affabilitas vero inter quosvis, etiam ignotos, locum habeat: item, quod Affabilitas in sermone, & vitæ consuetudine versetur; Amicitia potissimum in affectu. Contra affabilitatem delinquitur tum per excessum, seu inimio placendi studio, dum quis in omnibus se accommodat aliis, omnia probat, omnia laudat; & hoc, si fiat propriæ utilitatis causa, erit *Adulatio*; si solum, ut quis placeat, is *Blandus* appellatur. Tum per defectum, estque *Morositas*, qua quis proximo in congressibus nonnullam molestiam ac tædium affert, dum parum curat sese accommodare, sed asper est, & pronus ad contradicendum.

QUÆSTIO II.

De divisione Justitiæ in Commutativam, & Distributivam.

SUMMARIUM.

13 *Justitia dividitur in Commutativam, & Distributivam.*
14 *Justitia Commutativa, qua?*
15 *Qualem servet æqualitatem?*
16 *Justitia distributiva, qua?*
17 *Hæc servat proportionem Geometricam, illa Arithmeticam.*
18 *Proportio Arithmetica, & Geometrica, qua?*
19 *Utraque Justitia dividitur in præmiativam, & punitivam.*
20 *Justitia objectum, quale?*

13. Electoris est hæc divisio Justitiæ in commutativam & distributivam, ab Aristotele 5. *Ethic. c. 2.* assignata, & communiter recepta. Earum utraque est Justitia propriè dicta, observans debitum legale, & reddens alteri, quod suum est, ad æqualitatem, sed cum differimine: nam una servat æqualitatem Arithmeticam, altera tantum Geometricam, prout amplius declarabitur.

14. CONCL. I. *Justitia commutativa* dicitur illa, quæ versatur in commutationibus rerum, pactis, & contractibus facientibus. Et hæc tunc observatur, quando fit commutatio rerum secundum æqualitatem dati & accepti: id est, considerando solum valorem rerum sine ullo respectu ad personas, ut videlicet tanti valeat, moraliter saltem, res reddenda, quanti valet accepta, qualescunque tandem sint personæ, sive nobiles, sive ignobiles. Sic fit, quando quis debet alteri centum, & ipsi reddit centum, vel aliquid illis centum æquivalens. Idem accidit in rerum venditionibus, si tanti res vendatur, quanti moraliter saltem, & juxta communem hominum æstimationem, hic & nunc valet.

15. Dr additur, *moraliter saltem*. Nam dicta æqualitas non semper debet esse omnino exacta & metaphysica, sed sufficit moralis, quæ habetur juxta prudentem hominum æstimationem, prout inter alios notat Mastrius 3. *Sentent. disp. 3. num. 150.* Patet hoc manifeste in rerum emptionibus, & venditionibus, in quibus exacta & Metaphysica illa æqualitas attingi semper non potest, sed solum moralis: hic enim equus, aut quodcunque aliud animal vivens, æstimato pretio justo venditur & emitur, non obstante, quod aurum totius Mundi non æquivaleat entitati unius equi, cum omne vivens simpliciter nobilius sit non vivente; quia in tali venditione & emptione saltem intervenit æqualitas moralis, taxanda juxta prudentem æstimationem hominum, atque exigentiam & utilitatem humani convictus; propter quem hæc utiliora, ac proinde magis cara, illa vero minus utilia, sicque minus cara esse censentur.

16. CONCL. II. *Justitia distributiva* e contra illa est, quæ commoda & onera communia, ut puta officia, beneficia, communes exactiones, tributa &c. distribuit inter partes Communitatis cum proportione Geometrica ad singulorum merita, vel status conditionem. Ita in re communis. Talis Justitia distributiva debet observari, quando honores vel præmia distribuuntur juxta cujusibet meritum, & proportionem status, dando scilicet majora magis de Republica meritis, aut in majore dignitate constitutis; & minora aliis juxta cujusque meritum, statusque conditionem. Idem fit in impositione communium onerum: nam plura (cæteris paribus) debet contribuere ad communes Reipublicæ necessitates, qui majora habet bona seu prædia; minus vero, qui minora bona seu prædia possidet.

17. CONCL. III. Justitia commutativa & distributiva varie differunt, præcipue vero in hoc, quod Justitia distributiva servet proportionem sive æqualitatem Geometricam, commutativa Aritmeticam. Ita Scotus 5. *dist. 36. q. 1.* dicens: quod in *distributivis requiratur æqualitas proportionis, non quantitatis; in commutativis secundum aliquas æqualitas quantitatis, non tamen proportionis.* Mastrius *disp. 3. Theol. Moral. n. 2.* & alii. Ratio est: quia finis intrinsecus Justitiæ commutativæ est, constituere æqualitatem inter datum & acceptum, v.g. centum reddendo pro centum: Justitiæ vero distributivæ finis intrinsecus est, constituere æqualitatem inter proportionem & proportionem, ut nimirum talis sit proportio inter res & onera, quæ distribuuntur, qualis est proportio inter conditiones personarum, quibus fit distributio.

18. Porro per *æqualitatem*, seu *proportionem Arithmeticam*, intelligitur vera æqualitas rei ad rem, ut puta centum ad centum, aut alterius justi pretii ad rem emptam, sine ullo habito respectu ad personas. Per *proportionem Geometricam* vero intelligitur ea, qua singulis tribuitur id, quod debent habere, cum inæqualitate tamen, juxta scilicet inæqualitatem ipsarum personarum, & cum proportione ad statum atque conditionem singulorum. Unde sequitur & alia differentia: nam in Justitia distributiva, atque proportione Geometrica, habetur respectus ad personas, earumque qualitates; prout patet in exemplis *n. 16.* adductis: secus fit in justitia commutativa, & proportione Arithmetica, ubi sine ullo personarum respectu res ipsæ (id est, data & accepta) inter se comparantur.

19. CONCL. IV. Utraque hæc Justitia, scilicet tam commutativa, quam distributiva, dividitur ulterius in præmiativam, quæ pro meritis reddit præmia; & in punitivam, seu vindicativam, quæ pro delictis reddit supplicia. Ita Doctores communiter, & probatur inductione. Quia in primis Justitia distributiva tunc est præmiativa, quando honores, officia, & hujusmodi, in præmium præstitarum beneficiorum distribuit, inæqualiter tamen juxta inæqualitatem ac proportionem status & conditio-

ditionis singulorum, dando scilicet plus personis in majore dignitate constitutis, & minus in minore dignitate constitutis, prout communiter fieri solet. Tunc vero Justitia distributiva est punitiva, quando nocentes, ut par est, supplicis afficit, habita tamen ratione dignitatis, seu status personarum; sic adulterium v.g. in privatis personis alicubi pro prima vice puniatur, statuendo ipsas cum publico despectu ante fores Ecclesiæ; in personis autem dignioribus mulcta pecuniaria. Et simile quid in multis aliis pœnis infligendis observari solet. Deinde, quod dicta divisio conveniat Justitiæ commutativæ, patet ex eo: quia hæc tunc censetur esse præmiativa, quando distribuuntur æqualiter præmia juxta æqualitem meritorum, nulla habita ratione conditionis, dignitatis & status personarum, quibus fit illa distributio. Est etiam punitiva, quando æqualia pro delictis supplicia infruuntur: sic enim commutando, pro meritis redduntur præmia æqualia, pro delictis vero supplicia. Mastrius *in 5. disp. 7. n. 177.* post Scotum *4. disp. 36. q. un. §. hoc primo*, & alios.

20. Quæres, quodnam sit objectum Justitiæ propriè dictæ? Resp. cum communi, objectum ejus esse jus propriè dictum, seu jus alteri obstrictum. Ratio est: quia illud est objectum formale virtutis, ad quod virtus principaliter ordinatur: atqui Justitia propriè dicta principaliter ordinatur ad hoc jus constituendum, alteriique reddendum, ut patet ex ejus definitione *n. 3.* data: ergo. Restat proinde de hoc jure agendum.

QUÆSTIO III.

Quid, & quotuplex sit Jus? Ubi & de Actione reali, & personali.

SUMMARIUM.

21 *Juris variæ acceptiones.*
(c) Ut dictum Tract. 2. dist. 1. n. 3. & seqq.
22 *Jus, ut est objectum Justitiæ, quid?*
23 *Dividitur in Jus ad rem; &*
24 *Jus in re; quid?*
25 *Jus in re, & Jus ad rem, quomodo differant?*
26 *Actio; quid?*
(d) De hac infra Tr. 9. Disp. 5. n. 177. & 118.
27 *Dividitur in Actionem realem, & personalem,*
28 *Realis, seu Actio in rem, &*
29 *Personalis, seu Actio in personam, quid?*

21. ADvertendum, quod Jus varias habeat acceptiones. Quandoque enim Jus accipitur pro facultate aliquid agendi legitime, & inculpate: quomodo dici solet, aliquem uti jure suo, dum id agit, quod licite agere potest. Interdum pro sententia Judicis, ut *cap. ult. de Censib. in 6.* ibi: *Extra territorium Jus dicenti impune non paretur.* Aliquando pro ipsa Juris, seu Legum scientia; quo modo Studiosi, qui Jus Civile aut Canonicum audiunt, dicuntur Juri operam dare. Sumitur præterea nomen Juris, ut idem est ac Lex: quo pacto illud dividi solet in Jus naturale & positivum, in Jus Divinum & humanum, & hoc rursum in Jus Canonicum & Civile. (e) Tandem, & quantum ad propositum, jus accipitur, prout est objectum Justitiæ; de quo loquendo, sit

22. CONCL. I. *Jus* est facultas seu potestas legitima, quam quis habet ad aliquam rem obtinendam, vel retinendam, aut ad aliquid faciendum, ita ut ab illius rei obtentione, seu retentione, vel ab illa actione faciendæ licite impediri non possit. Ita Mastrius *disp. 3. Theol. Mor. num. 2.* Sive, ut alii brevius loquuntur, *Jus* est facultas utendi re pro libitu citra injuriam alterius.

23. CONCL. II. Jus taliter acceptum præcipue dividitur in Jus ad rem, & Jus in re. Ita communis; & habetur *cap. ult. de Caussf. Prob. in 6.* ibi: *in quibus Beneficiis jus non esset quæsitum in re, licet ad rem.* Porro *Jus ad rem* dicitur, quo ipsa res nondum est affecta seu obligata, sed habetur tantum jus in ordine ad acquirendam possessionem & dominium illius rei, antequam hæc actu possideatur. Sive, ut alii loquuntur, *Jus ad rem* (quod etiam *Jus personale* vocatur) illud est, quod non tribuit actionem in rem ipsam, sed tantum in personam, se ab illius rei consecutione impedientem. Et tale Jus est, quod alicui competit per donationem, emptionem, aliosque hujusmodi contractus erga rem sibi donatam, venditam &c. antequam illius rei traditio sibi fiat: si enim res illa alteri vendatur, ac re ipsa tradatur, manebit ipsi, nec poteris tu eam vendicare, aut in judicio repetere, quia, res illa nondum erat tua facta ante actualem traditionem, sed tantum habes actionem personalem in eum, qui te fraudavit. Tale enim Jus ad rem est illud, quod quis consequitur per electionem, postulationem, aut præsentationem ad Beneficium Ecclesiasticum; item per institutionem in hæredem ante aditionem hæreditatis, & hujusmodi.

24. *Jus in re* e contra dicitur illud, quod rem ipsam sibi devinctam & obligatam habet: sive, quod habetur in re aliqua, cujus possessio & dominium actu jam cuipiam est comparatum. Aut magis juridice loquendo, *Jus in re* dicitur illud, quod tribuit actionem in rem ipsam, seu actionem realem, quæ dicitur *Rei vendicatio*, sive (ut alii loquuntur) *Rei vindicatio*, de qua mox plura. Et tale Jus in re est illud, quod habetur per emptionem, & alios contractus, secuta rei traditione; item quod acquiritur in Beneficio Ecclesiastico per actualem ejus collationem, sive investituram, ac hujusmodi.

25. Est autem notabile discrimen inter Jus in re, & Jus ad rem. Siquidem Jus in re ita facit rem propriam illius, qui habet tale Jus respectu ipsius rei, ut in quocunque loco hæc sit, & ad cujuscunque manus deveniat, is habeat facultatem, ubicunque eam reperit, recipiendi, & a quocunque repetendi, & quilibet eam receperit, ex Justitia teneatur ipsam restituere. Sic v. g. si equus Petri fuit furto ablatus, potest eum Petrus repetere, ubicunque inveneris, non obstante, quod alius equum bona fide emerit: quia talis equus est Petro obstrictus, & ipse respectu hujus equi habet jus in re; omnis autem res transit cum suo onere, quo est affecta. Cæterum Jus ad rem non tribuit hujusmodi facultatem in rem ipsam, sed titulum duntaxat justum, & Jus aliquod inchoatum ad acquirendum illius rei dominium. Ex quo fit, quod si quis impediatur a consecutione talis rei, respectu cujus sibi competit Jus ad rem, non possit rem ipsam vindicare, atque in judicio repetere, sed duntaxat actionem personalem instituere adversus eum, qui ipsum impedit, vel impedivit ab illius rei consecutione. Hoc ut melius intelligatur,

26. Quæres, quid sit actio generatim, simulque Actio realis, & personalis? Resp. 1. *Actio* generatim aliud non est, quam *Jus persequendi in judicio, quod sibi debetur*. Ita habetur §. 1. *Inst. de Actionibus*, estque communis. Dicitur, *in judicio*: quia nemo sibi ipsi Jus dicere potest, neque quod sibi debetur, privata occupare authoritate, cum idcirco constituti sint Magistratus; dummodo excipiatur casus, in quo locus est occultæ compensationi (d) aut quando est periculum in mora, prout a fure in furto deprehenso quilibet repetere potest rem furtivam.

27. Resp. II. Actio ut sic recte dividitur in Actionem realem, & personalem. Ita communis; & habetur clare §. *Omnium, Inst. de Action.* ibi: *Omnium autem actionum summa divisio in duo genera deducitur: aut enim in rem sunt, aut in personam. Nam agit unusquisque aut cum eo, qui ei obligatus est, vel ex contractu, vel ex maleficio: quo casu proditæ sunt actiones in personam, per quas intendit adversarium ei dare, aut facere oportere, & alias quibusdam modis. Aut cum eo agit, qui nullo jure ei obligatus est, movet tamen ei de aliqua re controversiam: quo casu proditæ actiones in rem sunt, veluti si rem corporalem possideat quis, quam Titius suam esse affirmet, possessor autem dominium ejus se esse dicat; nam si Titius suam esse intendat, in rem actio est.* Hæc ibi. Et sciendum, quod actiones in rem, alio nomine in Jure appellentur *Vendicationes*; & Actiones in personam, dicantur *Condictiones*, ut habetur §. *Appellamus, Inst. de Action.*

28. Resp. III. *Actio realis* (quæ & *Actio in rem* appellatur) ea est, quæ adhæret rei, ipsamque insequitur; adeo, ut in cujuscunque possessionem res nobis obligata devenerit, ab eodem repoci, & vendicari possit; & si probaverimus, rem esse nostram, etiam in Judicio necesse habeat possessor eam nobis restituere. Ita habetur tum *cit. §. Omnium*, *Inst. de Action.* tum *l. Officium ff. de Rei vendicatione*; estque communis. Porro, ut dictum, hujusmodi Actio in rem appellatur etiam *Rei vendicatio*: nam *Vendicare rem*, sive (ut Moderni passim loquuntur) *Vindicare*, idem est, ac rem sibi appropriare, & dicere esse suam, & per hoc intendere, ut sententia judicialis res illa declaretur esse sua, ejusque dominium sibi applicetur.

29. *Actio personalis*, seu *Actio in personam*, est illa, quæ proxime tendit in personam nobis obligatam ex contractu aliquo, vel delicto. Et dicitur, *personalis*: quia quamvis hæc actio sit in ordine ad aliquid recuperandum ab adversario, quod tibi fieri vel dari abeo petis; nihilominus actio illa ita cohæret personæ, ut ipsa contra alium, qui rem illam forte detinet, institui non possit. Sic v.g. si mutuo dedisti Cajo centum florenos, quos ille Titio donavit, & tradidit, in hoc casu actio duntaxat personalis contra Cajum, nulla vero contra Titium tibi competit.

Di-

DISTINCTIO III.

De Speciebus Juris in re.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Dominium.

SUMMARIUM.

1 *Juris in re species, quæ?*
2 *Dominium communissime, quid?*
Dominium Divinum, & humanum.
3 *Dominium humanum aliud jurisdictionis, aliud proprietatis.*
4 *Dominium proprietatis, perfectum, &*
5 *Imperfectum.*
Hoc subdividitur in Dominium directum, & Dominium utile.
6 *Alia de Dominio remissive.*

1. JUris in re variæ sunt species, quarum aliquæ rem ipsam, aliæ usum rei respiciunt. Et quidem prioris generis est *Dominium*; quo quis de re sua potest facere quod vult, dando, vendendo, commutando &c. & si impediatur, potest in Judicio experiri, prout *num.* 4. declarabitur. Accedit *Possessio*, quæ (si est justa, simulque pacifica) Dominio addit, quod in tali jure non impediatur. Et tandem *Proprietas*, quæ insuper dicit, quod quis in tali jure parem non habeat. Posterioris generis, sive Juris in usu rei, duæ sunt species, videlicet *Usufructus* & *usus juris*: de quibus in progressu breviter. Incipiendo igitur a Dominio, ejusque divisionibus, sit

2. CONCL. I. *Dominium* communissime sumptum aliud non est, quam facultas disponendi de re tanquam sibi subjecta. Sic quippe juxta communem apprehensionem Dominium habere censetur, qui aliquid habet, de quo jure proprio, seu citra alterius ordinationem, disponere pro nutu possit; quod idcirco dicitur esse suum. Atque in hac tam generali acceptione, illud cum primis subdividitur in *Dominium Divinum*; quale competit Deo per essentiam in omnes creaturas: & in *Dominium humanum*, quod convenit homini per participationem, seu potestatem sibi a Deo collatam in alias creaturas; juxta illud *Gen.* 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus quæ moventur super terram.* Et de hoc Dominio humano, quod & *Politicum* appellant, agitur in proposito.

3. CONCL. II. Dominium humanum, seu politicum, aliud est Dominium jurisdictionis, & aliud Dominium proprietatis; quorum quodlibet denuo subdividitur. Ita communis, & patet inductione. Et quidem *Dominium jurisdictionis*, est potestas gubernandi suos subditos, id est, illis aliquid præcipiendi, vel prohibendi, ac illos judicandi, puniendi, vel præmiandi: hi quinque enim sunt actus gubernandi. Porro Dominium jurisdictionis subdividitur in sæculare; quale est Imperatoribus, Regibus, Ducibus, &c. respectu populorum sibi subditorum in negotiis sæcularibus: & in Ecclesiasticum, quale est in Summo Pontifice, Episcopis, aliisque Prælatis Ecclesiasticis, qui habent subditos in spiritualibus. *Dominium proprietatis* e contra est Jus disponendi de re sua pro libitu, nisi lege prohibeatur: de quo potissimum loquendo, sit

4. CONCL. III. Dominium proprietatis aliud est perfectum, aliud imperfectum. Ita rursum communis. *Dominium proprietatis perfectum* (quod & *plenum* dicitur) communiter solet definiri, dicendo: *Dominium est jus perfecte disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur.* Dicitur, *jus*: quæ particula stat loco generis. Dicitur, *perfecte disponendi de re*: quæ particula stat loco differentiæ, simulque denotat, hic definiri Dominium perfectum seu plenum, virtute cujus potest quis perfecte disponere de re sua, eaque uti pro suo arbitratu, ipsam vel servando, vel vendendo, donando, commutando, vel etiam destruendo, *nisi lege prohibeatur.* Et hoc ultimum idcirco additur: quia licet Dominium ex natura sua tale sit, ut tribuat potestatem disponendi de re sua pro libitu, tamen interdum lege prohibente fit, ut hæc potestas non possit exire in actum. Sic pupillus prohibetur alienare rem suam, cum tamen sit verus dominus: similiter quando que lege prohibente non licet vendere res suas externis Nationibus, eo quod sit prohibita talium mercium extractio e Provincia; quibus similia contingunt passim in aliis casibus.

5. *Dominium proprietatis imperfectum* (cui pariter convenit proxime data Dominii definitio, dummodo in ea omittatur ly *perfecte*) vel habet tantum proprietatem rei absque emolumentis seu fructibus: vel e contra emolumentum absque proprietate: & juxta hoc subdividitur in directum, ac utile. *Dominium directum* continet solam rei proprietatem: unde habens hujusmodi Dominium dici solet *Proprietarius*, id est, habens talis rei proprietatem. Et tale Dominium directum habet Princeps in Feudis, Dominus in prædio ad Emphyteusin dato, & omnis ille, qui dicitur dominus cujuspiam rei: cujus Usufructus alteri concessus est. *Dominium utile* duntaxat, continet solam rei utilitatem, seu emolumentum: & tale est, quod habet Feudatarius, Emphyteuta, Usufructuarius &c. respectu illius rei, quam ab alio accepit in Feudum, Emphyteusin, vel cujus habet Usumfructum.

6. Cæterum de Dominio hactenus explicato, & quibus competat, quibusque modis acquiratur, plures occurrunt difficultates; de quibus in sequentibus Distinctionibus dicetur, postquam in præsenti cæterarum specierum Juris natura fuerit explicata.

QUÆSTIO II.

Quid sit Usufructus?

SUMMARIUM.

7 *Usufructus, quid?*
Jus utendi, & Jus fruendi, quomodo differant?
8 *Fructus rei, quid?*
9 *Usufructuarius, quis?*
10 *Usufructuarius ad quid teneatur?*
11 *Tenetur recte colere rem Usufructuariam.*
Et in ea meliorationes expensas facere.

7. CONCL. I. *Usufructus* recte definitur, dicendo: *Usufructus est jus alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia.* Ita habetur *L.* 1. *ff. de Usufructu* & §. 1. *Instit. eod.* estque communis. Et quidem in hac definitione ly *Jus*, stat loco generis; reliqua ponuntur loco differentiæ. Dicitur deinde, *utendi*; & mox additur ly *fruendi*, id est, percipiendi fructus rei: tum ut indicetur effectus illius juris, quod tribuitur cuipiam per Usumfructum, qui est legitima potestas utendi & fruendi re aliena, salva tamen ejus substantia. Tum quia *Jus utendi*, & *Jus fruendi* re aliena, valde differunt: nam is, qui habet solum Jus utendi re aliqua, gaudet nudo duntaxat usu illius, ita ut quamvis possit re illa uti pro suis necessitatibus, ex ea tamen fructus non percipiat. Sic qui habet Jus utendi equa alterius, potest quidem ea uti ad suas necessitates; fructus tamen ejus, id est, equæ partus non erit suus, sed domini proprietarii equæ. E contra Jus fruendi tribuit cuipiam hujusmodi jus, seu potestatem percipiendi fructus rei alienæ: quale Jus utendi & fruendi simul, importat Usufructus, ut ex ipso nomine patet: ac proinde Usufructus est pinguior usu juris.

8. Porro *fructus rei* dicitur, quidquid salva rei substantia ex re illa est perceptibile. Sic censetur esse fructus in grege ovium, aliorumque animalium, lac, lana, fœtus; in fundo fœnum, segetes, fructus arborum, virgulta, arborcique cæduæ, ita ut succidi possint (non vero fructiferæ) lapides in lapicidinis; in domo locatio, & his similia: prout habetur *L.* 10. *& segg. de Usufructu.*

9. Dicitur ulterius in definitione Usufructus, *re aliena*: Ut excludatur jus utendi & fruendi, quod quisque habet in re sua, cujus plenum obtinet Dominium: quia talis non dicitur Usufructuarius, non obstante, quod utatur re illa, ejusque fructus percipiat; sed dicitur Dominus illius rei, quod est quid majus. Tandem additur, *salva rei substantia*: quia Usufructuarius (id est, ille, qui habet Usumfructum rei alienæ) tenetur rem illam, ex qua fructus percipit, integram Proprietario servare.

10. Quæres, ad quid teneatur Usufructuarius? Resp. Usufructuario in primis incumbit solvere impensas, quæ ratione fructuum percipiendorum fieri debent. Tenetur insuper Usufructuarius ad præstandas collectas, tributa, & similes præstationes reales, quæ pro re fructuaria debentur; prout habetur decisum *l. Hactenus. ff. de Usufructu.* Nam *Qui sentit onus, sentire debet*

debeat commodum, & e contra, juxta Regulam 50. Juris in 6.

11. Tenetur rursum Usufructuarius rem illam, cujus habet Usumfructum, recte colere, eaque quasi bonus pater familias uti; prout liquet ex ipsa definitione Usufructus, dum dicitur esse jus utendi & fruendi salva rei substantia. Hinc inferunt Doctores idque desumunt ex tit. l. Hallenus. ff. eod. quod, qui habet Usumfructum fundi, teneatur in locum arborum demortuarum novas subserere, juxta arbitrium boni viri; & qui habet Usumfructum ædium, tenetur saltem modicas expensas facere ad farta tecta conservanda. Dicitur, modicas expensas: nam ad magnas non tenetur ipsemet Usufructuarius, sed Proprietarius rei, nisi forsan aliter inter eos conventum fuerit. Omittuntur nonnulla alia, obligationem Usufructuarii, ipsumque Usumfructum concernentia, cum sit materia magis Juridica, & plurimum pendeat ex particularibus pactis, & conventionibus cum Domino proprietario initis.

QUÆSTIO III.

De Usu juris, & variis ipsum concernentibus.

SUMMARIUM.

12 *Usus facti, & Usus juris.*
13 *Usus juris, quid?*
14 *Et quomodo differat ab Usufructu?*
15 *Usuario, qua jura competant, necne?*
16 *Habenti Usum domus quid liceat?*
17 *Minus juris est in Usu, quam usufructu.*

12. ADvertendum, quod Usus dupliciter sumi possit. I. Pro ipso actu utendi re alterius, sive pro actuali usu licito rei alienæ; & dici solet *usus facti*, seu *nudus usus rei*: qualis est actualis equitatio ex permissione proprii Domini facta in equo alieno, vel actualis inhabitatio domus alienæ, & hujusmodi. II. Accipitur Usus pro ipsomet jure utendi re aliena, v.g. pro jure illo, quod quis ratione præviæ solutionis habet equitandi tali equo, vel inhabitandi domum alienam; & vocari solet *usus juris*: de quo loquendo, sit

13. CONCL. I. *Usus juris* recte solet definiri, dicendo: Usus est jus utendi tantum re aliena, salva ejus substantia. Ita Doctores communiter. Dicitur *jus utendi*: quia hic definitur Usus juris, non autem Usus facti tantum; de hoc enim, cum nihil juris præbeat utentibus, minus solliciti fuerunt Doctores. Ejus tamen mentio fit c. Exiit. §. Nec quisquam, de verbor. signif. in 6. ubi Pontifex sic loquitur: *Qui, inquam, usus non juris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tantum, in utendo præbet utentibus, nihil juris.*

14. Dicitur ulterius, *utendi tantum*: Per quam particulam Usus juris differt ab usufructu, cum quo in cæteris particulis omnino convenit; siquidem minus juris est in Usu, quam in Usufructu; & cui Usus alicujus rei competit, vel in testamento relictus est, uti quidem ea re potest, frui vero non potest.

15. Inferitur proinde, quod Usuarius, id est, is, cui Usus alienæ rei, v.g. horti, est concessus, possit quidem in ipso horto deambulare, ac poma, olera, & reliqua quæ ibi nascuntur, ad suum, suæque familiæ, & hospitum victum accipere, *l. plenum. ff. de Usu & habitatione*; non possit tamen omnes fructus recipere, eosque suo arbitratu vendere, seu alienare; sicuti posset, si haberet Usumfructum horti. Item, si cui in testamento legetur Usus jumentorum, vel gregis ovium aut vaccarum, non potest percipere pecorum fœtus, vel lanam (hæc enim in fructu magis, quam in Usu numerantur) neque lac, nisi in modica quantitate, & quatenus ad victum quotidianum opus est: potest autem bovibus, vel jumentis uti ad arandum, aut agrum stercorandum, & ad omne aliud ministerium, ad quod boves apti sunt; prout expresse habetur decisum *cit. l. Plenum ff. de Usu & habitat. & §. 1. Inst. eod.* cum concordantiis.

16. Similiter, cui Usus domus, seu inhabitatio ejus relicta fuit in testamento, aut aliunde competit de jure, potest quidem non solum in propria persona, sed etiam cum sua familia in ipsa habitare, imo & inquilinum secum recipere, aut aliquos hospites: non tamen potest domum alteri locare, neque inhabitationem ejus alicui concedere sine se, neque Usum hujusmodi vendere: prout similiter decisum habetur *l. Cui usus, & seqq. ff. de usu & habitatione.*

17. Ex quibus patet, minus esse juris in Usu, quam in Usufructu: nam præscripta omnia (dempta venditione Usufructus) competunt Usufructuario, non autem Usuario tantum. Cæterum illis ipsis modis, quibus Usufructus constituitur, vel finitur, etiam nudus Usus constitui, atque desinere solet. *cit. §. 1. Institut. de Usu & habitatione*, de quibus plura Juris Consulti.

QUÆSTIO IV.

Quid, & quotuplex sit Possessio, & quæ ejus privilegia?

SUMMARIUM.

18 *Possessio, unde sic dicta?*
Varie accipitur.
19 *Ejus divisio.*
20 *Possessio facti, seu naturalis tantum, & Possessor bonæ, & malæ fidei.*
21 *Possessio juris & facti simul, quid?*
22 *Possessionis definitio explicatur.*
Res incorporales proprie non possidentur.
Res corporales, & incorporales, quæ?
23 *Depositarius non possidet, cur?*
24 *Possessionis privilegia plura.*
25 *Enumerantur præcipua.*
(a) Dist. 6. n. 5. & seqq.
26 *Possessor, si spolietur, ante omnia restitui debet.*
Possessor invasus potest vim vi repellere.

18. POssessio sic dicitur a pedibus, & sonat idem quasi *sedum positio*, prout notatur *l. 1. ff. De acquirenda vel amittenda possess.* nam per pedum positionem super bona immobilia, utputa super agrum, vel domum, solet acquiri Possessio. Tribuitur autem hoc nomen interdum ipsis rebus possessis; ut *Psalm. 77. Tradidit possessionem eorum igni.* Et *Matth. 19. Erat enim habens multas possessiones*, & alibi. Verum hoc loco Possessio accipitur pro actu, vel jure possidendi, a quo denominatur quis possessor. Et notanter sub disjunctione dictum est, *pro actu, vel jure possidendi*: hæc enim duo non sunt idem, & quamvis possint in simul conjungi, uti fit in Possessione juris & facti simul) adhuc tamen ab invicem separari valent, prout accidit in Possessione facti tantum. Hinc sit

19. CONCL. I. Possessio ut sic dividitur in Possessionem juris tantum, facti tantum, & in Possessionem juris & facti simul. Ita in re communis; & patet inductione. Siquidem *Possessio juris tantum* (quæ alio nomine appellatur *Possessio civilis*) est ipsum-met jus possidendi rem, solo animo retentum: & habetur, quando quis rem suam ipso facto non amplius possidet, nihilominus de jure, sed solo animo, ejus possessionem retinet, & continuat. Hoc modo civiliter, seu de jure possidet, qui absit quidem a rebus suis, adhuc autem animo eas possidet, seu occupat, eo quod non discesserit inde animo relinquendæ possessionis, sed postea reversurus.

20. *Possessio facti tantum* (quam & *naturalem tantum* appellant) est solus actus possidendi sine jure: & talem duntaxat possessionem habet possessor rei alienæ, eo quod jure possidendi sit destitutus. Ubi simul advertendum, quod si possessor rei alienæ possideat eam ut suam bona fide (id est, si ipse habeatur pro domino, ac ipsemet bona fide credat, se esse dominum hujus rei, revera tamen non sit, sed ad alium pertineat rei illius dominum) tunc dicatur is *Possessor bonæ fidei*, atque ejusmodi rem bona fide possidere: Si quis vero rem alienam mala fide possideat, bene sciens, eam rem non esse suam, prout fur possidet rem furtivam, dicitur is *Possessor malæ fidei*.

21. Tandem *Possessio juris & facti simul* (quæ etiam *civilis & naturalis simul* est) vocatur ea, quæ includit simul utrumque, id est, tam jus, quam actum possidendi. Et talis Possessio competit cuilibet domino, rem suam per corporalem insistentiam possidenti; id est, qui in re, quam de jure possidet, vel in aliqua parte ejus præsens existit, aut saltem res possessa est in conspectu ejus, ut ipsam videat, vel partem ejus: nam quodlibet horum sufficit ad possessionem facti, seu naturalem continuandam, sive dein tale quid fiat per se, sive per alium suo nomine. Et de hac loquendo, inferius sit

22. CONCL. II. *Possessio* est rei corporalis detentio, corporis, & animi, & juris adminiculo. Ita Glossa communiter recepta *l. 1. ff. De acquirenda vel amittenda possess.* Dicitur, *detentio rei*: quia ad hoc, ut quis rem actu possideat, necesse est, eam aliquo modo detinere, seu occupare, vel per se, vel per alium, qui suo nomine eam detinet: hoc enim essentialiter requiritur ad possessionem juris & facti simul, de qua procedit data definitio. Et additur, *rei corporalis*: nam res incorporales proprie non possidentur, sed dicuntur quasi possideri, *arg. c. Cum Ecclesia, de Causa Possess.* Ubi Pontifex possessionem juris spiritualis eligendi, appellat *quasi possessionem*, juncta *L. sequitur*,

§. *Si quam de ff. de Usucap.* Porro *Res corporales* sunt eæ, quæ ex sui natura tangi possunt; veluti ager, vestis, equus, aurum, & hujusmodi. *Res incorporales* vero, quæ tangi non possunt: ut sunt ea, quæ consistunt in jure, v. g. jus eligendi, jus patronatus, jus ad hæreditatem, Usufructus, & alia hujusmodi jura.

23. Dicitur ulterius, *corporis, & animi adminicula*. Quia ad Possessionem unum sine altero non sufficit, sed requiritur, ut quis rem corporaliter apprehendat, seu detineat, simulque ut eam detineat tanquam suam, sicque animo possidendi, & non solum nomine alterius ipsam habeat. Hinc Depositarius (id est ille, qui rem alterius apud se depositam retinet) non dicitur possidere depositum, quia non detinet illud animo possidendi, ac retinendi sibi. Additur vero, *& juris adminiculo*: quæ particula sonat idem, ac *jure non refragante*, sive, ut habeatur possessio illa non contra jus & fas; nam data definitio convenit Possessioni juris & facti simul. Et per hoc excluditur Possessio manifeste injusta: qua v. g. fur, aut alius rei alienæ invasor, possidet rem alienam: siquidem talis non habet possessionem juris & facti simul, quia non detinet rem illam juris adminiculo, sed contra jus & fas; quamvis habeat possessionem facti, seu naturalem.

24. Quæres, quidnam privilegii conferat Possessio? Resp. plura sane privilegia, & commoda afferre Possessionem: adeo quidem, ut quando a duabus partibus litigantibus de proprietate alicujus rei controversia coram Judice agitatur, plerumque, & ferme semper, existat ingens contentio de ipsa Possessione; uti notatur §. *Retinenda, Instit. de Interdictis*.

25. Et primo quidem in tali casu, si videlicet oboriatur controversia inter quosdam de rei proprietate, sive dominio, & adhibita diligenti inquisitione maneat adhuc dubium, cujusnam res illa sit; tunc melior est conditio possidentis, & ipsi adjudicabitur causa, juxta *Reg. 65. Juris in 6. in pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis*. Deinde Possessio parit in judicio præsumptionem dominii: unde in prædicto casu possessor non tenetur probare, rem esse suam, sed alter, qui eam repetit; & quidem, si hic non satis probaverit rem esse suam, nihil obtinebit, sed alter remanebit in possessione, etiamsi revera res ejus non sit; prout expresse habetur *cit. §. Retinenda, Instit. de Interdictis*. Ulterius Possessio, si sit bonæ fidei, suo tempore parit præscriptionem; id est, facit, ut res, quæ prius revera non erat tua, elapso tempore a Jure definito fiat tua, ita ut non amplius tenearis eam domino, postea primum ipsam repetenti, restituere; de quo plura infrius (a) agendo de Præscriptione.

26. His accedit, quod si Possessor privata alicujus violentia de Possessione rerum suarum exturbetur, aut ea clam spolietur, ante omnia debeat fieri restitutio spoliati; non obstante, quod occupator alleget titulum, velitque probare, rem illam esse suam. Generaliter enim restitutio spoliati ante omnia fieri debet, *c. In litteris, & seqq. de Restitut. spoliat.* Nec potest cogi spoliatus (dummodo probaverit, se per adversarium violenter, aut clam, possessione rei suæ spoliatum fuisse) ad alios causæ articulos respondere, donec sibi restitutio spolii facta fit: & tunc primum pars adversa, si quidpiam proponere voluerit, audiri debet, *arg. c. 1. & c. Conquerente, eod.* cum concordantiis. Tandem Possessor ab altero invasus potest vim vi repellere, remque suam defendere, etiam armis, si ita opus fuerit: aut jam expulsus, possessionem suam repetere, dummodo id statim sive in continenti fiat, *c. Olim de Restitut. Spoliatorum & l. Idem est, ff. de Vi, & vi armata.*

DISTINCTIO IV.

De Objecto, & Subjecto capaci Dominii.

QUÆSTIO I.

Quænam cadant sub objectum Dominii.

SUMMARIUM.

1 *De cujus Dominio hic agatur?*
2 *Sub Dominium hominis cadunt res inferiores corporeæ.*
Et quid de superioribus?
3 *Unus homo potest cadere sub Dominium alterius, quomodo?*
4 *Homo non habet dominium vitæ suæ.*
5 *Salvatur instantia.*
(b) De hoc amplius Tract. 9. Disp. 3. n. 10. & seqq.
6 *Dans nomen militiæ non vendit vitam suam.*
7 *Homo est dominus propriæ famæ.*
8 *Non tamen sine causa potest tantum bonum prodigere.*

1. NOn est termo in proposito de Dominio Dei, quod esse supremum atque perfectissimum in omnes creaturas, de fide est. Neque agitur hic de Dominio Angelorum, sed duntaxat de Dominio hominis, investigando, quænam cadant sub perfectum Dominium hominis, id est, quænam sint illæ res, in quas homo potest habere Dominium perfectum.

2. CONCL. I. Omnes res corporeæ inferiores, ut puta agri, montes, flumina, plantæ, bestiæ, metalla &c. cadunt sub Dominium hominis. Ita communis; & patet ex illo *Gen. cap. 1. Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram*; & alibi. Dicitur notanter, *res corporeæ inferiores &c.* Siquidem rerum superiorum, quales sunt Angeli, & corpora cœlestia, homo non dicitur proprie habere Dominium; bene tamen quorundam effectuum ab ipsis profectorum, ut luminis, caloris &c. nam hinc certa jura proveniunt, ut puta jus prospectus, & hujusmodi, quæ alio nomine appellantur *Servitutes*, de quibus Jurisperiti.

3. CONCL. II. Potest unus homo cadere sub Dominium alterius, & hic in ipsum habere non solum Dominium jurisdictionis, sed aliquo modo etiam proprietatis. Ita rursum communis. Prima Pars de Dominio jurisdictionis est clara: sic enim Pater in filium, Dominus in servos, Rex aut Imperator in subditos suos, habet dominium jurisdictionis. Altera pars, quod etiam aliquo modo unus homo habeat Dominium proprietatis in alium, patet in mancipiis, seu servis proprie dictis, quorum olim frequens erat usus, & poterant a dominis ad libitum vendi. Additur tamen, *aliquo modo*; quia dominus non habet tale Dominium in servum, seu mancipium proprie dictum, ut possit ipsum pro libitu & absque ulla causa occidere, sicut potest jumentum suum interficere; nam hoc est contra illud Præceptum Decalogi, lumine naturæ notum, *Non occides*.

4. CONCL. III. Homo non habet Dominium vitæ suæ, sed istud penes solum Deum remanet: unde homo est quidem procurator, custos, & quasi usuarius vitæ suæ, non autem dominus. Patet hoc ex illo *Sapientiæ 16. Tu es Dominus, qui vitæ & mortis habes potestatem*. Accedit ratio; quia alioquin, si homo esset dominus vitæ suæ, posset licite se privare vita, ac seipsum interficere: hoc autem est falsum & contra citatum illud, *Non occides*; ergo. Cæterum licet homo non sit dominus vitæ suæ, est tamen ejusdem procurator, & custos, atque usuarius, ita ut habeat jus ea fruendi, eamque defendendi contra injustos invasores, ac vim vi repellendi; atque ideirco, qui privata authoritate, ac sine justa causa aufert vitam proximo, vel eam aliqua ratione violat & diminuit, facit ipsi injuriam.

5. Si dicas: Potest homo licite uti vita sua cum periculo mortis, v. g. assistendo pestiferis cum periculo contagionis, vel occurrendo hostibus primo loco in acie belli; ergo habet dominium vitæ suæ. Resp. negando consequentiam: quamvis enim homo in quibusdam casibus habeat facultatem utendi vita sua cum probabili periculo mortis, non tamen habet potestatem, ut vitam

§. *Si quam de ff. de Usucap.* Porro *Res corporales* sunt eæ, quæ ex sui natura tangi possunt; veluti ager, vestis, equus, aurum, & hujusmodi. *Res incorporales* vero, quæ tangi non possunt: ut sunt ea, quæ consistunt in jure, v. g. jus eligendi, jus patronatus, jus ad hæreditatem, Usufructus, & alia hujusmodi jura.

23. Dicitur ulterius, *corporis, & animi adminicula*. Quia ad Possessionem unum sine altero non sufficit, sed requiritur, ut quis rem corporaliter apprehendat, seu detineat, simulque ut eam detineat tanquam suam, sicque animo possidendi, & non solum nomine alterius ipsam habeat. Hinc Depositarius (id est ille, qui rem alterius apud se depositam retinet) non dicitur possidere depositum, quia non detinet illud animo possidendi, ac retinendi sibi. Additur vero, *& juris adminiculo*: quæ particula sonat idem, ac *jure non refragante*, sive, ut habeatur possessio illa non contra jus & fas; nam data definitio convenit Possessioni juris & facti simul. Et per hoc excluditur Possessio manifeste injusta: qua v. g. fur, aut alius rei alienæ invasor, possidet rem alienam: siquidem talis non habet possessionem juris & facti simul, quia non detinet rem illam juris adminiculo, sed contra jus & fas; quamvis habeat possessionem facti, seu naturalem.

24. Quæres, quidnam privilegii conferat Possessio? Resp. plura sane privilegia, & commoda afferre Possessionem: adeo quidem, ut quando a duabus partibus litigantibus de proprietate alicujus rei controversia coram Judice agitatur, plerumque, & ferme semper, existat ingens contentio de ipsa Possessione; uti notatur §. *Retinenda, Instit. de Interdictis*.

25. Et primo quidem in tali casu, si videlicet oboriatur controversia inter quosdam de rei proprietate, sive dominio, & adhibita diligenti inquisitione maneat adhuc dubium, cujusnam res illa sit; tunc melior est conditio possidentis, & ipsi adjudicabitur causa, juxta *Reg. 65. Juris in 6. in pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis*. Deinde Possessio parit in judicio præsumptionem dominii: unde in prædicto casu possessor non tenetur probare, rem esse suam, sed alter, qui eam repetit; & quidem, si hic non satis probaverit rem esse suam, nihil obtinebit, sed alter remanebit in possessione, etiamsi revera res ejus non sit; prout expresse habetur *cit. §. Retinenda, Instit. de Interdictis*. Ulterius Possessio, si sit bonæ fidei, suo tempore parit præscriptionem; id est, facit, ut res, quæ prius revera non erat tua, elapso tempore a Jure definito fiat tua, ita ut non amplius tenearis eam domino, postea primum ipsam repetenti, restituere; de quo plura infrius (a) agendo de Præscriptione.

26. His accedit, quod si Possessor privata alicujus violentia de Possessione rerum suarum exturbetur, aut ea clam spolietur, ante omnia debeat fieri restitutio spoliati; non obstante, quod occupator alleget titulum, velitque probare, rem illam esse suam. Generaliter enim restitutio spoliati ante omnia fieri debet, *c. In litteris, & seqq. de Restitut. spoliat.* Nec potest cogi spoliatus (dummodo probaverit, se per adversarium violenter, aut clam, possessione rei suæ spoliatum fuisse) ad alios causæ articulos respondere, donec sibi restitutio spolii facta fit: & tunc primum pars adversa, si quidpiam proponere voluerit, audiri debet, *arg. c. 1. & c. Conquerente, eod.* cum concordantiis. Tandem Possessor ab altero invasus potest vim vi repellere, remque suam defendere, etiam armis, si ita opus fuerit: aut jam expulsus, possessionem suam repetere, dummodo id statim sive in continenti fiat, *c. Olim de Restitut. Spoliatorum & l. Idem est, ff. de Vi, & vi armata.*

DISTINCTIO IV.

De Objecto, & Subjecto capaci Dominii.

QUÆSTIO I.

Quænam cadant sub objectum Dominii.

SUMMARIUM.

1 *De cujus Dominio hic agatur?*
2 *Sub Dominium hominis cadunt res inferiores corporeæ.*
Et quid de superioribus?
3 *Unus homo potest cadere sub Dominium alterius, quomodo?*
4 *Homo non habet dominium vitæ suæ.*
5 *Salvatur instantia.*
(b) De hoc amplius Tract. 9. Disp. 3. n. 10. & seqq.
6 *Dans nomen militiæ non vendit vitam suam.*
7 *Homo est dominus propriæ famæ.*
8 *Non tamen sine causa potest tantum bonum prodigere.*

1. NOn est termo in proposito de Dominio Dei, quod esse supremum atque perfectissimum in omnes creaturas, de fide est. Neque agitur hic de Dominio Angelorum, sed duntaxat de Dominio hominis, investigando, quænam cadant sub perfectum Dominium hominis, id est, quænam sint illæ res, in quas homo potest habere Dominium perfectum.

2. CONCL. I. Omnes res corporeæ inferiores, ut puta agri, montes, flumina, plantæ, bestiæ, metalla &c. cadunt sub Dominium hominis. Ita communis; & patet ex illo *Gen. cap. 1. Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram*; & alibi. Dicitur notanter, *res corporeæ inferiores &c.* Siquidem rerum superiorum, quales sunt Angeli, & corpora cœlestia, homo non dicitur proprie habere Dominium; bene tamen quorundam effectuum ab ipsis profectorum, ut luminis, caloris &c. nam hinc certa jura proveniunt, ut puta jus prospectus, & hujusmodi, quæ alio nomine appellantur *Servitutes*, de quibus Jurisperiti.

3. CONCL. II. Potest unus homo cadere sub Dominium alterius, & hic in ipsum habere non solum Dominium jurisdictionis, sed aliquo modo etiam proprietatis. Ita rursum communis. Prima Pars de Dominio jurisdictionis est clara: sic enim Pater in filium, Dominus in servos, Rex aut Imperator in subditos suos, habet dominium jurisdictionis. Altera pars, quod etiam aliquo modo unus homo habeat Dominium proprietatis in alium, patet in mancipiis, seu servis proprie dictis, quorum olim frequens erat usus, & poterant a dominis ad libitum vendi. Additur tamen, *aliquo modo*; quia dominus non habet tale Dominium in servum, seu mancipium proprie dictum, ut possit ipsum pro libitu & absque ulla causa occidere, sicut potest jumentum suum interficere; nam hoc est contra illud Præceptum Decalogi, lumine naturæ notum, *Non occides*.

4. CONCL. III. Homo non habet Dominium vitæ suæ, sed istud penes solum Deum remanet: unde homo est quidem procurator, custos, & quasi usuarius vitæ suæ, non autem dominus. Patet hoc ex illo *Sapientiæ 16. Tu es Dominus, qui vitæ & mortis habes potestatem*. Accedit ratio; quia alioquin, si homo esset dominus vitæ suæ, posset licite se privare vita, ac seipsum interficere: hoc autem est falsum & contra citatum illud, *Non occides*; ergo. Cæterum licet homo non sit dominus vitæ suæ, est tamen ejusdem procurator, & custos, atque usuarius, ita ut habeat jus ea fruendi, eamque defendendi contra injustos invasores, ac vim vi repellendi; atque ideirco, qui privata authoritate, ac sine justa causa aufert vitam proximo, vel eam aliqua ratione violat & diminuit, facit ipsi injuriam.

5. Si dicas: Potest homo licite uti vita sua cum periculo mortis, v. g. assistendo pestiferis cum periculo contagionis, vel occurrendo hostibus primo loco in acie belli; ergo habet dominium vitæ suæ. Resp. negando consequentiam: quamvis enim homo in quibusdam casibus habeat facultatem utendi vita sua cum probabili periculo mortis, non tamen habet potestatem, ut vitam

directe ac per se possit destruere, sed solum per accidens & indirecte, quatenus justa de causa potest quidpiam agere, cui videt annexum esse periculum vitæ suæ. (b) Dominium autem includit facultatem utendi re quapiam pro libitu, per se quoque ac directe ejus substantiam destruendo, si placuerit.

6. Quod si urgeas: Potest homo vitam suam alteri vendere, prout fit, dum quis dat pecuniam militiæ: ergo. Resp. negando assumptum: fallissimum quippe est, eos, qui dant nomen militiæ, vendere vitam suam pro pretio ipsis tunc soluto; cum solummodo ventant ministerium, seipsos paratos offerendo ad sustinendos quoscunque labores atque onera militiæ, etiam cum vitæ periculo, imo, si opus fuerit, usque ad effusionem sanguinis.

7. CONCL. IV. Homo vere quidem est dominus propriæ famæ, & honoris; adhuc tamen sine causa tantum bonum prodigere, & licite negligere non potest. Ita D. Thomas 2. 2. q. 73. *art.* 4. ubi docet, in cujusque arbitrio esse, pati detrimentum suæ famæ, nisi vergat hoc in periculum aliorum. Multrius *disp. 3. Theol. Mor. num.* 34. Lessius, & alii. Ratio est: quia homo post vitam a Deo acceptam, comparat sibi primum bonum famam; ergo non est ratio, cur, non sit dominus ejus, licet est aliarum rerum, quas proprio labore acquirit. Et hinc multi Sancti propriam famam, & honorem positive spreverunt, ut per virtutem Humilitatis vitam æternam tutius consequerentur: Sic D. Augustinus scripsit Libros Confessionum, & S. P. N. Franciscus e publico loco suos defectus denuntiavit: quod idem in simili factum est ab aliis pluribus Sanctis.

8. Cæterum non esse licitum, sine causa tantum bonum propriæ famæ & honoris prodigere, patet ex illo *Ecclesiastici 41. Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni.* Unde D. Augustinus *lib. De bono viduitatis, cap. 22.* & refertur *c. Non sunt audiendi, 11. q. 3.* sic inquit: *Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra.* Et idem *in Serm. de communi vita Clericorum*, relatus *c. Nolo, 12. q. 1.* ait: *Conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo: qui fidem conscientiæ suæ, negligit famam fratris, crudelis est.*

QUÆSTIO II.

De Peculio Filiifamilias, nec non & Bonis Uxoris.

SUMMARIUM.

9 *Peculium, unde sic dictum?*
10 *Peculium Filiifamilias castrense,*
11 *Quasi castrense,*
12 *Profectitium, &*
13 *Adventitium, quid?*
14 *Bona dotalia, & paraphernalia uxoris, quæ?*
15 *Dotis proprietas manet penes uxorem.*
16 *Excepto uno, vel altero casu.*
17 *Quid de Bonis paraphernalibus uxoris?*
18 *Corollaria.*
19 *Quomodo peccet uxor, accipiens ex bonis mariti?*

(c) Tr. 9. Disp. 5. n. 28. & seq.

9. PEculium, ut habetur *l. Depositio, ff. de Peculio, dictum est, quasi pusilla pecunia, sive patrimonium pusillum.* Et quantum attinet ad primam partem Quæstionis, Peculium Filiifamilias communiter quadruplex assignatur, videlicet castrense, quasi castrense, profectitium, & adventitium.

10. *Peculium castrense* dicitur illud, quod Filiusfamilias acquirit in castris, non acquisiturus aliunde: & hujusmodi bona, quæ ipse acquirit, dum militat in castris, dicuntur *Bona castrensia.*

11. *Peculium quasi castrense* est, quod Filiifamilias, qui sunt Magistri artium liberalium, Medici, Clerici, vel Advocati, de publico acquirunt, & si quis Filius familias habeat talia bona, dicitur is habere *Bona quasi castrensia*, seu *Peculium quasi castrense.* Vocto bona hujusmodi sive castrensia, sive quasi castrensia, pleno jure, tam quoad proprietatem, quam quoad usumfructum semper ad filios pertinebant, & adhuc pertinent; prout fatentur Juristæ, & Theologi unanimiter.

12. *Peculium profectitium* dicitur, quod de rebus patemis proficiscitur, & filius in ipsis negotiando lucratur. Et hoc totum, tam quoad proprietatem, quam quoad usumfructum, patri acquiritur; ut habet communis Doctorum.

13. Tandem *Peculium adventitium* dicitur omne illud, quod Filiusfamilias advenit ex alia causa, quam ex enumeratis: ut puta, quod advenit seu acquiritur ipsi per testamentum

ab

ab avo, vel avia, vel aliquo alio factum, aut ex prospera fortuna, vel hujusmodi. Et horum bonorum adventitiorum usumfructum habet pater, quamdiu Filius est sub sua potestate: dominium autem eorum remanet filio. Et per hoc patet ad primam partem Quæstionis de Peculio, sive Dominio Filiorumfamilias.

14. Quantum attinet ad alteram quæstionis partem, seu ad Bona Uxoris, est notandum, alia esse bona Uxoris dotalia, alia paraphernalia. *Bona dotalia* aliud non sunt, quam dos, quæ ab uxore, vel ab alio ejus nomine, datur marito ab onera Matrimonii sustinenda, animum ad alendam uxorem, liberos, familiam &c. Hæc enim cura præcipue incumbit marito. *Bona paraphernalia* uxoris econtra dicuntur res illæ, quas uxor præter dotem, quam marito pro oneribus Matrimonii dedit, simul attulit, sibique reservavit. Hæc prænotato, sit

15 CONCL. I. Quamvis uxori remaneat proprietas dotis marito allatæ (excepto uno vel altero casu) nihilominus plena bonorum dotalium administratio, & usufructus ad maritum attinet; id que tum ad alendam uxorem atque familiam, utpote quæ cura specialiter incumbit marito, tum ad alia onera matrimonii sustinenda. Ita communis, estque clare decisum *l. 2. & l. Dotis fructus. ff. de jure dotium* cum concordantiis. Imo dotis proprietas ita remanet penes uxorem, ut pro ea sint ipsi tacitæ hypothecatæ omnia bona mariti, donec sibi dos restituatur, *text. clar. l. In rebus C. de Jure dotium.* Quare soluto matrimonio per mortem viri, præfertur uxor in repetenda dote omnibus aliis personalibus creditoribus, etiam tempore prioribus, & hypothecam habentibus. Quin etiam durante matrimonio, si maritus ad inopiam vergit, ita ut periculum sit, ne dotem aggrediatur, & abluma, fas est uxori ea repetere. *arg. cit. l. In rebus. Cod. eod.* & amplius declarat Layman *l. 3. tract. 4. cap. 13. n. 7.*

16 Dicitur notantet in Conclusione, *excepto uno, vel altero casu*: nam duo præcipue dantur casus, in quibus Dominium dotis plene ad maritum transit, sed cum obligatione tantundem soluto matrimonio restituendi. Primus est, si dos consistat in numerata pecunia, vel aliis rebus usu consumptibilibus. *arg. l. Ret in dotem. ff. de Jure dotium.* Secundus est, si res dotales usu non consumptibiles, utputa fundus, domus &c æstimatæ dentur, non quidem eo

solo animo, ut sciatur earum valor, si forte deperditæ vel diminutæ fuerint culpa mariti, sed ita æstimatæ, ut æstimatio faciat venditionem & emptionem: nam tunc maritus acquirit Dominium ipsarum, & summæ pecuniariæ taxatæ velut pretii debitor efficitur, ac (nisi secus conventum fuerit, soluto Matrimonio potest retinere rem, & offerre pecuniam taxatam, *text. clar. l. Quotier. C. de Jure dotium.* Est autem inter dotem, quæ transit in Dominium mariti, & quæ non transit, hoc notabile discrimen, quod in casu, quo dos transit in Dominium mariti, rerum dotalium periculum ad maritum spectet, *arg. cit. l. Res in dotem, ff. eod.* quod alioquin ad uxorem, tanquam dominam earum rerum, pertineret: quia quælibet res domino suo fiat aut cadit, melioratur vel perit. Verum de dote plura Jurisperiti.

17. CONCL. II. Quantum est de jure Cæsareo, uxor in Bona paraphernali non solum proprietatem, sed etiam plenum dominium atque administrationem habet, ita ut maritus ea nolente nequaquam hujusmodi bonis sese immiscere possit; quamvis bonum atque consultum sit mulieri, quæ seipsam committit marito, res etiam suas pari arbitrio gubernari. Ita habetur expresse in Jure Civili *l. Hoc lege. C. de Pactis conventis* estque communis. Additur tamen, *quantum est de Jure Cæsareo*: quia in aliquibus locis, præsertim extra Romanum Imperium existentibus, servantur aliæ Leges, non vero Jus commune Cæsareum; prout nominatim de Belgio tellatur Hertius *disp. 1. de Contractibus. num.* 55.

18 Ex dictis infertur, virum graviter peccare, consumendo, ac delapidando Bona paraphernalia uxoris sine ejus licentia; utpote cum rem alienam absumat. Quin imo etiam si marito committatur Bonorum paraphernalium administratio, adhuc tamen is gravem admittit injustitiam, si prædicta Bona in putationes, Venerem, aliasque prodigas aut turpes alienationes expendit. Gobat *tr. 5. Quinarii. c. 24. n. 4. & seq.*

19 Infertur ulterius: etiam uxorem graviter peccare, & quidem mortaliter, si summam notabilem ex bonis mariti, vel quorum administratio ad ipsum pertinet, eo rationabiliter invito, accipiat: quia accipit illud, cujus dominium, vel certe administratio ad ipsam non pertinet, sed ad maritum, qui exinde tenetur providere familiæ. Additur notanter, *summam notabilem*: quia

non peccat mortifere, si quantitas judicio prudentis, spectato statu, opibus, aliisque circumstantiis non sit notabilis; imo in hujusmodi furtis major ad peccatum mortale requiritur quantitas, quam in aliis. Verum de hoc, & quando uxor peccet, vel non peccet, furripiendo ex bonis communibus, plura inferius (c) agendo de Furto.

QUÆSTIO III.

De Bonis, & Dominio Clericorum Beneficiariorum.

SUMMARIUM.

20 *Bona Clericorum quadruplicia, nempe*
21 *Bona patrimonialia,*
22 *Bona quasi patrimonialia seu industrialia,*
23 *Bona mere Ecclesiastica, &*
24 *Bona parsimonialia Clericorum.*
25 *Clerici sæculares Beneficiarii habent plenum dominium bonorum patrimonialium.*
26 *Item & quasi patrimonialium seu industrialium.*
27 *Corollaria.*
28 *Possunt etiam pro libitu disponere de bonis parsimonialibus.*
29 *Bonorum mere Ecclesiasticorum acquirunt quidem dominium, sed cum onere superflua in pias causas erogandi.*
30 *Quod procedit de facto.*
Divisio bonorum Ecclesiasticorum, quando facta?
31 *Ratio erat, probantes dictum dominium Clericorum.*
32 *Ratio ostendentes obligationem erogandi superflua in pias causas.*
33 *Qui iure Beneficiarii teneantur superflua in pias causas erogare?*
Referuntur diversa sententia.
(a) Tract. 4. Disp. 6 quæst. 4.
34 *Sententia probabilior.*
35 *Dicta obligatio est personalis Clericorum.*
36 *Corollarium.*
37 *Solvitur instantia.*
(b) Disp. 3. n. 4.
38 *Quantitas sufficiens ad peccatum mortale ratione bonorum Ecclesiasticorum male expertorum, qua?*
39 *Et quomodo computanda?*
40 *Obtentiones notabiles solvuntur.*
41 *Bona Ecclesiastica, quomodo dicantur res Dei?*
42 *Item res seu patrimonia pauperum?*
43 *Clerici, in quo sensu dicantur Dispensatores &c. bonorum Ecclesiæ?*
44 *An Clerici testari possint? remittitur.*

20. CElebris est hæc Quæstio, tractans de Dominio Clericorum Beneficiariorum; id est, eorum, qui habent Beneficium Ecclesiasticum, sive curatum, sive non curatum. Pro cujus resolutione notandum, quod Bona Clericorum quadruplicia distingui soleant, videlicet bona patrimonialia, quasi patrimonialia seu industrialia, mere Ecclesiastica, & tandem parsimonialia.

21. *Bona patrimonialia* Clericorum dicuntur ea, quæ Clericis obveniunt hæreditate, donatione, arte, aliave profana causa, qua solent & Laici acquirere.

22. *Bona quasi patrimonialia seu industrialia*, sunt, quæ a Clericis acquiruntur ex industria spirituali, sive ex extraordinariis functionibus Ecclesiasticis absque Beneficio: veluti celebratione Missarum votivarum, Concionibus, Confessionibus audiendis, Cantu Ecclesiastico, agendo Capellanum, ac hujusmodi. Et recte cum Navarro, *tr. de Redditibus Ecclesiast. cit. monit.* 19. Bona quasi patrimonialia Clericorum dicuntur ea omnia, *quæ sunt quæsita ratione Clericalis Ordinis, vel officii, alia ratione, quam iuris recipiendi fructus beneficiales.*

23. *Bona mere Ecclesiastica* sunt illa, quæ a Clericis acquiruntur ratione alicujus Beneficii Ecclesiastici, quod habent: qualia bona sunt ea, quæ acquiruntur intuitu Episcopatus, Canonicatus, Parochiæ, aut alterius Beneficii Ecclesiastici; uti sunt ordinarii redditus eorum, decimæ, fundationes, fructus agrorum, aliarumque rerum ad Beneficium ipsum seu Ecclesiam pertinentium.

24. *Bona* tandem *parsimonialia* Clericorum dicuntur ea, quæ Clericus aliquis ex redditibus Ecclesiasticis de congrua sustentatione partius, quam honeste potuisset, vivendo, sibi subtraxit. His prænotatis, sit

25. CONCL. I. Clerici sæculares Beneficiarii habent plenum dominium bonorum suorum patrimonialium, unde de istis libere donare, aut alio modo disponere possunt, imo etiam testari, seu testamentum facere. Ita communis, & habetur clarissime. *cap. Quia vos. & c. Relatum.* 12. *de Testament.* ibi: *Cæterum quæ Clerici ex hæreditate, vel artificio, aut doctrina provenunt,*

veniunt, distribuantur pro arbitrio decedentis. Accedit ratio: quia Clerici sæculares nullo modo abdicarunt dominium Bonorum suorum, sicuti abdicare solent Religiosi.

26. CONCL. II. Etiam de bonis quasi patrimonialibus, seu industrialibus, Clerici sæculares libere disponere possunt, imo etiam testari. Ita Lessius *lib. 2. cap. 4. n.* 37. Navarrus, Covarruvias, & alii communiter, paucis exceptis. Ratio est: quia ejusmodi bona præstantur a fidelibus absque ullo onere expresso, vel tacito, dandi superflua pauperibus (quale tamen onus bona Beneficiorum habent annexum) sed dantur eis veluti stipendium suæ sustentationis, & tanquam merces laborum suorum, atque operum personalium spiritualium sibi præstitorum. Unde talia non immerito æquiparantur bonis Clericorum patrimonialibus; Nam *dignus est operarius mercede sua. Luc. cap. 10.*

27. Ex dictis infertur cum cit. Lessio, & aliis, quod Clerici non magis ex bonis quasi patrimonialibus teneantur in pios usus expendere, quam ex bonis patrimonialibus: nam amborum bonorum habent plenum dominium, ac liberam administrationem. Infertur ulterius, quod si Clerici de his vivant, vel expendant in pias causas, tantundem accipere possint de bonis Ecclesiasticis, & de eo dilponere ad libitum, sicut de bonis patrimonialibus: quia cum habeant jus vivendi ex Beneficio Ecclesiastico, non tenentur vivere ex aliis suis bonis; unde si de his vivant, possunt uti compensatione.

28. CONCL. III. Insuper de bonis parsimonialibus, quæ Clerici de congrua sustentatione; parcius vivendo, sibi ex redditibus, sive bonis Ecclesiasticis subtraxerunt, possunt iidem Clerici pro libitu disponere. Ita Covarr. *c. 7. de testam. n. 9.* Lessius *n.* 39. Engel. *tit. de testam. n. 7.* & alii satis communiter, contra Aobatem, & nonnullos alios. Ratio est: quia hujusmodi pars fructuum Ecclesiasticorum est justa merces eorum, qui Ecclesiæ serviunt: hinc redeunt fundamenta prioris Conclusionis. Major difficultas est de cæteris bonis, seu redditibus mere Ecclesiasticis, quæ congruæ sustentationi superfluunt; de quibus loquendo, sit

29. CONCL. IV. Clerici Beneficiarii acquirunt de facto verum Dominium hujusmodi bonorum Ecclesiasticorum, id tamen habent cum onere, superflua in pauperes, aliasque pias causas erogandi. Ita quoad primam partem probabilior, imulque communior Doctorum, præsertim modernorum, quamvis sit contra Navarrum *tract. de Redditibus. quæst. 1. monit. 21 & seq.* Sanig. *distinct 5. de Justit. & jure. q. 4* & multos alios tum Theologos, tum Canonistas, præcipue antiquiores, quos refert Lessius *lib. 2. c. 4. n.* 41. quique volunt, Clericos non esse Dominos illius portionis superfluæ, sed solum Oeconomos, & Dispensatores, adeo ut ex justitia teneantur eam erogare in pias causas: & si secus egerint, teneantur ad restitutionem Ecclesiæ, pauperibus, vel aliis piis causis faciendam ex aliis bonis, quæ pleno jure obtinent, puta ex patrimonialibus, industrialibus, vel parsimonialibus. Et hæc quidem sententia non caret sua probabilitate, imulque veluti tutior in praxi merito tenenda.

30. Nihilominus data Conclusio est probabilior, & inter modernos communior: quæ tamen solum procedit *de facto*, hoc est, pro tempore post divisionem bonorum Ecclesiasticorum, per Simplicium Papam circa annum Domini 470 factam. Siquidem tunc crescente multitudine Clericorum, variisque subortis incommodis, dictus Pontifex bona Ecclesiastica in quatuor partes divisit, quarum prima tribuebatur Episcopo, secunda Clericis, tertia pauperibus, & quarta fabricis Ecclesiasticis: fuitque isthæc divisio per Gelasium Papam confirmata, ut habetur *c. de Redditibus. & c. Concesso, & c. Quatuor.* 12. q. 2. Porro ante factam ejusmodi divisionem bonorum Ecclesiasticorum (quorum altera parte Clericis attributa, simul fuerunt erecta Beneficia Ecclesiastica) omnes oblationes atque redditus erant bona communia, singulis prout quisque opus habebat distribuenda; & vivebant Clerici in communi, sicut modo Religiosi.

31. Probatur nunc prima pars Conclusionis taliter explicata, ex Jure Canonico. Nam *c. ua de Clericis non resident: in 6.* dicitur, quod Clerici, qui extra casus a Jure concessos non interfunt Divinis Officiis, *& de distributionibus ipsi quidquam receperint, rerum sic receptarum dominium non acquirant:* ergo supponitur, quod alii Clerici Beneficiarii, qui interfunt Divinis Officiis, acquirant dominium suorum reddituum Ecclesiasticorum, atque distributionum quotidianarum; alioquin frustra privarentur non interessentes tali dominio. Deinde Concilium

Later. sub Leon. X. & S. Pius V. in sua constit. quæ incipit: *Exponi nobis*, (& habetur *tom. 2 Bullarii Romani. Const. 135. dicti Pontificis*) statuunt, atque declarant, quod Clerici Beneficiarii, pro rata omissionis Horarū Canonicatum, *fructus non faciant suos*; ergo cæteri recitantes, censentur fructus facere suos: nam argumentum a sensu contrario, in Jure reputatur fortissimum. Et hoc ipsum clarius ostendit Concilium Trid. *sess. 24. c. 12. de Reformat.* ubi vult, quod Clericus, in casu ibidem expresso delinquens, *priorum dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecit suos*. Ubi ponderandum ly *quos ratione præbendæ, ac residentiæ fecit suos*. Accedit ratio: quia Clerici sæculares Beneficiarii definito capaces sunt dominii; ergo, cum tot Jura illud ipsis concedere videantur super redditus Ecclesiasticos, non est hoc eisdem denegandum.

32. Alter a pars Conclusionis, quod Clerici tale dominium habeant cum onere, superflua in pauperes aliasque pias causas erogandi, est communi Doctorum sententia; de qua testantur Lessius *loc. cit. n. 47.* Herincx *disp. 4. de Just. & jure num. 130.* asserens, apud Doctores communiter esse inhabitatum. Clericos graviter esse obligatos ad superflua expendenda in pias causas Lugo *disp. 4. de justit. & jure. sect. 2. n. 1.* dicens, quod communis est omnium Doctorum sententia, adesse talem obligationem, ac alii. Et hoc desumitur inprimis ex *can. 39. & 75. Apostolorum.* atque ex pluribus textibus Juris Canonici: ut ex *c. quia tom. 12. q. 1.* ibi: *Omne, quod superest, in causis pias ac religiosi erogandum est*, &c. Et c. *Res Ecclesiæ. 12. q. 1.* & alibi. Hinc S. Urbanus Papa (atque refertur in Breviario Romano, die Festo ipsius, 25 Maji) de bonis Ecclesiæ attributis scripsit his verbis: *Ipsa res Fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in alios usus, quam Ecclesiasticos, & Christianorum fratrum, & indigentium converti: quia vota sunt Fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum*. Concordat Concilium Trid. *Sess. 25 cap 1 de Reform.* ubi *Omnino sit* (Episcopis, aliisque Beneficia habentibus) *interdictum, ne ex redditibus Ecclesiasticis consanguineos, familiares suos augere studeant: cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticæ, quæ Dei sunt, consanguinis donent: sed si pauperes sint, ut pauperibus distribuant*. Ita Tridentinum.

33 Quo autem Jure hujusmodi obligatio erogandi superflua in pias causas incumbat Beneficiariis, variant Doctores. Et quidem, quotquot cum Navarro negant, Clericos acquirere dominium talium bonorum mere Ecclesiasticorum superfluorum, consequenter inferte solent, eos Jure naturali, ac Divino, ex motivo virtutis Justitiæ teneri talia in pias causas expendere; ne alioquin alienum rapere, aut male expendere convincantur. Alii vero, qui tale dominium Clericis admittunt, iterum in diversas abeunt sententias: inprimis enim nonnulli volunt cum Laymano *lib. 4. tract. 2. cap. 3. num. 3.* eos nihilominus ex virtute Justitiæ obligari. Aliqui cum Lessio *lib 2. cap. 4 num. 47.* & Soto, arbitrantur, eam obligationem procedere solum ex præcepto positivo Ecclesiæ, passim in SS. Canonibus inculcato: cui sententiæ favet Herincx *loc. cit. num 133.* Quidam cum Fagnano *in c. Si quis sanc. n. 1. & seqq. de Peculio Clericor.* asserunt, Beneficiarios teneri ex lege Charitatis redditus superfluos in pauperes erogare. Sed hanc sententiam reliqui admittunt duntaxat in casu, quo adsunt pauperes in extrema, vel gravi necessitate constituti: nam tunc equidem tenentur Clerici (imo & Sæculares) eisdem de superfluis subvenire ex præcepto Charitatis, non vero extra talem casum necessitatis, ut alibi (a) dictum.

34. Alii, tandem, & quidem probabilius, asserunt cum cit. Lugone, *num. 16. & seqq.* dictam obligationem oriri ex virtute Religionis, & qualitate ipsorum bonorum, quæ sunt Res Dei, atque ex primæva Fundatorum intentione, per Ecclesiam ipsumque Beneficiarium in institutione, vel receptione Beneficii Ecclesiastici acceptata, & cultu Divino specialiter deputata, ut proinde non nisi pie & religiose expendi debeant. Ratio est: quia hujusmodi bona sunt specialiter oblata, & destinata ad cultum Divinum, unde & dicuntur *Res Dei, Vota Fidelium*. &c. eaque bona recipiunt Clerici Beneficiarii ab Ecclesia sub illa obligatione (hoc est, tanquam *Vota Fidelium, & Res Dei*. &c.) per textus proxime allegatos: ergo hoc ipso tenentur Clerici ex motivo Religionis, ab Ecclesia & Fundatoribus intento superflua in cultum Divinum, piasque causas expendere; atque aliter expendendo peccabunt contra virtutem Religionis, non minus, ac hæres non adimplens vota realia defuncti. Nam & hujusmodi vota supposita tamen defuncti voluntate, atque adita hæreditate, obligant hæredem ex virtute Religionis, cujusmodi obligatio est de jure naturali & Divino.

35. Notant tamen Doctores cum Lessio *lib. 4. c. 19. n. 48.* quod hujusmodi obligatio sit personalis Clericorum: hinc alii ab his accipientes, non amplius hoc jure tenentur. Nam quamvis Beneficiarius ille res mere Ecclesiasticas superfluas male in causas profanas expenderit, necnon & peccaverit, valide tamen fuit dispositio ejus; cum habuerit dominium illorum bonorum, licet cum onere personali superflua in pias causas expendendi.

36. Ex dictis infertur cum D. Thoma *Quodlibeto 6. art. 12.* quod Clerici talia bona, seu redditus mere Ecclesiasticos superfluos, in causas profanas impendentes, obligentur quidem ad agendam pœnitentiam, non vero ad faciendam restitutionem. Ratio est: quia cum peccent, si male expendant bona mere Ecclesiastica in res profanas, hinc tenentur agere pœnitentiam de hoc suo peccato: restituere vero nihil tenentur, cum habuerint dominium talium bonorum.

37 Nec dicas. Si Clerici Beneficiarii habent dominium talium bonorum, ergo hoc ipso libere de eis disponant; sicque non peccant illa expendendo etiam in causas profanas. Resp enim negando consequentiam: quia, ut jam supra (b) dictum, *Dominium est jus perfecte disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur*. In proposito autem Clericis Beneficiariis prohibitum est, tales redditus Ecclesiasticos in causas profanas expendere; & quidem non solum Jure Canonico pluribus in locis, verum etiam Jure naturali & Divino, dum ex motivo virtutis Religionis jubentur bona Divino cultui specialiter destinata, Deoque oblata, non nisi ad dictum finem causalque pias expendere.

38 Verumtamen circa hoc advertendum, quod notabilis summa, sufficiens ad constituendum peccatum mortale ratione superfluorum bonorum Ecclesiasticorum in causas profanas expensorum, vocetur ea, non quæ furto sublata sufficeret ad peccatum mortale, sed quæ censeri potest pars aliquo modo notabilis respectu ipsorum redditorum superfluorum Beneficiarii; prout observat Lugo *loco cit. n. 42.* Herincx *n. 134.* Molina, Coninch, & alii. Ratio diversitatis est: quia Clerici habent dominium illorum bonorum, non sic fur in re furtiva. Deinde hic non versamur in materia Justitiæ, sicuti accidit in furto: cum obligatio dandi superflua in pias causas, oriatur ex motivo duntaxat Religionis; sicque satis sit ad vitandam gravem culpam, eadem taliter expendere, ut si non mathematice, saltem moraliter quis ipsa pie & religiose expendisse dici possit: quod salvatur, quamdiu notabilis dictorum reddituum pars male non impeditur.

39 Insuper præter detracta bona patrimonialia, industrialia, & parsimonialia, hic habenda est ratio personæ Clerici, & aliarum circumstantiarum. Nam quæ respectu inferioris Beneficiarii possent censeri superflua, non sunt talia respectu alterius in altiori gradu constituti; & quæ cæteroquin male impensa dici possent, concurrentibus certis circumstantiis talia non sunt: unde hæc prudenti, simulque pio judicio, discernenda veniunt.

40. Objicies majoris claritatis gratia cum Navarro, & aliis, contra primam partem datæ Conclusionis. In *c. Quia juxta. 16. q. 1.* dicitur: *Juxta Sanctorum Patrum traditionem noverint, res Ecclesiæ vota esse Fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum*. Insuper D. Augustinus, relatus *c. Si peccatum 12 q. 1.* & tursus *c. Quod autem 16 q. 7.* loquens de bonis Ecclesiæ, inquit: *Non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicamus*: cum pluribus concordantiis: ergo si bona Ecclesiæ sunt res Dei, & patrimonia pauperum, & ipsi Clerici duntaxat eorum Dispensatores, & quodammodo Procuratores, non Proprietarii, hoc ipso non habent dominium ipsorum. Resp. negando consequentiam, & explicando dicta, atque alias consimiles authoritates.

41. Inprimis enim bona Ecclesiastica dicuntur *Res Dei*, quatenus cultui Divino specialiter sunt dedicata, & oblata a Fidelibus: non autem, quasi dominium eorum præcise maneat penes Deum. Cum certum sit, eorum dominium transire in Ecclesiam, juxta illud *c. Nulli. 12 q. 2 Omne, quod Domino consecratur, sanctum sanctorum Domino est, & ad jus pertinet Sacerdotum*.

42. Deinde hujusmodi bona dicuntur *Res, seu patrimonia pauperum*: tum ex eo, quia collata fuerunt ad honestam sustentationem ministrorum Ecclesiæ, qui ante erectionem Beneficiorum, & divisionem bonorum Ecclesiasticorum (de qua *num.* 30.) vere pauperes erant, & nihil proprii in particulari

lari habebant. Tum etiam ea dicuntur bona sive patrimonia pauperum, non proprie & quoad dominium seu proprietatem, sed quoaddebitum seu obligationem erogandi eadem pauperibus, in quantum necessariam & decentem sustentationem excedunt; prout explicat Pagnanus *Sà quis sane, n. 4. & 5. de Peculio Clericorum.* Et quidem ejusmodi obligatio etiamnum habetur, non quidem ex debito Justitiæ, sed Religionis.

43. Tandem Clerici dicuntur Dispensatores, & quodammodo Procuratores bonorum Ecclesiæ, alludendo ad tempora primitivæ Ecclesiæ, atque ante erectionem Beneficiorum, & divisionem bonorum Ecclesiasticorum, per Simplicium Papam primum factam: nam antea Clerici erant pauperes, nihilque in particulari possidebant, sed eis per Episcopos bona Ecclesiæ, aliaque a Fidelibus oblata, opportune dividebantur, prout habetur *c. Episcopi. & c. Præcipimus. 12. q. 1.* & alibi. Quod si nonnullæ authoritates reperiantur, quæ videntur loqui de tempore post factam prædictam divisionem, eæ intelligendæ sunt de bonis ipsi dunta at Ecclesiæ addictis, utputa agris, vineis, aliisque possessionibus (nam horum Clerici Beneficiarii etiam defacto sunt solum Administratores) non vero loquuntur de ipsorum redditibus: imo horum dominium acquirunt Clerici, sed cum onere superflua in pauperes erogandi, ut supra ostensum.

44. Num autem Clerici de bonis suis testari valeant, commodius dicetur *Tract. seq. Distinct. 3.* agendo de Testamentis *Quæst. 5.* ubi præsens materia amplius declaratur.

QUÆSTIO IV.

De Dominio Religiosorum.

SUMMARIUM.

45 *Religiosi solemniter professi sunt incapaces dominii rerum temporalium.*
46 *Quid de Novitiis, ac emittentibus Vota simplicia in Societate Jesu?*
47 *Habent Religiosi quasi dominium bonorum spiritualium.*
48 *Qui Religiosi habeant dominium rerum temporalium in communi;*
49 *Dominium ipsud non est omnino liberum.*

(c) Tract. 2. Dist. 3. Quæst. 4. n. 37. & seqq.

45. CONCL. I. Religiosi solemniter professi sunt in particulari penitus incapaces omnis dominii, ac juris rerum temporalium, ita ut nemo eorum quidquam suo nomine, seu tanquam proprium possit tenere. Ita certa, & communis omnium. Patet hoc inprimis ex *c. Cum ad Monasterium, de Statu Monachorum*, ubi: *Nec assimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monachorum dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa Regulæ Monachali, aut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam dare.* & alibi Concordat Concilium Trident. *Sess 25. cap. 2. de Regularibus* plura circa hoc statuens.

46 Dicitur, *Religiosi solemniter professi*: quia Novitii retinent dominium bonorum suorum. Quinimo etiam illi, qui in Societate JESU finito biennio probationis emittunt tria Vota substantialia, sed simplicia solum, Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ, adhuc retinet dominium bonorum suorum per aliquod tempus a Superioribus præscribendum, quo faciant abdicationem bonorum suorum; quamvis interim eo dominio licite uti non possint sine consensu Superiorum propter Votum simplex Paupertatis: prout patet ex Bulla Gregorii XIII. *Ascendente Domino* 1584. edita, habeturque tom 2. Bullarii Romani, *Constit. 89. dicti Pontificis.*

47. Additur etiam in Conclusione, *bonorum temporalium*: quia jurium, & bonorum spiritualium, possunt Religiosi habere dominium, vel quasi dominium. Unde simplex Religiosus retinet jus honoris, ac famæ suæ, juxta D. Thomam 2. 2. q. 186. *art 7. ad 4.* Item jus eligendi, præsentandi, confirmandi, absolvendi, suscipiendi alimenta de bonis communibus Monasterii, ac hujusmodi; adeo, ut etiam possit agere nomine proprio super hujusmodi juribus in ordine ad spiritualia bona sibi competentibus, casu quo negarentur: nam per Votum Paupertatis Religiosi non renunciant bonis spiritualibus nec juribus prædictis, sed tantum temporalibus, sive bonis exterioribus. Miranda *tom. 1. Manualis Prælat. Quæst. 28. art. 1. in fine.* & alii.

48 CONCL. II. Religiosi professi cujuscunque Ordinis (excepto Ordine FF Minorum de Observantia, & Capuccinorum) possunt in communi habere dominium bonorum temporalium, ita ut hæc eorumdem Congregationes, Monasteria seu Domus, ve-

vero dominio possideant. Ita rursum certa, & communis; atque habetur expressum, & novissime concessum in Concilio Trident. *Sess. 25 cap. 3. de Regularibus.*

49. CONCL. III. Nihilominus Dominium illud Religiosorum in communi, atque Monasteriorum, non est omnino liberum & independens, sicuti est dominium Secularium. Ita certa, & communis. Ratio est: quia Sæculares possunt libere disponere de rebus suis; dominium vero Religiosorum in communi habet annexum onus, ut non possit Monasterium alienare bona immobilia, vel etiam mobilia pretiosa, nisi ex justa causa, & servatis debitis juris solemnitatibus, atque assensu Summi Pontificis (quamvis in Germania, & quibusdam locis remotis, de consuetudine, atque ob locorum distantiam, & difficultatem adeundi Summum Pontificem; sufficiat assensus Episcopi, ut notat Ludov. Engel. *tit. De rebus Ecclesiæ non alienandis, num. 15.*) Quod si seus fiat, alienatio nulla est & irrita, atque non solum alienans bona Ecclesiastica, sed etiam sic alienata suscipiens, incurrit pœnam excommunicationis, juxta Extravag. *Ambitiosæ tit De rebus Ecclesiæ non alienandis.* Cæterum an Religiosi possint condere testamentum, vel facere donationem mortis causa, dicetur infra (c) suo loco. Alia vero melius ex specialibus singulorum Ordinum Regulis, & Constitutionibus patebunt.

DISTINCTIO V.

De Acquisitione Dominii.

QUÆSTIO I.

De modis generatim acquirendi rerum Dominium, Bonisque incertis, ac Thesauris inventis.

SUMMARIUM.

1 *Res corporales aliæ, quæ carent domino;*
2 *Aliæ, quæ habent dominium, certum vel incertum.*
3 *Quibus modis generatim acquiratur rerum dominium?*
(a) De hoc Dist seq. per totum.
(b) De hoc agetur Tract. 8. per totum.
4 *Quid de modo acquirendi rerum dominium jure belli?*
(c) Tract. 4. Dist. 7. Quæst. 4.
5 *Res, quæ nobiles sunt, Jure naturæ fiunt primo occupantis. Limitatur hoc.*
6 *Bona incerta, quæ? & ad qui teneatur eorum inventor?*
7 *An Dominus amittat rerum deperditarum possessionem? & Dominium?*
8 *An ab inventore retineri possint post diligentem inquisitionem domini? Refertur aliorum sententia.*
9 *Thesaurus, quid?*
10 *Thesauri inventus cujus sit?*
11 *Quid dicendum spectato Jure Civili?*
12 *Quid, si thesaurus inveniatur in alieno fundo, vel arte magica?*
13 *An licitum sit emere fundum, in quo scitur latere thesaurum?*

1. ADvertendum, quod res corporales, quæ sub dominio proprietatis cadere possunt, generatim sunt duplicis generis. Quædam enim etiamnum nullius sunt, sed carent proprio dominio: ut sunt gemmæ in litore maris, pisces maris, volucres cœli, & alia hujusmodi, quæ necdum in dominium cujuspiam devenerunt. Et horum dominium potissimum acquiritur Occupatione; id est, talia sunt regulariter primo occupantis.

2. Aliæ vero res corporeæ sunt, quæ habent dominum. Et hæ rursum distinguuntur in eas, quæ habent certum dominum: uti sunt bona Petri, bona Pauli, &c. Et in eas, quæ habent dominum incertum, id est talem, de quo ignoratur, quis ille sit; ut si invenio rem perditam ab altero, & nescio, quis ille sit. Et hæc alio nomine solent dici *Bona incerta.*

3. CONCL. I. Tribus præsertim modis generatim rerum corporalium dominium acquiri solet. I. Jure naturali, seu Gentium: & hoc fit multipliciter, nimirum Occupatione, Nativitate, Alluvione, Specificatione, Accessione, Confusione, Commixtione, Ædificatione, Plantatione, Fructuum perceptione, & Traditione; de quibus

bus plura in progressu. II. Solet acquiri rerum dominium Jure Civili, atque Canonico; idque contingit potissimum mediante Præscriptione, atque Usucapione, utpote quæ ad magis conservandam pacificam hominum conversationem, præcludendasque infinitas lites, per leges tum Civiles, tum Ecclesiasticas, fuit introducta & constituta. (a) III. Acquiritur rerum dominium privata hominum voluntate, dum per varias conventiones, pacta & contractus, homines dominium rerum sibi antea propriarum in alios transferunt. (b)

4. His addi posset modus acquirendi rerum dominium Jure belli (intelige) justi. Verum modus iste potest comprehendi sub primo, quo acquiritur rerum dominium Jure Gentium, & commode redacitur ad Occupationem: quamvis enim hæc potissimum habeat locum in iis rebus, quæ antea nullius sunt, ac proinde Jure Gentium sunt primo occupantis, tanquam potiori; tamen ad Occupationem etiam reduci possunt capta ab hostibus, eo quod & hæc, si sint mobilia, regulariter fiant primo occupantis: ut alibi dictum c)

5. CONCL. II. Res illæ, quæ nullius sunt, Jure naturæ ac Gentium sunt primo occupantis, nisi lege aliqua humana earum dominium cuipiam alteri applicetur. Ita communis; habeturque expressum §. *Feræ. Instit. de Rerum divisione.* ibi: *Feræ igitur bestiæ, & volucres, & pisces, & omnia animalia, quæ mari, cælo, & terra nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, Jure Gentium statim illius esse incipiunt; quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur.*

Additur notanter in Conclusione, *nisi lege aliqua humana earum dominium cuipiam alteri applicetur.* Nam tunc esset standum dispositioni talis legis communis, utpote justæ, atque authoritate publica in bonum Communitatis latæ: prout fit in bonis vacantibus, id est, in bonis morientium sine hærede; hujusmodi enim bona, quamvis dominium amplius non habeant, non fiunt primo occupantis, sed ex dispositione Juris applicantur Fisco.

6. CONCL. III. Bona incerta (id est, ea quæ quidem dominum habent, sed ignoratur quis ille sit; uti sunt bona casu amissa, & ab altero inventa, aut quæ periculo naufragii projecta fuerunt in mare, & postmodum ad litus evaserunt.) Hujusmodi, inquam, bona incerta quisquis reperierit, obligatur ea restituere veris dominis, si eos dignoscere possit, teneturque ad dominos illos dignoscendos muralem diligentiam adhibere. Ita Doctores communiter post D. Augustinum *lib. 50 Homiliarum Hom. 9* & refertur, *c. Si quid. 14. q. 5.* ibi: *Si quid invenisti, nisi, & non reddidisti, rapuisti: quantum potuisti, fecisti.* Ratio est: quia ille, qui ejusmodi res amisit, earum dominus esse non desinit: atqui unaquæque res debet reddi domino suo; ergo.

7. Nec obstat, quod rerum mobilium deperditarum, ita ut ignoremus ubi sint, illico amittamus possessionem, *arg. l. Si id quod ff. de Acquir. possess.* ibi: *Si id quod possidemus, ita perdiderimus, ut ignoremus ubi sit, desinimus possidere.* Resp. enim primo: hoc non procedere, si adhuc adhibemus diligentem inquisitionem ad recuperandum ejusmodi rem amissam: nam quamdiu intendimus, quærimus, & sollicitamus, ut inveniatur, nec dum penitus perdita est possessio ipsius; sed retinetur adhuc civilis possessio, cum ipse recuperandi etiam naturalem, uti notavit Zitius *ad cit. l. Si id quod. n. 5. & n. 8.*

Resp. Secundo: quamvis rerum deperditarum, ita ut post summa adhibitam diligentem inquisitionem ignoremus, ubi sit, amittamus possessionem, non tamen idcirco perdimus ipsarum dominium, liquidem facilius amittitur rerum possessio, quam dominium: *l. Si quis vi. ff. de acquir. possess.* cum similius. Quia igitur dominium rei deperditæ remanet adhuc penes priorem dominum, hinc oritur obligatio eandem restituendi vero domino, si inveniatur: & quorundam contraria persuasio merito reprobatur a D. Hieronymo *in ib. Levit.* ac refertur *c. Multi. 14. q. 1.* illis verbis: *Multi sine peccato putant esse, si alienum, quod invenerint, tenent, & dicunt, Deus mihi dedit: cui habeo reddere? Discant ergo peccatum hoc esse simile rapinæ, siquit inventa non reddat.*

8 CONCL. IV. Quod si post diligentem inquisitionem factam dominus talium rerum incertarum, v. g. amissarum, & ab alio inventarum, amplius dignosci non possit, juxta communem magisque piam sententiam eæ erunt pauperibus erogandæ, aut in alios pios usus insumendæ; quamvis non desint Doctores, probabiliter asserentes, quod res illæ inventæ licite ab inventore retineri possint, si post diligentem inquisitionem factam dominus illarum non compareat. Ratio primæ partis est: quia si res ipsemet dominio amplius restitui non possunt, saltem restitui & applicari debent iis, quibus velle dominus præsumitur, ut applicentur: atqui tales sunt pauperes, & aliæ piæ causæ; nam qui libet rationabiliter velle præsumitur, res suas applicari pauperibus, aut aliis piis causis, ad remedium animæ suæ, si eas alia ratione acquirere nequeat.

Altera nihilominus pars Conclusionis probatur authoritate Doctorum satis gravium, qui eam probabilem censent; inter quos sunt Lessius *l. 2. c. 14. n. 48.* Layman *l. 3. tract. 1. c. 5. n. 24.* Herincx *disp. 11. de Just. & jure. q. 7. n. 149.* Mistrius *disp. 3. Theol. Moral. n. 52.* Sotus, Petrus Navarrus, Ledesma, Medina, & alii: Siquidem nullo (inquiunt) claro Jure naturali, aut Ecclesiastico, prohibetur inventor ejusmodi bona inventa retinere. Quinimo videtur Communitas hominum in talem retentionem tacite consentire: Siquidem hac ratione compensari solent fortuita rerum amissarum damna, & qui hodie amisit, eras casualiter inveniendo rem alterius, cujus dominus post adhibitam debitam diligentiam investigari nequit, rursus refarcire poterit jacturam rei suæ antea deperditæ.

9. CONCL. V. *Thesaurus est vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat.* Ita definitur Thesaurus *l. Nunquam ff. De acquirendo rerum dominio*; & sequuntur Doctores communiter. Dicitur, *depositio pecuniæ*: ubi sub nomine pecuniæ intelliguntur quævis opes mobiles, puta gemmæ, vasa, catenæ, nummi aurei & argentei. Et additur, *vetus*: quia si non sit vetus, adeo quod amplius non extet memoria ejus, non censebitur thesaurus proprie dictus.

10. CONCL. VI. Spectato Jure naturali, & Gentium, Thesaurus proprie dictus transit in dominium inventoris, utpote primo occupantis; spectato tamen Jure communi Civili opus est distinctione. Ita Lessius *l. 2. c. 5. n. 5.* Layman *loc. cit. n. 33.* & alii. Ratio primæ partis est: quia, quæ nullius sunt, Jure naturali & Gentium sunt primo occupantis: atqui Thesaurus proprie dictus nullius est, cum jam dominum non habeat, ergo. Nec obstat, quod forsan ex signis possit cognosci, a quorum Majoribus fuerit reconditus. Respond. enim, hoc nihil referre; quia quod desinit tanto tempore possideri, cessavit pariter esse in dominio cujusquam. Et hinc parti favet textus cit. l. *Nunquam ff. de acquirendo rerum dominio*; ubi post datam Thesauri definitionem illico subjungitur: *Sic enim fit ejus, qui invenerit, quod non alterius sit.* Verum Glossa ibidem hoc intelligit, quando quis in suo fundo Thesaurum invenit; alias vero dicendum censet, prout habetur *L. 1. C. de Thesauris, l. 10. & §. Thesaurus, Instit. de rerum divisione.* quæ est altera pars nostræ Conclusionis. Pro cujus intelligentia sit

11. CONCL. VII. Spectato Jure Civili, Thesaurus in proprio fundo inventus totus est inventoris: si vero in alieno fundo, non data ad hoc opera, sed fortuito Thesaurum quis invenerit, utpote arando terram, vel alio quocunque casu, dimidium erit domini fundi, & dimidium inventoris. Ita expresse habetur in Jure Civili *cit. L. 1. C. de Thesauris l. 10. & §. Thesaurus, Instit. de Rerum divisione.* Et quidem, cum hæc constitutio pœnalis non sit, sed secundum æquitatem naturalem lata, ac definitiva proprietatis rerum, videtur obligare in conscientia ante Judicis sententiam; prout notant Lessius, & Laymas *l. c.* post Covarruviam, Cajetanum, Navarrum, & alios, & concordant proxime dicta *n. 6.*

12. CONCL. VIII. Quod si quis data opera in alieno fundo Thesaurum scrutetur, atque inveniat sine consensu domini, totum fundi dominio reddere compellendus est, atque ulteriùs puniendus: si autem Thesaurus arte magica, quamvis in proprio fundo, repertus fuerit, tunc totus Fisco adjudicabitur per sententiam Judicis, idque fit in pœnam criminis. Ita communiter Doctores communiter. Quamvis Herincx *loc. cit. n. 148.* recte notet, quod hæc dispositio Juris, utpote pœnalis, non obliget ante sententiam Judicis, ad instar aliarum pœnarum.

13. CONCL. IX. Qui scit alicubi Thesaurum latere, & emit locum, antequam effodiat, nullam facit venditori injuriam, & fit dominus totius Thesauri posmodum eruti. Ita desumitur ex *l. a Tutore ff. de Rei vindicat.* & tenent Lessius, Herincx *n. 149.* aliique passim. Ratio est: quia emit postea Thesaurum ex proprio fundo, nec tenebatur priori domino indicare ipsum, immo neque hic fuit in ejus dominio. Huc quadrat Parabola a Christo allata de Margarita pretiosa, inventa in agro, quem idcirco quis emisse legitur *Matt. c. 13.*

QUÆ.

QUÆSTIO II.

De venatione & Piscatione, ac variis ipsam concernentibus.

SUMMARIUM.

14. *Possunt Principes venationem, & piscationem interdicere.*
15. *Solvitur instantia.*
Jus Naturæ aliud præceptivum, aliud permissivum.
16. *Qui contra justam prohibitionem venatur, peccat, teneturque damnum compensare.*
17. *Quando censeatur gravis obligatio damni compensandi?*
18. *Is tamen acquirit dominium Feræ captæ.*
19. *Solvitur instantia.*
Duplex jus in proposito considerari potest.
20. *Quid de animalibus domesticis, vel in certo loco conclusis?*
21. *An fera laqueo intricata sit eximentis, vel laqueum ponentis?*

14. CONCL. I. Non obstante, quod feræ sylvestres sub nullius dominio existant, ac proinde spectato Jure Gentium fiant primo occupantis, *arg. §. Feræ, Instit. de Rerum divis.* adhuc tamen possunt Principes venationem, piscationem, & captionem hujusmodi animalium ex rationabili causa aliis interdicere. Ita Covarruvias *part. 2. in reg. Peccatum, §. 8.* Lessius *cit. cap. 5. n. 33. & seqq.* & alii satis communiter, quamvis non deerint oppositum tenentes, quos referunt iidem Authores. Conclusio desumitur in primis ex receptissima praxi, qua in plerisque Regnis, ac Provinciis, Principes talem faciunt prohibitionem. Accedit ratio: quia populus potest cedere juri suo: unde cum Principibus convenientem suo Fastigio apparatum, atque honestas pro sua Dignitate recreationes populus concedere teneatur, consuetudine hoc jus Principibus concessum esse, dicendum est. Idipsum suadetur ex eo: quia quilibet potest alium prohibere, ne in suo fundo venationem, aucupium, vel piscationem exerceat: ergo & Princeps pro suo territorio. Antecedens patet ex *l. Item si fundi, ff. de Usufructu*, ubi dicitur, *Aucupiorum quoque & venationum reditum ad fructuarium pertinere.* Et *§. Feræ, Instit. de Rer. divis.* Plane qui alienum fundum ingreditur venandi, aut aucupandi gratia, potest a domino, si is præviderit, prohiberi ne ingrediatur.

15. Nec dicas: Jure Naturæ & Gentium licitum est animalia libera capere; atqui Princeps non potest tollere Jus naturæ: ergo. Resp. enim, venationem esse Jure Naturæ licitam eatenus solum, quatenus ipsa non est prohibita Juræ Naturæ, sicuti furtum; non autem sic, quasi ejus prohibitio ob rationabiles causas certis personis facta, sit contra Jus naturæ. Hinc sic explicata majori, distinguitur minor: Princeps non potest tollere Jus naturæ præceptivum, id est, illud, quo quidpiam Juræ Naturæ præcipitur, aut prohibetur, conceditur; non potest tollere Jus Naturæ negativum, seu permissivum tantum, & quoad unum vel alterum objectum determinatum, præsertim accedentibus justis causis, negatur minor, & consequentia. Quia multa sunt Jure Naturæ permissa & licita, quæ tamen justis de causis Jure humano postmodum prohibentur; alioquin certe nec esus carnium posset pro certis diebus ab Ecclesia interdici, cum sit Jure Naturæ licitus, id est, non prohibitus hoc jure.

16. CONCL. II. Qui statute tali prohibitione, in loco publico, seu per industriam humanam non concluso venatur, vel in publicis lacubus seu fluminibus piscatur, aut aucupio voluces capit, peccat contra justam prohibitionem, atque virtutem Justitiæ, & obligatur ad compensationem damni illati; quamvis acquirat dominium feræ captæ, atque ad istius restitutionem non teneatur. Ita Sannig. *dist. 2. de Justitia, qu. 2. n. 14.* Lessius *l. c. n. 43.* Tannerus *tom. 3. disp. 4. q. 6. n. 355.* & alii. Ratio primæ partis desumitur ex dictis *num. 14.* nam talis non solum agit contra justam prohibitionem, sicque ratione commissæ inobedientiæ puniri meretur; sed etiam violat jus venandi, piscandi, in tali loco alteri competens.

17. Num autem in particulari casu istiusmodi obligatio restituendi, sive compensandi damnum illatum, sit gravis, nec ne, dijudicandum erit ex qualitate injuriæ, vel læsionis juris venandi, piscandi, &c. Principis, vel Reipublicæ competentis, item ex gravitate damni illati, ut puta si animalia capta sint magni pretii, & multa, adeo ut species ferina notabiliter extinguatur, vel si ob frequentiam venationis feræ sint redditæ fugaces &c. de quibus plura citatus Lessius, Tannerus, Lugo *disp. 6. de just. & ju-*

re sect. 7. & alii arbitrantes, quod unam alteramve feram capere non censeatur notabiliter damnosum, ita ut attingat culpam mortalem.

18. Altera pars Conclusionis ex eo probatur: quia talis fera sylvestris, vel avis, etiamnum gaudet naturali sua libertate, ac proinde necdum est sub dominio Principis, aut domini fundi, sed est nullius; ergo transit in dominium primo occupantis, qualis in proposito censetur is, qui cepit eam. Ex quo protinus sequitur, quod is non teneatur restituere feram captam, utpote quæ antea nullius erat, & per capturam facta est sua.

19. Si dicas, hanc Conclusionem sibi ipsi contradicere, dum nunc admittit, feram sylvestrem transire in dominium capientis, veluti primo occupantis; & tamen in priori parte asserit, talem peccare contra virtutem Justitiæ, ac teneri ad restitutionem: Resp. negando illatum: nam quantum ad propositum, ac stante præfata prohibitione venandi, piscandi &c. duplex jus considerari potest. Primo quidem, ipsum jus venandi, piscandi &c. in tali loco; & hoc, stante ejusmodi justa prohibitione, competit Principi, vel Domino territoriali, læditurque per venationem, vel piscationem ipso invito ab altero factam. Secundo, jus in ipsam feram; & hoc non competit Principi, vel Domino territoriali, sicque per capturam feræ sylvestris, seu gaudentis sua naturali libertate, non læditur. Unde fit, quod ratione prioris juris læsi teneatur is, qui venatur vel piscatur in loco publico prohibito, ad competentem restitutionem, seu recompensationem damni illati: ratione alterius vero, utpote revera in feram non habiti, ad nihil teneatur.

20. Dicitur notanter in Conclusione: *in loco publico, seu non concluso.* Nam præsens Conclusio solum intelligenda est de iis animalibus, quæ necdum sunt manuefacta, neque capta, atque in certo loco inclusa. Secus enim dicendum foret de animalibus natura mansuetis & domesticis, uti sunt gallinæ, anates domesticæ, oves, boves, porci, & hujusmodi; quæ proinde, si potestatem dominorum longius aberrando evaserint, capere non licet, vel si ab aliquo capiantur, sunt dominis restituenda: alioquin furtum committeretur. *§. Gallinarum, Instit. de Rerum divis.* Similiter licitum non est capere feras natura sylvestres, sed certo in loco jam conclusas, v. g. in hortis, vel in nemoribus muro circumdatis, aut pisces ex piscinis &c. Talia enim animalia jam non amplius gaudent sua naturali libertate, sed cum per industriam humanam contineantur sub tali certa custodia, existunt sub Dominio ejus, qui est dominus illius horti, nemoris, piscinæ &c.

21. Quæres, cui competat dominium feræ laqueo intricatæ, aut pisces nassa conclusi, si eximatur ab alio, quam ponente laqueum, vel nassam? Resp. hic variare Doctores: nam aliqui dominium adjudicant ejusmodi feras eximenti, *arg. l. In laqueum, ff. De acquir. rerum dominio*; ubi Summarium sic habet: *Quod in laqueum meum incidit, non est meum, nisi manualiter capiatur*: nonnulli autem videntur tenere oppositum. Verum rectius distinguitur cum Sannig. *cit. dist. 6. quæst. 2. n. 1. & 2.* Tannero *loc. cit. n. 356.* & aliis: quia vel fera, aut pisces inextricabiliter concludebatur laqueo, sive nassa; vel ita duntaxat, ut diu luctando sese adhuc expediret. Si primum, sit tendentis laqueum, vel ponentis nassam: quia nihil interest, an manu, vel instrumento quis feram apprehendat. Si secundum, sit eximentis illam feram, utpote quæ adhuc, antequam eximeretur, censebatur habere naturalem libertatem. Et hoc totum videtur velle textus *cit. l. In laqueum*, si bene perpendatur.

QUÆSTIO III.

De aliis modis acquirendi rerum Dominium jure Gentium.

SUMMARIUM.

22. *Inter modos acquirendi rerum dominium, est Nativitas.*
23. *Allusio, & quando?*
24. *Specificatio,*
25. *Accessio,*
26. *Confusio, & commixtio; & quomodo differant?*
27. *Regula pro Confusione materiarum.*
28. *Alia regula pro commixtione specierum.*
29. *Specialis regula pro commixtione nummorum.*
30. *Cur nummi post Commixtionem fiant accipientis, non alia res?*
31. *Ædificatio, quomodo sit modus acquirendi rerum dominium?*
32. *Item Plantatio,*
33. *Fructuum perceptio, &*

34. Tra-

34 *Traditio.*
35 *Salvitur instantia.*

22. SEcundus modus acquirendi rerum dominium jure Gentium, est *Nativitas*; per quam nostra fiunt, quæ ex animalibus nostro dominio subjectis nascuntur; uti habetur §. *Item ea Instit. de Rerum divisione.* Unde cui competit dominium, vel saltem ususfructus fœcudum, ut puta ovium, equorum, vaccarum, & hujusmodi, etiam agnorum, hinnulorum, & vitulorum ex ipsis natorum dominium acquirit.

23. Tertius modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium, est *Alluvio.* Porro *Alluvio* est Incrementum latens, quo flumen tuo fundo paulatim aliquid adjicit, & adeo latenter, ut vis notari queat, quantum quovis momento accedat. Et quod per hujusmodi Alluvionem agro tuo flumen adjicit, Jure Gentium tibi acquiritur. Quod si vero vis fluminis non latenter, sed aperte partem de prædio tuo detraxerit, & vicinum prædio appulerit, palam est, eam tuam permanere; prout clarissime habetur §. *Præterea, Instit. eod.*

24. Quartus modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium, est *Specificatio*, per quam intelligitur formatio, seu introductio formæ, vel quasi formæ in alienam materiam, vel partim alienam, partim propriam. Sic qui bona fide, & nomine proprio, ex tua & aliena lana vestimentum conficit, hac ratione ejus dominus efficitur, quamvis domino lanæ alteræ sit restituendus valor ipsius lanæ. Verum hic modus acquirendi rerum dominium nonnullas habet limitationes, de quibus §. *Cum ex aliena, Instit. de Rerum divisione.*

25. Quintus modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium, est *Accessio*; cum videlicet quid ornatus causa alteri rei accedit seu adjungitur: tunc enim, licet hoc pretiosius fit, quam id cui adjicitur, Accessionis jure acquiritur domino rei illius, cui adjectio facta est. Sic si vesti tuæ intexatur purpura aliena, purpura vesti cedit, prout dicitur *loc. cit.* & *seq. amen.* Addunt autem circa hoc Doctores limitationem, nisi purpura facile, atque sine læsione vestimenti posset eximi: tunc enim purpura illa esset reparanda, suoque domino in specie petenti reddenda; alioquin autem sufficit pretium ejus reddere.

26. Sextus modus acquirendi rerum dominium jure Gentium, est *Confusio.* Cui accedit Septimus, qui est *Commixtio*: & hæc differt a Confusione penes hoc, quod in Commixtione corpora separata inter se quoad substantiam remaneant, prout fit in commixtione duorum frumentorum inter se; in Confusione vero corpora in unum coeant, prout fit in permixtione mei & tui vini per errorem, aut industriam, in eodem dolio facta.

27. Porro de his duobus modis in Jure §. *Si duorum, & §. quod si frumentum, Instit. de Rerum divis.* sequentes regulæ ponuntur. Prima, sequens de Confusione, talis est. Quando utriusque voluntate confunduntur materiæ duorum dominorum, veluti si vina sua confuderint, aut ex vino & melle mulsum fecerint, totum corpus inde resultans utriusque commune est: idem dicendum, licet non voluntate amborum dominorum, sed fortuito, illa confusio facta fuerit.

28. Altera regula, sequens de Commixtione, sic habet. Quando species duorum dominorum, utputa frumenta, ex utriusque voluntate commiscentur, efficiuntur communes: quia ex consensu utriusque singula v. g. grana, quæ cujusque propria fuerant, mutuo communicantur. Quod si casu ea commixtio facta fuerit, aut unus miscuerit sine alterius consensu, non fit aliquid commune: quia singula corpora in sua substantia durant, ac proinde non magis isto casu fit commune frumentum, quam grex intelligitur esse communis, si pecora unius mixta fuerint pecoribus alterius. Unde tunc arbitrio judicis æstimandum erit, quale cujusque frumentum fuerit; vel (juxta Glossam ibidem) ut cuilibet tantum frumentum restituatur, quantum fuit suum, quando non apparet, quodnam fuerit suum.

29. Speciale quid habetur in pecunia, sive nummis, *l. Si alieni, ff. de Solutionibus*, ubi: *Si alieni nummi, inscio vel invito domino, soluti sunt, manent ejus, cujus fuerunt* (& sic ante aliam mixtionem, post quam discerni nequeant, non fiunt accipientis.) *Sed si mixti alii sunt, ita ut discerni non possint, ejus fieri, qui accepit, in libris Cassii scriptum est, ita ut furti actio domino eum eo, qui dedisset, competeret.* Et hoc est speciale in nummis, ut hi commixti propriis nummis, ita ut amplius discerni nequeant, transeant in dominium accipientis, sive bona, sive mala fide, v. g. a fure, emente a mercatore pannum, dati fuerint: sic tamen, quod domino competat actio furti contra dantem, puta contra furem, qui illam pecuniam abstulit,

sit, & mercatori dedit. Quinimo & ipse fur, facta semel commixtione pecuniæ furtivæ cum propria, acquirit illius dominium, sed duntaxat imperfectum, hoc est, cum obligatione tantundem restituendi, quantum furto abstulit.

30. Porro in assignanda disparitate inter commixtos nummos, & grana frumenti, & quod illi transeant in dominium accipientis post commixtionem, non grana sine mutua utriusque domini voluntate commixta, laborant Doctores. Congruentia tamen esse potest: tum quia majus periculum est in nummis, utpote præ cæteris rebus furto expositis, ac ne eorum dominium semper maneat incertum: tum quia summa publica æstimatione suum habent valorem, atque statim, ut expenduntur & commiscentur, intelliguntur consumpti; non sic grana frumenti aliis permixta.

31. Octavus modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium, est *Ædificatio*. De hac §. *Cum in suo, Instit. de Rerum divis.* statuitur primo, quod si quis in suo solo seu fundo domum ex aliena materia bona fide ædificaverit, ipse fiat dominus ædificii: quia omne, quod solo inædificatur, solo cedit. Verumtamen dominus materiæ, quamvis eam stante ædificio vendicare non possit, potest tamen petere satisfactionem pro materia; & si aliqua de causa dirutum sit ædificium, atque ipse materiæ æstimationem accepit, potest hanc vendicare in specie. Deinde decernitur ibidem, quod si quis vicissim in alieno solo scienter ex sua materia domum ædificat, non solum tunc ædificium solo cedit, atque illius fiat domus, cujus est solum; sed insuper ædificans amittat proprietatem materiæ; ita ut diruto ædificio eam vendicare non possit: quia sic temere ædificando, sua voluntate materia illa censetur esse alienata; videtur enim donasse, quod nullo jure urgente concedit. Verum hoc iterum habet suas limitationes, de quibus Juris consulti.

32. Nonus modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium, est *Plantatio*: de qua §. *Si Titius, Instit. eod.* habetur, quod si quis alienum plantam in suo solo posuerit, ipsius erit; & e converso, si quis suam plantam in alieno solo posuerit, v. g. in solo Titii, erit alterius, nempe Titii; dummodo radices egerit (nam antequam planta radices egit, ipsius permanet, cujus fuerat antea.) Quia sicut ædificia, ita multo magis plantæ & arbores solo cedunt; utpote cum a terra sustententur, capiantque inde alimentum, vitam & incrementum suum; atque hinc Jure Gentium fiunt illius, cujus est solum. Æstimationem tamen plantæ, atque impensi laboris mercedem repetere potest, qui in alieno solo plantas posuit, vel frumenta conseverit, dummodo id bona fide factum sit; prout ibidem §. *seq.* subjungitur, atque in simili dictum est *n. præc.* de ædificante in alieno fundo.

33. Decimus modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium, est *Fructuum perceptio*. Porro de hoc modo sic habetur §. *Si quis a non domino, Instit. de Rerum divis. Si quis a non domino, quem dominum esse credebat, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliave qualibet justa causa aque bona fide acceperit, naturali ratione placuit, fructus, quos percepit, ejus esse pro cultura & cura. Et ideo si posten dominus superveneret, & fundum vendicaret, de fructibus ab ea consumptis agere non potest. Ei vero, qui alienum fundum sciens possederit, non idem concessum est: itaque cum fundo etiam fructus, qui consumpti sunt, cogitur restituere.* Hæcibi. Ex quibus patet, quod bonæ fidei possessor Jure Gentium fructus faciat suos, nec eos consumptos teneatur restituere vero domino, si is postmodum comparuerit, & fundum evicerit: etsi secus sit de malæ fidei possessore, nam is etiam fructus perceptos cogitur restituere.

34. Ultimus tandem modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium, est *Traditio*; de qua §. *Per traditionem, Instit. eod.* dicitur sic: *Per traditionem quoque jure naturali res nobis acquiruntur; nihil enim tam conveniens est naturali æquitati, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi; & ideo cujuscunque generis sit corporalis res, tradi potest, & a domino tradita alienatur.* Hæcibi.

35. Nec obstat, quod Traditio fiat privata voluntate hominum, rem istam in alios transferentium; ac proinde male videri possit, quod Traditio connumeretur inter modos acquirendi rerum dominium Jure Gentium. Resp. enim negando sequelam: quia, quamvis Traditio fiat privata voluntate hominis, rem suam alteri tradentis, huic tamen Traditioni Jure Gentium, atque naturali, convenit potestas transferendi rerum dominium in alios. Sicut a pari, quamvis Occupatio rei sub nullius dominio existentis fiat industria humana, atque voluntate privata cujuspiam rem illam suo labore occupare satagentis; jus tamen, seu potestas transferendi rerum dominium in primo occupantem, convenit Occupa-

tioni, ex Jure naturæ, atque Gentium, & non solum ex constitutione quadam humana (prout id convenit Præscriptioni, juxta dicenda *Distinctione sequenti*) atque ideo sicut Occupatio, ita & Traditio, merito connumeratur inter modos acquirendi rerum dominium Jure Gentium.

DISTINCTIO VI.

De Præscriptione & Usucapione.

QUÆSTIO I.

Cur Lex Præscriptionis seu Usucapionis sit introducta, & an valeat in Foro Conscientiæ?

SUMMARIUM.

1 *Præscriptio, quomodo sumatur?*
2 *Præscriptio, & Usucapio, quid?*
3 *An differant?*
4 *Jus Præscriptionis, quo Jure sit introductum?*
5 *Habet locum etiam in Foro Conscientiæ.*
6 *Id amplius ostenditur.*
7 *Nemo debet locupletari cum alterius jactura, quomodo?*

1. PRæscriptio sumitur in proposito pro acquisitione dominii, atque elisione juris alterius, absque ejus consensu ex sola legis dispositione tempore legibus definito. Est de Præscriptione hoc modo sumpta merito impræsentiarum agitur, ut intellectis hactenus diversis modis acquirendi rerum dominium Jure Gentium, etiam percipiatur modus acquirendi rerum dominium Jure Civili, & Canonico.

2. CONCL. I. *Præscriptio* est acquisitio dominii rei alienæ, per possessionem ejus certo temporis spatio legibus definito bona fide continuatam. Ita in re communis, & concordat hæc definitio cum illa, quæ *l. 3. ff. de Usucap.* habetur, ibi: *Usucapio est acquisitio, vel adjectio dominii, per continuationem possessionis temporis lege definiti*. Ubi tamen per ly *acquisitio dominii*, etiam subintelligitur elisio juris alterius, utpote per quam similiter acquiritur jus aliquod, quod antea alteri competebat: cæteræ autem particulæ patebunt ex decursu.

3. Porro licet inter Præscriptionem & Usucapionem nonnullas Doctores differentias assignare conentur, de facto tamen ex recepto modo loquendi plerumque inter se confunduntur: nisi quod Usucapio proprie tantum rebus corporalibus conveniat, at vero Præscriptio generaliorem habeat significationem, & rebus tam corporalibus, quam incorporalibus competat. Verum quidem est, quod Præscriptio triennalis (qualis datur inter res mobiles) frequentior fuit in Jure dicatur Usucapio; ex quo proinde nonnulli cum Glossa *L. 3. ff. de Usucap.* deducunt aliam differentiam inter Usucapionem & Præscriptionem, quod nimirum illa proprie sit rerum mobilium, hæc immobilium: quam differentiam etiam Doctor Subtilis 4. *dist.* 14. q. 2. §. *de secundo*, supponere videtur, ibi: *Ex hoc dico, quod Præscriptio in immobilibus, & Usucapio in mobilibus* &c. Sed hæc differentia non semper attenditur: nam in Jure Usucapio quandoque etiam ad res immobiles refertur, & e contra Præscriptio ad res mobiles; prout fit §. 1. *Instit. de Usucap.* & alibi: unde parum, & ferme nihil ab invicem differunt; ratione cujus Doctores eodem modo de utrisque discurrunt.

4. CONCL. II. Jus Præscriptionis seu Usucapionis introductum est Jure humano positivo, tum Civili, tum Ecclesiastico, ob publicam utilitatem & quietem, ne incerta essent semper rerum dominia, & infinitæ orirentur lites circa earum proprietatem. Ita habetur *l. 1. ff. de Usucap.* estque communis. Ratio est: quia non illico acquitur, *rem etiam tui, vel alter mihi donavit, legavit &c. ergo est mea*. Nam si ille, qui mihi eam tradidit, dominus non fuit, neque me dominum facere potuit, juxta *Reg. 79. Juris in 6. Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur*. Proinde, nisi Lex ob diuturnam possessionem bona fide habitam, & justo titulo comparatam, illius rei dominium expresse mihi attribueret, nunquam de hoc securus forem: nam semper timere possem, ne quis supervenit, illius rei, tanquam ante plurimos annos sibi vel suis parentibus injuste ablatæ, dominium sibi vendicans.

5. CONCL. III. Translatio dominii fa-

cta auctoritate Legis per præscriptionem, atque Usucapionem justa est; simulque per eam transfertur rerum dominium nedum in Foro externo, sed etiam in Foro conscientiæ: adeo quidem, ut si præscriptio cujusdam rei legitime sit completa, possimodum talis non amplius tentatur ad restitutionem rei jam præscriptæ, etiamsi postea certo cognoscat, rem fuisse alienam. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia juste potest transferri rerum dominium per Legem communem justam, & legitime promulgatam; ergo idem dicendum de lege Præscriptionis.

6. Confirmatur. Quia Lex Præscriptionis ex una parte est plurimum utilis ac proficua Reipublicæ, & quieti communi; imo etiam necessaria ad rescindendas infinitas lites; ex altera vero parte per eam nemini infertur injuria: nam sicut hodie a Sempronio præscribitur contra Titium, huicque rem suam certo temporis spatio repetere negligenti, ejusdem dominium vi Præscriptionis adimitur; Ita vi ejusdem Præscriptionis potest Titius alio tempore quidquam præscribere contra Sempronium, vel quemcunque alium, qui negligit rem suam debito tempore repetere. Adde, quod talis sibi, ac propriæ negligentiæ, quam Jura ob bonum publicum merito castigant, culpam imputare debeat, si tanto tempore negligat rem suam repetere, quantum Jura requirunt ad Præscriptionem.

7. Dices: Juxta illud lumine naturæ notum, *Nemo debet locupletari cum alterius jactura*: sed hoc fit in Præscriptione, ergo. Resp. majorem esse intelligendam de injusta locupletatione: qualis esset, si quis in emptione, aliisve contractibus proximum circumveniret, atque deciperet, sicque cum ejus jactura locupletaretur injuste. Non autem dictum illud est intelligendum de justa locupletatione: qualis est ea, quæ fit in bello justo, & in legitima Præscriptione per authoritatem Legis, ex publica & justa causa transferentis dominium unius in alium, atque in similibus aliis casibus.

QUÆSTIO II.

Quæ Conditiones requirantur ad Præscriptionem?

SUMMARIUM.

8 *Ad Præscriptionem quæ conditiones requirantur?*
9 *Ad eam requiritur Possessio.*
10 *Bona fides.*
11 *Et an cum dubio possit Præscriptio inchoari?*
12 *Vel continuari?*
13 *Justus Titulus.*
14 *Tituli nomine quid intelligatur?*
(a) Ut dictum n. 5. & seqq.
15 *Titulus, quando requiratur ad præscriptionem?*
16 *Et quod res sit apta præscribi.*
17 *Dupliciter dicuntur res non posse præscribi.*
18 *Vel quia ordinario tempore non usucapiuntur.*
19 *Vel quia nullo modo præscribi possunt.*

8. CONCL. I. Ad Præscriptionem legitimam quatuor requiruntur conditiones. I. Possessio rei legitimo tempore a Jure definito continuata. II. Bona fides. III. Justus Titulus. IV. Utres illa sit aptæ præscribi. Ita in re communis: & quamvis nonnulli enumerent quinque, tamen ipsi primam conditionem hic assignatam dividunt in duas, easque omnes sequentibus versiculis comprehendunt:

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque.
Sit res apta, fides bona, sit titulus quoque justus.
Possideas justa, completo tempore legis.

9. Prima itaque conditio ad Præscriptionem necessaria, est *Possessio legitimo tempore a Jure definito continuata*. Siquidem, ut habet *Reg. 3. Juris in 6. Ejus possessione præscriptio non procedit*: quia Præscriptio fundatur super possessione; ubi autem fundamentum non est, superædificari non potest. Porro hujusmodi possessio debet tempore a Jure definito continuari; de quo tempore, & quantum illud sit, dicetur *Quæst. seq.*

10. Secunda conditio ad Præscriptionem requisita, est *bona fides*. Nam, ut inquit *Reg. 2. Juris in 6. Possessor male fidei nullo tempore non præscribit*, & alibi. Porro *bona fides* in proposito aliud non est, quam conscientia seu credulitas, qua quis prudenter sibi persuadet, rem esse suam. Dicitur, *prudenter*: quia si ex ignorantia crassa, vel inordinata cupiditate, illa persuasio procedat, non erit fides bona.

11. Quæres, an dubitans, utrum res sit sua vel aliena, censeatur habere bonam fidem sufficientem ad Præscriptionem, ac proinde stante tali dubio possit Præscribere? Resp. I. Si dubium adsit ab initio, non

potest ita dubitans inchoare Præscriptionem, quamdiu manet illa dubitatio. Ita communis. Ratio est: quia dubitans, an res sit sua vel alterius, injuste agit sibi eam arrogando; cum non sit melior sua conditio, quam alterius, qui eam prius possederat, sed e contra: ergo jam non conletur habere bonam fidem.

12. Resp. II. Quando dubium supervenit ei, qui bona fide cœpit possidere, non obstat illud Præscriptionis continuandæ, neque interrumpit possessionem; dummodo interim possessor moraliter diligentiam adhibeat in investiganda veritate rei. Ita communior, & probabilior Doctorum, paucis exceptis. Ratio est: quia in dubio melior est conditio possidentis, juxta *Reg. 65 Juris in 6*, ergo si is, qui incipit dubitare, jam prius bona fide possederit rem, melior est ejus conditio, quam alterius non possidentis. Unde patet disparitas inter hunc, & priorem casum: simulque sequitur, quod quidem stante tali dubio non possit quis inchoare possessionem rei (cum non sit melior sua conditio, quam alterius) bene tamen possessionem prius jam bona fide cœptam continuare, non obstante dubio postmodum superveniente, dummodo non intermittat adhibere moralem diligentiam in investiganda veritate rei.

13. Tertia conditio ad Præscriptionem requisita, est *justus Titulus*: non quidem verus, atque a parte rei subsistens (nam hic una cum traditione, atque possessione, rei dominium transfert, ut amplius Præscriptione opus non sit) sed saltem rationabiliter præsumptus, sive putativus Titulus, qui justo errore putatur intervenisse, quamvis revera non intervenerit.

14. Porro *Titulo* nomine in proposito intelligitur, causa ex se habilis ad transferendum dominium, vel usucapiendi conditionem præbens; uti sunt donatio, emptio, transactio, hæreditas, legatum, & hujusmodi. Siquidem per tales modos, si tradens fuit dominus rei alteri traditæ, transfertur dominium rei in ipsum: si vero non erat dominus, idque a recipiente ignoretur, saltem usucapiendi seu præscribendi conditionem præstat. Unde si talis postmodum bona fide possessionem dictæ rei legitimo tempore continuet, ficque præscriptionem illius compleat, non tenebitur amplius eam restituere vero domino, etiamsi postea error deprehendantur, ac manifestum fiat, rem illam a principio fuisse alterius, neque potuisse sibi ab eo, a quo acceperat, tradi titulo donationis, vel emptionis, &c. (a)

15. Notandum vero circa hanc tertiam conditionem, quod Titulus non necessario requiratur in omni præscriptione (contrarium enim patebit ex dicendis *nn. 21. & 22.*) sed tunc præcipue, quando jus commune contrarium est præscribenti, vel habetur præsumptio contra ipsum, prout notatur *cap. 1. de Præscript. in 6.* Si enim tunc non possit allegari Titulus, censebitur quis rem possidere mala fide; nisi allegetur præscriptio temporis immemorialis, quæ est instar tituli, imo quo non potest allegari melior Titulus de toto mundo, ut loquitur Fagnanus *cap. cum Apostolica, num. 6 De his, quæ fiunt a Prælatis*. Insuper requiritur Titulus ad hoc, ut præscriptio compleatur, seu absolvatur tempore breviori, atque ordinario, de quo amplius *cit. num. 21. & 22.*

16. Quarta, & ultima conditio ad Præscriptionem requisita, est, ut *res sit apta præscribi*: id est, ut sit talis, in qua per legem, aut specialem rationem non prohibetur fieri Præscriptio, utpote quæ jure humano duntaxat est introducta, ne rerum domina diutius essent in incerto.

17. Ubi tamen notandum cum Lessio *lib. 2. c. 6. dubitat. 15.* quod quædam in Jure dicantur non posse præscribi, seu usucapi, quia ordinario tempore non usucapiuntur; quædam vero, quia nullo modo præscribi possunt.

18. Prioris generis sunt res furtivæ, ac res vi possessæ, de quibus *§. Furtiva Instit. de Usucap.* dicitur: *Furtiva res, & quæ vi possessa sunt, non possunt usucapi*. Nam quamvis hæc ab ipso fure, vel raptore nunquam possint præscribi, defectu bonæ fidei, simulque etiam a tertio aliquo, qui eas bona fide a fure accepit, non præscribantur tempore ordinario, eo quod res furtivæ sint vitiosæ: nihilominus ipsæ ab illo tertio bonæ fidei possessore præscribuntur tempore longissimo, seu post triginta annos, prout Doctores communiter tenent, & probant ex *l. Sicut in rem, C. de præscript. 30. vel 40. annorum*. Similiter *§. Res fisci, Instit. de Usucap.* habetur, quod *res fisci usucapi non potest*, & tamen bona fisco jam incorporata præscribuntur annis quadraginta, *l. Omnes, C. de Præscript. 30. vel 40. annorum*.

19. Posteriorum generis, quæ scilicet ex eo

eo in Jure dicuntur non posse præscribi, quia nullo modo nulloque tempore præscribi possunt, sunt in primis res publicæ, id est, publicis usibus deputatæ; ut forum, pons, portus, via publica, & alia hujusmodi. Deinde homo liber nullo tempore præscribi potest. Insuper Laici non possunt præscribere Jura Spiritualia, v. g. Jus decimarum; Jus conferendi Beneficia Ecclesiastica, & hujusmodi: cum talia nec possidere possint, *c. Causam de Præscript.* estque communis Doctorum. Secus est dicendum de Jure patronatus, nam hujus Laici non sunt incapaces.

QUÆSTIO III.

Quantum temporis requiratur ad Usucapionem seu Præscriptionem complendam?

SUMMARIUM.

20 *Res mobiles, & immobiles, quæ?*
21 *Res mobiles privatorum, quo tempore præscribantur.*
(a) Juxta dicta n. 18.
22 *Et quo bona immobilia privatorum?*
23 *Præsentes, aut Absentes, qui dicantur?*
24 *Quid de partim præsente, partim absente?*
25 *Bona immobilia contra Ecclesiam &c. quo tempore præscribantur?*
(b) Quæst. 1. n. 4.
26 *Specialia quoad hoc privilegia quorundam Monasteriorum, & Ordinum.*
27 *Quo tempore res mobiles Ecclesiarum, vel Monasteriorum præscribantur?*
28 *Ad præscriptionem requiritur etiam possessio continua.*
29 *Præscriptio interrumpitur tum naturaliter,*
30 *Tum civiliter.*

20. ADvertendum, quod quantum ad propositum, sit distinguendum inter res mobiles, & immobiles. *Mobiles* sunt, quæ loco moveri possunt: ut pecunia, vestis, navis, animalia, &c. *immobiles* vero, quæ loco moveri non possunt: ut prædia, domus, agri, & hujusmodi. Porro nomine immobilium, hic etiam comprehenduntur jura, & actiones ad immobilia (notanter dicitur, *actiones ad immobilia*: nam actiones ad mobilia, v. g. actio ad debitum certæ pecuniæ, dicitur res mobilis, sicut ipsa pecunia) atque insuper nomine immobilium intelliguntur Beneficia, census, redditus, jus patronatus, usufructus, servitutes prædiorum, & similia. Hæc enim omnia fixa manent, & instar immobilium afferunt fructum suum & commoditatem.

21. CONCL. I. Res mobiles privatorum cum titulo, & bona fide, præscribuntur triennio: sine titulo autem requiritur spatium triginta annorum. Ita communis. Et quidem prima pars expresse habetur *L. un. C. de Usucap. transformanda, & §. 1. de Instit. de Usucap.* ubi præmissa mentione de titulo, & bona fide, subjungitur: *Cautum est, ut res quidem mobiles per triennium usucapiantur*. Verum hinc excipiendæ sunt res furtivæ, & vi possessæ. (a) Altera pars, quæ itidem est communis, desumitur ex *l. Sicut in rem, C. de Præscrip. 30. vel 40. ann.* Et disparitas est: quia spectata naturali æquitate, ipsaque legum dispositione, minus tempus requiritur, & sufficit, ad præscribendam rem cum titulo, quam sine titulo; non obstante, quod utrobique requiratur bona fides, sine qua nulla prorsus præscriptio locum habet.

22. CONCL. II. Ad præscribenda bona immobilia privatorum cum titulo, requiritur spatium decem annorum inter præsentes, & viginti annorum inter absentes: sine titulo autem utrobique requiritur tempus triginta annorum. Ita rursum communis Doctorum. Et quidem prior pars habetur expresse *c. §. 1. Instit. de Usucap.* cum concordantiis. Altera vero desumitur ex *cit. l. Sicut in rem, C. de præscrip. 30. vel 40. annorum*.

23. Caterum *Præsentes* in proposito dicuntur illi, qui in eadem Provincia commorantur: *Absentes*, qui in diversis Provinciis habitant, sive deinde res in eadem Provincia sita sit, sive alibi. Quinimo Lugo *disp. 7. de just. & jure, n. 67.* post alios notat, illud, quod dictum est de diversis Provinciis, de facto habere locum in diversis Territoriis habentibus proprium suum Gubernatorem, qui soli Principi, vel Senatui subest. Juxta quam proinde sententiam illi dicuntur esse præsentes, qui in eodem Territorio habitant: absentes vero, qui in diversis Territoriis commorantur.

24. Addunt Juris Consulti juxta *Authent. Quod si quis, C. de Præscript. longi temporis*: quod si quis partim absens sit, partim præsens, tempus absentiæ duplicari debeat, ita ut supra decennium tot anni adjiciantur, quot annis ex decennio fuit absens. Unde

si quis per octo annos præsens fuerit, deinde per duos absens, hi duo absentiæ anni erunt duplicandi, & adhuc duo addendi; atque ita hæc præscriptio ante duodecim annos non complebitur.

25. CONCL. III. Ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam, Monasterium, vel Hospitale, aut contra alias pias causas, requiruntur quadraginta anni; excepta tamen Ecclesia Romana, contra quam ac ejus jura currit sola centenaria præscriptio; exceptis etiam nonnullis Monasteriis, ac Ordinibus Religiosis, qui speciali privilegio sunt muniti, ita ut majori, quam quadraginta annorum, præscriptione gaudeant. Ita rursum certa, & communis Doctorum: & clare constat tum ex *Auth. Quas actiones, C. de Sacrosanctis Ecclesiis*, tum ex *cap. De quarta, &c. Ad audientiam de Præscript.* & alibi sæpe. Nec mirandum, quod in allatis hactenus Conclusionibus præcipuæ adducantur authoritates Juris, non autem rationes: siquidem Præscriptio fundatur in solo Jure humano, tum Civili, tum Canonico, ut jam supra (c) dictum.

26. Porro quod additum est in Conclusione de nonnullis Monasteriis, ac ordinibus Religiosis, est notandum cum Lessio *lib. 2. cap. 6. dubitat. 7.* Engel, Molina, & aliis, quod Monasteria quædam, & Ordines specialiter sint privilegiati, ut majori, quam quadraginta annorum præscriptione gaudeant; ita videlicet, ut minoris temporis præscriptio contra eos non valeat. Sic enim Eugenius IV. de plenitudine potestatis concessit Ordini S. Benedicti, ut res immobiles non nisi annis sexaginta possint contra ipsum præscribi: & idem concessit Julius II. Congregationi S. Salvatoris. Quinimo Ordini Cisterciensium, nec non & Ordinibus Mendicantium, primum in Hispania, & deinde per communicationem in Superiori Germania, a diversis Pontificibus concessam esse centenariam præscriptionem, docet post Arnoldum Rath, & alios, Ludovicus Engel in Collegio Juris Canonici *tit. de Præscriptione, n. 33.*

27. Dicitur notanter in Conclusione: *ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam &c.* Nam, utrum res mobiles ad Ecclesiam, vel Monasteria pertinentes, usucapiantur triennali possessione, prout *nn. 21.* dictum est de rebus mobilibus privatorum; vel an gaudeant præscriptione quadraginta annorum, variant Doctores. Et quidem res Ecclesiasticas mobiles triennali possessione usucapi, affirmant Lessius *loc. cit. n. 23.* Layman, Valensis, Pirhing, aliique plures; idque probant ex *Authent. Quas Actiones, C. de SS. Ecclesiis.* E contra vero easdem pariter gaudere præscriptione quadraginta annorum æquius esse putant Abbas Panormitanus *cap. 1. De in integrum restitut.* & Hostiensis, eo quod jus Canonicum, concedens Ecclesiis, aliisque piis locis præscriptionem quadraginta annorum, inter res mobiles & immobiles non distinguat, & proinde nec nos distinguere debeamus. Et hanc posteriorem sententiam, præsertim circa bona Ecclesiastica mobilia pretiosa absque debitis solemnitatibus alienata, recipiendam censet Engel *loc. cit. n. 28.*

28. CONCL. IV. Præter tempus prædictum requiritur insuper ad Præscriptionem, quod possessio fuerit continua, & non interrupta. Ita communis. Nam Jura inter alias conditiones ad præscriptionem requirunt, quod ejusmodi possessio fuerit continua, ut patet ex definitione ipsius *num. 2.* allata: quando autem ipsa interrumpitur, hoc ipso continua non est.

29. Duplex autem est interruptio Præscriptionis, una naturalis, altera civilis, ut notat Glossa communiter recepta in c. *Illud de Præscr. Naturaliter interrumpitur Præscriptio*, quando aliquid incipit deficere ex his, quæ necessario requiruntur ad præscriptionem: ut si successu temporis superveniat mala fides, seu certa notitia rei alienæ; aut si quis amittat possessionem rei tam naturalem, quam civilem, non obstante, quod id fiat per injuriam alterius.

30. *Civiliter interrumpitur Præscriptio*, quando manentibus naturalibus præscriptionis interpellatur possidens per actum aliquem juridicum, qui ex legum dispositione talem interruptionem inducit; ut puta per contestationem litis, vel etiam per oblationem Libelli, ac citationem Rei, prout desumitur ex *L. 2. & 3. C. de Annali exceptione.* Si tamen Actor succubuerit in lite, vel litem sponte deseruerit, aut si animo tantum interrumpendi præscriptionem litem moverit (quod ex circumstantiis, juxta prudens arbitrium Judicis, colligendum erit) non interrumpitur præscriptio. Glossa *c. Platurit, §. patet. 26. q. 3.* Pirhing *tit. de Præscript. n. 134.* Lessius *n. 49.* & alii.

TRA-

TRACTATUS VIII.

DE CONTRACTIBUS.

INter alios modos acquirendi rerum dominium recte connumerantur Contractus, sic dicti, *quia* (ut inquit Doctor Subtilis 4. *dist. 15. quæst. 2. §. De secundo*) *ibi simul trahuntur voluntates Partium; trahitur enim iste, ad transferendum in illum a commodo, quod expectat ab illo, vel quod expectat transferendum in se.* Et de Contractibus procedit illud vulgatum Doctorum: *Quod a principio est voluntatis, ex post facto fit necessitatis*; id est, post contractum semel rite celebratum: *arg. l. Sient. Cod. de Action. & obligat.* Unde haud immerito de contractibus, utpote quorum obligatio non solum pro Foro externo, verum etiam in Foro conscientiæ atque interno locum habet, impræsentiarum agitur.

DISTINCTIO I.

De Contractibus in genere.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit Contractus?

SUMMARIUM.

1 *Contractus, unde sic dicti?*
2 *Contractus accipitur large, & stricte.*
3 *Contractus large, seu pactum, quid?*
4 *Requirit necessario plurium consensum in idem.*
5 *Et quidem reciprocum.*
6 *Promissio, antequam sit acceptata, non obligat.*
7 *Differunt inter promissionem Dei, & hominis factam.*
8 *Contractus proprie, quid?*
9 *Solvitur objectio.*
10 *Contractus explicitus, & implicitus seu interpretativus, ac quasi Contractus, quid?*
11 *Contractus lucrativus seu gratuitus, & onerosus, quid?*
12 *Contractus absolutus, & conditionatus, quid?*

(a) Tr. 6. Dist. 2. n. 24.

1. CContractus dupliciter accipitur, large & stricte. *Contractus large* acceptus coincidit cum pacto generatim sumpto; quo modo omnem prorsus contractum, sive gratuitum, sive onerosum sub se compre-

si quis per octo annos præsens fuerit, deinde per duos absens, hi duo absentiæ anni erunt duplicandi, & adhuc duo addendi; atque ita hæc præscriptio ante duodecim annos non complebitur.

25. CONCL. III. Ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam, Monasterium, vel Hospitale, aut contra alias pias causas, requiruntur quadraginta anni; excepta tamen Ecclesia Romana, contra quam ac ejus jura currit sola centenaria præscriptio; exceptis etiam nonnullis Monasteriis, ac Ordinibus Religiosis, qui speciali privilegio sunt muniti, ita ut majori, quam quadraginta annorum, præscriptione gaudeant. Ita rursum certa, & communis Doctorum: & clare constat tum ex *Auth. Quas actiones, C. de Sacrosanctis Ecclesiis*, tum ex *cap. De quarta, &c. Ad audientiam de Præscript.* & alibi sæpe. Nec mirandum, quod in allatis hactenus Conclusionibus præcipuæ adducantur authoritates Juris, non autem rationes: siquidem Præscriptio fundatur in solo Jure humano, tum Civili, tum Canonico, ut jam supra (c) dictum.

26. Porro quod additum est in Conclusione de nonnullis Monasteriis, ac ordinibus Religiosis, est notandum cum Lessio *lib. 2. cap. 6. dubitat. 7.* Engel, Molina, & aliis, quod Monasteria quædam, & Ordines specialiter sint privilegiati, ut majori, quam quadraginta annorum præscriptione gaudeant; ita videlicet, ut minoris temporis præscriptio contra eos non valeat. Sic enim Eugenius IV. de plenitudine potestatis concessit Ordini S. Benedicti, ut res immobiles non nisi annis sexaginta possint contra ipsum præscribi: & idem concessit Julius II. Congregationi S. Salvatoris. Quinimo Ordini Cisterciensium, nec non & Ordinibus Mendicantium, primum in Hispania, & deinde per communicationem in Superiori Germania, a diversis Pontificibus concessam esse centenariam præscriptionem, docet post Arnoldum Rath, & alios, Ludovicus Engel in Collegio Juris Canonici *tit. de Præscriptione, n. 33.*

27. Dicitur notanter in Conclusione: *ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam &c.* Nam, utrum res mobiles ad Ecclesiam, vel Monasteria pertinentes, usucapiantur triennali possessione, prout *nn. 21.* dictum est de rebus mobilibus privatorum; vel an gaudeant præscriptione quadraginta annorum, variant Doctores. Et quidem res Ecclesiasticas mobiles triennali possessione usucapi, affirmant Lessius *loc. cit. n. 23.* Layman, Valensis, Pirhing, aliique plures; idque probant ex *Authent. Quas Actiones, C. de SS. Ecclesiis.* E contra vero easdem pariter gaudere præscriptione quadraginta annorum æquius esse putant Abbas Panormitanus *cap. 1. De in integrum restitut.* & Hostiensis, eo quod jus Canonicum, concedens Ecclesiis, aliisque piis locis præscriptionem quadraginta annorum, inter res mobiles & immobiles non distinguat, & proinde nec nos distinguere debeamus. Et hanc posteriorem sententiam, præsertim circa bona Ecclesiastica mobilia pretiosa absque debitis solemnitatibus alienata, recipiendam censet Engel *loc. cit. n. 28.*

28. CONCL. IV. Præter tempus prædictum requiritur insuper ad Præscriptionem, quod possessio fuerit continua, & non interrupta. Ita communis. Nam Jura inter alias conditiones ad præscriptionem requirunt, quod ejusmodi possessio fuerit continua, ut patet ex definitione ipsius *num. 2.* allata: quando autem ipsa interrumpitur, hoc ipso continua non est.

29. Duplex autem est interruptio Præscriptionis, una naturalis, altera civilis, ut notat Glossa communiter recepta in c. *Illud de Præscr. Naturaliter interrumpitur Præscriptio*, quando aliquid incipit deficere ex his, quæ necessario requiruntur ad præscriptionem: ut si successu temporis superveniat mala fides, seu certa notitia rei alienæ; aut si quis amittat possessionem rei tam naturalem, quam civilem, non obstante, quod id fiat per injuriam alterius.

30. *Civiliter interrumpitur Præscriptio*, quando manentibus naturalibus præscriptionis interpellatur possidens per actum aliquem juridicum, qui ex legum dispositione talem interruptionem inducit; ut puta per contestationem litis, vel etiam per oblationem Libelli, ac citationem Rei, prout desumitur ex *L. 2. & 3. C. de Annali exceptione.* Si tamen Actor succubuerit in lite, vel litem sponte deseruerit, aut si animo tantum interrumpendi præscriptionem litem moverit (quod ex circumstantiis, juxta prudens arbitrium Judicis, colligendum erit) non interrumpitur præscriptio. Glossa *c. Platurit, §. patet. 26. q. 3.* Pirhing *tit. de Præscript. n. 134.* Lessius *n. 49.* & alii.

TRA-

TRACTATUS VIII.

DE CONTRACTIBUS.

INter alios modos acquirendi rerum dominium recte connumerantur Contractus, sic dicti, *quia* (ut inquit Doctor Subtilis 4. *dist. 15. quæst. 2. §. De secundo*) *ibi simul trahuntur voluntates Partium; trahitur enim iste, ad transferendum in illum a commodo, quod expectat ab illo, vel quod expectat transferendum in se.* Et de Contractibus procedit illud vulgatum Doctorum: *Quod a principio est voluntatis, ex post facto fit necessitatis*; id est, post contractum semel rite celebratum: *arg. l. Sient. Cod. de Action. & obligat.* Unde haud immerito de contractibus, utpote quorum obligatio non solum pro Foro externo, verum etiam in Foro conscientiæ atque interno locum habet, impræsentiarum agitur.

DISTINCTIO I.

De Contractibus in genere.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit Contractus?

SUMMARIUM.

1 *Contractus, unde sic dicti?*
2 *Contractus accipitur large, & stricte.*
3 *Contractus large, seu pactum, quid?*
4 *Requirit necessario plurium consensum in idem.*
5 *Et quidem reciprocum.*
6 *Promissio, antequam sit acceptata, non obligat.*
7 *Differunt inter promissionem Dei, & hominis factam.*
8 *Contractus proprie, quid?*
9 *Solvitur objectio.*
10 *Contractus explicitus, & implicitus seu interpretativus, ac quasi Contractus, quid?*
11 *Contractus lucrativus seu gratuitus, & onerosus, quid?*
12 *Contractus absolutus, & conditionatus, quid?*

(a) Tr. 6. Dist. 2. n. 24.

1. CContractus dupliciter accipitur, large & stricte. *Contractus large* acceptus coincidit cum pacto generatim sumpto; quo modo omnem prorsus contractum, sive gratuitum, sive onerosum sub se compre-

hendit. *Contractus stricte* acceptus sub se complectitur solum contractum onerosum, seu reciprocum, qui nempe ex utraque parte pactiscentium, seu contrahentium parit obligationem. Hoc ipsum ut una cum annexis clarius intelligatur, sit

3. CONCL. I. *Contractus large* acceptus, seu *Pactum* generatim sumptum *est duorum, vel plurium in idem placitum, & consensus*. Ita *L. 1. ff. de Pactis*. Scotus 4. *dist. 46. q. 1. §. Ad solutionem*, & alii.

4. Dicitur: *duorum, vel plurium placitum, & consensus*. Nam, ut recte *cit. L. 1.* notatur, nullus est Contractus, nullaque obligatio, quæ non habeat duorum vel plurium consensum, seu conventionem in idem; id est, plurium in unum, unamque sententiam consensum in ordine ad aliquid dandum, faciendum, vel non faciendum. Unde si unus quidpiam donavit aut promisit, alter vero id non acceptavit, aut recusavit, jam non fuit contractus, neque oritur inde aliqua obligatio.

5. Necesse insuper est, ut talis duorum consensus sit reciprocus, id est, inter se mutuo factus: quia ad contractum non sufficit, ut quovis modo duo in idem consentiant, sed requiritur, ut consensus suos in se mutuo dirigant. Hinc Donatio & Promissio, etiamsi a duobus communi consensu fiat respectu unius tertii, antequam sit acceptata ab illo tertio, ejusque consensus reciprocus accedat, non habet rationem contractus seu pacti, sed primum post ejusdem acceptationem.

6. Quinimo ex hoc generatim infertur, quod nulla Promissio seu Pollicitatio, antequam sit acceptata, pariat quandam obligationem, ne quidem naturalem, aut in Foro Conscientiæ. Unde si alteri promisisti, aut donasti quidpiam interius solummodo, non obligaris. Idem dicendum, quando tu signo externo tuam promissionem vel donationem manifestasti, alter vero eam necdum intellexit, aut non acceptavit: siquidem in neutro casu fuit contractus, ob defectum reciproci consensus, & consequenter nulla obligatio inde subsecuta.

7. Et hinc discrimen est inter Votum, seu Promissionem Deo factam, & Promissionem homini factam: illa quippe, licet interno tantum animo concepta sit, illico a Deo cordium inspectore cognoscitur, & acceptatur; hæc vero, nisi externo signo manifestata, & Promissario indicata fuerit, ab eo neque cognosci, neque acceptari potest: nam *homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor. 1. Reg. 16.* Et hinc plures Doctores, de pacto inter homines existente loquentes, asserunt, quod Pactum sit *duorum reciprocus in idem consensus, signo sensibili expressus*: nam aliter homines nequeunt consensum alterius cognoscere, & acceptare.

8. CONCL. II. *Contractus proprie*, ac in rigore, accipitur pro pacto reciproco oneroso, quod ex utraque parte pactiscentium seu contrahentium obligationem parit. Unde recte definitur *l. Labeo, ff. de Verb. signif.* dicendo: *Contractus est ultro citroque obligatio*; id est, duorum vel plurium in idem consensus, ultro citroque obligationem pariens: qualis est Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, & hujusmodi, ubi venditor est obligatus ad dandam mercem, emptor vero ad refundendum pretium &c.

9. Nec dicas: inter patrem, & filium, subditum & Superiorem, &c. datur mutua, sive ultro citroque obligatio, non tamen contractus: ergo data contractus definitio non est bona. Resp. enim, distinguendo antecedens: inter patrem & filium, subditum & Superiorem &c. datur mutua obligatio, orta ex Justitia commutativa, negatur; orta ex aliis Virtutibus, ut puta ex Pietate, Observantia, & hujusmodi, conceditur antecedens, sed negatur consequentia. Nam contractus est ultro citroque obligatio, quæ oritur ex motivo Justitiæ commutativæ post mutuum contrahentium consensum.

10. CONCL. III. Contractus variæ sunt divisiones. Et quidem is primo dividitur in explicitum & implicitum. *Contractus explicitus*, seu formalis est, qui fit expressa partium conventione; & hic proprie dicitur *Contractus*. *Implicitus*, seu *interpretativus* est, qui fit implicite solum, & absque ulla expressa pactione: qualis est Tutela (id est, quando quis in se suscipit officium Tutoris) & quodvis aliud Officium. Qui enim aliquod Officium suscipit, eo ipso se obligat erga alterum, & alter obligatur erga ipsum, juxta leges & consuetudines, circa tale Officium receptas, neque requiritur alia conventio expressa: & hic dicitur *quasi Contractus*.

11. Deinde Contractus in communi dividitur in lucrativum, & onerosum. *Contractus lucrativus* (quem & *gratuitum* appellant) est, in quo nihil reperitur: ut Promissio, Donatio, Commodatum, &c. Huc

Huc referri possunt Testamentum, & Legatum, quæ sunt donationes quædam in diem. *Contractus onerosus est*, in quo aliquid loco ejus, quod datur, reddi debet, vel præstari: ut fit in Emptione, Locatione, & hujusmodi.

12. Tertio Contractus dividitur in *absolutum*, & *conditionatum*. Ille est, qui fit independenter a quacunque conditione: hic vero, qui fit dependenter ab aliqua conditione extrinseca; v. g. dono tibi meum equum, si eris promovendus ad tale officium, vel si navis ex Indiis advenerit. Porro valor Contractus conditionati pendet ab eventu, seu veritate conditionis adjectæ, eaque non existente, seu non impleta, nullam inducit obligationem: idque defectu consensus, eo quod quis non aliter contrahere intenderit, nisi sub eventu talis conditionis extrinsecæ. Et additur, *conditionis extrinsecæ*: nam conditiones, quæ tacite de jure insunt, v. g. *si potero, si alter non resiliat a contractu, &c.* non reddunt contractum conditionatum, prout in simili de Juramento superius (a) dictum est.

QUÆSTIO II.

Qualis consensus requiratur ad valorem Contractuum?

SUMMARIUM.

13 *Ad consensum pro valore Contractuum requiruntur quatuor conditiones.*

14 *Error circa substantiam reddit contractum nullum.*

15 *Secus, quando contingit solum circa qualitatem.*

16 *Metus gravis ab intrinseco provenions, non invalidat contractum.*

17 *Dolus est de metu ab extrinseco, sed justo incusso.*

18 *Contractus ex metu gravi injuste incusso celebrati.*

19 *Aliqui sunt ipso jure invalidi, alii per sententiam Judicis rescindendi.*

(b) Tr. 1. Dist. 1. n. 27. & 29.

20 *Contraria quorundam opinio.*

(c) Tr. 1. Dist. 1. n. 29.

13. CONCL. I. Ad valorem Contractuum omnino requiritur mutuus, & reciprocus contrahentium consensus, ut patet ex ipsa definitione Contractus *n. 8.* allata. Porro ad talem consensum quatuor communiter requiruntur conditiones. I. Ut consensus sit liber: de quo plura in sequentibus Conclusionibus. II. Ut consensus sit serius, seu promissorius; id est, fiat cum voluntate vero contrahendi, in qua jam involvitur animus se obligandi juxta naturam contractus celebrati. Ratio hujus conditionis est: quia consensus simulatus revera consensus non est, sed tantum fingitur; sine consensu autem contractus validus non est. Unde infertur, quod ficte contrahens re ipsa ex tali contractu non obligetur, utpote qui Jure naturæ irritus est, & nullus: peccat tamen juxta gravitatem materiæ, qui proximum sua fictione injuste decipit; unde & tenetur eidem ad recompensationem damni, si quod forsan fuit subsecutum ob suam fictionem. III. Ut consensus internus aliquo signo externo sit expressus: alioquin enim alter contrahentium non posset cognoscere, neque acceptare consensum præfatum; sine tali autem acceptatione contractus non obligat. IV. Ut talis consensus acceptetur ab altero, cum quo fit contractus, ob rationem paulo ante positam.

14. CONCL. II. Quando in altero contrahentium contingit error circa substantiam rei, Contractus Jure naturæ est irritus; v. g. dum emitur aurichalcum pro auro, vitrum pro gemma, & hujusmodi; aut dum e contra venditur, & donatur gemma pro vitro, &c. Ita omnes Doctores. Ratio est: quia tunc deest consensus substantialis, *cum nullus sit errantis consensus*, ut dicitur *leg. Non idcirco, Cod. de Juris & facti ignorantia*, & alibi; nam emens intendit emere aurum vel gemmam, non vero aurichalcum vel vitrum: sine consensu autem contractus est nullus; ergo. Infertur proinde, quod, dum quis gemmam vendidit, æstimans esse crystalli fragmentum, emptor re comperta ad restitutionem gemmæ teneatur, aut ad justum ei pretium persolvendum, prout de novo inter ipsos conventum fuerit: quia prior emptio fuit nulla, & irrita. Lessius *l. 2. c. 17. n. 27.* cum communi.

15. Dicitur notanter in Conclusione: *quando contingit error circa substantiam*. Nam si error contingit solum circa qualitatem accidentalem, contractus est validus, modo error, vel dolus non dederit causam contractui; neque qualitas illa fuerit in pactum deducta per modum conditionis. Ratio est: quia talis vere consensit in emptionem istius rei, seu substantiæ ejus, absque

tactu

metu & fraude. Deinde error ille (prout supponitur) non dedit causam contractui; neque qualitas illa fuit deducta in pactum ut conditio: nam alioquin hæc deficiente corrueret contractus, ob dicta *nn.* 12. simulque quantum attinet ad prius, errantis nullus foret consensus.

16. CONCL. III. Metus gravis ab intrinseco proveniens (hoc est, non incussus a causa libera, sed naturali, prout est metus mortis imminentis ob morbum, naufragium, bestias, &c.) non invalidat Contractum. Ita rursum certa, & communis, atque desumitur ex *c. Sicut nobis, de Regularibus*, ubi Votum Religionis, emissum a constituto in lethali infirmitate, censetur validum; ergo si Vota, & hujusmodi, ex metu facta tempore naufragii, vel infirmitatis lethali, valida sunt, & obligant ad sui impletionem, ut omnes fatentur, idem dicendum erit de Contractibus.

17. CONCL. IV. Similiter metus ab extrinseco proveniens, juste tamen incussus, Contractum non invalidat. Ita pariter unanimis Doctorum. Ratio est: quia talis metus juste incussus, non infert cuipiam injuriam. Hinc validum est Matrimonium metu justæ Excommunicationis contractum. Similiter qui promisit aliquid, ne accusetur de crimine, de quo jure poterat accusari, tenetur stare promissis, non obstante, quod promiserit ob metum accusationis: idem dicendum de similibus.

18. CONCL. V. Loquendo tamen de metu gravi ab extrinseco proveniente, simulque injuste incusso, omnes Contractus ex hujusmodi gravi metu ad extorquendum consensum injuste incusso celebrati, vel sunt ipso jure invalidi, vel saltem per sententiam Judicis rescindendi. Ita communis Doctorum, atque desumitur ex Jure Canonico *c. Abbas & c. Ad audientiam, De iis quæ vi metusve causa fiunt*, ubi generales hæ regulæ dantur: *Quæ metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari.* Item: *Quæ vi metusque causa fiunt, cassare debent robore firmitatis.*

19. Probatur eadem Conclusio, simulque suis disjunctione loquens declaratur per inductionem. Nam in primis dantur aliqui contractus, qui si ex hujusmodi metu celebrantur, ipso jure invalidi existunt; cum in eis requiratur plena libertas. Sic quippe Matrimonium, & sponsalia, item promissio dotis, veluti accessoriæ ad Matrimonium, nec non & Professio Religiosa, & quædam his similia, quæ enumerat Glossa magna, *cap. 2. De iis quæ vi metusve causa &c.* si fiant ex metu gravi, & injuste incusso, sunt ipso jure invalida. Alii vero Contractus, quamvis ob metum gravem ab extrinseco injuste illatum ordinarie non reddantur ipso jure invalidi (nam, ut loquuntur Juristæ, *Causa voluntas est voluntas*) nihilominus suadente æquitate per sententiam Judicis rescindendi sunt, ut jam superius (b) dictum.

20. Quinimo non desunt Doctores, quos refert Sanchez *l. 4. de Matr. disp. 8. n. 2.* inter quos sunt Sotus, & Molina, ac sequitur Martinus *disp. 4. Theol. Moral. n. 23.* qui volunt, quoslibet Contractus metu gravi initos ipso jure irritos & invalidos esse, aut saltem, ut vult Herincx *disp. 1. de Contractibus, quæst. 3. numer. 46.* esse irritabiles arbitrio metum passi, vel per Judicem pro Foro externo. Cæterum hactenus dicta intelligenda solum sunt de metu gravi, seu cadente in constantem virum, non autem de metu levi; prout habetur *c. Cum dilectus, De iis quæ vi metusve causa &c.* Quinam autem censeatur esse metus gravis, superius (c) dictum est.

QUÆSTIO III.

Quinam contrahere possint?

SUMMARIUM.

21 *Ætates hominis, sunt Infantia, Puericia, Adolescentia, Juventus, vel virilis ætas, Senectus, & Decrepitas.*

22 *Infans, Impubes, Minor, seu Minorennis, Major, seu Majorennis.*

23 *Pupillus, quis? Pupillus pubertati, vel infantiæ proximus, quis?*

24 *Generatim, qui possint contrahere?*

25 *An & Religiosi?* (d) Tr. 7. Dist. 3. Quæst. 2. per totum.

26 *Utrum Pupillus, vel Minorennis?*

27 *Corollarium de Pupillo emente sine Tutoris consensu.*

28 *Vel Indendo perdente.*

29 *An Minorennis, vel Pupillus cum obligetur naturaliter?*

30 *Quid de pupillo infantiæ proximo?*

31 *Quid, si contrahant cum consensu Tutoris, vel Curatoris?*

32 *Differentia inter Tutorem, & Curatorem.*

33 *Obligatio civilis & naturalis: ac obligati civiliter, & naturaliter, qui?*

34 *Obligationis naturalis effectus, qui?*

21. ADvertendum, quod quamvis Doctores varie distinguant ætates hominis, dum alii plures, alii pauciores assignant, prout refert Fagnanus *c. Cum sit, n. 14. de Convers. Conjugat.* communior tamen sit sententia Glossæ *in Proœmio Libri sexti Decretalium V. Perfectus*, quæ sex tantum ætates, seu status hominis assignat. Prima est *Infantia*, quæ durat usque ad septimum annum completum. Secunda est *Puericia*, quæ in fœminis durat usque ad duodecimum, in masculis vero usque ad decimum quartum annum completum. Tertia est *Adolescentia*, durans usque ad vigesimum quintum completum. Quarta est *Juventus*, vel *virilis ætas*, durans usque ad quinquagesimum annum; quamvis alii juventutem, & ætatem virilem dividant, & hanc ab anno quadragesimo, vel saltem quinquagesimo, usque ad quinquagesimum nonum computent. Quinta est *Senectus*, quæ exinde usque ad annum septuagesimum protenditur. Sexta est *Senium*, seu *Decrepitas*, quæ abinde continuatur usque ad mortem.

22. Advertendum ulterius, quod juxta præmissas vitæ humanæ ætates varia nomina fortitur homo. Atque, ut omittatur nomen Juvenis, Viri, Senis, & hujusmodi, quæ ad propositum minus attinent, in primis homo dicitur *Infans*, qui est minor septem annis completis. Exinde vero, quia pubertas in masculis expleto decimo quarto anno, in fœminis autem expleto anno duodecimo mox incipit: hinc masculi ante expletum decimum quartum annum dicuntur *Impuberes*, eoque expleto *Puberes*: fœminæ autem ante duodecimum expletum *Impuberes*, postea vero *Puberes* & *Minorennes*. Porro *Minor*, seu *Minorennis* dicitur pubes usque ad vigesimum quintum annum expletum, & quidem expletum de momento in momentum: postea tales vocantur *Majores*, seu *Majorennes*.

23. Rursum *Pupillus* dicitur, qui cum adhuc impubes sit, definit esse in potestate patris, vel per mortem ejus, vel per emancipationem: & hic vel est pubertati proximus, vel infantiæ proximus, prout magis accedit ad pubertatem, vel infantiam. *Pupillus pubertati proximus*, si masculus est, dicitur ille, qui habet ætatis decem annos cum dimidio; si fœmina, quæ habet novem annos cum dimidio: ante hoc autem tempus dicitur *Pupillus infantiæ proximus*, si est supra septennium; vel Infans, si est infra septennium. Hisce terminis prænotatis, sit

24. CONCL. I. Generatim loquendo omnes, & soli illi contrahere possunt, qui habent liberam bonorum administrationem. Ita omnes Doctores. Cæterum inter eos, qui non habent liberam bonorum administrationem, in primis sunt infantes, amentes, aut alias usu rationis carentes: tales enim, licet sint capaces dominii, non tamen usus vel liberæ administrationis ejus ob defectum rationis; unde nec contrahere possunt.

25. Similiter Religiosi solemniter professi, cum nullius rei dominium habeant ob votum Paupertatis, consequenter nequeunt legitime disponere de bonis Monasterii, neque contrahere sine consensu Prælati. Prælati vero & constituti ab eo Administratores bonorum communium, possunt quidem contrahere, sed in multis casibus non, nisi dependenter a consensu Capituli seu Communitatis, & ad usus determinatos duntaxat. Huc addi possent filii familias, & uxores: verum de ipsis jam dictum superius. (d)

26. CONCL. II. Pupillus pubertati proximus, ac Minorennis, potest quidem sine authoritate Tutoris, vel Curatoris, contrahere in suum commodum, non tamen in suum incommodum seu præjudicium, ita ut civiliter obligetur. Ita communis; & habetur expresse *lum 5. 2. Instit. de Authorit. Tutor.* ibi: *Si quid dari sibi stipulentur, non est necessaria tutoris authoritas; quod si alias promittant pupilli, necessaria est tutoris authoritas: namque placuit, meliorem quidem suam conditionem licere eis facere etiam sine tutoris authoritate, deteriorem vero non aliter quam cum tutoris authoritate.* Unde, ut ait Glossa ibidem, *Contractus claudicat quandoque.*

27. Infertur proinde, quod celebrato emptionis contractu Pupillus, sine Tutoris consensu emens, non possit actione civili compelli invitus ad standum contractui, & solvendum pretium emptionis: ipse tamen Pupillus, si contractui stare velit, potest actione civili cogere venditorem ad tradendam sibi mercem pro constituto pretio. In quo proinde casu claudicat contractus, ut dictum.

28. Insuper infertur cum Laymano *lib. 3. tract. 4. cap. 9. nu. 10.* & aliis, quod si Pupillus, vel Minor habens Curatorem (secus dicendum, si hic Curatorem non habeat) quidpiam ludendo perdidit, aut alio contractu promisit, id solvere non teneatur, sed possit se exceptione Legis Civilis defendere, nisi

nisi Minor se foluturum juraſſet. Quod ſi vero Pupillus, vel Minor ſolvit creditori, poteſt is tuta conſcientia rem retinere, donec ab eo reputetur per Beneficium legis talem repetitionem concedentis; cum hic ſaltem obligatio naturalis interveniat, quæ ex Jure Gentium per conſenſum oritur.

29. Dicitur notanter: *cum hinc ſaltem obligatio naturalis interveniat*. Nam etſi Pupillus pubertati proximus, ac Minorennis, non obligetur civiliter, *ſi* contrahat *ſine* Tutoris vel Curatoris authoritate, nihilominus obligatur naturaliter, ac in Foro conſcientiæ: quamvis hujuſmodi obligatio naturalis ſit aliquo modo inefficax, utpote quæ per exceptionem ex beneficio Legis Civilis non compellentis Pupillum ad ſolutionem, elidi poteſt; adeo, ut neque in Foro conſcientiæ ſolvere teneatur, niſi quatenus locupletior factus eſt; prout obſervat Leſſius *l. 2. c. 17. n. 61.* Sanchez *l. 6. de Matr. diſp. 38. n. 21.* Layman *n. 7.* Sannig. *diſt. 22. de Juſtitia quæſt. 3. n. 9.* & Communior Doctorum, etſi nonnulli diſſentiant. Ratio autem, cur oriatur obligatio naturalis, donec per exceptionem Legis elidatur, illa eſt: quia hic vere intervenit conſenſus Pupilli, vel Minorennis: atqui ex conſenſu oritur obligatio naturalis *l. Stichum, §. naturalis ff. de Solution.* ergo.

30. Intellige, dummodo Pupillus ſit pubertati proximus: nam cum Pupillus infantiæ proximus vix ullum intellectum habeat, ideo Jura omnem ex parte ejus obligationem tollunt, de quo pro in Pupillo intelligendus ex textus *l. Pupillus, ff. de Action. & obligat.* ibi: *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo, ne quidem jure naturali obligatur*, cum concordantiis.

31. CONCL. III. Pupillus, & multo magis Minorennis, cum conſenſu & authoritate Tutoris, vel Curatoris, poteſt valide contrahere, & ſic contrahens obligatur tam civiliter, quam naturaliter. Ita communis; & habetur *l. Impuberes, ff. de authoritate & conſenſu tutorum*. Verum occaſione dictorum

32. Quæres, quæ ſit differentia inter Tutorem, & Curatorem? Reſp. eos differre potiſſimum in ſequentibus. Siquidem Tutor datur uſque ad tempus pubertatis, ad tuendam præcipue perſonam Pupilli, ſecundario autem ad bona ejus adminiſtranda, ſecuta vero pubertate Tutela finitur: Curator autem pueris, & puellis puberibus, datur uſque ad vigeſimum quintum annum, potiſſimum, ut bonis eorum præſit, ſeu adminiſtrator exiſtat. Deinde Tutor impuberi, etiam invito, dandus eſt: ſed Curator puberi non datur, ſi eſt invitus; & tunc pubes, per ſe ipſum valide contrahere poteſt, & contrahens obligatur tam civiliter, quam naturaliter; niſi in caſu, quo graviter læſus eſt, eidem ſubveniatur per beneficium reſtitutionis in integrum, juxta dicenda *Quæſt. ſeqq.*

33. Quæres ulterius, quid ſit obligari civiliter, & naturaliter? Reſp. *Obligatio civilis* dicitur ea, quæ aut legibus conſtituta, aut certo Jure Civili comprobata eſt. *Obligatio naturalis* vera, quæ ex Jure Gentium per conſenſum oritur. Hinc ille dicitur *obligari civiliter*, qui in Foro externo, ac Civili conveniri poteſt. *Naturaliter* vero *obligatur*, qui ex Jure Gentium obligatus exiſtit; ac proinde ſaltem in foro conſcientiæ tenetur, niſi beneficio Legis Civilis, ſeu per receſſionem actus ope Judicis factam, a tali obligatione naturali liberetur.

34. Porro obligationis naturalis plures ſunt effectus: quorum primus, iſque præcipuus eſt quod creditori jus tribuat accipiendi, ac retinendi, ſi, quod naturaliter ipſi debitum eſt, nulla oppoſita exceptione ſolvatur: & hic eſt effectus principalis, & inſeparabilis ab obligatione naturali. Secundus obligationis naturalis effectus eſt, quod impediat debiti ſoluti receptionem. Tertius, quod tribuat cuipiam jus exceptionis, & compenſationis. Et quartus, quod in obligatione naturali poſſit accedere fidejuſſor. Verum hi tres poſteriores effectus obligationis naturalis quandoque ex diſpoſitione Juris communis ſeparantur, ac præſertim in Pupillis, & minoribus, ſi ſine Tutoris vel Curatoris conſenſu ſeſe cuipiam obligent. Layman *l. 3. tr. 4. c. 9. n. 9.* & alii.

QUÆSTIO IV.

De Reſtitutione in integrum, & quibus competat?

SUMMARIUM.

35 *Reſtituere in integrum, quid?*
36 *Beneficium reſtitutionis, in quibus caſibus concedatur?*
37 *Conceditur omnibus ætate minoribus.*
38 *Excipiuntur aliqui caſus.*
39 *Beneficium reſtitutionis in integrum competit Eccleſiæ &c.*

40 *Debet peti intra quadriennium.*
41 *Quadriennium hoc quando incipiat?*
42 *Præſertim ſi Prælatus Eccleſiæ male alienans, diutius vixit.*
43 *Beneficium reſtitutionis in integrum, quibus aliis competat?*

35. RESTITUERE *in integrum* idem eſt, ac reducere aliquem in eum ſtatum, in quo erat ante læſionem, *arg. L. 1. C. De ſententiam paſſis*. Nam ob æquitatem naturalem, ac Jure communi ſic diſponente, Judex certis hominibus in contractu, vel alia actione graviter læſis, aut deceptis, cognita cauſa ſubvenit reſtituendo eos in integrum: ſic enim Minorennis, videns in aliquo contractu ſe graviter fuiſſe læſum, ſi petat intra debitum tempus, ut reponatur in eo ſtatu, in quo fuit ante læſionem, Judex beneficio reſtitutionis in integrum eidem ſubvenit, ipſumque ponit in ſuo priſtino ſtatu.

36. Conceditur autem hoc beneficium reſtitutionis tunc ſolum, quando læſio eſt notabilis: nam ſi læſio ſit duntaxat modica, tunc extraordinarium hoc auxilium tribuere non convenit, ut dicitur *l. Scio §. De in integrum reſtitut.* & alibi. Siquidem juxta illud tritum axioma: *De minimis non curat Prætor*. Vel, ut Gloſſa *cit. l. V. Summam* loquitur: *De minimis non curandum*. Inſuper beneficium reſtitutionis in integrum, utpote quod eſt remedium extraordinarium, non conceditur, ſi aliud remedium ſupperat contractum revocandi *text. clar. l. In cauſa ff. de Minoribus*. His præmiſſis, ſit

37. CONCL. I. Beneficium reſtitutionis in integrum conceditur omnibus ætate minoribus (id eſt, qui vigeſimum quintum ætatis annum necdum compleverunt) ſi ex contractu, vel quaſi contractu, graviter prudentum judicio læſi ſunt. Ita habetur *l. 1. & ſeqq. ff. de Minoribus viginti quinque annis*. Ratio hujus conſtitutionis eſt: quia fragile eſt, & infirmum hujus ætatis conſilium, & multis captionibus ſuppoſitum, multorumque inſidiis expoſitum; unde iſtud extraordinarium auxilium eiſdem Prætor pollicitus eſt, prout ibidem loquitur textus. Et quidem hæc Concluſio intelligenda eſt, quando is ejuſmodi contractus fuerit inſtitutus cum Patris, vel Curatoris conſenſu, imo etiam Judicis decreto interveniente: adhuc enim beneficio reſtitutionis locus erit *L. 2. C. ſi Tutor vel curator intervenerit*, cum concordantiis.

38. Excipiuntur tamen aliqui caſus a data regula. I. Si talis poſt expletum vigeſimum quintum ætatis annum factus major, ratificet ea, quæ in tenori ætate cum Tutoris, vel Curatoris conſenſu egit: tunc enim beneficium reſtitutionis potendæ perdit, *L. 1. & 2. C. ſi major factus &c.* II. Si minor pubertate jam adepta contractum a ſe initum juramento ſponte facto confirmavit. *l. Sacramenta puberum, C. ſi adverſus venditionem &c.* Omittuntur nonnullæ aliæ limitationes minus ad propoſitum attinentes.

39. CONCL. II. Beneficium reſtitutionis in integrum competit inſuper Eccleſiis, aliiſque locis piis. Ita habetur clare Jure Canonico *tit. De in integrum reſtitut.* per plura Capitula: ſiquidem Eccleſia fungitur jure minoris. Quod ſi vero perſonæ Eccleſiaſticæ in propriis juribus, aut bonis ſuis patrimonialibus, aliiſve privatis lædantur, non competit eis beneficium reſtitutionis: quia ceſſat tunc communis favor Eccleſiæ.

40. CONCL. III. Ad petendam reſtitutionem in integrum exquacunque cauſa, hodie conceditur continuum quadriennium. Ita habetur expreſſe *L. ult. C. de Temporibus in integrum reſtitutionis*, & tenent Doctores communiter.

41. Circa quod notandum, quod quadriennium iſtud in reſtitutione Minorum inchoetur primum ab ætate legitima, ſeu a primo die exacti vigeſimi quinti anni, ceſſante tamen alio impedimento. In reſtitutione vero Eccleſiæ, aliorumque piorum locorum, incipit dictum quadriennium a tempore factæ læſionis; ſicuti conſtat ex *c. Eccleſia de Reſtit. in integrum in 6.*

42. Intellige: *niſi prævaricationis, vel fraudis manifeſtæ, probetur ſuper hoc interuniſſe conſentimus, aut alia rationabilis cauſa ſubſit, quæ Superiorem movere debeat ad idem beneficium concedendum*, prout limitatur *cit. c. Eccleſia*. Ubi proinde Gloſſa *V. Cauſa* & Fagnanus *c. Requiſivit. n. 15. de reſtit. in integrum*, poſt Abbatem, & alios tuluerunt, poſſe concedi Eccleſiæ beneficium reſtitutionis etiam poſt quadriennium, *ſi* Prælatus male alienans (hoc eſt, cum gravi damno Eccleſiæ) tanto tempore vixit: nam hoc quadriennium non currit, quamdiu vivit Prælatus, qui male alienavit, *arg. c. ſi ſacerdotes, 16. q. 3.* Ratio hujus eſſe videtur: quia Prælatus ille non facile revocabit factum ſuum; & ſic Eccleſia, quantum ad propoſitum, tunc cenſetur carere legitimo de-

fen-

fensore, ut proinde justa causa subsit eandem restituendi post quadriennium.

53. Pro complemento hujus quæstionis sciendum, quod Respublica quoque jure Minorum gaudeat, adeoque auxilium restitutionis implorare possit, *L. 4. C. Quibus ex causis majores &c.* ubi dicitur: *Respublica æquiparatur minori, & ideo habet beneficium restitutionis in integrum.* Idque extendunt Doctores primo ad Principem, tanquam caput Reipublicæ. Deinde ad Universitatem Studiosorum, cum in ea non pauci, imo plerique minorennes reperiantur. Tertio, ad Vicos communitatem habentes. Tandem idem beneficium quandoque conceditur rudibus: ut rusticis, mulieribus, &c. prout amplius declarant Canonistæ.

DISTINCTIO II.

De Contractibus Gratuitis.

QUÆSTIO I.

De Promissione, ejusque obligatione.

SUMMARIUM.

1 *Ratio Ordinis.*
2 *Promissio, quid?*
3 *Quomodo differat a proposito?*
4 *Propositum non servare, an sit peccatum?*
5 *Promissionis quanta sit obligatio?*
6 *Loquendo de Promissione propriè dicta.*
7 *Excusantur multæ promissiones a mortali, cur?*
(a) Dist. 1. n. 13.
8 9 10 11 12 *Promissio variis modis obligare desinit.*
(b) Tr. 6. dist. 2. n. 23.

1. PRæmissis illis, quæ concernunt Contractus in genere, pergendum ad explicandos Contractus in specie, ordiendo a Contractibus gratuitis seu lucrativis, qui ex una solum parte obligationem inducunt, sive, in quibus nihil reperditur; ut est Promissio, Donatio, Commodatum, Precarium, & Depositum. Et quidem incipiendo a Promissione, sit

2. CONCL. I. *Promissio* est spontanea & deliberata fidei obligatio, facta alteri de re quapiam bona, & possibili. Ita in re communis. Et hujusmodi Promissio tunc fit, quando quis sponte, & liberaliter, atque animo sese obligandi, pollicetur alteri quidpiam dare, vel facere, quod honeste potest. Dicitur primo, quod Promissio sit *de re quapiam bona*: siquidem, ut habet *regula 69. Juris in 6. In malis promissis fidem non expedit observare.* Idque intelligendum, etiamsi Promissio sit juramento firmata; nam *non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. Reg. 38. Juris in 6.* Et additur, *& possibili*: quia *nemo potest ad impossibile obligari*, juxta *Reg. 6. ead.*

3. Dicitur ulterius, *obligatio fidei*: per quod Promissio differt a proposito. Nam Promissio est actus, quo quis se alteri obligat ad aliquid dandum, vel faciendum, juxta proxime dicta, & explicatur per verbum, *Promitto me facturum, aut daturum hoc, vel illud.* E contra propositum, licet sit firmum ac deliberatum, ex se nullam inducit obligationem: concipitur enim sine actuali obligatione, ac explicatur per verbum, *faciam, dabo* &c. *sed* non intenditur obligatio.

4. Infertur proinde, quod si quis Propositum utcunque firmum non servaverit, peccati propterea reus non fit, cum nulla se obligatione constrinxerit; ut puta si quis proposuit jejunare, dare eleemosynam, aut certas preces persolvere. Intellige, nisi quis aliunde sit obligatus ad tale quid faciendum; aut nisi id fiat ex inordinata passione, gravi socordia, vel negligentia. Quinimo Layman *lib. 3. n. 16.* post Lessium *l. 3. cap. 2. num. 46.* in tali inordinata bonorum Propositorum mutatione agnoscit peccatum inconstantiæ, ex genere suo veniale; cum sit quædam inordinatio mentis, quod bene consultatum, judicatum, & acceptatum est, leviter & sine ulla rationabili causa derelinquere.

5. CONCL. II. Promissio propriè dicta, si sit legitime facta, & ab altero acceptata, ex genere suo obligat ex Justitia, & sub peccato mortali; nisi rei promissæ parvitas excuset. Ita Doctores communiter. Unde illud vulgatum dictum: *Omne promissum cadit in*

debitum arg. c. Qualiter, de Pactis, ibi: *Studiose agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur*, & alibi. Ratio est: quia promittere proprie loquendo, non est utcunque verum dicere, sed simul astringere alteri fidem suam.

6. Dicitur, *Promissio propriè dicta*: Siquidem præsens Conclusio solum procedit, si quis vere promittat animo se obligandi: nam si absque animo obligandi se, facta sit promissio, non tenetur vi illius quis adimplere promissum, eo quod revera non fuerit promissio propriè dicta, cum deficiat voluntas se obligandi.

7. Ex hinc infert Sanchez *l. 1. de Matr. disp. 5. num. 25.* quod plurimæ promissiones excusari possint a mortali: quia per eas non intendunt homines se obligare præcise, sed ex quadam benevola honestate; vel ignorant tantam ex simplici promissione consurgere obligationem, existimantes, solum se obligari ad suum tuendum honorem. Unde in proverbium abiit, *Verba urbanitatis minime obligare.* Hæc ille. Veruntamen hoc intelligendum, seclusio alio damno proximi: alioquin haberent locum dicta superius (a) de ceteris ficte contrahentibus.

8. CONCL. III. Promissio valida variis modis obligare desinit. Ita communis; idque patet inductione. Et I. Cessat Promissio obligare propter condonationem Promissarii, potentis condonare: nam quilibet suo juri renuntiare potest. II. Cessat obligare Promissio per mutationem objecti, si videlicet res promissa fiat interim impossibilis, illicita per leges, damnosa vel inutilis Promissario, in cujus utilitatem, commodum & gratiam facta est promissio.

9. III. Cessat obligare Promissio propter supervenientem sine culpa talem mutationem status rerum, ut judicio prudentum (quod ex qualitate rei promissæ, & ipsarum personarum, formandum est) censeatur Promissor talem eventum non voluisse comprehendere: siquidem ultra ejus intentionem non obligat promissio. Sic fieret, si quis pauperi promisit centum florenos, & postmodum ipsemet promittens in paupertatem incidat, adeoque his ad honeste sustentandum se, suamque familiam indigeat. Item si quis puellæ promisit Matrimonium, quæ postmodum fit pauper, multum deformis, aut ab alio corrumpitur, & hujusmodi; prout in simili superius (b) dictum est, agendo de Juramento.

10. IV. Cessat promissio obligare propter ingratitudinem Promissarii (id est, illius, cui facta est promissio) hæc enim non tantum obligationem promissionis tollit, sed insuper, si sit gravis, donationem facit revocabilem, *cap. ult. de Donationibus.*

11. V. Cessat talis obligatio Promissionis per compensationem, dum videlicet duo sibi invicem quidpiam promiserunt, & alter non vult stare promissis: tunc enim neque prior manet obligatus ad standum suo promisso.

12. VI. Cessat obligare Promissio ob non subsistentiam causæ principalis: ut si cuipiam intuitu paupertatis quidpiam promisisti, quem postea comperis revera non esse pauperem. Idem dicendum, si intuitu præstationis beneficii facta erat promissio remuneratoria, & tamen illud beneficium præstitum non est, sed falso ita existimatum.

QUÆSTIO II.

De Donatione, & variis ipsam attinentibus.

SUMMARIUM.

13 *Donatio, quid?*
14 *Dividitur in mere gratuitam, & remuneratoriam.*
15 *Donatio mortis causa, qua?*
16 *Potest semper revocari, sicut & Testamentum.*
17 *Donatio inter vivos, qua, & an revocari possit?*
18 *Hæc ante acceptationem non obligat.*
19 *Censetur acceptari a presente, & tacente.*
20 *An possit acceptari pro alio, aut pro determinata Ecclesia?*
21 *Donatio ante actualem rei traditionem non dat jus in re.*
22 *Donatio ultra 500. Solidos non valet quoad excessum.*
23 *Per Solidum intelligitur Aureus.*
24 *Declaratur Conclusio.*
25 *Excipitur donatio ad pias causas.*
26 *Et nonnulla alia donationes.*

13. CONCL. I. *Donatio*, quæ juxta nominis etymologiam idem est, ac *doni datio*, bene describitur cum Scoto 4. *dist. 15. q. 2.* quod sit datio rei mere liberalis. Sive, ut alii loquuntur, *Donatio* est translatio dominii alicujus rei per actum mere liberalem in alium facta: & hæc proprie appellatur Donatio.

14. CON-

14. CONCL. II. Donatio dividitur multipliciter. Et in primis dividitur ipsa in *Donationem mere gratuitam*, cui proxime data definitio convenit: & in *Donationem remuneratoriam*, quæ fit intuitu alicujus accepti beneficii. Deinde in *Donationem absolutam*, seu puram, & in eam, quæ fit sub conditionem aliqua; v.g. donotibi hunc agrum, si Romam perrexeris. Præcipua tamen divisio est illa, qua ipsa dividitur in Donationem inter vivos, & in Donationem mortis causa.

15. *Donatio mortis causa* dicitur ea, quæ fit propter mortis suspicionem: cum nempe quis ita donat, ut si quid humanitus ei contigisset, haberet is, qui accepit; sin autem supervixisset, is, qui donavit, reciperet. Quod posterius etiam dicendum, si eum donationis pœnituisset, aut si prior decessisset ille, cui causa mortis donatum est, prout habetur §. 1. *Instit. de Donationibus*.

16. Infertur proinde, quod hæc Donatio mortis causa, sicut & testamentum, ac quodlibet Legatum, quocunque tempore revocari possit usque ad mortem. Neque ad hanc revocationem requiritur alia causa præter liberam voluntatem donantis, vel testantis: siquidem cum talis donatio fiat causa mortis, ac sub conditione, *si moriar*; antea semper licet pœnitere. Unde est illud vulgatum axioma inter Juristas: *Ambulatoria est voluntas hominis usque ad vitæ supremum exitum. l. Quod si. ff. De ædimendis legatis*. Sed de Donationibus mortis causa, plura *Dist. seq. per totam* agendo de Testamentis.

17. *Donatio inter vivos* est, quæ fit sine ulla mortis suspicione ex mera liberalitate, & ea mente, ut res donata fiat statim acceptantis. *arg. L. 1. ff. de Donatione*. Unde hujusmodi Donatio semel perfecta, temere revocari non potest. Dicitur, *temere revocari non potest*: nam ob certas causas, veluti ob ingratitudinem Donatarii (si nempe impias manus in Donatorem injecerit, aut ei graves injurias, seu grave rerum suarum damnum, aut vitæ periculum inferre præsumpserit) Donatio inter vivos per ipsum Donatorem revocari potest, non tamen per ejus hæredem, si ipse Donator tacuit: prout expresse habetur *cap. ult. de Donationibus*, & alibi. Et de hac Donatione inter vivos ex professo hic agitur.

18. CONCL. III. Donatio ante acceptationem non parit ullam obligationem, potestque libere revocari, etiamsi quis absolute se obligare voluerit. Patet hoc ex dictis *Dist. prec. num. 4. & 6.* Nam nullus est contractus, nullumque pactum, donec adsit consensus reciprocus duorum.

19. Notandum tamen cum Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp. 6. n. 11.* & communiori Doctorum, paucis exceptis, quod Donatio præsenti & tacenti facta, jam censeatur ab eo esse acceptata: quia in favorabilibus, *Qui tacet, consentire videtur*: juxta *Regulam 43. Juris in 6.* Imo si Donatio fiat ipsimet Deo, vel ad ejus honorem cuipiam Sancto, valet ea irrevocabiliter, nec opus est ulteriori acceptatione; cum Deus illico acceptet donationem ad honorem sium factam.

20. Notandum ulterius, quamvis pro alio Promissionem, aut Donationem, nemo possit regulariter loquendo acceptare absque speciali ejus mandato, seu commissione, id tamen fallere in nonnullis casibus. Siquidem primo, si donatio fiat determinatæ Ecclesiæ, vel alicui alteri causæ piæ, potest ea quolibet etiam homine privato acceptari, dummodo verba ad ipsum dirigantur. Et notanter hoc ultimum additur: quia si verba nullo modo, neque expresse, neque implicite ad ipsum diriguntur, is non poterit acceptare Promissionem, vel Donationem pro alio; prout ex communi docet Covarruvias *in c. Quamvis de Pactis, in 6. part. 2. §. 4. n. 13.* & Lessius *lib. 2. cap. 18. num. 49.* Nam si verba ad eum nullatenus diriguntur, non intervenit reciprocus consensus; qualis tamen requiritur ad omne pactum, omnemque Promissionem, atque Donationem. Deinde in quibusdam casibus, dummodo verba dirigantur ad ipsum præsentem, potest Pater vel Mater Donationem acceptare pro Filio, Tutor pro Pupillo, Curator pro Minore, Filius familias pro Patre, Servus pro Domino, Monachus pro Monasterio, & alii hujusmodi.

21. CONCL. IV. Donatio mere verbalis ante actualem rei traditionem non dat jus in re, sed ad rem duntaxat. Ita communis. Quia, ut dicitur *l. Traditionibus C. de Pactis*, ibi: *Traditionibus & usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis acquiruntur*. Unde licet acceptes donationem verbalem, qua tibi Cajus donat equum absentem, non per hoc acquiris jus in re, ac dominium equi ante traditionem: & hinc, si interea Cajus donet, aut vendat equum alteri, eique tradat, is dominium equi acquirit, tu autem habes actionem personalem in Cajum pro injuria tibi facta ratione juris ad rem, quod vi donationis habebas in æquo.

22. CONCL. V. Donatio inter vivos ultra quingentos Solidos Jure communi Cæsareo est invalida, nisi accedat insinuatio apud Judicem; sed quoad excessum duntaxat ipsa non valet, simulque certis adhuc casibus exceptis. Ita communis, & habetur expresse decisum *L. penult. de Donationibus*, & alibi. Et hoc quidem rationabiliter est constitutum, ut obvietur fraudibus nonnullorum: simulquos, ne cives cæteroquin locupletes, per excessivas donationes temere factas ad paupertatem redigantur.

23. Porro per quingentos Solidos hodie communiter intelliguntur quingenti Aurei, seu Ducati, qui faciant mille Imperiales nostrates: nam in Jure Aureus accipitur pro Solido, ita ut septuaginta duo Solidi, seu Aurei, faciant unam libram auri, prout sentit Glossa *§. fin. Instit. de pœna temere litigantium*. Unde si quis ultra quingentos tales Solidos velit donare inter vivos, opus est, ut Actis publicis intervenientibus talem donationem insinuet apud Magistratum, & judicis authoritas accedat; alioquin ipsa quoad excessum non valebit.

24. Dicitur, *quoad excessum non valebit*: nempe quoad illam quantitatem summæ, quæ excedit quingentos Solidos. Siquidem quoad summam quingentorum Solidorum donatio illa valebit, *l. Sancimus, C. de Donationibus*. Accedit ratio: quia, ut habet *Regula 37. Juris in 6. Utile non debet per inutile vitiari*: quod communiter intelligitur, quando utile ab inutili seperari potest, prout fit in proposito.

25. Additur in Conclusione: *simulque certis adhuc casibus exceptis*. Nam sunt nonnulli casus, in quibus tuetur Donatio ultra quingentos Solidos. Sic enim primo valet donatio in quacunque quantitate, etiam sine insinuatione apud Judicem, si facta est Ecclesiæ, vel ad alias causas pias: quia Jus Civile pietatis opera impedire, vel restringere non potest; cum Christi Consilium sit *Matth. 19. Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. Dummodo tamen Donatio non sit inofficiosa, id est, talis, quæ liberis Legitimam Jure naturæ a parentibus debitam adimat; aut quæ vicissim a liberis indiscrete facta subtrahat parentibus medio ad sustentationem necessaria: nam talem donationem Christus quoque reprobat *Marc. cap. 15.*

26. Deinde valet Donatio etiam ultra quingentos Solidos facta a Principe, vel Principi a privato. Rursum valet ejusmodi Donatio, quæ fit militibus a belli Ducibus ex propriis bonis mobilibus vel hostium spoliis. Insuper valet Donatio, quæ fit ob causam; ut puta ad militiam, aut nuptias, ad redimendos captivos, ad ædium destructarum reparationem. Ita valet Donatio remuneratoria beneficiorum, ac obsequiorum præstitorum, prout habetur *l. Sancimus*, & *l. Si quis pro redemptione, C. de Donationibus*, & alibi.

QUÆSTIO III.

Quid sit Commodatum, Precarium, & Depositum?

SUMMARIUM.

27 *Commodatum, quid?*
28 *Quomodo differat a Locatione,*
29 *Pignore, & Deposito, ac Mutuo?*
30 *Precarium, quid?*
31 *Depositum, quid?*
32 *Depositarius re deposita utens sine licentia, peccat.*
33 *Limitatur Conclusio.*

27. CONCL. I. *Commodatum est alicujus rei ad aliquem spectalem usum gratuito facta concessio*. Ita Glossa *cap. ult. vers. Commodatum de Commodato*, estque in re communis. Ubi tamen notandum, quod hic Commodatum definiatur, prout sumitur pro contractu: subinde enim Commodatum accipitur etiam pro ipsa re commodata. Et quidem is, qui rem suam alteri commodat, dicitur *Commodator*, seu *Commodans*; qui vero accipit rem ab alio sibi commodatam, appellatur *Commodatarius*, & idem dicendum de Depositario, Mutuatario, & hujusmodi terminis.

28. Dicitur in primis in data definitione, *alicujus rei*: Intellige sive ea immobilis sit, ut puta domus, aut fundus; sive mobilis, præsertim quæ usu non consumitur, licet minuatur seu atteratur; ut equus, vestis, vasa &c. hæc enim omnia commodari possunt, *l. 1. ff. Commodati*. Et additur, *gratuito facta concessio*: in hoc siquidem differt Commodatum a Locatione: nam res tunc proprie intelligitur commodata, si nulla mercede accepta cuipiam utenda traditur; alioquin mercede interveniente locatus

ulus rei videtur. *Gratuitum enim Commodatum esse debet*, uti notatur §. *Item* 15. *Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio.*

29. Dicitur ulterius, *ad usum*: In hoc quippe Commodatum differt a Pignore, & Deposito, quorum usus non conceditur: nam si creditor Pignore, vel Depositarius re deposita, domino invito utatur, furtum committit. §. *Furtum autem, Instit. de obligationibus, qua ex delicto &c.* Deinde per hoc differt Commodatum a Mutuo, utpote in quo rei datæ dominium transfertur; in Commodato vero solus usus, dominio aut possessione penes Commodantem remanente. Additur vero, *ad aliquem specialem usum*: Non enim licitum est uti re commodata ad alium usum, quam ad quem concessa est, *arg. cap. un. de Commodato*, ibi: *nisi post usum expletum, cujus gratia res fuerat commodata*, & alibi.

30. CONCL. II. *Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur, quamdiu it, qui concessit, passurus*. Ita habetur *L. 1. ff. de precario*, estque communis. Unde Precarium ferme convenit cum Commodato, cum utrumque gratis fiat; differt tamen a Commodato in hoc, quod Commodatum fiat ad certum tempus, vel certum usum, ita ut antea res commodata a domino repeti non possit, eo autem finito restituenda sit, quamvis non repetatur; *cum dies statuta pro demisso interpellet, cap. ult. de Locato*, & alibi. E contra Precarium quocunque tempore revocari potest: nam qui precario concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit, *cit. L. 1. ff. de Precario*. Intellige, dummodo non statim revocetur sine cogente necessitate: ne frustra & illusorie concessum videatur, ac beneficium alicui præstitum, ipsi damnosum existat.

31. CONCL. III. *Depositum est, quod custodiendum alicui datur*. Ita habetur *L. 1. ff. Depositi*. Et quidem Depositum regulariter fit gratia solius deponentis; & nulla merede data vel promissa: alioquin si pro custodia rei detur merces, jam hoc casu Depositum transibit in contractum Locationis & Conductionis; cum Depositarius accipiens meredem, censeatur operas suas ad rem custodiendam alteri locasse: ut dicitur *cit. L. 1. §. si vestimenta, ff. Depositi*.

32. CONCL. IV. Si Depositarius re deposita sine expressa, vel rationabiliter præsumpta Domini licentia utatur, aut ipsam alienet, peccat, & furtum committere censetur. Ita habetur *l. Si saculum, ff. Depositi*, &§. *Furtum autem, Instit. de Obligationibus, qua ex delicto nascuntur*, cum concordantiis. Ratio est: quia usus rei non est ipsi concessus, sed tantum res ipsa, ut eam custodiat.

33. Additur tamen, *sine expressa, vel rationabiliter præsumpta domini licentia*. Siquidem quando Depositarius bona fide existimat, domino id non displicere, si utatur re deposita, jam non peccabit utendo, nec furti actione tenebitur; idque multo magis dicendum, si dominus expressum utendi licentiam concesserit. Addit Lessius *lib. 2. cap. 27. n. 5.* quando Depositum est res usu consumptibilis, v. g. triticum, vinum &c. & Depositarius certus est, se, quando Depositum repetetur, paratum habiturum aliud ejusdem mensuræ & bonitatis, tunc non fore peccatum, saltem mortiferum, uti Deposito, & illud alienare: quia nullum incommodum taliter irrogatur deponenti, unde is rationabiliter censetur non esse invitus.

QUÆSTIO IV.

Ex qua culpa teneatur Commodatarius, Depositarius, & hujusmodi, si res commodata, deposita &c. apud ipsum pereat.

SUMMARIUM.

34 *Culpa aliter accipitur apud Juristas quam Theologos, quomodo?*
35 *Culpa juridica seu civilis; casus, & Dolus quid?*
36 *Culpa juridica triplex. Lata, quæ æquiparatur Dolo, Levis, & levissima, quæ?*
37 *Commodatarius, aut Depositarius non tenetur de casu fortuito.*
38 *Nisi aliter fuerit conventum.*
39 *Aut is fuerit in mora reddendi.*
40 *Et nisi casus sua culpa acciderit.*
41 *Spectando Jus naturale, quinam teneatur de damno dato in re alterius?*
42 *Secundum Leges humanas, tenetur Commodatarius de Culpa levissima; Depositarius solum de dolo: cur?*
43 44 45 *Tres Regulæ, quantum ad præstitum.*
46 *An data Regula obligent in conscientia ante sententiam Judicis?*
47 *Loquendo de damno ex culpa levi, vel levissima in contractibus dato, communiter affirmat.*

48 *Verum sententia negativa non est improbabilis.*
49 *Quid si dubitetur, an culpa tua damnum acciderit?*
50 *Depositarius, vel Commodatarius, an possit salvare res proprias omissis alienis, si non possit utrasque?*
51 *An salvando alienas pretiosiores, possit petere compensationem?*

34. ADvertendum quoad propositum, quod culpa aliter accipiatur apud Juristas, aliter apud Theologos: siquidem apud Theologos culpa idem est, ac peccatum, sive id mortale sit, sive veniale. Apud Jurisperitos vero culpa idem est, ac omissio alicujus diligentiæ, unde sequitur quodpiam damnum proximo. Et potest facile contingere, quod hujusmodi culpa juridica seu civilis sit homini involuntaria, & omni peccato coram Deo vacet: veluti si ex naturali oblivione librum tibi commodatum in publico loco reliquisti, unde sequitur ejus amissio, culpam juridicam commisisti, quamvis coram Deo nihil peccaveris, ob hujusmodi naturalem inadvertentiam.

35. Differt autem Culpa hujusmodi a Casu, & Dolo: nam culpa quæcunque civilis potest caveri diligentia hominis, cum sit omissio illius diligentiæ, quam homines diligentes, vel saltem diligentissimi talis status, & conditionis, adhibere solent. Casus autem est rei inopinatæ eventus, qui neque a diligentissimo prævideri, & caveri potest: sic casu fortuito fiunt, quæ contingunt per bellum, furtum latronum, terræmotum, gelu, grandinem, fulmina, & his similia. Dolus vero dicitur omnis calliditas, fallacia, & machinatio ad circumveniendum, fallendum, & decipiendum alterum adhibita, *L. 1. ff. De dolo malo.*

36. Porro culpa juridica, seu civilis, communiter dividitur in culpam latam, levem, & levissimam. *Culpa lata* est omissio ejus diligentiæ & circumspectionis, quam patiam homines ejusdem conditionis adhibere solent: qualis foret, si quis librum commodatum relinqueret foris ante ostium, qui proinde perditur. Et talis culpa lata, licet dolus propriæ non sit, tamen in Jure æquiparatur dolo, *L. 1. ff. Si mensor falsum &c.* ibi: *Lata culpa plane dolo comparabitur.* cum concordantiis. *Culpa levis* est omissio ejus diligentiæ, & circumspectionis, quam solent homines diligentiores illius conditionis, vel artis adhibere: & talis culpa foret illius, qui librum sibi commodatum intra cubiculum relinqueret, ostio minime aperto; nam homines diligentiores solent claudere januam. *Culpa* tandem *levissima* est omissio ejus diligentiæ, quam diligentissimi & prudentissimi adhibent: qualis foret ejus, qui librum sibi commodatum intra cubiculum relinquens clausit quidem ostium, sed non tentavit manu, an illud bene sit obseratum: prout hasce culpas exemplificat Navarrus *c. 17. Manualis, nu. 178.* & alii. His prænotatis, sit

37. CONCL. II. Si res apud Commodatarium, aut Depositarium fortuito casu pereat, ad nullam ipse restitutionem tenetur (nam quælibet res domino suo perit) nisi aliter expresse fit conventum, aut ipse fuerit in mora reddendi, vel nisi ex sua culpa fuerit data occasio tali casui fortuito. Ita Doctores communiter, & habetur expressum in Jure Canonico *cap. un. de Commodato*, ibi: *Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur: licet casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel interveneit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari.* Hæc ibi.

38. Additur notanter I. *Nisi aliter expresse sit conventum*: nam si pactum intervenit de præstando seu refarciendo damno, quomodocunque res pereat, tenebitur quis etiam de casu fortuito, eo quod periculum rei in se susceperit, seque obligaverit ad quodcunque damnum refarciendum: siquidem *contractus ex conventione legem accipiunt. Reg. 84. Juris in 6.*

39. Additur II. *Nisi fuerit in mora reddendi*: Quia si quis tardaverit reddere domino Commodatum post expletum ejus usum, vel Depositum, postquam illud dominus repetivit, sicque fuerit in mora reddendi, tenebitur etiam de casu fortuito: nam *mora sua cuilibet est nocua, Reg. 14. Juris in 6.* Intellige, nisi res eodem modo fuisset peritura apud dominum; quia tunc non censeretur domino fuisse causa damni, sicque non obligaretur ad recompensationem damni. Lessius *lib. 4. cap. 7. nu. 38.* & alii.

40. Additur III. *Nisi casus fortuitus sua culpa acciderit*: prout fieret, si vas argenteum, tibi pro convivio in civitate celebrando commodatum, tecum accepisti peregre profectus, sicque illud in naufragio, vel prædonum incursu perdidisti: nam tunc teneris de hoc casu fortuito, utpote qui tua culpa accidit, quia commodatum sine li-

centia commodantis foras extulisti. Et hæ tres limitationes expresse habentur *in cit. cap. nn. de Commodato.*

41. CONCL. II. Sistendo intra limites Juris naturalis, nemo tenetur de damno dato in re alterius, etiamsi sit apud ipsum ex contractu, nisi ob dolum aut culpam latam, sive, nisi res illa pereat apud ipsum ex tinta sua negligentia seu culpa, quæ sit peccatum mortale. Ita Lessius *l. c. n.* 38. cum aliis. Notanter dicitur: *sistendo intra limites Juris naturalis*, propter sequentem Conclusionem: unde sit

42. CONCL. III. Spectando tamen leges humanas, aliter de hoc est discurrendum. Siquidem, loquendo de Commodato, *cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur*, ut habetur *cit. cap. nn. de Commodato*, cum concordantiis. E contra vero Depositarius ordinarie tenetur solum præstare dolum, & culpam latam, *arg. l. 1. C. Depositi*, ibi: *Qui depositum accepit, dolum solum & latam culpam præstare debuit*, & tenent Doctores communiter. Ratio diversitatis inter Commodatarium, & Depositarium est: quia Depositum regulariter fit gratia solius deponentis, ut illud ipsi secure asservetur: Commodatum vero gratia solius Commodatarii, cujus necessitati atque indigentiæ per rem commodatam quis subvenit: atqui naturalis æquitas postulat, ut major adhibeatur diligentia in custodienda re aliena, quam quis gratis ad solam suam utilitatem accepit, quam si eam accepisset ob alterius duntaxat gratiam & utilitatem; ergo.

43. Porro ut tota hæc materia clarius præ oculis habeatur, en tibi tres Regulas, quas Doctores passim assignant, atque desumunt ex variis textibus utriusque Juris. I. Regula est: in contractibus, qui celebrantur gratia damni tantum (prout regulariter loquendo sit in Deposito) præstatur dolus, & culpa lata solum: exceptis tamen quibusdam contractibus, nempe Tutelæ, Mandati, & Negotiorum gestorum, in quibus ob specialem rationem etiam præstatur culpa levis, ut dicitur *l. Contractus, ff. de Regulis Juris*, & amplius explicant Juristæ.

44. II. Si contractus fiat gratia recipientis tantum (prout regulariter fit in Commodato) tunc præstatur non solum dolus & culpa lata, sed etiam culpa levis atque levissima, *arg. cit. c. nn. de Commodato*. Excipe Precarium, in quo, quia totaliter ex liberalitate concedentis descendit, atque ab libitum ejus quolibet tempore revocari potest, nonnisi dolus & culpa lata præstatur, *text. clar. l. Quæsitum, §. Eum quoque, ff. de precario.*

45. III. Quod si vero contractus fiat gratia utriusque (prout contingit in Pignore, quod datur & gratia Creditoris, ut ei fiat assecuratio rei creditæ; & gratia Debitoris, ut ei sub assecuratione pignoris quidpiam mutuo concedatur) tunc præstatur dolus & culpa lata, simulque culpa levis, non autem levissima, *arg. l. Si ut certo, §. Nunc videndum est, ff. Commodati*, & tenent Doctores communiter. Verum occasione præmissorum

46. Quæres I. An datæ Regulæ, seu leges, obligant in conscientia ante sententiam Judicis ad reparationem damni, ex culpa duntaxat levi, & levissima data? Et notanter additur, *ex culpa duntaxat levi, vel levissima*: nam si detur damnum ex dolo, vel culpa lata (qualis, ut dictum, dolo æquiparatur) certum est, adesse obligationem in conscientia resarciendi damnum tertio illatum in contractibus, non minus, ac extra illos.

47. Resp. Quamvis probabilior, & communior sit sententia, dictas leges statuentes obligationem restituendi ratione damni, ob culpam levem, vel levissimam in contractibus dati, obligare in conscientia, & ante sententiam Judicis; nihilominus opposita sententia, negans talem obligationem in conscientia, saltem antequam ab altera parte exigatur, vel etiam ante sententiam Judicis, non est improbabilis, præsertim loquendo de damno ex culpa levissima dato. Ita Lugo *disp. 8. de justit. & jure, sect. 8. n.* 105. Lessius *lib. 2. cap. 7. num.* 42. & in simili Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp. 37. n.* 4. citatis aliis. Ratio prioris partis est: quia ejusmodi obligatio non tam descendere videtur ex pacto, quam ex natura contractus, prout argumentatur Navarrus *c. 17. Manualis n.* 184. contra Sotum: nam hoc ipso, quod quis ineat talem contractum, censetur se obligare ad præstandam eam diligentiam, quam leges & natura talis contractus requirunt.

48. Altera pars, quæ negat talem obligationem in conscientia, saltem antequam exigatur reparatio damni a parte adversa, vel etiam ante sententiam Judicis ex eo suadetur; quia prædictæ leges contractuum non videntur cum tanto rigore in Foro conscientiæ receptæ: nemo enim est, qui pignori, vel rei conductæ, aut etiam commodatæ putat se majorem custodiam debere ex Justitia, ac pro Foro conscientiæ, quam dominus ipse adhibere solet. Accedit, quod potius censeatur esse casus fortuitus, saltem pro Foro conscientiæ, si ob culpam levissimam, quæ propter naturalem oblivionem & inadvertentiam accidere potest, perit res aliena tibi commodata, absque ulla tua culpa Theologica.

49. Quæres II. Quid juris, quando dubium existit, an culpa tua damnum acciderit? Resp. Quando depositarius, vel Commodatarius rationabiliter dubitat, an Depositum vel Commodatum sua culpa perierit, necne, satis convenit inter Doctores, quod is non teneatur in conscientia ad aliquam restitutionem: tum quia in dubio non præsumitur delictum: tum etiam, quia in dubio melior est conditio possidentis. In Foro tamen externo, si res Depositarii manserint incolumes, præsumitur de dolo, *arg. cap. 1. de Deposito*, ibi: *Bona fides abesse præsumitur, si rebus tuis salvis existentibus, depositas amisit*: juncta *l. Quod Nerva, ff. Depositi*, cum concordantiis. Quod ultimum intelligendum est, nisi Depositarius probet, Depositum casu periisse, vel non potuisse simul cum rebus suis, imminente v.g. incendio, salvari: tum enim cessaret præsumptio doli.

50. Quæres III. Utrum Depositarius, vel Commodatarius possit subvenire propriis rebus, vel potius teneatur salvare res depositas vel commodatas, si utrasque ob casum fortuitum, ut puta ob exortum improvisum incendium, aut irruptionem hostium, salvare nequeat? Resp. Hic opus esse distinctione: nam si res tuæ sint pretiosiores aliis depositis, vel commodatis, fatentur omnes, quod possis præferre tuas pretiosiores aliis minus pretiosis, si ambas salvare nequeas; maxime cum quilibet magis teneatur diligere se, quam alium, Abbas *cap. 2. de Deposito*, & alii. Quod si vero res depositæ, vel commodatæ, sint pretiosiores tuis, teneris eas præferre rebus tuis vilioribus, easque salvare tuis mimoris momenti relictis: quia hoc suadet Prudentia, & æquitas naturalis.

51. Notat tamen Lessius *lib. 2. cap. 27. num.* 28. & Layman *l. 3. tract. 4. cap. 7. num. 7.* quod si Depositarius, vel Conductor, aliena propriis præferendo, passus fuerit jacturam, is possit petere compensationem damni sibi emergentis, eo quod nulli officium suum debeat esse damnosum. Secus est in Commodatario: nam cum in hujus solius gratiam Commodatum sit factum, tenetur is Commodantem servare indemnem, etiam diligentissime custodiendo res sibi commodatas.

DISTINCTIO III.

De Testamentis, & ultimis Voluntatibus.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Testamentum, & quæ ejus requisita?

SUMMARIUM.

1 *Testamentum, quid?*
2 *Dividitur in solemne, & minus solemne, seu privilegiatum,*
3 *Paganum, & militare. Testamentum scriptum, seu clausum, & Testamentum nuncupativum, quid?*
4 *Hoc a Notario solet redigi in scripturam, cur?*
5 *Ad Testamentum solemne scriptum requiruntur plura. 1. Hæredis institutio.*
6 *II. Septem Testes.*
7 *III. Ut Testes sint legitimi; & qui sint tales?*
8 *IV. Ut Testes sint rogati.*
9 *V. Subscriptio, & subsignatio Testamenti.*
10 *VI. Unitas contextus &c.*
11 *Ad Testamentum nuncupativum, quæ requirantur?*

1. CONCL. I. *Testamentum* juxta nominis etymologiam idem est, ac *testatio mentis*; & recte definitur *L. 1. ff. de Testamentis*, dicendo: *Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod post mortem nostram fieri voluerimus*. Quamvis enim aliqui majoris claritatis gratia addere soleant ly *cum directa hæredis institutione*; tum

centia commodantis foras extulisti. Et hæ tres limitationes expresse habentur *in cit. cap. nn. de Commodato.*

41. CONCL. II. Sistendo intra limites Juris naturalis, nemo tenetur de damno dato in re alterius, etiamsi sit apud ipsum ex contractu, nisi ob dolum aut culpam latam, sive, nisi res illa pereat apud ipsum ex tinta sua negligentia seu culpa, quæ sit peccatum mortale. Ita Lessius *l. c. n.* 38. cum aliis. Notanter dicitur: *sistendo intra limites Juris naturalis*, propter sequentem Conclusionem: unde sit

42. CONCL. III. Spectando tamen leges humanas, aliter de hoc est discurrendum. Siquidem, loquendo de Commodato, *cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur*, ut habetur *cit. cap. nn. de Commodato*, cum concordantiis. E contra vero Depositarius ordinarie tenetur solum præstare dolum, & culpam latam, *arg. l. 1. C. Depositi*, ibi: *Qui depositum accepit, dolum solum & latam culpam præstare debuit*, & tenent Doctores communiter. Ratio diversitatis inter Commodatarium, & Depositarium est: quia Depositum regulariter fit gratia solius deponentis, ut illud ipsi secure asservetur: Commodatum vero gratia solius Commodatarii, cujus necessitati atque indigentiæ per rem commodatam quis subvenit: atqui naturalis æquitas postulat, ut major adhibeatur diligentia in custodienda re aliena, quam quis gratis ad solam suam utilitatem accepit, quam si eam accepisset ob alterius duntaxat gratiam & utilitatem; ergo.

43. Porro ut tota hæc materia clarius præ oculis habeatur, en tibi tres Regulas, quas Doctores passim assignant, atque desumunt ex variis textibus utriusque Juris. I. Regula est: in contractibus, qui celebrantur gratia damni tantum (prout regulariter loquendo sit in Deposito) præstatur dolus, & culpa lata solum: exceptis tamen quibusdam contractibus, nempe Tutelæ, Mandati, & Negotiorum gestorum, in quibus ob specialem rationem etiam præstatur culpa levis, ut dicitur *l. Contractus, ff. de Regulis Juris*, & amplius explicant Juristæ.

44. II. Si contractus fiat gratia recipientis tantum (prout regulariter fit in Commodato) tunc præstatur non solum dolus & culpa lata, sed etiam culpa levis atque levissima, *arg. cit. c. nn. de Commodato*. Excipe Precarium, in quo, quia totaliter ex liberalitate concedentis descendit, atque ab libitum ejus quolibet tempore revocari potest, nonnisi dolus & culpa lata præstatur, *text. clar. l. Quæsitum, §. Eum quoque, ff. de precario.*

45. III. Quod si vero contractus fiat gratia utriusque (prout contingit in Pignore, quod datur & gratia Creditoris, ut ei fiat assecuratio rei creditæ; & gratia Debitoris, ut ei sub assecuratione pignoris quidpiam mutuo concedatur) tunc præstatur dolus & culpa lata, simulque culpa levis, non autem levissima, *arg. l. Si ut certo, §. Nunc videndum est, ff. Commodati*, & tenent Doctores communiter. Verum occasione præmissorum

46. Quæres I. An datæ Regulæ, seu leges, obligant in conscientia ante sententiam Judicis ad reparationem damni, ex culpa duntaxat levi, & levissima data? Et notanter additur, *ex culpa duntaxat levi, vel levissima*: nam si detur damnum ex dolo, vel culpa lata (qualis, ut dictum, dolo æquiparatur) certum est, adesse obligationem in conscientia resarciendi damnum tertio illatum in contractibus, non minus, ac extra illos.

47. Resp. Quamvis probabilior, & communior sit sententia, dictas leges statuentes obligationem restituendi ratione damni, ob culpam levem, vel levissimam in contractibus dati, obligare in conscientia, & ante sententiam Judicis; nihilominus opposita sententia, negans talem obligationem in conscientia, saltem antequam ab altera parte exigatur, vel etiam ante sententiam Judicis, non est improbabilis, præsertim loquendo de damno ex culpa levissima dato. Ita Lugo *disp. 8. de justit. & jure, sect. 8. n.* 105. Lessius *lib. 2. cap. 7. num.* 42. & in simili Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp. 37. n.* 4. citatis aliis. Ratio prioris partis est: quia ejusmodi obligatio non tam descendere videtur ex pacto, quam ex natura contractus, prout argumentatur Navarrus *c. 17. Manualis n.* 184. contra Sotum: nam hoc ipso, quod quis ineat talem contractum, censetur se obligare ad præstandam eam diligentiam, quam leges & natura talis contractus requirunt.

48. Altera pars, quæ negat talem obligationem in conscientia, saltem antequam exigatur reparatio damni a parte adversa, vel etiam ante sententiam Judicis ex eo suadetur; quia prædictæ leges contractuum non videntur cum tanto rigore in Foro conscientiæ receptæ: nemo enim est, qui pignori, vel rei conductæ, aut etiam commodatæ putat se majorem custodiam debere ex Justitia, ac pro Foro conscientiæ, quam dominus ipse adhibere solet. Accedit, quod potius censeatur esse casus fortuitus, saltem pro Foro conscientiæ, si ob culpam levissimam, quæ propter naturalem oblivionem & inadvertentiam accidere potest, perit res aliena tibi commodata, absque ulla tua culpa Theologica.

49. Quæres II. Quid juris, quando dubium existit, an culpa tua damnum acciderit? Resp. Quando depositarius, vel Commodatarius rationabiliter dubitat, an Depositum vel Commodatum sua culpa perierit, necne, satis convenit inter Doctores, quod is non teneatur in conscientia ad aliquam restitutionem: tum quia in dubio non præsumitur delictum: tum etiam, quia in dubio melior est conditio possidentis. In Foro tamen externo, si res Depositarii manserint incolumes, præsumitur de dolo, *arg. cap. 1. de Deposito*, ibi: *Bona fides abesse præsumitur, si rebus tuis salvis existentibus, depositas amisit*: juncta *l. Quod Nerva, ff. Depositi*, cum concordantiis. Quod ultimum intelligendum est, nisi Depositarius probet, Depositum casu periisse, vel non potuisse simul cum rebus suis, imminente v.g. incendio, salvari: tum enim cessaret præsumptio doli.

50. Quæres III. Utrum Depositarius, vel Commodatarius possit subvenire propriis rebus, vel potius teneatur salvare res depositas vel commodatas, si utrasque ob casum fortuitum, ut puta ob exortum improvisum incendium, aut irruptionem hostium, salvare nequeat? Resp. Hic opus esse distinctione: nam si res tuæ sint pretiosiores aliis depositis, vel commodatis, fatentur omnes, quod possis præferre tuas pretiosiores aliis minus pretiosis, si ambas salvare nequeas; maxime cum quilibet magis teneatur diligere se, quam alium, Abbas *cap. 2. de Deposito*, & alii. Quod si vero res depositæ, vel commodatæ, sint pretiosiores tuis, teneris eas præferre rebus tuis vilioribus, easque salvare tuis mimoris momenti relictis: quia hoc suadet Prudentia, & æquitas naturalis.

51. Notat tamen Lessius *lib. 2. cap. 27. num.* 28. & Layman *l. 3. tract. 4. cap. 7. num. 7.* quod si Depositarius, vel Conductor, aliena propriis præferendo, passus fuerit jacturam, is possit petere compensationem damni sibi emergentis, eo quod nulli officium suum debeat esse damnosum. Secus est in Commodatario: nam cum in hujus solius gratiam Commodatum sit factum, tenetur is Commodantem servare indemnem, etiam diligentissime custodiendo res sibi commodatas.

DISTINCTIO III.

De Testamentis, & ultimis Voluntatibus.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Testamentum, & quæ ejus requisita?

SUMMARIUM.

1 *Testamentum, quid?*
2 *Dividitur in solemne, & minus solemne, seu privilegiatum,*
3 *Paganum, & militare. Testamentum scriptum, seu clausum, & Testamentum nuncupativum, quid?*
4 *Hoc a Notario solet redigi in scripturam, cur?*
5 *Ad Testamentum solemne scriptum requiruntur plura. 1. Hæredis institutio.*
6 *II. Septem Testes.*
7 *III. Ut Testes sint legitimi; & qui sint tales?*
8 *IV. Ut Testes sint rogati.*
9 *V. Subscriptio, & subsignatio Testamenti.*
10 *VI. Unitas contextus &c.*
11 *Ad Testamentum nuncupativum, quæ requirantur?*

1. CONCL. I. *Testamentum* juxta nominis etymologiam idem est, ac *testatio mentis*; & recte definitur *L. 1. ff. de Testamentis*, dicendo: *Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod post mortem nostram fieri voluerimus*. Quamvis enim aliqui majoris claritatis gratia addere soleant ly *cum directa hæredis institutione*; tum

ad exprimendam differentiam Testamenti a Codicillo, & aliis ultimis Voluntatibus; tum quia institutio hæredis est veluti caput, atque fundamentum totius Testamenti: nihilominus Jurisconsulti hanc particulam subintelligi volunt sub ly *justa sententia*, id est, legitima, sive Juri consona, & habens omnes solemnitates Juris, inter quas est directa hæredis institutio.

2. CONCL. II. Testamentum varie dividitur, & in primis aliud est perfectum seu solemne, cui quadrat proxime data definitio: aliud minus solemne seu privilegiatum, quod etsi careat solemnitatibus a Jure communi cæteroquin requisitis, tamen ex privilegio valet: ut est Testamentum ad pias causas, testamentum inter liberos conditum, Testamentum militare, aut fictum tempore pestis, vel coram Principe, sive apud Acta Judicis, de quibus infra *Quæst.* 3.

3. Rursus testamentum dividitur in paganum, & militare: hoc fit a militibus in castris, illud domi in pace. Testamentum paganum, ac solemne, dividitur ulterius in scriptum seu clausum, & in nuncupativum. *Testamentum scriptum*, seu *clausum* sic dicitur, quod scripto fiat servata debita forma Juris: & hujusmodi Testamentum scriptum, seu clausum, præcipue tunc fit, quando Testator latere vult id, quod in Testamento continetur; prout notatur *l. Hæc consultissima*, *C. de Testamen.* Porro *Testamentum nuncupativum* (vulgo, *testamentum quod oretenus pronunciatur*) dicitur illud, quo Testator non interveniente scriptura coram testibus ad hoc convocatis nuncupat, seu oretenus exprimit nomen hæredis, quidque aliud de suis bonis post mortem fieri velit.

4. Notat tamen Layman *lib. 3. tract. 5. 1. n. 3.* cum aliis, quod hodie nuncupatio talis coram testibus facta, plerumque a Notario publico soleat in scripturam redigi: non quidem ad substantiam actus servandam, sed ad melioremve rei gestæ comprobationem, ac Testamenti securitatem: quia fieri potest, ut testes interim moriantur, vel inhabiles reddantur, quo minus coram Judice voluntatem Defuncti declarare valeant, quorum defectum abunde supplet publicum instrumentum Notarii.

5. CONCL. III. Ad testamentum solemne scriptum, seu clausum, sequentia requiruntur. I. Hæredis institutio; siquidem *institutio hæredis est veluti caput, atque fundamentum totius testamenti, §. Ante hæredis. Instituta. de Legatis*; ac proinde spectat ad ejus substantiam: & *alioquin inutile est testamentum, in quo nemo hæres instituitur*, ut dicitur §. *In primis. Instit. de Fideicommissar. hæredit.* cum concordantiis. Et per hanc conditionem præcipue differt Testamentum a Codicillo, & aliis ultimis Voluntatibus, eo quod in Testamento fiat directa hæredis institutio, non item in Codicillo.

6. II. Requiruntur septem testes. Et quidem loquendo de Foro externo, ac quantum est de Jure Civili, numerus septenarius testium non tantum est de forma probatoria, sed etiam de substantia Testamenti; adeo quidem, ut si unus deficiat, Testamentum Jure Civili corruat, *arg. l. Si unus, Cod. de Testamentis*, ibi: *Si unus de septem testibus defuerit, deficit testamentum*. Covarruvias *cap. 10. de Testam. num. 14.* Bartolus, Jason, & alii.

7. III. Requiritur, ut hujusmodi testes sint legitimi; id est, tales, qui de Jure non prohibentur esse testes in Testamento. Et isti, quantum est de Jure Civili, ac loquendo de Testamento ad causas profanas, debent esse homines liberi, masculi, puberes, & nonnullis aliis qualitatibus præditi, de quibus fit mentio §. *Testes*, & *6. Pater*, *Instit. de Testam.* Hinc in tali Testamento nequit testis esse femina, neque pupillus, neque servus seu mancipium, neque furiosus, neque prodigus declaratus, neque infamis, neque surdus & cæcus. Imo etiam Monachus nequit esse testis, nisi accedente licentia Superioris sui. Insuper in ejusmodi testamento testes esse non possunt, qui sub potestate Testatoris sunt, aut qui in illo Testamento hæredes instituuntur (bene tamen ii, quibus duntaxat aliquid legatur) nec qui existunt in potestate hæredum: *Reprobatum est enim hoc in re domesticum testimonium*, ut habetur *cit.* §. *Pater*, *Instit. de Testamentis*.

8. IV. Requiritur, quod testes fint rogati, ut sic excludatur omnis suspicio, ac subornatio. Rogare autem in proposito nihil aliud est, quam testes certiorare, quare sint huc convocati: unde non sufficerent Testes fortuiti, vel transeuntes duntaxat, nisi etiam dicto modo rogarentur seu certiorarentur.

9. V. Requiritur subscriptio, & subsignatio hujusmodi testium. Nam in testamento scripto necesse est, ut testibus præsentibus Testator tum esse Testamentum dixerit, quod offertur, eoque ipse Testator in primis coram testibus sua manu in reliqua parte subscripserit: quo facto etiam testes uno eodemque die, ac tempore subscribere, & sigillis suis Testamentum consignare debent. Quod si vero Testator litteras ignoret, vel ob infirmitatem, aut aliam quamcunque causam, subscribere nequeat, tunc octavus subscriptor pro eo adhibendus est, prout expresse statuitur *cit. l. Hæc consultissima*, *C. de Testamentis*.

10. VI. Requiritur unitas contextus; quod nempe hæc omnia fiant uno eodemque continuo, & non interrupto tempore, absque alterius negotii interpositione, aut dilatione; nisi forsan ob necessaria naturæ aliud fieri deberet, idque leve foret. Tandem etiam requiritur, quod testes omnes simul præsentes sint, ipsumque testatorem videant, & audiant: prout omnes hæc Testamenti solemnia scripti conditiones uberius explicant Jurisperiti.

11. CONCL. IV. Ad Testamentum nuncupativum ferme eædem requiruntur conditiones, quæ ad Testamentum scriptum; dummodo demantur scriptura Testamenti, & subscriptio, ac subsignatio testium, loco quorum requiritur, ut testator coram septem testibus simul præsentibus (ut supra) nuncupet, seu oratenus exprimat nomen hæredis, quidque aliud de bonis suis post mortem fieri velit. Patet hoc ex *cit. l. Hæc consultissima.* §. *Per nuncupationem*, *C. de Test.* & §. *Sed hæc quidem*, *Instit. eod.*

QUÆSTIO VII.

An Testamentum non privilegiatum in Foro conscientiæ validum sit, si ei desint solemnitates Juris Civilis?

SUMMARIUM.

12 *Rationes asserentium, tale Testamentum in Foro conscientiæ esse invalidum.*

13 *Fundamenta oppositæ sententiæ, seu quod tale Testamentum validum sit.*

14 *Corollarium hujus sententiæ.*

15 *Tertia sententia media, asserens.*

16 *Ejusmodi Testamentum in foro conscientiæ validum ante sententiam Judicis.*

(c) Juxta dicta Dist. 1. n. 34.

17 *Invalidum, quatenus rescindi debet per sententiam Judicis.*

18 *Solvuntur rationes prima sententiæ.*

(d) Dist. 1. n. 34.

19 *Satisfit rationibus secundæ extremæ sententiæ.*

12. Circa resolutionem hujus celebris Quæstioni practicæ admodum variant Doctores, & generatim in tres diversas abeunt sententias. Prima est Covarruviæ *c. 10. de Testament. num. 12. & 19.* Herincx *disp. 2. quæst. 4. de Testament. nu. 60.* Vasquezii, & quorundam aliorum, qui docent, hujusmodi Testamentum etiam in Foro conscientiæ invalidum esse; ut proinde hæres in tali Testamento institutus, & Legatari (id est, ii, quibus aliquid in Testamento illo est legatum) teneantur ad restitutionem, hæredibus ab intestato venientibus faciendam, omnium eorum, quæ ex tali Testamentum acceperunt. Rationem dant: Tum quia jus civile hujusmodi Testamenti vult haberi pro infecto; illudque ait fine dubio nullum esse; ut patet ex *cit. l. Hæc consultissima C. de Testam.* ibi: *Existimperfecto testamento voluntatem tenere defuncti, nisi inter solos liberos a parentibus utriusque sexus habeatur, non volumus*, juncta *leg. Si unus, Cod. eod.* Tum quia, si talia Testamenta in Foro conscientiæ essent valida, inique judices facerent ea infringendo, imo foverent apertam injustitiam, dum hæredibus ab intestato adjudicant bona defuncti, quæ aliis hæredibus in Testamento relicta sunt.

13. Secunda sententia est Lessii *lib. 2. de just. & jure, cap. 19. dubit. 3. num. 12.* Sanvig. *disp. 12. de just. quæst. 3. num. 9.* Mastrii *disp. 2. Theol. Moral. num. 52.* & plurium aliorum. Et hæc sententia immediate tenet oppositum priori, dum docet, tale Testamentum in foro conscientiæ validum esse, & licite retineri, quod ex tali Testamento possidetur, sive titulo hæreditatis sive ligati. Idque probari solet tum authoritate plurium Theologorum, hanc sententiam tenentium: tum ex eo, quia Leges irritantes Testamenta debitis solemnitatibus destituta, fundantur in præsumptione fraudis, §. 1. *Instit. de Testam.* ergo ubi fraus abest, etiam ipsæ leges cessant obligare; cum præsumptio cedat veritati. Et hinc *l. Quæsitum*, *Cod. de fideicommiss.* confessio hæredis juxta absque alia solemnitate sufficit, ut is teneatur solvere Fidei commissum, nec auditur volens se tueri ex minus solemni voluntate. Et simile quid habetur *lege Non dubium*, *C. de Testamentis*, ubi approbatio hæredis sa-

eit, ut is teneatur solvere Legata, & Fideicommissa, ex inutili Testamento relicta.

14. Ex qua sententia proinde infert citatus Lessius *n. 21. & seqq.* hæredem ab intestato, si sciat voluntatem Defuncti, teneri restituere hæreditatem, & solvere Legata illis, quibus Testamento minus solemni debentur. Item infert, quod si hæresab intestato retineat hæreditatem & Legata, possint illi, quibus aliquid per tale testamentum fuit relictum, uti occulta compensatione; cum revera res illæ sint ipsorum.

15. Tertia tandem sententia, quam præ cæteris probabilem, & in praxi expeditam, ac tutam censet Layman *l. 1. tract. 4. cap. 17.* & tenet Dominicus Sotus cum nonnullis aliis, est media inter duas præmissas sententias; quæ docet, ejusmodi Testamentum quadam ratione esse validum, & quadam invalidum. Validum quidem, antequam per sententiam Judicis irritetur, seu irritum declaretur. Invalidum vero, quatenus ejusmodi Testamentum minus solemne potest, imo & debet, per sententiam Judicis irritum declarari, ac rescindi, si lis super eo mota fuerit, & ad Judicium sæculare deferatur.

16. Ratio hujus tertiæ sententiæ, quæ præ cæteris placet, utpote probabilior, desumitur ex eo: quia in primis hanc videntur convincere fundamenta præmissæ utriusque extremæ sententiæ, utpote quarum prior habet locum post sententiam Judicis, posterior vero ante sententiam Judicis. Confirmatur: & ulterius prima pars, qua dicitur, tale Testamentum carens solemnitatibus Juris Civilis esse validum pro Foro conscientiæ ante sententiam Judicis, probatur ex eo: quia in tali Testamento saltem adest obligatio naturalis, donec exceptione Legis Civilis elidatur: atqui obligatio naturalis sufficit ad transferendum dominium; (c) ergo Testamentum illud transfert dominium, sicque est validum, donec per leutentiam Judicis irretur. Unde infertur, quod hæres in Testamento minus solemni institutus possit rem sibi relictam juste retinere, donec ab ipso per sententiam Judicis repetatur.

17. Secunda pars tertiæ sententiæ, qua dicitur, tale Testamentum minus solemne in tantum esse invalidum, quatenus debet rescindi per sententiam Judicis, probatur ex eo: Quia Testamentum imperfectum est invalidum secundum Jus Civile: atqui Judex debet Judicare secundum Leges, ac Jus Civile, ergo. Accedit quod lex, ac sententia Judicis secundum leges judicantis si est justa in Foro externo, sit etiam justa in Foro conscientiæ, nisi fundetur in falsa præsumptione; prout allegatis pluribus Authoribus docet Sanchez *l. 1. in Decal. c. 10. n. 11.* & Layman *l. c. n. 8.* ergo etiam sententia Judicis, quæ secundum Leges Civiles irritat Testamentum minus solemne, erit justa; & consequenter Testamentum illud post sententiam Judicis invalidum, etiam in Foro conscientiæ.

18. Quod si contra hanc sententiam objciantur, atque urgeantur fundamenta utriusque extremæ sententiæ; Resp. in primis ad textus *n. 12.* allegatos, Leges Cæsareas Testamentis minus solemnibus resistere tantum civiliter, non autem naturaliter. Porro effectus obligationis naturalis præcipuus est ille, quod cuipiam jus tribuat accipiendi, & retinendi illud, quod naturaliter sibi debetur, si id nulla opposita exceptione solvatur, prout jam dictum superius. (d) Quia vero obligatio naturalis duplex est; una omnino efficax, altera aliquo modo inefficax, utpote quæ per exceptionem ex beneficio Legis Civilis elidi potest, ut advertit cit. Layman *c. 9. n. 9.* hinc dicendum, Testamenta minus solemnia, habere obligationem naturalem dumtaxat aliquo modo inefficacem; quæ proinde per exceptionem ex beneficio Legis, ac secutam sententiam Judicis elidi potest.

19. Resp. deinde ad fundamenta alterius sententiæ *n. 13.* allata. Ad primum distinguitur antecedens: Leges illæ fundantur in præsumptione fraudis universalis, conceditur; in præsumptione fraudis particularis, negatur. Unde quia adhuc subest præsumptio fraudis universalis, hoc est, talis præsumptio, quæ generatim de fraudibus circa Testamenta ob avaritiam hominum facile contingentibus concipitur, Jure ad præcavendum eisdem fraudibus sic disponente, rite per sententiam judicis Testamenta minus perfecta rescindi possunt. Ad alterum dicitur, illud esse speciale: quia hæres jurato confitens, hanc fuisse voluntatem Defuncti, aut approbans Legata ex inutili Testamento relicta, hoc ipso censetur voluntatem Defuncti agnoviss, & ratam habere: sicque noluit Jus Civile, obligationem naturalem talis ultimæ voluntatis per sententiam Judicis rescindi.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De Testamentis ad pias causas, aliisque privilegiatis.

SUMMARIUM.

20 *Testamenta privilegiata, quæ? Testamentum ad pias causas, quod?*
21 *Ad hoc quanam requirantur, & sufficiant?*
22 *Duo Testes in Testamento ad pias causas non sunt de forma substantiali, sed probatoria.*
23 *Hinc scriptum manu Testatoris, valet absque alio Teste.*
24 *Idem, si hæredi certo constet de dispositione ejus ad pias causas.*
25 *Quid juris, si morituus cœpit facere Testamentum, & non absolvit?*
(c) Num. 21. & 22.
26 *Solvitur instantia.*
27 *An credendum Parocho, vel Confessario circa Legata pia a defuncto relicta?*
28 *Cautela circa hoc observanda.*
29 *Confessarii non facile interesse debent confectioni Testamenti &c.*
30 *Testamentum inter liberos est privilegiatum.*
31 *Testamentum militare est privilegiatum, quomodo, & quando?*
32 *Testamentum ad Alta, est privilegiatum.*
33 *Quid liceat hominibus rusticis?*
34 *Quid juris de Testamento tempore pestis?*
35 *Limitatio notabilis superadditorum.*

20. *Testamenta privilegiata* dicuntur ea, in quibus vel nulla Juris Civilis solemnitas, vel non tam plena & perfecta, sicut in aliis, requiritur. Et inter hujusmodi Testamenta privilegiata primum sibi locum vindicant Testamenta ad pias causas. Forro *Testamentum ad pias causas* dicitur illud, in quo hæres instituitur pia causa, ut Ecclesia, Monasterium, pauperes: sive, quod principaliter & directe fit ob Dei, & Sanctorum honorem, atque animæ hujus salutem; v. g. quod pro Ecclesiis, aliisque piis locis, vel in captivorum redemptionem, pauperum aut Religiosorum sustentationem, in mortuorum suffragia, & alia hujusmodi pietatis opera factum est.

21. CONCL. I. Ut Testamentum ad pias causas sit validum in Foro tum interno, tum etiam externo, non requiruntur necessario septem testes, aut aliæ solemnitates Juris Civilis, sed sufficiunt ea, quæ sunt de Jure Naturæ, & Gentium; nimirum, ut sit potestas in disponente, capacitas in eo, in cujus favorem disponitur, & libertas in dispositione, simulque adsint duo testes. Ita Covarruvias *cap. 11. de Testam. n. 1.* Lessius *lib. 2. cap. 19. dubit. 2.* efsque communis. Sic enim clare decisum habetur *cap. Relatum, 13. de Testam.* Unde cum hæc materia sit spiritualis, tenendum est Jus canonicum in utroque Foro videlicet tam Ecclesiastico, quam Civili, atque etiam in Terris Romani Imperii: quod ipsum confirmat praxis communiter recepta.

22. CONCL. II. Prædicti duo testes in Testamento ad causas pias non sunt de forma substantiali, sed tantum de probatoria; adeoque ejusmodi Testamentum validum est, etiamsi duo testes non fuerint adhibiti, dummodo aliunde constet de mente Testatoris, sua bona ad pias causas relinquentis. Ita Fagnanus *2. Relatum, nu. 5. & seqq. de Testam.* Covarruvias *l. c. n. 12.* Lessius *num. 7.* Layman *l. 3. tract. 5. cap. 2.* efsque nunc communis Doctorum. Ratio est: quia in Testamentis ad pias causas non procedunt Leges Civiles, ob defectum jurisdictionis: in Jure Canonico autem nullibi habetur Decretum irritans ejusmodi Testamenta, sine duobus Testibus facta ad causas pias; dummodo aliunde certo constet de mente Testatoris, ut puta per propriam ejus scripturam, vel si hæres ipsemet ex ore Testatoris audivit ultimam illius voluntatem, sive certum Legatum relictum ad causas pias. Accedit: quod in simili Testamentum inter liberos, sive scriptum, sive subscriptum manu Testatoris, valeat quoad liberos absque alio teste, *leg. Hac consultissima, §. Ex imperfecto, Codice de Testam.* juncta Auth. seq. Et conformiter dictis,

23. Infertur I. Validum esse Testamentum & quamcunque ultimam Voluntatem ad causas pias manu Testatoris scriptam, vel subscriptam, etiamsi nullus Testis adhibitus fuerit; modo sufficienter constet, esse Testatoris scripturam. Quia, ut dictum, interventus testium non requiritur ad substantiam Testamenti facti ad pias causas, licet sæpe duo vel tres testes requirantur ad probationem, si aliud probationis genus haberi non possit; ergo, dum sufficienter constat, hanc esse Testatoris scripturam, atque ultimam e-

jus voluntatem, valebit ad pias causas absque aliis testibus.

24. Infertur II. Si hæredi certo constet, voluntatem Testatoris fuisse, ut aliquid in pias causas expendatur, eundem in Foro conscientiæ obligatum esse ad satisfaciendum, etsi in Foro externo id nequaquam probari possit. Ratio est: quia tunc probatione opus non est, quando de veritate constat. Layman ibidem *n.* 5. & sequitur ex dictis.

25. CONCL. III. Si morturus cœpit facere Testamentum, vel Codicillum, & morte præventus non absolvit, licet secundum alia tritum sit, valet tamen quoad Legata pia, quæ in sua illa imperfecta dispositione jam expresserat. Ita Abbas Panormit. *cap.* 1. *de Succ. ab intestato*, Covarruvias *cap.* 11. *de Testam. nu.* 14. Barbosa, Layman *n.* 6. & alii. Ratio prioris partis habetur *l. Si ita, qui*, *ff. de Testamentis*, ubi dicitur, *magis esse tolem testamentum facere, quam fecisse*. Verum hoc ipsum patitur quandam limitationem, & valet tale Testamentum, si nomen hæredis jam est expressum: licet secus sit, si quis volens plures hæredes instituere, unius nomen expresserit, & non alterius, ut *l. c.* dicitur, & amplius explicant Juristæ. Ratio secundæ partis est, quia dispositio Juris Civilis quoad Legata ad causas pias non valet, ob rationes proxime (e) dictas.

26. Neque obstat, quod talis Testator adhuc potuerit immutare dispositionem suam. Resp. enim, quamvis id fieri potuisset, tamen re ipsa illud factum non esse: unde cum Testator actu nullam mutationem significaverit, naturali pariter, & Canonico Jure debent talia pia Legata firma permanere: eo præsertim, quod sint pro remedio animæ Testatoris jam defuncti.

27. Quæres, an credendum sit Parocho, vel Confessario, qui post mortem Parochiani, vel confitentis sui, produxit schedulam continentem Legata quædam ad pias causas, quam hominem illum, antequam discederet, scripsisse, vel dictasse asseverat; & num talis dispositio pro ultima legitima voluntate haberi debeat? Resp. I. Si manus Testatoris agnoscitur, vel duobus testibus probari potest, tunc pia ejus voluntas omnimodis est executioni mandanda: cujus ratio patet ex dictis, *n.* 21. & 23.

28. Resp. II. Si ipsemet Parochus, vel Confessarius Legata annotavit, non creditur illi sine alio teste. Ratio est: quia juxta illud Salvatoris *Matth.* 18. & *Luc.* 17. *In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum*. Unde illud commune dictum, *Vox unius, vox nullius, arg. c. Licet & c. In omni, & c. Veniens de Testibus*, juncta *l. jurisjurandi*, *C. eod.* Hinc monendi sunt Parochi, aliique Confessarii, ut ultimas ejusmodi dispositiones ad pias causas non suscipiant, nisi advocatis duobus saltem testibus, masculis, aut fœminis; quamquam etiam unus cum Parocho sufficere poterit, uti notat Layman ibidem.

29. Recte tamen citatus auctor *cap.* 5. *n.* 20. advertit, ad hoc, ut Confessarii, præsertim Religiosi, majore spiritus libertate, & fructu, hominum animas juvare possint, plerumque non expedire, quod confectioni testamentorum ipsi intersint, aut Testatori in particulari suadeant, quibus hæreditas vel Legata relinqui debeant, præsertim proprius Ecclesiis aut Conventibus, sed expediat ferme in genere tantum pias dispositiones commendare: nisi testator consilium petens dirigendus sit, ipsique explicandum, quidnam consideratis omnibus honestius, & ad animæ suæ salutem utilius, Deoque gratius existimetur.

30. CONCL. IV. Quantum ad alia Testamenta privilegiata attinet, secundum inter ea locum obtinet Testamentum inter liberos; id est, illud, quod a patre, matre, aliove utriusque sexus ascendente inter liberos conditum est: valet enim, licet sit imperfectum, & Juris solemnitate destitutum, ut puta quia non interfuerunt septem testes, vel non rogati, aut non masculi &c. dummodo adhuc voluntas Testatoris sufficienter sit declarata. Ita omnes Doctores: estque expressum *l. Hac consultissima*, §. *Ex imperfecto*, *C. de Testam.* cujus verba *n.* 12. relata sunt.

31. Tertium locum inter privilegiata tenet Testamentum militis, quod in bellica expeditione constitutus condidit: nam milites ejusmodi habent privilegium, ut testari valeant, quomodo possunt, ac volunt. Et ideo, quod in vagina, vel clypeo, aut in pulvere inscripserint gladio, sub ipso tempore, quo in præsio vitæ sortem derelinquunt, habetur pro testamento valido, *text. clar. l. Milites*, *C. de Testament. militis*, & §. 1. & *seq. Instit. eod.* Intelligi, dummodo hæc eorum voluntate ultima legitime constet, aut ea per duos testes probari possit. Verum hæc doctrina procedit duntaxat de militibus, dum actu sunt in castris, seu in actuali expeditione bellica: nam domi existentes tenentur testari juxta leges communes, *l. Ne quidem*, *eod.* Testamentum tamen, quod in castris fecerunt, non jure communi, sed juxta privilegium militare, post missionem honestam sibi factam, intra annum tantum valet *l. Ex testamento*, *C. de Testament. milit.* & §. *Sed hactenus*, *Institut. eod.*

32. Quartum locum inter privilegiata tenet Testamentum coram supremo Principe factum, vel eidem per oblatas preces insinuatum, atque ad Acta (ut loquuntur) publica repositum: valet enim absque solemnitate testium; dummodo per subsequens Testamentum non revocetur, neque alius error intervenerit præter defectum testium *l. Omnium C. de Testament.* Siquidem Princeps superat omnes solemnitates testium, ac subscriptionum, ejusque præsentia facit cessare omnem fraudem: simulque apud Acta, nec non coram Judice, semper præsumitur adesse multitudo hominum.

33. Quinto hominibus rusticis concessum est *l. ult. C. de Testam.* ut in locis, in quibus est raritas Litteratorum, non teneantur attendere ad Legum subtilitates, sed possint testari secundum eorum consuetudinem: ita tamen, ut adhibeantur septem testes, si ibi reperiantur; sin autem in eo loco minime inventi fuerint septem testes, sufficiant quinque, non autem pauciores.

34. De Testamento tempore pestis condito dubitant, & variant Doctores, utrum valeat eum minori numero testium, quam septem. Verum alicubi constitutiones municipales, ac præsertim Bavaricæ, expresse declarant, valere ejusmodi Testamentum coram quinque testibus factum a quocunque, in loco, qui ob pestis vehementiam est banizatus: vel si locus necdum quidem sit banizatus, Testator tamen actu est peste infectus.

35. Tandem notandum, quod hactenus dicta locum duntaxat habeant loquendo secundum jus commune Cæsareum, & seclusis specialibus locorum consuetudinibus, statutis, & aliorum Regnorum legibus. Nam in Terris temporali jurisdictioni Papæ, seu Ecclesiæ subjectis, sufficit facere Testamentum secundum formam Juris Canonici, id est, coram Parocho, & duobus aut tribus testibus *c. Cum esset*, *de Testam.* Siquidem, ut habetur *Matth.* 18. *In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum*. Sic etiam Venetiis, & Viennæ in Austria, duos testes sufficere ajunt: ut taceantur specialia quorundam locorum privilegia, statuta, & consuetudines, vi quarum nonnullæ solemnitates ibidem in Testamentis remissæ sunt.

QUÆSTIO I.

An omnes, præsertim Religiosi, eorumque Novitii, testari possint?

SUMMARIUM.

36 *Possunt omnes homines testari, nisi Jure prohibeantur.*
37 *Quales Jure prohibeantur testari?*
38 *Religiosi solemniter professi, nequeunt facere Testamentum.*
39 *Secus de emittentibus Vota simplicia in Societate JESU.*
40 *Excipiuntur Religiosi, habentes a Papa facultatem testandi; Et Ordines militares.*
41 *An Religiosi possint facere donationem mortis causa?*
42 *Novitii Religionum libere testantur.*
43 *Testamenta Novitiorum, an subsint Decreto Concilii Tridentini?*
44 *Sententia negativa; unde valent, quamque tempore fiant.*

36. CONCL. I. Omnibus hominibus libera facultas est de bonis suis testandi, nisi Jure prohibeantur. Ita certa, & communis. *Nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quam ut suprema voluntatis (postquam jam aliud velle non possunt) liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium*, ut dicitur *L. 1. C. de Sacrosanctis Ecclesiis.*

37. Additur tamen limitatio, *Nisi Jure prohibeantur*: Nam imprimis aliqui prohibentur Jure naturali facere Testamentum, eo quod careant usu rationis: uti sunt infantes; item furiosi & amentes nisi pro tempore, quo habent lucida intervalla, *l. Furiosum*, *C. Qui testamenta facere possunt*. Deinde alii testari prohibentur Jure positivo: ut filii, ac filiæ adhuc sub paterna potestate existentes; nisi habeant bona castrensia, vel quasi castrensia. Item impuberes: prodigi a Judice declarati, quibus nempe bonorum administratio est interdicta: surdi & muti simul a natura: Rei criminis læsæ Majestatis, vel proditionis Patriæ, & nonnulli alii, qui referuntur tum §. 1. *ac seqq. Instit. Quibus non est permissum facere testamentum*, tum aliis in locis utriusque Juris. Verum ceteris dimissis, quantum attinet ad Theologiam

Mora-

Moralem, Quæstio præcipua est de Regularibus, nec non & Clericis Beneficiariis.

38. CONCL. II. Prælati Religiosorum Ordinum, aliique Regulares solemniter professi, non possunt condere Testamentum, & factum ab ipsis est irritum, paucis duntaxat casibus exceptis. Ita certa, & communis; atque habetur clarissime *c. quia ingredientibus, 19. q. 3.* juncta *Authent. Ingressi. C. de sacrosanctis Ecclesiis*, & alibi. Ratio est: quia Religiosi propter solemne votum Paupertatis nihil possident proprium, de quo testari possint; cum omnia sint Monasterii.

39. Dicitur notanter in Conclusione, *Regulares solemniter professi*: Siquidem præter Novitios, de quibus infra, etiam illi, qui in Societate Jesu, finito biennio Probationis, duntaxat tria Vota substantialia simplicia emiserunt, adhuc retinent dominium bonorum suorum, possuntque postmodum licite ac valide, accedente licentia suorum Superiorum, de eisdem testari; prout habetur ex Bulla Gregorii XIII. *Ascendente Domino*, & refertur *tom. 2. Bullarii Romani, Const. 89. dicti Pontificis*.

40. Dicitur ulterius, *paucis duntaxat casibus exceptis*: nam hinc excipiuntur illi Religiosi, quibus a Summo Pontifice concessa est facultas testandi: qualis non raro dari solet iis, qui extra Claustrum obtinent Beneficium Ecclesiasticum, præsertim Episcopatum, aut Cardinalatum. Deinde excipiuntur Religiosi ordinum Militarium, qui, cum non voveant tam rigidam Paupertatem, sed bona sua retineant, possunt saltem cum licentia Superioris de bonis, & reditibus suis, Testamentum facere, Pirhing. *tit. de Testam. num. 49.* Nisi dicere velis, hanc testandi facultatem seu jure seu consuetudine, concessam esse Religiosis ordinum Militarium.

41. Addit Sanchez *l. 6. in Decalogum, cap. 8. n. 11.* citans quosdam alios, & sequitur Layman *l. 3. tr. 5. c. 3. n. 4.* valde probabile esse, quod Religiosus cum Prælati licentia (qui tamen hanc ante mortem Religiosi semper revocare valet) possit etiam mortis causa donationem facere. Idipsum, dummodo res sit modica, admittit Pirhing *l. c. n. 48.* quia si res modica sit, cum Prælatus licentiam dare possit donandi inter vivos, cur non etiam mortis causa?

42. CONCL. III. Novitii Religionum libere possunt de bonis suis testari. Ita communis; atque habetur *c. Si qua mulier, 19. quæst. 3.* Ratio est: quia Novitii sunt sui Juris, ac bonorum suorum domini, libera exeundi potestate præditi. Verum occasione hujus

43. Quæres, an valeat Testamentum, vel alia quæcunque renunciatio, aut obligatio facta a Novitio ante duos menses a sua Professione, aut etiam ante ingressum Religionis? Ratio dubitandi desumitur ex Concilio Trid. *sess. 21. c. 16. de Regularibus*, ubi statuit in hunc modum: *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causa pia valeat, nisi tum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii sint intra duos menses proximos ante professionem &c. aliter vero facta, sit irrita, & nullius effectus &c.* Hæc ibi. Et ista quidem procedere de obligationibus, variisque donationibus durante Novitiatu per Novitios factis, certum est. Utrum autem loquantur etiam de Testamentis, quæri potest.

44. Resp. breviter: Testamenta, Codicilli, & Donationes mortis causa, sub hoc Decreto Concilii Tridentini non comprehenduntur; unde valent, quocunque tempore fiant, etiam ante ingressum Novitii in Religionem. Ita Barbosa *in Collectaneis, ad cit. cap. 16. Concilii Tridentini, num. 14.* citans plurimos alios Doctores, unico solo oppositum tenente. Quimmo Fagnanus *in c. quia ingredientibus, num. 17. de Testam.* refert; quod Sacra Congregatio consulta, an Decretum dicti *c. 16.* loquens de renunciatione, locum habeat in Testamentis, & aliis ultimis voluntatibus, censuit non habere locum. Accedit ratio: quia, ut notat Miranda *in Manuali Prælatorum tom. 1. q. 33. art. 4.* mens Concilii Trident. solum fuit, eas renunciationes prohibere, per quas Novitii depauperantur, ita ut postea egestate & inopia compulsi, cogantur profiteri inviti: hoc autem non contingit in Testamentis, & ultimis voluntatibus, cum ante professionem semper libere revocari possint; ergo.

QUÆSTIO V.

An Clerici Sæculares Beneficiarii valeant testari?

SUMMARIUM.

45 *Clerici sæculares libere testantur de bonis patrimonialibus, industrialibus & parsimonialibus.*

(f) Tr. 7. Disp. 4. quæst. 3. n. 25. 26. & 28.

46 *Secus de Bonis mere Ecclesiasticis, spectato Jure communi.*

47 *De his tamen ante mortem elargiri possunt;*

48 *Ac de speciali facultate Summi Pontificis testari.*

49 *Consuetudine acquiri potest facultas testandi ad causas pias.*

50 *An etiam facultas libere testandi ad causas profanas? Sententia negativa.*

(g) Tr. 7. Disp. 4. q. 3. n. 32.

51 *Sententia affirmativa.*

52 *Sententia media, juxta quam*

53 *Consuetudine potest acquiri facultas, ut Clerici de Bonis mere Ecclesiasticis valide testentur ad causas profanas;*

54 *Non vero licite.*

(h) Tr. 7. Disp. 4. q. 3. n. 32. & 34.

55 *Respondetur ad instantias secundæ sententiæ.*

(i) Tr. 2. Disp. 4. n. 25. & 26.

56 *Consuetudo testandi Clericorum, qua?*

57 *Et quomodo intelligenda, si testentur ad causas profanas?*

58 *Responsio ad fundamenta prima sententiæ?*

45. CONCL. I. Clerici sæculares, sive Beneficiarii, sive non Beneficiarii, possunt libere testari, etiam ad causas profanas, de Bonis suis patrimonialibus, & quasi patrimonialibus, sive industrialibus, quæ suo labore atque industria comparaverunt: nec non & de bonis parsimonialibus, quæ parcius vivendo de congrua sustentatione sibi subtraxerunt ex proventibus suorum Beneficiorum Ecclesiasticorum. Conclusio hæc sequitur ex jam supra dictis de Dominio Clericorum, ac probatur iisdem auctoritatibus Juris, & rationibus, quæ ibidem (g) allegatæ sunt; estque satis communis inter Doctores.

46. CONCL. II. Loquendo vero de bonis mere Ecclesiasticis, spectato Jure communi, Clerici Beneficiarii non possunt de iisdem testari, vel disponere mortis causa, etiam ad pias causas; sed ea debent relinquere Ecclesiæ, quæ in talibus bonis succedit. Hæc Conclusio habetur clarissime *c. Ad hæc, de Testament.* ibi: *Clerici de mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, de jure testari non possunt.* Idemque tam de immobilibus, jam mobilibus esse intelligendum, declaratur *c. Relatum, 12. eod.* cum concordantis. Idque merito per SS. Canones statutum fuit, ut Beneficiarii promptiores redderentur ad bona Ecclesiastica

superflua majori cum merito in vivis erogando in pias causas, scientes, nullam sibi potestatem superesse de eisdem post mortem disponendi; prout notavit Navarrus, & cum ipso Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 3. n. 6.* Porro quod spectato Jure communi talia bona penes Ecclesiam remanere debeant, patet ex *c. Cum in officiis, de Testament.* juncto *cit. cap. Relatum.*

47. Dicitur notanter I. *Non possunt disponere mortis causa*: Siquidem Clerici, dum sunt in vivis, optimo jure, magnoque cum merito, reditus Ecclesiasticos superfluos in pauperes, aliasque pias causas erogant. Deinde possunt de talibus iidem Clerici, dum sunt in ultima ægritudine constituti, tam Pauperibus, locisque Religiosis, quam etiam suis inservitoribus quidpiam elargiri; prout expresse habetur *cit. cap. Relatum, 12. de Testament.* ibi: *Consuetudinis tamen est non improbanda, ut de his* (bonis mobilibus per Ecclesiam acquisitis) *pauperibus, & Religiosis locis, & illis, qui viventi servarunt, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii meritum, conferantur.*

48. Dicitur II. *Spectato Jure communi*: Nam secus est, si quispiam facultatem de talibus bonis testandi obtinuerit a summo Pontifice, qui eam concedere potest, & de facto sæpe concessit. Quimmo Paulus V. in sua Constitutione, quæ incipit, *Inscrutabili*, die 6. Aprilis, 1606. edita (& refertur *tom. 3. Bullarii Romani Const. 18. dicti Pont.*) omnibus & singulis Curialibus, in ipsa Urbe, & intra decem milliaria (non tamen extra debitam Residentiam) decedentibus, concessit liberam facultatem testandi de quibusvis reditibus Ecclesiasticis, etiam decimalibus Beneficiorum, ac etiam in favorem consanguineorum suorum, & quod hi eisdem ab intestato succedant; prout amplius videre est *in cit. Constitutione*.

49. Deinde Doctores communiter admittunt, consuetudine pariter posse induci facultatem testandi ad pias causas. Siquidem Clerici solo jure Canonico prohibentur condere Testamentum: at jus Canonicum per longævam & rationabilem consuetudinem derogari potest; ergo. Unde in locis, ubi viget talis consuetudo testandi, Clericus Beneficiarius valide & licite testabitur ad pias causas.

50. Utrum autem consuetudine induci possit facultas de bonis mere Ecclesiasticis testandi ad causas etiam profanas, major difficultas est. Et quidem talem consuetudi-

dinem, ceu corruptelam, ac foventem peccatum rejiciunt Tannerus *tom. 3. disp. 4. q. 6. n. 249.* Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 3. n. 7.* Pirhingh *tit. de Testament. n. 42.* Ludov. Engel *part. 4. Manualis Paroch. q. 4. nu. 26.* Navarrus, & alii. Ratio eorum est: quia consuetudo, quæ Legi naturali & Divinæ repugnat, non valet, *arg. cap. ult. de Consuet.* & potius est dicenda *pernitiosa corruptela*, *c. Mala Consuetudo, dist. 5.* Atqui talis censetur esse præsens consuetudo, quia, ut dictum superius (g) omnes Doctores fatentur, Beneficiarios mortaliter peccare, si reditus mere Ecclesiasticos notabiliter in causas profanas expendant; sicque consuetudo hoc permittens, erit nutritiva peccati.

51. E contra Augustinus Barbosa *l. 3. Juris Ecclesiastici universi, cap. 17. n. 67. & 68.* putat consuetudine induci posse, quod Clerici de talibus fructibus Beneficiorum suorum in usus non pios licite testari possint: eitatque inter alios primo loco pro hac sententia Covarruviam (sed male, ut ex hujus verbis *num. seqq.* referendis liquet) quam probare nititur ex eo: Tum quia Papa nonnunquam solet dare licentiam testandi de hujusmodi bonis: sed quæ sunt acquisibilia privilegio, sunt pariter acquisibilia consuetudine: Tum quia neque Romani Pontifices nostris temporibus, neque Jura hactenus istam consuetudinem improbarunt: quod utique (ait) fecissent, si intellexissent, consuetudinem hanc animas illaqueare, & Clericos sic disponentes in peccato mori.

52. Tertia, & inter utramque præfatam media, cæterisque probabilior sententia tenet, ejusmodi consuetudinem validam quidem esse, adeo ut & Judex relicta hæredibus institutis adjudicando, & ipsi hæredes recipiendo, in conscientia tuti sint; non tamen licitam, sed Clericos ad profana de bonis mere Ecclesiasticis dispondentes peccare. Ita Lessius *lib. 2. de just. & jure, cap. 19. num. 44.* Zoesius *tit. de Testam. n. 7.* Covarruvias *cap. 7. de Testament. n. 23.* plurésque alii ab his relati. Et notandum, quod, quamvis Covarruvias *cit. num. 23. & seqq.* ad longum probare nitatur ejusmodi consuetudinem esse validam: idem nihilominus *loco cit. ad finem, num. 27.* expresse moneat, disputationem suam eo animo, præsertim a Clericis recipi debere: *ut sit illis satis, culpa mortali alios criminis esse eos infectos, si male præter usum necessarium, & pias largitiones, illos* (reditus superfluos) *distribuere non vereantur.*

53. Et quidem, quod ejusmodi consuetudo sit valida, probatur ex eo: Quia Clerici de talibus bonis valide, quamvis non licite, disponunt in vita ad causas profanas; ergo idem & post mortem fieri potest accedente ejusmodi longæva consuetudine. Probatur consequentia: Tum quia solo Jure Ecclesiastico Clerici de talibus testari prohibentur: atqui Juri Ecclesiastico per consuetudinem contrariam derogari potest: Tum quia consuetudo illa valide testandi non est irrationabilis, immo (ut notat Zoesius ibidem) fundatur in publica Reipublicæ tranquillitate, quæ alias sæpe turbaretur, si ejusmodi Testamenta non tenerent. Nam cum Clerici libere testentur de bonis suis patrimonialibus, industrialibus, & parsimonialibus, ut dictum *num. 45.* & habet recepta Doctorum sententia; ab eisdem vero post mortem illorum Clericorum, bona mere Ecclesiastica superflua absque litigio cum hæredibus instituendo discerni vix possint: hinc consuetudo illa deservire poterit ad præscindendas innumeras lites cum hæredibus talium Clericorum cæteroquin multipliciter instituendas, sicque ad publicam Reipublicæ pacem.

54. Cæterum quod Clerici de bonis mere Ecclesiasticis ad profana disponentes peccent, sequitur ex jam supra dictis (h) cum ipsi Jure non solum Ecclesiastico, sed etiam supposita, & per Beneficium acceptata Ecclesiæ & Fundatorum intentione ex virtute Religionis, adeoque Jure naturali & Divino, teneantur reditus superfluos in causis pias erogare: atqui contra Jus naturale ac Divinum nulla valet consuetudo. Accedit: quia, ut argumentantur Lessius, & Layman, omnes Doctores fatentur, Beneficiarios graviter peccare, si Ecclesiasticos proventus superfluos in usus profanos expendant in vivis; ergo multo magis, si de eisdem taliter testentur: nam semper minus concessum fuit Clericis Beneficiariis, de talibus bonis condere Testamentum, quam disponere inter vivos.

55. Nec urget instantia Barbosæ, nempe quod Papa quandoque concedat licentiam libere testandi de talibus bonis. Nam in primis hujusmodi licentia est strictæ interpretationis, utpote a jure communi exorbitans, sicque non extendenda ad alios casus non expressos, *arg. cap. 1. de Filiis Presbyt. in 6.* Deinde dictum illud, *acquisibilia*

privilegio sunt etiam acquisibilia consuetudine, non esse universaliter verum, præsertim si consuetudo illa sit irrationabilis, aut de Jure reprobata, notant Fagnanus *in c. Cum contingat, n. 8. & 11. de Foro competenti*, & Layman *l. 1. tract. 4. cap. 24. n. 9.* & alii passim. Insuper, *Cum Beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere*, ut habetur *cap. Licet, de Prabend. in 6.* non mirum, quod ipsis circa eorundem bona possit gravibus de causis aliud ordinare, qui circa ipsa etiam Vota, & Juramenta (non obstante, quod suppolita semel voventis, vel jurantis intentione, obligent ex virtute Religionis, Jureque naturali ac Divino) justis intervenientibus causis dispensare potest, modo a. libi (i) jam declarato.

56. Dum autem allegatur consuetudo, simulque convententia Summi Pontificis, Resp. opponendo illud vulgatum dictum *c. Cum jam dudum, de Prabendis: Multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non debent tolerari.* Deinde de ejusmodi consuetudine sufficienter constare non videtur: nam Clerici majorem suæ conscientiæ, profectúsque spiritualis curam gerentes, passim testantur (in locis, ubi viget testandi consuetudo) ad pias causas, immo nonnulli eorum, præsertim Episcopi, specialem petunt a Summo Pontefice licentiam testandi.

57. Alii vero, dum testantur ad causas profanas, ad eas disponunt de bonis sui patrimonialibus, industrialibus, vel parsimonialibus, magno labore per vitæ decursum acquisitis, & de quibus possunt libere disponere; simulque in Funeralia, Missas, eleemosynasque (sub his etiam computando Legata pauperibus consanguineis relicta) tantum relinquere solent, donec suæ conscientiæ obligationi satisfactum rationabiliter judicent; immo ut hoc eo securius fiat, in nonnullis Diœcesibus, ubi consuetudo facultatem testandi Clericis tribuit, etiam Ordinarii loci expressus consensus desuper requiritur. Quod si unus, vel alter (quod non facile præsumendum) secus egerit, inde non illico colligi poterit consuetudo testandi de bonis mere Ecclesiasticis ad causas profanas, cum hæc non nisi a majore parte Communitatis introduci valeat.

58. Ad fundamenta prioris extremæ sententiæ *num. 50.* adductæ, in eo consistentia, quod si Clerici taliter testando peccent, hac ipso consuetudo illa sit invalida, cum foveat peccatum: Resp. negando consequentiam, cum sua probatione: quia, ut recte notat citatus Zoesius, hominis est hoc vitium, non rei, aut consuetudinis: unde abusus licentiæ, quam Clerici ex longæva consuetudine acquisierunt ad testandum, potestque rectissime practicari testando ad pias causas, non ponit juris iniquitatem. Et patet hoc in simili: nam Clerici in vita valide de talibus bonis mere Ecclesiasticis disponunt ad causas profanas, neque tamen hæc licentia censetur fovere peccatum ex eo, quod illicite id faciant. Idque non alia de causa, nisi quia vitium hoc non vi dictæ licentiæ, sed ex ejus duntaxat abusu proficiscitur.

QUÆSTIO VI.

De Codicillis, Legatis, & Fideicommissis.

SUMMARIUM.

59 *Codicillus, quid?*
60 *Et quomodo fieri possit?*
(k) Quæst. 3. numer. 21. & seqq.
61 *Codicilli, ad quid inserviant?*
62 *Clausula Codicillaris quomodo apponatur?*
63 *Et multiplex ejus effectus.*
64 *Legatum, quid?*
65 *In Testamento minus solemni ad causas pias, valent Legata profana.*
66 *Corruente Testamento minus solemni ad causas profanas, non corruunt Legata pia.*
67 *Solvitur instantia.*
68 *Fidei commissum exaquatur Legato.*

59. *Codicillus* dicitur quasi *parvus Codex*; & in proposito aliud non est, quam ultima cujuspiam voluntas absque hæredis institutione. Unde Codicillus est quasi imperfectum Testamentum: tum quia non requirit solemnitates Testamenti: tum quia Codicillo hæreditas directe dari non potest, nec etiam auferri.

60. Porro Codicillus fieri potest sive in scriptis, sive etiam nuncupative, seu orotenus; ad ejus tamen valorem requiruntur, & sufficiunt quinque testes, sive masculi sive fœminæ: qui etiam se subscribere debent, si Codicillus fiat in scriptis, quamvis sigilla apponere non sit necesse, *L. ult. Cod. de*

de Codicillis. Et hoc intelligendum, si fiat ad causas profanas: nam Codicillus ad causas pias factus, non requirit tantas solemnitates, prout in simili de Testamentis ad pias causas superius (k) dictum est.

61. Inservient autem Codicilli præcipue ad Legata, & Fideicommissa, atque Donationes mortis causa faciendas, utpote quæ per Codicillum fieri possunt. Juvant etiam ad Testamentum declarandum, atque immutandum salva hæredis institutione, eique addendum. Quinimo quando Testamentum habet insertam clausulam Codicillarem, si ipsum ob defectum alicujus solemnitatis non potest valere ut Testamentum, valebit tamen ut Codicillus.

62. Et quidem frequenter Testatores in suis Testamentis apponere solent clausulam Codicillarem, idque vel expresse, dicendo: *Si hæc dispositio mea non valet vis testamenti, volo, ut valeat vi codicilli.* Vel tacite, ac virtualiter, dicendo: *Si hæc dispositio non valet ut testamentum, valeat modo, quo secundum jura poterit, melioris.*

63. Neque inaniter istiusmodi clausula Codicillaris apponitur, utpote cujus effectus non sunt exigui. Siquidem ejusmodi Testamentum, si vel ab initio habeat defectum, vel cum ex postfacto acquirat, ita ut non possit valere per modum testamenti solemnis, valebit saltem per modum Codicilli, dummodo adfuerint Testes sufficientes ad Codicillum. Unde quamvis in tali Testamento minus solemni institutio hæredis irrita sit, ac proinde hæres ab intestato succedat: tamen tenetur is hujusmodi Testamentum quoad omnia alia adimplere, solvendo scilicet Legata, Fideicommissa, & hujusmodi. Sunt & alii effectus clausulæ Codicillaris, verum de iis Jurisperiti.

64. CONCL. II. *Legatum est donatio quædam a defuncto relicta, ab hærede præstanda.* Ita habetur §. 1. *Institu. de Legatis*. Dicitur, *donatio quædam*: quæ particula fiat loco generis. Additur deinde, *ab hærede præstanda*: per quod differt Legatum a Donatione mortis causa, quæ non necessario fit ab hærede, cum possit fieri, ac plerumque fiat ab ipsomet donante, quamvis ante mortem ipsius non confirmetur, sed revocari possit.

65. Quæres, an Testamentum minus solemne ad causas pias factum, valeat etiam quoad Legata profana; & e contra corruente Testamento profano, corruant pariter Legata pia inserta? Resp. I. Testamentum minus solemniter factum principaliter ad pias causas, valet etiam quoad Legata profana in eo contenta. Ita Covarruvias *cap. 13. de Testam. n. 2.* Lessius *l. 2. cap. 19. num. 9.* Engel *tit. de Testam. n. 19.* & communis, paucis exceptis. Ratio est: quia *accessorium naturam sequi congruit principalis, reg. 46. Juris in 6.* atqui Testamentum valet in dato casu; ergo & Legata eidem inserta, cum sint quid accessorium, quamvis cæteroquin profana.

66. Resp. II. E contra vero Testamento ad causas profanas corruente ob defectum solemnitatum, non ideirco corruunt inserta Legata pia, sed valent. Ita cit. Covarruvias *n. 4.* Lessius *nu. 9.* Engel, & alii; idque merito tenendum favore causæ piæ (*nam sufficiunt observationes, quæ pro religione fiunt*, habetur *l. sunt personæ, ff. de Religiosis & sumptibus funerum*) simulque ob remedium animæ Defuncti.

67. Neque urget allata regula, *Accessorium &c.* Nam inter alias limitationes ea non procedit, quando in accessorio reperitur specialis ratio, quæ non reperitur in principali, propter quam illud corruente principali sustineatur: prout in proposito est favor religionis, atque remedium animæ Defuncti.

68. CONCL. III. *Fideicommissum* dicitur illud relictum, quod fidei committitur hæredis, ab eo dandum alicui alteri. Sic fit, cum Testator dicit: Hæres, fidei tuæ committo, ut post aditam hæreditatem ex ea tantam, aut tantam partem, vel hoc aut illud prædium, huic consignes: idque vel statim, vel post mortem tuam, &c. Porro hæres sic Fideicommisso gravatus, appellatur *Fideicommissarius*. Quoad alia vero de Fideicommissis eodem fere modo est discurrendum, sicuti de Legatis; nam, ut *L. 1. ff. de Legatis* habetur: *per omnia exæquata sunt legata Fideicommissis.*

QUÆSTIO VII.

De Institutione Hæredum, Falcidia, Trebellianica, & Successionibus ab intestato.

SUMMARIUM.

69 Hæres necessarius, & non necessarius, qui?

70 Hæredis institutio est fundamentum totius Testamenti.

71 Quid

71 Qui possint instituí Hæredes?

72 Quid de FF. Minoribus de Observantia, & Capuccinis?

73 Hæredibus necessariis debet relinqui Legitima, & quomodo?

74 Legitima portio, quæ?

75 Ea non habet locum in Regnis, Ducatibus &c.

76 Hæredi non necessario instituto, quantum relinquendum?

77 Falcidia, quid? & unde sic dicta?

78 Trebellianica, quid?

79 An sit obligatio faciendi Testamentum?

80 Hæredes ab intestato, qui? & quando succedant?

81 Ordines succedentium ab intestato, qui?

82 Fisci, an computandus inter ordines succedendi ab intestato?

83 Formula faciendi quodcumque Testamentum practice.

69. ADvertendum, quod hæres alius sit necessarius, alius non necessarius. *Hæres necessarius* dicitur, quem Testator in portione legitima instituere cogitur, nisi justam exhæredandi causam habeat. Tales hæredes necessarii sunt Descendentes in linea recta, nempe Filii, Filiæque, Nepotes, Pronepotes, ex legitimo Matrimonio procreati. His autem deficientibus hæredes necessarii sunt Ascendentes in linea recta, nempe Pater, Mater, Avus, Avia; ita tamen, ut, si adsint Descendentes seu Liberi, nihil de jure debeatur Ascendentibus pro legitima, *text. clar. Auth. de Hæredibus ab intestato*, §. 2. *Collat. 9. Hæredes non necessarii*, sunt reliqui omnes præter enumeratos; sive, qui Testatori non sunt conjuncti in linea recta. Unde sequitur, quod Frater aut Soror de jure non sit obligatus ad instituendum pro hærede suos Fratres, aut Sorores, eorumve Filios, neque ad relinquendum eisdem legitimam: quod a fortiori extendes ad cæteros Consanguineos, vel Affines. Hoc præmonito, sit

70. CONCL. I. Institutio hæredis est veluti caput, atque fundamentum totius Testamenti. Ita habetur in Jure Civili variis in locis; ut §. *Ante hæredis*, *Instit. de Legatis*, & *l. Proxime, ff. De iis, quæ in testam. deberentur*, & alibi. Hinc non valet Testamentum, præsertim ad causas profanas (nam de Testamentis ad causas pias, utpote in quibus sufficiunt solemnitates Juris naturalis, Lessius *l. 1. de Just. & jure, c. 19. n. 8.* citans Julium Clarum, tenet oppositum) in quo nemo hæres instituitur; quamvis secus sit dicendum de Codicillo.

71. CONCL. II. Omnes homines, non tantum singuli ac privati, sed etiam Communitates, Monasteria & Collegia, hæredes instituí possunt, nisi specialiter a jure prohibeantur. Ita communis.

72. Porro præter alios, qui de Jure communi ob certas causas, vel delicta, prohibentur hæredes instituí, de quibus Juristæ, vi suæ Regulæ, ac Professionis, non possunt instituí hæredes in testamento Fratres Minores de Observantia, atque Capucini, adeo ut nec eorum Monasteria in communi valeant instituí; prout declaravit Clemens V. *in Cl. Exivi, de Verborum significationibus*. Quo tamen non obstante, consideratis eorum necessitatibus, certisque moderaminibus observatis, potest eisdem quidpiam in Testamento relinqui per modum Legati, uti declaravit Nicolaus III. *c. Exit. de Verb. signif. in 6.* Dummodo non dimittatur eis valor ipsius hæreditatis, vel tanta ejus pars quasi sub modo & forma Legati, quod præsumi posset, hoc in fraudem fieri; prout limitat cit. Clemens V.

73. CONCL. III. Hæredibus necessariis debet in Testamento relinqui portio legitima, & quidem titulo honorabili institutionis, sive jure hæreditario, atque sine ullo appositio gravamine: adeo quidem, ut alioquin talia gravamina habeantur pro non appositis; vel hæredibus necessariis competat actio ad petendum complementum legitimæ, si in minori quantitate, quam legitima portione, hæredes instituantur; vel ad omnino rescindendum Testamentum, si nulla apposita juxta causa exhæredandi penitus fuerunt præteriti, ac nihil ipsis Jure institutionis relictum. Ita habetur tum in Jure civili; *Auth. Ut cum de appellatione*, §. *Aliud quoque, Collat. 8.* cum concordantiis, quas citat Layman *lib. 3. tract. 5. c. 5. n. 11.* tum in Jure Canonico *c. Raynutius, de testam.* ubi dicitur, quod *Legitima portio ex debita jure naturæ.*

74. Circa quod notandum, quod legitima portio Descendentium sit triens (id est, tertia pars totius hæreditatis) si non sint plures Liberi, quam quatuor: semis autem (seu media pars totius substantiæ) si sint plures Liberi, quam quatuor. Loquendo vero de Ascendentibus, legitima Ascendentium semper est triens, sive tertia pars totius hæreditatis. Ubi per hanc intelligitur tota ea substantia, quæ solutis omnibus debitis

atque funeralibus pro Defuncto peragendis, post mortem Testatoris remanet.

75. Veruntamen ea, quæ nunc dicta sunt de portione legitima Liberis danda, locum duntaxat habent in bonis privatis, non item in Regnis, Ducatibus, & Comitatibus Magnatum: talia enim bona in plerisque Provinciis ad Primogenitum pertinent, assignatis tamen aliis Liberis sufficienti sustentatione, pro conservanda dignitate statûs & familiæ suæ.

76. CONCL. IV. Quod si in Testamento instituatur hæres non necessarius, debet ei saltem quarta pars totius hæreditatis seu substantiæ libera remanere, ut sic onera hæreditaria sustinere valeat: alioquin si tam multa a Testatore facta sint legata, vel donationes mortis causa, ut hæredi non remaneat quarta pars totius hæreditatis, licebit eidem detrahere Falcidiam: aut si gravetur tam magnis multisque Fideicommissis, ut eidem non remaneat quarta pars hæreditatis libera, detrahet Trebellianicam. Ita habetur in Jure Civili variis in locis, ut *l. 1. & seqq. ff. ad Legem Falcidiam, & toto tit. ff. ad S.C. Trebellianum*, cum concordantiis.

77. Porro per *Falcidiam* intelligitur quarta pars omnium bonorum, quæ aderant tempore mortis Testatoris, deducto tamen prius ære alieno, atque expensis funerum, quam licet detrahere hæredibus institutis (servata tamen proportione) a singulis legatis, si tam multa sint legata, ut dicta quarta pars eisdem non remaneat libera, donec ista compleatur. Et hujusmodi quarta pars appellatur *Falcidia*, a suo authore *Falcidio* Tribuno plebis, qui primus legem tulit (quæ ex suo nomine *Lex Falcidia* nuncupatur) ut quarta pars semper superesset ac remaneret hæredibus in Testamento institutis.

78. *Trebellianica* ferme coincidit cum Falcidia, nisi quod hæc respiciat Legata, illa vero Fideicommissa, a quibus detrahitur. Siquidem Trebellianica detrahitur a Fideicommissis, si tam multa, vel gravia facta sint a Testatore, ut hæredibus non remaneat quarta pars omnium bonorum, post debitorum, ac funeralium solutionem restantium libera, & absque ullo onere, donec dicta quarta pars remaneat libera hæredibus institutis. Et dicitur *Trebellianica*, a suo authore *Trebellio* Consule, a quo Senatus Consultum Trebellianum prodiit, hoc ipsum disponens.

79. Quæres, an sit obligatio aliqua faciendi Testamentum? Resp. breviter, neminem quidem in Foro conscientiæ per se obligatum esse ad condendum Testamentum, sed interdum per accidens talem adesse obligationem, ne alioquin lites, aut alia incommoda oriantur. Layman *lib. 3. tr. 5. cap. 3. n. 10.* & alii.

80. CONCL. V. Quando nullam omnino factum est Testamentum, aut illud ex quodam defectu irritum fuit, & cassatum, tunc tali Defuncto succedunt Hæredes ab intestato; id est, illi, qui secundum Jura succedunt, quando nullum factum est testamentum. Ita communis, & patet ex utroque Jure.

81. Diversi autem sunt ordines Successionum ab intestato, quorum prior semper posteriorem excludit. Primus est Descendentium, seu Liberorum. Quod si vero unus ex Liberis defunctus sit, & reliquerit Nepotes, tunc hi personam patris repræsentant, & in ejus locum succedunt; ac proinde in divisione hæreditatis cum Patruo suo, aut filiis ejus succedunt non in capita, sed in stirpes. *§. Cum filius, Inst. de hæreditatibus quæ ab intestato &c.* & alibi. Secundus ordo est Ascendentium, seu Parentum (cum quibus tamen simul vocantur, seu ad hæreditatem admittuntur, fratres, & sorores dupli eis vinculi, hoc est, ex eodem patre, & matre cum defuncto geniti; *Authent. De hæredibus ab intestato Collat. 9.*) &, amplius non extantibus Parentibus, Avorum. Tertius est Collateralium, id est, Fratrum Sororumque, & hisce deficientibus, aliorum Consanguineorum propinquorum. Et quartus, Conjugum inter se.

82. Tandem his omnibus deficientibus succedit Fiscus: quamvis nonnulli meritò non competent Fiscum inter ordines succedendi ab intestato, eo quod cæteris deficientibus capiat bona, non jure successionis hæreditariæ, sed potius jure Regalium, tanquam vacantia. Sed de hoc plura Jurisiæ.

APPENDIX.

Quomodo practice fiat aliquod Testamentum.

83. Formula hæc mutatis mutandis poterit deservire ad quodcunque Testamentum, sive ad causas profanas, sive ad pias factum, estque sequentis tenoris.

IN Nomine Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis &c. *Serio revolvens animo, hominibus infallibiliter statutum esse semel mori, seriaque mente revolvi, diem aquæ incertum esse, ac horam mortis, liberrima voluntate, & plene capax rationis de bonis meis ultimam dispositionem, seu testamentum feci, ut sequitur.*

In primis, *& ante omnia animam meam offero Creatori suo omnipotenti Deo, humillimè, & instantissimè rogando, ut per infinitam suam misericordiam, per merita, & Passionem Domini Nostri Jesu Christi eandem pretioso sanguine redemptam hæredem facere velit Regni Cælestis.*

Secundo. *Quoniam corpus humanum a limo terræ formatum pulvis est, & ab anima separatum in pulverem revertetur; hinc etiam corpus illud confugo terræ, volendo, ut illud terra manducet absque speciali pompa, conformiter tamen meo statui apud N. N.* (hic specificetur locus sepulturæ, maxime si eligatur aliqua sepultura extraordinaria) *ordinando præterea, ut celebretur in bonum animæ meæ dies Depositionis* &c. NB. addatur, an desideret etiam diem septimum, & trigesimum, vel aliud officium; Item, quot Missas quolibet ex his diebus: poterit quoque denominare stipendium pro qualibet Missa.

Postmodum sequuntur Legata pia, & profana, si quæ inferere intendit, prout hic aliqua apponuntur: Exempli gratia

Tertio. *Specialiter lego trecentos florenos pro sexcentis Missis in bonum animæ meæ celebrandis, medium florenum determinando pro qualibet Missa.* NB. Si quos specialiter velit, qui tam Missas legant, nominet eosdem.

Quarto. *Sorori meæ pro memoria, & in aliqualem recognitionem benevolentiæ mihi sæpius exhibitæ lego illi, quos habeo, annulos aureos.*

Quinto. *Confraternitati N. denturi centum florini per modum Legati.* Et tali modo possunt subjungi adhuc plura alia. Quod si vero nulla alia supersint, ponatur

Sexto. *Cum agnoscam, ante omnia ad valorem Testamenti tanquam fundamentum ejusdem requiri institutionem hæredis; hinc pro universali bonorum meorum hærede honorabili titulo* *Testamenti* *nominio & instituo N.* Hic specificatur hæres, & si placet, adjicitur certa conditio, ubi de adjectione conditionum videre poteris meum Jus Canonicum in *3. Dect. de Testam. §. 13. n. 437. & segq.*

Ultimo. *Tandem, ut hæc mea ultima voluntas eo citius effectum finem obtineat, pro Executore ejusdem denomino N.* (hic exprimit illum, quem vult habere specialem Executorem, alias vero, si nolet assumere specialem, hoc punctum non foret necessarium) *cigue viginti florenos* (si tamen aliquid Executori dare velit) *in aliqualem recognitionem laboris in se suscipiendi assigno. Et ita demum, reservata mihi libera potestate mutandi, augendi, minuendi, addendi &c. finio, uti incepi, hoc meum testamentum in Nomine Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, quod pro majori labore propria manu scripsi, & Sigillo meo munivi.*

Volo autem, ut si hoc mea ultima dispositio non valeret tanquam testamentum, saltem valeat tanquam Codicillus, aut Donatio mortis causa, vel alio quocunque modo meliori, quo de jure, & stylo, vel consuetudine valere potest. Actum die

Mense Anno

NB. Annotatur locus, dies, Mensis, & annus, quibus conditum est testamentum, atque se subscribit testator, aliaque observantur, quæ tam hic, quam in Jure Canonico fusius adduxi.

DISTINCTIO IV.

De Contractibus Onerosis.

QUÆSTIO I.

De Mutuo, & variis ipsum concernentibus.

SUMMARIUM.

1 *Ratio Ordinis.*
2 *Mutuum dupliciter accipitur.*
3 *Mutuum ut Contractus, quid?*
4 *Declaratur ejus definitio.*
5 *In Mutuo dominium rei transfertur in Mutuatarium.*
6 *Qui possint Mutuum dare, vel accipere?*
7 *Civitas, Ecclesiæ, Monasterium &c. quando obligentur ex Mutuo?*
8 *Filiifamilias mutuo accipientes sine consensu parentum, juvantur S. C. Macedoniano.*
9 *Limitatur hoc in pluribus casibus.*

1. POst Contractus gratuitos, nec non & Testamenta, agendum restat de Contractibus onerosis, qui magis proprie sunt Contractus, ut pote reciprocam hinc inde obligationem continentes. Agitur autem in primis de Mutuo, eo quod Mutuum sit unica veluti sedes Usurarum, quarum notitia necessaria est ad omnes propemodum Contractus sequentes, ne in illis usuræ vitium admisceatur. Et quidem

2. *Mutuum* sic dictum est, quasi *ex meo tuum*. Et interdum significat ipsam rem, quæ mutuo traditur, interdum vero ipsum contractum Mutui: & in hac posteriori acceptione termo est in præsenti de Mutuo.

3. CONCL. I. *Mutuum*, ut sumitur pro ipso contractu seu mutuatione, recte describitur, dicendo: Mutuum est traditio rei, numero, pondere, vel mensura constantis, facta eo animo, ut statim fiat accipientis, cum obligatione, ut similis in specie & bonitate restituatur. Ita desumitur ex *l. Mutuum, ff. Si certum petatur*, & tradit Lessius *l. 2. de just. & jure cap. 20. n. 7.*

4. Dicitur, *traditio rei*: quia mutuum perficitur traditione, & ante actualem rei mutuatæ traditionem non censetur esse Mutuum. Et additur, rei *numero, pondere vel mensura constantis*: quia in hujusmodi rebus fieri solet Mutuum, ut in vino, oleo, frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro. Dicitur ulterius, *facta eo animo, ut statim fiat accipientis*: quia *mutuum* dicitur, quasi *ex meo tuum*: ita enim a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat. Et additur, *cum obligatione, ut similis in specie restituatur*; si enim reddenda sit res alterius speciei, non erit Mutuum, sed Permutatio, prout fieret, si pro vino mihi dares frumentum. Quod si vero eadem numero res foret restituenda, etiam non esset Mutuum, sed Commodatum, vel Depositum, prout notatur *c. 1. de mutuum, ff. Si certum petatur*, & alibi.

5. CONCL. II. In mutuo rei datæ dominium transfertur in Mutuatarium; unde si res mutuata pereat, quocunque tandem casu, aut infortunio, eadem perit Mutuatario. Ita *cit. l. mutuum, ff. Si certum petatur*: estque communis. Ratio est: quia quælibet res domino suo petit: atqui in mutuo datum de meo fit tuum, ut ipsum nomen significat: ergo transfertur dominium rei in eum, qui rem mutuo accipit, qui dicitur *mutuatarius*.

6. CONCL. III. Omnes, qui contrahere possunt, etiam mutuum dare, & accipere possunt. Ita communis, & patet ex terminis: quia contrahere ut sic tanquam genus, complectitur sub se omnes Contractus, & consequenter etiam mutuum. Solum duo valde notabilia quoad propositum sunt addenda: itaque

7. Notandum in primis occasione dictorum, quod Civitas, Ecclesiæ, Monasteria, aliaque pia loca, ex mutuo, quod eorum Rectores vel Administratores suscepere runt, tunc solum obligentur, si Creditor probaverit, pecuniam in Civitatis, vel Ecclesiæ, aut aliorum piorum locorum utilitatem fuisse conversam: alias enim soli Administratores conveniri poterunt, non vero Civitas, vel Ecclesia. Ita Laud. Engel *tit. de Pactis n. 43.* idque desumitur ex *l. Civitas, ff. si certum petatur*, junctis *cap. 1. de solutionibus*, cum concordantiis.

8. Notandum ulterius, de Filiisfamilias peculiariter esse constitutum in jure Civili per Senatus consultum Macedonianum, quod si filii, sine consensu parentum pecuniam mutuo acceperint, neque ipsi, neque parentes ipsorum teneantur eam solvere, sed possint contra excipere per dictum Senatus Consultum Macedonianum. Et hoc privilegium factum sit non tam in favorem filiorum, quam parentum, quorum vitæ filii insidiabantur, ut hæreditate paterna potiti debita contracta solverent; quod quidem privilegium habet locum etiam in Foro interno, seu Conscientiæ. Lessius *lib. 2. c. 20. n. 8.* Herincx *disp. 3. de Contractibus n. 5.* Sanchez, & alii.

9. Limitatur hoc I. Nisi filius habeat bona Castrensia, vel quasi castrensia; nam tunc ipse ex his tenetur solvere, nec potest uti exceptione S. C. Macedoniani. Limitatur II. Quando filius publice putabatur esse sui juris. Limitatur III. Si filiusfamilias mutuo accepit non pecuniam, sed rem alienam, ut triticum, vinum, & similia: nam lex solum loquitur de Mutuo pecuniario. Limitatur IV. Si pecunia versa fit in commodum parentum; aut hi soliti fuerant pecuniam a filiis acceptam solvere. Limitatur V. Si pater debuisset eam secundum rectam rationem suppeditare: ut si filius absens causa Studiorum accipiat Mutuum necessarium, ut vivat, vel libros emat, &c. nam hujusmodi expensas secundum rectam rationem tenentur parentes facere. Limitatur VI. Si filius juraverit se soluturum: nam tunc non poterit uti exceptione S. C. Macedoniani, sed tenebitur solvere, quando commode poterit: quia omne juramentum servandum est, quod sine peccato observari potest.

QUÆSTIO II.

Quid sit Usura, & quo Jure prohibita?

SUMMARIUM.

10 *Usura varie accipitur.*
11 *Usura, quid?*
12 *Nomine lucri usurarii, quid intelligatur?*
13 *Id debet provenire ex Mutuo.*
14 *Usura expressa, & Usura palliata, seu virtualis, quid?*
15 *Usura sunt prohibitæ Jure cum humano, tum Divino.*
16 *Solvitur parabola Patrisfamilias. Reinfestuel. Theol. Moral.*
17 *Deus, an concesserit Judæis exercere Usuras?*
18 *Alia responsio, & melior.*
19 *Usura etiam Jure naturali illicita est.*
20 *Solvitur instantia.*
21 *Disparitas magna inter Contractum Locationis, & Mutui.*
22 *Usurarius non comparat dominium rei usurariæ.*
23 *Quid de pecunia usuraria?*
(a) Tract. 7. Dist. 5. n. 28. & 29.
24 *Pœna Usurariorum.*

10. USura varie accipitur. Primo quidem, prout idem est, ac usus. Deinde pro commodo, sive fructu ex rei usu proveniente; prout Cicero *l. de Senectute*, ait: *Terra nunquam sine usura reddit, quod accepit.* Denique sumitur Usura, ut idem est, ac lucrum ex mutuo; & alio nomine *Fœnus* dicitur. & in hoc sensu procedit præsens Quæstio de Usura. Quæ adhuc dupliciter accipi potest, nempe vel pro ipso lucro usurario, prout dicitur quis solvere Usuras: vel pro pacto, de lucro temporali supra sortem reddendo præcise ratione mutui.

11. CONCL. I. *Usura* est lucrum immediate ex mutuo proveniens. Ita communis Doctorum, quamvis Usura hic sumatur pro ipso lucro usurario. Quod si vero Usura accipiatur pro contractu usurario, tunc *usura* aliud non est, quam Mutuatio cum pacto expresso, vel implicito recipiendi aliquid supra sortem ratione mutui.

12. Dicitur, *usura est lucrum*: Ubi nomine lucri intelligitur quodlibet tempore, ac pretio æstimabile, quod ultra sortem mutuo datam accipitur, quasi ratione mutui ex obligatione debitum sit; sive deinde illud sit pecunia, sive frumentum, vel alia res pretio æstimabilis, aut etiam obligatio civilis quidpiam ex Pacto seu debito sibi præstandi ratione mutui, v. g. rursum sibi mutuandi, apud se emendi merces, sibi vendendi, aut operas suas locandi, & hujusmodi. Uno verbo: *Lucrum usurarium* est, quidquid temporale, ac pretio æstimabile ultra sortem mutuo datam accipitur, quasi ratione mutui ex obligatione, seu pacto expresso, vel tacito, debitum sit: ut notat D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. communiter receptus, & desumitur ex *c. Si fœneratoris, & seqq. 14. q. 4.*

13. Dicitur ulterius *immediate*; id est, ex vi pacti mutuationis. Si enim Mutuatarius propria sponte aliquid tribuat, aut vicissim

obsequium mutuanti præstare velit ex mera benevolentia, liberalitate, sive gratitudine, aut ex spe alliciendi mutuantem ad continuandum mutuum, non erit Usura, dummodo illud non exigatur tanquam debitum. Additur tandem *ex mutuo proveniri*: quia Mutuum est unica veluti sedes Usuræ, *c. 1. & seqq. 14. q. 3.* Unde si quis lucrum acquirat ex Locatione, Conductione, & similibus Contractibus, Usura non committitur, quia tale lucrum non provenit ex Mutuo. Ut autem colligatur lucrum ex vi mutui provenire, requiritur, ut vel expresse vel tacite Mutuator intenderit, Mutuatarium ex vi pacti mutuationis obligare ad hujusmodi lucrum præstandum ultra sortem principalem.

14. CONCL. II. Usura recte dividitur in expressam, & tacitam seu palliatam. Ita communis: & patet explicando terminos. Et quidem *Usura expressa* dicitur, quando expresse exigitur pretium pro mutuo: ut si quis dat mutuos centum florenos eo pacto, ut post annum reddantur sibi centum, & tot vel tot ultra. *Usura palliata*, tacita, seu virtualis est, quæ committitur in contractu Mutui, non formalis, & expressi, sed ulterius contractus nomine, ac specie, velut pallio occultati: ut si mercator ob solam dilationem solutionis pretii (secus, si ratione lucri cessantis, vel damni emergentis &c.) merces multo carius vendat, nam hoc in re aliud non est, quam emptori mutuam dare pecuniam, post aliquod temporis cum auctario recipiendam; quod reprobatur *c. In civitate, de Usuris*. Aliud exemplum Usuræ palliatæ habetur in contractu Mohatræ, de quo *n. 26. & 27.*

15. CONCL. III. Usuræ non tantum Jure humano Ecclesiastico, sed etiam Divino sunt prohibitæ. Ita unanimis Catholicorum Doctorum; & habetur apertè in Jure Canonico, quod non solum usuras sub gravissimis pœnis prohibet, sed etiam *c. super eo, de Usuris*, expresse dicit, quod *Usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur*. Quinimo pertinaciter asserens, exercere Usuras non esse peccatum, veluti hæreticus est puniendus; *Clem. un. de Usuris*. Porro, quod Usuræ etiam Jure Divino sint prohibitæ, clare desumitur ex S. Scriptura. Nam *Levitici c. 25.* dicitur: *Ne accipias usuras ab eo, nec amplius, quam dedisti*. Et infra: *pecuniam tuam non dabis ei ad usuram*. Item *Ezechielis cap. 18.* Propheta inter peccatores numerat *ad usuram dantem, & amplius accipientem*. Et *Luce 6.* ait Christus: *Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes*, & alibi.

16. Dices I. Christus in parabola Patrisfamilias peregre proficiscentis, ut habetur *Luce 19.* servis suis talenta dedit ad negotiandum, & servo nequam, recondenti pecuniam in sudario, exprobravit, eumque gravissime puniri præcepit, quod pecuniam suam non dederit nummulariis, hac addita causa: *Et ego veniens cum usuris exegissem eam*; ergo non est intrinsece malum, aut lege Divina prohibitum, accipere Usuras pro pecunia mutuata. Resp. negando consequentiam: quia, ut communiter respondent Doctores cum D. Thoma 2. 2. *q. 87. art. 1.* Usura ibi metaphorice sumitur pro augmento & superexcrescentia bonorum spiritualium, seu pro bona applicatione talentorum naturalium nobis a Deo concessorum: hanc enim a nobis Deus exigit, volens, ut de die in diem in bono proficiamus; si quidem in via Dei non proficere, deficere est.

17. Urgebis: Deus olim Judæis concessit Usuras exercere *Deuter. 23.* dicens: *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram, sed alieno*; ergo Usuræ non sunt intrinsece malæ, neque prohibitæ. Respondent aliqui cum D. Thoma *loc. cit.* Judæis fuisse olim concessum exercere Usuras erga alienigenas, non tanquam licitum, sed permissive ad evitandum majus malum, ne scilicet a suis tribus Usuras acciperent; cum fuerint multum avaritiæ dediti.

18. Alii vero dicunt, & quidem melius, Judæis fuisse licitum exercere Usuras erga Gentiles, eo modo, quo eisdem concessum fuit *Exod. 12.* ut Ægyptios spoliarent vasis argenteis, & aureis, ac vestibus sibi commodatis; quatenus nempe Deus, qui est universorum Dominus, dedit Judæis dominium in bona Ægyptiorum injuste ipsis gravantium, ac in alia bona Gentilium, utpote hostium suorum, quos proinde juste poterant spoliare rebus suis, & has ratione Mutui dati sibi acquirere, utpote jure dominii a Deo sibi concessi jam suas. Unde sicut Judæi, spoliando Ægyptum, non commiserunt furtum; ita nec commiserunt Usuram, accipiendo fœnus pro mutuo ab Infidelibus: cum utrobique acceperint id, quod suum erat authoritate Divina.

19. CONCL. IV. Usura etiam Jure naturali illicita est, & prohibita. Ita Doctores Catholici communiter. Ratio est: quia accipiendo Usuram pro rebus usu consumptibilibus, puta, pro vino, oleo, pecunia &c. mutuo datis, vel venditur id, quod non est suum, vel eadem res bis venditur: atqui utrumque est injustum, & Juri naturali repugnans, cum in contractibus humanis requiratur æqualitas dati & accepti; ergo. Major declaratur: quia mutuans alteri centum florenos, vel centum modios tritici, transfert dominium pecuniæ vel tritici in alium, ac tantundem suo tempore recepturus est; & sic est æqualitas. Si autem post annum ultra hanc sortem exigat quinquaginta alios florenos, aut sibi restituat eandem rem bis; vel vendit, quod amplius non est suum, cum dominium Mutui transferat in Mutuatarium. Atqui utrumque horum repugnat Juri naturali; ergo.

20. Nec potest dici, quod pro usu sortis, v.g. pecuniæ, vel tritici, possit peti lucrum, prout fit in Locatione. Nam contra est. Usus, seu utilitas rei, pertinet ad dominum: sed Mutuatarius est dominus rei mutuatæ, ut patet ex dictis; ergo ad Mutuatarium pertinet etiam usus rei mutuatæ, & non ad mutuantem: & consequenter hic ratione ullius concessi non potest licite & juste quidquam exigere ultra sortem principalem, cum usus rei non amplius sit suus.

21. Neque obstat adductum exemplum de contractu Locationis, cum sit maxima disparitas inter contractum Mutui, & Locationis. Nam in hoc contractu Locator manet dominus rei locatæ, & consequenter utilitas ex re ima a Conductore percepta etiam ipsum respicere debet: secus fit in Mutuo, ubi ex meo tuum fit. Præterea Locatio est talium rerum, quæ permanentes usum & utilitatem afferunt: pecunia autem ex sua natura sterilis est; unde maxime præter naturam est, ut in se aore nummus nummum pariat.

Sed dices: Remutuare, est pretio æstimabile; ergo etiam mutuare: & consequenter licite pro hoc exigitur aliquod ultra sortem. Antecedens probatur. Mutuare cum pacto remutuandi, est usufructuarium, ut dicitur *n. 12. & n. 25.* sed non esset usufructuarium, nisi illud esset quid pretio æstimabile; ergo. Resp. distinguendo antecedens: Remutuare, est pretio æstimabile pro parte remutuationis a se factæ (etiam seclusa damno emergente, & lucro cessante &c.) licite possit pecuniam exigere, negatur. Remutuare, est pretio æstimabile pro parte recipientis, sive habentis alterum sibi ex pacto prævio obligatum ad remutuandum suo tempore, conceditur quidem antecedens cum sua probatione, sed negatur consequentia.

22. CONCL. V. Usurarius non comparat dominium rei per Usuram acceptæ. Ita communis. Ratio est: quia deest titulus, sive justa causa usuras accipiendi: atqui sine titulo rerum dominia non transferuntur; ergo.

23. Hoc tamen intelligendum, nisi pecunia usuraria cum aliis juste acquisitis permixta fuerit, ut amplius discerni non possit: nam tunc per accidens, seu jure permixtionis efficeretur sua, *arg. l. Si alieni, ff. de Solutionibus*: qua de causa etiam pecunia furtiva, alteri pecuniæ propriæ permixta efficitur recipientis, ut alibi (a) dictum. Veruntamen hoc dominium est duntaxat imperfectum, & cum obligatione tantundem restituendi, quantum quis per furtum vel usuras acquisivit, non obstante dicta commixtione.

24. CONCL. VI. Pœnæ Usurariorum variæ sunt in Jure statutæ. I. Notorie Usurarius est ipso Jure infamis, *c. Infames, 3. quæst. 7.* II. Usurarius notorius non est admittendus ad Communionem Altaris, id est, sumptionem sacræ Eucharistiæ, neque ejus oblationes accipiendæ sunt, neque ipse mortuus Ecclesiasticæ Sepulturæ tradi debet. III. Testamentum, & quævis alia ultima voluntas Usurarii manifesti, ipso jure irrita est, nisi ante mortem restituerit, quæ per usuras acquisivit, vel de eorum restitutione idoneam cautionem, per pignora videlicet, aut Fidejussores, dederit; prout habetur *c. In omnibus, de Usuris, junctis c. 2. eod. in 6.*

QUÆSTIO III.

An Pactum remutuandi &c. Contractus Mohatræ, & Montes Pietatis contineant Usuram?

SUMMARIUM.

25 *An sit Usura, mutuare cum Pacto remutuandi &c.*
26 *Contractus Mohatræ, quis?*
27 *Est illicitus.*
28 *Montes Pietatis, qui? eorumque origo.*
29 *Ratio movendi difficultatem.*
30 *Contradictio nonnullorum.*
31 *Montes Pietatis sunt laciti, & pii.*

25. QUæritur I. Utrum sit usura, mutuare cum pacto, atque obligatione, ut mihi vicissim remunites, aut certum officium conferas; vel, ut ex mea officina, quæ tibi opus sunt, emas, & hujusmodi? Resp. si talia dentur solummodo ex titulo remunerationis, aut si quis det mutuo ob speratam hujusmodi remunerationem, seclusio alio pacto, non est usura: secus dicendum, si ejusmodi obligatio remuneranti, officium conferendi, vel apud se merces emendi &c. in pactum deducatur; idque tanquam debitum exigatur. Patet hoc ex dictis *Quæst. præc. n.* 12. eliqne communis Doctorum. Unde Innocentius XI. hanc inter alias, ordine 42. Propositionem damnavit: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.* Hæc, inquam, Propositio est falsa & damnata.

26. Quæritur II. An Contractus Mohatra sit illicitus, ac usurarius, nec ne? Ubi per contractum *Mohatra* dictum intelligitur ille, qui sic celebratur: Petit quis mutuos centum florenos a mercatore, & mercator non vult pecuniam mutuare, sed paratus est illi vendere merces credito, sed summo pretio, v. gr. centum quinque florenis, ut eas vendat numerata pecunia, cui voluerit; & ille res sic emptas denuo offert mercatori, qui easdem emit, vel potius redimit pecunia numerata, pretio tamen medio, vel infimo, v. g. centum florenis, aut nonaginta quinque. Ita contractum Mohatræ explicat Lessius *lib.* 2. *c.* 21. *n.* 130. & concordat Joannes Cardenas *in Crisi Theologica ad Propositionem* 40. *ex damnatis ab Innocentio XI.* quamvis addat, quod in eo emantur credito merces summo pretio, cum pacto tamen retrovendendi infimo pretio pecunia numerata.

27. Resp. Talem contractum esse illicitum. Ita novissime declaravit Innocentius XI. inter alias Propositiones etiam hanc, ordine 40. condemnando: *Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retroconditionis prævie inito, cum intentione lucri.* Ratio est: quia talis Contractus continet usuram mentalem, vel palliatam: nam hujusmodi venditio & emptio cum pacto redimendi, præsumitur tantum ficta venditio & emptio, in effectu autem est mutuum cum lucro ex fœnore.

28. Quæritur III. Utrum Montes Pietatis sint usurarii, nec ne? Ubi sciendum, Montes Pietatis in Italia, & aliis pluribus locis esse usitatos, & dici Æraria publice constituta, ut ad ea indigentes quasi ad montem refugium habeant, ne magis ab Usurariis præsertim Judæis, opprimantur. Cum enim per Judæorum immoderatas usuras (ut pote qui pro singulis florenis mutuo datis solent unum circiter crucigerum per singulas hebdomadas exigere, sicque lucrum usurarium per anni decursum ferme exæquet sortem principalem) pauperes plurimum fuerint pressi; plures successive celeberrimi Concionatores ex Ordine Fratrum Minorum, ut B. Jacobus de Marchia, Bernardinus de Feltro, aliique Viri doctrina & sanctitate celebres, ejusmodi Montes Pietatis publicis suis Concionibus construi, atque instrui fecerunt: ea primum lege, ut sub sufficienti cautione pignoris præstiti ex ejusmodi Montibus gratis mutuum pauperibus indigentibus daretur.

29. Quia vero ministri tallum Montium Pietatis non potuerunt gratis laborare, atque ex ipsis Montibus sustentari congrue non potuerant (nam alioquin Summa capitalis brevi defecisset) hinc postmodum pro eorum ministrorum sustentatione, & rerum ad Montes Pietatis pertinentium necessaria conservatione, sine ipsius Montis Pietatis lucro, seu augmento, moderatum aliquid & necessarium (puta, per annum duo, tres, quatuor, aut quinque floreni in centum) a Mutuatariis præstari, & exigi cœptum fuit. Si autem intra tempus præfinitum Mutuatarii non solvissent debitum, tunc pignus vendebatur, & detracta sorte, exiguoque illo adjecto, residuum de æstimatione pignoris debitori restituebatur.

30. Contradixerunt multi hujusmodi Montibus Pietatis tanquam usurariis, eo quod ultra sortem principalem quidpiam exigeretur: unde controversia ista ad Sedem Apostolicam iterato fuit devolura. Verum hujusmodi Montes Pietatis per diversos successive Summos Pontifices, ac tandem in Concilio Lateranensi, Sessione 10. per Leonem X. fuerunt solemniter approbati tanquam liciti, & omni specie mali carentes, ut patet ex ejusdem Bulla, *Cum inter nonnullos*, in dicto Concilio edita. Hinc

31. Resp. Montes Pietatis liciti sunt, & pii, non obstante, quod in debitam ministrorum sustentationem, atque ad Montis necessariam conservationem, modicum quid ultra sortem principalem exigatur. Patet hoc

hoc ex definitione citati Concilii Generalis Lateranensis, & approbatione Leonis X. aliorumque Summorum Pontificum. Accedit ratio, quia quamvis in hujusmodi Montibus Pietatis aliquid detur ultra sortem, id tamen non exigitur, neque datur tanquam lucrum ex Mutuo, sed pro sumptibus necessariis ad Montis conservationem, & pro stipendio ministrorum, qui Montem administrant, & semper parati esse debent ad mutuandum, ad pignora recipienda, custodienda que, & conficiendos libros rationum, cæteraque necessaria præstanda. Nam quia *dignus est operarius mercede sua*, ut inquit Christus *Luca* 10. jure tales a mutuatariis sustentari merentur, in quorum gratiam laborant, & inserviunt Monti Pietatis.

QUÆSTIO IV.

An aliqui Tituli excusent ab Usura?

SUMMARIUM.

32 *Ratione lucri cessantis, damni emergentis &c. an in Mutuo possit quid exigi?*
33 *Corollarium de lucro cessante, &*
34 *Damno emergente.*
35 *Limitatio præmissorum.*
36 *Recipi aliquid ultra sortem tanquam* Interesse, *quid?*
37 *Corollarium de periculo amittendi sortem, aut eam difficulter recuperandi.*
38 *An in mutuo possit paciscі de pœna solvendo &c.*
39 *Panam nemo potest imponere, nisi Superior; quamnam?*
40 *Pro sola carentia pecuniæ nihil potest exigi.*
41 *Solvitur objectio.*
42 *Minus est, actionem habere, quam rem; quamnam?*
43 *An authoritate principum supremorum possit in Mutuo aliquid exigi ultra sortem?*
44 *Potest lege Usuris statuimodus; non tamen tacitè licita.*
45 *Jure Gentium an approbentur Usuræ?*
46 *Quid consentiendum de praxi Romani Imperii, exigentis aliquique pro centum?*
47 *Aliorum opinio refertur.*
48 *Alii justificuli, hanc praxin excusantes.*
I. *Ob contractum Societatis.*
II. *Ob contractum Census.*
Regula practica circa justitiam contractuum.

32. QUæritur I. An liceat aliquid in Mutuo ultra sortem exigere ratione lucri cessantis, damni emergentis, vel periculi sortis principalis amittendæ, ac hujusmodi? Resp. affirmative, prout tenent Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *dubit.* 12. *& seq.* Layman, & alii satis communiter, paucis exceptis. Ratio est: quia spes lucri, qua se privat Mutuator in gratiam Mutuatarii, est prætio æstimabilis (& idem dicendum de damno emergente, ac periculo amittendæ sortis principalis, & hujusmodi) ergo licite aliquid ratione ipsius exigi potest, ac talis compensatio in pactum deduci. Hinc

33. Infertur I. Quod liceat aliquid ultra sortem accipere ratione lucri cessantis, si videlicet Mutuatori ex eo, quod alteri mutuum det, lucrum abscedat: Veluti si mercator det mutuos centum florenos, ex quibus alioquin fuisset negotiaturus, cum spe, intra certum tempus lucrandi quinque alios florenos, potest istos a Mutuatario ultra sortem exigere; quia non dicitur petere Usuras, sed potius Interesse, & ne ipse mercator ratione mutui dati ex lucro sibi cessante damnum patiatur.

34. Infertur II. Etiam ratione damni emergentis posse aliquid exigi ultra sortem tanquam Interesse, si Mutuatoris revera interfit non mutuare: ut si mutuam des pecuniam, quam destinaveras ad emendum frumentum tempore abundantiæ, & postea pretio majori illud emere cogaris. Siquidem compensatio talis damni, Mutuatori emergentis, merito in pactum deducitur; cum nemo cum suo damno regulariter mutuare teneatur, & soleat.

35. Verum notant Doctores, illud intelligendum esse, dummodo mutuum vere sit causa talis damni emergentis, vel (loquendo de priori Corollario) lucri cessantis: neque plus exigatur ratione illius lucri cessantis, vel emergentis damni, nisi quantum arbitrio boni viri, spectatis omnibus cautis atque circumstantiis, illud æstimetur: nam plus exigens, licet propriè non committat Usuram, eo, quod illud non exigat vi Mutui, tamen admittit injustitiam, pretium excessivum exigendo ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 96. Pirhing *tit. de Usuris, nnm.* 40. & alii.

36. Sciendum insuper, illud, quod in ejusmodi casu exigitur ultra sortem, sive Summam capitalem, non accipi veluti Usuram (hoc est, vi mutui) sed tanquam *Interesse*.

Aliud

Aliud siquidem est, mutuum; aliud lucrum cessans, vel damnum emergens occasione mutui dati: unde quamvis mutuum debeat dari gratis, sicque pro mutuo secundum se præcise spectato nihil supra sortem exigi possit; attamen tantea mutuans potest aliquid exigere, ut lucrum inde sibi cessans, vel damnum emergens compensentur: *Nec dispendium patietur, unde videtur premium intercedere, arg. c. Pervenit, de Fideiussoribus*. Et hoc in jure vocatur *Interesse*, prout notat Glossa *c. Quoniam*, 14. q. 4. atque definitur ex *l. Si commissa, ff. Rem ratam haberi*, sic: *Id tantum competit, in quantum mea interfuit, id est quantum mihi abest, quantumque lucrari potui*, cum concordantiis.

37. Infertur III. Similiter ob probabile periculum amittendi sortem principalem, cui Mutuator se exponit mutuans hominem non satis notum, vel non industrium, aut pluribus debitis obstrictum, vel dubiæ fidei; item ratione difficultatum, aut expensarum, quæ in recuperanda sorte principali metuuntur, licite aliquid ultra sortem exigi. Ratio est: quia exponere res suas periculo in gratiam alterius, aut subire difficultatem easdem acquirendi, est quid pretio æstimabile: cum nemo teneatur gratis pro altero curas suscipere, aut res suas periculo exponere. Deinde Usura non sit, nisi exigendo aliquid ultra sortem, ex mutuo atque hoc non habetur ex dictis præmissis; ergo.

38. Quæritur II. Utrum in Mutuo sit licitum pactici, quod si Mutuatarius statuto tempore non solverit mutuum, teneatur certam pœnam solvere ultra sortem principalem: Resp. affirmative, cum Sroto 4. *dist. 15. quæst. 2. §. de secundo*, & aliis passim. Ratio est: Tum quia talis pœna imponitur, atque exigitur ad hoc, ut Mutuatarius hac ratione quasi constringatur ad sortem principalem statuto tempore reddendam, & ne culpa ita impune fallat. Tum quia ea non solvitur præcise vi mutui, sed ob moram, sive culpam solvendi mutuum: siquidem debitor, qui est in mora culpabili, peccat contra Justitiam, retinendo alienum invito domino: ac proinde is juste punitur pœna conventionali.

39. Dices: Nemo potest alteri pœnam imponere, nisi Superior; ergo. Resp. distinguendo assumptum. Nemo potest pœnam legalem, atque judicialem imponere nisi Superior, conceditur: nemo, nisi Superior, potest imponere pœnam conventionalem, negatur. Hæc siquidem ex pacto, & mutuo pactscentium consensu, atque conventione proficiscitur, juxta quod *Reg. 86. Juris in 6.* dicitur: *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*, cum concordantiis: prior autem vel ab ipsamet lege, vel ab authoritate Superioris, v.g. Judicis descendit, & ad eam potest obligari etiam invitus, sed non nisi per Superiorem.

40. Quæritur III. An pro sola carentia pecuniæ possit in Mutuo quidpiam exigi? Resp. negative. Siquidem carentia illa pecuniæ ad aliquod tempus, est intrinseca & essentialis mutuo; ergo sicuti pro mutuo, ita & pro illa carentia, nihil licite exigitur. Hinc Alexander VII. Anno 1666. jure condemnavit hanc, ordine 42. Propositionem: *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*. Nam falsitas hujus Propositionis patet ex proxime allata ratione. Similiter merito Innocentius XI. sequentem inter alias, ordine 41. Propositionem damnavit: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris æstimet pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & ecclesiastico titulo ab usura excusari*. Ita sonat propositio damnata.

41. Nec urget, quod pecunia præsens, seu numerata videatur pretiosior numeranda. Resp. eum, hoc non accidere ratione pecuniæ secundum se præcise spectatæ, sed quatenus præsens pecunia est utilis ad negotiandum, lucrumque quærendum &c. Alioquin considerando pecuniam secundum se præcise, atque independenter a lucro cessante, & sublato omni damno emergente, perinde quoque amittendi sortem principalem, & difficultate iitam recuperandi; tantundem est, pecuniam jacere in propria, vel alterius cista: Quamvis fenerius pro parte mutuantis manebit pecunia illa apud Mutuatarium, ut, si furto, aut alio casu inopinato pereat, damnum mutuatario emergat, non mutuanti; qui eam tollta statuto tempore absque alia difficultate (uti supponitur) integram recipiet.

42. Neque etiam obstat: *Reg. minus 105. ff. de Regulis Juris*, ibi: *Melius est actionem habere, quam rem*. Nam, ut recte notat Glossa ibidem, id procedit ratione dubii eventus, executionis, & sententiæ ineertæ, nec non & difficultatis in prosequenda actione intervenientis: aliisque enim sublatis similibus periculis, & incommodis, locum habet

Reg.

Reg. Qui actionem, 15. *ff. eod.* asserens: *Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.*

43. Quæritur IV. An auctoritate Principum supremorum, vel consuetudine Provinciarum, possit in Mutuo quidpiam exigi ultra sortem? Ratio dubitandi est, quia in primis Jure Civili videtur hoc concedi, ut *l. Placuit, ff. de Usuris*, ibi: *Placuit, licitas usuras posse peti*, junctis *l. Eos qui Cod. eod.* cum concordantiis. Deinde id convincere videtur praxis totius Romani Imperii, post Recessum Deputatorum Imperii Spiræ, Anno 1600. celebratum, & a Rudolpho II. confirmatum, quinque pro centum mutuo datis annuatim recipiens. Tandem Princeps supremus ob dominium altum potest per commune Statutum, seu Legem, aut etiam Rescriptum, ex causa justa & publica transferre dominium rerum quarundam ab uno in alterum, ut patet in Præscriptione; ergo idem potest fieri in moderata Usuris.

44. Resp. I. Quamvis valeat lex, quæ ad vitandum majus malum statuit certum modum Usuris, ne videlicet Usurarii sub aliquo prætextu lucri cessantis, vel damni emergentis &c. nimium a debitoribus extorquant: nulla tamen lege, vel consuetudine Provinciarum, possunt Usuræ reddi licitæ. Prima pars est communis Doctorum, eamque tradit Engel *tit. de Usuris, nu.* 10. hicce in Usuræ non approbantur, ut licitæ, sed permittuntur duntaxat, ac nimius excessus earum coërcetur. Altera pars sequitur ex dictis *n. 5. & seqq.* quia Usuræ sunt prohibitæ Jure divino & naturali, cui nulla lege positiva, vel contraria consuetudine derogari potest, *arg. cap. ult. de Consuetudine.*

45. Ad rationes dubitandi, & in primis ad textus Juris Civilis dicitur, de mente Juris Civilis vanescere Doctorum sententias, cum nonnulli volunt, Jure Civili esse quidem permissas Usuras, in quantum eas non punit, ad evitanda majora mala seu peccata; non tamen approbari tanquam licitas: prout simile quid contingit in publicis lupanaribus, & quibusdam aliis. Alii Jus Civile explicant de Usuris (ut vocant) compensatoriis, quidpiam ultra sortem exigentibus ratione lucri cessantis, damni emergentis, vel alterius justi Tituli: non vero de Usuris lucrativis, hoc est, de iis, in quibus exigitur lucrum vi mutui ultra sortem principalem. Quod si vero Leges Civiles permitterent Usuras hasce lucrativas, dicendum, eas, ceu foventes peccatum, esse correctas Jure Canonico *Clem. un. de Usuris.*

46. Ad Recessum Spirensem, & praxin Germaniæ, respondet Engel *l. c. num.* 20. post Henricum Canisium *de Usuris, cap. 1. n. 9.* jure Imperii quinque pro centum permitti ex præsumptione lucri cessantis, damni emergentis, aut alterius justi Tituli; unde communiter Summa illa dicitur peti, & accipi per modum *Interesse*. At profunde, si pecunia revera fuisset otiosa apud mutuantem, & nihil interfuit eam mutuo dari, volunt plerique (inquit Engel) talem non fore immunem ab Usuris in Foro conscientiæ, ubi non ex præsumptione, sed ex veritate proceditur.

47. Dicitur notanter, *volunt plerique*: Nam propter ultimam rationem dubitandi *n.* 43. allatam, conantur aliqui hanc consuetudinem ab Usura excusare, eo quod excessus ille non recipiatur præcise vi mutui (hoc enim repugnat Juri naturali, ac Divino) sed ob auctoritatem supremi Principis, seu Reipublicæ, propter publicam utilitatem ob dominium altum validiores tale pactum. Ita Christoph. Hamoldus *tom. 7. de just. & jure tract. 9. cap. 3. §. 8.* citans Sa *V. Contractus, n. 4.* & Tannerum *tom. 3. disp. 4. quæst. 7. dub. 3. num. 79.*

48. Additur etiam *nu. 46. aut alterius justi tituli*: Siquidem præter lucrum cessans, aut damnum emergens, possunt intervenire nonnulli alii justi tituli, annuatim accipiendi quinque, v.g. pro centum, ac præsertim sequentes. I. Ob contractum Societatis sive expressum, sive saltem implicitum, ac lege publica, vel consuetudine patria constitutum, in quo unus pecuniam, alter vero industriam confert: nam justum est, ut si alius mediante mea pecunia negotietur, lucrumque honestum acquirat, virtute talis contractus Societatis mihi partem lucri attribuat: Engel *tit. de Usuris §. 3. num. 11.* Hoc ipsum plures Doctores concedunt etiam de illo contractu Societatis, quo quis salva sorte principali ac potestate dissolvendi pro libitu contractum ipsum, dat mercatori pecuniam, ut is institura negotiatione, sive lucrum inde capiat, sive damnum patiatur, in annos singulos teneatur certum quid solvere, v.g. quinque pro centum; ita tamen, ut soluto illo modico alter velit, debeatque semper esse contentus, non considerato majori lucro, si quod inde mercatori advenerit. Layman *l. 3. tract. 4. cap. 18. n. 11.* post Hostiensem, Navarrum,

Covar-

Covarruviam, & alios. II. Ob contractum Census, si debitæ conditiones concurrant, annuam pensionem juste exigi, amplius patebit ex proxime dicendis *Quæst. 6. per totum*.

Et quidem passim fatentur Doctores, contractum in aliqua Regione usitatum, & a Viris etiam probis atque honestis celebrari solitum, non facile condemnandum esse iniquitatis; simulque ex parte rudiorum sufficere, si implicite intendant justum talem Titulum, unde consuetudo illa ortum habuit; aut velint contrahere modo, quo de jure possint, meliori. Quod si quis autem ex mutuata pecunia sua lucrum quærat præcise vi Mutui, id nulla ratione potest a peccato excusari, cum repugnet Juri naturali, ac Divino.

QUÆSTIO V.

De Pignore, & Hypotheca; ubi de Antichresi, & Pacto Legis Commissoriæ.

SUMMARIUM.

49 *Pignus unde sic dictum?*
c. Quæst. I. num. 2.
Quomodo differat ab Hypotheca?
50 *Pactum Antichreseos, quid?*
51 *Est regulariter illicitum.*
52 *Nisi intercedat alius justus titulus.*
53 *Pactum Legis Commissoriæ, quid?*
54 *In Pignoribus an valeat?*

49. *Pignus appellatur a pugno, quia res, quæ pignori dantur, manu* (seu pugno) *traduntur: unde etiam quidam putant, pignus proprie rei mobilis esse*; prout notatur *l. Plebes ff. de Verb. signif.* Porro Pignus accipitur vel pro re ipsa in Pignus data, vel pro contractu, ac resultante inde obligatione Pignoris, ut in simili dictum superius de mutuo. (c) Differt autem Pignus ab Hypotheca, quod pignus proprie dictum sit rei mobilis, creditori a debitore traditæ, ad præstandum securitatem de solvendo debito, vel adimplendo promisso: Hypotheca vero sit rei immobilis; ut si altari in securitatem solvendi debiti hypothecetur ager, domus, vel hujusmodi res immobilis. De extero Pignus, & Hypotheca, pari ferme passu ambulant: & quod dicitur de uno, servata proportione intelligendum est de altero. Quinimo allata quoque differentia non semper observatur; nam Pignus quandoque attribuitur rei etiam immobili, quæ traditur creditori, *arg. l. 2. ff. de Religiosis & sumptibus funerum*, ibi: *Qui pignori dedit agrum* Circa quod

50. Quæritur I. An pactum Antichreseos sit licitum, nec ne? Ubi sciendum est, Antichresin esse pactum inter creditorem & debitorem, ut creditor tamdiu pignore uti & fructus ejus lucrari possit, donec debitum sibi restitutum sit. Quo prænotato

51. Resp. Cum communi, Pactum Antichreseos regulariter esse illicitum, ac usurarium. Ratio est; quia alioquin creditor ultra pecuniam, quam mutuo dedit, aliquid lucrabitur causa solius Mutui, quæ est Usura; siquidem in tali casu creditor lucraretur fructus ex Pignore. Hinc in Jure Canonico c. *Cum contra, de Pignoribus*, habetur, quod *secundum Canonicas sanctiones fructus restituti, & in sortem debeant computari*. Hinc etiam *cap. 1. & 2. de Usuris*, dicitur, quod sit *usura, lucri facere fructus rei pignoratæ*.

52. Dicitur *regulariter*: nam possunt quandoque alii justi Tituli intervenire, ut liceat fructus ex Pignore lucrari. Primus est: si fructus ex pignore, vel Hypotheca percepti non superent quantitatem pensionis, quæ in Jure Census, super eadem Hypotheca secundum morem Patriæ constituti, exigi potest. Secundus est: si creditor fundum, qui Pignori destinatus erat, certo pretio emat, cum pacto revendendi; nam tunc creditor fit verus dominus illius fundi, quamvis ipsum revendere teneatur, quando alter vult pretium principale refundere. His addi poterunt casus illi, in quibus ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, licitum est aliquid in mutuo ultra sortem principalem exigere. Item & nonnulli alii casus, de quibus Canonistæ.

53. Quæritur II. An in Pignoribus licitum sit pactum Legis Commissoriæ? Ubi notandum, quod Pactum legis Commissoriæ dicatur illud, quo creditor cum debitore convenit, ut si intra certum tempus non fuerit debitum solutum, Pignus pleno jure acquiratur creditori.

54. Resp. cum communi Doctorum, hujusmodi pactum Legis Commissoriæ in Pignoribus non valere, sed veluti usurarium reprobari; & quidem tam a Jure Canonico *c. Significante, de Pignoribus*, quam a Jure Civili, *l. ult. C. de Pactis Pignorum*: Ratio est; quia pignus ordinarie plus valet, quam ipsum debitum; unde ejusmodi Pactum vere est usurarium. Debet proinde in tali casu Pignus vendi, ac pretium sortem principalem excedens ipsi debitori restitui: sicuti observatur in Montibus Pietatis, si debitum tempore definito non solvatur. Nonnulla alia, quæ de Pignoribus dicenda forent, potius ad Juris Interpretes examinanda pertinent, quam ad Theologiam Moralem.

QUÆSTIO VI.

De censibus, & an sint liciti?

SUMMARIUM.

55 *Census quid?*
56 *Censuarius, & Censualista; quis?*
57 *Census divisiones.*
58 *Census reservativus, quis, & an liceat?*
Census consignativus.
59 *Census realis, & Personalis, quis?*
60 *Census perpetuus, redimibilis, & irredimibilis, Census temporalis, & Census vitalitius, quis?*
61 *Census consignativus esse licitum, ostenditur authoritate.*
62 *Ratione idoneum probatur.*
63 64 65 *Conditiones Juri naturæ requisitæ ad Censum licitum.*
66 *Alia conditiones ad Censum jure Ecclesiastico requisita.*
67 *Quoad has tamen attendenda locorum consuetudo.*
68 *Census personalis, an licitus?*
69 *Solvitur objectio contra Census.*
70 71 *Inter Census & Mutuum differentia multiplex.*

55. CONCL. I. Dimissis variis aliis acceptionibus, *census* in proposito idem est, ac jus contractu aliquo constitutum percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius. Ita in re communis. Nam, quamvis interdum ipsa pensio vocetur Census, proprie tamen loquendo Census non est ipsa pensio, sed jus eam exigendi. Et hinc, si per contractum Censualem quis vendat Census, non vendit pecuniam, aut fructus annuos, sed jus quoddam, ratione cujus emptor Census potest annuatim exigere certam pecuniam, aut fructus ex re alterius.

56. Porro venditor Census (id est, ille, qui accepta certa pecuniæ quantitate supponit rem suam Censui, sese obligando ad solvendam annuatim certam pensionem ex ea) dicitur *Censuarius*. Qui vero pretium dedit, sicque Census, seu jus percipiendi pensionem annuam ex re alterius emit, vocatur *Censualista*.

57. CONCL. II. Census varie dividitur: & primo quidem in reservativum, & consignativum; deinde in realem, & personalem, in perpetuum, ac temporalem, & hujusmodi. Ita communis.

58. *Census reservativus* dicitur, cum quis rem suam pleno jure dominii (id est, tam quoad dominium directum, quam quoad utile) transfert in alium donando, legando, vendendo, aut permutando, servata sibi annua pensione ex re illa præstanda. Et hunc esse licitum, desumitur ex *L. ult. C. de Rerum permutat.* & patet exemplo Josephi, Ægypti Proregis, qui Ægyptiis dedit Terras, prius titulo Permutationis pro tritico subjectas dominio Pharaonis, sub annuo censu Pharaoni præstando, *Genes. c. 7. Census consignativus* dicitur, quando quis super bonis suis, quorum dominium directum, ac utile retinet, vel etiam super persona sua alteri jus pensionis annuæ consignat. Et potest hic Census alteri constitui mediante contractu Donationis, Venditionis, vel Permutationis, aut alio consimili; quamvis hic potissimum sit sermo de Censu, qui Emptione constituitur.

59. *Census consignativus* subdividitur in realem, ac personalem. *Realis* est, qui fundatur super re, v.g. superdomo, agro, vinea tua; & ideo comitatur rem, ad quemcunque possessorem perveniat, donec Census redimatur. *Census personalis est*, qui fundatur super certa persona obligante se ad annuam pensionem sine ordine ad aliam rem, ex qua pensio sit solvenda; quamvis interdum securitatis gratia fundus aliquis Hypothecæ supponatur, ut ex eo præstetur pensio, si hæc a persona debitrice nequeat obtineri.

60. Insuper ratione temporis futuri dividitur Census in perpetuum, & temporalem. Perpetuus autem subdividitur in redimibilem, qui videlicet restituto per venditorem pretio potest redimi; & in irredimibilem, qui amplius redimi nequit. Temporalis etiam subdividitur in eum, qui extenditur ad certum tempus, v.g. ad triginta, vel 50. annos: & in eum, qui extenditur ad tempus incertum, ut puta ad vitam unius hominis vel

vel duorum; & hic *Census* proprio nomine dicitur *vitalitius*.

61. CONCL. III. Census consignativus realis, sive perpetuus, sive temporalis, etiam vitalitius, est licitus, ac neutiquam usurarius, si eo pretio fuerit emptus, quod vel lex taxavit, vel loci consuetudo approbavit. Ita omnes Doctores: & constat ex *Extrav. Martini V. & Calixti III.* quarum utraque habetur in Jure Canonico, inter Extravagantes communes, *tit. De Empto & vendit.* ubi ex professo definitur, ejusmodi contractus Censuales, seu Census emptos, in quorum reditibus, ac fructibus, pleræque Monasteriorum, Hospitalium, Ecclesiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum fundationes, atque proventus dignoscebantur consistere, *esse licitos, Jurique conformes; & vendentes eosdem, ad ipsorum solutionem census, & redituum juxta dictorum contractuum tenores efficaciter teneri.*

62. Accedit ratio: quia Usura non committitur, præterquam in Mutuo, *arg. can. Si fenerauerit 14. q. 3.* & patet ex ipsa definitione Usuræ *n.* 11. allata: atqui in Censu non intervenit Mutuum, sed verus contractus venditionis & emptionis; nam Censuarius vendit sub certa pecunia ipsi Censualistæ jus percipiendi fructus aliquos ex agro, prædio &c. ergo. Confirmatur: quia Census est veluti pars quædam Usufructus; nam continet jus percipiendi partem fructuum sive annuorum redituum, quod jus est hic & nunc certa pecunia comparatum, non minus ac donatione, vel titulo legati comparari potest.

63. CONCL. IV. Nihilominus, ut contractus Censualis sit licitus ac justus, Jure naturæ requiruntur sequentes conditiones. Prima est: ut Census constituatur in re frugifera; ut est ager, domus, & hujusmodi. Nam vi census venditur jus percipiendi fructus alicujus rei, & consequenter hæc debet esse frugifera.

64. Secunda conditio, Jure naturæ requisita ad contractum Censualem, est: ut justo pretio Census vendatur, & ematur. Hæc enim conditio ex natura rei requiritur ad quamcunque venditionem, & emptionem. Censetur autem justum pretium, quod vel lege, vel consuetudine, aut saltem iis deficientibus, arbitrio proborum & prudentum virorum taxatum est: quale in Imperio communiter censetur esse centum pro quinque annuatim præstandis.

65. Tertia conditio est: quod si res censui subjecta pro parte, aut ex toto pereat, vel in perpetuum (secus, si ad modicum tempus cum refusione fructuum alio tempore percipiendorum) infrugifera reddatur, etiam census ipse pro rata, seu juxta commensurationem, pro parte, aut ex toto pereat. Siquidem censualista habet jus ad fructus rei, seu est dominus hujus juris: quælibet autem res domino suo fructificat, aut perit. Hinc in casu fortuito si domus censui subjecta pereat absque culpa censuarii, perit census, Secus, si pereat v. g. incendio ex culpa censuarii: nam tunc is vel debet refundere pretium census, vel hunc super alia re immobili constituere; ut post Lessium *lib. 2. cap. 23. n. 88.* notat Pirhing. *tit. de usuris n. 80.* pluribus hanc conditionem explicans.

66. Præter has Jure naturæ ad censum requisitas conditiones, sunt nonnullæ aliæ, quæ vel in duabus Extravag. Martini V. & Calixti III. indicantur, vel in Bulla S. Pii V. quæ incipit: *Cum onus Apostolicæ*, super contibus edita (ac refertur *tom. 2. Bullarii Romani constit. 79. dicti Pont.*) de novo requiruntur: ut, quod census non nisi super re frugifera immobili, vel quæ pro immobili habetur, constituatur: quod census imposterum non nisi redimibiles constitui possint: quod pretium census ab invito repeti non possit, præterquam si censuarius denuntiaverit, se traditione pretii velle censum extinguere: quod census augeri, vel novus super eadem re constitui non possit, & hujusmodi.

67. Verum hæ conditiones hic omittuntur tum brevitatis gratia, tum quia quoad eas attendenda est locorum consuetudo; eum nonnullis earum, utpote mero Jure humano Ecclesiastico requisitis, per contrariam consuetudinem derogari possit. Et certe Bullam citatam S. Pii V. non esse ubique receptam, ut in Belgio, Gallia, Germania &c. censet Lessius *cit. cap. 22. dubitat. 23.* in quibus proinde locis non forent usurarii census illi, qui aliter constituti sunt, ac in Bulla S. Pii V. præscribitur.

68. CONCL. V. Etiam census personalis est licitus, quantum est spectata natura rei. Ita Lessius *loc. cit. nn.* 18. Layman, & communior Doctorum, quamvis nonnulli teneant oppositum. Ratio est: quia & hic solummodo venditur jus annuatim percipiendi aliquid ex lucris, quæ Censuarius sua industria acquirit; ergo redit ratio superius allata. Additur vero, *quantum est ex natura rei*: Siquidem juxta citatam Bullam S. Pii V. secundum quam Census non nisi in re immobili frugifera constitui potest, secus esset dicendum.

69. Objicies generatim contra omnes census. In venditione aut emptione Census intervenit Mutuum virtuale, seu quasi Mutuum: ergo & Usura palliata. Antecedens probatur: nam in re idem est, emere pro 1000. florenis Censum annuum 50. florenorum, ac mutuos dare 1000. florenos sub lucro 50. florenorum per singulos annos recipiendo: cum utrobique Summa capitalis salva maneat. Resp. negando assumptum, cum sua Probatione: multiplex enim est differentia inter Censum, & Mutuum. Prima est: quia in Censu emitur jus percipiendi certos fructus ex re, vel persona alterius: in Mutuo, utpote quod gratis fit, nullum tale jus emitur.

70. Secunda differentia inter Censum, & Mutuum est: quia Mutuatarius cogitur similem in specie, ac bonitate rem mutuatam, seu sortem reddere, imo ad eam reddendam vi Mutui se obligat: secus fit in Censu, ubi Censuarius vi hujus contractus (secluso pacto redimendi ad arbitrium emptoris, utpote prohibito per Bullam S. Pii V. aut nisi censuarius velit sponte Censum redimere) non tenetur reddere sortem, sed duntaxat annuam pensionem.

71. Tertia differentia est: quia in Mutuo sub Usuris, obligatio principalis est ad sortem reddendam, & accessoria ad usuras: in contractu autem censuali principalis obligatio est ad reddendam pensionem annuam, nulla ad sortem, nisi quis velit Censum redimere. Pandem nullius justus titulus potest assignari recipiendi aliquid ultra sortem vi Mutui, ut patet ex dictis *num. 19. & seqq.* secus fit in Censu juxta proxime dicta.

QUÆSTIO VII.

Quid, & quotuplex sit Cambium, & an licitum?

SUMMARIUM.

72 *Cambium, quid?*
73 *Et quomodo differat a Mutuo?*
74 *Cambsor, & Cambsarius, quis?*
75 *Cambium reale, & siccum.*
76 *Cambium minutum, & Cambium locale, seu per litteras, quid?*
77 *In Cambio minuto licite aliquid accipit Cambsor.*
78 *Tituli in eo plus accipiendi, quam dandi.*
79 *An pecuniam auream alteri solvendam, liceat nuntio prius permutare, vetento huic?*
80 *Limitatur solutio.*
81 *Etiam in Cambio locali licite Cambsor aliquid lucratur.*
82 *Tituli accipiendi plus in Cambio locali.*
83 *Alii Tituli.*
84 *Cambium siccum est illicitum, ac usurarium.*
85 *Quid de conditionibus cambio reali præscriptis?*

72. CONCL. I. Cambium generatim idem est, quod permutatio: sed ex usu vulgato, & quantum attinet ad propositum, accipitur pro permutatione numismatum; solentque communiter definiri, dicendo: *Cambium* est permutatio pecuniæ pro pecunia, & vulgo dicitur, *Cambium*.

73. Differt autem Cambium a Mutuo, quod contractus Mutui unica pecuniæ traditione perficiatur, quæ reddi debet post temporis intervallum: Cambium vero, cum sit quædam species Permutationis, *do, ut des*, non ante perfectum censetur, quam utrinque pecuniarum traditio facta sit. Deinde Cambium semper fit ob aliquam diversitatem pecuniarum ultro citroque dandarum, cujus diversitatis ratio in Mutuo non habetur.

74. Porro ille, a quo petitur pecunia permutanda, dici solet *Cambsor*: alter vero, ad cujus petitionem pecunia ipsi commutatur, *Cambsarius* appellatur.

75. CONCL. II. Cambium dividitur in reale, & siccum. Ita communis. *Cambium reale* est legitima permutatio pecuniarum, ex qua jure aliquid lucri capi potest: *Cambium siccum* vocatur, quod non est verum Cambium, sed fingitur esse, eo quod imaginem quadam Cambii præseferat: ut, quando habetur sola ratio temporis, aut quando fingitur alibi solutio faciendæ, & sit eodem loco cum usura. Et dicitur, *siccum*, quia caret humore, seu justo titulo ad pariendum lucrum. Unde hujusmodi cambia ficca, tanquam usuraria, damnavit S. Pius V. in Bulla de Cambiis edita, quæ incipit: *In eam pro nostro* (& habetur *tom. 2. Bullarii Romani, Constit. 118. dicti Pontif.*) quamvis exteroquin in ea appellet *Cambiorum usum legitimum, & quem necessitas, publica-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

licaque utilitas induxit: quod de Cambiis realibus, ritèque usurpatis intelligendum.

76. CONCL. III. Cambium reale subdividitur in minutum, & locale. *Cambium minutum*, est permutatio numismatum diversæ rationis, & speciei: ut si major pecunia, ut puta Ducatus, cum minore, vetus cum nova, patria cum externa, aurea cum argentea, argentea cum cuprea, vetita cum legitima permutetur. Et dicitur, *Cambium minutum*: quia in eo frequentius pecuniæ grandiores cum minutioribus commutantur, v.g. Ducatus, vel Talerus cum sestertiis, aut cruciferis. *Cambium locale* est illud, in quo pecunia præsens commutatur cum pecunia distante in alio loco. Dicitur etiam *Cambium per litteras*, quia plerumque litteræ dantur, quibus mandatur correspondenti, ut in illo altero loco pecuniam solvat.

77. CONCL. IV. In cambio minuto licet aliquid, lege definitum, accipit Campsor a Campsario supra valorem nummi permutati. Ita omnes Doctores. Siquidem, ut bene notat S. Pius V. in Bulla proximè citata, hujusmodi Cambiorum usum necessitas, publicaque utilitas induxit, alioquin enim advenæ, & peregrini, in terris alienis vix possent aliquid emere, cum non eadem moneta ubique sit in usu, ac proinde non usualem oporteat commutare pro usuali, mediante illhoc Cambio minuto.

78. Porro titulus in Cambio minuto accipiendi plus, quam dandi, est multiplex. Primus est locatio operæ & obsequii, quod Campsor præstat congregando omnis generis pecunias, quæ permutari petentibus possint, atque paratum se præbendo ad easdem commutandas secundum Campsariorum voluntatem. Alter titulus est lucri, vel commodi cessantis: nam sæpe accidit, ut unum genus monetæ plures, easque pretio æstimabiles commoditates habeat, quam alterum. Tertius est labor numerandi pecuniam. Plures similes titulos refert Lessius *l. 2. c. 23. dubit. 2.*

79. Quæres, an si famulo, vel nuntio tradam centum Ducatos in auro, ut solvat meo creditori, non curans, qua specie id fiat, & ille Ducatos illos prius commutet pro monetâ argentea cum lucro, eamque postmodum solvat creditori, retento lucro, licite id fiat, vel potius teneatur talis ad restitutionem illius lucri? Resp. talem non teneri ad restitutionem lucri. Ita Lessius *loc. cit. n. 7.* & alii. Ratio est: quia illud lucrum est fructus industriæ, proveniens ex negotiatione pecuniaria, famuli industria & periculo facta; ac proinde nec domino pecuniæ debetur, nec etiam suo creditori, utpote cui integre per aliam pecuniam satisfit.

80. Dicitur notanter in casu posito, *non curans, qua specie id fiat*: Nam si mens domini erat, ut illam pecuniæ speciem, ut puta centum Ducatos in auro, famulus suo creditori traderet, eo quod cuperet illi gratificare, vel dare occasionem lucri, tunc peccaret famulus, commutando pecuniam illam in aliam speciem cum lucro: quia ageret contra justam domini intentionem. Unde si exinde alteri æquatur damnum, tenebitur ad restitutionem, seu recompensationem illius.

81. CONCL. V. Etiam in Cambio locali licitè potest aliquid a Campsore lucrari, idque variis ex titulis: sic v.g. si Campsor Monachii accipiat a Campsario 100. florenos, datis eidem litteris, ut Romæ a suo correspondente accipiat tantum 95. vel quid simile, cum detractione alterius justi, & consueti Campsorum lucri sive auctarii, licite id fit. Ita Doctores communiter: & patet ex citata Bulla S. Pii V. Siquidem hunc Cambiorum usum necessitas, & publica utilitas induxit; ne videlicet in terras remotas abituri, summo cum incommodo, quin & periculo, magnum pecuniæ pondus semper secum portare cogantur.

82. Caterum causa, seu justus titulus plus accipiendi, quam postea dandi, in primis est accessorius Contractus locatæ operæ ad pecuniam formaliter, vel virtualiter transferendam in locum, quo Campsarius vult. Si enim Monachio Romam usque centum florenos transferre deberes, multum laborem, periculumque subiturus esses; hoc autem onere te liberat Campsor, cum in se recipiat obligationem numerandi ibi Romæ condictam pecuniam cum magna tua commoditate: atqui tale obsequium est pretio æstimabile, ut patet; Ergo. Et ex hoc fit, ut quo longius distat locus, ad quem Cambium instituitur, & quo periculosior via, eo majus auctarium exigi possit, & solcat.

83. Secundus titulus, quo lucrari potest Campsor in hoc locali Cambio, est assecuratio, ac præstatio periculi. Siquidem Campsor accipiens hic pecuniam alio trajiciendam, non solum suscipit onus transferendi pecuniam illam, sed etiam periculum, ut si pe-

si pereat, non dauti, sed ipsi Campsori pereat: atqui præstare tale periculum trajectionis, atque assecurationem, est pretio æstimabile, ut constat; ergo. Accedunt alii tituli, ac præsertim illi, qui in simili de Cambio minuto procedunt, ac *n. 78.* referuntur.

84. CONCL. VI. Cambium siccum est illicitum, ac usurarium. Ita declaravit S. Pius V. in citata Bulla de Cambiis, quæ incipit, *In eam pro nostro*. Et talia sunt illa, in quibus ex intentione contrahentium post aliquod tempus cum lucro sit solutio in eodem loco, eo quod alter alibi pecuniam non habeat, ut jam *n. 75.* explicatum.

85. Tandem sciendum, quod S. Pius V. in citata Bulla quasdam conditiones in Cambiis realibus observandas præscripserit; verum notat Lessius *cit. cap. 23. num. 93.* quod eædem paucis in locis, & forte nullibi (saltem quoad omnes conditiones) sint usu receptæ.

QUÆSTIO VIII.

De Emptione, & Venditione.

SUMMARIUM.

86 Emptio, & Venditio, quid?
87 Pretium rerum duplex, legitimum & vulgare.
88 Pretium legitimum consistit in indivisibili.
89 Pretium vulgare triplex, summum, medium, & infimum.
90 Pretii vulgaris justitia unde desumenda?
91 Corollarium.
92 Causa mutandi pretia rerum.
93 Corollaria.
94 Ratione Officii mercandi potest res pluris vendi.
95 Pro Foro Conscientia qualibet læsio in Emptione & Venditione restaranda.
96 Secus pro Foro externo.
97 Aut si læsio sit modica.
98 Aut aliud ex circumstantiis colligatur.
99 Rei tanti valet, quanti vendi potest, quomodo?
100 Invitus regulariter cogi non potest ad vendendum.
101 Fallit in casu publicæ necessitatis,
102 Atque in publicum favorem.

86. CONCL. I. *Emptio* est pactio pretii pro mercè: *Venditio* e contra est pactio mercis pro pretio. Ita communis, & desumitur ex §. *Inst. de Empt.* Tria siquidem ad substantiam Emptionis & Venditionis requiruntur. Primo res, quæ veneat, sive ea nunc existat, ut equus, vacca; sive sit futura, ut fructus nasciturî; item jura & actiones: nam hæc omnia nomine mercis, seu rei venalis, intelliguntur. Secundo requiritur pretium; nam sine pretio Venditio nulla est; debetque simul pretium in numerata pecunia consistere; alioquin enim non venditio & Emptio, sed rerum Permutatio foret. Tandem ad Venditionem & Emptionem requiritur pactio; id est, ut in rem vendendam, & pretium pro ea præstandum, venditor & emptor consentiant.

87. CONCL. II. Pretium rerum generatim est duplex: unum legitimum, quod scilicet a Magistratu est taxatum; alterum vulgare, quod ex valore rei plurium judicio dependet. Ita rursum communis.

88. CONCL. III. Ex his pretium legitimum consistit in indivisibili, nec licet illud præterire. Ratio est: quia hoc est censendum verum rei pretium, quod a Magistratu definitum est, ne excedatur; simulque judicium Magistratus, qui authoritate publica, & boni communis intuitu, tale pretium constituit, est præferendum judicio populari. Intellige, dummodo mutatis circumstantiis copiæ, inopiæ, & similibus, Magistratus non sit notabiliter negligens in pretio legitimo mutando; nam alioquin lex censeretur iniqua, & posset res vendi pretio vulgari. Lessius *lib. 2. cap. 21. n. 14.* & alii.

89. Pretium vulgare e contra non consistit in indivisibili, sed habet quandam latitudinem. Hinc fit, ut pretium vulgare juxta Doctores communiter sit triplex, videlicet summum, medium, & infimum. Siquidem pretium vulgare plurimum pendet ab æstimatione & affectu hominum, qui subinde variis de rebus varie judicant, & quod aliqui æstimant novem florenis, alii æstimant decem, alii undecim.

90. CONCL. IV. Loquendo de pretio rerum vulgari, generatim justum mercis pretium est, quod loci consuetudo approbat secundum communem hominum æstimationem; quæ quidem æstimatio desumitur ex abundantia vel penuria illius mercis, atque ordinaria acquirendi facilitate aut difficultate, utilitate vel usu, aliisque hujusmodi circumstantiis. Ita in re communi. Hinc

91. Inferunt Doctores, quos citat, & sequitur Layman *l. 3. tract. 5. c. 17. n. 9.* eum nihil contra Justitiam peccare, qui frumentum pretio consueto vendit, conscius

brevi tempore superventuram frumenti copiam, vel hostium incursionem, aut hujusmodi, si hæc causæ minuendi pretii publice ignorentur. Ratio est: quia rerum pretia non ex privata unius, aut alterius hominis notitia vel affectione, sed ex communi hominum æstimatione ac sensu accipienda sunt. Idem de similibus dicendum.

92. CONCL. V. Variæ sunt causæ, ob quas rerum venalium pretia augeri, vel minui solent. Ita communis. Sic enim passim penuria mercium, multitudo emptorum, & paucitas vendentium, auget rerum pretia; ac e contra mercium abundantia, multitudo vendentium, & paucitas emptorum minuit pretia. Hinc in transitu alicujus Principis cum magno comitatu, rerum pretia accrescere solent; in fine autem Nundinarum, dilapsis emptoribus, merces vilius emuntur: idem fit tempore pestis, & post partam ab hostibus victoriam.

93. Similiter merces, quæ sub hasta venduntur, minoris æstimari solent, quam quæ in propria Officina quæruntur, & rogantur. Item merces, quæ per partes venduntur, carius distrahuntur ob majorem molestiam, minusque lucrum, quam quæ in magna quantitate. Sic etiam ob singularem affectionem, aut commoditatem, quam venditor ex re vendita habet, eaque in gratiam emptoris se spoliat, potest res carius vendi: & e contra, si emptori commodum non sit emere, sed a venditore rogetur, ob hanc circumstantiam aliquantulum minuitur pretium mercis.

94. Tandem, ut taceantur plures alii tituli variandi pretia rerum, licitum est rem pluris vendere ratione officii mercandi. Sic enim mercatores possunt paulo pluris vendere, quam ab aliis vendi soleat, qui non ex officio, sed ex occasione aliquid vendunt. Ratio est: quia pretio est æstimabile, quod illi ex officio curas, laboresque in rebus conquirendis, conservandis, & distrahendis assidue impendant, & quidem cum periculo, ne aliquæ merces tractu temporis ipsis pereant.

95. CONCL. VI. In Foro conscientiæ omnis Venditio & Emptio, in qua latitudo justi pretii exceditur, est iniqua, & lædens alterum tenetur ad restitutionem: nisi læsio sit valde modica, aut liberalis datio vel remissio ejus, qui deceptus fuit, saltem præsumpta accesserit. Ita D. Augustinus *lib. 13. de Trinit. c. 3.* estque communis Doctorum: id enim exigit Justitia commutativa, quæ in contractibus vult servari æqualitatem.

96. Dicitur: *in Foro conscientiæ*: Quia in Foro externo, ob multitudinem litium evitandam non succurritur alicui, nisi supra dimidium justi pretii deceptus fuerit; nam tunc primum conceditur Actio venditori contra emptorem, ut vel rem emptam restituat, vel id, quod deest justo pretio, suppleat: prout habetur *l. Rem majoris C. De rescindenda vendit.* junctis *c. Cum dilecti, & c. Cum causa, de Emptione.*

97. Dicitur ulterius, *nisi læsio sit valde modica*: nam tunc non tenetur quis ad restitutionem, ob levitatem materiæ. Quinimo, quia durum est inter homines, in contractibus semper observare exactissimam justitiam; simulque modus commutantium quasi fundatus sit supra illud Legis naturæ: *Quod tibi vis fieri, hoc alteri facias*: hinc Doctor subtilis *4. d. 15. q. 2. nr. 2.* notat, ferme omnem contractum concomitari aliquam donationem; & mox subjungit, *satis probabile esse, quod quando contrahentes sunt mutuo contenti, non tuo volunt sibi remittere, si secundum aliquid deficiunt ab illa justitia requisita.* Et hanc doctrinam communiter recipiunt Doctores, ac ex ea Layman *l. c. n. 6.* format hanc Regulam: *In dubio est æstimandum, quod contrahentes invicem remittere & condonare velint, si in contractu inæqualitas modica, & non admodum notabilis accidat.*

98. Secus est dicendum, si est notabilis inæqualitas: tunc enim non est præsumenda donatio, vel remissio, nisi ex circumstantiis de liberali donatione, aut ultronea remissione, possit sumi conjectura: ut si emptor cognatus sit venditoris, & alias bene facere solitus; aut si læsio facile potuit deprehendi, & hujusmodi.

99. Quæres, quomodo intelligendum sit illud commune dictum: *Res tanti valet, quanti vendi potest?* Et illud, quod habetur *l. in causa cognitione, ff. de Minoribus*, ubi dicitur; *in pretio emptionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire?* Resp. cum communi, hujusmodi dicta intelligenda esse de circumventione intra limites justi pretii, seu justæ æstimationis, quia justitia pretii non consistit in indivisibili.

100. Quæres ulterius, an quis invitus cogi possit ad vendendum rem suam? Resp. cum communi, id regulariter loquendo fieri non posse. Ratio est: quia quilibet est dominus rei suæ, sicque de ea disponere potest pro libitu, vel eam retinere, prout sibi placuerit.

101. Di-

101. Dicitur, *regulariter loquendo*: nam sunt excipiendi aliqui casus, in quibus etiam invitus cogitur vendere rem suam. Primo quidem, in casu publicæ necessitatis; sic enim, si publica urgeat necessitas, v. g. tempore inopiæ frumenti, aut aliorum victualium ad usum quotidianum requisitorum, possunt justo per Magistratum taxato pretio subditi cogi ad vendendum ejusmodi res pro sublevanda publica necessitate.

102. Secundo, ob publicum etiam favorem cogitur quis vendere rem suam: sic quippe, si domus v. g. vel fundus privatæ personæ necessarius sit ad constructionem, vel ampliationem Civitatis, vel viæ publicæ, aut Principis Palatii, sive Templi, Monasterii, Collegii, vel etiam Hospitalis, cogitur quis ejusmodi domum, vel fundum taliter necessarium, justo pretio vendere. Siquidem in hujusmodi casibus favor publicæ utilitatis, vel necessitatis, præponderare debet privatis commodis. Layman *l. 3. tr. 4. c. 17. §. 5. n. 4.* & alia.

QUÆSTIO IX.

De Ludo, & Sponsionibus.

SUMMARIUM.

103 *Ludus dupliciter accipitur.*
104 *Ludi Contractus, an licitus?*
105 106 107 *Tres conditiones ad justitiam Ludi requisitæ.*
108 *Ludere principaliter propter lucrum, an sit peccatum?*
109 *Alia responsio.*
110 *Lusus alearum est Clericis, & Religiosis prohibitus.*
111 *Per Lusum alearum quid intelligatur?*
112 *Lusus aleæ vix etiam Laicis de Jure prohibetur.*
113 *Qui lucratur Ludo prohibito, an teneatur ad restitutionem?*
114 *Sponsio, quid?*
115 *Certus de veritate, nequit Sponsionem inire.*
116 *Nisi postmodum incipiat ambitare,*
117 *Aut protestetur alteri,*
118 *Valet juramentum, vel votum, non amplius ludendi:*
119 *Sed quale?*
120 *Violatio talis juramenti, quale peccatum?*
121 *Hoc amplius declaratur.*

103. QUantum ad primum attinet, Ludus dupliciter accipitur. I. Pro dictis vel factis, ad oblectationem animi destinatis. II. Pro contractu, quo ludentes inter se pacisc untur, ut victori cedat, quod uterque deposuit. Et in isto posteriori sensu hic de Lege agitur.

104. CONCL. I. Ludi contractus Jure naturæ est licitus, dummodo debitæ conditiones adsint. Ita communis. Ratio est: quia sicut in potestate cujuslibet est, rem suam alteri donare absolute, ita etiam in alterum transferre sub quapiam conditione, sive ea fortuita sit, sive ex intentione pendeat. Quinimo si Ludus debito modo instituatur, erit actus duarum virtutum, Justitiæ videlicet, ac Eutrapeliæ: simulque utilis esse potest ad evitandum otium, & quæ inde consequuntur mala. Layman *l. c. c. 21. n. 1.* & alii.

105. CONCL. II. Tres potissimum conditiones requiruntur ad justitiam contractus Ludi. Primo, ut ludentes habeant liberam dispositionem rei, quam in Ludum deponunt. Hinc quando alter ludentium non potest rem depositam alienare, Ut Religiosus invito Prælato (secus, accedente ejus consensu) & Filiusfamilias non habens bona castrensia, vel quasi castrensia, neque alia a patre sibi concessa ad animi oblectationem, seu liberam administrationem; tunc is neque Ludo quidquam acquirere, neque perdere potest: unde si lucretur, tenetur ad restitutionem; sicut & ille, qui ab eo lucratus est. Lessius *l. 2. de just. & jur. c. 86. n. 32.* Layman *n. 5.* & alii.

106. Secunda conditio ad justitiam contractus Ludi requisita, est, ut alter alterum per injuriam, ut puta minis, fraude vel convitiis, ad Ludum non pertraxerit: alioquin enim, si ille sic pertractus perdat, alter est ei causa damni per injuriam, ac proinde tenetur ipsi ad restitutionem; ut docet Lessius *n. 7.* Cajetanus, Covarruvias, Sotus, & communior aliorum: etsi quidam non improbabiliter oppositum teneant, eo quod talis simpliciter voluntarie luserit, & solum secundum quid involuntarie.

107. Tertia conditio justitiæ Ludi est, ut ludentes non utantur fraudibus contra leges Ludi; alioquin tenentur ad restitutionem ejus, quod sic lucrati sunt. Porro leges Ludi sunt, quas ipsi ludentes communi consensu inter se statuerunt, aut si nihil speciale statuerint, quæ eo loco communi consuetudine sunt receptæ. Nihilominus æstutiæ illæ, quæ vel communi consuetudine receptæ sunt, vel in quas expresse aut tacite lu-

dentes consentiunt, sunt licitæ: ut si quis, advertens se lucraturum, provocat adversarium ad duplum deponendum; aut si videat errantem in numerandis signis, & non moneat: quilibet enim suas duntaxat partes agit.

108. CONCL. III. An ludere principaliter propter lucrum, sit peccatum, & quale, variant Doctores. Non desunt, qui id grave peccatum reputent, ut Gabriel, Abulensis, aliique, quos pro hac sententia refert Lugo *disp. 38. de just. & jure fcit. 1. nu. 3.* Fundamentum eorum est: quia sic desideratur, & intenditur principaliter damnum proximi; quod pugnat contra illud decimum Præceptum Decalogi: *Non concupisces rem proximi tui*. Verum hæc sententia passim relinquitur: tum quia contra dictum Præceptum duntaxat est, desiderare rem proximi modo illicito, v. g. cupiendo eam acquirere per furta, rapinas, vel dolos; non autem modo licito, volendo, ut ea res fiat tua per justum contractum, ut puta per emptionem, donationem, Ludum &c. Tum quia alioquin lucrum nullatenus intendi posset, ne quidem ut finis minus principalis; quod est contra communem tenum hominum.

109. Alii itaque multi volunt, ludere principaliter propter lucrum, esse peccatum saltem veniale. Ita Navarrus *c. 20. Manualis, n. 7. & 8.* Azorius, & alii. Ratio eorum est: tum quia finis Ludi est recreatio licita, non autem lucrum; tum quia Ludus cum illa intentione factus, continet avaritiam. Cæterum quia desiderium lucri, nisi nimium sit, non semper continet avaritiam, cum possit lucrum honeste appeti, & procurari; hinc Lugo *cit. sect. 1. nu. 5.* ait, quod quando debitæ circumstantiæ concurrerent, non sit, cur damnetur peccati venialis, qui propter lucrum principaliter ludit.

110. CONCL. IV. Nihilominus Clericis, & Religiosis, Jure Canonico prohibitus est Ludus alearum. Ita habetur *can. 42. & 43. Apostolorum*: ac refertur *can. 1. d. 35.* ibi: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, alea atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur. Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor similia faciens aut desinat, aut Communione privetur: similiter etiam Laicus.* Concordat textus *cap. Clerici, de vita & honest. Cleric.* ibi: *Ad aleas & taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint.* Et Concilium Trid. *Sess. 22. cap. 1. de Reformat.* ubi omnes antiquos Canones quoad hoc innovavit.

111. Porro nomine Ludus alearum in Jure significantur omnes illi Ludi, qui magis fortuna, quam arte & industria ludentium reguntur. Et licet Doctores advertant, textus Juris allegatos loqui de iis, qui non semel vel bis, aut ad breve tempus recreationis gratia, & in modica quantitate luserint; sed de iis, qui ejusmodi Ludo prohibito deserviunt, id est, crebro, & per longum tempus ludunt: nihilominus plerique notant, Religiosos adhuc magis Ludum alearum dedecere, simulque ab ipsis propter Statum perfectiorem, & scandalum, posse graviùs in hoc genere delinqui.

112. CONCL. V. Ludus alearum etiam Laicis est de Jure prohibitus. Patet hoc tum ex *cit. cap. 1. dist. 35.* tum ex *l. Aleatum C. de Religiosis & sumptibus funerum*, ubi aleatum ludus generaliter prohibetur, adeo *ut nulli liceat in publicis, vel privatis domibus, vel locis ludere, neque inspicere: & si contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio, sed solutum reddatur, & adversus competentibus repetatur ab iis, qui dederunt &c.* Hæc ibi: Cujus quidem saluberrimæ constitutionis (quæ utinam ubique terrarum esset in vigore) ratio ibidem redditur: quia quidam sic ludentes proprias perdiderunt substantias, & consequenter blasphemare, id est, Deo maledicere conantur.

113. CONCL. VI. Utrum is, qui Ludo prohibito aliquid est lucratus, teneatur ad illius restitutionem, variant Doctores. Affirmant D. Thomas *in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 4.* Richardus, & alii. Communior tamen sententia tenet, acquisita Ludo prohibito posse retineri, neque necessario in Foro conscientiæ restituenda, donec per sententiam Judicis restitui jubeantur. Ita Covarruvias *in cap. Peccatum, de Reg. Jur. in 6. §. 4. n. 1.* Leffius *cit. cap. 26. n. 17.* Sannig, & alii. Ratio est: quia contractus Ludi Jure naturæ habet vim transferendi rerum dominium: Jus autem tum civile, tum Canonicum, etsi prohibeat Ludum alearum, nullibi tamen prohibet translationem dominii, neque irritum reddit contractum Ludi, sed solum concedit perdenti repetitionem in Judicio, adeo ut per sententiam Judicis recuperari debeat amissum; prout desumitur ex citatis supra *n. 112.* textibus Juris. Unde infertur, non sufficere, ut repetitio privatim fiat; aut etiam, ut fiat in Judicio, nisi sequatur condemnatio, quæ victor

victor jubeatur restituere: de hac enim loquitur Jus *l. c.* ac proinde ante secutam condemnationem Judicis victor nihil tenetur restituere. Leffius *n. 19.* Layman *cit. cap. 21. n. 2.* & alii.

114. CONCL. VII. Quantum ad alteram partem Quæstionis attinet, *Sponsio* est contractus, in quo duo aut plures de veritate vel eventu alicujus rei contendentes, sibi vicissim aliquid spondent, ut ejus fit, qui veritatem sit assecutus. Ita in re communis. Et quidem Sponsionis contractus est Ludo valde affinis; ac proinde, quæ de Ludo dicuntur, possunt servata proportione ad hunc contractum applicari.

115. Quæres autem, an certus de eventu, vel veritate rei, possit nihilominus Sponsionem inire, atque inde lucrum accipere? Resp. regulariter loquendo non posse. Ratio est: quia tunc vel error dat causam contractui; neque enim quispiam censetur velle spondere cum eo, qui habet certitudinem rei; vel saltem non servatur æqualitas, cum hic, utpote certus, nulli periculo perdendi sese exponat, bene tamen alter.

116. Dicitur, *regulariter loquendo*: Nam in primis ille, qui a principio certus videbatur de veritate rei, quam sustinebat, si postea altero pertinaciter contradicente, ac spondere volente, incipiat formidare, & dubitare, advertens, jam alias contigisse, ut deceptus fuerit etiam in iis, quæ sibi prius certa apparebant; poterit tunc licite lucrari, propter aliquid illud periculum, cui ia sua existimatione se exposuit. Ita Lugo *cit. disp. 31. n. 71.* Molina, & alii.

117. Deinde si habens certitudinem protestetur alteri, se esse certum, nec velle, nec posse spondere, eo quod nulli periculo se exponat, & tamen ille alius concedat, velitque spondere, non obstante certitudine illa, multi Doctores volunt, Sponsionem acceptari, lucrumque retineri posse. Rationem dant: quia tunc nulla intervenit fraus, aut injuria, sinique debet alter imputare suam temeritatem. Sunt tamen alii Doctores, qui id negant; eo quod tunc non fervetur æqualitas, quæ requiritur ad contractum Sponsionis, ut uterque aliquale periculum subeat, possitque & vincere, & vinci. Lugo ibidem *n. 27.* & alii. In praxi expeditius erit, sequi dicta *num. præc.*

118. Quæres, quid sentiendum de juramento, & Voto non amplius ludendi, vel spondendi? Resp. 1. Quamvis Ludus secundum se sit res indifferens, & quæ possit bene vel male fieri, nihilominus Votum, vel Juramentum de abstinendo a Ludo, validum est. Ita Sanchez *lib. 3. in Decalogum, c. 18. n. 1.* Lugo *loc. cit. n. 2.* contra paucos alios, qui putarunt, votum vel juramentum de abstinendo a quolibet Ludo, etiam licito, esse invalidum, eo quod Ludus licitus, sit actus virtutis Eutrapeliæ. Probatur autem conclusio a simili: Quis valet votum & juramentum, abstinendi a Matrimonio, quod tamen res bona est, & Sacramentum, ergo multo magis abstinendi a delectatione Ludi, ut quis Deo amplius vacare possit, vitareque peccata non raro inter ludendum fieri solita: nam hæc voluntas est de meliori bono.

119. Hoc tamen intelligendum est de Voto, vel Juramento deliberate facto, atque ad bonum finem ordinato: alioquin enim, sicut generaliter votum, vel juramentum de re indifferenti, atque in Dei honorem nullatenus conducente non valet, ita & in proposito fieret.

120. Resp. II. Quando violatio talis Juramenti, vel Voti, sit grave vel leve peccatum, desumendum est ex intentione juramentis, vel voventis. Ratio est: quia Votum, & Juramentum, est quædam privata lex, quam quis sibi ipsi propter Deum imponit; ergo eatenus aliquis obligabitur, quatenus intendebat sese obligare. Unde vovens, vel jurans deliberate, quod velit abstinere ab omni Ludu, sive illicito, sive licito, sive in magna, sive in modica quantitate, tenebitur abstinere ab omni; secus si vovit, vel juravit solum abstinentiam ab illicito, vel Ludu magnæ quantitatis.

121. Resp. III. Quando non constat de expressa jurantis, vel voventis intentione, tunc ea ex ipsius fine desumenda erit. Ita Sanchez *loc. cit. n. 3.* idque declaratur inductione. Sic in primis, quando finis jurantis fuit, privare se temporali hac delectatione, ut peccata sua puniret, & hoc magis servire valeat, si non constat de alia ejus intentione, censetur sub hoc juramento omni Ludu, sive magnæ, sive parvæ quantitatis renunciasse; & tunc, an fractio sit mortalis, vel venialis, dijudicandum est ex duratione Ludi. Quod si finis jurantis, vel voventis, fuit vitare jacturam pecuniæ, ipsamque prodigalitatem, tunc ex quantitate pecuniæ Ludo expositæ pensanda erit quantitas culpæ; imo si tunc ludatur in levi duntaxat quantitate, nullum erit peccatum.

TRACTATUS IX.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI, UBI ET DE RESTITUTIONE.

1. *Decalogi* nomine intelliguntur decem Præcepta illa, quæ olim ministerio Angelorum in duabus Tabulis lapideis descripta, & per manus Moysis Populo Israelitico tradita, & promulgata fuerunt, prout legitur *cap.* 20. *Exodi*, & *cap.* 5. *Deuteronomii*, ac alibi. Eorum priora tria Deum immediate respiciunt, dicunturque *Præcepta primæ Tabulæ*: septem posteriora Proximum spectant, & vocantur *Præcepta secundæ Tabulæ*. Quæ quidem Decalogi Præcepta tum ex naturali lumine generi humano indita, tum rursus a Christo Domino, utpote supremo Legislatore, non solum innovata, sed etiam magis explicata & ampliata fuerunt, prout Evangelicæ Legis major perfectio postulabat; uti habetur *cap.* 5. & *cap.* 19. *Matthæi*, & alibi. De his ergo Decalogi Præceptis, simulque occasione quinti, & trium sequentium Præceptorum, *de Restitutione* ratione Homicidii, Stupri, Furti, ac Detractionis facienda (aliis pluribus materiis ad propria loca remissis) in præsenti Tractatu dicetur. Faveat ille, qui dixit *Matth.* 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*.

DI-

DISTINCTIO I.

De Præceptis Decalogi in genere, ac primis tribus in specie.

QUÆSTIO I.

Quid generatim censendum sit de Præceptis Decalogi, eorumque obligatione?

SUMMARIUM.

1 *Decalogi præcepta, quæ? Dividuntur in Præcepta prima, & secunda Tabulæ.*
2 *Excellentia Præceptorum Decalogi.*
3 *Ea sunt de Jure naturali.*
4 *Atque obligant pro quocunque statu.*
5 *Solvitur instantia de sanctificando die Sabbati.*
6 *Alia instantia de Idololatria.*
7 *Causa dispositiva ad Idololatriam, quæ? Ejusdem causa consummativa.*
8 *Omnia præcepta moralia reducuntur ad Præcepta Decalogi.*
9 *Mandatum de diligendo Deo, & Proximo, an reducatur ad Decalogum?*
10 *Quomodo ad id reducantur Præcepta circa ceremonias veteris legis, & ritus Sacramentorum, Legisque latoris?*
11 *Violatio omnium Præceptorum Decalogi est ex genere suo mortalis.*
12 *Per accidens tamen potest esse venialis.*
(a) Ut dictum Tract. 3. Dist. 2. n. 8. & 15.
13 *Notabilis differentia inter ipsa Præcepta Decalogi.*
14 *Utrum Deus possit dispensare in Præceptis Decalogi?*
15 *Exempla talis dispensationis.*
16 *Solvitur objectio, ostendendo, ibi intervenisse veram dispensationem.*

2. RECTE notavit D. Augustinus *Quæst.* 140. *super Exodum*, Decalogum, in quo Divinæ Legis præcepta continentur, esse omnium Legum Epitomen absolutissimam: Summamque omnium eorum, quæ homini Christiano agenda sunt, in eodem expressam esse: fatetur Concilium Coloniense *in Enchiridio Christianæ institutionis*. Unde si Præcepta ipsius bene intelligantur, sufficient ad omnes actus humanos, tum interiores, tum exteriores, recte ordinandos; cum omnia præcepta moralia reducantur aliqua ratione ad Præcepta Decalogi. Hinc sit

3. CONCL. I. Præcepta Decalogi sunt de Jure naturali, atque obligant pro quocunque Statu. Ita communis; & ratio est: quia Præcepta Decalogi sunt de his, quæ statim in promptu mens hominis suscipit, & quorum contrarium videtur repugnare rationi. Hinc *Rom. c.* 2. dicitur: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: ejusmodi legem* (id est, scriptam) *non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.*

4. Proinde Præcepta Decalogi quocunque tempore obligabant, etiam antequam promulgabantur a Moyse, sive jam in statu Legis Naturæ; atque obligant de facto in statu Legis Evangelicæ, eo quod lumine naturali notum sit, non esse furandum, non blasphemandum, non mentiendum, ac hujusmodi. Quamvis, ut magis memoria tenerentur, ac frequentius in cogitatione versarentur, convenienter postmodum ea fuerint scripta, & a Moyse promulgata, atque a Christo amplius declarata.

5. Si dicas: Præceptum sanctificandi Sabbatum non amplius urget, cum ex traditione Apostolorum pro Sabbato colamus Diem Dominicam; ergo hoc præceptum non est de Jure naturali. Resp. distinguendo antecedens. Præceptum sanctificandi Sabbatum non amplius urget, quatenus est ceremoniale veteris legis, conceditur; quatenus est morale, negatur antecedens, & consequentia. Siquidem præceptum de Sabbato sanctificando partim est morale, partim ceremoniale. Morale quidem, quatenus præsupitur, quod homo aliquo tempore vacet rebus Divinis, & sic est de Jure naturali, atque etiam num obligat, juxta illud *Psalm.* 45. *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus*. Ceremoniale vero, quatenus in Lege veteri pro tali cultu determinabatur

tur Dies Sabbatinus, & ſic de facto non obligat.

6. Quod ſi urgeas: Si Præcepta Decalogi ſunt lumine naturali nota, quomodo igitur ante Chriſti adventum Idololatria ferme totum Orbem occupavit, quæ tamen eſt contra primum Præceptum Decalogi? Reſp. Exiſtentiam veri Dei, hunicque eſſe colendum, homines lumine naturali cognoverunt, aut ſaltem, dummodo voluiſſent, neque propria malitia excæcati fuiſſent, ex creaturis hujus Mundi cognoſcere potuiſſent, prout aperte teſtatur D. Apoſtolus *Rom. 1. Inviſibilia Dei a creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles. Quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt &c.*

7. Porro cauſa diſpoſitiva ad Idololatriam partim fuit inordinatum deſiderium præſentiæ mortuorum, quibus erigebant ſtatuas, ut in his velut præſentes cernerentur, qui mortui fuerant: partim tyrannis, ob quam Belus (qui eſt Nemrod, de quo legitur *Geneſ.* 10.) a filio ſuo Nino, Aſſyriorum Rege, jubebat in erecta ſibi ſtatua coli, ut non mortuus, ſed deus eſſe videretur, de quo execrando cultu Reel, nec non & tyrannide diverſorum Regum, ſubditos ad Idololatriam provocantium, toties in S. Scriptura fit mentio. His acceſſit ſucceſſu temporis convaleſcens iniqua conſuetudo, qua tantus error pro lege eniſo diebatur; prout uberius habetur *Sapient. c.* 14. Tandem, Deo ob malitiam hominum permittente, alia cauſa (quam *conſummativam Idololatriæ cauſam* appellat Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 94. *art.* 41.) acceſſit ex parte dæmonum, qui ſe colendos hominibus errantibus exhibuerunt, dando in Idolis reſponſa, & aliqua, quæ mirabilia videbantur, faciendo.

8. CONCL. II. Omnia præcepta moralia poſſunt aliqua ratione ad Præcepta Decalogi reduci. Ita D. Auguſtinus *l. De decem Chordis*. Maſtrius *diſp.* 11. *Theol. Mor. n.* 3. & communis; idque patet inductione. Siquidem tria prima Decalogi Præcepta ordinant hominem ad Deum, ſeptem vero poſteriora ad Proximum; ex quibus priora tria complectuntur aliquo modo, quæcunque ad Dei cultum pertinent, atque explicari ſolent in Tractatu *De Religione, De Fide, Spe, & Charitate*, & alibi. Porro ſub honore Parentibus exhibendo etiam continentur reverentia, ſuſtentatio, obedientia, & alia hujuſmodi, tam ipſis, quam cæteris legitimis Superioribus præſtanda, &c e contra horum obligatio erga ſibi ſubjectos: per ſequentia vero ſex Præcepta prohibentur omnia nocumenta, quæ poſſunt proximis inferri in bonis animæ, corporis, fortunæ, & famæ, prout amplius patebit ex dicendis.

9. Objicies I. Mandatum de diligendo Deo, & Proximo, non reducitur ad præcepta Decalogi, ſed potius hæc reducuntur ad illud, *Matth.* 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. In his duobus mandatis univerſa Lex pendet, & Prophetæ*; ergo. Reſp. negando antecedens: licet enim Præcepta Decalogi ad illa duo mandata Dilectionis Dei, & Proximi, reduci poſſint, tanquam ad prima principia practica moralia (continentur enim præcepta Decalogi in ipſis, tanquam Concluſiones in præmiſſis) nihilominus viciſſim etiam illa duo mandata reducuntur ad præcepta Decalogi, atque in iſtis continentur tanquam Præmiſſæ in Concluſionibus, in quibus per partes explicantur.

10. Objicies II. Si omnia Præcepta moralia continentur aliquo modo in præceptis Decalogi; ergo ſuperfluunt innumeræ aliæ leges, tum Divinæ, tum Humanæ, Civiles, ſive Eccleſiaſticæ. Reſp. negando conſequentiam. Siquidem, ut taceantur plurimæ leges ceremoniales veteris Legis, nec non & Præcepta Legis Evangelicæ circa ritus Sacramentorum, quæ non ſunt Jure naturali cognita, ſed pendent a libera voluntate Dei, neque aliter ad Decalogum reduci poſſunt, niſi quatenus Jure naturali docemur, Deum eſſe colendum Ceremoniis ſacris a ſe ordinatis; atque ſuppoſita Divina inſtitutione, ac revelatione, Fide inſtituimur, hoſce ſacros ritus Sacramentorum a Deo præceptos eſſe: Ut, inquam, hujuſmodi leges, taceantur, omnes aliæ Leges aliquo modo reduci poſſunt ad præcepta Decalogi, utpote quæ explicant, atque ad caſus ſpeciales juxta rerum, temporum, locorum, perſonarum, aliarumque circumſtantiarum exigentiam applicant, eorumque determinant obligationem: alioquin, ſi lex aliqua pugnaret contra præceptum Decalogi, eo ipſo foret injuſta.

11. CONCL. III. Omnium & ſingulorum præceptorum Decalogi violatio, ex genere ſuo eſt peccatum mortale, quamvis per accidens non raro a mortali excuſet tum parvitas materiæ, ubi dari poteſt (non enim ſemper, & in omnibus dari poteſt, ut patet in Juramento falſo, in blaſphemia, & nonnullis aliis) tum defectus deliberationis, aut plenæ advertentiæ: Ita communis. Prior pars patet: quia omnia Præcepta Decalogi verſantur circa talem materiam, cujus violatio graviter repugnat Dilectioni Dei, vel Proximi, aut alteri virtuti; niſi excipere placeat Mendacium jocoſum, & officioſum, cujus utriuſque prohibitio ad octavum præceptum Decalogi, cæteroquin ex genere ſuo mortali obligans, reducitur.

12. Altera pars liquet ex eo, quia generaliter ad peccatum mortale requiritur plena advertentia rationis, ac deliberatio voluntatis; alioquin, ſi eſt ſemiplena, ſeu imperfecte ſolum, ex peccato de genere ſuo mortali, fit per accidens peccatum veniale, (a) quo modo & perjurium, ſi fit ex aliqua inadvertentia, poteſt reddi veniale.

13. CONCL. IV. Inter Præcepta Decalogi eſt notabilis differentia, quod aliqua eorum ſimpliciter loquendo, obligent, poſitis quibuſcunque circumſtantiis; quædam vero non ſimpliciter & abſolute obligent, ſed ſub certis ac determinatis ſolum circumſtantiis. Ita Maſtrius *loc. cit. n.* 6. & alii, ac probatur inductione. Nam in prim's præcepta illa, quibus prohibetur Odium Dei, Idololatria, Perjurium, Blaſphemia, Mendacium, & alii tales actus intrinſece mali, ſemper obligant poſitis quibuſcunque circumſtantiis; ita ut actus oppoſiti in nullo prorſus caſu reddantur liciti, etiamſi quis poſſet vitam ſuam ſalvare, aut totum mundum redimere. E contra vero præceptum non furandi, non occidendi, & quædam ſimilia, obligant ſolum ſub certis circumſtantiis; ut puta ne quis furripiat rem alienam domino rationabiliter invito, ne proximus indebite occidatur &c. Et quidem manentibus talibus circumſtantiis ſemper obligant: ſi vero mutentur, non obligant; unde in extrema neceſſitate licite quis furripit rem proximi, ſicuti & in bello juſto licita ſunt ſpolia hoſtium; ſimiliter malefactores, & hoſtes in bello juſto, recte occiduntur.

14. Ex his patet reſponſio ad illam quæſtionem inter Theologos agitatam, utrum Deus poſſit diſpenſare in Præceptis Decalogi? Reſp. enim, quamvis Nominales affirment, Deum poſſe diſpenſare in omnibus præceptis Decalogi, Thomiſtæ vero id abſolute negent: nihilominus cum Doctore ſubtili 3. *diſt.* 37. *q. un.* mediam ſententiam eſſe tenendam, & dicendum, quod in illis Præceptis Decalogi, quæ ſunt de Jure naturali ſtricte ſumpto (ut eſt præceptum non blaſphemandi, non pejerandi &c.) Deus non poſſit diſpenſare; bene tamen diſpenſare valeat in aliis, quæ non ſunt de Lege naturali ſtricte, ſed ſolum large accepta, ut eſt præceptum non occidendi, non furandi &c. Quæ ratenus dicuntur eſſe de lege Naturæ, quatenus regulariter loquendo, ac ſecluſis ſpecialibus circumſtantiis, ſunt conſona primis principiis, & concluſionibus Legis Naturæ.

15. Porro in hiſce poſterioribus poſſe Deum diſpenſare, ita videlicet, ut accedente Divina authoritate licitum evadat, quod alioquin illicitum ſoret, probatur ex S. Scriptura. Sic quippe Deus diſpenſavit cum Abrahamo, ut potuerit filium ſuum innocentem Iſaac occidere, aut ſaltem voluntatem efficacem occidendi habere. Similiter diſpenſavit cum Hebræis exeuntibus de Ægypto, ut licite potuerint optima quæque vaſa ejus, aurea & argentea, ſibi mutuo data, auferre. Item diſpenſavit cum iiſdem Judæis in Polygamia, ſeu ſimultanea pluralitate uxorum, in Libello repudii, & nonnullis aliis hujuſmodi.

16. Si dicas: in prædictis caſibus non interveniſſe veram diſpenſationem quoad præcepta Decalogi, ſed tantum eſſe factam mutationem materiæ Præcepti, aut poſitionem alicujus circumſtantiæ, ſub qua Leges illæ Juris naturalis non amplius obligabant: nam (inquies) præceptum non occidendi, aut non furandi &c. ſolum prohibet furtum, vel homicidium indebite factum; quale non eſt, ſi id fiat ex conceſſione, vel mandato Dei, qui habet ſupremum in res noſtras, vitamque dominium. Reſp. hoc parum urgere: nam diſpenſatio tunc accidit, quando ab habente legitimam facultatem fit relaxatio Juris communis. Atqui talis relaxatio Juris communis fit in caſibus poſitis: quia accedente mandato Dei poterat Abraham licite velle occidere Iſaac innocentem, quod alioquin non potuiſſet: & ſimiliter ex conceſſione Divina licite potuerunt Judæi auferre bona Ægyptiorum (non obſtante, quod furtum proprie non admiſerint) quæ alioquin ſine peccato auferre non potuiſſent; ergo tunc facta eſt vera diſpenſatio. Et certe, ſi hinc nulla intervenirebat diſpenſatio proprie dicta, ſed ſola mutatio materiæ præcepti,

cepti, sequitur, nullam omnino dari propriè dispensationem, sed omnes prorsus dispensationes esse meram legis cessationem, ortam ex mutatione materiæ, & circumstantiarum: nam superveniente dispensationis legitimè circumstantia, cessat semper ac ubique obligatio legis respectu dispensati.

QUÆSTIO II.

Quænam sub Primo, & Secundo Præcepto Decalogi contineantur?

SUMMARIUM.

17 *Divisio Præceptorum Decalogi juxta quosdam.*
18 *Communior eorum divisio, hujusque ratio.*
19 *Præceptum primum Decalogi, quale?*
20 *Et quæ præcipiat, ac prohibeat?*
21 *De his remissivè.*
(b) Tract. 4. & 5. per totum.
22 *Præceptum secundum Decalogi, quod & quale?*
23 *Quænam eodem prohibeantur, & præcipiantur?*
24 *De his remissivè.*
(c) Tr. 6. Diff. 2. & 3. per totum.
(d) Nempe Tr. 5. per totum & Tr. 6. Diff. 1.

17. ADvertendum, quod non desint SS. Patres, qui distinguendo præcepta Decalogi inter se, ponunt quatuor Præcepta pertinentia ad Deum, & sex pertinentia ad Proximum; qui proinde Præceptum de *Non concupisces &c.* ad unicum revocant: primum autem, vel secundum Præceptum dividunt in duo: prout faciunt S. Eusebius, & S. Hieronymus, atque Origenes, relati à D. Thoma 1. 2. q. 100. *art.* 5.

18. Communior tamen, & magis recepta est divisio Præceptorum Decalogi, quam ponit D. Augustinus *Quæst.* 71. *in Exodum*, ut sint tria Præcepta primæ Tabulæ pertinentia ad Deum, & septem Præcepta secundæ Tabulæ pertinentia ad Proximum. Ratio hujus communis divisionis est: quia ea, quæ ad Deum pertinent, convenienter ad tria Præcepta reducuntur. Deinde, cum concupiscentia uxoris Proximi spectet ad concupiscentiam carnis, & concupiscentia bonorum temporalium Proximi pertineat ad concupiscentiam oculorum; rectè D. Augustinus duo de his Præcepta distinxit, juxta illam generalem divisionem peccatorum 1. *Joan.* 2. assignatam, ibi: *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Hæc igitur præceptorum Decalogi divisione retenta, quam posuit D. Augustinus, sit,

19. CONCL. I. Primum Præceptum Decalogi ita sonat: *Ego sum Dominus Deus tuus &c. Non habebis deos alienos coram me*, uti legitur *Exod. c.* 20. Et hoc præceptum partim est affirmativum, partim negativum; ex una enim parte aliquid præcipit, & ex altera aliquid prohibet, prout observat Catechismus Romanus *part.* 3. *cap.* 2. Ejusque sensus Præcepti: *Me verum Deum colet, & dii alienis cultum non adhibebis.*

20. Et quidem, quatenus hoc Præceptum est affirmativum, seu quatenus quidpiam agendum præcipit, versatur illud circa actus virtutis Religionis; mandatque, uni Deo verum cultum, venerationemque debitam esse adhibendam; atque insuper ad hoc Præceptum revocantur, quæcunque pertinent ad res Virtutes Theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem, utpote quibus immediate attingimus Deum, tanquam objectum, atque ultimum Finem nostrum. Quatenus vero præceptum illud est negativum, prohibetur per illud non solum Idololatria, atque omnis superstitio, sed etiam Infidelitas, Desperatio, atque Odium Dei, omneque aliud hujusmodi peccatum.

21. Quia igitur de Religione, ejusque diversis actionibus, atque oppositis vitiis, nec non de Fide, Spe, & Charitate, in propriis Tractatibus jam actum est, (b) alia circa primum Præceptum Decalogi hoc loco dicenda non superiunt: unde ad secundum pergendo, sit

22. CONCL. II. Secundum Præceptum Decalogi *c.* 20. *Exod.* his verbis exprimitur: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Et similiter hoc præceptum, etsi verbis negativis comprehendatur, partim est affirmativum, partim negativum: nam dum prohibet assumere Nomen Domini in vanum, vel falsò jurando, vel aliter Sacrosanctum Dei Nomen vanè atque irreverenter usurpando, polluendo, aut contemnendo, simul præcipit, debitam Divino Nomini reverentiam, atque honorem exhibendum esse.

23. Itaque in primis hoc secundo præcepto Decalogi prohibetur, ne Divinissimum Nomen quoquo modo vanè seu irreverenter assumatur, aut falsò jurando, aut Nomen Dei in

in levissimis rebus temerè ad testimonium adducendo, aut hoc Sanctissimum Nomen blasphemando, maledicendo, sive convitiis infectando, aut etiam Vota male reddendo, & hujusmodi. Deinde præcipitur debitus honor Divino Nomini impendendus, ac reverentialis ejusdem invocatio; simulque, ut in Nomine isto juremus in veritate, justitia, & judicio, juxta illud *Jeremiæ* 4. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia.* Quibus addere oportet nuncupationem Votorum, & debitam eorum præstationem, prout Psalmista ait: *Psalm.* 75. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro.*

24. Cæterum, quia tum de Juramento, ejusque conditionibus, atque oppositio vitio Perjurii, tum de Voto, ejusque obligatione, atque cessatione, abunde jam superius (c) dictum est: reliqua vero, reverentialem Divini Nominis assumptionem concernentia, comprehendantur in Tractatu de Religione, (d) non oportet eadem hoc loco repetere.

QUÆSTIO III.

De Tertio Præcepto Decalogi, ejusque obligatione.

SUMMARIUM.

25 *Præceptum tertium Decalogi, quale? Et ratio Ordinis.*
26 *Præceptum hoc partim est morale, partim ceremoniale.*
27 *Quatenus morale, obligat de facto. Non vero, quatenus ceremoniale.*
(e) Ut dictum Tr. 2. d. 2. q. 1.
28 *Pro Sabbato substituta est Dies Dominica.*
29 *Idem Præceptum est & affirmativum, & negativum.*
(f) Tr. 10. d. 1. per totum.

25. TErtium Decalogi Præceptum his verbis expressum habetur *Exodi c.* 20 *Memento, ut diem Sabbati sanctifices.* Et quidem istud ordine pulcherrimo subjungitur duobus primis: nam quia ex Lege Naturæ debemus Deo Fidelitatem, Reverentiam, & Famulatum, ipsumque tum corde, tum ore, tum opere honorare; hinc in primo Decalogi præcepto instruimur quoad interiorem cultum, Fidelitatemque Deo exhibendam, quæ consistit in agnitione, cultuque unius veri Dei, & falsorum deorum reprobatione: in secundo docemur, Reverentiam Deo, ac Divino Nomini impertiri, ejusque Nomen verbis pravis in vanum non usurpare: & nunc in tertio Præcepto instruimur debitum Deo Famulatum in gratiarum actionem, pro perceptis beneficiis Creationis, Redemptionis, aliisque innumeris, devotè præstare; quod fit diem Sabbati sanctificando, modo explicando. Hinc fit

26. CONCL. I. Tertium istud Præceptum partim est morale, & partim ceremoniale. Ita communis, estque breviter jam dictum superius *n.* 5. Et quidem hoc Præceptum censetur esse morale, atque ex ipsa Lege naturali defendens, quatenus per id absolutè præcipitur, ut homo sepositis temporalibus negotiis aliquod vitæ suæ temporis spatium Divino cultui impendat, religiosisque exercitiis vacet: ad hoc enim tenetur homo ex instinctu ipsius naturæ. Ceremoniale vero est, quatenus hoc tempus colendi Deum juxta Legem Mosaicam debebat esse dies Sabbati.

27. Priori modo, seu quatenus est morale, Præceptum hoc omnes semper & eodem modo obligavit, & obligat: cum ab ipsa Lege naturali derivetur obligatio, ut quandoque Deum veneremur, colamusque ob beneficium Creationis, Conservationis, aliasque innumera beneficia: idque partim in ipsum credendo, sperando, eumque super omnia diligendo, partim eundem diversis Religionis actibus humiliter colendo. Cæterum posteriori modo, seu quatenus est unum ex Præceptis Ceremonialibus Legis Mosaicæ, cum post Christi adventum, atque inducta Lege Evangelica, omnia Præcepta Ceremonialia veteris Legis exspiraverint, (e) utpote quæ fuerunt umbra futurorum per Christum jam impletorum, ficque de facto superstitiosè observarentur ob falsam eorundem significationem: hinc etiam istud tertium Præceptum Decalogi, quatenus ceremoniale est, obligare cessavit.

28. Unde per sanctos Apostolos loco diei Sabbati, ex instinctu Spiritus Sancti, substitutus fuit in memoriam Dominicæ Resurrectionis Dies Dominicus: de quo jam fit mentio *c.* 1. *Apocalypsis*, ibi: *Fui in spiritu in Dominico die*: & loco aliarum Solemnitatum Judaicarum, ut explicat D. Thomas 1. 2. *quæst.* 103. *art. ad* 3. alii successivè dies festi per Sanctam Matrem Ecclesiam instituti sunt; atque determinati, ut in illis speciali ratione Deo debitus cultus

per

per pia Religionis exercitia impendantur.

19. CONCL. II. Tertium hoc Præceptum Decalogi partim est affirmativum, partim negativum. Ita communis. Idque desumitur inter alia ex illo *Exodi cap. 16. Requies Sabbati sanctificata est Domino &c. Maneat unusquisque apud semetipsum*, id est (ut explicat Doctor Subtilis 3. *dist. 27. quæst. un. §. quantum ad secundum*) *recolligendo se, & ascendendo ad Deum suum* per actus virtuosos. *Et Ecclesia specificavit quantum ad Missam audiendam in die Dominico, de consecr. dist. 2. cap. Missas.* Unde quatenus hoc Præcepto injungitur exercitium actuum virtuosorum, censetur esse affirmativum: quatenus vero prohibentur opera servilia, atque Judicium mortis & sanguinis, omnisque strepitus Forensis *cap. 1. & seq. de Feriis*, hac ratione Præceptum hoc est negativum. Verum de his ex professo inferius (f) agendo de Præceptis Ecclesiæ.

DISTINCTIO II.

De quarto Præcepto Decalogi.

QUÆSTIO I.

Quæ sit obligatio Filiorum erga Parentes?

SUMMARIUM.

1 *Ratio ordinis quarti præcepti.*
2 *Honor Parentum, tria comprehendit.*
3 *Et sunt actus Pietatis.*
(a) Ut dictum Tr. 7. dist. 2. n. 6. & 7.
4 *Reverentia Parentibus debita, in quo consistat?*
5 *Contra eam qualiter peccetur.*
6 *Amor Parentibus debetur.*
7 *Non tamen hi sunt præferendi Deo.*
8 *Obedientia Parentibus præstanda, & in quibus?*
9 *Filius an possit ingredi Religionem invitis Parentibus?*
10 *Quid, si Parentes sint in gravi necessitate?*
11 *An Filius teneatur egredi ob extremam Parentum necessitatem?*

1. POstquam Supremus Legislator in Præceptis primæ Tabulæ compendiosa, simulque ordinatissima serie tradidisset ea, quæ Divinum Cultum, Honorem, atque Amorem respiciunt: declaraturus in altera, eaque secunda Tabula, quæ ad Dilectionem proximi pertinent, sapientissime primo loco ponere dignatus est Præceptum de honore Parentibus impendendo, utpote qui post ipsummet DEUM sunt particulare principium nostrum, *Exodi cap. 20.* dicens: *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Et addidit: *Ut sis longævus super terram.* Ad quæ Verba Æternæ Veritatis respiciens D. Paulus *Ad Ephes. 6.* subjungit: *Quod est mandatum primum in promissione.*

2. Cæterum, ut notat Catechismus Romanus, & unanimis Doctorum, nomine honoris Parentibus exhibendi tria præcipue significantur, videlicet Reverentia, Amor, & Obedientia. Addunt nonnulli sustentationem Parentibus indigentibus subministrandam: verum hæc commode reducitur ad amorem eisdem impendendum.

3. Notandum autem, quod prædicta tria sint actus propriæ virtutis, quæ *Pietas* dicitur; estque specialis virtus sub Justitia contenta, tanquam pars potentialis ipsius: (a) cum enim ad rationem Justitiæ pertineat, reddere cuique debitum suum, etiam Pietas qua Parentibus debitum amorem, honorem, atque obedientiam præstamus, merito sub ipsa contineri censetur. Neque enim hic sumitur pietas pro studio internæ devotionis, ac sinceri affectus erga Deum & proximum, quomodo passim accipitur in S. Scriptura, ut 1. *Timoth. 4. Exerce te ipsum ad pietatem*, & alibi. Sed sumitur hic Pietas pro illa speciali virtute, qua colimus Parentes, tanquam vitæ & educationis nostræ post Deum auctores, debitam ipsis reverentiam, amorem, & obedientiam præstando.

4. CONCL. I. Quantum attinet ad reverentiam, ex virtute Pietatis tenemur exhibere cultum, & reverentiam parentibus, non solum externam, quæ præstatur signis & officiis externis, ut puta ipsis assurgendo, famulando, honorifice de illis loquendo &c. sed etiam internam, quæ consistit tum in positivo actu recognitionis superioritatis, bene-

benevolentiæ, æstimationis, & cujusdam timoris filialis: tum in fuga vilipensionis, malevolentiæ, rancoris, contemptus interni, ac hujusmodi pravorum affectuum. Ita Herincx *disp. 10. de Religione, quæst. 1. n. 2.* Bonacina *p. 2. disp. 6. q. un. pun. 2.* & alii.

5. Hinc qui verbo, gestu, aliove signo exteriori gravem, juxta morem Regionis, ac communem hominum æstimationem, Parentibus inferunt irreverentiam, peccant mortaliter, juxta quod *Exodi cap. 21.* dicitur: *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur.* Et *Deut. 27. Maledictus, qui non honorat Patrem suum, & Matrem.* Quinimo notant Doctores communiter, injuriam, quæ alius hominibus illata mediocris foret, posse esse gravem, si Parentibus inferatur. Sic, prout exemplificat Bonacina *loc. cit.* & Basæus *V. Filius n. 4.* graviter peccant filii, qui Parentes animo deliberato ad notabilem provocant iracundiam verbis contumeliosis. Item & ille mortaliter peccat, qui parentem percutit, etiamsi hæc percussio cæteroquin levis foret. Idem dicendum censet, si Filius cum sufficienti deliberatione manum ad percutiendum elevet: hæc enim communi hominum sensu gravis in Parentes injuria, & irreverentia reputatur. Verum ista intelligenda sunt per se loquendo, ac nisi indeliberatio actus a mortali excuset.

6. CONCL. II. Quantum attinet ad Amorem, quo filii tenentur suos Parentes prosequi, obligatio hæc certa est. Nam cum quilibet Jure Naturæ teneatur diligere Proximum suum, quanto magis proprios Parentes utpote sibi conjunctissimos, & amplius præcæteris proximos, cum ab ipsis vitam, & esse suum post Deum acceperit?

7. Parentes tamen idcirco non sunt præferendi Deo, neque magis præ ipso diligendi, juxta illud Salvatoris *Matth. 10. Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Et *Luce 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & Matrem &c. non potest meus esse discipulus.* Non quod re ipsa, & absolute odio haberi debeant Parentes, sed comparative & respective ad Deum: tum quia Deus magis appretiative diligendus est: tum etiam, quia si Parentes quidpiam mali, seu illiciti præcipiant, quodque esset contra legem Dei, eisdem non est obediendum, juxta illud *Act. 4. Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate.* Hinc S. Gregorius Papa *Hom. 37. in Evangelia*; ad propositum sic loquitur: *Sed si vim præcepti perpendimus, utrumque agere per discretionem valemus, ut uxorem, & eos, qui nobis carnis cognatione conjuncti sunt, & quos proximos novimus, diligamus, & quos adversarios in via Dei patimur, odiendo, & fugiendo nesciamus.*

8. CONCL. III. Tandem quantum ad Obedientiam, certum quoque est, Filios teneri obedire Parentibus quidpiam legitime præcipientibus. Unde & Apostolus *ad Ephes. 6.* ait. *Filii, obedite parentibus vestris in Domino*, cum pluribus concordantiis. Et quidem tenentur ipsis obedire in iis, quæ spectant ad bonos mores, vel ad domus gubernationem, ita ut, si obedire recusent in materia gravi, & magni momenti, peccent mortaliter; idque multo magis dicendum, si id ex contemptu, aut animi obstinatione faciant. In rebus autem pravis, seu quæ sine peccato fieri nequeunt, obedire non tenentur juxta dicta *num. præced.* Verum occasione dictorum

9. Quæres: an Filius possit ingredi religionem invitis Parentibus? Resp. cum D. Thoma 2. 2. *quæst. 189. art. 6.* & Doctoribus communiter: Si parentes non sint constituti in gravi necessitate, ita ut Filiorum obsequio multum indigeant, possunt Filii Religionem intrare etiam contra præceptum Parentum. Ratio est: quia in statu eligendo Filius est sui Juris, ac proinde post annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet quantum ad ea, quæ pertinent ad dispositionem sui status, præsertim in his, quæ sunt Divini obsequii. Insuper magis est obediendum vocanti Deo, quam parentibus carnalibus. Unde Christus *Matth. 8.* reprehendit Discipulum, qui nolebat eum statim sequi intuitu paternæ sepulturæ. Et S. Hieronymus *in Epist. ad Heliodorum*, quem refert D. Thomas 2. 2. *quæst. 101. art. 4.* ibi: *Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, ad vexillum Crucis evola: genus summum pietatis est, in hac re fuisse crudelem.*

10. Dicitur notanter, *si parentes non sint constituti in gravi necessitate*. Etenim si Parentes in tanta necessitate constituti existant, quod ipsis commode aliter, quam per obsequium Filiorum subveniri non possit, non licet Filiis prætermisso parentum obsequio Religionem ingredi, sed debent eis remanendo in sæculo subvenire; idque tum Jure naturali, tum Divino, de honorandis Parentibus: dummodo remanendo in sæculo possint subvenire tali necessitati Parentum, & ingrediendo non possint. Ita Doc-

ctor Angelicus *cit. quæst.* 189. *art.* 6. & 9. 101. *art.* 4. estque communis. Unde inter alias conditiones recipiendorum in Ordinem Seraphicum numeratur & hæc, quod non relinquant Parentes in seculo in gravi necessitate constitutos. Siquidem & Christus Dominus *Matth.* 15. graviter redarguit Pharisæos, qui intuitu Religionis, & muneris Deo per filios oblati honorem, id est, sustentationem Parentibus debitam subtrahebant.

11. Quinimo si Filius jam ingressus sit religionem, in eaque Professionem emiserit, Parentes autem ejus in extremam necessitatem ex casu aliquo devolvantur; tenebitur Filius, admonito prius suo Superiore, ac nisi mediante hujus vigilantia Monasterium sive Religio, æque bene succurrere possit, ac velit, egredi ad subveniendum extremæ suorum Parentum necessitati, dummodo verisimile sit, quod egrediens possit ipsis subvenire: ad hoc siquidem obligat Filium ipsa Lex Naturalis, & Divina. Si autem necessitas parentum sit tantum gravis, non tenetur egredi, tenetur tamen salva sui Prælati obedientia, & suæ Religionis statu, pium studium adhibere, qualiter suis Parentibus succurrat, aut per alios subveniatur.

QUÆSTIO II.

De Obligatione Parentum erga Filios?

SUMMARIUM.

12 *Parentum obligatio erga liberos.*
13 *Tria generatim debent Parentes liberis.*
14 *Alimentatio necessaria, quid involvat?*
15 *Mater primo triennio tenetur alere prolem, postea pater.*
16 *Limitatur hoc.*
17 *Parentes debent thesaurizare filiis, quomodo?*
18 *Parentes tenentur instruere liberos in necessariis ad salutem.*
19 *Tenentur liberis relinquere libertatem circa electionem status.*
Excommunicantur, quicunque mulierem ad ingressum Monasterii.

12. SIcut Filii erga Parentes, sic etiam Parentes erga Filios ad aliqua charitatis officia obligantur. Et nomine parentum intelliguntur non tantum ipsi Genitores, sed etiam Avus, Proavus, aliique Ascendentes. Nec refert, quod hoc Præceptum Decalogi de sola Filiorum obligatione loquatur. Nam, quia reciprocam obligationem ipse naturalis instinctus, & affectio Parentum erga liberos satis inculcat, necesse non fuit, speciali præcepto eandem explicare juxta communem adagium: *Per naturam sensualitatis amor potius descendit, quam ascendit.*

13. CONCL. I. Ex hoc Parentum amore erga Filios tria potissimum Parentes illis debent. Primum, est alimentatio necessaria. Secundum, instructio in Fide, Religione, & bonis moribus. Tertium, cura, studium, & diligentia, ut in certo vitæ statu, pro conditione personæ Liberi collocentur. Ita Mastrius *disp.* 11. *Theol. Mor. n.* 94. & *seq.* & communis aliorum.

14. Tenentur itaque in primis Parentes gravi obligatione juris naturalis, curare conservationem, & educationem Liberorum suorum; hoc est subministrare alimenta, & alia vitæ necessaria, puta, victum, vestitum, habitationem, & tempore adversæ valetudinis competentes medicinas, & hujusmodi. Hoc tamen intelligendum est, quamdiu Filii illis indigent, nec sibi ipsis providere possunt.

15. Et quidem ad Matrem proprie spectat, alere Filios, & Filias usque ad finem tertii anni; simulque lactare Filios per se, vel per bonam nutricem, quando justa de causa per se non potest. Post triennium vero Liberorum educatio usque ad emancipationem pertinet ad patrem, ut dicitur *l. Nec filium, C. de Patria potestate.* Unde illi vulgati versiculi.

Mater alit pueros primum, primosque minores:
Majorem vero pascere patris erit.

16. Hoc tamen limitandum primo, nisi Mater dives sit, & Pater pauper: tunc enim etiam post triennium spectabit ad Matrem alere Filium. Limitandum ulterius, nisi Pater ex infidelitate conversus ad veram Fidem, Matre in infidelitate permanente, petat Filium etiam triennio minorem sibi assignari, ut eum ad veram Fidem perducat: quia tunc id erit faciendum, prout habetur *c.* 2. *de Conversione infidelium*, juncta Glossa ibidem. Idque merito statutum est in favorem Fidei Christianæ: *nam summam esse rationem, quæ pro religione facit*, habetur *l. Sunt personæ, ff. de Religiosis & sumpt. funerum.*

17. Huc accedit obligatio, qua Pater tenetur providere Filiis in futurum, quantum honeste potest, habita ratione circumstantiarum particularium: ita ut si possit, vel relinquat illis sufficientem hæreditatem ad vitæ sustentationem, & conditionem status: vel certe ea ratione dirigat, ut ipsimet addiscendo aliquam artem, aut scientiam, possint sibi ipsis providere de necessariis. Et hoc innuunt illa verba Apostoli 2. *Corinth.* 12. *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed Parentes filiis.* Nam Filii per accidens duntaxat, hoc est, propter supervenientem eorum necessitatem, tenentur succurrere Parentibus; e contra vero Parentibus per se convenit, ut subveniant Filiis; & propter hoc non solum ad horam debent eis subvenire, sed ad totam suam vitam, quod est *thesaurizare*, ut optime notat Doctor Angelicus 2. 2. *quæst.* 101. *art.* 2. *ad* 2. Hinc inferunt Filliucius *tract.* 28. *part.* 2. *num.* 18. Bonacina *cit. disp.* 6. *punct.* 3. & alii, Parentes illos graviter peccare, qui diligentiam saltem mediocrem non adhibent, ut bona acquirant, quibus Filii alantur, & hæreditatem habeant juxta sui status conditionem: vel si bona dilapidando, impotentes sese reddant ad liberos honeste secundum statum suum educandos, & dotandos.

18. Quantum ad alteram Parentum obligationem, tenentur ii sub gravi obligatione instruere Liberos per se, vel per alios, in necessariis ad salutem. Unde procurare tenentur, ut rudimenta Fidei addiscant, scilicet Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, necessariam doctrinam de Sacramentis, & alia hujusmodi. Debent insuper illos verbis & exemplis, addita etiam, si opus fuerit, charitativa correctione, & paterna castigatione, ad bonos mores, ac vitam Christianam inducere, & a peccatorum occasionibus avertere. Et quidem graviter peccant Parentes, si in talibus fuerint notabiliter negligentes; cum a tali eorum instructione plurimum pendeat salus Liberorum, & bona horum conversatio per vitæ decursum: nam, ut *Proverb. cap.* 22. legitur: *Adolescens juxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea.*

19. Tertio tenentur Parentes Liberis relinquere libertatem circa electionem status, ita ut eum eligere finant, ad quem ipsos a Deo vocari cognoverint. Unde graviter peccant Parentes, si absque justa causa Filios impediant, ne Religionem ingrediantur; aut e contra, si eos invitos dolis, vel minis ad ingressum Religionis cogant. Quinimo Concilium Trident. *Sess.* 25. *de Regularibus, cap.* 18. excommunicat omnes, & singulas personas, quæ quomodocunque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut quamcunque aliam mulierem invitam, præterquam in casibus a Jure expressis, ad ingrediendum Monasterium.

QUÆSTIO III.

De Obligatione Subditorum erga Superiores, & e contra.

SUMMARIUM.

20 *Parentum nomine, qui omnes hic comprehendantur?*
21 *De Obligatione Subditorum erga Superiores.*
22 *Præsertim erga Prælatos Ecclesiæ.*
23 *Superiorum obligatio erga subditos, qua?*

20. ETsi nomine parentum, quos in honore habendos esse statuitur hoc quarto Præcepto Decalogi, præcipue intelligantur ii, qui eos secundum carnem genuerunt: nihilominus hoc nomine, simul ac præsenti Præcepto, omnia ea personarum genera comprehenduntur, quæ quandam in nos superioritatem habent, & ad sequentia quatuor capita communiter reducuntur. Primum est Parentum, qui secundum carnem nos genuerunt. Alterum est Superiorum, potestatem spiritualem in nos habentium: ut sunt Episcopi, Curati, Pastores &c. Tertium est Superiorum, potestatem in nos sæcularem habentium: quales sunt Reges, Principes, Duces, & Domini. Quartum est aliorum, qui aliquam super nos potestatem habent: quales sunt Magistri, Tutores, & hujusmodi. Hinc

21. Infertur I. Quod ea, quæ de officiis & obligationibus filiorum erga Parentes, & parentum erga filios, hactenus dicta sunt, servata debita proportione etiam intelligi debeant de officiis & obligationibus Pupillorum erga Tutores, & alios parentum vicem gerentes: item de officiis & obligationibus servorum, subditorum, & quorumcunque inferiorum erga Dominos, aut Superiores suos, & e contra. Mastrius *cit. disp.* 11. *n.* 98. Navarrus, Bonacina, Toletus, & alii passim; idque ex *c.* 6. *ad Ephesios* & *c.* 3. *ad Titum*, & aliis pluribus S. Scripturæ locis satis obviis clare liquet.

22. Infertur II. Quod Christiani omnes teneantur

neantur sub gravi culpa obedire summo Pontifici, utpote Christi in Terris Vicario, in rebus ad fidem, & Christianam disciplinam pertinentibus. Similiter, quod Dioecesani Episcopis, Parochiani Parochis, Servi Dominis, Subditi Superioribus, & populi Principibus suis, obligentur præstare obedientiam in his, in quibus respective ipsis subsunt; eisque reverentiam, & amorem specialem, aliaque officia, quotiescunque recta ratio & prudentia id postulat, exhibere.

23. Infertur III. Quod vicissim etiam omnes superiores teneantur ad diligenter gerendam sibi Subditorum curam, tum in temporalibus, tum in spiritualibus, prout cujusque officium & conditio postulat. Ratio est; quia ejusmodi superiores sunt caput Subditorum, ideoque tenentur quodam modo, servata tamen proportione, ad eadem, ad quæ parentes erga filios. Totam hanc superiorum erga subditos, horumque erga Superiores obligationem, paucis complectitur Apostolus *ad Hebræos cap. 13.* scribens; *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis; ipsi enim pervigilant*, QUASI RATIONEM PRO ANIMABUS VESTRIS REDDITURI.

DISTINCTIO III.

De quinto Præcepto Decalogi.

QUÆSTIO I.

Quænam quinto Præcepto Decalogi prohibeantur?

SUMMARIUM.

1 *Ratio Ordinis.*
2 *Hoc Præcepto prohibetur quodcunque homicidium, simulque*
3 *Damnum injustum corporis: Mutilatio enormis & non enormis;*
4 *Quin etiam interior voluntas deliberata occidendi, vel injuste lædendi proximum.*
5 *Intellectus verborum Christi, Matth. 5.*
6 *Tres gradus ad homicidium.*
7 *Quæ alia hoc quinto Præcepto prohibeantur?*
(c) Tr. 3. dist. 3. q. 3. Tr. 9. d. 6. q. 2. & 3.
8 *Quomodo intelligendum*, Cogitationis pœnam nemo patitur?

1. AGredimur nunc ea præcepta Decalogi secundæ Tabulæ, quæ sunt negativa, seu quibus expresse prohibetur, quodcunque jus proximi violare, aut ipsum in bonis suis injuste lædere. Quia vero inter alia bona hominis primum locum obtinet vita, merito in hoc quinto præcepto Decalogi per illa verba, *Exodi 20. Non occides*, severissime a Deo interdicitur homicidium, ac quæcunque injusta læsio corporalis proximi. Hinc sit

2. CONCL. I. Hoc quinto præcepto Decalogi prohibetur quodcunque homicidium injuste illatum, tam proximi, quam sui ipsius. Ita certa, & communis, ac habetur expresse *c. Si non licet*, 23. *q.* 5. atque patet ex illis generalibus verbis, *Non occides*. Et quidem hoc præcepto non solum homicidium opere consummatum, quod est ultimum damnum in corpore, videlicet mors, sed etiam quodcunque aliud damnum injustum in corpore citra mortem inferri prohibetur.

3. Porro hujusmodi damnum injustum in corpore citra mortem, aliud est irremediabile, ut mutilatio: aliud remediabile, ut vulneratio, aut alia læsio curabilis. Rursus mutilatio alia est enormis, quæ impedit ex toto actum aliquem humanum, qui competeret homini secundum illam partem amputatam; prout contingit in amputatione manus dexteræ: Alia non enormis, id est, non impediens actum humanum: ut amputatio digiti, vel alicujus partis digiti. Sentus 4. *dist. 15. q. 3. §. de secundo*, & alii.

4. CONCL. II. Quinto isto præcepto Decalogi non tantum prohibetur homicidium exterius, sicut intelligebat populus carnalis Judæorum in Veteri Testamento, qui solum reputabat illud prohiberi, pro quo inferebatur pœna ab ipsa Lege mosaica; sed etiam secundum verum intellectum, atque authenticam declarationem Supremi Legislatoris, prohibetur interior deliberata voluntas occidendi, vel lædendi proximum ex iracundia. Ita siquidem Christus Dominus *Matth. c. 5.* docuisse legitur: *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: Qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio: Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quibus verbis manifeste Christus rejicit errorem Judæorum, putantium, quod solum homicidium exterius hoc Præcepto prohibeatur, dum etiam iram, seu quemlibet insultum vindictæ appetitum prohibitum esse ostendit.

5. Ubi pro clariori dictorum verborum, & sententiæ severioris intelligentia, advertendum est cum S. Thoma 2. 2. *q.* 158. *art.* 3. *ad* 2. quod ibidem Dominus loquatur de illo motu iræ, in quo quis appetit Proximi occisionem, aut quamcunque gravem læsionem: nam talis appetitus, si consensus rationis plene ac perfecte supervenit, est peccatum mortale; quod ipse contextus verborum satis indicat.

6. Advertendum ulterius cum Lessio *lib. 2. de just. & jur. cap. 9. n. 26.* & aliis, quod Salvator noster dictis verbis explicaverit tres gradus ad homicidium. Primus, est ira interna optans mortem Proximi. Secundus, eadem ira prorumpens in contumeliam, sed leviorem, qui indicatur per *Iy raca*, quod juxta D. Augustinum est intempestio spiramentis, & adversantis. Tertius, eadem ira erumpens in contumeliam gravem, & manifestatam, qualis indicatur per *Iy fatue*.

7. CONCL. III. Insuper hoc quinto Præcepto Decalogi prohibetur quodcunque convitium, aut probrosum & injuriosum verbum ex ira, vel appetitu vindictæ prolatum in Proximum; item & quilibet iræ motus, præscriptum a ratione modum excedens; similiter etiam injustus vindictæ appetitus, etiamsi neque actu, neque ullo verbo, aut signo exteriori prodatur. Ita Doctores Catholici passim, & patet ex prælegatis verbis Christi Domini. Sed de his alibi. (a)

8. Nec dicas: juxta *L. 12. ff. de Pœnis*, & refertur *can. Cognitionis, de pœnit. dist. 1. Cogitationis pœnam nemo patitur*. Resp. enim cum Glossa ibidem communiter recepta, id intelligendum esse coram hominibus; nam cum homo non scrutetur cogitationes, neque percipiat secreta cordium, bene verificatur, quod cogitationis pœnam nemo patiatur ab hominibus. Secus est in ordine ad Deum, qui *scrutatur corda, & renes. Ps. 7.* unde coram Deo cogitatio prava ac deliberata incurrit culpam, & meretur pœnam.

Reiffenstuel Theol. Moral.

QUÆSTIO II.

Quodnam Homicidium sit prohibitum?

SUMMARIUM.

9 *Seipsum directe occidere non licet, absque Divina revelatione.*
10 *Facta quorundam Sanctorum, excusantur.*
11 *Indubie ille se occidere ex justa causa, non est illicitum. Hujus exempla.*
12 *Et ratio.*
13 *Non tenemur vitam servare, nisi mediis ordinariis.*
14 *Quid de Religiosis?*
15 *Auctoritate publica possunt occidi malefactores.*
16 *Auctoritate etiam privata potest occidi invasor aggressor pro tuenda vita &c.*
17 *Servare tamen moderamine inculpatæ tutelæ.*
Hoc declaratur.
18 *Corollaria.*
19 *Idem licitum pro defendanda pudicitia.*
20 *Si ea aliter defendi nequeat.*
21 *Num liceat pugnis repercutere?*
22 *An liceat occidere furem ob defensionem fundorum fructuariorum, vel honoris?*
23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. *Propositiones diversæ circa hoc dubitata, & extensa.*
30 *Item alia Propositiones.*
(b) Partim infra Quæst. seq. n. 378 partim supra Tract. 4. dist. 7. n. 10. & 12.

9. CONCL. I. Absque Divina auctoritate, seu revelatione, non est licitum seipsum directe, atque ex intentione occidere, ad cavendum tandem quodcunque malum. Ita habetur *c. Si non licet* 23. *quæst.* 5. estque certum. Probatur autem partim ex generali prohibitione hujus quinti Præcepti Decalogi; partim ex eo: quia homo non habet jus & auctoritatem in propriam vitam, cum non sit dominus absolutus vitæ suæ (hic enim est solus Deus) sed dumtaxat custos & usuarius, quatenus jus habet custodiendi vitam suam & membra contra quemcunque iniquum aggressorem, eisque utendi ad Dei laudem.

juxta omnes, & patet ex nono, & decimo Præcepto Decalogi.

10. Dicitur notanter, *absque Divina authoritate, seu revelatione*: Tum propter exemplum S. Apolloniæ Virginis, & Martyris, semetipsam in rogum sibi præparatum conficientis: tum aliorum quorumdam Martyrum, ac præsertim Fœminarum, quæ ipsas morti tradiderunt, ne pudicitiam amitterent: id enim fecisse creduntur ex Divina inspiratione, prout eas excusat S. Augustinus *lib. 1. de Civitate Dei, c. 20.* & concordat textus *c. simon licet, 23. q. 5.*

11. CONCL. II. Licitum tamen est, justa de causa aliquid facere, vel omittere, unde certo scitur præter intentionem nostram mors secutura; sicque seipsum indirecte occidere. Ita Scotus *4. dist. 14. q. 3. §. de secundo*, & communis aliorum. Probatur Conclusio inductione. Sic enim miles potest, imo & tenetur, non deserere stationem suam, etsi moraliter certus sit sese occidendum ab hostibus. Similiter tempore pestis potest quis inservire infectis peste, etsi putet se pariter inficiendum. Potest item quis injicere ignem in pulverem tormentariam ad evertendam turrim hostilem, licet certum sit momento sese dissipandum: prout exemplificat Lessius *lib. 2. de just. & jure c. 9. dub. 6. n. 27. & seq.* plura similia exempla adducens.

12. Ratio horum generalis est: quia in talibus circumstantiis proprie quis seipsum non interimit, sed ruina turris, vel impetus ignis, aut pestis &c. Neque talis seipsum interimere intendit, sed bono communi consulere, bonoque Reipublicæ vires nocendi subtrahere. Hinc *lib. 1. Machabæorum c. 6.* laudatur Eleazarus, quod ad liberandum Populum suum interfecerit elephantem hostilem, cujus casu videbat se opprimendum; sicut & postmodum oppressus est, proprioque triumpho sepultus.

13. Similiter nemo tenetur vitam servare, nisi mediis ordinariis, & communibus; Unde Gobat *tract. 5. Quinarii cap. 1. n. 35.* post Victoriam, & alios tradit, non teneri quempiam ad locum etiam propinquum migrare ob salubriorem aurum, neque bibere vinum, quamvis medicus dicat, ejus potu vitam ad decennium prolongatum iri; nisi forte ab ejus longævitate penderet salus Reipublicæ.

14. Et infra *n. 60. & seq.* subjungit, quod nullus Religiosus teneatur a suo Superiore petere potum, victum, aut vestitum diversum ab iis, quæ sunt in ejus Conventu, Monasterio, Collegio usitata: quamvis non peccet, si ratione infirmitatis formidatæ peculiarem potum petat rogando; secus, si petat effligitando tanquam debitum. Huc facit S. Bernardus, *Serm. 30. in Cantica*, ubi graphice describit Religiosum, plus quam oportet, suæ valetudini studentem, ac proin inter alia queritantem: *Legumina ventrosa sunt, cæsus stomachum gravat, lac capiti nocet, potum aqua non sustinet pectus, pisces de frigore, aut de lutosa aqua, mea tenuis complexioni non congruunt &c.* Subdit autem inter alia Sanctus Pater: *Puta te, quæso, Monachum esse, non Medicum; nec de complexione judicandum, sed de professione.*

15. CONCL. III. Licita est occisio alterius, quando fit auctoritate publica per Justitiam punitivam ob patrata scelera. Ita communis; & patet tum ex illo *Exod. 22. Maleficos non patieris vivere*: Tum idem probatur ratione: quia sceleratorum hominum punitio prorsus necessaria est ad vitam hominum politicam, & quietam; alioquin scelera invalescerent, & probi præ malitia atque infestationibus impiorum non possent secure vivere.

16. CONCL. IV. Etiam auctoritate privata licitum est occidere iniquum invasorem & aggressorem, ob defensionem vitæ suæ, & integritatem membrorum: dummodo id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ita rursum communis. Ratio est: quia Jus naturæ permittit, ut vim vi repellas, sicque iniquum aggressorem, qui tibi vitam eripere conatur, prævenias, & occidas, si aliter mortem evadere nequis. Unde *c. Significasti de Homicidio* dicitur: *vim vi repellere omnes leges, & omnia Jura permittunt.*

17. Sed mox pro confirmatione secundæ partis Conclusionis ibidem subjungitur: *Tamen id debet fieri non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam*; hoc est, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Porro moderamen inculpatæ tutelæ in homicidio tunc contingit adhiberi, quando quis occidit solum, quia revera in conscientia, & sine dolo ac fraude putat, se non posse evadere, nisi occidat.

18. Hinc infertur, quod si quis cum levi percussione potest se ab aggressore defendere, tunc eum licite occidere non possit. Item, qui absque alio suo incommodo potest fugere, aut clamare, & implorare auxilium, tenetur ad id. Similiter si is, qui te invasit, jam fugiat, vel desistat nocere, ita ut amplius non sit metuendus, non tibi licet eum persequi, & occidere: quia talis occisio non esset amplius in defensionem vitæ, sed

sed in vindictam accepti vulneris; nisi forte periculum adesset novæ invasionis, & quod aliter regrediens te denuo sit aggressurus. Semper enim ad futurum malum est respiciendum, ad quod dumtaxat vitandum justa defensio conceditur; non autem ad præteritum, cujus non est defensio, sed vindicta.

19. CONCL. V. Etiam pro defendenda pudicitia licitum est occidere invasorem, seu eum, qui tentat aliquam personam violare, si aliud remedium pudicitiam defendendi non suppetat. Ita Lessius *lib. 2. cap. 9. dubit. 12.* & alii. Ratio est: quia pudicitia est bonum summæ æstimationis, ac pretiosior multis opibus. Simulque in tali casu adest periculum peccati, ne videlicet persona violanda ob carnis fragilitatem tandem consentiat.

20. Verum data Conclusio intelligenda est, quando pudicitia, vel etiam integritas carnis, aliter defendi non potest: nam quando aliter periculum illud effugere potes, non licet tibi injustum aggressorem occidere, aut vulnerare; cum non amplius observaretur moderamen inculpatæ tutelæ.

21. Num autem liceat pugnis eum repercutere, præsertim quando fœmina, vel juvenis solicitatur, sive contrectatur, aut osculum accipit ab aliquo laicivo: existimat Lugo *disp. 10. de justit. & jure sect. 10. n. 196.* non esse in hoc scrupulose agendum, sed id licite fieri posse; imo & aliquando expedire, non solis verbis asperioribus, sed manibus quoque puritatem animi, & constantiam graviter ostendere.

22. CONCL. VI. Etsi Doctores asserant, licitum esse occidere furem in defensionem suarum facultatum, si is sit fur nocturnus: aut si sit fur diurnus, telo tamen se defendat, ut habetur *l. Sed & si. ff. Ad Legem Aquiliam*; & tenet Covarruv. *in Clem. Si furiosus part. 3. §. um. n. 6.* ac Lessius *loc. cit. dubit. 11.* cum aliis: dummodo ipsæ facultates sint magni momenti, nec sit ipsi illas recuperandi: Etsi insuper multi affirment Doctores, quos allegat, & sequitur Tannerus *tom. 3. disp. 4. quæst. 8. n. 73.* fas esse pro defensione honoris aggressorem injustum occidere, si nec aliter defendi, nec facile recuperari læsus honor possit: Tamen ne via patens homicidiis aperiatur, sequentes Propositiones, partim ab Alexandro VII. & partim ab Innocentio XI. damnatæ, merito erunt observandæ, atque omnimodis evitandæ.

23. Hinc sciendum, quod Alexander VII. in speciali Decreto, *die 24. Septemb. 1665.* emanato, inter alias plures Propositiones, etiam sequentes damnaverit. Prima (in Decreto, ordine 17.) sic habet: *Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipse Religioso, vel ejus Religioni publice, vel coram gravissimis viris praditis impingere, nisi occidatur.*

24. Secunda (ordine 18.) *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.*

25. Tertia (ordine 19.) *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

26. Quarta, quæ una cum sequentibus damnata est ab Innocentio Papa XI. in Decreto, *1679. die 2. Martii* edito (estque in Decreto, ordine 30.) sic se habet: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui minitur calumniam inferre, si aliter hac ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fustem percutiat, & post ictum alapam, vel ictum fustis fugiat.*

27. Quinta (ordine 31.) *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.*

28. Sexta (ordine 32.) *Non solum licitum est defendere defensione ocisiva, quæ actu possidemus, sed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ non possessuri speramus.*

29. Septima (ordine 33.) *Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se tueri* (id est, defensione ocisiva) *adhibendo: sicut & jus habent in Calendam, vel Prabendam, contra eorum possessionem injuste impedientem.*

30. His addi poterit Propositio 13. 14. 15. item 34. & 35. in eodem Decreto Innocentii XI. damnata: sed earum quælibet jam alibi (b) refertur. Hæ igitur omnes Propositiones, utpote latam homicidiis portam aperientes, & singulæ ipsarum, tanquam scandalosæ, & in praxi perniciosæ, merito a summa Sede damnatæ sunt, adjuncta gravissima prohibitione, ne defendantur, aut ad praxin deducantur. Proinde nonnulli Libri in posterum caute legendi, & si in eisdem hujusmodi occurrerint sententiæ, oportebit ab his cavere.

QUÆSTIO III.

De Homicidiis specialem malitiam continentibus.

SUMMARIUM.

31 *Homicidium simplex, & qualificatum.*
32 *Occisio Parentum, Consanguineorum &c. superadditæ specialem malitiam.*
33 *Quid de abortu?*
Et an illum procurans, fiat irregularis?
34 *Fœtus, quomodo animetur?*
37 *Contra procurantes abortum rigidam Bullæ Sixti V. Mollitia tamen per Gregorium XIV. & quomodo?*
36 *Pœna procurantium abortum fœtus animati.*
37 *Gemina propositio circa materiam abortus damnata.*
38 *Præsidio Patriæ, & machinatio contra Principem, est specialis peccatum.*
39 *Homicidium sacrilegum, quod?*
40 *Ejus duplex species.*
(c) Ut dictum Tr. 5. Dist. 3. nu. 12.
41 *Homicidium quandoque aggravatur ex modo occidendi.*
(d) De hoc Tract. 12. Dist. 2. n. 36. 37. & 39.
(e) Vide Tract. 3. dist. 1. n. 41. & seqq.
42 *Duellum, quid, & quam graviter prohibitum?*
43 *Quando possit acceptari tempore belli?*
44 *Quid in casu mortis aliquo inferendæ?*
45 *Duellum specialiter damnata.*

31. ADvertendum, quod Homicidium generatim aliud sit simplex, aliud qualificatum. Hujus posterioris genus est occisio parentum, aut personarum propinquarum; & vulgo *Parricidium* appellatur. Item Homicidium sacrilegum, proditorium, & si quod est aliud, specialem malitiæ qualitatem sive circumstantiam includens, quæ non reperitur in simplici homicidio. His prænotatis, sit

32. CONCL. I. Homicidium, quo occiditur aliqua persona sanguinis cognatione, vel affinitate conjuncta, superaddit specialem malitiam in Confessione explicandam: ut si quis occidat aliquem ex suis parentibus, vel fratrem, sororem, nepotem, aut alium cognatum, vel affinem. Ita certa, & communis. Hujusmodi enim Homicidia sunt Parricidia, & specie distincta ab aliis homicidiis; quia sunt non solum contra Justitiam Proximis conservandam, sed etiam contra Pietatem, qua honorare debemus parentes, & (eso modo præ cæteris) personas nobis carnis propinquitate, vel affinitate conjunctas.

33. Hoc accedit, si parens deliberate abortum fœtus animati procurare; nam non solum simplex Homicidium, sed & Parricidium committit, ut notant communiter Doctores. Quod si vero quis malitiose impediat, ne fœtus humanus concipiatur; aut per pocula, aliosve illicitos modos, fœtus necdum animati abortum procurat: peccat is quidem graviter, & mortaliter, non tamen vere homicidium, sed quasi Homicidium committit, *arg. c. Quid vero, & c. Moyses, 32. q. 2.* junctis *c. Si aliquis de Homicidio*, ubi de tali dicitur, *quod ut homicida teneatur*. Hinc, licet procurans abortum fœtus animati fiat irregularis, cum ita vere & propriè Homicida: fœtus tamen est dicendum, si fœtus necdum fuit animatus, *text. clar. c. Sicut ex litterarum, de Homicidio.*

34. Cæterum animatio fœtus, post conceptionem embryonis, solet in masculis accidere die 34. a conceptione, & aliquando citius, vel tardius; in fœminis die 42. & aliquando citius, aut tardius; prout post Hypocratem notat Lessius *lib. 2. de just. & jure c. 9. n. 65.* & Lugo *disp. 10. sect. 6. num. 133.* Fatendum tamen, quod non pauci post Glossam *Clem. un. verf. simul unitur, de Summa Trinit.* arbitrentur, animationem masculi 40. & fœminæ 80. die a conceptione fieri: contra vero nonnulli, atque inter eos quidam præclari Medici asserant, animam rationalem ordinarie statim infundi circa septimum a conceptione diem; quæ proinde, ut Themistius *in 1. de Anim. c. 22.* loquitur, *ipsa sibi effermat, & præparat domicilium, cum efformatum ante & præparatum subit.* Verum, quidquid sit de hoc, priorem sententiam, ut pote benigniorem, & communi persuasioni conformem, Forum etiam externum sequi solet quoad pœnam homicidii ordinariam.

35. His adde cum Barbosa *part. 3. de off. & pot. Epist. allegat. 51. n. 136. & seqq.* quod contra procurantes abortum, consultantes, & quocunque modo consentientes, Sixtus V. Anno 1588. ediderit rigidam Bullam, quæ incipit: *effrenatam*, ac refertur *tom. 2. Bullarii Romani. Const. 87. ipsius.* Eam tamen moderatus est Gregorius XIV. in Bulla, *Sedes Apostolica*, 1591. edita (& habetur *to. 2. Bullar. Rom. Const. 8. dicti Pont.* ubi hæc pœnas procurantium abortum fœtus inanimati, vel præbentium mulieri venena sterilitatis, reduxit ad terminos Juris communis; juxta quod tales puniendi sunt ut homicidæ, *c. Si aliquis, de Homicidio*: non tamen fiunt irregulares, *cap. Sicut ex litterarum, eod.* Pœnas vero eorum, qui abortum fœtus animati procurant, eatenus moderatus est, ut a peccato, & excommunicatione, quam juxta Bullam Sixtinam tales incurrunt Summo Pontifici reservatam, quilibet Confessarius, ad hos casus per Ordinarium loci specialiter deputatus, absolvere possit.

36. Sequitur proinde, quod procurans abortum fœtus animati de facto fiat excommunicatus; quamvis hæc excommunicatio non amplius sit reservata Papæ, ut dictum. Deinde sequitur, quod non sint sublatæ aliæ pœnæ in cit. Bulla Sixti V. contra procurantes abortum constitutæ: uti sunt pœnæ in utroque Jure homicidis constitutæ; ac si tales fuerint Clerici, cujusvis Privilegii Clericalis, Dignitatis, Beneficiique Ecclesiastici privatio, atque inhabilitas ad talia impositorum consequenda; item pœna Degradationis, ac traditionis Curiæ sæculari &c. Nam de hisce pœnis, earumque moderamine, nihil disposuit Gregorius XIV. & consequenter eæ in suo vigore reliquit, proinde amplius patet ex citatis Bullis, ac Barbosa ibidem.

37. Insuper cavenda erit, quantum ad Propositum, duplex Propositio, novissime ab Innocentio XI. condemnata; quarum prior, ordine 34. latam procurationi abortus viam aperuit, dicendo: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Altera, ordine 35. & malitiam prioris amplius extendens, ita sonat: *Videtur probabile, embrem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* Et hæc quidem Propositio manifeste refellitur ex S. Scriptura: nam legitur *Jerem. c. 1. Antequam exires de vulva, sanctificavi te. Et Luca 1. Spiritus Sancto replebitur adhuc ex utero matris sua.* Et *Gen. 25. Dedit Dominus conceptum Rebecca, sed collidebantur in utero ejus parvuli.*

Talia quippe, ac præsertim sanctificatio non possunt convenire, nisi enti animato, ac suppposito rationali. Prior vero Propositio merito reprobatur: quia abortus, etiam fœtus inanimati, est gravius peccatum pollutione, cum procuratio abortus opponatur proximius generationi: atqui non licet procurare pollutionem, etiam ad vitandam mortem; ergo multo minus abortum.

38. CONCL. II. Parricidialibus Homicidiis addi potest Proditio Patriæ, aut si ei vis inferatur: item machinatio contra Regem, sive Principem Patriæ. Hæc enim sunt specialia peccata contra pietatem erga Patriam, ac in Jure reputantur crimina læsæ Majestatis, & gravissimis pœnis merito subjiciuntur.

39. CONCL. III. Datur ulterius homicidium sacrilegum, & sacrilega percussio, qua peccatur contra specialem virtutem Religionis, per quam debemus honorem, & reverentiam personis, locis, aliisque rebus Deo sacratis. Ita communis.

40. Porro hujusmodi Homicidium, & percussio sacrilega, habet duas species. Una est, qua occiditur, vel percutitur injuriose aliqua persona Ecclesiastica, id est, Clericus, vel Religiosus: & tales Clericorum percussores ipso facto incurrunt excommunicationem latam *Can. Si quis suadente, 17. q. 4.* Altera Homicidii sacrilegi species est, qua occiditur, vel percutitur quis usque ad sanguinis effusionem, in loco sacro: violatur enim tunc locus sacer, & consequenter committitur sacrilegium. (c)

41. CONCL. IV. Insuper aggravatur Homicidium voluntarium ex modo occidendi: ut si quis occidat Proximum proditorie (hoc est, vel sub specie amicitiæ; vel saltem securum, nihilque mali prævidentem, v. g. veneno, a tergo, de nocte, vel per insidias &c.) aut si per assassinium Homicidium fiat, dum quis data pecunia conducit occisorem, aut illa accepta conductus occidit. Et quidem hujusmodi circumstantiam esse in Confessione explicandam, censet Azor. *p. 3. l. 2. c. 18. §. fin.* eo quod specialem deformitatem contineat, quia admittit alteri jus naturale sese defendendi: unde utrumque, scilicet tam Homicidium proditorium, quam Assassinium, non gaudet Immunitate Ecclesiastica, (d) atque alias a Legibus gravissime punitur. Verum Mastrius *disp. 11. Theol. Moral. n. 119.* arbitratur, pœnas statutas contra Homicidium qualificatum, v. g. proditorium, non offendere differentiam specificam a non qualificato: nam distinctio specifica peccatorum desumitur per oppositionem ad diversas species virtutes, vel rectitudines. (e)

42. Quæres, quid censendum sit de Duello? Resp. *Duellum* (quod alio nomine, a Græcis derivato, *Monomachia* dicitur) est pugna singularis ex condicto. Et hoc quidem, si fiat privata authoritate (vix uno, vel altero casu excepto) Jure tum Civili, tum Canonico, sub gravissimis pœnis prohibetur. Sic, ut aliæ plures Duellantium pœnæ taceantur, in Concilio Trident. *Sess. 25. cap. 19. de Reform.* pœna excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, perpetuæque infamiæ, decreta est in committentes Duellum, eorumque Patrinos; simulque statuitur, ut si in ipso conflictu decesserint, perpetua careant Ecclesiastica Sepultura: addita etiam pœna excommunicationis in spectatores, & consilium in causa Duelli dantes, ipsorumque locorum Dominos, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint. Ratio tam rigidæ Constitutionis ibidem additur: Quia *detestabilis duellorum usus fabricante diabolo est introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam pernicium lucretur.* Siquidem in actuali Duello decedentes recta in infernum descendunt: cum moriantur in statu actualis peccati mortalis, de quo vix habent spatium pœnitendi.

43. Notanter tamen additur, Duellum esse illicitum, *vix uno, vel altero casu excepto*. Nam in primis tempore belli, quando hostis exercitui Duellum offert, licite illud acceptatur, dum necessarium videtur ad avertendam totius exercitus ignominiam, animosque hostium debilitandos, & suorum confirmandos, exemplo Davidis, qui hac de causa singulare certamen cum superbo Goliath iniisse legitur. 1. *Reg. cap.* 17. Idem dicendum, si communi partium consensu totum bellum, cæteroquin nonnisi copioso sanguine terminandum, ad duorum, vel paucorum certamen revocetur: nam tunc hujusmodi Duellum loco justi belli succedit. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 30. & alii passim.

44. Alius casus est, quando provocatus ad Duellum videt se injuste occidendum a provocante, nisi Duellum acceptet; nam, si aliud remedium non suppetat sese a morte liberandi, licite potest acceptare; quia hoc nihil aliud est, quam tueri vitam suam. Azorius *cit. lib.* 2. *c.* 5. Mastrius *disp.* 11. *n.* 113. & alii.

45. Verumtamen litis privatæ terminandæ causa non est licitum acceptare Duellum, *cap.* 2. *& seqq. de Purgatione vulgari*. Insuper cavenda erit illa quorundam opinio, quam merito inter alias Propositiones, ordine 1. damnavit Alexander VII. & sic sonat: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

QUÆSTIO IV.

De Restitutione ratione injusti Homicidii, vel Mutilationis.

SUMMARIUM.

46 *De quo Homicidio sit sermo?*
47 *Ratione vitæ Proximo injuste ablatæ quid teneatur Homicida restituere?*
48 *An hæc obligatio procedat solum ex naturali æquitate?*
49 *Vel ex justitia?*
50 *Omnia damna ex occisione alterius secutæ, refarciri debent &c.*
51 *Corollarium.*
52 *Quid de restitutione ob Mutilationem?*
53 *An pro dolore ex vulnere, ipsaque cicatrice, sit aliquid restituendum?*
Fundamenta negativæ sententiæ.
54 *Opposita sententia probabilior.*

46. UT extitulo Quæstionis patet, sermo hic est de Homicidio injusto, atque illicita mutilatione: nam certum est, quod alterum occidens in bello justo, vel ob necessariam sui defensionem, ad nullam teneatur restitutionem; quod pariter dicendum, si quis alterum penitus involuntarie, aut omnino casualiter occidat. Verum loquendo de homicidio injusto atque voluntario, fatentur omnes, homicidam teneri ad restitutionem damni illati, utpote cum Homicidium sit actus multum damnificans proximum: non tamen conveniunt Doctores, de quo damno teneatur ad restitutionem. Pro cujus resolutione, sit

47. CONCL. I. Ratione vitæ Proximo injuste ablatæ, tenetur homicida vel ex justitia, vel saltem de consilio, & ex naturali æquitate, pro anima occisi, quem non constat esse mortuum in peccato mortali, orationibus, eleemosynis, aliisque piis operibus Deo satisfacere, ac præsertim Sacrosanctum Missæ Sacrificium pro refrigerio animæ ejus offerendum curare: quod proinde poterit ipsi convenienter pro aliqua parte Satisfactionis Sacramentalis in Confessione injungi. Hæc Conclusio sic prolata, est in re communis: nam damnificans alterum adeo graviter in vita, debet refarcire damnum illatum modo, quo poterit, meliori. Idipsum confirmant dicenda *n.* 49.

48. Additur in Conclusione notanter sub disjunctione, *vel ex justitia, vel saltem de consilio, & ex naturali æquitate*. Nam circa fundamentum hujus obligationis, adest nonnulla concertatio speculativa inter Theologos. Et quidem Lugo *disp.* 11. *de just. & jure, sect.* 1. Lessius, Vasquez, aliique plures volunt, dictam obligationem procedere dumtaxat ex naturali quadam æquitate, non autem ex motivo Justitiæ: cum vita hominis non sit pretio æstimabilis, neque possit eidem adæquate, seu ad æqualitatem satisfieri.

49. Econtra vero, quod homicida teneatur etiam ex Justitia ad aliquam restitutionem faciendam pro vita ipsius occisi, satis ostendit Doctor Angelicus 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *ad* 1. ubi solvens hanc instantiam, præmissis aliis, sic infert: *Et ideo, quando id, quod est ablatum, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est.* Idipsum expresse tenet Doctor Subtilis 4. *dist.* 15. *q.* 3. *§. de secundo*. Tum quia pro vitæ ablatione regulariter est statuta Lex talionis; scilicet, ut homicida moriatur, sicque reddatur vita pro vita. Tum quia, si talis redditio non fiat, tenetur quis ad aliam restitutionem æquivalentem vitæ, quam ablulit, sicut potest esse æquivalentia in talibus, hoc est, faciendam saltem in spiritualibus: nam hoc exigit Justitia. Et per illud simul patet ad rationem oppositæ sententiæ.

50. CONCL. II. Omnia damna ex occisione alterius secuta, etiam in Foro conscientiæ, & ante Judicis sententiam, sunt refarcienda pro possibili ab eo, qui injuste alterum occidit. Ita Scotus *loc. cit.* & communis Doctorum. Ratio clara est: quia injustus damnificator tenetur ex Justitia ad reparandum damnum injuste illatum, etiam in Foro conscientiæ. Hinc

51. Infertur, expensas pro curatione occisi, dum is non statim mortuus fuit, per homicidam esse solvendas: atque insuper hæredibus ejus omnia damna lucri cessantis (id est, omnia emolumenta, quæ occisus ex artificio, negotiatione, vel officio probabiliter ipsis lucraturus fuisset, detractis tamen iis, quæ ipsemet vivens consumpsisset) esse compensanda, & restituenda. Et idem dicendum de aliis similibus; quæ tamen omnia prudentis arbitrio in casibus particularibus sunt æstimanda.

52. CONCL. III. Loquendo de restitutione ob mutilationem Proximi, & alia damna corporis, communiter ea fieri debet per compensationem pecuniariam: quæ quidem restitutio non solum debet correspondere expensis factis in curatione, sed etiam damno, quod quis incurrit per mutilationem pro toto tempore futuro, quo usurus fuisset membro abscisso. Hinc in Jure Canonico *cap.* 1. *de Injuriis & damno dato*, juxta illud *Exod. cap.* 21. sic statuitur: *Si vicati fuerint homines, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lecto, qui percusserit, operas ejus, & impensas in Medicos restituat.* Hæc ibi. Sed occasione horum

53. Quæres: cum læsio, tristitia, & dolor ex vulnere, aut carentia membri resultans, ipsaque cicatrix, sit vere damnum corporale injuste Proximo illatum, an vulneraris, vel mutilans idcirco etiam pro his obligetur ad aliquam restitutionem? Resp. Resolutionem hujus pendere ex proximo dictis *Conclusione prima*. Nam Authores illi, qui homicidam pro vita hominis ad nullam restitutionem faciendam ex Justitia teneri censent, consequenter in proposito idem docent. Et huic sententiæ favet textus *L. ult. ff. de his, qui dejecerunt &c.* ubi legitur: *cum liberum hominis corpus læsum fuerit, Judex computet mercedes Medici præstitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta sunt: præterea operæ, quibus caruit, & cariturus est ob id, quod inutilis factus est: cicatricum autem, & deformitatis nulla sit æstimatio, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem.* Hæc ibi.

54. Hæc sententia probabilis est, tum ob allegatum textum Juris Civilis, additamque rationem; tum ob multiplicem Authoritatem. Opposita tamen sententia est probabilior, ac fundamentis Doctoris tum Angelici, tum Subtilis *n.* 46. relatis, conformiter. Nam allegatus textus Juris præcipue loquitur pro Foro externo, in quo negatur Actio pro cicatricibus, id est, nulli conceditur, Actionem instituere ad petendum aliquid in Foro externo pro cicatricibus, aut vita hominis; siquidem de iis, quæ spectant ad Forum conscientiæ, Jus Civile minus fuit solicitum, si cæteroquin providetur pacificæ & bonæ Rei-

publicæ gubernationi. Unde Lessius *lib. 2. de just. & jure cap. 9. dubit. 12.* non obstante, quod priorem sententiam amplexus sit, tandem *n. 145.* fatetur, pro damno vitæ, & pro injuria deberi satisfactionem quandam signis doloris, & petitione veniæ; imo interdum, saltem ex Charitate, & naturali æquitate, adesse obligationem ad aliquam pecuniariam satisfactionem, præsertim si hæredes sint pauperes.

DISTINCTIO IV.

De Sexto Præcepto Decalogi.

QUÆSTIO I.

De Castitate, & opposito vitio Luxuriæ, ac utriusque speciebus.

SUMMARIUM.

1 *Qua hoc Præcepto prohibeantur, & cur hic agitur de Castitate?*
2 *Castitas, quid?*
(a) Conformiter dictis Tract. 7. dist. 2. num. 24.
3 *Castitas, alia perfecta, alia imperfecta.*
4 *Castitas adhuc triplex.*
5 *Conjugalis, vidualis, & virginalis, qua caeteris est perfectior.*
6 *Virginitas, quid, & qua imperet?*
7 *Quid de Virgine vim passa?*
8 *Luxuria, quid?*
(b) Ut dictum Tract. 4. dist. 3. q. 3.
9 *Luxuria species, quæ?*
10 *An omnes distinguantur in genere Luxuriæ?*
(c) Tract. 5. Dist. 3. n. 11. 14. & 15.

1. SExto Decalogi Præcepto, quod *Exod. cap. 20.* proponitur his verbis: *Non mœchaberis*, non solum prohibetur Adulterium, quod proprie *Mœchia* dicitur, verum etiam universaliter omnis illicitus concubitus, & inordinatus actus in materia venerea. Antequam autem fœditas, analitiaque hujus vitii explicetur, cum contraria juxta se posita magis eluceſcant, operæ pretium fore visum est, ipsius Castitatis naturam, excellentiamque declarare; quam admiratus Sapiens exclamando dixit: *Sap. 4. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! Immortalis est enim memoria illius: quoniam apud Deum nota est, & apud homines.*

2. CONCL. I. Castitas est species Temperantiæ, quæ moderatur inordinatum appetitum, ulumque venereorum. Ita communis. (a) Sicut enim Abstinentia, & Sobrietas moderantur inordinatum appetitum & usum in esculentis, & poculentis, ita Castitas moderatur inordinatum appetitum venereorum.

3. CONCL. II. Castitas generatim alia est perfecta, alia imperfecta. *Perfecta* est, quæ ab omnibus voluptatibus carnis, tam licitis, quam illicitis, perpetuo abstinere proponit: unde hæc etiam affectum nuptiarum excludit. *Imperfecta* vero est, quæ ad tempus dumtaxat id proponit, vel solum intendit ab illicitis abstinere, sed licitis moderate uti, prout fit in Matrimonio.

4. Deinde Castitas communiter dividitur in Conjugalem, Vidualem, ac Virginalem. Et de hisce tribus Castitatis speciebus mentionem faciens D. Augustinus *lib. de viduitate*, inquit: bona est pudicitia conjugalis, melior vidualis, & optima virginalis. Item D. Hieronymus *cap. 13. in Matthæum*, & *lib. 1. contra Jovinianum*, ac alii, fructum centesimum assignant Virginibus; sexagesimum Viduis; & trigesimum honestis, pudicæ Conjugibus.

5. *Castitas conjugalis* est prædicta Castitas imperfecta, quæ delectationes tactus circa res venereas moderatur in conjugatis, ut debito, & licito dumtaxat modo admittantur: videlicet causa prolis, aut vitandæ incontinentiæ, vel reddendi debitum; & hoc temporibus, ac locis congruis, modo naturali, non autem explendæ libidinis gratia. *Castitas vidualis* est, si post obitum alterius conjugis servatur perfecta Castitas. Tandem *Castitas virginalis* est ipsamet Virginitas: & hæc est absolute perfecta Castitas, & omnium perfectissima; prout ostendit D. Apostolus *2. Corinth. 7.* estque unanimis SS. Patrum sententia, ac novissime definitum in Concilio Trid. *Sess. 24. can. 10.* ibi: *Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus & non esse melius, ac lætius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi matrimonio; anathema sit.* Concordant dicta *n. seqq.*

6. Porro Virginitas describitur a S. Augustino *lib. de S. Virginitate cap. 13.* quod *sit in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio.* Duo enim dicit Virginitas, integritatem videlicet corporis, in tantum, ut nunquam in perpetuum consentiatur in carnis corruptionem; ac insuper propositum observandi integritatem illam in perpetuum. Unde vere Virgines non sunt parvuli, quantumvis carne integri, quia hujusmodi propositum non habent: neque adulti volentes aliquando nubere, eo quod propositum perpetuo servandi Virginitatem non habeant: nec etiam illi, qui mentaliter consentiunt in rem veneream sine opere subsecuto, ob rationem proxime dictam. Verum in his Virginitas amissa adhuc recuperabilis est per pœnitentiam, ut habet Summa Angelica *V. Virginitas*, & Sylvester *eodem n. 2.* & alii. Quamvis Lessius *lib. 4. c. 2. nu. 113.* arbitretur, in talibus non manere virtutem Virginitatis, eo quod hæc dicat propositum perpetuo abstinendi a venereis; licet adhuc vulgo dicantur *Virgines*, quia manet corporis integritas, adeoque status ille, qui communiter vocatur Virginitas.

7. Additur, notanter, *in tantum, ut nunquam consentiatur in carnis corruptionem*; quia is fit per fornicationem, aut pollutionem voluntariam &c. Etenim nihil obest Virginitati, si claustra pudoris violenter infringantur per involuntariam pollutionem, aut passivam oppressionem Virginis, si desit consensus hujus in ipsam. Quinimo tunc locum habet illud S. Luciæ Virginis & Martyris dictum ad Paschasium Præfectum: *Si invitam jusseris violari, Castitas mihi duplicabitur ad coronam.*

8. CONCL. III. Castitati opponitur luxuria, quæ est inordinatus appetitus, vel usus venereorum. Ita communis. Et illud Cæteroquin turpissimum vitium, est unum ex septem peccatis Capitalibus (b) de quo recte Doctor Angelicus *2. 2. q. 151. a. 4. ad 3.* dicit, quod inter cætera Intemperantiæ vitia, præcipue sint exprobrabilia peccata venerea.

9. CONCL. IV. Species Luxuriæ sunt septem, videlicet simplex Fornicatio, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, Sterilegium, & Vitium contra naturam: quorum ultimum subdividitur in mollitiem, Bestialitatem, Sodomiam, ac indebitum concumbendi modum. Ita Mastrius *disp. 15. Theol. Mor. num. 141.* Sanntg. *disp. 2. de Temperantia quæst. 3. n. 4.* & alii: quamvis nonnulli omittant Sacrilegium; id est, Sacrilegum concubitum a persona, vel cum persona per votum simplex, vel solemne Castitatis, aut susceptionem ordinis Sacri Deo sacrata, commissum.

10. Notat tamen Herinex *disp. 2. de Temperantia, quæst. 3. n. 19.* quod propriæ sola Fornicatio, & Vitium contra naturam, specie distinguantur in genere Luxuriæ. Nam cætera, quantum ad malitiam Luxuriæ, conveniunt cum Fornicatione, cui singula superadduntur specialem malitiam extra genus Luxuriæ: Adulterium quidem malitiam Injustitiæ, Incestus malitiam contra Pietatem, Stuprum malitiam violentiæ &c. In proposito de singulis (dempto Sacrilegio, de quo jam alibi (c) dictum) specialiter loquendo, sit

QUÆSTIO II.

De Fornicatione, Adulterio, & Stupro.

SUMMARIUM.

11 *Fornicatio, quid, & quam grave peccatum?*
12 *Fornicatio est intrinsece mala.*
13 *Concubinatus, quid, & quanta ejus malitia?*
14 *Fornicatio cum Sponsa alterius, an addat specialem malitiam?*
15 *Peccatum carnale fidelis cum infideli, an habeat malitiam specie distinctam?*
16 *Adulterium, quid, & quot modis contingat?*
17 *Adulterii quanta malitia, & qua ejus pœna?*
18 *Adulterium est gravius Fornicatione, etiam consentiente altero conjuge.*
19 *Stuprum variis modis accipitur.*
20 *Stuprum propriissime, quid, & qua pœna ejus?*

11. CONCL. I. *Simplex fornicatio* est peccatum Luxuriæ, quo solutus cum soluta per carnalem commixtionem peccat. Ita communis. Et quidem Fornicationem esse peccatum mortale, de Fide est, & habetur ex illo *ad Ephes. 5. Omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei; & ad Galat. 5. Manifesta sunt*

publicæ gubernationi. Unde Lessius *lib. 2. de just. & jure cap. 9. dubit. 12.* non obstante, quod priorem sententiam amplexus sit, tandem *n. 145.* fatetur, pro damno vitæ, & pro injuria deberi satisfactionem quandam signis doloris, & petitione veniæ; imo interdum, saltem ex Charitate, & naturali æquitate, adesse obligationem ad aliquam pecuniariam satisfactionem, præsertim si hæredes sint pauperes.

DISTINCTIO IV.

De Sexto Præcepto Decalogi.

QUÆSTIO I.

De Castitate, & opposito vitio Luxuriæ, ac utriusque speciebus.

SUMMARIUM.

1 *Qua hoc Præcepto prohibeantur, & cur hic agitur de Castitate?*
2 *Castitas, quid?*
(a) Conformiter dictis Tract. 7. dist. 2. num. 24.
3 *Castitas, alia perfecta, alia imperfecta.*
4 *Castitas adhuc triplex.*
5 *Conjugalis, vidualis, & virginalis, qua caeteris est perfectior.*
6 *Virginitas, quid, & qua imperet?*
7 *Quid de Virgine vim passa?*
8 *Luxuria, quid?*
(b) Ut dictum Tract. 4. dist. 3. q. 3.
9 *Luxuria species, quæ?*
10 *An omnes distinguantur in genere Luxuriæ?*
(c) Tract. 5. Dist. 3. n. 11. 14. & 15.

1. SExto Decalogi Præcepto, quod *Exod. cap. 20.* proponitur his verbis: *Non mœchaberis*, non solum prohibetur Adulterium, quod proprie *Mœchia* dicitur, verum etiam universaliter omnis illicitus concubitus, & inordinatus actus in materia venerea. Antequam autem fœditas, analitiaque hujus vitii explicetur, cum contraria juxta se posita magis eluceſcant, operæ pretium fore visum est, ipsius Castitatis naturam, excellentiamque declarare; quam admiratus Sapiens exclamando dixit: *Sap. 4. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! Immortalis est enim memoria illius: quoniam apud Deum nota est, & apud homines.*

2. CONCL. I. Castitas est species Temperantiæ, quæ moderatur inordinatum appetitum, ulumque venereorum. Ita communis. (a) Sicut enim Abstinentia, & Sobrietas moderantur inordinatum appetitum & usum in esculentis, & poculentis, ita Castitas moderatur inordinatum appetitum venereorum.

3. CONCL. II. Castitas generatim alia est perfecta, alia imperfecta. *Perfecta* est, quæ ab omnibus voluptatibus carnis, tam licitis, quam illicitis, perpetuo abstinere proponit: unde hæc etiam affectum nuptiarum excludit. *Imperfecta* vero est, quæ ad tempus dumtaxat id proponit, vel solum intendit ab illicitis abstinere, sed licitis moderate uti, prout fit in Matrimonio.

4. Deinde Castitas communiter dividitur in Conjugalem, Vidualem, ac Virginalem. Et de hisce tribus Castitatis speciebus mentionem faciens D. Augustinus *lib. de viduitate*, inquit: bona est pudicitia conjugalis, melior vidualis, & optima virginalis. Item D. Hieronymus *cap. 13. in Matthæum*, & *lib. 1. contra Jovinianum*, ac alii, fructum centesimum assignant Virginibus; sexagesimum Viduis; & trigesimum honestis, pudicæ Conjugibus.

5. *Castitas conjugalis* est prædicta Castitas imperfecta, quæ delectationes tactus circa res venereas moderatur in conjugatis, ut debito, & licito dumtaxat modo admittantur: videlicet causa prolis, aut vitandæ incontinentiæ, vel reddendi debitum; & hoc temporibus, ac locis congruis, modo naturali, non autem explendæ libidinis gratia. *Castitas vidualis* est, si post obitum alterius conjugis servatur perfecta Castitas. Tandem *Castitas virginalis* est ipsamet Virginitas: & hæc est absolute perfecta Castitas, & omnium perfectissima; prout ostendit D. Apostolus *2. Corinth. 7.* estque unanimis SS. Patrum sententia, ac novissime definitum in Concilio Trid. *Sess. 24. can. 10.* ibi: *Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus & non esse melius, ac lætius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi matrimonio; anathema sit.* Concordant dicta *n. seqq.*

6. Porro Virginitas describitur a S. Augustino *lib. de S. Virginitate cap. 13.* quod *sit in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio.* Duo enim dicit Virginitas, integritatem videlicet corporis, in tantum, ut nunquam in perpetuum consentiatur in carnis corruptionem; ac insuper propositum observandi integritatem illam in perpetuum. Unde vere Virgines non sunt parvuli, quantumvis carne integri, quia hujusmodi propositum non habent: neque adulti volentes aliquando nubere, eo quod propositum perpetuo servandi Virginitatem non habeant: nec etiam illi, qui mentaliter consentiunt in rem veneream sine opere subsecuto, ob rationem proxime dictam. Verum in his Virginitas amissa adhuc recuperabilis est per pœnitentiam, ut habet Summa Angelica *V. Virginitas*, & Sylvester *eodem n. 2.* & alii. Quamvis Lessius *lib. 4. c. 2. nu. 113.* arbitretur, in talibus non manere virtutem Virginitatis, eo quod hæc dicat propositum perpetuo abstinendi a venereis; licet adhuc vulgo dicantur *Virgines*, quia manet corporis integritas, adeoque status ille, qui communiter vocatur Virginitas.

7. Additur, notanter, *in tantum, ut nunquam consentiatur in carnis corruptionem*; quia is fit per fornicationem, aut pollutionem voluntariam &c. Etenim nihil obest Virginitati, si claustra pudoris violenter infringantur per involuntariam pollutionem, aut passivam oppressionem Virginis, si desit consensus hujus in ipsam. Quinimo tunc locum habet illud S. Luciæ Virginis & Martyris dictum ad Paschasium Præfectum: *Si invitam jusseris violari, Castitas mihi duplicabitur ad coronam.*

8. CONCL. III. Castitati opponitur luxuria, quæ est inordinatus appetitus, vel usus venereorum. Ita communis. Et illud Cæteroquin turpissimum vitium, est unum ex septem peccatis Capitalibus (b) de quo recte Doctor Angelicus *2. 2. q. 151. a. 4. ad 3.* dicit, quod inter cætera Intemperantiæ vitia, præcipue sint exprobrabilia peccata venerea.

9. CONCL. IV. Species Luxuriæ sunt septem, videlicet simplex Fornicatio, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, Sterilegium, & Vitium contra naturam: quorum ultimum subdividitur in mollitiem, Bestialitatem, Sodomiam, ac indebitum concumbendi modum. Ita Mastrius *disp. 15. Theol. Mor. num. 141.* Sanntg. *disp. 2. de Temperantia quæst. 3. n. 4.* & alii: quamvis nonnulli omittant Sacrilegium; id est, Sacrilegum concubitum a persona, vel cum persona per votum simplex, vel solemne Castitatis, aut susceptionem ordinis Sacri Deo sacrata, commissum.

10. Notat tamen Herinex *disp. 2. de Temperantia, quæst. 3. n. 19.* quod propriæ sola Fornicatio, & Vitium contra naturam, specie distinguantur in genere Luxuriæ. Nam cætera, quantum ad malitiam Luxuriæ, conveniunt cum Fornicatione, cui singula superadduntur specialem malitiam extra genus Luxuriæ: Adulterium quidem malitiam Injustitiæ, Incestus malitiam contra Pietatem, Stuprum malitiam violentiæ &c. In proposito de singulis (dempto Sacrilegio, de quo jam alibi (c) dictum) specialiter loquendo, sit

QUÆSTIO II.

De Fornicatione, Adulterio, & Stupro.

SUMMARIUM.

11 *Fornicatio, quid, & quam grave peccatum?*
12 *Fornicatio est intrinsece mala.*
13 *Concubinatus, quid, & quanta ejus malitia?*
14 *Fornicatio cum Sponsa alterius, an addat specialem malitiam?*
15 *Peccatum carnale fidelis cum infideli, an habeat malitiam specie distinctam?*
16 *Adulterium, quid, & quot modis contingat?*
17 *Adulterii quanta malitia, & qua ejus pœna?*
18 *Adulterium est gravius Fornicatione, etiam consentiente altero conjuge.*
19 *Stuprum variis modis accipitur.*
20 *Stuprum propriissime, quid, & qua pœna ejus?*

11. CONCL. I. *Simplex fornicatio* est peccatum Luxuriæ, quo solutus cum soluta per carnalem commixtionem peccat. Ita communis. Et quidem Fornicationem esse peccatum mortale, de Fide est, & habetur ex illo *ad Ephes. 5. Omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei; & ad Galat. 5. Manifesta sunt*

sunt autem opera carnis, quæ sunt immunditia, impudicitia, luxuria &c. & his similia, quæ prædixi volui, sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur; & alibi.

12. Quinimo Fornicatio non solum est peccatum mortale ex prohibitione legis Divinæ, sed etiam est intrinsecè mala, ipsique rectæ rationi dissona. Hinc quippe D. Apostolus 2. *Corinth.* 6. pluribus rationibus demonstrat malitiam ejus: implicat autem, quod malitia cujuspiam proferur argumentis peritis a ratione, nisi ejusmodi malitia sit dissona rationi. Accedit, quod vagus concubitus, sive fornicarius, sit contra bonum prolis: nam ad educationem hominis non solum requiritur cura matris, a qua nutritur, sed multo magis cura patris, a quo est instruendus, & defendendus, atque in bonis tam interioribus, quam exterioribus promovendus; ac proinde contra naturam hominis est, quod utatur vago concubitu, utpote per quem tolliturr certitudo prolis respectu patris, & econtra; prout optime argumentatur Doctor Angelicus 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 2. Hinc merito Innocentius XI. sequentem inter alias, ordine 47. propositionem damnavit: *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam in se habere malitiam, & solam esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

13. Ad hanc Luxuriæ speciem reducitur *Concubinatus*: qui est Fornicatio continuata cum certa aliqua persona soluta, & cohabitatio cum illa. Estque peccatum grave, ac periculosum, eo quod hominem in continuo statu peccati mortalis detineat; quia Concubinarius, quamdiu Concubinam retinet, in continuo proposito, saltem virtuali, peccandi permanet: ut proinde de ejusmodi homine Concubinario dici possit illud *Job. cap.* 15. *Bibit, quasi aquam, iniquitatem.* Unde Doctores communiter docent, Concubinarium, sicut & Meretricem, absolvi ordinarie non debere, nisi dimissa prius concubina, eaque e domo ejecta; alioquin enim non adesset in ipso firmum propositum emendationis, cum vellet perseverare in occasione proxima peccandi.

14. Quæres: an Fornicatio cum sponsa alterius de futuro, addat specialem malitiam? Affirmant multi Doctores, sponsalia addere Fornicationi sponsi, aut saltem sponsæ, novam malitiam injustitiæ specie distinctam, & in Confessione necessario explicandam. Econtra alii negant, & quidem probabilius, ut docet Mastrius *disp.* 11. *Theol. Mor. n.* 139. Ratio hujus posterioris sententiæ est, quia per sponsalia de futuro nondum sponsus acquisivit jus in corpus sponsæ; hoc enim jus consequitur solum per matrimonium de præsenti.

15. Quæres ulterius: an peccatum carnale personæ Fidelis cum Infideli, v. g. Judæa vel Turcissa, sit Fornicatio simplex, vel addat novam malitiam specie distinctam, & in Confessione necessario aperiendam? Affirmat hoc posterius Sanchez *lib.* 7. *de Matr. disp.* 5. cum nonnullis aliis, eo quod speciali ratione conjugium Fidelis cum Infideli fuerit prohibitum per Ecclesiam, videlicet ob motivum Religionis; & quia talia conjugia sunt damnosa tum Fideli, tum bonæ educationi prolis: atqui hæc eadem ratio militat in accessu fornicario; ergo. Negant econtra Azorius *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 29. Tamburinus, Diana, Fillincius, & alii; tum quia nullo jure probatur, malitiam illam esse specie distinctam; tum quia in Matrimonio est longe major conjunctio, quam in accessu fornicario; ergo non valet assumpta paritas.

16. CONCL. II. *Adulterium* est peccatum Luxuriæ, quo violatur fides conjugalis, & fit accessus ad alienum torum. Contingit vero Adulterium tribus modis. I. Quando solutus miscetur carnaliter cum conjugata. II. Quando conjugatus cum soluta. III. Quando conjugatus cum conjugata. Et quidem primis duobus modis committitur Adulterium simplex; tertio autem modo duplex, necessario proinde in Confessione aperiendum; quia tunc duæ injuriæ committuntur in utriusque conjugem innocentem, ac fidem duplicem conjugalem, duplexque Sacramentum Matrimonii.

17. Porro Adulterium esse peccatum mortale, certum est; unde specialiter hoc sexto Decalogi præcepto dicitur: *Non mœchaberis*. Quinimo tanta ejus est malitia, ut ei secundum Leges Civiles pœna capitis statuatur, *l. Quamvis* 30. *C. ad leg. Jul. de Adulteriis* ibi: *Sacrilegos nuptiarum gladio puniri oportet*: junctô §. *Item Lex Julia, Instit. de Publicis Judiciis*. Quamvis Doctores velint, hanc pœnam non competere, nisi pro Adulterio duplicato, sive formato (quale est, quod committitur a personis utrinque conjugatis) vel sæpius repetito, id est, de quo jam semel punitus est Reus: atque etiam hæc pœna in fœminis ob sexus fragilitatem mitigata fuerit. *Auth. sed hodie, C. Ad Leg. Jul. de Adult.* ubi inter alia statuitur, quod *hodie adultera verberata in Monasterium mittatur*.

18. Insuper certum est, Adulterium esse gravius peccatum simplici Fornicatione, quia præter communem Luxuriæ malitiam, quæ etiam datur in Fornicatione, continet novam & specialem injustitiam, atque injuriam, quæ infertur conjugi innocenti, cujus jus in corpus suæ consortis violatur, simulque Statûs ac Sacramento Matrimonii. Et hoc intellige, etiamsi alter conjux consentiat in ejusmodi turpem actum, adhuc enim ob injuriam fidei conjugali, & Sacramento Matrimonii irrogatam, est Adulterium, & continet specialem malitiam. Unde Innocentius XI. hanc inter alias, ordine 50. Propositionem merito damnavit: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.*

19. CONCL. III. Stuprum tribus modis sumitur. Primo, pro omni concubitu legibus prohibito. Sic non tantum defloratio virginis, sed etiam Adulterium, Incestus, & Sodomia, Stuprum dicitur. Quomodo Stuprum in Jure Civili quandoque sumitur; ut *l. Inter Libros. ff. ad legem Jul. de adulteriis*, ibi: *Lex Julia stuprum, & adulterium promiscue appellat.* Et *l. Stuprum. ff. eod.* ibi: *Adulterium in uxore admittitur, stuprum in vidua, vel virgine, vel puero*; cum concordantius. Deinde & magis stricte Stuprum sumitur pro illicita defloratione Virginis sub cura parentum existentis, ut loquitur D. Thomas 3. 2. *quæst.* 154. *art.* 6.

20. Tertio tandem, ac propriissime, Stuprum sumitur pro violenta virginis corruptione. Unde Stupratores, & corruptores Virginum, proprie dicuntur illi, qui vim inferunt. Et sic propria ratio Stupri consistit in hoc, quod Virginitati, seu claustro virginali vis inferatur: quare supra Fornicationem addit injuriam gravem in puellam, cui per vim integritas corporis (quæ maxime æstimari solet, ac debet) admittur. Sic Stuprum est gravissimum peccatum: quod etiam juxta Jus commune Cæsareum pœna mortis plectitur, sive illa persona, cui vis illata est, sit Virgo, sive corrupta, puta maritata, aut vidua, §. *Sin autem. Instit. de publicis Judiciis*, & alibi: licet adhuc gravius punatur in Virgine, ob defloration em.

QUÆSTIO III.

De obligatione Restitutionis ratione Stupri, & Adulterii.

SUMMARIUM.

21 *Qui virginem consentientem defloravit, an teneatur ei ad restitutionem?*
22 *Vel saltem parentibus ejus?*
23 *Quid pro Foro externo?*
24 *Quid, si vi, vel fraude quis usum corporis a virgine extorsit?*
25 *Limitatio hujus solutionis.*
26 *Qui sub promissione Matrimonii, etiam ficta, aliquam defloravit, tenetur eam ducere.*
27 *Limitatur hoc.*
28 *Partu non secuto, an conjux adulterans teneatur quid restituere?*
29 *Secuto partu tenetur Adultera damnum resarcire, quibus?*
30 *Quibus modis id fieri possit?*
31 *Non tenetur Adultera crimen suum revelare.*
32 *Nec filius tenetur credere matri, asserenti, se esse spurium.*
33 *Quid dicendum de Adultera?*
34 *Quando, & quomodo ipse teneatur ad restitutionem?*

(2) Ut dictum superius Dist. 2. n. 44.

21. CONCL. I. Qui Virginem consentientem defloravit absque vi, vel fraude, aut promissione Matrimonii, corruptor in Foro conscientiæ ad nihil ei tenetur; quidquid sit de Juris humani dispositione, quæ ante sententiam Judicis non obligat. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *dubit.* 1. & 2. Mastrius *disp.* 9. *Theol. Mor. n.* 57. & alii. Ratio est: quia volenti non fit injuria, juxta *Reg.* 27. *Juris in* 6. ibi: *Scienti & consentienti, non fit injuria, neque dolus.* Quinimo tunc non committitur propriè Stuprum, cum absit vis: licet in sensu largiori Stuprum appellari possit.

22. Et quamvis aliqui Doctores velint, in tali casu corruptorem teneri aliquid restituere parentibus, vel iis, sub quorum cura est puella defforata: eo quod & his videatur injuria, damnumque aliquod irrogatum; cum hac de causa cogantur augere dotem ad inveniendas filiæ æque competentes nuptias, ac si violata numquam fuisset; Alii tamen ma-

magis communiter, & probabiliter, id negant, ut notat citatus Mastrius *num.* 58. Idque tum ob rationem prædictam; tum quia puella habet liberum usum sui corporis: potestque absque parentum, vel curatorum injuria, nubere ad libitum, etiam imparis æqualis; ergo neque puella eis injuriam facit, neque defloror, de puellæ ipsius consensu apponens impedimentum melioris nuptiarum.

23. Dicitur in Conclusione, *in Foro conscientiæ*: Nam in Foro externo virgo defiorata semper præsumitur seducta, nisi contrarium probetur, Lugo *disp. 12. de just. & jure num.* 5. Et hinc defloror obligatur ad restitutionem illam, quam Jura imponunt iis, qui Virginem seduxerunt; de quibus in Jure canonico *cap. 1. de adulteriis*, sic statuitur: *Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum illa, dotabit eam, & habebit uxorem. Si vero pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.* Cæterum ante sententiam Judicis corruptor ad hoc non tenetur, si absque vi, vel fraude, virginem sponte consentientem defloravit.

24. CONCL. II. Nihilominus, qui vi, aut fraude usum corporis a Virgine extorsit, etsi absque promissione Matrimonii, tenetur eam vel Matrimonio sibi copulare, vel damnum aliunde reparare. Ita Lessius *loc. cit. nu.* 10. Mastrius *n.* 59. Navarrus, & alii. Ratio est, quia tunc damnum per injuriam illatum est, ergo debet resarciri: hoc autem fit vel Matrimonio, vel damni æstimatione; ergo ad alterutrum horum tenetur, & quidem in Foro conscientiæ, atque ante sententiam Judicis.

25. Hoc tamen intelligendum est cum c. Lessio *n.* 15. & aliis, nisi puella talis postea æque commodis potita sit nuptiis, ita ut nihil detrimenti acceperit: quia in tali casu defloratus non obligabitur eidem quidquam necessario restituere, cum damnum nullum re ipsa sit secutum, præter ipsam pudicitiæ defiorationem, quæ irreparabilis est, & pretio non æstimanda. Et hoc plerumque contingit, quando defloratio virginis est occulta, nec coram hominibus manifestata.

26. CONCL. III. Qui promisit conjugium, & ea fide seu conditione usum corporis impetravit, tenetur eam ducere, etiamsi fide promisisset. Ita citati Authores. Ratio est: quia vel sincere promisit corruptor Matrimonium, & tunc tenebitur vi promissionis; nam omne promissum cadit in debitum, vel fide, & tunc tenebitur ratione injustæ deceptionis, atque subsecutæ læsionis.

27. Excepe, nisi defloror talia signa dederit, quibus fœmina sufficienter agnoscere potuit, promissioni subesse dolum, aut ipsam conditionis, seu status inæqualitatem agnoscens, facile suspicari potuit, illum simulate solum nuptias promittere, ut ea frueretur. Ratio hujus limitationis est: quia in tali casu ipsa non præsumitur decepta, sed fingere deceptionem, ac ex mera sua voluntate consensisse in actum turpem; unde corruptor in foro conscientiæ ad nihil et tenetur, juxta dicta *n.* 12. & notat citatus Mastrius *n.* 62. cum aliis.

28. CONCL. IV. Quantum attinet ad obligationem restitutionis ex adulterio provenientem; etsi Adulterium sit peccatum gravissimum, & contra Justitiam, eo quod adulterans privet conjugem innocentem jure suo, quod habet in corpus ipsius: si tamen partus, aut aliud damnum non sit secutum, non tenetur conjux adulterans pro hac injuria, conjugi innocenti illata, ad aliquam compensationem pecuniariam; sed sufficit satisfactio per signa doloris, aut veniæ petitionem ab offenso, si eidem Adulterium conjugis innotescat. Quod si injuria talis sit penitus occulta, hæc satisfactio locum non habet, sed sufficit seria pœnitentia, & satisfactio coram DEO. Ita communis.

29. CONCL. V. Quod si partus sit secutus, tenetur Adultera, quantum fieri potest sine fimæ dispendio, & vitæ periculo, procurare, ne legitimi hæredes, ac alter conjux innocens, ratione hujus suppositæ illegitimæ prolis aliquod damnum patiantur. Ita Scotus 4. *dist.* 15. *q.* 2. & communis aliorum. Ratio clara: quia per educationem prolis adulterinæ mutatur substantia legitimorum filiorum, alteriusque conjugis innocentis: & si proles adulterina supervivat, atque cum legitimis filiis hæreditatem adire velit, multum illis rursus de sua portione detrahetur. Atqui horum omnium damnorum causa, est conjux injuste supponens partum adulterinum: ergo ipsa ex Justitia tenetur laborare, ut hæc damna legitimis hæredibus non obveniant; aut, si eventura sunt, in alio resarciantur, sicque fiat debita restitutio, seu recompensatio damnorum illatorum.

30. Quæres autem, quomodo hujusmodi restitutio, seu damnorum illatorum compensatio, fieri possit? Resp. a Doctoribus, & præsertim Scoto *l. c.* varios assignari modos, quorum principaliores sunt sequentes. I. Si conjux adultera habeat bona paraphernalia, debet, quantum Jura permittunt, eadem relinquere legitimis filiis in compensationem damnorum illatorum, quod idem facere potterit ex dote sua. II. Tenetur diligentiam adhibere, ut ex labore suo lucrum capiat, sicque bona filiorum legitimorum pro compensatione damnorum illatorum adaugere valeat. III. Debet solitos sumptus imminuere, quantum commode potest spectata conditione status, valetudinis &c. ob eumdem finem. Porro si Adultera prudenter dubitet, v.g. ob vicinitatem Copulæ Mariti, num proles sit spuria, vel legitima, juxta La Croix *lib. 3. Theol. Mor. part. 2. n.* 335. excusabitur ab hoc onere Restitutionis: quia in dubio præsumitur pro Matrimonio, cui Proles tanquam favor adjudicatur: uti Teste eodem Auctore cum Tamburino sentit communis.

31. CONCL. VI. Nihilominus Adultera non tenetur se prodere, aut crimen suum revelare ullo modo, neque in mortis articulo, neque per Confessarium; sed tenetur solum aliis modis jam enumeratis laborare, quantum potest, ut hæreditas relinquatur veris hæredibus, aut in alio compensetur. Ita communis. Ratio est: quia talis revelatio non potest fieri sine jactura famæ, atque honoris, imo nec facile fieret sine periculo vitæ, aut aliorum incommodorum: atqui cum jactura famæ nemo tenetur restituere bona fortunæ, utpote quæ sunt ordinis infectoris: ergo.

32. Accedit, quod talis revelatio plerumque sit inutilis, cum filius non teneatur credere matri suæ, asserenti, se esse spurium; tum ob præsumptionem, ac publicum opinionem, qua censetur esse legitimus filius, & natus ex Matrimonio: tum ob possessionem, in qua existit, nec proinde ex ea ejici potest, donec convincatur. Quinimo nonnulli Doctores, quos citat Fagnanus *c. Cum esset, n.* 130. *de Testamentis*: & sequitur Menochius *De Arbitrariis Judicum lib. 2. Cent. 1. n.* 28. fatium reputant filium, si credat matri, asserenti, eum ex Adulterio esse genitum.

33. CONCL. VII. Loquendo nunc de Adultero, non tenetur is facile credere mulieri adulteræ, dicenti prolem natam esse suam. Ita Doctores passim. Ratio est: quia potest probabiliter, & prudenter præsumere, fœminam potius ex marito suo concepisse, nisi de oppositio constet; ut puta quia maritus absuit, vel concurrant aliæ conjecturæ.

34. Quod si vero Adulter cognoscat, prolem esse suam, vel certe nullam habeat justam causam dubitandi, tenetur & iple ad restitutionem pro sua parte. Et quidem in primis obligatur restituere, seu compensare ea, quæ impensa sunt in alimenta prolis a tertio anno ætatis, & deinceps: nam educatio prolis primo quidem triennio ad matrem pertinet, sequentibus autem annis ad paterem. (a) Deinde ejusmodi Adulter tenetur una cum Adultera refarcire damnum, quod legitimis filiis ex illegitimi successione obventurum est, etiamsi suo consilio non fuisset auctor suppositionis. Ratio est: quia Adulter iniquo facto suo una cum matre est causa damnorum filiis legitimis illatorum: ergo una cum ipsa tenetur ad restitutionem: eo præsertim, quia iniquo suo facto matrem coegit, pro conservanda sua fama prolem adulterinam supponere. Lessius *lib. 2. de just. & jure c.* 10. *dub.* 6. cum communiori; quamvis quoad hoc ultimum Sotus, Henriquez, & nonnulli alii oppositum teneant, loquendo de Adultero, qui non dedit Adulteræ consilium suppositionis.

QUÆSTIO IV.

De Incestu, & Raptu.

SUMMARIUM.

35 *Incestus quid?*
36 *Superaddit luxuriæ specialem malitiam. Et ad quot gradus extendatur?*
37 *Incestus inter diversos gradus, an specie distinguantur?*
38 *Sententia probabilior.*
39 *Raptus, quid?*
40 *Ad Raptum tria requiruntur, quæ?*
41 *Qua ejus malitia?*
42 *Quæ pœna in Raptores constituta?*

35. CONCL. I. *Incestus* est peccatum Luxuriæ cum consanguinea, vel affine, inter gradus jure prohibitos commissum. Ita in re communis.

36. Porro Incestus est peccatum mortale, superaddens Luxuriæ specialem malitiam; & quidem eo graviorem, quo gradus consanguinitatis, vel affinitatis inter peccantes est propinquior. Ratio est: quia est contra reverentiam juri sanguinis debitam, ipsam-

ipsamque virtutem Pietatis. Unde ex instinctu naturali apud omnes Gentes damnatur concubitus cum consanguineis in linea ascendente, vel descendente, imo etiam in linea collaterali intra certos gradus: quamvis Jure Ecclesiastico extensa sit postmodum talis prohibitio usque ad quartum gradum consanguinitatis, & affinitatis ex copula licita, seu conjugali consurgentis; vel si affinitas consurgat ex copula illicita, sive fornicaria, usque ad secundum gradum inclusive ex nova Constitutione Concilii Trid. *Sess. 24. de Reform. matrim. cap. 4.*

37. Quæres; an Incestus inter diversos consanguinitatis, vel affinitatis gradus commissi, distinguantur specie; adeo, ut ipse gradus consanguinitatis, vel affinitatis sit necessario in confessione explicandus? Resp. cum Mastrio *disp. 11. Theol. Mor. n. 122.* tres esse diversas Doctorum sententias. Nam Navarrus, Valentia, Vasquez, & quidam alii volunt, omnes illos gradus specie distinguí. Econtra Tamburinus, Cajetanus, Sotus, & Thomistæ passim volunt, omnes illos gradus, & Incestus in iisdem commissos, esse ejusdem speciei. Rationem dant, quia initis omnibus peccatur contra eandem Pietatis virtutem, & reverentiam juri sanguinis debitam; & consequenter in iis omnibus reperitur una specie deformitas, licet intra eandem speciem modo gravior, modo levior, juxta majorem, vel minorem gradum distantiam. Et hæc sententia tunc præcipue deservire poterit, quando pœnitens non potest explicare gradum Incestus, quin Confessarius veniat in notitiam complicis.

38. Tertia sententia est media, videturque probabilior, ac in praxi communiter tenenda. Hæc in primis admittit, quod Incestus cum consanguinea specie differat ab Incestu cum affine in eodem gradu: illa enim vincula specie differunt. Lessius *lib. de just. & jure cap. 3. n. 79.* Deinde eadem sententia docet, Incestum commissum cum consanguinea in linea recta, ut puta cum matre, vel avia specie distingui ab Incestu cum aliqua, in linea collaterali commisso, v. g. cum sorore, vel consobrina; nam nullo unquam casu licuit congressus cum consanguinea in linea ascendente, secus in collaterali. Tandem dicta sententia docet, etiam Incestum in primo gradu consanguinitatis lineæ lateralis, respectu remotiorum esse specie distinctum: quem proinde, sicut & primum gradum affinitatis, plerique Doctores in Confessione exprimendum putant. Ratio horum est: quia longe alia reverentia debita est matri, quam sorori; & consequenter immanior censetur esse Incestus cum matre commissus: prout hoc ipsum natura dictat, a tali contu plus, quam ab alio abhorrens. Idem dicendum respectu sororis in ordine ad alios remotiores gradus.

39. CONCL. II. *Raptus* hoc loco proprie dicitur, cum persona aliqua invita, vel resistentibus ejus parentibus, aut illis, sub quorum cura est, adducitur per vim ad libidinem explendam, vel ad Matrimonium contrahendum. Ita desumitur ex *c. Lex illa, 36. q. 1. & c. si quis virginem, 36. q. 2.* junctis Concilio Trid. *Sess. 24. de Reformat. Matr. c. 6.*

40. Colligitur proinde, ad Raptum proprie dictum tria requiri. I. Abductio personæ raptæ a domo sua, vel paterna, ejusque in aliena detentio: unde Raptus non committitur ab eo, qui Virginem in domo paterna repertam ibidem violat, aut vi opprimit, sed id potius erit Stuprum. II. Requiritur, ut abductio illa fiat causa libidinis, vel Matrimonii contrahendi: in quo casu Raptus est impedimentum dirimens Matrimonii, ex Constitutione nova Concilii Tridentini *cit. c. 6.* III. Requiritur vis illata: unde, quando nulla vis infertur fœminæ, sed ipsa sponte consentit, & inscia parentibus cum amasio discedit, proprie Raptus non est, sed fuga voluntaria.

41. Raptus igitur inter species Luxuriæ merito reponitur, ratione intentionis pertinentis ad Luxuriam; quia nempe libidinis causa fit. Quamvis simul aliam malitiam contra Justitiam includat, qua vis infertur vel puellæ, vel parentibus, aut curatoribus ejus.

42. Unde merito graves pœnæ utroque Jure in Raptores sunt constitutæ; videlicet de Jure Civili pœna capitis *l. un. C. de Raptu virginum*: de Jure Canonico autem publica pœnitentia, & ut Raptor fine spe cossugii maneat. *c. Raptor, & c. Statutum 27. q. 2.* His novissime Concilium Trid. *Sess. 24. de Reform. Matr. c. 6.* alias pœnas addidit; videlicet pœnam excommunicationis a Raptore, & omnibus illi consilium, auxilium, aut favorem præbentibus, ipso jure incurrendam, perpetuæque infamiæ; & quod inter Raptorem, & Raptam, quamdiu hæc in potestate Raptoris manserit, nullum possit consistere Matrimonium.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De prima specie Peccati contra naturam, quæ est Mollities.

SUMMARIUM.

43 *Peccatum contra naturam, quid, & quæ species ejus?*
44 *Mollities seu Immunditia, quid? & quale peccatum?*
45 *Mollities est intrinsece mala, & in nullo casu licita.*
46 *Non licet Medicis, media applicare infirmis ad eam procurandam.*
47 *Quid de aliis pharmaciis?*
48 *Solutio notabilis instantia.*
49 *Omnes pollutiones sunt ejusdem speciei.*
50 *Per accidens tamen eis conjungi possunt alia species malitiæ.*
51 *Pollutio indirecte voluntaria est peccatum mortale.*
52 *Quid, si non fuerit præviſus talis effectus ex posita causa secuturus.*
53 *Alia limitationes.*
(b) Tract. 1. Dist. 2. n. 12. & 13.
54 *Qualiter peccaminosus sit effectus pollutionis, si causa est tantum veniabiliter mala?*
55 *Quid de pollutione in somno orta?*
56 *An sit licitum desiderare pollutionem?*
57 *Aut simplici affectu de ea naturaliter secutæ gaudere?*
58 *Distillatio, quomodo differat a pollutione.*
59 *An helleborus dicta habeant locum in Distillatione?*

43. PEccatum contra naturam, quod est vitium inter cæteras Luxuriæ species gravissimum, est actus Luxuriæ, ex quo non potest sequi humana generatio; sive, quo pervertitur ordo a natura præscriptus, ita ut conceptio fieri nequeat. Porro hujusmodi vitium dividitur in quatuor species, videlicet in Mollitiem, Bestialitatem, Sodomiam, & indebitum concumbendi modum, de quibus sigillatim in hac, & sequenti Quæstione.

44. CONCL. I. *Mollities*, quæ alio nomine ab Apostolo *1. Corinth. 12. & ad Gal. 5.* vocatur *Immunditia*, est peccatum contra naturam, per quod voluntarie Pollutio quæritur extra concubitum. Hæc est peccatum mortale, quando perfecte voluntaria existit, cum sit contra ordinem naturæ, & generationis; atque excludit a regno Dei, juxta illud: *Corinth. 6. Molles regnum Dei non possidebunt.* Et *c. 5. ad Galat. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt Fornicatio, Immunditia, Impudicitia, Luxuria, &c. Quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum DEI non consequentur.*

45. CONCL. II. Mollities est intrinsece mala, adeo ut nunquam quovis prætextu, etiam fedandæ tentationis (nam hoc est succumbere) vel tuendæ sanitatis causa, licitum sit procurare Pollutionem; neque Medicus possit præbere medicinam eo fine, ut naturam ad eam concitet. Ita communis. Nam voluntaria illa emissio seminis humani est contra primarium finem, ob quem a natura est institutum. Et si semel licitum esset, ex tali prætextu procurare Pollutionem, ob naturalem delectabilitatem, & passim prætensum ejusmodi motivum, via latissima huic fœditati aperiretur, *immutando naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam, ad Rom. c. 1.* cum maxima jactura generationis humanæ. Hinc merito Innocentius XI. sequentem inter alias, ordine 49. Propositionem damnavit: *Mollities jure naturæ prohibita non est: unde si DEUS eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria.*

46. Et hinc, quantum attinet ad alteram partem Conclusionis, media huc præcise tendentia suadere, vel applicare infirmis, gravissime prohibetur Medicis *c. Cum infirmitas, §. fin. de Pœnit. & remission.* ibi: *Cæterum cum anima sit multo pretiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis Medicorum pro corporali salute aliquid agreto suadeat, quod in periculum animæ convertatur.*

47. Dicitur notanter in Conclusione, *præbere medicinam eo fine ut naturam ad eam concitet:* Nam dare pharmaca, quibus semen in sanguinem, vel alium humorem resolvatur, culpa vacat: ut notant Bonacina *tom. 1. q. 4. de Matr. punct. 10. n. 12.* Sanchez, & alii. Deinde, licet forte semen, si corporis sanitati officere cœperit, detrahi possit medicamento cathartico (eo modo, quo bilis, pituita, & melancholia absque libidinis sensu) tamen non potest pelli actu & impetu, quem natura fecit illi proprium, neque hoc fine a Medicis pharmacum præscribi: quia hic solius prolis causa a natura institutus est, & alioquin procuraretur pollutio. Lessius *lib. 4. c. 3. n. 96.*

48. Nec

38. Nec obstat, quod licita sit emissio sanguinis, imo & amputatio membrorum ad vitæ conservationem. Resp. enim negando paritatem. Quia semen est instituum ad propagationem speciei, unde nec ejus usus aliter licitus, nisi ob debitum finem in legitimo Matrimonio: at sanguis, membra &c. sunt ordinata ad conservationem, & functiones individui: unde non mirum, quod ob ejus conservationem expelli, vel resecari possint, cum bonum totius præferendum sit bono partis. Accedit, quod in illius emissione subsit delectatio naturaliter consurgens, inductiva ad malum. Conclusione allata, secus in emissione sanguinis, aut amputatione membri.

49. CONCL. III. Omnes Pollutiones secundum se spectatæ sunt ejusdem speciei. Ita Azorius *part. 3. lib. 3. c. 21.* Bonacina *loc. cit. n. 15.* & alii: Ratio est: quia habent eandem deformitatem, & contrarietatem cum recta ratione.

50. Dicitur, *secundum se spectatæ*: Quia per accidens possunt conjungi aliæ malitiæ speciei distinctæ: nam si polluit se persona voto Castitatis obstricta, additur nova malitia Sacrilegii: si conjugatus, nova malitia contra Castitatem conjugalem, bonumque Matrimonii: si cum imaginatione, fuit debitorio peccandi cum hac, vel illa persona soluta, conjugata, voto Castitatis obstricta &c. alia species distincta turpitudo, juxta qualitatem personæ illicite concupitæ. Et hoc ipsum erit dicendum, si illud peccatum extra concubitum consummatum a plumbus personis, una adjuvante alteram; nam etiam tunc exprimenda in Confessione erit qualitas personæ complicis, utpote cujus peccato quis cooperatur, vel eam ad hoc induxit.

51. CONCL. IV. Pollutio indirecte voluntaria, hoc est, illa, quæ prævidetur secutura ex positione alicujus causæ, quæ evitari posset, ac deberet, pariter est peccatum mortale, saltem si ipsa causa in genere Luxuriæ sit graviter peccaminosa, atque ex se multum excitativa talis effectus. Ita sub his terminis communis. Sic fit, quando quis prævisa ejusmodi fœditate secutura vacat libidinosis, seu ex venerea delectatione provenientibus oculis, tactibus, amplexibus, & aliis hujusmodi, quæ sunt causa propinqua pollutionis, & ex natura sua talis turpitudinis excitativa. Ratio est: quia in talem causam consentiens, hoc ipso in effectum inde connaturaliter secuturum consentire convincitur.

52. Dicitur in Conclusione, *quæ prævidetur secutura*. Nam si operans nullo modo advertit ad periculum secuturi effectus pravi, tunc ejusmodi effectus, utpote pollutio, neque in se, neque in sua causa censetur voluntarius, utpote nullo modo prævisus.

53. Et additur, *ex positione causæ, quæ evitari posset, ac deberet*: Nam quando ejusmodi actio exteroquin licita est, & necessaria, vel utilis, ac proinde non adest obligatio eam vitandi, effectus inde sequens, etiam prævisus, seclusio alio consensu, non imputatur ad culpam, prout jam superius (b) dictum fuit. Et hinc licitum est sumere medicinam ad expellendos varios alios corporis noxios humores ordinatam, etsi per accidens, citra complacentiam veneream, exinde sequatur, vel hanc expulsionem committur pollutio. Item Parochus, imo & alius Confessarius, ex officio non obligatus, potest excipere Confessiones: Chyrurgus, vel Medicus tangere partes fœminæ indigentis cura, aut studere rebus medicis, ac hujusmodi, non obstante prævisa pericula pollutionis secuturæ, dummodo hanc minime intendat, neque in eam libidinose consentiat. Similiter expertus, se pollui ex equitatione absque periculo proximo Consensus, non tenetur pedester incedere. Ratio generalis est: quia talia vel fiunt ex officio, aut Charitate erga proximum, vel saltem sunt utilia operanti, & exteroquin honesta & licita, neque causa per se, ac suapte natura proxima talis fœditatis. Sanchez *lib. 9. de Matr. disp. 45. n. 7. & seq.* Azorius *c. c. 23. q. 4. & 5.* Lessius, Bonacina, & communis.

54. Quæres I. An si causa pollutionis sit tantum venialiter mala, hoc non obstante, effectus exinde secutus censeatur mortaliter peccaminosus? e. g. ponamus, quod pollutio sequatur ex semideliberata complacentia, vel ex oculo aspectu facie alicujus fœminæ solutæ, quæritur, an talis pollutio sit mortaliter peccaminosa? Ad hoc quæsitum ex Lessio, & Sanchez noster Patritius Sporer *part. 4. Theolog. Sacramentar. sect. 5. §. 6.* respondet tripliciter. I. Si causa in genere luxuriæ non tantum venialiter, sed etiam mortaliter mala foret, atque ex sua natura proxime inducens ad similem fœditatem, tunc effectus secutus, nempe pollutio, haud dubio foret mortaliter peccaminosus, prout jam supra Conclusione IV. fuit insinuatum. II. Si causa illa in genere Luxuriæ est tantum peccatum veniale, etiam graves motus, vel ipsa pollutio exinde secuta, minime tamen in-

intenta, & seclusio semper periculo consensus in illam, erit duntaxat venialiter mala. Ratio est: quia, cum tunc pollutio non sit volita in se, sed tantum in sua causa, in tantum mala erit, in quantum mala est ipsa causa, & consequenter si causa fuerit tantummodo venialiter mala, pariter effectus imputabitur tantum venialiter malus. III. Quando causa, ex qua sequitur pollutio, non est peccatum in genere Luxuriæ, quippe natura sua non ordinata ad rem veneream, etsi mortaliter peccaminosa in alio genere, exinde tamen effectus pollutionis non erit mortaliter peccaminosus, si in illa pollutione non habeatur libidinosa complacentia, & pariter excludatur periculum proximum consensus. Ratio est: quia tunc illa causa non videtur per se, ac proxime, sed tantum per accidens, ac leviter & remote influere in similem effectum. Atque ex his responsionibus (inquit P. Sporer) tolluntur plurimi scrupuli, & solvuntur innumeri casus. Licet exteroquin casta mens etiam talia studeat amovere ex abominatione hujus fœditatis.

55. Quæres II. An liceat pollutionem involuntariæ, v. g. in somno ortam permittere, secludendo omnem affectum ad eandem, ac exteroquin se habendo negative? Ad hoc quæsitum denuo respondet P. Sporer, uti sequitur: quando motus Venereus, ac ipsa decisio seminis accidit in somno, sed emissio, seu effluxio fit postea in vigilia, & multo magis si ipsa emissio seminis jam incipit in somnis, & partim adhuc fit in vigilia, seclusio consensu in illam, nullum fit peccatum, juxta Gerson, Sanchez, Tamburinum. Ratio est: quia, uti supponitur, pollutio incipit involuntarie, continuatio autem effusionis seminis est solum effectus naturalis causæ præcedentis, quæ licet & nunc impediri amplius vix potest, & consequenter nec quis tenetur: vel enim conatus ille reprimendi nihil operabitur, vel retento contra naturæ impetum extra suam sedem semine, corpus supra modum gravabitur, & periculo infirmitatum exponetur. Cavendum tamen vel maxime, ne vigilans non tantum permittat, sed etiam positivo conatu promoveat, vel compleat, quod utique non liceret citra grave peccatum, si vere deliberate fieret: nam in eo casu aliquoties non tam perfectum, quam imperfectum voluntarium interveniret, experientia patet. Tutissime aget talibus vigilans, si saltem circa similem fœditatem simplicem dissipientiam eliciat, ac se B. Virgini immaculate concepte, aut suo Angelo tutelari commendet, ejusdem imprimando assistentiam, ne consentiat pessime.

56. Quæres III. An licitum sit desiderare, vel delectari de pollutione naturaliter secuta? Resp. I. Illicitum est, eam desiderare, vel de ipsa jam secuta gaudere ob delectationem: neque ullo modo fas est, ipsam procurare, aut ad eam active cooperari, vel quidpiam facere eo fine, ut eveniat. Ita omnes Doctores: nam consensus in eam, cooperatio, vel intentio, jam foret peccatum mortale.

57. Resp. II. Nihilominus simplici affectu, & sine ulla procuratione, ob finem honestum, v. g. sedandæ tentationis, vel sanitatis ergo, desiderare, ut pollutio naturaliter eveniat, aut de ea naturaliter secuta gaudere, multi Doctores non illicitum censent; ut Lessius *cit. c. 30. n. 105.* Navarrus *c. 18. Man. n. 6.* Laym. *l. 3. sect. 4. n. 17.* & alii. Qui tamen recte addunt ejusmodi simplex desiderium, vel gaudium, indicare imperfectum Castitatis affectum: nam Viri perfecti ob amorem puritatis, & timorem consentiendi in carnalem delectationem, vel maxime abhorrent ab omni, quamvis naturaliter eveniente, carnis impuritate.

58. Quæres ulterius, an quæ hactenus dicta sunt de pollutione, etiam locum habeant in Distillatione? Ubi notandum ex Gersone *part. 2. tract. de pollut.* D. Thoma, Sanchez, & aliis, quod e corpore humano per meatus membrorum pudendorum præter urinam, verumque semen, procedat humor quodammodo medius, qui potest vocari salivalis, vel sputalis. Et hic quidem ab humore seminali non ita facile secernitur, propter similitudinem coloris, infectionem, carnisque commotionem, quæ aliquando ipsum comitatur: differt tamen præ cæteris in hoc, quod facilius fluat, nec cum tanta carnis commotione, sicuti seminalis, & quandoque imperceptibiliter, ac sine ulla carnis commotione. Hoc prænotato

59. Resp. Quando Distillatio accidit absque ulla carnis commotione, de ea non est curandum, cum sit veluti quidam tudor fluens: secus est, quando ipsa fit cum magna carnis commotione. Ita Sanchez *cit. disp. 41. n. 2. & n. 31.* Bonacina *punct. 10. n. 13.* & alii. Ratio posterioris partis est; quia ejusmodi commotio spirituum est no-

stabiliter turpis, & veluti inchoata Pollutio; ergo si est voluntaria, etiam Distillatio erit mortalis ob ejusmodi delectationem veneream. De hac proinde erunt applicanda hactenus dicta, non vero de ea, quæ contingit absque commertione carnali.

QUÆSTIO VI.

De cæteris speciebus Peccati contra naturam.

SUMMARIUM.

60 *Bestialitas, quid?*
61 *Non variatur Specie ob diversitatem bestiarum.*
62 *Concubitus cum dæmone, quale peccatum?*
63 *Sodomia, quid?*
64 *Sodomitarum pœna.*
(c) Juxta dicta Tr. 2. Dist. 2. n. 40. & seqq.
65 *Indebitum concumbendi modus, quid?*
66 *Quale peccatum præpostere coitus inter conjuges?*
67 *Peccata contra naturam distinguuntur Specie.*
68 *Solvuntur objectio.*
69 *Plures Luxuriæ species concurrunt quandoque in eodem actu.*

60. CONCL. I. *Bestialitas*, quæ est secunda species peccati contra naturam, tunc committitur, quando concumbit quis cum re animata non ejusdem speciei cum homine. Hoc peccatum est gravissimum, atque in Foro etiam Sæculari pœna mortis, & combustionis merito punitur.

61. Cæterum istud peccatum contra naturam non variatur specie ex eo, quod committatur cum animalibus specie distinctis, ut puta ove, equa, cane &c. Omnia enim conveniunt in hac una ratione, quod non sint ejusdem speciei cum homine: malitia autem Bestialitatis consistit in hoc, quod non servetur eadem species, & natura. Filliucius *tr. 30. cap. 8. n. 161.* & alii communiter.

62. Quæres: an concubitus cum dæmone sit species Bestialitatis? Resp. cum citat. Filliucio, & aliis, peccatum cum dæmone assumente formam hominis, maris, vel fœminæ, aut alicujus belluæ, semper dici peccatum Bestialitatis (quia etiam dæmon est diversæ speciei ab homine) sed ultra hanc peccati malitiam etiam superadderе vitium Irreligiositatis, & Superstitionis ob societatem cum dæmone habitam in illo actu venereo. Addendum etiam cum citato Authore *n. 162.* quantum est ex parte affectus, talia peccata posse esse diversæ speciei: nam si quis cum dæmone coeat in forma mulieris affectu fornicario, adulterino, vel incestuoso, erit præter peccatum Bestialitatis, & Superstitionis, etiam peccatum Fornicationis, Adulterii, vel Incestus, ratione illius pravi affectus, atque voluntatis, quam habet.

63. CONCL. II. *Sodomia* est peccatum contra naturam, quo ex affectu ad indebitum sexum vir concumbit cum viro, vel fœmina cum fœmina. Ita D. Thomas *2. 2. q. 154. ar. 11.* & alii.

64. Hoc peccatum est gravissimum, atque in cœlum clamans, *Gen. 19.* ob quod Sodoma & Gomorrha, cum finitimis civitatibus, cœlesti igne vindice conflagrarunt. Hinc Jure quoque Civili tanti sceleris Rei igne concremantur: at Jure Canonico olim Laici excommunicabantur, Clerici vero deponebantur, & in Monasterium detrudebantur. Nunc vero, quod attinet ad Clericos, juxta Bullam S. Pii V. quæ incipit, *Horrendum illud scelus* (& habetur *tom. 2. Bullarii Romani Constit. 72. dicti Pont.*) Clerici Sodomitæ ipso jure sunt privati privilegio Clericorum, & dignitate, Officio, & Beneficio Ecclesiastico: quamvis, quia hæc Constitutio est pœnalis, atque requirens executionem externam, ea primum in Conscientia obliget post sententiam Judicis declaratoriam. (c)

65. CONCL. III. Ultima species peccati contra naturam, sive *Indebitus concumbendi modus*, est peccatum contra naturam, per quod vir concumbit cum fœmina modo indebito, ita ut impediatur generatio. Ita Filliucius *loc. cit. n. 156.* & alii.

66. Dicitur notanter, *ita ut impediatur generatio*: nam alioquin in rigore non erit peccatum contra naturam, cum ei non conveniat definitio *num. 47.* data. Hinc excluso hoc, ac etiam periculo impediendi generationem, præpositerus coitus inter conjuges peccatum mortale non est: ordinarie tamen est peccatum veniale, & quidem grave in suo genere, nisi aliqua necessitas excuset, ut puta quia mulier est prægnans, vel quia corporis dispositio propter pinguedinem aliter fieri non patitur.

Et

Et hinc conjuges sic congredientes extra casum necessitatis, graviter reprehendendi sunt ob periculum impediendæ generationis. Mastrius *disp. 21. Theol. Moral. nu. 135.* Filliucius, Bonacina, & alii. Verum occasione prædictorum

67. Quæritur I. An prædicta quatuor peccata contra naturam distinguantur specie in genere moris? Resp. affirmative, cum Mastrio *loc. cit. n. 137. ac seqq.* & communi. Ratio est: quia licet opponantur eidem virtuti Castitatis, tamen ipsi opponuntur secundum diversam specie rectitudinem. Et hinc diversam dissormitatem, atque dissonantiam cum recta ratione continet Bestialitas, & Sodomia, quam simplex Pollutio.

68. Nec obstat, quod omnia hæc sint peccata contra naturam. Resp. enim, peccatum contra naturam esse genus respectu dictarum quatuor specierum; alioquin enim, nisi intercederet ejusmodi distinctio specifica in genere moris, sequeretur, quod, si quis semel habuisset Pollutionem, semel commisisset Bestialitatem, & semel Sodomiam, satisfaceret in confessione, dicendo: *Ter peccavi contra naturam*: quod est contra communem sensum Doctorum. Accedit Decretum Alexandri VII. hanc inter alias, ordine 24. Propositionem damnantis: *Mollities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.*

69. Quæritur II. An plures Luxuriæ species, necessario in Confessione explicandæ, quandoque in eodem actu concurrant? Resp. cum Scoto *Quodlib. 18. §. de primo*, & Doctoribus communiter, affirmative. Sic enim peccatum carnis, a Clerico in Sacris constituto, vel alio habente votum Castitatis, cum consanguinea sua conjugata commissum una cum effusione seminis præter rectum Adulterii continet malitiam specie distinctam Sacrilegii, atque Incestus, & peccati contra naturam. Idem contingere potest in desideriis illicitis, & carnalibus: sic quippe voto Castitatis obstrictus, ac se plena voluntate pollutus cum imaginatione, atque affectu ad personam conjugatam sibi consanguineam, præter malitiam peccati contra naturam, & Sacrilegii, etiam ob pravam illam concupiscentiam internam, desiderionique carnale, contrahit malitiam Incestus, atque Adulterii, necessario in Confessione aperiendam, utpote circumstantiam speciem mutantem: & idem dicendum de similibus.

QUÆSTIO VII.

De impudicitia, hoc est, de osculis, tactibus, aspectibusque impudicis, & an detur levitas materiæ in re venerea?

SUMMARIUM.

70 *Impudicitia est circa oscula, tactus &c. venereos.*
71 *Oscula, tactus &c. impudici, quale peccatum inter solutos?*
Præparatoria Stupri, qua?
72 *Quid de osculis, & amplexibus causa amicitiæ?*
73 *Vel tactibus joco, aut levitate habitis?*
74 *Sive ex causa justa, v. g. medendi, facti?*
An fœmina teneatur tale genus medendi admittere?
75 *Quid de fricatione pudendorum?*
76 *Tactus, & aspectus impudici inter conjugei, an, & quale peccatum?*
77 *Num liceant inter Sponsos de futuro?*
78 *Aut tactus in partibus honestis, causa delectationis sensitiva?*
79 *Tactus impudici inter personas ejusdem sexus, quale peccatum?*
80 *In tactibus libidinosis explicanda circumstantia personarum complicium.*
81 *Aspectus, verba, & cantus turpes inter solutos, quale peccatum?*
82 *Quid si fiant ex levitate, curiositate, &c.*
83 *Discrimen inter tactum, & visum.*
84 *Aspectus curiosi, præsertim sexi, quam periculosi?*
85 *Levitas materiæ in re venerea, an detur? I. Sententia.*
86 *II. Sententia.*
87 *III. Sententia, merito tenenda ex auctoritate.*
88 *Et ratione.*
89 *Solvuntur rationes primæ.*
90 *Et secundæ Sententiæ.*

70. ADvertendum, quod Impudicitia sit circa oscula, tactus, & alios actus circumstantes actum venereum, prout notat D. Thomas *2. 2. q. 154. art. 2. ad 5.* de hac loquitur Apostolus *ad Galat. 5. Ma-*

vocatio, immunditia, impudicitia, luxuria &c. Quæ dico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Quod ut melius intelligatur sit

71. CONCL. I. Certum est, quod osculatio, tactus & amplexus impudici, id est, habiti causa delectationis venereæ, & sensibilis ex commotione spirituum generationi deservientium consurgentis, inter personas solutas sint peccata mortalia. Ita Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 46. num. 7.* & communis aliorum; idque patet ex cit. textu D. Pauli *ad Galat. 5.* cum concordantiis. Ratio est: quia ejusmodi oscula, tactus, & amplexus impudici, suapte natura ordinantur ad copulam carnalem, ad eamque proxime disponunt, ob vehementem corporis, spirituumque generationi deservientium commotionem, & hoc ipso sunt pollutio aliqua inchoata; ergo. Hinc Glossa *in l. Quod ait, ff. Ad legem Juliam de Adulteriis*, præparatoria Stupri refert his verbis:

Visus colloquium, tactus, post oscula factum.

Concordat Decretum Alexandri VII. inter alias Propositiones etiam hanc, ordine 40. damnantis: *Est probabilis opinio qua dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, facluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

72. Dicitur notanter in Conclusione, *impudici, id est, habiti causa delectationis venereæ.* Nam si osculo, vel amplexus fiant causa amicitiæ, secundum morem patriæ, communiter excusantur a peccato: quia osculo, vel tactus de se non sunt intrinsece mali, sed indifferentes: simulque hic fiunt ex honesto fine, nimirum in signum mutuæ benevolentiæ, pacis, debiti obsequii. Nec obstat, quod inde consurgat quandoque motus inordinatus sensualitatis; dummodo eidem non præbeatur deliberatus assensus, nec habeatur libidinosa complacentia; nam alioquin ejusmodi prava complacentia utique foret peccaminosa.

73. Deinde si tactus, amplexus, vel osculo, solum habeantur ex joco, vel quadam animi levitate, aut alia consimili ratione, non vero causa delectationis venereæ, per se loquendo non excedunt culpam venialem. Layman *lib. 3. tract. 4. c. 10.* citans communem Doctorum. Quamvis recte idem post Sanchez *l. c. num. 11.* hinc excipiat tactus valde turpes & impudicos, ut puta partium vicinarum venereis, vel ipsarum venerearum: nam hi ultimi, si absque necessitate, vel utilitate (quod additur propter dicenda numero sequenti) fiant etiam ex joco, vel levitate inter personas diversi sexus in prædictis partibus inhonestis immediate (secus si obiter tantum supra vestes) non excusantur a peccato mortali, cum ex natura rei similes tactus ad delectationem venereum propinque tendant, eamque valde excitent inter personas diversi sexus, nisi forsan ætas infantilis a gravitate peccati eximat, prout exinde Sanchez, Sporer, & Jacobus Marcantius eximunt a gravi peccato, non item a veniali, ancillas puellas vestientes, lavantes, eorumque pudenda ex curiositate per breve temporis spatium, secluso consensu, vel complacentia turpi tangentes: nam licet etiam istæ mortaliter peccare possint, si id morose seu mora longiori faciant ob morale periculum consensus libidinosi: si tamen brevi temporis spatio contingat, non solet similis tactus ex sua natura tendere propinque ad delectationem venereum, eamque valde excitare.

74. Rursum si tactus etiam inter personas adultas diversi sexus in partibus inhonestis fiat causa medendi, aut alia necessaria, vel justa, secluso allo pravo affectu, nullum est peccatum: cum talis contactus, utpote ex Charitate ordinatus, vel ex alio justo motivo procedens, sit consentaneus rectæ rationi. Notat tamen Lessius *cit. lib. 4. c. 3. num. 60.* post Navarrum *cap. Si cui nu. 13. de pœnit. disp. 1.* quod mulier, præsertim virgo, non teneatur tale genus medicandi in partibus secretioribus admittere: tum quia mens casta tali curatione, non minus, quam a morbo abhorret: tum quia nemo tenetur admittere id, cui est conjunctum periculum motus pravi, aut delectationis carnalis.

75. Ex eadem causa necessitatis excusatur tactus, seu fricatio propriorum pudendorum ad sedandum pruritum, in illis partibus quandoque vehementius consurgentem. Imo Layman *cit. sect. 4. n. 13.* post Sanchez, & Petrus Marchantius *in Resolutionibus, ad tomum 3. Tribunalis additis, Casu 3.* post Sancium, & Villalobum existimant, non esse peccati damnandum, qui ejusmodi molestissimum pruritum fricatione sedare conatur, quamvis cum periculo pollutionis, dummodo non subsit periculum consensus in istam.

76. Additur insuper in Conclusione, *inter personas solutas*: In primis enim conveniunt Doctores, conjugibus ejusmodi tactus esse licitos, si ad copulam conjugalem referantur, utpote ad quam licite se excitant. Deinde tactus, oscula, & aspectus ejusmodi inter conjuges, si fiant causa solius voluptatis, sunt quidem culpabiles, sed non mortaliter, etiamsi capiantur ob delectationem, absque intentione copulæ conjugalis: quia Matrimonium eos honestat, ac defectus debiti finis non est mortalis. Intellige, dummodo absit periculum pollutionis: nam alioquin juxta Bonacinam *tom. 1. quæst. 4. de Matrim. pun. 9. num. 6.* Lessium, Layman, Magistrum &c. a mortali non excusarentur, nisi adesset alia justa causa similes tactus admittendi, qualis foret juxta Sanchez *lib. 9. disp. 49. n. 37.* Perez *disp. 47.* ac Dianam *part. 6. tract. 6. Resol. 27.* manifestatio & conservatio mutui amoris, præsertim ex parte reddentis, ubi admisso talium tactuum ex fine simili foret licita, etsi subinde præter intentionem sequatur pollutio, de quo vide fusius Sporer *part. 4. Theol. Sacrament. cap. 8. sect. 3. §. 4. n. 500.*

77. Num autem inter Sponsos de futuro liceant tactus, & oscula, alia difficultas est. Et quidem tactus impudicos inter Sponsos non excusaria mortali passim fatentur Doctores, eo quod hi proxime disponant ad copulam, quæ non est illis licita. Quod si oscula, & amplexus dicte non sint impudici, simulque fiant absque fine venereæ delectationis, sed intuitu honesti amoris, benevolentiæ, aut necessitudinis, culpa vacant. Navarr. *cap. 14. Manual. nu. 9.* & sequitur ex dictis *n. 72.*

78. Verum loquendo de hujusmodi tactibus, qui post Sponsalia absoluta fiunt causa delectationis sensitivæ in partibus extraquoque honestis, variant Doctores. Et quidem Navarrus *l. c. n. 12.* Layman *n. 13.* Cajetanus, Sa, plurisque alii, eos excusanta mortali, dummodo non subsit periculum pollutionis, vel consensus in actum turpem: quia (inquiunt) Sponsalia sunt initium, seu prævia dispositio Matrimonii, & sic hos actus reddunt licitos, si absit periculum pollutionis, vel ulterioris consensus: quamvis ejusmodi periculum, aut ipsos tactus impudicos, præsertim si Sponsi soli absque arbitris conversantur, spectata fragilitate humana raro abesse, ultro fateantur. Oppositum tenent Henriquez, Rebellus, & quidam alii, quorum sententiam tutiorem, & probabiliorem censet Bonacina *loc. cit. n. 6.* & Mastrius *disp. 11. n. 142.* Ratio hujus posterioris sententiæ est: quia hæc delectatio a natura instituta est ut prævia dispositio ad copulam; & consequenter, cum hæc inter Sponsos de futuro illicita sit, idem censendum de illa. Accedunt dicta superius *num. 71.* ac præcipue Decretum Alexandri VII. ibidem citatum.

79. CONCL. II. Tactus impudici seu venerei inter personas ejusdem sexus, sunt graviora peccata mortalia, quam inter personas solutas diversi sexus. Ita Layman *cit. sect. 4. n. 13.* Et ratio est: quia ejusmodi tactus venerei ex natura sua tendunt ad peccatum mollitiei, vel etiam sodomiæ, quod gravius est simplici fornicatione. Dixi notanter, *Tactus venerei*, id est, facti ex motivo lascivo; nam si a personis ejusdem sexus exercerentur tales tactus tantummodo ex levitate animi, vel joco, dum v. g. simul natant, aut balneant, Sanch. *lib. 9. disp. 46. n. 22.* excusat a mortali peccato, quod Silvius apud Sporer censet, admitti posse, si leviter, & quasi per transennam fierent: tunc enim non foleut ordinarie excitare propinque ad venerem: alias secus. Denique se ipsum tangere ex sola curiositate, vel levitate, secluso mala intentione, vel turpi consensu, aut periculo, limites peccati venialis non excederet: cum minor videatur indecentia in corpore proprio, quam alieno, & talis tactus in proprio corpore ordinarie non adeo excitet ad venerem, quam in corpore alieno: Ubi tamen caute utantur hac doctrina illi Juvenes, qui alias peccato mollitiei sunt dediti, ne mentiantur iniquitas sibi.

80. Porro circa hactenus dicta ulteriora quoque consulendam Neotericos notandum est cum Sanchez *lib. 9. de Matrimon. disp. 46. n. 17.* quod, quando tactus libidinosi juxta dicta sunt peccatum mortale, necessario in Confessione fatenda sit circumstantia personæ tum agentis, tum patientis, v. g. an fuerit conjugata, contanguinea, Voto obstricta &c. Nam hujusmodi tactus sunt ejusdem malitiæ mortalis, cujus est actus consummatus copulæ, ad quam suapte natura referuntur. Hoc ipsum ex professo tradit Azorius *part. 3. lib. 3. c. 25. q. 5.* allegans communem.

81 CONCL. III. Aspectus, turpiloquium, turpes cantilenæ, ac hujusmodi, si causa delectationis venereæ inter per-

fonas soluras fiant, sunt peccata mortalia. Ita Layman *n.* 13. cum communi: nam ipsamet delectatio venerea talibus prohibita est; ergo & illud omne, quod sit causa illius venereæ delectationis. Hinc Salvator *Matth.* 5. inquit: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

82. Dicitur, *ex causa delectationis venereæ*: Nam si fiant ex quadam levitate, curiositate, aut ob voluptatem, quæ præcise ex ipsa narratione capitur, vel aliam hujusmodi vanum finem, non vero ob delectationem veneream, communiter venialia censentur, per se loquendo, etsi ratione scandali, vel periculi proximi labendi in gravius peccatum, mortalia esse possint. Sanchez *cit. disp. 46. n. 54. & seqq.* Lessius *lib. 3. de just. & jur. c. 3. n. 63.* & alii. Quod si talia fiant inter ipsosmet conjuges, patet ex dictis *n. 76.* an, & quale sit peccatum.

83. CONCL. IV. Nihilominus datur aliquod discrimen inter tactum, & visum, in eo consistens, quod tactus, amplexus, & oscula, magis propinque tendant ad concubitum; adeoque delectatio sensibilis inde consurgens frequentius sit venerea & mortalis, atque ad eam luxuriæ speciem reducatur, in qua effet, si coitus sequeretur. Et propterea in Confessione explicare debent circumstantiæ personæ tactæ. Econtra visus, sive aspectus pulcheri, quin & alloquium illius, propinque non tendit ad concubitum, potestque ex pluribus causis honeste fieri; puta, ob debitam urbanitatem, aut ad se cognoscendum postea, si iterum convenerint, vel ad reprehendendam illius vanitatem, vel eam de rebus honestis commonendam. Quamvis si ejusmodi aspectus fiat ob solam curiositatem, tantummodo erit peccatum veniale, nisi serio & delibere contingat in partibus denudatis omnino oppositis personæ diversi sexus, ubi a peccato gravi haud eximeretur talis curiosus aspectus, quando fortassis ætas adhuc infantilis non excusaret.

84. Fatendum tamen, quod tales aspectus curiosi, præsertim fixi & diuturni, sint valde periculosi, & innumeri ex illis fuerint perductiad lapsum. Nam exinde naturaliter consurgit commotio spirituum generationi inservientium, & in membris rebellio, & in affectu complacentia; quin & insuerit diabolus sese immiscere solet, faciendo, ut species visa assidue obversetur phantasiæ, quæ sensum affectum allicit, & naturam commovet. Hinc non immerito *Ecclesiasticus cap. 31.* dicitur: *Noquius oculo quid creatum est?* Et Rex us Psalces precatur *Psal. 118. Averte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua vivifica me.* Econtra *2. Petri 2.* sceleratis quidam memoratur, *oculos habentis plenos adulterii, & incessabilis delicti.* Unde & Daniel Senibus, castam Susannam deperienti, improperavit: *Species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum. Dan. 13.*

85. Quæres: an detur levitas materiæ in re venerea? Resp. In resolutione hujus Quæstionis variare Doctores. Affirmant nonnulli, quos citat Basaus *vers. Peccatum I. n. 7.* pro hac sententia allegans Sanchez, Navarrum, Sanctum, Vasquez, Sotum, & quosdam alios. Rationem dant; quia non videtur ratio, cur in aliis materiis communiter possit dari levitas materiæ, & non in proposito. Deinde, quis credat (inquiunt) quod quis non possit ex levi & sensuali curiositate aspicere fœminam transeuntem, vel ejus manum aut pedem premere, digitos introquere, &c. quin ulterius velit progredi?

86. Alii distinguunt inter materiam luxuriæ, & veneream: nam luxuria (ajunt) late patet ad omnem culpam, pertinentem maxime ad sensum tactus: sed res venerea, quam propriè vocamus libidinosam, restringitur ad culpas pertinentes ad generationem. Atque hæc delectatio venerea oritur in, vel circa partes genitales ob commotionem, vel alterationem spirituum generationi servientium. Qua distinctione supposita asserit hæc sententia in materia luxuriæ posse dari parvitatem materiæ; ut si fiat tactus levis ex joco, vel curiositate; vel quando matres, aut nutrices magna cum suavitate tangunt, vel osculantur pueros tenellos &c. Negat vero, dari parvitatem materiæ in re venerea: nam eo ipso, quod venerea est, pariter est inchoatio copulæ, aut pollutionis, quæ inter soluros semper est peccatum mortale, dummodo sit perfecte voluntaria. Mastrius *disp. 11. n. 145.* post Tambarinum *l. 7. c. 8. §. 1.* & quidam alii.

87. Tertia, & cæteris probabilior, simulque communior sententia asserit, quamvis in materia venerea possit dari, & sæpe numero detur, peccatum veniale ratione imperfecti consensus, vel ob defectum plenæ advertentiæ & deliberationis, ut est certum, atque indubitatum; eo quod in hac pugna quotidiana facillime contingat aliqua negligentia in repellendis turpibus motibus, vel etiam imperfecta complacentia, sufficiens ad peccatum veniale: nihilominus ait, in re tam lubrica ex sola parvitate materiæ non dari peccatum veniale, modo cæteroquin adsit deliberata advertentia, & voluntarietas sufficiens ad peccatum mortale constituendum. Ita Sanchez *l. 1. in Decalogum, cap. 6. num. 12.* ubi priorem sententiam suam revocat, simulque asserit, a Summis Pontificibus Clemente VII. & Paulo V. hanc posteriorem sententiam esse approbatam. Concordat novissimum Decretum Alexandri VII. *n. 71.* jam citatum, in quo damnatur sequens Propositio, ordine 40. *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, sublato periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

88. Accedit ratio; quia omnis delectatio venerea est inchoatio quædam pollutionis: atqui omnis talis inchoatio, cæteroquin sufficienter deliberata & voluntaria, est peccatum mortale; ergo. Major desumitur ex Galeno *lib. 14. de usu partium, c. 9. & 10.* ubi ait, quod delectatio venerea sit, quæ in carne consurgit ex motu humoris seriosi, qualis est substantia seminis incalescentis per commotionem spirituum generationi subservientium.

89. Ad rationes contrarias sententiæ *n. 85.* adductas, atque ad primam earum dicitur, etiam in materia Blasphemiæ, Perjurii, & quibusdam aliis non dari peccatum veniale ex sola parvitate materiæ: unde non mirum, quod idem dicatur de materia, seu delectatione venerea, cæteroquin plene deliberata & eo modo voluntaria, prout ad grave peccatum constituendum conformiter dictis requiritur. Ad alteram dicitur, eadem non raro excusari a mortali, eo quod non ob delectationem veneream, sed potius ex joco, levitate, aut alio consimili vano fine fiant: alias foret secus dicendum.

90. Ad secundam sententiam, ejusque fundamenta respondetur eodem modo: nam, quidquid sit de data distinctione inter materiam luxuriæ, & veneream (quæ pro solutione hujus difficultatis minus est necessaria) ad tactus ex se non impudicos, atque ex joco, levitate, vel curiositate factos, jam patet ex dictis. Oscula vero materna, vel Nutricum, inde merito excusantur, quia non ob delectationem venereum (nam hæc plene voluntaria, non vacaret culpa gravi) sed ex materno, casteque amore erga proprias proles, aut ætatem tenellam, innocentemque, proficisci solent: quia igitur osculæ, juxta consuetudinem patriæ ex motivo amicitiæ facta, communiter excusantur a peccato; non mirum, etiam oscula materna, vel Nutricum, ad blandiendum tenellæ ætati exhibita, pariformiter excusanda fore.

DISTINCTIO VII.

De Septimo Præcepto Decalogi.

QUÆSTIO I.

Quid sit Furtum, & quæ quantitas ad Furtum mortale sufficiat?

SUMMARIUM.

1 *Septimum præceptum, quale?*
2 *Furtum, quid?*
3 *Tria ad Furtum concurrunt, quæ? Plagium, quid?*
(a) Dist. 4. n. 39. & seqq.
4 *Furtum non fit, si dominus non est rationabiliter invitus.*
(b) De hoc infra n. 10. & 13.
5 *Furtum, quale peccatum?*
6 *Qua quantitas sufficiat ad Furtum mortale?*
7 *Ea definienda tum ex quantitate rei ablatæ, tum ex circumstantiis &c.*
8 *Taxatio ejus juxta varios status hominum.*
9 *Alius modus taxandi juxta victum unius diei.*
10 *In extrema necessitate licitum est alienæ furripere.*
11 *Nisi dominus sit in pari necessitate.*
12 *Magis debet quis diligere se, quam Proximum, quomodo?*

fonas soluras fiant, sunt peccata mortalia. Ita Layman *n.* 13. cum communi: nam ipsamet delectatio venerea talibus prohibita est; ergo & illud omne, quod sit causa illius venereæ delectationis. Hinc Salvator *Matth.* 5. inquit: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

82. Dicitur, *ex causa delectationis venereæ*: Nam si fiant ex quadam levitate, curiositate, aut ob voluptatem, quæ præcise ex ipsa narratione capitur, vel aliam hujusmodi vanum finem, non vero ob delectationem veneream, communiter venialia censentur, per se loquendo, etsi ratione scandali, vel periculi proximi labendi in gravius peccatum, mortalia esse possint. Sanchez *cit. disp. 46. n. 54. & seqq.* Lessius *lib. 3. de just. & jur. c. 3. n. 63.* & alii. Quod si talia fiant inter ipsosmet conjuges, patet ex dictis *n. 76.* an, & quale sit peccatum.

83. CONCL. IV. Nihilominus datur aliquod discrimen inter tactum, & visum, in eo consistens, quod tactus, amplexus, & oscula, magis propinque tendant ad concubitum; adeoque delectatio sensibilis inde consurgens frequentius sit venerea & mortalis, atque ad eam luxuriæ speciem reducatur, in qua effet, si coitus sequeretur. Et propterea in Confessione explicare debent circumstantiæ personæ tactæ. Econtra visus, sive aspectus pulcheri, quin & alloquium illius, propinque non tendit ad concubitum, potestque ex pluribus causis honeste fieri; puta, ob debitam urbanitatem, aut ad se cognoscendum postea, si iterum convenerint, vel ad reprehendendam illius vanitatem, vel eam de rebus honestis commonendam. Quamvis si ejusmodi aspectus fiat ob solam curiositatem, tantummodo erit peccatum veniale, nisi serio & delibere contingat in partibus denudatis omnino oppositis personæ diversi sexus, ubi a peccato gravi haud eximeretur talis curiosus aspectus, quando fortassis ætas adhuc infantilis non excusaret.

84. Fatendum tamen, quod tales aspectus curiosi, præsertim fixi & diuturni, sint valde periculosi, & innumeri ex illis fuerint perductiad lapsum. Nam exinde naturaliter consurgit commotio spirituum generationi inservientium, & in membris rebellio, & in affectu complacentia; quin & insuerit diabolus sese immiscere solet, faciendo, ut species visa assidue obversetur phantasiæ, quæ sensum affectum allicit, & naturam commovet. Hinc non immerito *Ecclesiasticus cap. 31.* dicitur: *Noquius oculo quid creatum est?* Et Rex us Psalces precatur *Psal. 118. Averte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua vivifica me.* Econtra *2. Petri 2.* sceleratis quidam memoratur, *oculos habentis plenos adulterii, & incessabilis delicti.* Unde & Daniel Senibus, castam Susannam deperienti, improperavit: *Species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum. Dan. 13.*

85. Quæres: an detur levitas materiæ in re venerea? Resp. In resolutione hujus Quæstionis variare Doctores. Affirmant nonnulli, quos citat Basaus *vers. Peccatum I. n. 7.* pro hac sententia allegans Sanchez, Navarrum, Sanctum, Vasquez, Sotum, & quosdam alios. Rationem dant; quia non videtur ratio, cur in aliis materiis communiter possit dari levitas materiæ, & non in proposito. Deinde, quis credat (inquiunt) quod quis non possit ex levi & sensuali curiositate aspicere fœminam transeuntem, vel ejus manum aut pedem premere, digitos introquere, &c. quin ulterius velit progredi?

86. Alii distinguunt inter materiam luxuriæ, & veneream: nam luxuria (ajunt) late patet ad omnem culpam, pertinentem maxime ad sensum tactus: sed res venerea, quam propriè vocamus libidinosam, restringitur ad culpas pertinentes ad generationem. Atque hæc delectatio venerea oritur in, vel circa partes genitales ob commotionem, vel alterationem spirituum generationi servientium. Qua distinctione supposita asserit hæc sententia in materia luxuriæ posse dari parvitatem materiæ; ut si fiat tactus levis ex joco, vel curiositate; vel quando matres, aut nutrices magna cum suavitate tangunt, vel osculantur pueros tenellos &c. Negat vero, dari parvitatem materiæ in re venerea: nam eo ipso, quod venerea est, pariter est inchoatio copulæ, aut pollutionis, quæ inter soluros semper est peccatum mortale, dummodo sit perfecte voluntaria. Mastrius *disp. 11. n. 145.* post Tambarinum *l. 7. c. 8. §. 1.* & quidam alii.

87. Tertia, & cæteris probabilior, simulque communior sententia asserit, quamvis in materia venerea possit dari, & sæpe numero detur, peccatum veniale ratione imperfecti consensus, vel ob defectum plenæ advertentiæ & deliberationis, ut est certum, atque indubitatum; eo quod in hac pugna quotidiana facillime contingat aliqua negligentia in repellendis turpibus motibus, vel etiam imperfecta complacentia, sufficiens ad peccatum veniale: nihilominus ait, in re tam lubrica ex sola parvitate materiæ non dari peccatum veniale, modo cæteroquin adsit deliberata advertentia, & voluntarietas sufficiens ad peccatum mortale constituendum. Ita Sanchez *l. 1. in Decalogum, cap. 6. num. 12.* ubi priorem sententiam suam revocat, simulque asserit, a Summis Pontificibus Clemente VII. & Paulo V. hanc posteriorem sententiam esse approbatam. Concordat novissimum Decretum Alexandri VII. *n. 71.* jam citatum, in quo damnatur sequens Propositio, ordine 40. *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, sublato periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

88. Accedit ratio; quia omnis delectatio venerea est inchoatio quædam pollutionis: atqui omnis talis inchoatio, cæteroquin sufficienter deliberata & voluntaria, est peccatum mortale; ergo. Major desumitur ex Galeno *lib. 14. de usu partium, c. 9. & 10.* ubi ait, quod delectatio venerea sit, quæ in carne consurgit ex motu humoris seriosi, qualis est substantia seminis incalescentis per commotionem spirituum generationi subservientium.

89. Ad rationes contrarias sententiæ *n. 85.* adductas, atque ad primam earum dicitur, etiam in materia Blasphemiæ, Perjurii, & quibusdam aliis non dari peccatum veniale ex sola parvitate materiæ: unde non mirum, quod idem dicatur de materia, seu delectatione venerea, cæteroquin plene deliberata & eo modo voluntaria, prout ad grave peccatum constituendum conformiter dictis requiritur. Ad alteram dicitur, eadem non raro excusari a mortali, eo quod non ob delectationem veneream, sed potius ex joco, levitate, aut alio consimili vano fine fiant: alias foret secus dicendum.

90. Ad secundam sententiam, ejusque fundamenta respondetur eodem modo: nam, quidquid sit de data distinctione inter materiam luxuriæ, & veneream (quæ pro solutione hujus difficultatis minus est necessaria) ad tactus ex se non impudicos, atque ex joco, levitate, vel curiositate factos, jam patet ex dictis. Oscula vero materna, vel Nutricum, inde merito excusantur, quia non ob delectationem venereum (nam hæc plene voluntaria, non vacaret culpa gravi) sed ex materno, casteque amore erga proprias proles, aut ætatem tenellam, innocentemque, proficisci solent: quia igitur osculæ, juxta consuetudinem patriæ ex motivo amicitiæ facta, communiter excusantur a peccato; non mirum, etiam oscula materna, vel Nutricum, ad blandiendum tenellæ ætati exhibita, pariformiter excusanda fore.

DISTINCTIO VII.

De Septimo Præcepto Decalogi.

QUÆSTIO I.

Quid sit Furtum, & quæ quantitas ad Furtum mortale sufficiat?

SUMMARIUM.

1 *Septimum præceptum, quale?*
2 *Furtum, quid?*
3 *Tria ad Furtum concurrunt, quæ? Plagium, quid?*
(a) Dist. 4. n. 39. & seqq.
4 *Furtum non fit, si dominus non est rationabiliter invitus.*
(b) De hoc infra n. 10. & 13.
5 *Furtum, quale peccatum?*
6 *Qua quantitas sufficiat ad Furtum mortale?*
7 *Ea definienda tum ex quantitate rei ablatæ, tum ex circumstantiis &c.*
8 *Taxatio ejus juxta varios status hominum.*
9 *Alius modus taxandi juxta victum unius diei.*
10 *In extrema necessitate licitum est alienæ furripere.*
11 *Nisi dominus sit in pari necessitate.*
12 *Magis debet quis diligere se, quam Proximum, quomodo?*

13 Objectio notabilis, & an unus sit licitum furari?

14 An idem possit fieri in gravi necessitate?

1. SEptimum Præceptum Decalogi per modum negationis traditur *Exodi cap.* 20. illis verbis: *Non furtum facies*: eoque non tantum prohibetur Furtum, sed etiam quæcunque injusta rei alienæ contrectatio, aut damnificatio, quæ multiplicibus modis accidere potest. Insuper virtute ejusdem Præcepti præcipitur restitutio rei alienæ; quia, sicut præceptum affirmativum includit virtualiter negativum (prout præceptum de diligendo Proximo involvit aliud, ne Proximum injuste lædamus) ita e contra præceptum negativum de non furando includit affirmativum, ut injuste ablatum restituamus; juxta quod post S. Augustinum dicitur *Reg. 4. Juris in 6. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum*. Nunc quantum attinet ad Furtum, sit

2. CONCL. I. *Furtum* est occulta acceptio rei alienæ, domino rationabiliter invito. Ita in re communis Theologorum. Concordat textus *L. 1. ff. de Furtis*, ibi: *Furtum est contrectatio rei fraudulosa lucri faciendi causa, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve*.

3. Tria siquidem ad rationem Furti concurrunt. I. Quod sit contra Justitiam; nam Furtum aufert alienum domino rationabiliter invito. II. Quod aliquis rem ab altero possessam auferat, sive contrectet lucri faciendi causa: nam Furtum proprie est rerum mobilium, non vero immobilium vel incorporalium, quæ contrectari, sive ab uno loco in alium moveri nequeunt. Deinde per hoc differt Furtum ab injusta Damnificatione, utpote in qua destruitur res aliena, nihil autem aufertur lucri faciendi causa. Tandem per hoc differt Furtum ab Adulterio, & Homicidio, quæ sunt peccata contra personam: item a Plagio, seu crimine Plagiatus (quod committitur ab eo, qui hominem liberum, v. g. uxorem, vel prolem alterius auferat ad vendendum, aut retinendum in mancipium) simulque a Raptu, de quo jam supra. (a) III. Requiritur ad Furtum, ut res aliena occulte auferatur: nam per hoc differt Furtum a Rapina, quæ est occupatio rei alienæ cum violentia; nimirum dum sciente domino, & vim patiente, auferitur ipsi invito suum.

4. Additur notanter in Conclusione, & prima conditione Furti, *domino rationabiliter invito*: nam qui ab amente, ebrio, vel furioso gladium aufert, ne ille aliquem percutiat, Furtum non committit: etsi enim alter sit invitus, non tamen est invitus rationabiliter. Similiter, qui in extrema necessitate constitutus ab alio aufert, quod sibi ad vitæ sustentationem est necessarium, furari non dicitur: tum quia non aufert alienum, eo quod in extrema necessitate Jure naturæ sint omnia communia: tum quia hac ipsa de causa alter non est rationabiliter invitus. (b)

5. CONCL. II. Furtum ex genere suo est peccatum mortale, licet quandoque parvitas rei Furto ablatæ excuset a mortali. Ita communis: idque patet ex *dict. c. 20. Exodi, Non furtum facies*. Item ex illo 1. *Corint. 6. Neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt*. Quod autem parvitas materiæ excuset a mortali, patet de furante unicum obolum, vel hujusmodi

6. Quænam autem quantitas sufficiat ad constituendum peccatum mortale Furti, tot proferuntur sententiæ, quot capita. Cujus diversitatis ratio est, quia malitia & gravitas Furti provenit ex damno, quod Proximo injuste infertur: non autem omnes patiuntur æquale damnum ex jactura ejusdem quantitatis, ac rei. Siquidem majus censetur damnum ex re ablata tempore annonæ, minus tempore abundantiæ: majus, si auferatur pauperi, minus, si diviti: majus, si auferatur pecunia in loco, ubi modica reperitur, sicque exigua pecuniæ quantitate potest vita sustentari; minus, ubi argentum est in abundantia &c. hinc fit

7. CONCL. III. Quantitas Furti ad peccatum mortale sufficiens non potest una certa absolute taxari quantitate, sed ea prudentium arbitrio definenda est, non solum ex quantitate rei ablatæ, sed etiam ex circumstantiis personæ per Furtum læsæ, temporis, loco-rum, & hujusmodi. Hæc sententia est communior Doctorum, & patet ex proxime dictis: quia, quod respectu unius censetur notabile, respectu alterius non censetur tale, sed potius modicum, & parvi momenti. Similiter, quod tempore annonæ est quid magnum, tempore ubertatis censetur parvum &c. Hinc bene considerandæ sunt prudenti judicio omnes circumstantiæ.

8. Juxta hanc sententiam potest probabiliter dici cum Lessio *l. 2. cap. 12. n. 20. & segg.* quod respectu omnium, etiam Regis, & hominis prædivitis, unus Aureus (vulgo aquad nostrates, unus Ducatus) videatur quid notabile. Deinde respectu mediocriter divitum quatuor Regales (*Regalis Italicæ Julius*, valet decem circiter Crucigeros, aut tres Paetos nostrates, ut indicat Lugo *disp. 16. de just. & jur. num. 20.* Lessius autem *loc. cit. nu. 30.* quatuor Regales appellat unum florenum: alii parum plus, vel minus, valere tales monetas æstimant.) Quatuor, inquam, Regales, vel unus florenus respectu mediocriter divitum censetur quid notabile, juxta Petrum Navarrum, & alios. Tertio, respectu Mechanicorum quantitas notabilis censetur duo Regales, vel aliquid ultra. Quarto, respectu Pauperis sufficiet unus Regalis, vel etiam dimidius.

9. Alii vero, atque inter eos Sannig *dist. 10. de just. quæst. 1. num. 7.* Layman *lib. 3. tract. part. 1. nu. 3.* probabiliter censent, eam esse notabilem Furti quantitatem, ac peccati mortalis materiam, quæ ad victum unius diei sufficit illi homini, cui injuria Furti infertur. Veluti si a Mercatore valde divite furetis duos, vel tres nostrates florenos; a Cive mediocriter divite duodecim, vel quindecim Paetos; ab Operario tres, vel quatuor Paetos; a Mendico paucos nummos, quibus uno die utcunque se aluisset: nam auferre cuipiam victum unius diei, non immerito quid notabile reputatur. Duo autem, vel tres Ducati, a quocunque tandem auferantur, etiam Rege potentissimo, peccatum mortale constituunt, juxta communem.

10. Quæres, utrum in extrema, vel etiam gravi necessitate, licitum sit aliena occulte sibi furripere? Resp. I. In extrema necessitate id licitum est pro vitæ suæ conservatione, nisi & ipse detineus sit in pari necessitate. Ita Scotus 4. *dist. 15. q. 2. ad 5.* & alii. Siquidem in articulo extremæ necessitatis omnia sunt communia: non quidem hoc ita intelligendo, quasi per extremam necessitatem statim transferatur dominium omnium rerum in habentem eam; sed quia quoad jus utendi in ordine ad conservationem vitæ, omnia tunc sunt communia. Hinc *c. Exiit §. Nec quidquam de Verb. signif. in 6.* dicitur: *Nec jure poli in extrema necessitatis articulo ad providendum sustentationi naturæ via omnibus extrema necessitate detentis concessa præluditur: cum ab omni lege extrema necessitas sit exempta.*

11. Additur notanter: *nisi & ipse detineus sit in pari necessitate*: Tunc enim hoc non liceret, prout bene notat Doctor Subtilis *l. c.* Ratio est: quia tunc duplici jure res illa detinenti debetur. Primo, propter æqualem extremam necessitatem: Secundo, propter dominium, possessionemque rei, a qua nunquam cecidit.

12. Neque hisce obstat, quod quis magis debeat diligere se, quam Proximum. Resp. enim, id intelligendum esse de dilectione ordinata: talis autem non foret, si quis magis vellet conservationem injustam vitæ suæ, quam conservationem justam vitæ Proximi. Unde non obstante dilectione sui ipsius, magis debet latro sustinere suspendium, quam occidere suspendentem, ut evadat.

13. Urgebis autem contra principalem responsionem. Innocentius XI. in Decreto 1679. die 2. Martii emanato, inter alias Propositiones damnavit etiam hanc, ordine 36. *Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi*; ergo data responsio non videtur posse subsistere. Resp. negando consequentiam: nam, ut habetur in Præfatione dicti Decreti, Propositiones illæ, *Sicut jacent*, sunt damnatæ. Unde merito cavenda erit ista: *Permissum est, furari in gravi necessitate*. Deinde allata nostra responsio solum dicit, tunc licitum esse, rem alterius surripere pro vitæ suæ conservatione; non autem asserit, permissum esse, furari in extrema necessitate: nam hæc stante, nequit dominus esse rationabiliter invitus, cum jure poli omnia sint communia pro necessario usu ad vitam conservandam. Et quia Furtum est occulta acceptio rei domino rationabiliter invito, propriæ loquendo implicat in terminis, Furtum committi, & dominum non esse rationabiliter invitum; aut, si hic sit rationabiliter invitus, ejusmodi Furtum esse licitum.

14. Resp. II. In gravi duntaxat necessitate non est licitum furari, neque furripere rem Proximi. Ita conformiter Doctori Subtili *l. c.* Mastrius *disp. 9. Theol. Mor. n. 21.* appellans hanc sententiam communiorem & veriorem, quamvis nonnulli apud Lugo *disp. 16. de just. & jur. num. 153.* oppositam sententiam probabiliter censuerint. Defenditur hoc in primis ex allegato Decreto Innocentii XI. Accedit ratio: tum quia sola extrema necessitas facit, ut omnia sint communia, non vero gravis; Tum quia

per

per oppositam sententiam datur ansa non solum pauperibus, verum & aliis in gravi necessitate constitutis, passim occulte alienum furripiendi, imo verius furandi, ut sic evadere possint publicam ignominiam, status sui amissionem, vitæ abbreviationem &c. Unde plurimum Respublica pateretur æquo quod tales necessitates crebrius occurrere solent.

QUÆSTIO II.

De minutis, ac Domesticorum Furtis.

SUMMARIUM.

15 *Medicum furans animo furandi plura, si posset, peccat mortaliter.*
16 *An teneatur ad restitutionem?*
17 *Quomodo peccet, qui per Furta minuta intendit ditescere?*
18 *Declaratur amplius.*
19 *Solvitur notabilis instantia.*
20 *Furantes minuta tenentur restituere, quomodo?*
21 *Ad Furtum mortale in minutis, requiritur major quantitas, & qualis?*
22 *Per Furta domestica potest graviter delinqui.*
23 *An ex iis nascatur Actio Furti?*
24 *Quid quoad Furta famulorum, aut mercenariorum?*
25 *Ad grave Furtum Domesticorum requiritur major quantitas.*
26 *Quid de Furto filiifamilias?*
27 *Præsertim operantis in obsequium patris?*
28 *Uxor furripiendo potest graviter peccare.*
29 *Quæ quantitas ad hoc requiratur?*
30 *Quid si absumat in bonum familiæ?*
31 *Aut maritus non sit invitus &c.*
32 *Quid de Bonis paraphernis uxoris?*
(c) Tr. 7. Dist. 4. q. 2. n. 17.
33 *Uxor potest facere donationes, ac eleemosynas, quas?*
34 *Impensæ necessariæ pro sustentatione familiæ.*
35 *Aut aversione gravis damni.*
36 *Quid si maritus sit dissipator tantum communium?*
37 *Ad Furtum grave famulorum major requiritur quantitas.*
38 *Hæc unde colligenda?*
39 *Propositio damnata, & ratio damnationis ejus.*
40 *Quid in casu manifestæ injustitiæ?*

15. CONCL. I. Si quis modicum quid auferat, animo tamen & voluntate plura auferendi, si posset, certum est, quod peccet mortaliter. Ratio est clara: quia talis habet pravam voluntatem, & affectum furandi quantitatem notabilem, si posset; atqui sola voluntas prava jam sufficit apud Deum pro peccato gravi: ergo. Unde notat Layman *l. c. n. 3.* si pœnitens confiteatur, modicum quid sæpe furatum, cum quandoque a Confessario esse examinandum, an non habuerit animum plura furripiendi, si adfuisset occasio.

16. Cæterum talis fur, non obstante pravo affectu interiori quantitatem notabilem furandi, si posset, non incurreret sententiam excommunicationis alicubi latam in eos, qui rem notabilem furantur: neque tenebitur sub mortali (bene tamen sub veniali, si possit) ad illius modici restitutionem.

17. CONCL. II. Qui per Furta minuta intendit ditescere, & conquirere notabilem pecuniæ quantitatem, peccat mortaliter illa prava intentione, & quovis externo Furto minuto ex vi illius intentionis deliberate procedente. Ita communis Doctorum. Ratio est: quia talis intendit accipere rem alienam magni momenti, invito Domino, simulque singula externa furta procedunt ex intentione mortifera furandi sensim quantitatem notabilem. Unde de similibus dicitur *Prov. 11. Statera dolosa abominabilis est apud Deum.* Et *Deut. 25. Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus &c. Abominatur enim Deus eum, qui facit hoc.*

18. Notat tamen Leffius *cit. cap. 12. n. 48.* in singulis hujusmodi Furtis minutis non committi novum peccatum mortale, sed continuari jam cœptum: omnes enim istæ acceptiones, & detentiones acceptorum, censentur una continua executio illius pravæ intentionis.

19. Nec obstat dictis in Conclusione, quod talis a pluribus successive minuta furripiens, nimium faciat, neque facere intendat notabilem injuriam: ac proinde non videatur peccare mortaliter. Resp. enim, etsi nemo in particulari sentiat grave detrimentum, tamen respectu Communitatis hoc est magnum incommodum, & valde repugnans societati humanæ; atque in omni Republica bene instituta adeo exosum, ut gravibus pœnis passim puniri soleat: sicque tanquam res admodum noxia societati humanæ, merito sub peccato mortali prohibita censetur.

20. Ex

20. Ex his infertur, quod sic furantes minuta, ut puta fraudantes pondera, mensuras &c. teneantur ad restitutionem iis, a quibus acceperunt, quantum possunt: v. g. in simili occasione Furta minuta commissa dominis minutim (supplendo; aut, si ii ignorentur, vel amplius convenire non possint, talia pauperibus erogando, prout in simili dicitur *c. Cum eo, de Usuris.* Et merito Innocentius XI. inter alias Propositiones etiam sequentem, ordine 38. damnavit: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta, quantumcumque sit congrua summa totalis.*

21. CONCL. III. Non eadem quantitas, quæ simul accepta sufficeret ad Furtum grave, sufficit ad hoc, quando per plura fortuita Furta minuta ad eam perveniunt, sed requiritur major quantitas. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia domini non ita facile sunt inviti in his furtis interpolatis & fortuitis; taliaque minus ægre ferre solent, quam si eadem quantitas simul ac semel auferatur. Unde Leffius *l. c. n. 46.* inquit: Si mortifere peccat, & ad restitutionem is tenetur, qui ab eodem homine aufert decem simul, requirentur quindecim, vel sedecim, aut etiam viginti, ut quis sub mortali teneatur restituere ablatum per furta minuta fortuita, præsertim si longis intervallis facta sint.

22. Quæres nunc quoad alteram partem Quæstionis, quid sentiendum sit de Furtis Domesticorum, id est, uxoris, filiorum, famulorum &c. Resp. 1. Certum est, eos posse peccare mortaliter peccato gravi Furti, si rationabiliter, & graviter invito patrefamilias, notabile aliquid furripiant. Patet hoc ex illo generali Præcepto Decalogi: *Non furtum facies.*

23. Solum hic notandum est, etsi tales in Foro conscientiæ vere sint fures, adhuc tamen contra eos in foro externo non dari propriam Actionem furti pœnalem, & famosam. Et quidem inter conjuges vere posse dari Furtum, adeo ut ejusmodi res tanquam furtiva usucapi non possit, quamvis ob honorem Matrimonii cessat inter eos *actio furti*, nec vocetur *Furtum*, sed meliori nomine *Amotio*, & inde sequens *Actio rerum amotarum*, clare habetur *L. 1. & seqq. ff. de Actione rerum amotarum.* Similiter si filius, vel servus, furripiat patri vel domino, Furtum committi, & rem effici furtivam, non autem inde nasci Actionem furti, textus est §. *Hi qui tenentur, de Actionibus, quæ ex delicto &c.* Cum non magis cum his, quos in potestate habemus, quam nobiscum ipsi agere possimus.

24. Tandem, quod alia Furta domestica, videl. cet commissa a famulis, aut mercenariis nobiscum degentibus, si leviora fuerint, publice vindicanda non sint, ac proinde non pariant Actionem furti, potest ex *l. Respiciendum ff. de Pœnis*, Unde si per talia Furta læsis, postmodum fiat debita satisfactio mediante restitutione ablatorum, cessat in Foro externo omnis Actio pœnalis & famosa. Quod si hoc non fiat, ac proinde paterfamilias a domesticis, vel eorum familiaribus, nequeat rem ablatam recuperare; tunc ni etiam Judicis auxilium implorare potest, quo hi ad restitutionem compellantur. Quinimo si eorum Furta sint immodica, vel nimis multiplicata, etiam pœna corporali puniri solent; prout post Julium Clarum *l. 5. Sentent. §. Furtum n. 22.* notat Layman *cit. cap. 1. n. 4.*

25. Resp. II. Certum videtur, ad furtum grave Domesticorum non sufficere eandem quantitatem, quæ ad grave furtum hominis externi sufficeret. Ita Lugo *disp. 16. de just. & jur. sect. 4. 61.* & alii communiter. Ratio est: quia respectu Domesticorum non ita facile invitus est paterfamilias, sicut adversus extraneos, ut patet ex communi sensu hominum.

26. Et quidem de filiisfamilias loquendo, parentes non raro magis sunt inviti quoad modum, quam quoad substantiam. Et fortasse (ut inquit Lugo *l. c. n. 76.*) displicet usus ipse in tali, vel tali materia; non tamen volunt semper graviter obligare filium ad culpam lethalem in ea acceptione, & multo minus ad restitutionem, postquam pecunia consumpta est.

27. Addo ex eodem Lugone *n. 77.* & aliis, quando quis in commodum & obsequium patris ultra suum debitum operatur, & laboratur, posse in mercedem sui laboris & obsequii (nisi aliunde præstetur) aliquid accipere. Sed ne laxetur habenæ filiis ad Furta domestica, illud bene notandum est, quod dicitur *Prov. 28. Qui subtrahit aliquid a patre suo, vel a matre, & dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.*

29. Uxorem quod attinet, ea quidem graviter peccat, & quidem mortaliter, si Summam notabilem ex bonis mariti, vel quorum administratio ad ipsum pertinet, utpote qui ex ipsis tenetur providere familiæ, ipso rationabiliter invito accipiat.

In

In hisce tamen casibus multa sunt observanda.

29. I. In hujusmodi Furti majore ad peccatum mortale requiritur quantitas, quam in aliis hæc autem quantitas judicio prudentis, spectato statu, opibus & cæteris, dijudicanda est, nimo sit notabilis, & excedens notabiliter consuetudinem aliarum mulierum suæ conditionis, nec ne.

30. II. Si uxor absumat in bonum familiæ, iniquod maritus ipse erat absumpturus, ipsa non obligatur ad quidquam restituendum: prout inter alios notat Gobat. *tract. 5. Quæstionari, c. 22. n. 28.* Ratio est: quia nullo damno æsti, & æstimabili, afficit hoc modo maritum; esto, afficeret eum injuria, usurpando sibi ipsius officium, atque administrationem bonorum communium.

31. III. Si maritus ipse aut omnino invitus non sit, sed rogatus facile concederet, aut si irrationabiliter solum invitus, non peccat uxor aliquid ex ejusdem bonis furripiendo. Ratio est clara: quia aut maritus invitus non est, aut certe non rationabiliter invitus, uti supponitur; ergo uxor jam hoc ipso non committit Furtum, in tali casu, prout liquet ex ipsa definitione Furti, de qua *n. 2. & seqq.*

32. IV. Potest insuper uxor libere donare ex bonis suis paraphernis, spectato Jure communi Cæsareo, ac nisi aliter inter virum & ipsam fuerit conventum: *l. Hac lege C. de Fidei commiss.* Verum de hoc jam alibi. (e)

33. V. Potest etiam uxor ex bonis communibus facere donationes, & eleemosynas secundum consuetudinem aliarum mulierum suæ conditionis. Quod si vir vetet, videtur vetare excessum: alioquin foret irrationabiliter contrarius, seu invitus: siquidem uxor non est mancipium viri, sed socia, habens etiam quandam auctoritatem administrationis, etsi viro subjectam, ne quid inordinate fiat; unde nequit ei maritus omnes donationes, etiam moderatas, & rationabiles prohibere.

34. VI. Insuper potest uxor in suas, liberorum, totiusque familiæ necessitates, atque adeo in victum, vestitum, medicinas, accipere, & convertere tantum, quantum teneretur maritus; posito, quod hic præavaritia, vel ignorantia non submitteret talia necessaria.

35. VII. Potest ulterius uxor eas alienationes facere, quas necessarias rationabiliter judicat ad avertendum a marito grave damnum; sive temporale, v. g. mortem, carcerem, si præavaritia vel ignorantia id negligat maritus, sicut fecisse Abigail, ad perpetuam ejus laudem legitur 1. *Reg. 25.* sive spirituale, largiendo eleemosynas, ne Deus ipsum ob flagitia puniat, sed misericorditer convertat. Sic enim utilissime gerit uxor negotium mariti, cujus damnum etiam redundaret in ipsammet uxorem; ac proinde is nequit rationabiliter esse invitus.

36. Addit Lessius *lib. 2. c. 11. n. 87.* & Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 13. n. 7.* Quando maritus est dissipator bonorum communium patrimonii in potationes, largas donationes, vel mulieres, non prohiberi uxorem, si ita opus esse videatur, occulta compensatione uti (eo quod vir tali modo faciat injuriam uxori) aliquid de bonis mariti subtrahendo: dummodo caveat, ne soluto matrimonio, propter ignorantiam factæ occulte compensationis, restitutio dotis ipsi denuo fiat.

37. Quantum attinet ad famulos & famulas, certum quoque est, plus requiri in iis ad Furtum grave, quam in extraneis. Ratio est: quia domini sciunt, attenta fragilitate humana non posse, moraliter loquendo, ita ab iis administrari res domesticas sibi commissas, quin aliquid, præsertim in esculentis, & poculentis, adhæreat manibus contrectantium: sicut, qui conducit operarios in vineam, supponit pro certo, uvas ab ipsis comedendas usque ad libitum & saturitatem, nec posse hovi triturantes alligari.

38. Porro, quænam quantitas sufficiat ad peccatum mortale in famulis & ancillis, a multis pendet circumstantiis, ac præsertim a liberalitate & tenacitate dominorum: quorum aliqui liberaliores sunt, nec volunt erga famulos juris rigorem exercere, sed humana & communi fidelitate contenti esse, dummodo cæteroquin sua munia exacte præstent.

39. Ne autem hujusmodi famulis laxentur habenæ ad Furta domestica, Innocent. XI. hanc inter alias, ordine 37. Propositionem damnavit: *Famuli, & famulæ domestici possunt occulte heris suis furripere, ad compensandam operarum suam, quam majorem judicant salario suo.* Et merito dicta Propositio, *sicut jacet, ut minimum tanquam scandalosa, & in praxi pernitiosa*, damnata fuit, quia erat inductiva famulorum ad plurima Furta: eo præsertim, quod judicium de insufficientia salarii relinquebat ipsis famulis, qui stante quocunque dubio, ob naturalem erga seipsos affe-

affectum, facile pro se judicarent; cum tamen nemo possit esse judex in propria causa. Accedit, quod iniquum sit, paterfamilias, qui est in possessione suorum bonorum, superveniente dubio de sufficientia salarii, per occultam surreptionem a dicta suorum bonorum possessione deturbare, contra illud vulgatum: *In pari causa melior est conditio possidentis, arg. c. In pari de reg. juris in 6.*

40. Quod si vero luce meridiana clarius sit, herum committere injustitiam, vel minuendo salarium ex justitia debitum, vel non solvendo mercedem pacto promissam, tunc dictæ propositionis damnatio locum non habet: & poterit famulus in judicio petere æqualitatem mercedis sibi debitæ: aut, si ex aliqua causa id obtinere nequeat, extrajudicialiter sibi occulte compensare. Jo: Cardena *in Crisi Theologica ad Propositionem 37. Innocentii XI. n. 38. & seq.*

QUÆSTIO III.

De Cooperantibus ad Furtum, vel injustam Damnificationem.

SUMMARIUM.

41 *Damnificatio injusta dupliciter fit.*
42 *Novem genera cooperandi ad Furtum, vel Damnificationem.*
(e) De hoc Quæst. seqq. n. 60. & seqq.
43 *Jussa, &*
44 *Consilium, quos denotet?*
45 *Quando consulens teneatur ad restitutionem?*
46 *Objectio notabilis.*
47 *Regula 62. Juris in 6. declaratur.*
48 *Consensus, quid importet?*
49 *Et quando censeatur efficax?*
50 *Palpo, quis, & quomodo teneatur ad restitutionem?*
51 *Recursus, quid, & quomodo fiat?*
52 *Participans, dupliciter fit.*
(e) Adde dicta Tract. 4. Dist. 7. Quæst. 2. n. 23. & 24.
53 *Mutus,*
54 *Non obstans, &*
55 *Non manifestans, qui?*
56 *Et quomodo peccent, ac restituere teneantur?*

41. CErtum est, quod contra septimum Præceptum Decalogi non tantum delinquatur per Furtum, aut Rapinam, injuste aliena furripiendo, aut violenter rapiendo; sed etiam per quamcunque injustam Damnificationem proximi in bonis fortunæ. Dupliciter autem hoc potest contingere: Primo immediate, seu per seipsum id exequendo; ut si quis per seipsum furetur, aut rapiat violenter rem proximi, vel ipsius bona damnificet. Secundo mediate cooperando ad tale Furtum, Rapinam, vel Damnificationem; ut mandando, consulendo, vel alio simili modo.

42. Cæterum horum modorum cooperandi ad furtum, vel Damnificationem alterius, novem sunt genera, quæ non solum incurrunt reatum peccati cooperando ad talem injustum opus, sed etiam obligantur ad restitutionem in solidum (d) & hisce communibus versiculis apte comprehenduntur:

Quilibet in solidum reddat prius injuriato.
Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, non obstans, non manifestans.

Quorum priores sex modi positive cooperantur ad Furtum, vel damnum injustum inferendum; tres autem posteriores negative, id est, omittendo id, quod ex officio, atque justitia facere tenebantur. Omnes autem hasce personas, prædictis versiculis comprehensas, oportet breviter declarare. Itaque

43. De *Jussione* in primis loquendo, hoc nomine ille significatur, qui ita jubet, ut alterius animum ad Furtum, vel Damnificationem injustam inferendam moveat: ut si pater filio, dominus servo, aut aliis personis, sibi subditis, jubeat Furtum, aut Rapinam facere, vel aliud damnum Proximo inferre. Talis secundum omnes non solum peccat jubendo opus pravum; sed etiam censetur causa damni illati per eum, qui ejus jussa sequendo damnum intulit; & consequenter etiam tenetur ad restitutionem injuste ablatorum, sive compensationem damnificatorum.

44. De *Consilio* nunc loquendo, sub Consilio, seu consulente comprehenduntur ii, qui sub pravo consilio permovent alterum ad aliquod malum, damnum, sive maleficium, proximis injuste inferendum. Huc pertinent adhortationes, preces, atque promissiones, ut alter excitetur efficaciter ad damnum injustum inferendum. Et tales non solum peccant mortaliter, si fraude, vel culpa lata (ut vocant Theologi) iniquum consilium dederint, ex quo grave damnum proximo subsecutum est, sed etiam tenentur ad restitutionem.

45. In-

45. Intellige, si altero pravum consilium suum sequente, grave damnum re ipsa sequatur: nam, si secus fiat, id est, si alter pravum consilium non sequatur, ac proinde Consultus non fuerit efficaciter causa damni alicujus, etsi graviter peccaverit ratione pravi affectus interioris, tandique mali consilii, non tamen quidquam tenetur restituere; eo quod altero meliore consilia sequente, nullum inde damnum cuipiam actualiter evenerit.

46. Dices: Nullus tenetur sequi consilium, quin imo explorare ac deliberare debet apud semetipsum, an illud sibi expediat, necne *l. 2. ff. Mandati*; ergo non videtur, quod Consultus unquam possit incurrere obligationem restituendi. Accedit *Reg. 61. Juris in 6.* ibi: *nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*, cum concordantiis. Resp. I. retorquendo argumentum: ergo cum allata Regula Juris loquatur de consilio non fraudulento, secus erit dicendum de fraudulento; nam exceptio firmat regulam in oppositum.

47. Resp. II. Argumentum, atque citatam Regulam, procedere de consilio dato circa contractus, vel quasi contractus: nam si ex tali consilio, tamen non fraudulento, alteri illud exequenti, eveniat damnum, Consulens et ad nihil tenetur, ob rationes dictas. Secus est de consilio dato circa maleficia, vel quasi, v.g. committendi Furtum, Homicidium; si enim ex tali consilio fuit damnum cuipiam certo efficaciter secutum, tunc in solidum tenetur Consulens, non quidem illi, cui consilium dedit (quia is scire debebat, id sibi non expedire) sed alteri, contra quem consilium dedit, quemque suo consilio efficaciter damnificavit, Glossa *ad c. Reg. 61. Juris in 6.*

48. Quoad *Consensum* adverte, quod nomine Consensus in proposito intelligatur efficax approbatio, aut suffragium ad malum inferendum: veluti, si aliquis e Magistratu, Consilio vel Capitulo, præbet suffragium, & consensum ad inferendum bellum injustum, vel quodcumque damnum iniquum.

49. Et dicitur notanter, *efficax approbatio, aut suffragium*; id est, tale, a quo pendet, ut res fiat, ita ut ex eadem efficaci influxu damnum injustum re ipsa subsequatur. Nam si a consensu tuo non pendeat, ut malum inferatur, nec ne, eo quod auctoritatem nullam habeas, vel absque tuo consensu jam alii æque fuerint parati ad damnum inferendum, non censeris causa damni efficax: ac proinde, licet juxta gravitatem excessus peccaris peccasse mortaliter ob pravam voluntatem, qua consentiebas ad malum; nihilominus ad restitutionem, seu damni recompensationem non teneberis, quia per te re ipsa nullum efficaciter damnum illatum est. Et ex hoc innumeri casus possunt resolvi.

50. Quoad *Palponem* sciendum, quod nomine Palponis, seu Palpantis, intelligatur adulator laudans damnificantem, aut scelus perpetraturum commendans, sic quod ex hoc alter moveatur ad damnificandum. Huc pertinet exprobratio ignaviæ, quod quis, v.g. injuriam acceptam nolit ulcisci, ac hujusmodi. Et talis non solum peccat juxta gravitatem materiæ, pravæque intentionis, sed etiam tenetur ad recompensationem gravis damni illati, quando ex tali adulatione, laudatione, aut exprobratione ignaviæ, alter efficaciter excitatur, atque impellitur ad maleficium perpetrandum. Ratio est clara: quia talis Palpo est causa efficax damni illati, nam sine tali palpatione (uti supponitur) damnum alter non intulisset.

51. Per *Recursum* intelligitur hic, quicunque refugium, aut securitatem, vel quodlibet receptaculum præbet malefactori, ex quo is movetur ad inferendum damnum. Et hæc assecuratio potest fieri vel receptando personam, vel rem ablatam, aut ejus instrumenta occultando, aliisque similibus modis, quibus alter animatur, atque efficaciter movetur ad inferendum proximo malum, vel omittendam debitam restitutionem.

52. Quoad *Participantem* est notandum, dupliciter aliquem posse esse participem, seu participantem damni illati. I. Qua participat de re injuste ablata, ut puta qua est particeps prædæ, & hac ratione præter peccatum, quod incurrit, tenetur ad restitutionem pro ea parte, quæ ipsi obvenit. II. Si quis participet in ipsa actione mala, & injusta; ut si quis adjuvet furem ad furtum perpetrandum, v.g. scalas apponendo, vel ipsas fure ascendente sustinendo, excubias agendo, prædam asportando, aut similes actiones exercendo, quæ in talibus circumstantiis proxime juvant ad peccatum. Additur: *Quæ in talibus circumstantiis proxime juvant ad peccatum*: tum secus dicendum, si opus illud de se indifferens sit, simulque proxime non juvet ad peccatum alterius, neque fiat ad cooperandum inferenti injustum damnum, sed ob alium rationabilem finem, v.g. ad reddendum licitum obsequium juxta cuipiam debitum. (c)

53. Quod

53. Quod attinet ad reliqua tria, nempe ly *Mutum*, *non obstans*, *Non manifestans*, quibus indicantur negative concurrentes ad Furtum, aut alium injustum Damnificationem: in primis per *Mutum* intelligitur ille, quid, ad quod ex officio tenebatur, omittit præcipere, si erat Superior; consulere, si Consultor; clamare, aut strepitum facere, si erat Custos rei, ad damnum impediendum.

54. *Non obstans* dicitur, qui omittit opem vel operam, qua poterat damnum impedire, & quam ex officio tenebatur navare: ut Princeps, Magistratus, Præpositi viarum, & similes.

55. *Non manifestans* denotat eum, qui cum ex officio teneatur, omittit manifestare malefactorem; idque sive ante factum, quando damnum erat impediendum; sive post factum, quando id est resarciendum: ut Custos rei alienæ custodiendæ deputatus.

56. Et quidem certum est, quod tales peccent juxta gravitatem suæ negligentiæ, damnique inde sequentis: utpote cum ex officio teneantur impedire damnum, simulque illud impedire commode possint, uti supponitur. Quinimo tales etiam sine modo tenentur ad restitutionem ratione damni ex sua taciturnitate, vel non resistentia proximo emergentis, prout amplius patebit ex dicendis *quæst. seqq.* Hinc sic

QUÆSTIO IV.

De Restitutione, atque ordine in ipsa servando, circa bona Fortunæ.

SUMMARIUM.

57 *Restitutio, quid?*
58 *Est necessaria ad salutem.*
59 *Duæ generatim sunt radices seu causæ restitutionis, quæ?*
60 *Obligatio restituendi in solidum, quid?*
61 *Qui omnes teneantur restituere ratione injustæ acceptionis, vel Damnificationis?*
(1.) *Ut sepius dictum Quæst. præc.*
62 *Causa totius damni tenetur restituere totum, causa partis partem.*
63 *Quid de tribus modis negative cooperantibus?*
64 *Quo ordine singuli teneantur ad restitutionem?*
Per ordinem, quid intelligatur?
65 *Detinens rem alienam primo loco tenetur.*
66 *Quis ordo in Restitutione ob Damnificationem injustam?*
67 *Si res furtiva casu perierat apud furem, adhuc is restituere tenetur.*
68 *Nisi similiter periisset apud dominum.*
69 *Restitutio, cui facienda?*
70 *I. Regula quoad hoc.*
71 *II. Regula.*
72 *III. Regula.*
73 *Restitutio, quando facienda?*
74 *Quid in casu impedimenti temporalis?*

57. QUæritur I. Quid sit Restitutio, & ex quibus causis oriatur? Resp. I. *Restitutio* (sic dicta, quasi *rei* in statum pristinum *statutio*) quantum ad propositum, est actus Justitiæ, quo fit rei alienæ redditio, vel damni injuste illati compensatio. Ita in re communis.

58. Porro Restitutionem esse ad salutem necessariam de præcepto, patet ex illo Decalogi: *Non furtum facies*. Quia ejusdem præceptum est, furari, & detinere rem alienam invito rationabiliter domino, dum reddi potest. Hinc S. Augustinus *Epist.* 54. ac refertur *c. si res aliena 14. q. 6.* ait: *Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur male ablatum. Sed ut dixi, cum restitui potest.* Hæc ille.

59. Resp. II. Duæ generatim circa bona Fortunæ, sive res temporales exteriores, sunt radices, seu causæ Restitutionis: una ex parte rei acceptæ, seu possessæ, quæ domino suo reddi debet; altera ex parte injustæ acceptionis, sive damnificationis. Ratione prioris capitis tenetur quis restituere rem depositam, vel commodatam, ac hujusmodi, quando postulatur a domino, vel tempus præstitutum elapsum est. Ratione posterioris capitis non solum tenetur fur restituere vero domino rem furtivam, sed etiam injuste proximum damnificans, recompensare damnum illatum, & quidem in solidum, juxta Doctores communiter, & patet ex versiculis *n. 42.* relatis. Sed occasione horum

60. Quæritur II. Quid sit Obligatio restituendi in solidum? Resp. cum communi: Per *Obligationem restituendi in solidum* intelligitur illa, qua quis efficaciter ad furtum, vel damnum cooperans, obligatur ad restituendum seu solvendum totum, si alii, sive prin-

principales, sive cooperantes, non solverint. Quod si unus eorum prius illi, qui passus est damnum, restituat, cæteri liberantur a debito Restitutionis in comparatione ad ipsum damnificatum (alioquin enim idem damnum sæpius eidem deberet refarciri, quod non exigit Justitia) adhuc tamen iidem tenebuntur pro rata portionis, quæ eos contingit, partem suam refundere illi, qui damnificato totum damnum prior compensavit, atque restituit. Scotus 4. *dist.* 15. *q.* 2. §. *De quarto*, & alii.

61. Quæritur III. Quinam ratione injustæ acceptionis, vel Damnificationis bonorum Fortunæ, teneantur restituere? Resp. I. Omnes illi tenentur ad Restitutionem in solidum, qui sua jussione, consilio, consensu, vel alio ex prædictis novem modis fuerunt causa efficax damni injuste illati. Ita communis; idque desumitur tum ex illo D. Apostoli *Rom. 1. Non solum qui talia agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*: Tum ex *c. Novum 8. q. 1.* ubi dicitur, quod *facientem, & consentientem par pœna constringit*: Tum tandem ex eo; quia omnes illi supponuntur fuisse causa efficax damni illius; nam, si vel talis jussio, aut consilium pravum non fuit in opus deductum, altero meliora consilia sequente; vel saltem non fuit causa efficax damni, utpote independenter a tali consilio illati, nulla ex parte eorum oritur obligatio Restitutionis. (*f*) Unde illic vulgatus versiculus, supra jam relatus, & loquens de omnibus prædictis novem damnificantium generibus, hic de illis pronuntiat:

Quilibet in solidum reddat prius injuriato.

Et hinc merito Innocentius XI. sequentem inter alias, ordine 39. Propositionem damnavit: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem.*

62. Resp. II. Cum Lessio *l. 2. c. 13. n. 32.* & aliis, quod ad priores quinque modos attinet, nempe *Consulens, Mandans, Consentiens, Laudans, & Receptans* (de sexto modo, nempe de *Participante*, jam dictum est *n. 50.*) tenentur ii ad reparationem totius damni in solidum, si totius damni illati causa fuerunt; vel partis, si partis tantum illati damni causa extiterunt. Hinc sequitur, quod si volenti furari decem, efficaciter jusserit, suaserit &c. ut acciperet alios decem, tenearis tantum ad decem: si vero is efficaciter non intenderat quidpiam furari, ad tuum autem consilium furetur viginti, illo non restituente, teneberis totos viginti restituere, eo quod causa efficax fueris totius damni per Furtum illati; & sic de similibus discurrendum.

63. Resp. III. Quod ad cæteros tres modos attinet, qui negative cooperantur ad damnum proximi tanquam *Mutus, Non obstans, Non manifestans*: isti tunc solum obligantur, dum ex officio tenentur ad impediendum proximi damnum, idque ex culpa gravi non impediunt. Lessius ibidem *n. 69. & seqq.* cum communi. Additur notanter, *dum ex officio tenentur*: nam qui non obligatur ad impediendum damnum proximi ex officio, licet teneatur ex Charitate, ac proinde non impediendo peccet, non tamen tenetur damnum refarcire; cum violatio Charitatis non inducat necessitatem Restitutionis, sed solum violatio obligationis Justitiæ, juxta Doctores passim.

64. Quæritur IV. Quo ordine teneantur prædicti ad Restitutionem faciendam? Ubi per *Ordinem* non intelligitur prioritas temporis; omnes enim suo modo, & nisi aliunde excusentur, obligantur illatim facere Restitutionem post Furtum, vel damnum Proximo injuste illatum, quamprimum fieri potest; cum præceptum non retinendi rem alienam injuste, & consequenter restituendi, sit negativum, sicque obliget semper & pro semper. Unde per *Ordinem* intelligitur hic prioritas quoad gravitatem criminis, & obligationis.

65. Resp. I. Si aliquid proximo injuste est ablatum, primo loco, & ante omnes tenetur is restituere, ad quem res furtiva pervenit. Ratio clara est: quia talis obligatur ratione rei alienæ apud ipsum existentis, quæ obligatio est summa; nam quælibet res transit cum suo onere: simulque res aliena, quamdiu extat in specie, per se debetur, semperque clamat, ut dici solet. Quod si is rem jam consumpserit, neque habeat aliunde, unde restituat, tunc altero loco tenetur Jubens, tertio Executor, & postmodum alii, ut in simili mox dicetur.

66. Resp. II. Si vero nihil ablatum est, sed tantummodo damnum Proximo injuste illatum; primo loco tenetur is damnum refarcire, qui coegit, vel fraude induxit, aut alteri imperavit damnum illud inferre, cui alter non fuit ausus contradicere: ut si Dux belli injusti imperet militi, ut occidat, incendat, spoliet. Idem dicendum de eo, qui suo nomine procuravit fieri maleficium, seu injustam Damnificationem. Ratio utriusque partis est: quia talis causa est primaria, mo-

movens cæteras, ac proinde tenetur ante alias ad Restitutionem. Imo ob hanc rationem notant Doctores, quod si talis restituat, aliæ concausæ secundariæ non teneantur eidem quidquam respondere. Secundo loco tenetur Executor, in quantum fuit executor Furti, vel damni injuste illati. Tertio loco tenentur cæteri, qui consilium ad illud dederunt, qui consenserunt, laudaverunt, aut recursum vel oblequium præstiterunt.

67. Quæritur V. Utrum, si res furtiva pereat apud furem, is adhuc teneatur ad Restitutionem? Resp. Si res furtiva, vel alias injuste parta, casu pereat, nihilominus is, qui abstulit, tenetur ad Restitutionem pretii; nisi ea similiter fuisset certo peritura apud dominum. Prior pars est D. Thomæ 2. 2. *q. 62. art. 6.* & communis Doctorum. Ratio est: tum quia Restitutio ad hoc ordinatur, ut illi, qui per actionem injuriosam minus habet, suppleatur: tum quia Restitutio generatim oritur, vel ratione rei alienæ, vel ratione injustæ acceptionis, sive Damnificationis; atqui hæc in proposito intervenit; ergo.

68. Additur, *nisi ea similiter fuisset certo peritura apud dominum*: ut puta inundatione aquarum, vel justa incursione hostium, aut hujusmodi. Nam tunc non teneri furem, aut iniquum rei alienæ occupatorem ad Restitutionem, censent Covarruvias *part. 2. in c. Peccatum, §. 9. n. 1.* Lessius *l. 2. c. 12. num. 92.* Sylvester, & alii, contra quosdam oppositum tenentes: quia si res certo apud dominum æque peritura fuisset (secus, si de hoc sit dubium) nullum notabile detrimentum eidem accidit, eo quod perierit apud furem, vel iniquum illum detentorem, & non potius penes ipsum dominum.

69. Quæritur VI. Cui facienda sit Restitutio? Resp. cum Doctore Subtili 4. *dist. 15. q. 2.* & communi aliorum, ponendo quasdam regulas generales, quæ desumuntur ex Jure Canonico *c. Cum tu, de Usuris*, ubi circa restitutionem usurarum (& eadem ratio est de aliis male ablatis) habetur statutum. *Quod ii, qui usuras exterserunt, cogendi sunt eas hiis, a quibus exterserunt, vel eorum hæredibus restituere; vel his non superstitibus, pauperibus erogare; ita tamen ut ipsi facultatibus habeant, ut iis eas possint restituere: cum juxta verbum Beati Augustini, non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Illi autem qui non habent in facultatibus, unde usuras valeant restituere, non debent ulla pœna multari; cum eos nota paupertatis evidenter excu-*

set. Hæc Pontifex *loc. cit.* Unde ista applicando ad nostrum propositum, sit

70. Regula I. Restitutio est facienda ipsi damnificato, si possibile est: id est, si, qui damnum intulit, novit eum, & habeat ipsum præsentem, vel eidem mittere possit absque majori incommodo, quam illud, quod mittendum est, esset utile ipsi, cui mittitur.

71. Regula II. Si non sit possibile Restitutionem ipsi damnificato facere, quia ipse mortuus est, aut absens, restituendum erit ejus hæredibus, seu propinquis. Nam Lege Naturæ præsumitur, quod damnificatus in casu tali impotentiæ potius velit Restitutionem fieri suis hæredibus, seu propinquis, utpote quibus Jure naturali magis conjunctus est, quam aliis extraneis.

72. Regula III. Si neutrum horum fieri potest, vel quia tam ipse, quam ejus propinqui nesciuntur, aut jam mortui sunt, vel quia majores sumptus essent ponendi in mittendo, quam illud valeat illi, cui mitti deberet; restituendum erit pauperibus vice illius.

73. Quæritur VII. Quando facienda sit Restitutio? Resp. Restitutio regulariter loquendo, & nisi adsit alia causa rationabiliter excusans, statim facienda est, quamprimum commode fieri potest. Ita communis, & ratio est: quia *restituere* est actus præcepti negativi, quo tenemur non detinere alienum domino rationabiliter invito; ac proinde obligat semper, & pro semper. Unde sicuti tenemur ab alio quocunque actu peccati mortalis cessare statim, ita etiam ab injusta detentione rei alienæ.

74. Dicitur, *domino rationabiliter invito*: Nam si esset impedimentum ad tempus legitime excusans Proximum a facienda Restitutione, ipse, cui res injuste ablata est, vel non erit invitus, vel saltem non rationabiliter, quod alter differat Restitutionem exteriorem ad aliquod tempus opportunius. Unde talis, supposita voluntate restituendi, quamprimum poterit, non peccat Restitutionem differendo. Verum de hoc inferius. *Quæst. 6.*

QUÆSTIO V.

Ex qua culpa oriatur obligatio Restitutionis ratione damni dati.

SUMMARIUM.

75 *Damnificatio, quid?*
76 *Ex variis modis accidere potest.*
(g) Vide de his Tr. 8. Dist. 2. n. 34. 35. & 36.
77 *Si nulla culpa intervenit, ob damnum datum nemo regulariter restituere tenetur.*
78 *Quid, si infans, aut furiosus damnum intulit?*
79 *Aut adhibita fuit omnis cautela, ne damnum sequatur?*
80 *Quid, si animal damnum intulit?*
(h) Tr. 8. Dist. 2. n. 37. & 38.
81 *Dolo, vel fraude damnum inferens, ad quid teneatur?*
82 *Quid, si quis dolo aut fraude alium impedivit a consecutione alicujus boni?*
83 *Quid, si hoc accidit absque vi, dolo aut fraude?*
84 *Corollarium.*
85 *Aptissima declaratio præmissarum conclusionum.*
86 *Inferens damnum extra officium & contractum, ex qua culpa teneatur restituere?*
87 *An tunc sufficiat culpa Theologica venialis, vel requiratur mortalis?*
88 *Per culpam Theologicam, quando censeatur damnum illatum?*
89 *Ex sola culpa civili levi, aut levissima, non oritur obligatio restituendi pro Foro conscientiæ.*
90 *Secus pro Foro externo.*
91 *Ratio diversitatis.*
92 *Ac notabilis instantia solutio.*
93 *Qua sit obligatio restituendi ob damnum in officio datum?*
94 *Corollaria.*
95 *Limitatio circa profitentes extraordinariam diligentiam.*
96 *De obligatione restituendi ex contractu, remissive.*
(i) Tr. 8. Dist. 2. q. 4. per totum.

75. PRæsens Quæstio potissimum procedit de Damnificatione non lucrosa, sive damno dato absque eo, quod aliquid commodi, seu lucri, exinde perveniat ad damnificantem: atque definiri solet, quod sit jactura data in bonis externis Proximi, absque eorum usurpatione. Et per hoc ejusmodi injusta Damnificatio differt, saltem materialiter, a Furto & Rapina, aliisque iniquis usurpationibus; eo quod fur, vel iniquus invasor rem alienam sibi vendicet, atque inde lucrum capturus in usum suum accipiat; secus fit in damno dato, ut puta si quis ædes vel segetes Proximi incendat, ejus animalia interficiat &c.

76. Cæterum hujusmodi Damnificatio in rebus externis Proximi, primum dupliciter potest accidere: videlicet uno modo, destruendo illi id, quod actualiter, aut virtualiter habet, v. g. domum incendendo, animalia ejus in tenera ætate occidendo, recentes arborum plantationes eradicando &c. Altero modo, impediendo eum, ne aliquod bonum consequatur, ad quod adipiscendum spem concepit. Deinde id fieri potest eum, vel sine culpa aliqua Theologica, aut Civili, sive lata, levi, sive levissima. (g) Et tandem damnificatio illa contingere potest extra officium, & contractum; aut in officio, seu interveniente aliquo contractu, v. g. Commodati, Depositi &c. Et de his omnibus modis per ordinem restat dicendum.

77. CONCL. I. Regulariter loquendo, & in Foro tum externo, tum conscientiæ, nemo tenetur ad Restitutionem ob damnum alteri subsecutum vel illatum, si nulla culpa Theologica, aut Juridica intervenit. Ita in re communis. Sic nemo tenetur de damno dato rebus hostilibus in bello justo, vel illato ad se defendendum cum moderamine inculpatæ tutelæ, aut quod dat Judex exequendo munus suum in puniendis Reis, & hujusmodi, prout aliunde liquet.

78. Deinde hoc idem dicendum, si casu fortuito, atque sine omni culpa Theologica, & Civili, damnum datum fuit: ut si infans, vel furiosus, qui est incapax culpæ, damnum intulit, *cap. Illud relatum, 15. q. 1. & l. Sed & si ff. ad Legem Aquiliam:* nam quia tales doli capaces non sunt, damnum ab eisdem illatum reputatur inter casus fortuitos, nisi culpa alicujus alterius præcesserit.

79. Tandem generaliter, si quis aliquid operetur, v.g. in loco deserto emittat sagittam, adhibita omni diligentia, ne cuipiam damnum eveniat, & tamen non obstante omni sua cautela, nihilominus alteri damnum sequatur, non tenetur restituere: quia aberat omnis culpa ex parte ejus. Unde *cap. ult. de Injuriis & damno dato*, Pontifex sic ait: *Sane, licet qui occasionem damni dat, damnum videatur dedisse: secus est tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, de contingentibus nihil omisit.*

80. Additur notanter in Conclusione, *regulariter loquendo:* Fallit enim hoc, si animal tuum absque alia culpa tua damnum intulit, ut puta percutiendo, vel occidendo animal proximi, aut segetes depascendo: teneberis enim damnum illatum resarcire, nisi tali obligatione teipsum eximere velis, tradendo animal vivum, quod damnum intulit, pro occiso, aut pro damno per illud illato *cit. cap. ult. de Injur. & damno dato* juncta *L. 1. ff. Si quadrupes pauperiem &c.* Insuper, si res apud aliquem sit ex contractu, v.g. Commodati, atque expresse de hoc conventum fuerit, tenebitur is etiam de casu fortuito; prout alibi (h) dictum.

81. CONCL. II. Qui dolo vel fraude damnum dedit, certum est, quod peccet mortaliter, atque sub gravi culpa ad Restitutionem teneatur, si quantitas rei damnificatæ ad quantitatem notabilem ascendat: imo talis injuste damnum inferens rem alienam destruendo, vel deteriorando, tenetur restituere non solum damni dati valorem, sed etiam lucrum cessans, ac quodlibet aliud damnum ex illa injusta læsione causatum. Ita communis. Nam lex Justitiæ, quæ læditur, horum omnium recompensationem exigit, ut injuste damnificato satisfiat.

82. CONCL. III. Loquendo de bonis primum consequendis, si quis directe (hoc est, intentione damnificandi Proximum) eundem metu injuste incusso, fraude vel dolo, impedit a consecutione alicujus boni, v. g. Officii sive Beneficii, sibi ex justitia necdum debiti, sed solum ex liberalitate alterius conferendi: tenetur quidem eidem ad aliquam restitutionem, non tamen obligatur ipsi restituere totum illud bonum, neque valorem eidem æquivalentem, sed aliquam dumtaxat portionem, pro ratione illius spei consequendi dictum bonum. Ita Scotus *4. dist. 15. quæst. 2. ad ultimum principale*, Cavellus *in Scholio ibidem*, & alii. Ratio prioris partis est: quia, licet alter jus necdum habuerit ad rem, quam alius ex mera liberalitate collaturus fuisset; jus tamen habuit, ne per media illicita & injusta, videlicet per vim seu metum injuste incussum, fraudem aut dolum, ab ejusdem consecutione impediatur; unde si quis eum taliter injuste impediat, tenetur ipsi ad recompensam pro ratione valoris spei, qua sperabatur illius boni consecutio. Altera pars ex eo patet; quia multum interest inter habere, & prope esse; ergo.

83. CONCL. IV. Quod si quis impediat alterum a consecutione alicujus boni sine vi, metu, fraude, aut dolo, idque fiat non ex animo nocendi Proximo, qui impeditur, sed ex intentione proprii commodi, vel alterius amici, ad nullam tenetur Restitutionem. Ita cum Doctore nostro *loc. cit.* Mastrius *disp. 9. Theol. Mor. n. 35.* & alii.

84. Hinc si quis sciat, testatorem velle Legatum aliis relinquere, & precibus ab illo obtineat, ut voluntatem suam mutet, & potius sibi aut suo consanguineo relinquat, nulla hinc consurgit obligatio restituendi: quia hoc totum fit sine ulla fraude, dolo, metu, aut alia injustitia, simulque quilibet habet jus procurandi sibi bonum, servatis circumstantiis justis & honestis.

85. Hoc ipsum Doctor Subtilis *l. c.* paucis verbis, simulque aptissimo exemplo, amplius declarat, dicens: *Si quis tantummodo propriæ utilitati intendebat providere, & sic procurat sibi, & ex consequenti alius præter intentionem illius damnificatur, iste ad nihil tenetur illi: quia licet unicuique sibi ipsi providere, alio neglecto. Confirmatur hoc per illud l. 1. §. Idem ajunt, ff. de aqua pluviali arcend. Si præcindo venas in fundo meo, per quas derivabatur aqua ad puteum alterius, intentione nocendi sibi, tenear ad restitutionem damni. Sed si hoc facio sine fraude, intendens exonerare propria utilitati, ut quia mihi est utile facere murum, qui non potest convenienter fundari sine præcisione illarum venarum, non damnifico alium: quia jus habeo faciendi utilitatem meam in fundo meo. Et ff. de regul. jur. Nemo damnum facit, nisi qui illud facit, quod facere jus non habet. Iste autem habet jus procurandi sibi beneficium servatis circumstantiis justis, & honestis.* Hæc Scotus.

86. CONCL. V. Qui nec ex officio, nec ex contractu obligatus est ad alterius damnum præcavendum, pro Foro conscientiæ solum tenetur ad Restitutionem damni, si noceat ex culpa Theologica, non autem ob culpam mere Civilem levem, vel levissimam.

mam. Prior pars est communis inter Doctores, quamvis iidem postmodum in hoc dissentiant, utrum ad inducendam obligationem gravem restituendi in Foro conscientiæ, sufficiat culpa Theologica venialis, vel requiratur mortalis.

87. Et quidem sufficere culpam Theologicam venialem, probabilius censet Layman *lib. 3. tract. 3. part. 1. cap. 8. num. 4.* eo quod altera radix obligationis restituendi, sit injusta acceptio, sive læsio: sed qui per venialem injuriam damnum infert, revera alterum injuste lædit: ergo. Oppositum nihilominus tenet Lessius *l. 2. cap. 7. n. 29.* post Sotum, & alios, idemque probabile censet cit. Layman: nam, quando duntaxat culpa venialis intercessit, v. g. ob imperfectam animi considerationem, actus ille in genere moris, atque injuriæ non est perfectus: atqui actus in genere moris, & injuriæ imperfectus, ut puta elicitus cum imperfecta advertentia rationis, non potest esse causa obligationis gravis atque perfectæ in eodem genere, pro Foro conscientiæ; ergo. Addit tamen idem Lessius, quod, quando damnum illatum grave est, ordinarie loquendo culpa, sive negligentia, qua commissum est, censeatur mortalis, nisi aliunde constet non esse.

88. Caterum per culpam Theologicam, & peccatum proprie dictum, tunc censetur quis damnum intulisse, quando vel ex directo nocendi proposito, absque justa causa damnum intulit; vel quando perspecto damni inferendi periculo, actionē aliqua non abstinuit, cum potuisset, ac debuisset abstinere; vel quando damnum inferri non impedivit, cum potuisset, atque ad hoc ex Justitia tenebatur, prout desumitur ex *c. ult. de injuriis & damno dato.*

89. Altera pars Conclusionis est cit. Lessii *n. 24.* Lugonis *disp. 8. de just. & jure, sect. 3. & 4.* ac aliorum. Ratio est: quia nemo tenetur in suis actionibus majorem diligentiam adhibere, ad hoc, ut non censeatur alterum injuste lædere, quam communiter homines ejusdem professionis in talibus præstare solent, ne sibi, vel aliis noceant: sed qui admittit culpam civilem levem (idem a fortiori dicendum de culpa levissima) omittit diligentiam, quam communiter homines talis conditionis non adhibent; hi enim communiter non solent esse diligentiores, aut diligentissimi; ergo. Unde fit, quod ejusmodi damnum potius censeatur casuale & fortuitum, quam ipsi voluntarium, saltem in Foro conscientiæ.

90. Dicitur notanter, *in Foro conscientiæ*: Nam secus est dicendum in Foro externo: qui enim ex negligentia mere civili, sive ea sit culpa levis, sive levissima, damnum intulit, in Foro externo per actionem ex lege Aquilia de damno dato, ad integram ejus recompensationem compelli potest; prout habetur *cit. cap. ult. de Injuriis & damno dato*, ibi: *Siculpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hac imperitia tua sive negligentia evenerunt, juri super his satisfacere te oportet: nec ignorantia te excusat, si fecisse debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.* Concordat Jus Civile *L. 2. & seqq. ff. ad Legem Aquil.* & alibi.

91. Verum hæ Leges, ceu nimis rigidæ, & in Foro animæ vix practicabiles, in hoc cum tanto rigore non videntur receptæ: ac proinde in Foro conscientiæ, ante condemnationem Judicis, ad nihilum obligatus esse censetur, qui absque culpa Theologica, sive peccato injustitiæ, per culpam civilem duntaxat æstimatam, fuit causa cujuspiam damni subsecuti, nullo præcedente contractu. Siquidem sunt dictarum Legum, nec non & boni communis emolumento abunde satisfit, sufficienterque providetur, eo quod prædictæ personæ in Foro externo, & post sententiam Judicis etiam in Foro conscientiæ, ad damnum refarciendum obligentur.

92. Dices; Si talis non tenetur in conscientia ante sententiam Judicis, ergo neque post ipsam tenebitur, quin potius ejusmodi sententia erit injusta. Resp. negando consequentiam; nam cum ejusmodi Leges, volentes refarciri damnum etiam ex culpa levi, atque levissima datum, justissimis de causis, atque intuitu totius boni communis latæ fuerint; partim, ut quilibet amplius invigilet, ne sua vel suorum culpa damnum aliquod Proximis inferatur, sicque pax communis, & publica civium quies, atque indemnitas bonorum suorum conservetur; partim, ut præcaveatur innumeris fraudibus, & malitiis hominum, quæ in Foro externo sunt difficillioris probationis: sententia Judicis conformiter dictis Legibus lata merito etiam in Foro conscientiæ obligat, non obstante, quod ante eam necdum adfuerit talis obligatio refarciendi damnum ex culpa mere Civili levi, vel levissima, & sine omni culpa Theologica illatum.

93. CONCL. IV. Loquendo de obligatione restituendi ex damno in officio dato, nemo tenetur in Foro conscientiæ ad reparandum damnum ex culpa duntaxat levi, aut levissima in officio commissa, sed duntaxat ex culpa lata, quæ Theologice sit gravis & mortalis. Ita Lessius *l. 2. cap. 7. n. 32.* & alii. Ratio est, quæ supra: nemo enim tenetur in officio suo esse diligentior, doctior, ac prudentior, quam ejusmodi homines passim esse solent.

94. Infertur proinde, quod Magistratus, Medicus, Advocatus, Architectus, & ejusmodi Officiales, in Foro conscientiæ immunes sint a culpa atque obligatione restituendi, si eam habeant, adhibeantque doctrinam, prudentiam, ac diligentiam, quæ passim aliis ejusmodi officii communis est. Unde si contingat, Advocatum cadere a causa, eo quod non præstiterit, quod doctissimus & diligentissimus præstitisset, fecit tamen bona fide, quod solent diligentes & docti in similibus præstare, non tenetur ad aliquam Restitutionem. Idem dicendum de Medico, Architecto, Magistratu, & aliis hujusmodi.

95. Excipe tamen, nisi quis ad extraordinariam diligentiam sese obligasset, profitendo se diligentiorem ac peritiorem aliis & hac ratione eum, qui talem quærebat, ad se pertraxisset. Tunc enim tenetur ex culpa levi, & levissima, secundum quantitatem culpæ: quia eo ipso summa diligentia, saltem implicite, deducta fuit in pactum.

96. Tandem quæ sit obligatio restituendi ex Contractu, v. g. Commodati, Depositi &c. superius (1) in proprio loco dictum est.

QUÆSTIO VI.

De causis excusantibus a Restitutione, vel omnino, vel ad tempus.

SUMMARIUM.

97 *Causa excusantes a Restitutione, &c. ria.*
98 *1. Impotentia, seu inopia debitoris.*
99 *Per hanc suspenditur, non autem extinguitur obligatio restituendi.*
100 *Limitatur in casu extremæ necessitatis.*
101 *Nisi quis alienum ante eam accepisset.*
102 *Aut res ablata post eam adhuc existeret.*
103 *Gravis necessitas dat facultatem differendi restitutionem.*
104 *Regula duæ circa hoc.*
105 *Quid, si creditor sit in pari necessitate?* (k Vide dicta superius n. 10. & seqq.
106 *Quid, si quis statum suum acquisivit injuste v. g. per rapinas, usuras &c.*
107 *II. Periculum infamiæ, vitæ vel membrorum.*
108 *Quid, si posset fieri Restitutio per aliumd*
109 *Cautela circa hoc servanda, & quid juris, si alter defraudet?*
110 *III. Conditio creditoris.*
111 *Qua conditiones ad eam requirantur?*
112 *Sufficit quandoque remissio rationabiliter presumpta.*
113 *Regula circa hoc.*
114 *Aliud notabile.*
115 *IV. Si res restituenda, sit creditori nocitura.*
116 *V. Præscriptio.*
(1) Ut dictum Tr. 7. Dist. 6. n. 5. & seqq.
117 *VI. Compensatio.*
118 *Conditiones ad eam compensationem, ut sit licita, requisite.*
119 *VII. Cessio bonorum, & quid juris hac tribuat?*
120 *Alia causa excusantes a Restitutione generatim.*
121 *VIII. Ignorantia, quod res sit aliena.*
122 *Et hac alia satis, alia juris.*
123 *IX. Dubium, & quando?*
124 *Tacentur alia.*

97. CAusas excusantes a Restitutione plures adducunt Doctores, adeo ut Lessius *l. 2. de just. & jure, cap. 16. n. 1.* post Jo. Medinam enumeret duodecim, Gregorius a Valentia quindecim, & Reginaldus *l. 1. c. 13. n. 230.* lex decim adducat. Harum principaliores sunt, quæ sequuntur.

98. Prima causa excusans a Restitutione, est *Impotentia*, seu inopia debitoris. Hæc ab omnibus Doctoribus admittitur, & ratio clara est: quia ad impossibile nemo tenetur. Unde D. Augustinus, relatus *can. si res aliena, 14. q. 1.* notanter ait: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed, ut dixi, cum restitui potest. Plerumque enim qui aufert, amittit, sive alius patiendo malo, sive ipse male vivendo: nec aliud habet, unde restituat. Hoc certe non possumus dicere: Redde, quod abstulisti.* Hæc S. Augustinus.

99. Circa quod notandum I. cum com-

muni, per dictam Impotentiam, seu inopiam debitoris, suspendi quidem obligationem restituendi, non autem penitus extingui. Unde excusat non omnino, sed duntaxat ad tempus, quamdiu videlicet durat illa impotentia: nam quando quis est impotens, pro tunc quidem non tenetur, cum restituere non possit: tenebitur tamen postea, si ad pinguiorem fortunam pervenerit, prout habetur *cap. Odoardus, de solut.*

100. Excipitur tamen is, qui in extrema necessitate quidpiam accepit, atque consumpsit: ut puta panem, vel aliud quidpiam ad victum, vitamque conservandam necessarium: talis enim, juxta satis communem Doctorum, non tenetur restituere, etiamsi postmodum perveniat ad pinguiorem fortunam. Ratio est: quia in extrema necessitate sunt omnia communia; ergo accipiens, & consumens alienum in actuali extrema necessitate constitutus, re ipsa alienum non consumpsit, sed id, quod sibi cum altero tunc erat commune: & consequenter ea necessitate transacta, ad nihil tenetur alteri ex Justitia.

101. Dicitur notanter, *accipiens, & consumens alienum in actuali extrema necessitate*: Nam si quis alienum accepit ante illam extremam necessitatem, non liberatur ab obligatione deinceps, postquam devenerit ad pinguiorem fortunam, reddendi æquale: quia ista obligatio ortum habuit ab illa injusta acceptione, quæ per supervenientem extremam necessitatem non est extincta, sed sopita, Scotus 4. *dist.* 15. *q.* 2. *ad* 5.

102. Deinde, si res ablata non fuerit consumpta in ipsa necessitate, sed post eam adhuc extet, tenetur quis eam reddere. Unde accipiens equum alterius, ut manus inimicorum evadat, vitamque salvet, cessante hoc periculo tenetur equum restituere: nam ad illam necessitatem sublevandam non fuit necessarius ipsemet equus, sed solum usus ejus, & consequenter cum res adhuc extet in specie, oportet eam reddere; quia extrema necessitas non tribuit jus ad amplius, nisi quantum opus est ad eam superandam. Lessius *l.* 2. *c.* 16. *n.* 3. & communis.

103. Notandum II. conformiter Scoto *cit. qu.* 2. §. *de quinto scilicet &c.* paucis hanc materiam subtiliter pertractanti, quem alii communiter sequuntur, quod necessitas non solum extrema, quando, si debitor restituat, fame v. g. periturus est, sed etiam gravis, quando, si restituat, vitam difficulter sustinebit, vel statu suo juste, & non per rapinam, vel usuras, neque per alia media illicita acquisito excidet, facultatem præbeat saltem differendi Restitutionem, aut paulatim & per partes restituendi. Ratio est: quia quilibet rationabiliter (subdit Scotus) *debet magis velle, quod vitetur magnum incommodum proximi restituentis, quam medicum incommodum suum, vel nullum in illa media dilatione restituentis.* Hæc ille.

104. Notandum III. Quod ad propositum nostrum, & conformiter Doctori Subtili *l. c.* duæ passim a Doctoribus ponuntur regulæ generales, quas refert Layman *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 12. *n.* 1. Prima est: *Nemo tenetur restituere cum suo notabiliter majore detrimento, quam sit creditoris commodum.* Secunda: *Quotiescunque dominus, sive creditor rationabiliter contentus esse debet, ut restitutio differatur, potest differri, quamvis ille invitus sit.*

105. Cæterum prædicta doctrina, asserens, necessitatem gravem in sensu explicato excusare a Restitutione, quasdam patitur limitationes. Et primo quidem ea intelligenda est, nisi creditor sit in pari necessitate: quia tunc tenebitur quis ei restituere, juxta communiorem sententiam. Ratio est: quia in pari necessitate, & causa, potior est conditio creditoris, quam debitoris: multoque magis melior debet esse conditio innocentis, quam nocentis, si debita ex delicto sunt contracta. Excipiunt quidem nonnulli extremam necessitatem, in qua (inquiunt) melior est conditio possidentis, cum omnia tunc sint communia. Sed de hoc ipso Doctor noster ibidem, & quidam alii non immerito dubitant, ob rationes allatas, quæ fortius urgent, quando & ipse creditor rem adhuc, saltem civiliter possidet. (k)

106. Limitatur ulterius data doctrina, dummodo quis statum illum juste, & non per rapinas, vel usuras, neque per alia media illicita acquisiverit. Quia, si quis rapinis, usuris, aut similibus fraudibus ad aliquem honorabilem statum pervenisset, teneretur etiam cum ejus amissione statim restituere. Ratio est: tum quia *fraus & dolus alienis patrocinari non debent, c. Sedes, & c. ex tenore, de Rescriptis*: Tum quia hoc non est tam statum suum amittere, quam alienum dimittere, & ad suum reverti. Veruntamen hoc ipsum intelligendum est, nisi debitor ille

ille passim habeatur vir probus & honestus, ita ut non possit subito statum suum mutare, nisi de suis fraudibus se infamet: tunc enim sensim potest restituere; quia periculum infamiæ excusaret, ne statim teneretur, ut mox dicetur. Siquidem

107. Secunda causa excusans a Restitutione, est *Periculum infamiæ*, & multo magis *vitæ*, vel *membrorum*: nam ob tale periculum posse differri Restitutionem, donec ejusmodi periculum cesset, passim tenent Doctores. Ratio est: quia bona ordinis inferioris, non sunt necessario restituenda cum detrimento bonorum ordinis superioris. Hinc enim communiter docetur utpote fundatum in ratione naturali, quod magis diligenda sint bona animæ, quam corporis: deinde magis bona corporis, quam famæ: & tandem magis bona famæ, quam fortunæ, juxta illud *Prov.* 22. *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ*, cum concordantiis.

108. Circa hoc tamen recte observat D. Thomas 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *ad* 2. & sequuntur alii, quod, qui non potest per seipsum restituere absque detrimento famæ, vel corporis (v. g. eum clam reponendo in loco debito ac securo, ut ad dominum perveniat) possit autem sic restituere per aliam personam secretam & fidelem, ut puta per suum Confessarium, id faciendum est. Ratio est: quia, si hoc modo poterit fieri Restitutio absque periculo famæ (atque etiam vitæ, & membrorum) ex una parte cessant rationes differendi restitutionem: ex altera vero parte urget præceptum restituendi, quamprimum fieri poterit.

109. Cæterum monet Navarrus *cap.* 17. *Manual. n.* 67. post S. Antoninum, caute hoc esse practicandum: & consultum fore, quod per illam personam intermediam petatur syngrapha a creditore, in qua is confiteatur, se accepisse tantam summam per N. pro solutione ejus, quod alius (sine hujus nominis expressione) sibi debebat, eaque schedula postmodum debitori, sive pœnitenti clam reddatur. Ratio hujus cautelæ est: quia, si quis in genere debeat quidpiam restituere, v. g. decem florenos, vel etiam aliquid injuste acquisitum in specie, ut puta torquem auream furto sublatam; idque committat personæ intermediæ, quam fidelem existimavit, v. g. Confessario, ad restituendum, sed ea defraudet, vel aufugiat, non cessabit obligatio primi debitoris. Lessius *c. cap.* 16. *dubit.* 7. Layman *num.* 9. & communior aliorum. Nam si res fuit indeterminate debita, v. g. pecunia decem florenorum, ea, si casu pereat, perit domino suo, qui in proposito est debitor. Quod si vero debeatur res quæpiam in specie, quæ fuerat injuste acquisita (secus, si juste fuisse obtenta, ut puta inventa) tunc intercessit culpa; sieque, qui rem ejusmodi surripuit, tenetur de casu ejus fortuito, eo quod apud dominum non ita periisset.

110. Tertia causa excusans a Restitutione, est *Condonatio creditoris*. Hæc, si fiat cum debitis conditionibus, excusat a Restitutione, juxta omnes. Ratio est: quia, cum creditor sit dominus suæ rei, potest is cedere juri suo, illudque debitori remittere, & donare, quo facto expirat obligatio Restitutionis.

111. Dicitur, *si fiat cum debitis conditionibus*: nam ad hoc ex communi sententia requiruntur sequentes tres conditiones. Prima est, ut hæc remissio, seu Condonatio, sit omnino libera, hoc est, non extorta metu gravi, vel fraude. Secunda, ut is possit condonare. Tertia, ut talis Condonatio non sit a Jure prohibita, sive quod Jus non resistat Condonationi.

112. Circa hoc punctum advertit Lugo *disp.* 21. *de just. & jure, sect.* 4. *n.* 52. quod, sicut sufficit remissio creditoris expressa, sic etiam possit ejusdem remissio, & voluntas rationabiliter præsumpta, excusare debitorem a Restitutione, vel saltem a statim faciendam. Hinc ibidem *num.* 53. advertit post Molinam, excusari posse a peccato mortali aliquando domesticos, qui aliqua surripiunt, invito quidem domino quoad modum surripiendi occulte, & sine licentia, non tamen quoad substantiam rei acceptæ; quia, licet dominus sit invitus circa talem acceptionem, postquam res consumpta est, aliquando non est invitus quoad retentionem.

113. Unde regula generalis colligi potest (subdit idem Lugo) ad excusandos plures pœnitentes a Restitutione, quando facilicet putant, quod si per se, vel per alios, manifestarent domino suum debitum, ipse liberaliter condonaret, & nollet obligare ad Restitutionem: jam enim datur voluntas præsumpta domini sufficiens, ut retentio non fiat invito domino quoad substantiam rei.

114. Advertit ulterius citatus Author *n.* 54. communem satis esse sententiam, quæ

dicit, non esse Furtum grave, quando aliquis accipit rem non pretiam, quam si petiisset, dominus dedisset. Quod alii extendunt etiam ad eum casum, quando domino displicet modus, ille accipiendi, sine licentia, dum tamen non displiceat substantia; pro quo utroque allato plures ab ipso allegantur Doctores. Veruntamen hi passim notant, allatam doctrinam non habere locum, quando dominus non concederet rem ad illum usum: ut si dominus concederet quidem aliquid libenter ad comedendum, ruinosum accipias ad vendendum; ad quod dominus etiam rogatus non concederet.

115. Quarta causa excusans a Restitutione, est, *Stricta restituenda, sit creditori incertum*. Tunc enim ejus Restitutionem esse differendam ex motivo Charitatis, nec statim fieri debere, donec periculum talis nocumenti evaserit, fatentur omnes Doctores. Solet hoc vulgari exemplo declarari: Si quis v. g. apud alterum arma, vel gladium suum deposuit, & postmodum factus infantus eadem repetit, ut aliquem occidat, vel lædat; in tali casu Depositarius non tenetur mox gladium restituere, sed oportet ejus Restitutionem differre.

116. Quinta causa est *Præscriptio*. Hæc enim, postquam bona fide, ac tempore a legibus definito, aliisque debitis concurrentibus conditionibus jam absoluta est, non solum in Foro externo, sed etiam in Foro conscientiæ vim habet excusandi debitorem a Restitutione; adeo, ut licet postmodum certo constet, rem fuisse alterius, eam amplius restituere non teneatur. (1)

117. Sexta causa excusans a Restitutione, est *Compensatio*, si videlicet quis abstulit quidpiam abeo, qui tantundem sibi tenebatur solvere. Veruntamen sciendum, quod hujusmodi occulta Compensatio in Foro conscientiæ non sit licita, nisi concurrentibus sequentibus conditionibus.

118. I. Ut debitum sit certum; ideest, ut moraliter constet, rem esse tuam, aut tibi ex Justitia deberi; nam in dubio melior est conditio possidentis, sicque non licet mediante occulta Compensatione alterum privare sua possessione. Insuper non licet uti occulta Compensatione, si res illa non est debita ex justitia, sed solum ex gratitudine; nam hæc non inducit stricte & proprie dictum debitum. II. Ut non possis rem illam alia ratione recuperare, vel saltem non absque notabili molestia, aut expensis, vel amissione favoris aut benevolentiæ, sive jactura honoris: ut si debitum quidem sit certum, sed tibi desint probationes; tunc enim locus erit occultæ Compensationi. III. Ut non fiat Compensatio in re alterius, sed in re ipsius debitoris; nam Compensatio non aliunde, sed ex bonis debitoris fieri debet; alioquin tertius injuste gravaretur. IV. Ut in Compensatione non plus accipiatur, quam debetur: alioquin excessus ille foret contra Justitiam, sicque in conscientia restituendus. V. Ut absit periculum scandali, ne videlicet Compensatio alicui imputetur tanquam Furtum; item, ut absit periculum infamiæ, ne talis deprehensus tanquam fur habeatur, & puniatur; nam Judices solent tales Compensationes punire ut furta, præsertim si debitum non possit liquido probari. Bonacina *tom. 2. disp. 1. de Restitut. quæst. ult. punct. 2. nu. 10. & seqq.* Lessius *lib. 2. cap. 11. nu. 57.* & alii.

119. Septima causa a quibusdam assignatur *cessio bonorum*, qua debitor ea relinquit creditoribus. Veruntamen recte inter alios notat Navarrus *cap. 17. Manual. n. 86.* quod, quamvis Cessio bonorum in Foro externo excuset quoad debita ex contractibus orta, ne debitor propter ea possit conjici in carcerem *arg. l. 1. C. Qui bonis cedere &c.* & quoad nonnullos alios effectus: nihilominus in Foro conscientiæ non magis excuset Cessio bonorum, quam necessitas sine Cessione excusaret. Unde post Cessionem facta cedenti suæ artis instrumenta, & aliqua ad victum judicio boni viri necessaria relinquenda, *l. Qui bonis, ff. de Cessione bonorum*, quæ tamen etiam fiat Cessione retineri possunt, cum nemo pro facienda Restitutione teneatur se spoliare necessariis vitæ, ita ut mendicare cogatur.

120. Præter has principaliores causas, quæ excusant ab obligatione Restitutionis, vel omnino, vel ad tempus, dum constat, certam alioquin adesse obligationem restituendi, dantur variæ aliæ, quæ in tantum excusant, quatenus vel non constat, hic & nunc adesse obligationem restituendi; ut sit, quando ignoratur, vel rationabiliter dubitatur, num res, quam quis possidet, sit aliena, nec ne: Vel quia ob varias circumstantias fit, quod revera obligatio restituendi hic & nunc non incurratur: ut, si quis accipiat alienum in extrema necessitate, vel si quis inferat damnum hostibus, ex eisdemque prædam agat in bello justo, & alia

alia hujusmodi plura, quæ ex propriis locis erunt desumenda. Itaque loquendo solum de prioribus,

121. Octava causa excusans a Restitutione, est *Ignorantia probabilis, vel invincibilis juris, aut facti, quod res sit aliena*. Nam talis ignorantia excusat a peccato, ergo etiam a Restitutione. Porro, quantum ad propositum

122. *Ignorantia probabilis, vel invincibilis facti*, est illa, qua quis probabiliter, vel ex errore invincibili existimat, rem esse suam, quæ revera non est sua: prout fieret, si quis bona fide rem alienam per hæreditatem acquisivit. *Ignorantia juris* est, qua ignoratur, quid sit juris: quando v. g. jus est obscurum, & controversum de aliquo contractu, num sit licitus, nec ne; vel quando quis consulit Viros doctos super obligatione restituendi, qui respondent nullam adesse obligationem, cum tamen revera a parte rei subsit, tunc enim sequens eorum responsum ignorantia juris laboraret.

123. Nona causa excusans a Restitutione, est *Dubium*, quod possidens post adhibitam sufficientem diligentiam in investigando, num res sit sua vel alterius, adhuc habet: siquidem in dubio melior est conditio possidentis, juxta *Reg. 65. Jur. in 6.* Proinde talis vi hujus rationis licite potest retinere rem, quamdiu dubitat, num res illa sit sua, vel alterius. Et hoc ipsum extendere oportet ad dubium circa injustam Damnificationem subortum: unde Lessius *lib. 2. c. 13. nu. 38.* asserit, communem ferme Doctorum sententiam esse, si quis solum dubitet, an causa damni fuerit, v. g. an alios suo consilio, vel laude efficaciter permoverit ad damnum inferendum, nec ne, talem non teneri ad Restitutionem: cum in dubio melior sit conditio possidentis.

124. Plures aliæ causæ, veluti excusantes ab obligatione restituendi adducuntur a Doctoribus, ut dictum *num. 97.* sed præmissæ sunt principaliores: cæteræ vero vel minus ad praxin conducunt, vel rarius occurrunt, quas proinde huc adducere non est necesse.

DISTINCTIO VI.

De Octavo Præcepto Decalogi.

QUÆSTIO I.

De Detractione, & variis ipsam concernentibus.

SUMMARIUM.

1 *Octavo Decalogi Præcepto quæ prohibeantur?*
2 *Honor, & fama differunt; quomodo?*
3 *Detractio, quid?*
4 *Detractio quibus modis fieri possit?*
5 *Ejus gravitas.*
(a) Conformiter dictis Tract. 3. Disp. 2. n. 15.
6 *Detractio formalis, & materialis, quid?*
7 8 9 10 *Casus aliqui, in quibus licitum est manifestare crimen, vel defectus Proximi.*
(b) Tr. 4. Disp. 6. q. 5.
(c) Ut dictum c. Disp. 6. n. 52.
Ratio horum generalis.
11 *Crimen falsum cuipiam imponere, semper est illicitum.*
12 *Solvuntur objecta.*
13 *Utrum audita referens absque asseverationc, & sub dubio, peccet mortaliter?*
14 *Idcirco est rara fides &c.*
15 *Tamen periculosum est talia referre, & quale id peccatum?*
16 *An, qui detractionem audit, peccet mortaliter?*
17 *Quid, si ei detractio non placeat, tamen non resistit?*
18 *Quid, si commode resistere nequeat?*
19 *Detractori quomodo resistatur?*

1. Octavum Præceptum Decalogi *Exodi c. 20.* & *Deuter. cap. 5.* hisce verbis comprehenditur: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Eoque juxta communem Doctorum sententiam prohibetur omnis injustitia & injuria, quæ Proximo verbis inferri potest: ut sunt, Detractio, Contumelia, Convitium, Irrisio, Susurratio, Mendacium, & hujusmodi, quæ sub falso Testimonio contra Proximum tanquam sub principaliori comprehenduntur, ut notat D. Thomas *2. 2. q. 122. ar. 6.* De quibus proinde breviter in hac Distinctio-

dicit, non esse Furtum grave, quando aliquis accipit rem non pretiam, quam si petiisset, dominus dedisset. Quod alii extendunt etiam ad eum casum, quando domino displicet modus, ille accipiendi, sine licentia, dum tamen non displiceat substantia; pro quo utroque allato plures ab ipso allegantur Doctores. Veruntamen hi passim notant, allatam doctrinam non habere locum, quando dominus non concederet rem ad illum usum: ut si dominus concederet quidem aliquid libenter ad comedendum, ruinosum accipias ad vendendum; ad quod dominus etiam rogatus non concederet.

115. Quarta causa excusans a Restitutione, est, *Stricta restituenda, sit creditori incertum*. Tunc enim ejus Restitutionem esse differendam ex motivo Charitatis, nec statim fieri debere, donec periculum talis nocumenti evaserit, fatentur omnes Doctores. Solet hoc vulgari exemplo declarari: Si quis v. g. apud alterum arma, vel gladium suum deposuit, & postmodum factus infantus eadem repetit, ut aliquem occidat, vel lædat; in tali casu Depositarius non tenetur mox gladium restituere, sed oportet ejus Restitutionem differre.

116. Quinta causa est *Præscriptio*. Hæc enim, postquam bona fide, ac tempore a legibus definito, aliisque debitis concurrentibus conditionibus jam absoluta est, non solum in Foro externo, sed etiam in Foro conscientiæ vim habet excusandi debitorem a Restitutione; adeo, ut licet postmodum certo constet, rem fuisse alterius, eam amplius restituere non teneatur. (1)

117. Sexta causa excusans a Restitutione, est *Compensatio*, si videlicet quis abstulit quidpiam abeo, qui tantundem sibi tenebatur solvere. Veruntamen sciendum, quod hujusmodi occulta Compensatio in Foro conscientiæ non sit licita, nisi concurrentibus sequentibus conditionibus.

118. I. Ut debitum sit certum; ideest, ut moraliter constet, rem esse tuam, aut tibi ex Justitia deberi; nam in dubio melior est conditio possidentis, sicque non licet mediante occulta Compensatione alterum privare sua possessione. Insuper non licet uti occulta Compensatione, si res illa non est debita ex justitia, sed solum ex gratitudine; nam hæc non inducit stricte & proprie dictum debitum. II. Ut non possis rem illam alia ratione recuperare, vel saltem non absque notabili molestia, aut expensis, vel amissione favoris aut benevolentiæ, sive jactura honoris: ut si debitum quidem sit certum, sed tibi desint probationes; tunc enim locus erit occultæ Compensationi. III. Ut non fiat Compensatio in re alterius, sed in re ipsius debitoris; nam Compensatio non aliunde, sed ex bonis debitoris fieri debet; alioquin tertius injuste gravaretur. IV. Ut in Compensatione non plus accipiatur, quam debetur: alioquin excessus ille foret contra Justitiam, sicque in conscientia restituendus. V. Ut absit periculum scandali, ne videlicet Compensatio alicui imputetur tanquam Furtum; item, ut absit periculum infamiæ, ne talis deprehensus tanquam fur habeatur, & puniatur; nam Judices solent tales Compensationes punire ut furta, præsertim si debitum non possit liquido probari. Bonacina *tom. 2. disp. 1. de Restitut. quæst. ult. punct. 2. nu. 10. & seqq.* Lessius *lib. 2. cap. 11. nu. 57.* & alii.

119. Septima causa a quibusdam assignatur *cessio bonorum*, qua debitor ea relinquit creditoribus. Veruntamen recte inter alios notat Navarrus *cap. 17. Manual. n. 86.* quod, quamvis Cessio bonorum in Foro externo excuset quoad debita ex contractibus orta, ne debitor propter ea possit conjici in carcerem *arg. l. 1. C. Qui bonis cedere &c.* & quoad nonnullos alios effectus: nihilominus in Foro conscientiæ non magis excuset Cessio bonorum, quam necessitas sine Cessione excusaret. Unde post Cessionem facta cedenti suæ artis instrumenta, & aliqua ad victum judicio boni viri necessaria relinquenda, *l. Qui bonis, ff. de Cessione bonorum*, quæ tamen etiam fiat Cessione retineri possunt, cum nemo pro facienda Restitutione teneatur se spoliare necessariis vitæ, ita ut mendicare cogatur.

120. Præter has principaliores causas, quæ excusant ab obligatione Restitutionis, vel omnino, vel ad tempus, dum constat, certam alioquin adesse obligationem restituendi, dantur variæ aliæ, quæ in tantum excusant, quatenus vel non constat, hic & nunc adesse obligationem restituendi; ut sit, quando ignoratur, vel rationabiliter dubitatur, num res, quam quis possidet, sit aliena, nec ne: Vel quia ob varias circumstantias fit, quod revera obligatio restituendi hic & nunc non incurratur: ut, si quis accipiat alienum in extrema necessitate, vel si quis inferat damnum hostibus, ex eisdemque prædam agat in bello justo, & alia

alia hujusmodi plura, quæ ex propriis locis erunt desumenda. Itaque loquendo solum de prioribus,

121. Octava causa excusans a Restitutione, est *Ignorantia probabilis, vel invincibilis juris, aut facti, quod res sit aliena*. Nam talis ignorantia excusat a peccato, ergo etiam a Restitutione. Porro, quantum ad propositum

122. *Ignorantia probabilis, vel invincibilis facti*, est illa, qua quis probabiliter, vel ex errore invincibili existimat, rem esse suam, quæ revera non est sua: prout fieret, si quis bona fide rem alienam per hæreditatem acquisivit. *Ignorantia juris* est, qua ignoratur, quid sit juris: quando v. g. jus est obscurum, & controversum de aliquo contractu, num sit licitus, nec ne; vel quando quis consulit Viros doctos super obligatione restituendi, qui respondent nullam adesse obligationem, cum tamen revera a parte rei subsit, tunc enim sequens eorum responsum ignorantia juris laboraret.

123. Nona causa excusans a Restitutione, est *Dubium*, quod possidens post adhibitam sufficientem diligentiam in investigando, num res sit sua vel alterius, adhuc habet: siquidem in dubio melior est conditio possidentis, juxta *Reg. 65. Jur. in 6.* Proinde talis vi hujus rationis licite potest retinere rem, quamdiu dubitat, num res illa sit sua, vel alterius. Et hoc ipsum extendere oportet ad dubium circa injustam Damnificationem subortum: unde Lessius *lib. 2. c. 13. nu. 38.* asserit, communem ferme Doctorum sententiam esse, si quis solum dubitet, an causa damni fuerit, v. g. an alios suo consilio, vel laude efficaciter permoverit ad damnum inferendum, nec ne, talem non teneri ad Restitutionem: cum in dubio melior sit conditio possidentis.

124. Plures aliæ causæ, veluti excusantes ab obligatione restituendi adducuntur a Doctoribus, ut dictum *num. 97.* sed præmissæ sunt principaliores: cæteræ vero vel minus ad praxin conducunt, vel rarius occurrunt, quas proinde huc adducere non est necesse.

DISTINCTIO VI.

De Octavo Præcepto Decalogi.

QUÆSTIO I.

De Detractione, & variis ipsam concernentibus.

SUMMARIUM.

1 *Octavo Decalogi Præcepto quæ prohibeantur?*
2 *Honor, & fama differunt; quomodo?*
3 *Detractio, quid?*
4 *Detractio quibus modis fieri possit?*
5 *Ejus gravitas.*
(a) Conformiter dictis Tract. 3. Disp. 2. n. 15.
6 *Detractio formalis, & materialis, quid?*
7 8 9 10 *Casus aliqui, in quibus licitum est manifestare crimen, vel defectus Proximi.*
(b) Tr. 4. Disp. 6. q. 5.
(c) Ut dictum c. Disp. 6. n. 52.
Ratio horum generalis.
11 *Crimen falsum cuipiam imponere, semper est illicitum.*
12 *Solvuntur objecta.*
13 *Utrum audita referens absque asseverationc, & sub dubio, peccet mortaliter?*
14 *Idcirco est rara fides &c.*
15 *Tamen periculosum est talia referre, & quale id peccatum?*
16 *An, qui detractionem audit, peccet mortaliter?*
17 *Quid, si ei detractio non placeat, tamen non resistit?*
18 *Quid, si commode resistere nequeat?*
19 *Detractori quomodo resistatur?*

1. Octavum Præceptum Decalogi *Exodi c. 20.* & *Deuter. cap. 5.* hisce verbis comprehenditur: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Eoque juxta communem Doctorum sententiam prohibetur omnis injustitia & injuria, quæ Proximo verbis inferri potest: ut sunt, Detractio, Contumelia, Convitium, Irrisio, Susurratio, Mendacium, & hujusmodi, quæ sub falso Testimonio contra Proximum tanquam sub principaliori comprehenduntur, ut notat D. Thomas *2. 2. q. 122. ar. 6.* De quibus proinde breviter in hac Distinctio-

ctione tractandum erit, incipiendo a Detractione: cujus natura ut exactius intelligatur,

2. Advertendum est, quod quamvis Honor, & Fama quandoque sumantur pro eodem, revera tamen differant. Nam *Fama bona* est communis opinio virtutis, sapientiæ, & rerum præclare gestarum alterius; *Honor* autem est testimonium excellentiæ alterius. Item Fama consistit in interiore opinione, & dum exit in opus exterium, dicitur Laus, vel (loquendo de mala fama) Vituperatio. Honor vero consistit in externa significatione nostræ existimationis de excellentia alterius: unde supponit opinionem excellentiæ ipsius, & intentionem exterius per aliquod signum eam testificandi: quod si deesset ejusmodi opinio excellentiæ, atque intentio exterius eam testandi, potius foret illusio, quam honor. Hoc prænotato, sit

3. CONCL. I. Detractio est alienæ famæ occulta & injusta læsio, seu denigratio. Ita in re communis. Duo quippe requiruntur ad Detractionem. Primo, ut aliquid dicatur, quod alterius famam & existimationem, quam possidet in animo Proximi, extinguere, aut minuere valeat. Deinde, ut fiat occulte, saltem juxta intentionem dicentis: si quis enim in præsentia alicujus, famæ ejusdem detrahere intendat, jam non erit simplex detractio, quæ directe lædit famam, sed Contumelia honorem alterius in coram violans.

4. CONCL. II. Detractio potest fieri dupliciter, directe videlicet, & indirecte. Ita D. Thomas 2. 2. q. 73. *ar. 1. ad 3.* & alii. Directe quidem fit Detractio quatuor modis. I. Imponendo crimen falsum. II. Amplificando, seu exaggerando crimen verum. III. Pandendo crimen occultum. IV. Sinistre interpretando opus bonum alterius, dum scilicet quis coram aliis factum alterius sinistre interpretatur. Indirecte etiam contingit Detractio quatuor modis. I. Negando recte facta, vel dotes alterius. II. Ea extenuando. III. Tacendo bona alterius eo loco, & tempore, quo tuum silentium alii interpretantur tacitam vituperationem. IV. Simulate, & frigide laudando; ut quando quis simulat se velle laudare aliquem, & tamen nihil affert laude dignum.

5. CONCL. III. Detractio ex genere suo est peccatum mortale contra Justitiam, gravius quidem furto, sed levius homicidio. Ita Doctores communiter; & ratio est: quia lædit Proximum in bono plurimum gravi, quodque præstantius est pecunia, juxta illud *Prov. 22. Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ.* Item *Ecclesiastici 41. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni.* Unde & Poeta canit:

Omnia si perdas, famam servare memento.

Dicitur notanter in Conclusione, *ex genere suo*: Siquidem Detractio sæpe est peccatum duntaxat veniale, vel ob levitatem materiæ, vel ob imperfectionem actus. (a)

6. CONCL. IV. Detractio recte dividitur in formalem, & materialem. Ita communis. Et quidem *Detractio formalis* est, quæ fit ex intentione, & proposito, alienam famam denigrandi: quæ utique est peccatum mortale, si quis graviter famam Proximi lædere intendat. *Detractio materialis* est, quando quis expresse non intendit lædere famam Proximi, sed ex quadam loquacitate narrat peccata, vel defectus ipsius, unde læditur bona fama ejus. Cæterum circa hoc posterius membrum est notandum, quod licet Detractio materialis tam perfectum voluntarium non habeat, sicut formalis, ac proinde frequenter ob actus imperfectionem a peccato mortali excusetur; adhuc tamen sit peccatum mortale, si id, quod advertenter narratur, famam Proximi graviter lædat. Ratio est: quia, etsi expresse quis non intendat lædere famam Proximi, adhuc tamen implicite & in sua causa hoc intendit, dum vult illud, unde per se gravis læsio sequitur.

7. Quæritur I. An in nullo casu licitum sit, manifestare occultum crimen, vel defectus proximi? Resp. dari aliquos casus, in quibus id fieri potest absque vitio Detractionis. Sic in primis Detractio non est, si quis servato modo correctionis fraternæ patefaciat testibus, vel Superiori crimen fratris, ut emendetur; de quo jam supra. (b)

8. Deinde licitum est, manifestare crimen alterius occultum ad impediendum notabile damnum Proximo impendens, sive temporale, sive spirituale, quando id ad hoc necessarium est. (c) Hinc si novi, Titium esse furem, possum monere eos, quibuscum habitat, ut sibi caveant; & sic de similibus.

9. Insuper, quando agitur de Officio, vel Beneficio conferendo, de Matrimonio contrahendo, de Religione suscipienda, possunt justa impedimenta, etsi cæteroquin occulta, manifestari, si ex illis notabile incommodum merito timeri possit.

10. Si-

10. Similiter licitum est, ejus, qui fictis virtutibus famam sibi paravit, simulationem aperire, si ea vergat in alicujus detrimentum: ut si quis simulet se peritum Advocatum, Medicum, Confessarium, Pharmacopolam &c. & constet mihi, non esse talem. Lessius *l. 2. c. 11. dub. 9.* & alii. Ratio horum omnium generalis est: quia nemo habet jus tuendæ famæ suæ cum tanto damno, Proximis injuste obventuro: ergo in præmissis casibus non committitur Detractio, utpote quæ est alienæ famæ injusta læsio, qualis ibi non intervenit.

11. Cæterum hactenus dicta intellige de crimine, aut defectu cæteroquin vero, licet occulto. Nam crimen falsum cuipiam imponere, semper est illicitum, & in materia gravi mortale: falsitatem enim proponere, in nullo casu licitum existit; cum mendacium sit intrinsece malum, & si sit in materia gravi, peccatum mortale. Unde non immerito Innocentius XI. sequentes duas damnavit Propositiones, quarum prior, ordine 43. sic habet: *Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam falso crimine elidere?* Altera, ordine 44. taliter sonat: *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non est probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia.*

12. Nec dicas: Æque prohibitum est, detrahere proximo manifestando crimen grave occultum illius, ac imponendo illi crimen falsum; ergo si hoc non licet, neque illud licitum erit etiam pro impediendo gravi damno nostro, Reipublicæ, aut aliorum. Resp. enim negando suppositum: nam manifestare crimen verum, sed occultum Proximi, ex justa causa, ut puta ad impediendum grave damnum nobis, Reipublicæ, aut tertio impendens, quodque alia ratione impediri nequit, non est detrahere, ut dictum *n. 8. 9. & 10.* At imponere grave crimen falsum, vel est mendacium grave, & lethale; vel etiam est contra justitiam, prout post D. Thomam *2. 2. q. 69. art. 2.* notat Jo: Cardenas ad dictas Propositiones Innocentii XI. *c. 3. & 4.*

13. Quæres II. Utrum audita, vel alia quælibet referens absque asseveratione, & sub dubio, peccet mortaliter, & teneatur ad Restitutionem? Hanc Quæstionem ex professo tractat, & subtiliter resolvit Scotus *4. d. 15. q. 4. art. 1.* quem sequitur Layman *l. 3. tract. 3. part. 2. c. 3. n. 7.* cum aliis.

14. Et quidem in primis respondet Doctor noster; si quis non imponit in publico crimen alteri, sed murmurat, vel indiscrete loquitur, vel alicui coram multis narrat, tamen non tanquam sibi certum, sed sic se audivisse &c. quod idcirco rara fides sit: quia multi multa loquuntur. Et ideo dicens, se tantum audivisse, nisi ex modo dicendi offendat aliquam majorem certitudinem, quam ex communi relatione, non aufert alteri ex natura actus bonam famam: quia si audientes firmiter credant, illud, de quo sermo est, esse criminosum, id ex eorum levitate accidit, quia, *Qui credit cito, levis corde est. Eccles. 19. Ecclesiastici c. 10.*

15. Addit deinde Doctor Subtilis *l. c.* cum a scandalo pusillorum oporteat cavere, & multi sint tales pusilli, leves ad credendum mala de Proximis; ideo periculosum esse, eis talia audita ex relatu referre. Quod si vero hoc fiat animo malo, lædendi scilicet alterius famam, non est facile excusare, quin sit contra Charitatem, & per consequens peccatum mortale. Si autem fiat coram talibus ex inconsideratione, durum est dicere, quod exeat genus peccati venialis: quia lingua in lubrico posita est; & *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir. Jacobi cap. 3.*

16. Quæres III. An, qui detractorem audit, peccet mortaliter, & ad Restitutionem teneatur? Resp. I. Qui audit detractiones absque resistentia, videtur detractori consentire: unde sit particeps peccati ejus: & siquidem ipsum inducat, vel excitet ad detrahendum, aut placeat ei Detractio propter odium illius, cui detrahitur, non minus peccat, quam detrahens, imo quandoque magis. Ita D. Thomas *2. 2. q. 73. ar. 4.* cum communi. Unde D. Bernardus *l. 2. de Consideratione*, sub finem, ait: *Detrahere & detrahentem audire, quid horum detestabilius sit, non facile dixerim.* Ratio est: quia talis non solum peccato alieno, id est, Detractioni, consentit, in eoque sibi complacet, sed & quandoque ad ipsum inducit; unde si ita inducit, gravius peccat quam detractor ipse.

17. Resp. II. Si non placeat ei Detractionis peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus, quam detrahens, & plerumque venialiter, licet quandoque etiam peccatum mortale esse possit. Ita Doctor Angelicus *l. c.* cum aliis.

18. Sed

18. Sed hoc intelligendum est, dummodo quis absque incommodo possit Detractionem impedire: nam si commode detrahentem corrigere non possit, Detractionem impedire non tenetur, sicque nullatenus peccat; quia Charitas cum gravi incommodo non obligat, prout passim notant Doctores. Hinc sequitur, quod is, qui sibi grave damnum timet corrigendo, ut puta injurias, aut verbera; vel rationabilem habet verecundiam, eo quod sit filius, aut famulus detrahentis, vel nullius auctoritatis respectu illius, non teneatur ei resistere, aut ipsum corrigere. Idem dicendum, si probabiliter existimat, suam monitionem nihil profuturam.

19. Caterum resistitur detractori, vel redarguendo ipsum modestis verbis, ut puta, quod quis peccet detrahendo fratri; vel discursum interrumpendo, aut si fieri potest, aliorsum divertendo; vel saltem ostendendo per tristitiam faciei, quod sibi displiceat Detractio: quia, ut dicitur *Prover.* 25. *Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.*

QUÆSTIO II.

De Contumelia.

SUMMARIUM.

20 *Contumelia, quid?*
21 *Ea tribus modis accidit, quibus?*
22 *Est ex genere peccatum mortale.*
23 *Per accidens tamen potest fieri veniale.*
24 *Leve convitium quando fieri possit sine omni peccato?*
25 *Alii tales casus.*

20. CONCL. I. *Contumelia à contemnendo dicta est, cujus injuria, qua alicujus præsentis honor & existimatio palam violatur.* Ita in re communis. Differt autem Contumelia a Detractione, quod hæc directe famam lædat, Contumelia honorem. Detractio insuper fit occulte, & in absentia, sicuti furtum: Contumelia vero fit palam, & in faciem, ut rapina; aut clam quidem, sed ea intentione, ut veniat ad notitiam ejus in quem conjicitur: prout contingit per Scripturas, ac Libelles famosos.

21. CONCL. II. Contumelia tribus modis accidit, verbo, scripto, & facto. Et quidem sub Contumelia, quæ fit verbo, comprehenditur Convitium, Improperium, & Maledictum. Contumelia, quæ scripto fit, animo infamandi, *Libellus famosus* in Jure appellatur. Ad Contumeliam tandem quæ facto fit, v.g. honoratum Virum verberando, domi includendo, pertinet Irrisio, & subfannatio.

22. CONCL. III. Contumelia ex genere suo est peccatum mortale. Ita Doctores unanimiter, & patet ex illo Salvatoris *Matth.* 5. *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Nam, ut inter alios explicat hunc locum Cornelius a Lapide, sub ly *Fatue* hic intelliguntur reliqua convitiorum, dirarum, calumniarum, probrorum, & imprecationum genera: quæ sunt peccata mortalia, si valde Proximum dehonorent, aut ex animo graviter nocendi cupido proferantur.

23. Dicitur, *ex genere suo:* Siquidem verbum contumeliosum per accidens potest fieri veniale, tum ob defectum voluntarii, ac indeliberationem actus; tum ob levitatem materiæ, si minimum Contumelia vel in se ipsa levis sit, vel saltem cum habitudine ad personam, cui infertur, vel a qua infertur. Nam eadem Contumelia, quæ erga dominum, patrem, virum gravem & honoratum prolata, foret peccatum mortale; erga subditum, fœminam, vel puerum, veniale esse potest. Similiter viro gravi ac honorato dicere, *Fatue*, est gravis Contumelia; vili vero & stupido, qui revera est fatuus, erit levis.

24. Imo notant Doctores cum D. Thoma 2. 2. q. 72. *ar.* 2. joci causa, & ad convenientem animi recreationem, non vero ad dehonorationem Proximi, dicere aliquod leve convitium, aut leves alicui defectus objicere, posse pertinere ad Eutrapeliam, ac fieri sine omni peccato: dummodo debitæ circumstantiæ adhibeantur, nec periculum adsit Proximum contristandi, vel ad iram commovendi. Alioquin enim stante tali periculo dicere Proximo convitium, repugnaret Charitati.

25. Insuper justæ objurgationis, correctionis, ac disciplinæ causa, parentes licite filios suos, magistri discipulos, domini servos durius per verba convitii seu contumeliæ pungunt, castigant, & increpant; dummodo moderate ad justam correctionem id fiat. Sic quippe Christus Dominus Petrum vocavit *Satanam Matt.* 15. Et Paulus *ad Galatas cap.* 3. vocat eos *insensatos*: rursumque Christus duos discipulos, euntes in Emmaus, vocavit *stultos & tardos corde*. Cujus rationem dat Doctor Angelicus *l. c.* Quia sicut licitum est, aliquem verberare & flagellare virgis, causa disciplinæ, ita etiam verbis. Tamen, ut bene idem cum S. Augustino *lib.* 2. *de Sermone Domini in Monte, c.* 30. observat, raro, & non nisi ex magna necessitate, hujusmodi objurgationes sunt adhibendæ.

QUÆSTIO III.

De Convitio, Improperio, Maledicto, Irrisione, Subsurratione, ac Libello famoso.

SUMMARIUM.

26 *Convitium, quid, & quomodo differat a Contumelia?*
27 *Improperium, quid?*
28 *Maledictum, seu Maledictio, quid?*
29 *Unde ejus malitia dimetienda?*
(d) Adde dicta Tract. 4. Dist. 7. n. 23. & 14.
30 *Irrisio, seu Derisio, ac Subfannatio, quid?*
31 *Susurratio, ejusque gravitas, qua?*
32 *Libellus famosus, & quæ ejus pœna?*

26. QUantum ad *Convitium* attinet, Convitium sæpe confunditur cum Contumelia; stricte tamen loquendo differt ab ipsa per hoc, quod per verba contumeliosa culpam repræsentetur, atque exprobretur defectus culpæ, v.g. quod sit fur, adulter, dæmonium habens: per Convitium vero exprobretur defectus pœnæ, vel naturæ. Unde si quis alicui injuriose objiciat, cum esse cœcum, Convitium quidem dicit, sed non Contumeliam infert, stricte loquendo: si vero ipsi dicat, quod sit fur, non solum Convitium, sed etiam Contumeliam infert. Verum, ut jam dictum est, Convitium, & Contumelia non raro sumuntur pro eodem.

27. *Improperium* exprobrat proximo defectum minorationis, seu indigentiæ. Et tunc proprie fit, quando aliquis injuriose alteri ad memoriam reducit auxilium, quod contulit: incessitatem patienti; de quo dicitur *Ecclesiastici* 26. *Exigua dabit, & multa improperabit.*

28. *Maledictum*, seu *Maledictio*, quandoque sumitur pro dictione cujuslibet convitii, & mali in Proximum, & in hac acceptione tam ampla in proposito non sumitur. Proprie tamen illud accipiendo, ac prout est speciale vitium, *Maledictum* est imprecatio mali pœnæ facta alicui: ut si cuipiam quis imprecetur diabolum, fulgura, vel alia hujusmodi mala.

29. Hujus peccati malitia, potissimum dimetienda est ex advertentia, deliberatione, animoque proferentis: nam si ex inconsideratione, vel fine pravo animo, proferantur ex ira subito talia verba Maledictionis, non illico censendum est, committi peccatum mortale; nisi id fiat deliberate, & pravo animo, juxta sæpe jam allatam doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 73. *ar.* 2. quod *peccata verborum maxime sunt ex intentione dicentis dijudicanda.* (d)

30. *Irrisio*, seu *Derisio*, significat risum cum alterius contemptu: unde intendit erubescentiam, seu confusionem derisi. Et per hoc Irrisio differt ab aliis linguæ vitiis: atque continet interdum culpam levem, nonnunquam graviorem, aliquando etiam lethalem, pro contemptu & dignitate illius personæ, cui irridetur, & magnitudine turpitudinis ad jocum arreptæ. Huc pertinet *Subfannatio*, quæ contingit gestibus derisoriis; ut naso contracto, vel rugato, & hujusmodi: qualia multa contigerunt Christo Domino in sua Passione, præsertim tempore Coronationis spinæ *Matth.* 26.

31. *Susurratio* est peccatum linguæ, dum quis occulte de Proximo male loquendo, odium ejus, ac dissensionem animorum molitur: nam finis Susurrationis, est discordiarum inter amicos disseminatio. De gravitate hujus vitii linguæ differens Doctor Angelicus 2. 2. q. 74. ait: quod quanto amicitia præstat famæ, tanto Susurratio, per quam amicitia tollitur, sit gravius peccatum Detractione; cum peccatum in Proximum tanto sit gravius, quanto per ipsum majus nocumentum Proximo infertur: intelligo, ex genere suo, ac cæteris paribus. Hinc *Ecclesiastici* 28. dicitur: *Susurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbavit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit, & dispersit illos de gente in gentem &c.* Et enarratis multis aliis gravissimis ejus malis, subditur: *Qui respicit illam, non habebit requiem, neque habebit mansionem, cinque requiescat.*

32. *Libellus famosus* est scriptura, quæ infamiam alicujus continet nondum publicatam, ut edatur, & publica fiat. Pœna componentis, seu proficientis Libellum famosum (quam etiam incurrit, qui Libellum famosum invenit, & non scindit, sed manifestiat

stat aliis) de Jure Civili est pœna capitis *l. un. C. de Famosis libellis*, & alibi. Quod intelligendum est, quando Libellus continet aliquid grave, quod si infamatus commisisset, crimen esset morte. Ex quo patet gravitas Libelli famosi.

QUÆSTIO IV.

Quibus modis Fama, vel Honor injuste ablatus refarciri possit, ac debeat?

SUMMARIUM.

33 *Falsum crimen scienter imponens, quomodo restituat?*
34 *Crimen verum, sed occultum revelans, quomodo restituere possit?*
35 *Injuste infamans tenetur ad damnorum in Bonis temporalibus illatorum recompensam.*
36 *Honor injuste ablatus, quomodo refarciri valeat?*
37 *Quando tunc requiratur venia petitio, nec ne?*

33. CONCL. I. Si quis falsum crimen scienter Proximo imposuit, oportet, ut restituat famam retrahendo verum suum apud eos, quibus dixerat, & ad quos infamia criminis pervenit. Ita D. Thomas 2. 2. q. 62. *art.* 2. Scotus 4. *dist.* 15. q. 4. & communis. Ratio est: quia hoc exigit Justitia in reddendo Proximo, quod suum est: quæ alias non servaretur. Interdum tamen satis erit, si infamator dicat, se fuisse deceptum, aliter rem sese intellexisse &c. dummodo per hoc famæ Proximi sufficienter caveatur.

34. CONCL. II. Si Detractio committitur revelando verum crimen, sed occultum, non servato ordine Juris, talis Detractor non quidem tenetur retractare verbum suum, dicendo, se esse mentitum, aut falsum dixisse &c. (quia hoc faciendo mentiretur, quod nulla de causa est licitum, multo minus præceptum) nihilominus tenetur is alio licito modo facere restitutionem, dicendo v.g. *Non credatis, me esse talem, male enim dixi, aut falsa dixi &c.* Hæc enim vera sunt: nam talis male, & falsa dixit, dum peccatum occultum Proximi in publico propalavit, non servato ordine Juris. Ita Doctor noster *l. c.* & alii.

35. CONCL. III. Qui alterum injuste infamavit, ita ut ex infamia alteri aspersa secutum sit damnum in bonis temporalibus, tenetur etiam damni illati compensationem facere. Ita Lessius *lib. 2. c. 11. dub. 19.* cum aliis. Ratio est: quia ejusmodi infamatio est actio injuriosa: atqui omne damnum, quod Proximo infertur per actionem injuriosam, est restituendum; ergo. Hinc si quis injusta sua infamatione causa fuit, quod alter Officio, vel Dignitate sua privatus fuerit, aut illud non assecutus, tenetur pro possibili tale damnum recompensare, restituendo, quantum valebat illud Officium &c. vel spes illud obtinendi, boni viri arbitrio, prout uberius declaratum est supra *dist. 5. n. 81. 82. & seq.*

36. CONCL. IV. Quantum attinet ad obligationem restituendi honorem, per Contumeliam, & alia peccata linguæ injuste ablatum, potest id duplici modo refarciri, uno modo per externam aliquam obsequii exhibitionem, & declarationem absque ulla expressa petitione veniæ: alio modo condonatione, quæ vel sponte fit ab inhonorato, vel prævia humili veniæ petitione per inhonorantem facta. Ita Mastrius *disp. 8. Theol. Mor. n. 70.* cum aliis.

37. Cæterum, an sufficiat primo dumtaxat modo restituere honorem, vel insuper requiratur expressa veniæ petitio, non potest absolute decidi, sed id ex gravitate injuriæ, & conditione personæ offensæ, aliisque circumstantiis prudentis viri judicio definiendum est. Siquidem, si Superiores, vel Prælati, aliquando inferiores vel plebejos contumelia afficiant, non decet veniam ab istis petere, ne frangatur regendi authoritas: sed sufficit, si benigne eos tractent, ac signis vel factis ostendant, se illos non despicere. E contra vero, si injuria adeo gravis sit, & a subdito Superiori, vel a plebejo cuipiam Nobili, aut alii Viro multum honorato, quem forsan fuste percussit, illata, ita ut alio modo compensari non possit talis injuria, nisi veniam petendo, & inhonoratus aliam satisfactionem suscipere nolit, nisi veniæ petitionem, tunc offendens tenetur illam petere. Alioquin autem, quando aliter, quam per veniæ petitionem, honor restitui potest, nemo ad veniam petendam cogendus est: sed ad eum modum, qui est in consuetudine, atque a prudentibus sufficiens judicatur. Mastrius *loc. cit.* & alii.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De Causis excusantibus a Restitutione Famæ, & Honoris.

SUMMARIUM.

38 *Varia causa excusantes a Restitutione famæ, aut Honoris.*
39 *Regulæ tres circa hoc observandæ.*
40 *I. Causa excusans a Restitutione Famæ, si infamia non fuit secuta.*
41 *II. Si verbum, aliquin infamans, jam abiit in oblivionem.*
42 *III. Si Fama aliunde recuperata fuit.*
43 *IV. Si crimen occultum, alia ratione publicum evaserit.*
44 *V. Si Restitutio Famæ facta sit impossibilis.*
45 *VI. Si ea nequeat fieri absque periculo vitæ.*
46 *VII. Vel non sine amissione Famæ majoris momenti.*
47 *VIII. Causa excusans, est justa condonatio.*
48 *IX. Compensatio justa.*
49 50 51 52 53 54 55 *Adhuc plures alia causæ excusantes.*
(c) Juxa dicta n. 14.

38. VArias causas passim enumerant Theologi, propter quas cessat obligatio restituendi Famam, aut Honorem, ut videre est apud Lugonem *disp. 15. de just. & jure, sect. 2.* Lessium *lib. 2. c. 11. dub. 26.* Mastrium *disp. 8. Theol. Mor. n. 71. & seqq.* Reginaldum *l. 10. c. 23.* & alios passim. Verum antequam hæ enumerentur,

39. Advertendum generaliter, certum esse ex communi Theologorum sententia, ad hoc, ut Fama per detractionem lęsa (idem servata proportione dicendum de Honore) sit restituenda, hasce tres conditiones concurrere debere. I. Ut Fama Proximo re ipsa sit ablata. II. Ut sit injuste ablata. III. Ut non fuerit aliunde jam recuperata. Ex defectu harum conditionum, aut saltem unius vel alterius earundem, diversæ oriuntur causæ excusantes a Restitutione Famæ & honoris; quamvis etiam ex aliis capitibus nonnullæ suboriantur.

40. Prima igitur causa, excusans a restitutione Famæ, est: Si revera ex cujuspiam oblocutione nulla fuit infamia secuta: quia nimirum, vel infamator nullius erat fidei (quod sæpe accidit) ac proinde ejus dictis audientes fidem non adhibuerunt; vel quia illi, apud quos infamavit, jam sciebant crimen illud, vel saltem (ut loquitur Lessius) jam sciebant similia, ita ut infamia non fuerit notabiliter aucta. Ratio est clara: quia, quod re ipsa ablatum non est, hoc ipso restitui non debet.

41. Secunda causa a Restitutione Famæ excusans, est: Si id, quod contra bonam famam alterius quis locutus est, jam in oblivionem abiisse prudenter existimatur. Ita rursum communis; & ratio est: quia in tali casu fama jam censetur recuperata, vel certe damnum illatum omnino evanuisse. Imo velle se retractare coram illis, apud quos alter diffamatus fuit infamia jam in oblivionem abeunte, non tam esset famam restituere, quam rursus infamare: sic enim revocaretur in memoriam crimen illud, quod ab eorum memoria jam exciderat; unde plus nocumenti sequeretur, quam utilitatis Proximo.

42. Tertia causa est: Si Fama ablata, jam fuit recuperata per aliam viam. Hæc enim est una ex conditionibus ad obligationem restitutionis famæ requisitis, ut constat ex supra dictis. Id autem fieri potest vel virorum gravium testimonio, vel si infamia vitæ probitate penitus sit absterſa, aut alio consimili modo.

43. Quarta est: si crimen occultum, quod aliquibus revelasti illicito modo, ac injusto (nam si licite, ac justa de causa id factum est, nulla subest obligatio restitutionis) alia ratione fiat publicum, cessat obligatio restitutionis. Ratio est: quia talis, postquam crimen suum publicatum fuit, amisit jus ad famam, ita ut nemo ex justitia teneatur amplius priorem existimationem de illo retinere; & consequenter neque tu teneris ei ex Justitia famam restituere, postquam tale crimen aliunde publicatum est.

44. Quinta causa excusans est: Si Famæ Restitutio facta sit impossibilis. Ratio est manifesta: quia ad impossibile nemo tenetur.

45. Sexta est: Si Restitutio Famæ non possit fieri sine periculo vitæ. Ratio est: quia generatim nemo tenetur restituere bona ordinis inferioris cum detrimento bonorum ordinis superioris: vita autem est bonum altioris & superioris ordinis, quam sit fama. Hoc tamen intelligendum est, nisi & alteri ex tali infamia damnum æquale, vel etiam majus emergat in bonis ordinis superioris, nem-

annexe in spiritualibus, aut vita corporali: tunc enim secus foret dicendum, & adesset obligatio restituendi.

46. Septima est: Si non possit fieri restitutio sine amissione Famæ, quæ sit longe majoris momenti; ut si Prælatus, vel Vir illustris infamavit plebejum, non tenetur cum jactura sui nominis, aut notabili detrimento propriæ honoris revocare; sed sufficit, ut illum laudet in eo genere virtutis, ubi se infamavit, vel alio meliori modo famam restituat, quo sine jactura propriæ famæ id facere potest. Ratio est: quia ille plebejus non potest cum ratione exigere, ut talis Prælatus, Reipublicæ adeo utilis, famam suam tanti momenti amittat; sed debet esse contentus laude, humanitate, aut etiam aliqua pecuniaria compensatione, judicio prudentum facienda.

47. Octava, est justa condonatio: intelligo, quæ ab eo facta est, cujus infamia non redundat in alios. Ratio est: quia homo est dominus propriæ famæ, & honoris; ergo, si infamatio ipsum solum tangat, nec redundet in alios (secus foret, si infamia redundaret in alios) potest cedere juri Restitutionis famæ, cujusque obligationem alteri condonare, præsertim propter Deum, aut alium finem honestum.

48. Nona, est justa compensatio: ut si ab eo, quem infamavi, pari modo sis infamatus. Hoc tamen intelligendum, non quod talis vicissim possit alterum licite infamare (nec enim foret manifesta vindicta, quam nemo privata authoritate potest facere; simulque, ut dicitur 1. *Petri* 3. debemus esse *non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto*) sed solum, quod talis alium injuste infamans, a quo antea injuste fuerat infamatus, non teneatur ei ad restitutionem, si alter sibi restituere nolit; cum possit uti compensatione, servata tamen æqualitate, quantum fieri potest.

49. Decima est: Si bona fide persuasus, esse verum & publicum, narrasti aliquid, & Proximum diffamasti, nec possis sine propria infamia, vel magno damno fortunarum restituere, non teneris famam cum tali tuo incommodo restituere. Ratio est: quia tale damnum absque tua culpa intulisti, hoc ipso, quod id bona fide narraveris. Porro causæ hactenus enumeratæ sunt principaliores, quamvis nonnullæ aliæ ab Authoribus referantur: si quidem ulterius, ut notat Reginaldus *l.c. sect.* 2. atque

50. Undecimo cessat obligatio Restitutionis Famæ, vel Honoris, quando ex tali Restitutione imminet periculum peccati mortalis, vel gravis scandali aliorum. Ratio est: quia res ordinis inferioris non sunt restituendæ cum jactura rerum ordinis superioris: atqui bona animæ procul dubio sunt bona ordinis altioris, quam bona famæ; ergo. Verum Casus hic vix habet locum, nisi forte persona infamans fuerit omnino magnæ Authoritatis, ita ut ex ejus peccato manifestato timeatur merito scandalum aliorum.

51. Duodecimo. Quando is, qui alterum infamavit, fecit id propter ipsius bonum spirituale: ut quando peccatum ejus retulit Prælato, aut alteri, qui poterat illum juvare, nec vellet objecisse. Sed talis revera alterum injuste non diffamavit; unde nec mirum quod ad restitutionem non teneatur.

52. Decimo tertio. Cum id, quod aliis dixi, erat indifferens, & poterat tam in bonam, quam in malam partem accipi, sed qui audiunt, interpretati sunt in malam partem. Ratio est: quia id ex audientium malitia contingit, nam cæteroquin verba & facta in partem meliorem sunt interpretanda, juxta legem Charitatis de diligendo Proximo.

53. Decimo quarto. Quando quis solum narravit audita, & dixit, se audivisse, nihil addendo, ex quo faceret credulitatem. Nam talibus dictis rara fides adhibetur, & si adhibeatur, id potius ex audientium levitate contingit: quia *qui cito credit, levis est corde*. *Ecclesiastici* 19. (c)

54. Decimo quinto. Quando quis ita narrat crimen alterius, ut simul narret pœnitentiam, quam egit. Hoc tamen monet Reginaldus procedere tantum, quando talis narratio gloriam Dei concernit: prout S. Thomæ Apostoli incredulitas, S. Petri trina negatio, & aliorum quorundam crimina, simulque pœnitentia, crebro recensentur ad Fidelium ædificationem.

55. Decimo sexto. Quando quis alterum infamat tantum in occasione semota, & per accidens: ut si quis jocans cum aliquo, illi crimen objiciat, quod putat, non esse ab ipso commissum, & ipse vociferando, atque indignando conqueratur vehementius, ex quo alii suspicantur, aut credunt, eum esse talis criminis reum.

QUÆ.

QUÆSTIO VI.

De judicio temerario, Suspicione, & Dubitatione.

SUMMARIUM.

56 *Hæc tria differunt. Dubitatio.*
57 *Suspicio, &*
58 *Judicium, quid?*
59 *Suspicari vel judicare de Proximo ob sufficientia improbitatis indicia, per se peccatum non est.*
60 *Tutius tamen est, animam ab hoc cohibere.*
61 *Conclusio declaratur.*
62 *Judicium temerarium est peccatum ex genere suo mortale.*
63 *Idque ulterius probatur.*
64 *Temere de Proximo malum suspicari per se est veniale.*
65 *Per accidens tamen potest fieri mortale.*
66 *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda, & qualiter.*
67 *Idipsum amplius declaratur.*

56. COntra octavum Præceptum Decalogi etiam contingit peccari per judicium temerarium, ac sinistram Suspicionem de Proximo: Nam & hæc pertinent ad falsum testimonium, si non ore, saltem corde contra Proximum prolatum. Ubi prænotandum, quod hæc tria, videlicet, Dubitatio, Suspicio, & Judicium inter se differant. *Dubitatio* quippe non est verus assensus, sed veluti Suspensio animi in neutram partem sese determinantis, ac veluti in anciptiti hærentis.

57. *Suspicio* est assensus debilis, junctus cum dubitatione de opposito, & hæc postmodum subdividitur in suspicionem levem, gravem & violentam: quarum prior valde debilem assensum, multum vero dubitationis continet; altera e contra, quæ & *Suspicio vehemens* appellatur, plus habet assensus, & parum dubitationis. *Suspicio violenta* tandem (quæ *in cap. ex litteris 12. de Præsumpt.* appellatur *violenta & certa suspicio*) idem est, ac præsumptio violenta; qualis propemodum omnem excludit dubitationem, & fidem integram atque credulitatem ex conjecturis, seu indiciis haustam producit. Navarr. *in Can. si quis n.* 8. *& 9. de pœnit. dist.* 7. Layman *lib.* 3. *fol.* 5. *tract.* 3. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 2. citans alios.

58. *Judicium* est firma animi sententia, *Reiffenstuel Theol. Moral.* seu assensus. Atque istud aliquando est prudens, si nimirum comitatur sufficientibus indiciis seu conjecturis ad generandum firmum assensum de alterius probitate, vel improbitate. Aliquando est imprudens, seu *temerarium judicium*, nempe quod ejusmodi sufficientibus indiciis non innititur. Atque hoc ipsum servata proportione dicendum de Suspicione, & Dubitatione, quarum utraque vel est prudens, vel temeraria, si innititur, vel non innititur sufficientibus ad rationabiliter dubitandum, vel suspicandum, indiciis. Quibus prænotatis sit.

59. CONCL. I. Suspicari, vel judicare de Proximo, ubi sufficientia improbitatis indicia se produnt, per se loquendo nullum est peccatum. Ita Navarr. *in Commentario in Rubric. de Judiciis, n.* 47. Azor. *part. . . lib.* 3. *c.* 11. *q.* 3. Laym. *loc. cit. n.* 4. & communis. Ratio est: quia in tali casu, ubi sufficientia adsunt improbitatis indicia, Proximus amisit jus bonæ suæ existimationis respectu illius, cui crimen est cognitum ex illis sufficientibus signis; unde iste taliter suspicando, vel etiam judicando, neque peccat contra charitatem proximi, neque contra justitiam. Idipsum patet *ex Can. Quod suspicari, 3. q.* 5. & *c. suspicionis, 59. de Offic. delegat.* cum similibus; ubi licite ac juste ob legitima indicia nunc Judices, nunc Testes, aliique possunt recusari. Quod etiam de peccato Proximi licitum sit judicare, ubi adsunt sufficientia ejus indicia, patet vel ex ipsa praxi publicorum Judiciorum, atque Magistratuum, qui ex Officio tenentur judicare de peccatis subditorum.

60. Fatendum tamen, quod extra casum necessitatis, vel utilitatis, tutius sit, animum a suspicionibus, & indiciis circa peccata aliena penitus cohibere: idque ob periculum errandi, cum facile contingere possit, ut decipiamur circa sufficientiam indiciorum, & ubi etiam talia adsunt, adhuc dubitari possit de operantis intentione, quæ soli Deo nota existit.

61. Dicitur in Conclusione, *ob sufficientia indicia*: Nam, si quis concipiat majorem, quam indicia præmereantur suspicionem, peccat, non quidem quia suspicatur; sed quia plus, quam causa suspicandi exigit, suspicatur. Navarrus *cit. n.* 47. Et additur, *per se loquendo*: Siquidem per accidens pluribus ex causis potest reddi illicitum tale judicium, vel Suspicio: ut si quis exinde concipiat grave odium erga Proximum, & hujusmodi.

62. CONCL. II. Judicium temerarium de proximo in materia gravi deliberate conceptum, est peccatum ex genere suo mortale. Ita D. Thomas 2. 2. q. 60. *art.* 3. illud inter alia probans ex illo 1. *Cor.* 4. *Nolite ante tempus judicare*, ubi Glossa, desumpta ex S. Augustin. *tract.* 90. *in Joan.* Subdit: *Et si ergo suspiciones omnino vitare non possumus, quia homines sumus, judicia tamen, id est diffinitivas firmasque sententias continere debemus.* Idipsum docet Layman *ubi supra num.* 5. Angelus *in Summa verb. Judicium. n.* 17. & alii communiter. Ratio est: quia hoc repugnat præcepto Charitatis Proximi, quo tenemur diligere proximum tanquam nosmetipsos; ac proinde non temere, & sine sufficiente judicio, de ejus improbitate judicare, sed actus ejus in partem meliorem interpretari, sicut vellemus nobismetipsis fieri. Idipsum repugnat virtuti Justitiæ: nam quisque habet jus ad bonam existimationem sui, donec per sufficientia signa demonstretur malus: ergo temere, seu absque sufficienti indicio, firmam de ipsis improbitate concipere sententiam, eumque in corde suo condemnare, repugnat virtuti Justitiæ: sicque est peccatum ex genere suo mortale.

63. Unde ad indicandam hujus vitii, seu judicii temerarii gravitatem, Christus *Matth.* 7. & *Luc.* 6. dicere dignatus est: *Nolite judicare, & non judicabimini: Nolite condemnare, & non condemnabimini.* Nam ibidem Sermonem esse de judicio temerario, patet ex sequentibus verbis: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui &c.* ponderando ly *Festucam*. Item *Jac. c.* 4. *Qui detrahit Fratri, aut qui judicat fratrem, detrahit legi, & judicat legem*, cum similibus. Hinc in jure Canonico *cap. Estote misericordes &c. de Reg. Jur. dicitur: Hoc loco nihil aliud nobis præcepti existimo, nisi ut facta, quæ dubia sunt, quo animo fiunt, in meliorem partem interpretemur.*

64. CONCL. III. Temere de proximo suo malum suspicari, per se loquendo est peccatum dumtaxat veniale, idque multo magis de temeraria dubitatione est dicendum. Ita D. Thomas *cit. quæst.* 60. *art.* 3. Navarrus *in Commentario in Rubric. de Judiciis. num.* 18. & *seq.* Angelus *Verb. Præsumptio.* Layman *cit. c.* 2. *n.* 6. & alii. Ratio est: quia ex una parte per solam suspicionem; utpote consistentem in debili assensu, & conjunctam cum dubitatione, ac multo magis per meram dubitationem, bona fama atque æstimatio Proximi graviter non lædituir, ex altera vero parte, quod quis ex levibus judiciis dubitare incipiat de bonitate fratris, procedit ex fragilitate humana, sicque ex genere suo peccatum veniale involvit.

65. Additur notanter, *per se loquendo*: Quia per accidens bene potest suspicio fieri peccatum mortale: ut si quis ex finistra suspicione erga proximum animo retenta, concipiat grave odium, vel contemptum ipsius, aut ejusmodi temeraria suspicio in opus externum prodeat; utputa, proximi famæ detrahendo, vel in electione, aut promotione ad dignitates alium minus dignum, vel penitus indignum ipsi præferendo, & hujusmodi.

66. Quære: qualiter sit intelligendum dictum illud: *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda*: prout habetur *in cit. cap. Estote misericordes, de Reg. Jur.* ac tradit D. Augustin. *lib.* 2. *de Serm. Dom. in Monte, cap.* 16. est que communis. Resp. 1. Loquendo de vero dubio, seu existentibus sufficientibus argumentis ad dubitandum de probitate Proximi, Regula illa non est intelligenda *affirmative*, quasi nihilominus Proximum teneamur existimare innocentem (nemo etiam obligatur ad exponendum se periculo erroris, quale in tali casu immineret) sed debet accipi *negative*: ita videlicet, ut quamdiu res est dubia, sententia non feratur in deteriorem partem. Hac enim ratione evitatur quodlibet periculum erroris, simulque nulla proximo infertur injuria: unde & in foro externo, quamdiu reus de crimine convictus non est, absolvitur; non quidem affirmando, crimen ab eo commissum non esse, sed solum pronuntiando, crimen contra ipsum legitime probatum non fuisse. Lessius *lib.* 2. *de Just. & jure, c.* 19. *dub.* 4. Layman. *ubi supra, n.* 7. & alii.

67. Resp. II. Alter dictæ Regulæ sensus est, quod facta dubia, quæ possunt referri in bonam & malam partem, debeant semper interpretari in bonam partem. Ita desumitur *ex Can. in Script. dist.* 66. ac notat Glos. *in Can. Absit* 11. *q.* 4. *vers. Sinistrum* Abb. *in c. Estote misericordes, n.* 5. *de Reg. jur.* & communis. Ratio est: quia ex tali interpretatione in partem meliorem nullum imminet periculum inferendi injuriam Proximo, bene tamen, si fieret interpretatio in partem pejorem. Accedit, quod idipsum suadeat Dilectio proximi, ac præceptum Divinum de non judicando.

DI-

DISTINCTIO VII.

De Nono, & Decimo Præcepto Decalogi.

QUÆSTIO I.

Quænam Nono, & Decimo Præcepto Decalogi prohibeantur?

SUMMARIUM.

1 *Nonum, & decimum Præceptum Decalogi, quod? Mala prava concupiscentia.*
2 *Præsertim voluptatum carnalium, & divitiarum.*
3 *Quid generatim de pravis concupiscentiis?*
4 *Fomes peccati hoc duplici Præcepto non prohibetur.*
5 *Motus concupiscentiæ, quando sint peccatum?*
6 *Nono Præcepto Decalogi, quæ prohibeantur?*
7 *Contra decimum Præceptum, qui peccent?*

1. UTrumque hoc Decalogi Præceptum, peccata cordis, pravamque concupiscentiam expressius inhibens, *Exodi* 20. & clarius *Deuteronom. cap.* 5. sequentibus verbis proponitur: *Non concupisces uxorem proximi tui.* Et rursus: *Non desiderabis domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa, quæ illius sunt.* Et merito: nam, quanta mala ex inordinata concupiscentia cordis oriantur, S. Jacobus in sua Canonica *c.* 4. ex instinctu Spiritus Sancti, compendiose declarat illis verbis: *Unde bella, & lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Et* 1. *Joan.* 2. *Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non ex Patre est; sed ex mundo.* Ad hanc igitur edomandam concupiscentiam hoc duplici Præcepto Deus jubet: *Non concupisces.*

2. Quia vero vel maxime prava concupiscentia voluptatum carnalium, & divitiarum, generi humano nociva est, atque periculosa, utpote ad quam homines naturaliter magis sunt proclives. Hinc Æterna Sapientia utramque speciali Præcepto explicite atque expresse prohibendam censuit, non obstante, quod implicite atque indirecte jam in sexto, atque septimo Decalogi Præcepto prohibeatur.

3. Insuper, quia juxta illud 1. *Reg.* 16. *Homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor*: hoc duplici Præcepto pariter innuitur, omnes alias internas concupiscentias pravas, & voluntarias delectationes, animique proposita contra alia Præcepta Divina prohiberi. Juxta quod Christus Dominus *Matth.* 15. expressius declarare dignatus est, dicendo: *De corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, furta, falsa testimonia; & hæ coinquinant hominem.* Ut autem clarius intelligatur intentio hujus duplicis Præcepti Decalogi, sit.

4. CONCL. I. Hoc duplici Præcepto Decalogi non prohibetur concupiscentia illa, quæ ex peccato originali residua est, & communiter *Fomes peccati* appellatur. Ita omnes Catholici, ac novissime Concilium Trident. *Sess.* 5. ubi ait: *Manere autem in Baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hanc Sancta Synodus fatetur, & sentit: quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed utiliter per Christi gratiam repugnantibus, non valet.* Accedit ratio: quia ejusmodi motus appetitus sensitivi neque in nostra sunt potestate & libertate, ac proinde frustra prohiberentur; neque sunt peccatum, quamdiu ipsis voluntas non consentit. Siquidem, ut ait D. Augustinus *lib. de vera Religione, c.* 14. *Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si voluntarium non sit.*

5. CONCL. II. Tunc motus concupiscentiæ in appetitu sensitivo sunt peccatum, ac contra hæc ultima Præcepta Decalogi, quando accedit consensus voluntatis. Ita omnes Catholici. Et quidem, si consensus voluntatis sit perfectus, ac plene deliberatus, in materia cæteroquin gravi committitur peccatum mortale: si vero solum imperfectus, ac non plene deliberatus, erit dumtaxat peccatum veniale. Et hoc posterius pariter dicendum, si versetur circa materiam levem, puta, quando quis vult furari unum obolum.

6. CONCL. III. Nono Præcepto Decalogi specialiter prohibetur Delectatio morosa,

atque illicitum Desiderium in materia venerea; de quibus ex professo in sequenti quæstione. Quinimo eisdem peccatis corde, seu cognitione deliberata perpetratis, peccatur contra hoc Præceptum, quibus, si opere perpetrantur, peccatur contra Præceptum sextum; juxta quod dicit Salvator, *Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo.* Addit Navarrus *c. 19. Moral. num. 1.* quod etiam peccet contra hoc præceptum moraliter, qui deliberate cupit, vel gaudet amari amore libidinoso mortali ab alia persona, quamvis ipse non sic amet; quia talis consentit peccato mortali suo, vel alieno.

7. CONCL. IV. Contra decimum, ac ultimum Præceptum Decalogi, peccant illi, qui nimia aviditate divitias expetunt, & modis pravis, atque illicitis artibus, opes augere concupiscunt: ut illi, qui ludis immoderate aburuntur; deinde mercatores, qui rerum penuriam, & annonæ caritatem expetunt: item milites, qui bellum desiderant, ut illis suppetat facultas furandi, ac hujusmodi. Ita Catechismus Romanus, & Doctores passim. Quantum autem hujusmodi prava, & inordinata desideria, noxia sint, si fiant, & habeantur animo deliberato, deducitur ex illis verbis Apostoli *1. Timoth. 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus: nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Hæc ibi.

QUÆSTIO II.

De Delectationibus morosis, & Desideriis illicitis.

SUMMARIUM.

8 *Delectatio morosa generatim, quid?*
9 *Unde sic dicatur?*
10 *Desiderium illicitum, quid, & quomodo differat a Delectatione morosa.*
11 *Delectationes morosæ venereæ, & Desideria venerea, quid,*
12 *Et quale peccatum?*
13 *Cogitationis peccatum pertinet ad speciem, ad quam peccatum operis.*
14 *Peccatum Cogitationis, an contrahat species malitias circumstantiarum actus externi?*
15 *Negatur hoc quoad Delectationes morosas.*
16 *Affirmatur quoad Desideria illicita.*
17 *Disparitas inter hæc.*
18 *An qui peccet, tempore jejunii morose se delectando in esu carnium.*

8. ADvertendum, quod *Declaratio morosa* generatim sit simplex & deliberata complacentia, quam voluntas capit ex cogitatione rei illicitæ sine intentione ipsa in opus deducendi: ut si quis contentus sit sola Delectatione cogitationis interioris, v.g. complacendo sibi de occasione inimici, aut copula carnali absque operis intentione.

9. Porro hujusmodi *Delectatio* dicitur *morosa*, non ratione temporis, quo quis ejusmodi cogitationi illicitæ immoratur (potest enim brevissimo tempore peccari per Delectationem morosam, dummodo adsit perfecta advertentia, & consensus voluntatis) sed ratione negligentiæ, ignaviæ, & moræ ipsius voluntatis, quæ advertens malitiam suæ cogitationis nihilominus perseverat morose in ipsa, ac sibi in ea complacet, cum ipsam expellere deberet.

10. E contra vero *Desiderium illicitum* est actus, & motus efficax voluntatis, quo appetit, & fertur in objectum prohibitum: id est, quo voluntas vult, ac desiderat actum peccaminosum ipso opere perpetrare, si adesset facultas. Unde Desiderium illicitum per hoc differt a Delectatione morosa, quod Delectationes morosæ ferantur in objectum ut aliquo modo præsens, sine intentione progrediendi ad ipsam operis executionem: Desideria autem ferantur in objectum, seu in rem desideratam ut absentem. (Desiderium enim est de bono absente, ut inquit Aristoteles) simulque tendant in executionem operis, si adsit facultas. Hanc generalem doctrinam ad propositum applicando, sit.

11. CONCL. I. *Delectationes morosæ venereæ* sunt illæ, quæ ex rebus obscenis cogitatione, vel imaginatione apprehensis cum pleno, & deliberato voluntatis consensu percipiuntur, quatenus nulla subsit voluntas rem illam turpem, v.g. actum fornicationis, opere complendi. E contra *Desideria illicita venereæ* sunt illa, per quæ quis ipsum actum obscenum opere externo perficere desiderat; utputa, dum quis cupit virginem

nem defiorare, sive deinde media opportuna ad id opere perficiendum inquirat, sive non, dummodo id deliberate desideret facere, si facultas adesset. Ita in re communis.

12. Ergo quidem tam Delectationem, quam Desiderium illicitum in materia venerea, esse peccatum mortale, si adsit perfecta deliberatio, & consensus voluntatis, certum est inter Doctores; & patet tum ex nono Præcepto Decalogi, tum ex cit. illo Salvatoris *Matth. 5. Qui vidit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo.* Ut tamen aliæ nonnullæ difficultates breviter explicentur, hinc

13. Quæritur I. An cogitationis peccatum pertineat ad eandem speciem, ad quam peccatum operis? Resp. affirmative, cum Lessio *lib. 4. de just. & jure, n. 122.* & communi aliorum. Ratio est: quia in consensu Delectationis est tacita approbatio operis. Hinc Delectatio ex cogitatione fornicationis concepta, pertinet ad speciem fornicationis; & quæ ex cogitatione peccati contra naturam, pertinet ad speciem peccati contra naturam: quæ vero ex imaginaria occisione inimici, spectat ad speciem homicidii; & quæ ex phantasia indebitæ excellentiæ concipitur, ad speciem superbiæ. & quoad hoc conveniunt Doctores passim.

14. Quæritur II. An, si actus exterior ob speciales circumstantias speciem peccati mutantes, plures in se continet malitias, eas omnes contrahat peccatum cogitationis? Resp. cum communiori Doctorum, hic esse distinguendum inter Delectationes morosas, ac Desideria illicita.

15. Et quidem, si quis simpliciter ac præcise se oblectet cogitatione morosa peccati carnalis cum muliere, quæ ipsi est consanguinea, vel Deo per votum sacra, aut conjugata, eo quod sit pulchra, ac proinde objectum Delectationis venereæ, non vero, quatenus est conjugata &c. is committit unum simplex peccatum mortale internæ Delectationis venereæ morosæ contra virtutem Temperantiæ, & Castitatis. Ita Layman *l. 1. tract. 2. c. 6. n. 15.* Lessius *loc. cit. n. 123.* & plures alii, quos allegant, quamvis nonnulli contradicant.

16. Secus est dicendum de Desiderio illicito, quo quis desiderat, vel proponit fornicari, aut peccare carnaliter cum tali fœmina, quam alterius uxorem, personam sacram, vel consanguineam esse non ignorat: nam tunc ejusmodi circumstantia pravo Desiderio, seu proposito, specialem addit malitiam peccati.

17. Ratio diversitatis inter hunc, & priorem casum est: quia Desideria illicita tendent in ipsam actionem externam, eandem desiderando perficere, si possent, ergo & eandem cum ipsa actione externa habent malitiam. Delectationes vero morosæ sistunt præcise in complacentia carnali (juxta casum positum) sequestrantes reliquam malitiam, quæ in actione reperitur ratione circumstantiæ conjugii, voti, vel consanguinitatis annexa.

18. Si dicas: Ergo pariter quis peccabit tempore jejunii Quadragesimalis delectando se morose in cogitatione esus carnium; cum de hac, & de delectatione morosa venerea, videatur esse eadem ratio. Resp. negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est: quia Delectatio morosa venerea versatur circa objectum ex se intrinsece malum, causatque notabiliter inordinatam corporis commotionem, ac libidinosam prurigínem, quæ disponit ad pollutionem; unde & ipsa illicita est, ac Lege naturali prohibita. Secus est de simplici imaginatione esus carnium tempore jejunii, secluſa voluntate, sive consensu contra præceptum pro tali tempore vescendi carnibus prohibitis: siquidem pro illo tempore esus carnium non Jure Naturæ, sed sola lege positiva Ecclesiastica prohibitus est: simulque prohibetur sola actio externa esus carnium, necnon & voluntas comedendi ipsas tempore vetito; non autem inhibetur ipsa interior delectatio circa esum ipsarum, secluſa alia prava voluntate carnes comedendi tempore vetito. Verum quidem est, in hujusmodi cogitationibus sæpe contingere peccatum veniale, dum superflua in ipsis quæritur Delectatio.

TRACTATUS X.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

1. POst Præcepta Decalogi, quibus inter alia debitam legitimis Superioribus reverentiam, obedientiamque præstare, divinitus edocemur, receptissima methodo agitur de Præceptis Ecclesiæ; cujus Prælatos Æterna Veritas adeo honorandos censuit, ut de eisdem in persona suorum Discipulorum, tunc præsentium, pronuntiare dignata fuerit, *Lucæ cap.* 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Et rursum *Matth. cap.* 18. *Si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

DISTINCTIO I.

De Primo, & Secundo Præcepto Ecclesiæ, sive de Festis.

QUÆSTIO I.

Quænam generatim Primo, & Secundo Præcepto Ecclesiæ injungantur.

SUMMARIUM.

1 *Ratio ordinis.*
2 *Præcepta Ecclesiæ generalia, quinque. Tenor primi, & secundi.*
3 *Præceptum de celebratione Festorum, partim affirmativum, & partim negativum est.*
4 *Dies Festi quando incipiendi?*
5 *An in ipsis fideles præter Missam, teneantur ad alia pia opera?*
6 *Præsertim ad audiendam Concionem?*
7 *Solvitur instantia.*
Fideles monendi, ut accedant propriam Parochiam.
8 *Datur in Ecclesia potestas instituendi Festa.*
9 *Festa ab Episcopis præcepta, etiam a Regularibus servanda.*

2. PRæcipua Præcepta Ecclesiæ, & cuivis Christiano scitu, atque observatu necessaria, communiter quinque numerantur, non obstante, quod plurima alia Præcepta Ecclesiastica, particulares hominum Status concernentia, & in Sacris Canonibus expressa reperiantur. Ex illis autem quinque præcipuis, simulque generalibus Ecclesiæ Præceptis 1° primum communiter sequentibus verbis proponitur: *Statutos Ecclesia dies Festos celebrare*: de quo fit mentio frequenter in Jure Canonico, ut *c. Nullus, & seqq. 15. q. 4. & can. 1. & seqq. de consecr. dist. 3.* Necnon & toto *Titul. de Feriis*. Secundum Præceptum Ecclesiæ, & priori connexum, sequentibus verbis complecti solet: *Sacrum Missæ Officium diebus Festis reverenter audire*: de quo habetur *can. Missas, de consecr. dist. 2.* Et de his singillatim in progressu.

3. CONCL. I. Præceptum Ecclesiasticum de celebratione Festorum, partim est affirmativum, partim negativum. Ita Henricus *part. 5. dist. 3. de Festis, nu. 8.* estque communis. Nam quatenus illud est affirmativum;

tivum; præcipitur devota Missæ auditio omnibus diebus Festivis: quatenus vero est negativum præcipitur abstinentia ab operibus servilibus, & nonnullis aliis, de quibus fit sermo *cap. 1. de Feriis*, ubi Pontifex *omnes dies Dominicos* (idem dicendum de Festivis) *a vespera in vesperam cum omni veneratione decernit observari, & ab omni illicito opere abstinere: ut in eis mercatum minime fiat, neque placitum, neque aliquis ad mortem vel ad pœnam judicetur, nec Sacramenta (nisi propace, vel alia necessitate) præstentur.* Hæc ibi: etsi postmodum *cap. ult. de Feriis*, recte hoc limitetur, *nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat.*

4. CONCL. II. Quamvis in Jure Canonico, *cit. cap. 1. de Feriis*, dicatur, quod dies Festi incipere debeant a vesperis præcedentis diei, vel durare usque ad vesperas diei sequentis, idque in Officio divino, seu recitatione Horarum Canonicarum et annum observetur: tamen, quantum attinet ad abstinentiam ab operibus servilibus, aliisque supra enumeratis, rationabili & antiquæ locorum consuetudini standum est. Ita expresse habetur *cap. Quoniam, de Feriis*. Idem patet ex *c. ult. de Consuetud.* ubi generaliter dicitur, quod consuetudo rationabilis, & legitimæ præscripta, deroget Juri positivo humano. Hinc ex usu Romanæ Ecclesiæ, qui per totam ferme Europam invaluit, solent incipere Festa a media nocte, & terminari in sequenti media nocte. *arg. l. More Romano, ff. de Feriis.* quamvis, si alia alicubi sit consuetudo, ea recte observetur.

5. CONCL. III. Etsi salubérrimum sit, summeque omnibus suadendum, ut Fideles ad majorem dierum Festorum venerationem, debitasque Deo pro innumeris receptis beneficiis grates rependendas, præter devotam auditionem Missæ, aliis quoque pietatis operibus vacent, ac præsertim Concioni attente interfint; speciali tamen Præcepto Ecclesiastico ad id non obligantur. Ita Mastrius *disp. 11. Theol. Mor. n. 81.* Azorius *part. 1. lib. 7. c. 3. quæst. 7.* Herincx *loc. cit. n. 9.* & alii. Nullibi enim tale præceptum aperte habetur.

6. Nec obstat Concilium Trid. *Sess. 24. cap. 4. de Reform.* ibi *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri, unumquemque Parochia sua interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Nam, quamvis nonnulli Doctores, quos citat Barbosa *in Collect. ad cit. cap. 3. Concilii Trid. nn. 15.* inde inferant, atque ex ly *teneri unumquemque* deducant ejusmodi obligationem interessendi Concioni Parochi; tamen Concilium non loquitur de rigorosa obligatione Juris positivi. Et hoc desumitur tum ex ly *Moneat Episcopus*, quod patet non involvere præceptum: tum ex addita clausula, *Ubi commode fieri potest*: tum ex communi sensu Fidelium, qui a tempore citati Concilii Tridentini tam gravem obligationem in dictis verbis non agnoverunt.

7. Nec dictis obstant illa verba, *unumquemque teneri*: Nam in primis hæc verba, etiam in toto rigore accepta, non loquuntur de obligatione absoluta, sed solum suppositta commoditate. Deinde ea commode intelliguntur de obligatione audiendi verbum Dei, non quæ procedit ex Jure aliquo Ecclesiastico, sed quæ procedere solet ex lege Charitatis, qua quisque tenetur habere curam animæ suæ, ubique providere de scientia necessaria ad salutem, & observantiam mandatorum Dei; atque adhibere non solum media simpliciter necessaria ad salutem, seu etiam utilia, inter quæ connumeratur devota Concionum auditio. Et merito monendi sunt Fideles ad accedendam propriam Parochiam, utpote in qua denunciari solent dies Festi, atque occurrentia jejunia, & alia de præcepto observanda; quamvis cæteroquin sufficiat, Concionem extra Parochiam suam audire. Barbosa *loc. cit.* post Suarez, Herincx, & alii.

8. CONCL. IV. Esse potestatem in Ecclesiam instituendi Festa de præcepto, de fide est: atque patet ex perpetua traditione, & usu Ecclesiæ, a temporibus Apostolorum usque nunc continuato. Quinimo etiam Episcopi respectu suarum Dioecesium cum consensu Cleri, & saltem tacito Populi, possunt instituere quædam Festa; prout habetur *cap. ult. de Feriis*, & alibi.

9. CONCL. V. Dies Festi ab Episcopis in sua Dioecesi præcepti, servari debent ab omnibus, etiam exemptis, & Regularibus. Ita expresse statuitur in Concilio Trident. *Sess. 25. cap. 12. de Regularibus*, ibi: *Dies etiam Festi, quos in Dioecesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, serventur.*

QUÆSTIO II.

Quæ opera diebus Festis prohibita sint?

SUMMARIUM.

10 *Opera corporis & animæ, seu corporalia & liberalia, quæ?*
11 *Opera corporalia servilia seu Mechanica, & Opera non servilia, quæ?*
12 *Diebus Festis non prohibentur Opera animæ, nec pietatis, aut necessitatis.*
13 *Opera non servilia quæ prohibeantur?* (a) De hoc Quæst. seq. n. 27. & seqq.
14 *Opera servilia Festis diebus prohibita.*
15 *Diebus Festis Christianorum non tam stricte obligant, ut olim Judæorum.*
16 *Venari, & piscari, an sit prohibitum die Festo?*
17 *An tunc liceat scribere, etiam ob lucrum?*
18 *Pingere, num liceitum?*
19 *Quid dicendum de Typographis?*
20 *Itineratio an licita die Festo?*
21 *Qui actus Judicii Forensis diebus Festis prohibeantur? Judicis tres partes.*
22 *Quomodo liceant ob necessitatem, vel pietatem?*
23 *Quæ liceat Advocato, vel Doctori, diebus Festis?*
24 *Opera servilia per notabilem diei Festi partem exercere est mortale peccatum.*
25 *Quænam censeatur pars notabilis?*
26 *Quæ alia circa hoc considerauda?*

10. ADvertendum, *Opera* nostra alia esse *corporis, seu corporalia*, quæ nimirum per corporis exercitationem peraguntur: alia esse *Opera animæ*, qualia sunt legere, scribere, docere, disputare, concionari, consulere, & similia; quæidcirco Opera animæ dicuntur, quia ab anima præcipue procedunt, & ad animum excolendum spectant: atque alio nomine *Opera liberalia* vocantur.

11. Rursum Opera corporalia alia ex genere suo sunt servilia, alia non item. *Opera servilia* dicuntur, quæ ex se habent quemdam famulatum, & solum ab iis communiter exercentur, qui alii inserviunt: ut opus arandi, fabricandi, seminandi, fuendi, & alia hujusmodi Opera mechanica, quæ servis proprie conveniunt, etiamsi per liberos nonnunquam exerceantur. Et hæc appellantur etiam *mechanica*, eo quod per Artes mechanicas dirigantur: atque distinguuntur ab operibus liberalibus, quod hæc non habeant effectum materialem, vel corporeum; aut si habent, is principaliter ordinetur ad animum excitandum, vel instruendum: e contra vero Opera mechanica post se relinquunt effectus corporeos, atque in commodum corporis proxime tendentes. *Opera* ex genere suo *non servilia* vicissim dicuntur illa, quæ proprie non conveniunt servis, sed omnibus communia sunt, tam dominis, quam servis: ut iter facere, saltare, digladiari, & hujusmodi.

12. CONCL. I. Diebus Dominicis, Festisque, non sunt prohibita opera animæ, neque opera pietatis aut necessitatis. Ita communis; & patet ex *cap. 1. & ult. de Feriis, num. 3.* allegatis. Adde cum Navaro *c. 13. Manual. n. 5.* & aliis (quidquid nonnulli contradicant) hujusmodi opera, quæ diebus Festis fieri conceduntur, non solum gravis, sed etiam ob pecuniam atque recipiendi mercedem, licite peragi posse: siquidem intento, atque proposito lucrandi, non facit opus servile, aut illicitum, quod ex se non est tale.

13. CONCL. II. Opera non servilia quædam diebus Dominicis ac Festivis sunt concessa, quædam non. Patet hoc ex *cit. cap. 1. de Feriis* ubi dictis diebus prohibetur fieri *Mercatum*, sive mercatura: item *Placitum*, cujus nomine venit quælibet lis, jurgium, seu causa Forensis, quæ in Judicio agitatur: item & *Præstatio Sacramenti*, hoc est, juramenti judicialis; adeoque neque testes tunc recipere, aut examinare licet, utpote qui prius jurare debent, nisi suadente pietate, aut urgente necessitate. (a) non obstante, quod talia neutiquam sint opera servilia, quinimo a dominis communiter præstentur. Porro reliqua opera non servilia, demptis ennumeratis, non sunt illicita diebus Festis.

14. CONCL. III. Opera servilia diebus Dominicis, Festivisque, sunt prohibita: unde qui talia dictis diebus per notabilem partem (de qua *n.* 25.) sine justa causa excusante exercet, peccat mortaliter. Ita communis; & patet ex *cit. cap. 1. de Feriis*, atque recepta consuetudine Ecclesiæ, & communi sensu Fidelium. Concordat illud *Levitici c. 23. Omne opus servile non facietis in eo*: nam hoc præceptum, utpote judiciale, ac ex parte morale, Ecclesia innovavit.

15. Recte tamen notant Doctores cum D. Thoma 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. quod dies Festi Christianorum, ut pote post cessationem Legalium veteris Legis Jure dumtaxat Ecclesiastico introducti, non ita stricte obligent sicuti olim obligabat Præceptum divinum de observando Sabbato. Unde multa nobis permittuntur diebus Dominicis, Festivisque, ut iguem succendere, cibos coquere, iter facere, & hujusmodi, quæ in Sabbatis antiquæ Legis non licebant. *Exodi cap. 35.* & *cap. 16.* & alibi. Simulque circa prohibita in nostris Festivitatibus, facilior est dispensatio, quam olim in Sabbato. Navarrus *c. 13. Manual. n. 2.* Azorius, & alii. Verum occasione præmissorum occurrunt plura dubia. Hinc

16. Quæritur I. An venari, & piscari, sit opus servile, ac prohibitum in die Festo? Resp. Venari, & piscari, ex se, ac nisi addantur opera servilia, non censentur prohibita, si fiant dumtaxat recreationis causa cum non sint servilia, sed potius liberalia, & communia servis & dominis. Bonacina *tom. 2. disp. 5. q. un. punct. 2. n. 23.* Azorius, & alii. Dicitur notanter, *nisi addantur opera servilia*: nam fatendum, quod venatio & piscatio non liceat, quando est conjuncta cum aliis operibus servilibus; prout accidere solet in venationibus clamorosis cum canibus, & apparatu instructis, nec non & in operosis multisque laboris, & piscatoriæ Tribui quasi propriis piscationibus: quales proinde in Jure *c. Licet de Feriis*, dumtaxat conceduntur tempore necessitatis, seu propter occursum lucri transeuntis, eo quod tales pisces raro, & certis dumtaxat temporibus apparere soleant, ut Halecia, & hujusmodi.

17. Quæritur II. An scribere, si fiat ob lucrum, sit opus servile, & consequenter die Festo prohibitum? Resp. Cum scribere sit opus mentis, & locutio quædam permanens, ordinata ad instructionem mentis propriæ, vel alienæ; idcirco ex se censetur opus liberale, nec sit servile ob id, quod fiat ob lucrum. Ita Navarrus *loc. cit. nu. 5.* & alii. Ratio est: quia Ecclesia non prohibuit operari in die Festo propter mercedem, nisi in quantum prohibuit totum opus: ergo cum scribere die Festo non prohibeatur, neque prohibitum est scribere propter mercedem. Idem juxta probabiliorem sententiam est dicendum de transcriptione, quæ a Notariis & Scribis fit ex officio, & pacta mercede: siquidem transcribere non est aliud, quam scribere; ergo si hoc de se est licitum die Festo, erit & illud.

18. Quæritur III. Utrum pingere diebus Festis sit prohibitum? Resp. Hic varias esse Doctorum sententias, quæ sequenti modo videntur posse concordari. Et quidem plerique fatentur, non esse illicitum, ob solam voluptatem, aut recreationis causa quasdam delineationes facere: quod ipsum videtur suadere communis sensus hominum. Deinde Layman *lib. 4. tract. 7. cap. 2. n. 3.* post Medinam, & Lopez, probabile censet, quod pingere in aliqua tabella, sine apparatu & magno labore, opus servile non sit, adeoque nec prohibitum die Festo per se loquendo: quia talis pictio, perinde ac scriptio, consistit in ducendis lineis, ac figuris; & consequenter idem dicendum de tali pictione sine apparatu, simulque seclusio scandalo facta, quod de scriptione. Tandem extra prælatas limitationes die Festo pingere, communis sententia Doctorum negat esse licitum: quia (inquiunt) pingere per se loquendo, est opus servile, cum soleat fieri ab iis, qui aliis inserviunt, uti argumentatur Bonacina *l. c. n. 25.* citans alios; simulque est mechanicum, cum respiciat opus sensibile & externum artefactum, principaliter non ordinatum ad instruendum animum: licet pictores contendant, suam artem esse unam ex liberalibus. Mastrius *disp. 11. n. 24.* Reginus, & alii.

19. Quæritur IV. Quid dicendum de Typographis? Resp. I. Certum est, quod actualis impressio foliorum sit opus servile, ac proinde prohibitum. Num autem artificiosa illa ordinatio, seu compositio characterum, sit opus servile, nec ne, major est difficultas, eo quod ipsa videatur æquipollere scriptioni. Nihilominus Herincx *disp. 3. de Festis, quæst. 2. num. 15.* & Bassæus *V. Festum II. nu. 8.* citans communem; contra Dianam *part. 4. tract. 4. resol. 62.* & Layman, etiam compositionem characterum inter opera servilia, & mechanica ennumerat: cum per se non ordinetur ad locutionem, & expressionem mentis, sicuti transcriptio, sed sit præparatio materiæ, & fabricatio instrumenti mechanici ad opus mechanicum, scilicet ad ipsam impressionem. Verum Typographi ordinantes characteres in ea persuasione sunt, quod post rem Divinam licite compensare possint ea, quæ præcedentibus diebus neglexerunt, ut inquit Layman *loc. cit. n. 3.*

20. Quæritur V. An itineratio sit opus servile? Resp. cum communi, itinerationem non esse opus servile, nec per se prohibitam

diebus Festis: quia potius censetur esse opus naturale, ordinatum ad corporis conservationem, & ad negotia ubique exercenda. Verum hoc intelligendum est, nisi itinerationi addantur circumstantiæ annexæ operibus servilibus: ut si magno cum labore imponenda sint jumentis vel curribus onera, quæ ducantur, vel si animalia onusta, aut currus onusti, de uno loco ad alium deferantur. Hinc cit. Layman *n.* 5. cum aliis infert, quod tale iter die Festo inchoare concessum non sit, quamvis inchoatum continuare liceat, si commode abrumpi non possit.

21. Quæritur VI. Quinam actus judicii Forensis diebus festis ab Ecclesia prohibeantur, extra casum necessitatis & pietatis, per textus *n.* 1. relatos, cum concordantiis? Resp. In primis hæc prohibitio generatim procedit de omnibus causis, seu litibus tum criminalibus, tum civilibus, utpote quæ omnes fieri soleant cum strepitu Forensi, seu Judiciali processu. Deinde eadem prohibitio intelligenda est de omnibus partibus judicii, quæ ad tres revocantur. Prima, est inchoatio causæ per Rei citationem; quippe quæ est basis, & fundamentum Judicii. Secunda, est processus; & sit per causæ cognitionem, examinatis & juratis testibus, exhibitisque instrumentis. Tertia, est per sententiæ prolationem, ejusque executionem. Et omnes tales actiones (*nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat*) non solum diebus Festivis prohibitæ sunt, sed etiam ipso jure nullæ, & irritæ; adeo quidem, *ut consentientibus etiam partibus, quæ processus habuerit teneat, nec sententia, quam contingit hujusmodi diebus promulgari*; prout habetur *c. alr. de Feriis.*

22. Additur vero, *nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat*: nam tunc secus est dicendum: Et quidem satis magnæ necessitatis ratio est, si alio tempore testes vocari, aut Judex adiri non possit, siltem sine jactura diurnæ mercedis, qua pauperes maxime solent indigere, ut notant Tannerus *tom.* 3. *disp.* 5. *n.* 9. Navarrus *c.* 13. *Man. n.* 13. & alii. Quas ob causas excusantur in aliquibus locis Judices rusticorum, diebus Festis jus dicentes, aut sententiam promulgantes, quando alis diebus rusticani homines adesse, vel commode absque jactura mercedis diurnæ vocari nequeunt; quod ipsum consuetudo aliquarum Regionum comprobat. Idem dicendum de causis, quæ celeritatem requirunt, eo quod alioquin res peritura sit; vel si latro de fuga suspectus, die Festo possit capi, & incarcerari.

23. Non tamen idcirco prohibetur, quin Advocatus possit die Festo dare operam studiis causa litium, scribere, quibus studiet, informare Judicem scripto, agere privatim de lite cum Procuratore, & referre causam apud Judicem, ut ea cognita commodius ferat sententiam. Similiter licitum est Doctori, conficere consilia diebus Festis; & Civibus ad consilia convenire, & eligere ad officia. Insuper possunt die Festo confici testamenta, scripturæ, donationes, renuntiationes, & hujusmodi. Ratio horum omnium est: quia talia sunt opera animæ, & non sunt opera servilia, neque comprehenduntur in processu judiciario.

24. CONCL. IV. Opera servilia, vel alia prohibita, diebus Dominicis, aut Festivis, per notabilem diei partem exercere absque legitima causa excusante, est peccatum mortale. Ita communis; quia violaretur Præceptum Ecclesiasticum in materia gravi, pertinente ad virtutem religionis. Unde merito Innocentius XI. hanc inter alias, ordine 52. Propositionem damnavit: *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, sepositio scandalo, si absit contemptus.*

25. Verum, quantum temporis requiratur, ut quis censeatur notabili parte diei laborare, ficque peccare mortaliter, non conveniunt Doctores, prout videre est apud Filliucium *tract.* 37. *c.* 11. & alios. Nam aliqui unam integram horam censent esse partem notabilem, ficque materiam peccati mortalis: alii e contra tres horas requirunt, quas ex viginti quatuor horis diei censent partem notabilem. Communior tamen, cæterisque probabilior sententia, est media, quæ laborem servilem duarum horarum plus minus requirit, & sufficere ait ad notabilem diei partem, atque peccatum mortale constituendum.

26. Recte tamen monet citatus Filliucius considerandam simul esse qualitatem operis atque laboris, & an nulla concurrat necessitas. Nam si labor sit levior, aut aliqua necessitas concurrat, facile etiam quis diutius laborans excusabitur a culpa mortali: quod proinde prudentis viri judicio demetiendum erit. Hinc non facile pauperes fortunæ, vel ancillæ, peccati mortalis damnandæ sunt, quæ diebus festivis aliquot horas insumunt nendo, vel vestes suas aut suarum prolium refarciendo, sive ad fugandum otium, atque inutilia colloquia, sive ob paupertatem, & quia diebus serialibus destituuntur tempore ad talia peragenda opportuno.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quæ causæ excusent exercentes Opera prohibita diebus Festis.

SUMMARIUM.

27 *Quæ generatim causa excusent exercentes opera prohibita?*
28 *Necessitas quando sit excusans?*
29 *Corollarium circa bonum vitæ.*
(b) Ut dictum Tract. 2. dist. 2. n. 25. & seq.
30 *Aliud circa bona fortunæ.*
31 *Sartores quando excusantur perficientes die Festo vestes? Quid de præparatione panni?*
32 *Alia Corollaria.*
33 *Molere die Festo, an liceat?*
34 *Occursus lucri transeuntis, an excuset?*
35 *Consuetudo, quid circa hoc valeat?*

27. CONCL. I. Etsi plures causæ referri soleant, quæ excusare possunt exercentes opera prohibita diebus Festis, ex tamen commode reducuntur ad necessitatem, & pietatem. Ita desumitur ex *c. ult. de Feriis*, ubi prohibentur diebus Festis opera illicita, *nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat*. Siquidem necessitas non habet legem. *c. Quod non est, de Reg. Juris.* ibi: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Pietas etiam excusat exercentes erga pauperes, vel miserabiles personas, opera Misericordiæ; vel præstantes ea, quæ ad Divinum cultum pertinent: *nam summam esse rationem, quæ pro Religione fiunt*, textus est *1. Sunt personæ, ff. de Religiosis & sumpt. funer.* Hinc versus illi:

Non festo fervat legalia Sabbata cultus,
Qui pietatis opus credit in his vetitum.

28. CONCL. II. Tunc censetur adesse necessitas exercendi opera cæteroquin die festo prohibita, quando imminet notabile damnum animi, aut corporis, sive proprii, sive alieni, aut bonorum temporalium, sive propriorum, sive alienorum. Ita Reginaldus *lib.* 19. *n.* 50. Navarrus, aliique; quamvis, utrum hic & nunc ejusmodi notabile damnum sit metuendum, prudentis viri arbitrio dijudicandum sit. Res exemplis fiet clarior.

29. Sic inprimis laborantes die Festo excusat necessitas imminens propriæ conservationis, vel sustentationis suæ vitæ, aut familiæ? quia lex Ecclesiastica non obligat cum tanto gravamine Fidelium. (b) Hac ratione excusantur pauperes, qui nisi die Festo laborent, nequeunt se sustentare, & hujusmodi.

30. Deinde necessitas, seu imminens notabile damnum in bonis fortunæ excusat coquentes calcem, aut vitrum die Festo: quia hoc genus operis inchoatum non potest intermitti absque notabili damno. Similiter excusantur agricolæ tempore messis laborantes, ne segetes amittant ob pluviam: in quo tamen casu, ad cavendum scandalum, consultius est, adhibere consilium Parochi, ac petere dispensationem, vel licentiam.

31. Ob eandem rationem excusantur in multis casibus sartores, perficientes vestes die Festo; utputa si illæ debeant inservire pro ejusmodi Festo; vel si sint vestes sponsi seu sponsæ, proxime nuptias celebrantium; aut vestes lugubres, vel eorum, qui iis indigent ad servandam decentiam status. Idem censet Basseus *V. Festum III. n.* 1. si sartores timeant aliquod notabile incommodum, vel acerbas reprehensiones, ac injurias ex eo, quod non perfecerint vestes ante Festum. Præparatio autem vestium, quæ fit per scissuram & præparationem panni die Festo, ex eo excusari potest, quia non est labor servilis; cum proprie competat Magistris, nec habeat adjunctum magnum laborem.

32. Huc accedit necessitas Reipublicæ, utpote cui magis subveniendum est, quam privatæ. Sic excusantur milites facientes aggeres die Festo, vel alia servilia opera gerentes pro defensione patriæ. Item necessitas Proximi, nam ob hanc licitum est die Festivo laborare ad extinguendum incendium in domo Proximi, & Chirurgo ad sublevandum infirmum, & hujusmodi.

33. Quæres. An liceat die Festo molere triticum, quando molendinum agitatur aqua vel vento? Respondet Basseus *l. c.* affirmative, atque pro hac sententia allegat Bonacinam, Rodriquez, & alios: quia (inquit) tunc, aut nullus, aut exiguus labor intervenit. Verum seclusa necessitate, aut specialicujus loci consuetudine, hoc passim admittendum non est; idque, tum ratione scandali vitandi, tum quia in molendinis non modicus simul labor servilis intervenit. Unde Bonacina *tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 1. *n.* 3. *punct.* 3. *n.* 9. ait, si tales molitores notabilem temporis partem in his insumant, eos non excusari; nisi id faciant ex necessitate, v. g. ob multitudinem concurrentium ad molendinum,

qui-

quibus satisfacere nequeunt diebus feriatis.

34. Insuper causis excusantibus exercentes opera prohibita die Festo, communiter addunt Doctores occurrum lucri transeuntis, deest illius, quod amplius acquiri non potuit, nisi diebus Festivis talia opera fiant. Et hoc probatur ex Jure Canonico *c. Licet, de feriis*: ubi Ecclesia, tanquam pia Mater ex hac ratione diebus festivis (præterquam in majoribus anni Solemnitatibus) indulget piscationem halecum, quæ certo dumtaxat anni tempore transire solent. Unde ob paritatem rationis idem de piscatione aliorum piscium, certo tantum anni tempore occurrentium, & de aliis hujusmodi rebus temporalibus, quæ cum tempore pereunt, nisi festis diebus acquirantur, passim tradunt Doctores.

35. Tandem similia opera diebus Festivis præstari solita excusat legitima consuetudo, sive generalis, sive specialis quorundam locorum, quæ scitur, & toleratur a Prælatis Ecclesiasticis. Ratio est: quia prohibitio talium operum die Festo fuit introducta solo Jure Ecclesiastico; ergo nihil obstat, eam tolli rationabili & legitime præscripta consuetudine contraria: cum generaliter hujusmodi consuetudo deroget Juri positivo humano *c. ult. de Consuet.* Sic in pluribus locis Pistores consueverunt panem, & Cervisiarii incipere praxaturam cervisiæ a vesperis diei Festi: Mercatores etiam in Nundinis solent per aliquam diei partem exercere publicum mercatum.

QUÆSTIO IV.

Quæ sit obligatio audiendi Missam diebus Festis?

SUMMARIUM.

36 *Extat præceptum de Missa reverenter audienda diebus Festis.*
37 *Peccat mortaliter negligens notabilem ejus partem; & qua sit talis?*
38 *Audire Missam, in quo consistat?*
39 *Explicatur hoc amplius.*
(e) Tract. 6. Dist. 1. q. 4.
40 *An satisfaciat, qui simul duas Missa partes audit plurium Celebrantium?*
41 *Vel saltem successive?*
42 *Auditio Missa num præferenda Concioni?*
43 *Alia quæsita, remissive.*

36. CONCL. I. Extat grave Præceptum Ecclesiasticum, reverenter audiendi Missam diebus Dominicis, Festivisque. Patet hoc ex *can. Missam de consec. dist. 1.* Et licet ibidem soli Sæculares nominentur, tamen ex communi consuetudine, quæ est optima legum interpres, sub dicto Præcepto etiam comprehenduntur Clerici, & Sacerdotes non celebrantes, quamvis hi, si dictis diebus celebrent, hoc ipso, & quidem eminenter, Missam audire censeantur. Idipsum liquet ex *can. Omnes fideles de consec. dist. 1.*

37. CONCL. II. Peccat mortaliter, qui notabilem Missæ partem dictis diebus culpabiliter audire prætermittit. Ita omnes Catholici, & patet ex proxime dictis. Et quidem notabilis pars, est dimidia vel tertia pars, secundum omnes Doctores: aut totum Missæ principium una cum Epistola, & Evangelio, ut plures volunt; non autem, si ab initio Evangelii usque ad finem quis Missam audiat, etiamsi reliquum, nempe initium Missæ cum Epistola prætermisit. Addunt multi Doctores, ut Laym. *lib. 4. tract. 7. c. 3. n. 3.* Gobat. *tract. 5. Theol. Exper. n. 135.* Suarez, Rodriquez, Azorius, & quidam alii, etiam ab eo evadi peccatum mortale, qui venit primum post Evangelium modo permaneat usque ad finem ultimi Evangelii inclusive; quia audiendo ultimum Evangelium, videtur compensare primum Evangelium neglectum.

38. CONCL. III. Audire Missam, non est verba Missæ intelligere, utpote quod plebei non possunt; nec audire Sacrificantem quod surdi nequeunt; neque videre eundem, quod cæci frustra desiderant: sed missam devote audire, est esse præsentem Missæ, & vacare Deo, sive corpore adesse, & mente attendere ad Sacrificium. Ita communis.

39. Unde ad auditionem Missæ requiritur simul & devota, & corporalis præsentia. Porro devotio ista ad Missæ auditionem requisita, explicanda est conformiter necessariæ intentioni, & attentioni, ad recitationem Horarum Canonicarum requisitæ, de qua alibi. (e) Corporalis præsentia consistit in hoc, quod quis suo corpore præsens sit in eo loco, in quo fit Sacrum; idque vel physice, ut si intra Capellam vel Ecclesiam ubi Missa celebratur, præsens adsit; vel saltem moraliter, prout illi Missam audire censentur, qui animo Missam audiendi stant, aut flectunt ante januam illius Ecclesiæ, quam præ hominum multitudine ingredi

gredi non valent, vel qui introspiciunt per fenestram.

40. Quæres: an satisfaciat Præcepto Ecclesiæ, qui audit partem posteriorem unius Missæ, v.g. ab Elevatione ad finem, & deinde priorem alterius Missæ usque ad Elevationem, vel e contra; aut si quis a duobus Celebrantibus, quorum unus Missam incipit, alter ab Elevatione pergit, simul audiat utramque? Resp. I. Si quis non successive, sed simul audiat tales partes Missæ a duobus Sacerdotibus simul celebrantibus, talis non satisfacit Præcepto. Ita defacto indubitate tenendum est, & quoad hoc punctum nonnulli libri caute legendi. Siquidem Innocentius XI. hanc inter alias Propositionem, ordine 53. damnavit, & docuit, atque practicari prohibuit: *satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis Celebrantibus audit.*

41. Resp. II. Nihilominus multi Doctores probabile censent moraliter non delinqui ab eo, qui successive audit duas mediatas Missæ a diversis Sacerdotibus dictas; quamvis veniale peccatum, & in suo genere grave, committatur per hoc, nisi qui legitime impeditus fuerit, quo minus integram ejusdem Sacerdotis Missam audiret. Ita Layman *lib. 4. tract. 7. c. 3. n. 4.* Gobat *l. c. n. 143.* Navarrus, & nonnulli alii, quos citant, contra non paucos oppositum tenentes. Ratio esse potest: quia parum refert, quid de æquipollentibus fiat; simulque ordo partium inter se non videtur pertinere ad substantiam præcepti: sic enim in simili satisfacit præcepto Ecclesiæ Clericus, qui prius recitat Laudes, quam Matutinum. Hæc sententia necdum est condemnata: unde etiam Jo. Cardenas *in Crisi Theol. ad Propositionem 53. Innocentii XI. c. 7.* eam censet probabilem, dummodo imposterum per Sedem Apostolicam oppositum non declaretur.

42. CONCL. III. Auditio Missæ per subsequendo præferenda est sacræ Concioni, si utraque audiri non possit. Ita communis: nam audire Missam diebus Dominicis, Festivisque, est de Præcepto, non item audire Concionem, per se; & ordinarie loquendo: atqui opus consilii non est præferendum operi debito ex Præcepto. Dicitur, *per se loquendo*: nam per accidens, & in casu extraordinario, fieri potest, ut Concio præferatur auditioni Missæ; si numirum urgeat necessitas addiscendi necessaria Fidei, hæcque commode nequeant alias addisci; vel si exemplum unius necessarium sit ad inducendos cæteros pro audienda Concione &c. Bonacina *disp. 5. de Prac. Decal. q. 2. punct. 2. n. 28.* & alii.

43. Posset hoc loco Quæstio moveri de peregrinis, & advenis, an teneantur ad Festa particularia locorum, per quæ transeunt, ibique abstinere a servilibus, & Missam audire; item an quis de loco, ubi est Festum, possit omissa etiam Missa ad laborandum exire in alium locum propinquum, ubi id non celebratur. Verum de hoc, atque attinentibus materiis, ex professo jam dictum est *tract. 2. dist. 3. q. 3. & 4.* Ibi videatur.

QUÆSTIO V.

Quæ causæ excusent a Præcepto audiendi Missam?

SUMMARIUM.

44 *Generatim a Missa audienda excusat impotentia physica, & moralis.*
(d) Tract. 2. dist. 1. n. 25. & seqq.
45 *Impotentia physica declaratur.*
46 *Impotentia moralis contingit variis modis.*
47 *I. Ob periculum boni animæ.*
48 *II. Ob periculum corporis.*
49 *Distantia loci, an etiam excusat?*
50 *In praxi quid circa hoc observandum?*
51 *III. Ob periculum famæ & honoris.*
52 *IV. Ob periculum honestæ fortunæ.*
53 *Excusantur aliqui ex titulo pietatis.*
54 *Et officii.*
55 *An impediti audire Missam, teneantur domi orare?*
(e) Ut dictum Tract. 4. dist. 2. nu. 28. & seqq. & dist. 5. num. 9. & seqq. & dist. 6. num. 9. & Tract. 5. dist. 1. num. 49.

44. CONCL. I. Quamvis plures communiter assignari soleant causæ, ob quas quis excusari possit ab obligatione audiendi Missam die Festo, eæ tamen commode reducuntur ad impotentiam, tum physicam, tum moralem. Hæc Conclusio supponit ex dictis (d) alibi, quod leges Ecclesiasticæ in casu impotentiæ non obligent; idque, quantum ad propositum, clarius habetur *c. ult. de Feriis*, ubi: *Nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat.* Quo supposito.

45. Probatur Conclusio inductione. Et quidem ob impotentiam physicam (quæ est im-

impotentia simpliciter) excusantur, qui detinentur in carceribus, in quibus Missa non celebratur. Item, qui tam gravi morbo decumbunt, ut Missæ interesse non possint. Similiter, qui longum iter faciunt non invenientes locum, ubi Missam audiant: ut fit in terris infidelium, & in mari. Et idem de aliis similibus.

46. Deinde ob impotentiam moralem, plures adhuc excusari possunt. Nam impotentia moralis censetur tunc contingere, cum nequit audiri Missa absque jactura boni notabilis æstimationis, aut non nisi cum magna difficultate, vel labore: quæ postea in casibus particularibus arbitrio viri prudentis dijudicanda erunt. Quia igitur generatim sunt quatuor bonorum genera, scilicet bona animæ, corporis, famæ seu honoris, atque fortunæ: hinc circa ea omnia hujusmodi impotentia moralis accidere potest.

47. Hinc inprimis ob impotentiam moralem circa bonum animæ occurrentem, excusatur quis ab audienda Missa si nequit adire templum sine periculo labendi in peccatum: ut si quis tempore persecutionis timeat periculum abnegandæ Fidei, si a persecutoribus comprehendatur; aut si virgo prævideat periculum stupri in via sibi inferendi, & hujusmodi.

48. Deinde propter periculum imminens corpori excusatur quis, si ex probabili conjectura, & non sola vana imaginatione ductus timeat, ne in via aut in ipso Templo vitam amittat, reputa ob sicarios, ob aëris intemperiem, vel infectionem &c. Item si timeat jacturam famularis, aut reincidentiam in morbum; vel adsit periculum notabiliter retardandi convalescentiam, si ipse Sacrum audiat in Templo: uti quandoque contingit laborantibus febri, & aliis hujusmodi morbis, in quibus standum est judicio, viri prudentis, ac præsertim Medici.

49. Quæres: an distantia loci excuset ab auditione Missæ? Resp. Quandoquidem distantia loci ad Templum non modicam sæpe causet corporalem incommoditatem senibus, claudis, labore pridiano valde fessis &c. proinde ex hoc capite tales nonnunquam contingit excusari, præsertim accedente tempestate nivali, aut nimbosa. Ita communis.

50. Ista vero non possit absolute determinari certa distantia, quæ sit necessaria, simulque sufficiens, pro omnibus & singulis hominibus excusandis; quandoquidem homines sint adeo diversæ complexionis, & alii robusti, alii imbecilliores, aliqui etiam divites, qui curriculo ad Ecclesiam vehi possunt, simulque tempestatis nimbosæ atque hyemalis habenda sit ratio &c. Nihilominus loquendo de hominibus mediocriter valentibus, & peculiarem excusationem non habentibus, quidam Doctores apud Gobat *tract. 5. Theol. Exper. n. 486.* sufficere asserunt pro excusatione peditis distantiam unius horæ horæ, vel quinque horæ quadrantes: alii vere majorem exigunt distantiam, vel spectandam loci consuetudinem ajunt, aut hoc absolute judicio prudentum relinquunt expensis circumstantiis discernendum. Certe plerique sibi ducerent religioni, si cessante alia causa omitterent Missæ auditionem ob distantiam unius horæ; & punirentur illi, qui deprehenderentur fere semper a re Divina abesse solum, qui distant sesqui hora a Templo. Quamquam nullus prudens Confessarius movebit his scrupulum, etsi iterato tales maneant domi; cum variæ aliæ circumstantiæ non raro concurrant iter tam longum aggravantes, ut merito detur locus excusationi.

51. Rursus propter periculum famæ, & honoris, quidam excusari possunt. Sic communiter Doctores excusant illum, qui non habet vestem decentem, ita ut nequeat sine dedecore, aut gravi derisione, seu notabili pudore, comparere in publico. Similiter excusant puellam cæteroquin honestam quæ putatur casta, & tamen gestat uterum, ne videlicet publice confundantur; & hujusmodi. Si tamen tales possint primæ Missæ in tenebris sine probro interesse, obligantur ad eam audiendam, nisi aliud excuset.

52. Tandem ob periculum bonorum fortunæ excusantur ii, quibus imminet damnum in fortunis, si pro Missa audienda velint ire ad Ecclesiam: quod intelligit Gobat *loc. cit. n. 491.* non tantum de damno notabili, sed etiam de metu mali mediocris bonorum. Sic famuli excusantur, qui domi remanent ad ejus custodiam, vel ob furtum aut incendium avertendum &c.

53. His omnibus accedit titulus pietatis officii seu obedientiæ; quamvis & hæc ad impotentiam moralem reduci possint. Sic ex titulo pietatis, seu Charitatis Proximi, excusatur ab audienda Missa, qui inservit ægro, cui præsentia inservientis est necessaria, ita ut ab ipso recedere non possit: nam majus est vinculum Præcepti Charitatis Proximi, quam Præceptum Missæ audiendæ; cum illud Jure naturæ, hoc autem Jure duntaxat positivo Ecclesiastico obli-

obliget. Idem in similibus casibus dicendum de matre, vel nutrice quæ infantes deserere non possunt, dum non habent alium eisdem assistentem.

54. Ex titulo officii excusantur excubitores ad portas, valla, turres; itemque custodes pecorum, & hujusmodi. Qui tamen tenentur mutare vices, quando sunt plures, & potest a paucioribus custodia convenienter peragi, sumtque successive plura Sacra. Et hactenus dicta ad alios consimiles casus sunt extendenda, atque juxta exigentiam rerum applicanda.

55. Porro in casu, quo quis habet impedimentum legitimum non audiendi Missam die Festo, consilium omnino salutare est, domi per aliquod tempus vacare orationi; id tamen non esse in præcepto, docent Navarrus *cap. 21. Manual. num. 7.* Reginaldus *lib. 19. num. 19.* Henrinex *part. 4. disp. 8. de Sacrificio Missæ num. 223. & 224.* Iolvens contraria, & alii; cum talis oratio domi peragenda, minime comprehendatur sub nomine Missæ, simulque finis præcepti non cadat sub præcepto. Nihilominus opposita sententia, quam nonnulli tenent, in praxi pro possibili hominibus consulenda est, ut, cum Jure naturali teneamur Deum quibusdam tum virtutum Theologicarum, tum Religionis actibus quandoque per vitæ decursum revereri, (e) huic obligationi eo melius satisfiat. In quem proinde finem D. Augustinus *Serm. 251. de Temporib.* optime loquitur, atque eum, qui non potest cum cæteris Sacro interesse, exhortatur, *ut saltem in domo sua oret, & non negligat Deo solvere votum, ac reddere pensum servituti.*

DISTINCTIO II.

De Tertio Præcepto Ecclesiæ, sive de Jejunio.

QUÆSTIO I.

Quid sit Jejunium, & quæ ejus requisita?

SUMMARIUM.

1 *Tertium Ecclesiæ Præceptum, quid?*
2 *Jejunium generaliter acceptum, &*
3 *Jejunium specialiter, quid?*
4 *Jejunium naturale, requisitum ad sumptionem Eucharistiæ, quid?*
Et quando violetur?
5 *Jejunium Ecclesiasticum, quid?*
6 *Hoc non frangitur per somnum?*
7 *Cautela circa haustum incerdin factum.*
8 *Ad Jejunium Ecclesiasticum, tria requiruntur.*
9 *Delectus ciborum, in quo consistat?*
10 *Circa lacticinia est attendenda consuetudo locorum.*
11 *Abstinentia plurium refectionum, quid importet?*
12 *Certa refectionis hora, quæ?*

1. Tertium Ecclesiæ Præceptum communiter sequentibus verbis comprehenditur: *Jejunia certis diebus, tempo-ribusque indicta servato.* Concordat Canon 68. Apostolorum, de jejuniis Ecclesiasticis observandis expresse statuens: & textus *c. Quadragesima de consec. dist. 5. cum seq. can.*

2. Cæterum Jejunii nomen quandoque sumitur generaliter, pro abstinentia a vitiis & peccatis; in qua acceptione D. Augustinus *tract. 17. in Joannem* relatus *c. Jejunium, de consec. dist. 5.* ait: *Jejunium magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejunium.* Et D. Basilius *Homil. 1. de Jejunio. Verum Jejunium est, ab omnibus vitiis esse alienum.* In proposito non accipitur Jejunii nomen tam generaliter, sed magis proprie, ac specialiter pro abstinentia a cibo & potu.

3. Jejunium, prout sumitur specialiter, ac proprie pro abstinentia a cibo & potu, rursum duplex est, naturale scilicet, & Ecclesiasticum.

4. *Jejunium naturale* est abstinentia a qualibet re sumpta per modum cibi, aut potus, vel etiam per modum medicinæ. Et tale Jejunium de præcepto Ecclesiastico requiritur ad sumptionem SS. Eucharistiæ: unde Rubricæ Missalis Tit. *de Defectibus dispositionis corporis*, sic loquuntur: *Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sum-*

sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantumcunque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare. Ubi tamen mox subjungitur in hæc verba: *Si reliquiæ cibi remanentes in ore tranglutiantur, non impedient Communionem, cum non tranglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem.* Hæc ibi. Verum de Jejunio naturali ex professo hic non agitur: sed de Jejunio Ecclesiastico; de quo loquendo, sit,

5. CONCL. I. *Jejunium Ecclesiasticum* est voluntaria abstinentia a cibo juxta præscriptum Ecclesiæ. Ita in re communis. Dicitur, *voluntaria abstinentia*: quia Jejunium est actus virtutis Temperantiæ, & consequenter debet esse actus liber, & voluntarius. Hinc, qui invitus omnino abstinet a cibo, quia nimirum eo caret, potius esurire, quam jejunare censetur.

6. Dicitur ulterius, *a cibo*: quia potus, quamvis sit vinum, non solvit Jejunium Ecclesiasticum. Nec obstat, quod quis sæpius de die bibat non solum ad sedandam sitim (quæ cum sit vehementior, & crebrius accidat hominibus præ fame, noluit Ecclesia, utpote pia Mater, potum prohibere) verum etiam ad sedandam aliqualiter famem. Respondeo, adhuc non solvi Jejunium, quia sub præcepto Ecclesiastico Jejunii non prohibetur intentio, sed solum externa cibi refectio, quæ fit contra præscriptum Ecclesiæ.

7. Addunt Doctores, ad hujusmodi interdiu factum, etiam modicum panis, vel amygdalas paucas accipi posse, ne hausfus ille noceat. Interim tamen cavendus, quantum ad hoc, excessus, ne repetitis sæpius buccellis ad magnam tandem quantitatem deveniatur: nam Alexander VII. sequentem inter alias, ordine 29. Propositionem damnavit: *Ita dat jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Jejunium.* Ab hoc proinde cavendum.

8. CONCL. II. Ad Jejunium Ecclesiasticum tria requiruntur, videlicet Abstinentia ciborum certi generis, Abstinentia plurium refectionum, & certa hora refectionis. Ita rursum communis Doctorum; & patet ex perpetuo usu, atque praxi Ecclesiæ, & illico quoad singula declarabitur.

9. Quantum ipsitur attinet ad primum, nempe ad *Abstinentiam a certis cibis*; sive, ut loquitur Concilium Trident. *Sess. 25. c. 21. Delectum ciborum*: imprimis diebus Jejunii abstinendum est a carne; deinde etiam a lacticinis, videlicet a lacte, caseo, & ovis, prout habetur *can. Denique dist. 4.* ibi: *Par autem est, ut quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, a lacte videlicet, caseo, & ovis.* Accedit Decretum Alexandri VII. hanc inter alias, ordine 32. Propositionem damnantis: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima obliget.*

10. Verum his non obstantibus, quantum attinet ad lacticinia, attendenda est consuetudo tum generalis, tum particularis locorum: utpotequæ partim est optima legum interpres, partim etiam, sicut de novo potest legem inducere, ita & priori derogare. Unde imprimis in Feriis sextis, & Sabbatis per annum, quando aliud jejunium de præcepto non occurrit, ubique locorum permittuntur lacticinia, etsi esus carnium sit prohibitus. Deinde in quibusdam locis ova atque lacticinia solum prohibentur tempore Quadragesimæ, & extra illud non sunt vetita: alicubi vero diebus jejunii etiam extra Quadragesimam non permittuntur, ut notat Navarrus *capit. 21. Manual. num. 15.* Tandem in Germania ex antiqua consuetudine videmus permissa ova, & lacticinia, omnibus jejuniis totius anni; idque factum creditur ob defectum olei, atque aliorum ciborum Quadragesimalium, qui alibi abundare solent.

11. Quoad secundum, videlicet quoad *Abstinentiam plurium refectionum*, est sciendum, quod ad Jejunium requiratur, ut in die (sive intra fruitum unius diei naturalis, a media nocte usque ad aliam mediam noctem computandum *arg. l. More Romano ff. de Feriis*) nonnisi unica refectio, seu comestio fiat: prout fatentur unanimiter Doctores, & patet ex perpetua atque universali Ecclesiæ consuetudine. Verum tamen est, quod Ecclesia his posterioribus sæculis ob corporum infirmitatem, quæ Mundo senescente semper magis augetur, & aliis rationabilibus de causis, ex longeva consuetudine & tacito consensu indulserit, ut præter dictam unam comestionem modicum aliquid cibi sero per modum collatiunculæ sumatur. Dicitur notanter, *modicum aliquid cibi*: quia qui notabiliter excederet, procul dubio jejunium frangeret. Sed de hoc amplius *n. 23. & seqq.*

12. Tertia tandem Jejunii conditio, quæ est

est *certa refectionis hora*, hoc importat, ut unica illa refectio non prandii, sed cœnæ rationem obtineat: unde & Breviarium Romanum in Benedictione Mensæ præscribit, quod, quando semel comeditur (puta diebus Jejunii) omnes preces dicantur ut in Cœna. Et quidem hæc unica refectio prioribus sæculis tempore Quadragesimali usque ad vesperam prorogari debebat, uti patet *ex Can. Soleus de consec. dist. 1.* Aliis vero diebus jejunalibus differebatur usque ad horam nonam quæ est tertia post meridiem, uti testatur D. Bernardus *Serm. de Quadragesima*. Cæterum hisce posterioribus sæculis, quibus ob corporum infirmitatem concessa fuit collatiuncula vespertina, pariter ob eandem causam usu receptum est, ut refectio illa unica fiat circa meridiem, & vesperæ in Choro tempore Quadragesimæ dicantur mane ante comestionem, ut sic primævæ consuetudinis Ecclesiæ memoria retineatur. Sed quia de istis tribus Jejunii Ecclesiastici conditionibus speciales occurrunt difficultates, hinc sit.

QUÆSTIO II.

Solvuntur varia dubia circa tres Jejunii conditiones.

SUMMARIUM.

13 *Dispensatus circa esum carnium, an possit bis comedere?*
14 *Sententia negativa multorum.*
(a) Tract. 6. Dist. 1. n. 83.
15 *Affirmativa probabilior.*
16 *Jejunium Ecclesiasticum an violet, replens ventrem Quadragesimalibus?*
Ratio dubitandi.
17 *Resolutio Quæstionis.*
18 *Solvuntur contraria.*
19 *Sapius in die Jejunii comedens carnes, peccat toties, quoties comedit; Et quidem mortaliter, nisi excuset levitas materiæ; quæ?*
20 *Quid, si sapius quis comedat cibos licitos?*
21 *Solvuntur instantia.*
22 *Differentia inter præceptum de non comedendo carne, & non sumenda secunda refectione.*
23 *Collatio vespertina, an permissa?*
24 *Quantum cibi in ea sumere liceat?*
25 *I. Sententia, certas uncias admittens. Unica, quid? Reiffenstuel Theol. Moral.*
26 *II. Sententia, id determinandum censens pro varietate circumstantiarum.*
27 *Vel admittens quartam partem justæ cœnæ.*
28 *III. Sententia, ad consuetudinem locorum recurrens.*
29 *In Collatione an etiam qualitas ciborum sit attendenda?*
30 *I. Sententia.*
31 *II. Sententia.*
32 *In praxi attendenda est recepta locorum Consuetudo.*
33 *Quale peccatum sit anticipare tempus Comestionis?*
34 *Quid si juxta causa subsit?*
35 *An sit peccatum sumpta mane Collatione differre prandium ad vesperam?*

13. QUæritur I. Circa primam Jejunii conditionem, an dispensatus circa esum carnium, censeatur dispensatus ad non jejunandum, ita ut possit sæpius in die comedere? Resp. cum Mastrio *disp. 12. Theol. Mor. n. 6.* diversas quoad hoc dubium esse Doctorum sententias.

14. Et quidem negativam sententiam non pauci tenent, ut Graffeus, Petraza, aliique plures; quam sententiam amplectuntur etiam Lessius, Reginaldus, Cajetanus, Navarrus, & multi alii, loquendo de casu illo, quo quis dispensatus est in esu carnium non ratione debilitatis naturæ, sed quia a piscibus abhorret, aut hi ejusdem temperamento nocere solent. Rationem dant: quia præceptum Ecclesiæ, quando non potest servari in totum, nihilominus in parte, quæ servari potest, servandum est *arg. cap. Cum dilecti, de Dolo & contumac.* Idem suadetur per simile; nam qui non potest recitare totum Breviarium, potest tamen recitare partem, tenetur ad recitandam partem, prout alibi (a) dictum. Sic etiam, qui est dispensatus in duplici refectione, non idcirco est dispensatus in esu carnium. Confirmatur: quia, quando quis est dispensatus in esu carnium, non ratione suæ debilitatis, sed quia a cibis jejunalibus abhorret, nulla subest causa, cur gemina comestio concedatur; ergo saltem tunc ea erit illicita: nam dispensatio sine causa non valet.

15. Affirmativa nihilominus sententia est probabilior, atque inter Doctores communior, quam tenent Toletus, Diana, Tamburinus, Azorius, Filliucius, & Ma-

strius, citans plures alios. Ratio est: quia abstinentia ab esu carnium est de substantia Jejunii Ecclesiastici; ergo qui dispensatus est quoad comestionem carnium, eo ipso est dispensatus a jejunio, & consequenter potest bis vel sæpius comedere; cum sublata substantia jejunii, censeatur solutus a lege Jejunii. Et per hoc patet ad rationes prioris sententiæ, quæ solum urgent in illis casibus, in quibus præceptum Ecclesiasticum potest servari quoad suam substantiam saltem ex parte, licet non ex toto: quod non fit, neque concessa comestione carnium fieri potest in jejunio Ecclesiastico.

16. Quæritur II. Quantum attinet ad alteram conditionem Jejunii, an semel tantum in die Jejunii comedens, sed tot cibis Quadragesimalibus ventrem replens, ut nullam carnis afflictionem sentiat, quinimo gulæ indulgeat, violet Jejunium Ecclesiasticum? Ratio dubitandi est: tum quia Jejunium Ecclesiasticum est actus Temperantiæ; atqui talis actus temperantiæ in proposito non intervenit, ob excessum illum, qui degenerat in gulam, vel etiam ebrietatem. Tum quia parum refert, quid de æquipollentibus fiat: atqui talis una excessiva comestio potest æquivalere duabus vel tribus aliis comestionibus, per quas utique frangeretur Jejunium Ecclesiasticum. Tacentur aliæ rationes, quas ponit Covarruvias *lib. 4. variar. Resolut. cap. 20. n. 11.*

17. Resp. cum Reginaldo *lib. 4. cap. 14. num. 163.* Cajetano, Medina, & aliis, quamvis talis perdat meritum Jejunii in totum, vel in partem, simulque peccet juxta qualitatem excessus (etiam mortaliter, si excessus tam magnus sit, qui in non jejuantibus culpam mortalem induceret:) nihilominus is non judicabitur ab Ecclesia tanquam reus jejunii, neque ex eo capite punietur a Deo, sed ex alio, quia videlicet peccavit peccato gulæ: aut, si excessit in animo potu, peccato ebrietatis. Ratio est, quia talis non agit contra substantiam Jejunii Ecclesiastici: nam Ecclesia solum præcipit abstinentiam a carnibus, & a secunda refectione, atque ut ante certum tempus non fiat refectio; quæ omnia in casu posito observantur.

18. Ad rationes dubitandi, & earum primam dicitur, Jejunium Ecclesiasticum dici actum Temperantiæ, non quod Ecclesia illum præcipiat ut modificatum omnibus conditionibus virtutis Temperantiæ, sed ut quod fieri ad minimum saltem tribus jam enumeratis. Neque obstat, quod Ecclesia præcipiens jejunium, intenderit corporum nostrorum castigationem. Resp. enim, hoc parum urgere: quia finis præcepti non cadit sub præcepto, ita videlicet, ut finis ipse præceptus esse censeatur. Deinde ejusmodi castigatio intervenit in proposito saltem per hoc, quod fiat abstinentia a carnibus, atque secunda refectione: aliæ vero mortificationes sunt quidem saluberrimæ, atque a SS. Patribus passim commendatæ, ex tamen non cadunt sub speciali præcepto jejunii Ecclesiastici, ut dictum. Ad Alteram instantiam negatur minor: etsi enim unica illa comestio possit æquipollere pluribus quoad quantitatem ciborum sumptorum, non tamen pluribus æquipollere quoad multitudinem refectionum: quia semper manet unica refectio.

19. Quæritur III. An qui sæpius comedit in die jejunii, toties peccet, quot sunt comestiones? Resp. I. Quando in die Jejunii comeduntur cibi vetiti, utputa carnes, toties peccatur contra præceptum Jejunii, quoties distinctis comestionibus manducantur tales cibi. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia in præcepto Jejunii duo includuntur, quorum unum est simpliciter negativum, scilicet non comedantur cibi vetiti, alterum vero affirmativum, nempe ut quis unica refectione, & quidem non nisi tempore debito sumenda, contentus sit: atqui per quamcunque carnium comestionem semper violatur præceptum Jejunii, quatenus est negativum; ergo etiam toties peccatur, & quidem mortaliter, nisi excuset levitas materiæ. Et hoc ultimum indirecto æditur, quia negari non potest, in proposito dari posse peccatum veniale ob levitatem materiæ: quod si de cibis vetitis comedatur dumtaxat modicum quid, puta in quantitate unius unciæ, vel (ut aliqui volunt) duarum unciarum.

20. Resp. II. Qui vero sæpius in die comedit cibos cæteroquin licitos, peccat solum per secundam comestionem contra præceptum Jejunii, non vero per tertiam, vel alias subsequentes. Ita Mastrius *loc. cit. n. 9.* cum communiori & probabiliori Doctorum, contra Medinam, & nonnullos alios. Ratio est: quia præceptum Jejunii non obligat ad impossibile: atqui posita jam secunda comestione, quamvis culpabili, impossibile est, ut quis unica tantum refectione contentus sit; ergo ad hoc amplius non obligat; & consequenter fit peccatum contra legem Jejunii in secunda tantum refectione, non autem in aliis

aliis sequentibus. Dicitur, *contra legem Jejunii*: nam per subsequentes potest quis peccare contra Temperantiam, licet non contra præceptum Jejunii.

21. Nec dicas: Præceptum Jejunii est de unica tantum refectione; atqui toties quis agit contra hoc præceptum, quoties ultra unicam refectionem comedit interpolatis vicibus; ergo etiam toties peccat. Resp. negando minorem: quia post secundam illicitam comestionem præceptum Jejunii de unica tantum refectione, seu potius, ut quis una dumtaxat refectione contentus sit, amplius servari non potest, sicque quoad hoc cessat ejus obligatio.

22. Nec obstat, quod quis sæpius comedendo carnes in die Jejunii, sæpius peccet; sicque a pari etiam plures sumendo refectiones videatur sæpius peccare. Resp. enim negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est: quia præceptum de non comedenda carne est simpliciter negativum, obligans semper & pro semper in die Jejunii, potestque post primam comestionem carnis adhuc pro reliqua diei Jejunalis parte servari. Præceptum vero de sumenda una solum refectione, non obstante, quod etiam prima fronte videatur negativum, nihilominus re melius considerata est affirmativum, obligans, ut jejunans sit unica comestione contentus; & hoc post secundam comestionem est observatu impossibile.

23. Quæritur IV. Quid censendum de Collatione vespertina? Resp. I. Collatio vespertina, quæ prioribus sæculis ignorabatur, posterioribus hisce sæculis ob corporum infirmitatem, quæ Mundo senescente semper magis magisque augetur, & aliis rationabilibus de causis, ex generali consuetudine, & tacito consensu Ecclesiæ, in modica quantitate permissa est, ac licita. Ita communius. Et hanc Doctores non *refectionem*, sed *refectiunculam* dumtaxat, per quam jejunium non solvitur, appellandam censuerunt, utpote in parva solum quantitate sumendam.

24 Resp. II. Quantum cibi in tali refectiuncula, seu Collatione, licitum sit sumere, non tam facile est determinare; & forsan aliquibus de hoc disputantibus illud Dⁱ Hieronymi dictum quadrat, quod refertur *can. Gloria 12. q. 2. Plenus venter facile de jejunio disputat*. Referam igitur præcipuas, & probabiliores sententias Doctorum, saltem in hac convenientium, quod refectiuncula illa (ut ipsum nomen demonstrat) debeat esse modica, ne transeat in cœnam vel semicœnam.

25. Et quidem Filliucius *tract. 17. cap. 2. n. 32.* ait, in hac refectiuncula quatuor, quinque, vel ad summum sex uncias sumi posse, ut volunt (inquit) plerique ex Recentioribus. Unde ultra sex uncias (*Uncia* est duodecima pars alicujus, sive unius libræ: sed libra aromataria est major quatuor unciis, & continet triginta duas semiuncias) interpositæ refectiunculæ deficere a debita mensura, & accedere ad peccatum levius vel gravius, juxta qualitatem excessus.

26. Deinde alii asserunt, non posse taxari, seu determinari certam pro omnibus jejunantibus quantitatem cibi pro Collatione vespertina, sed eam variam esse posse pro varietate tum personarum; uti videre est in provectioribus ætate, infirmis, nobilibus personis, qui pluribus epulis & delicatioribus assueti sunt; tum locorum; uti accidit in frigidis Regionibus, ubi major Collatio conceditur, quam in calidis: tum exercitii, & laboris, in quo quis occupatus est, vel defatigatus. Nam quia hujusmodi labor quandoque totaliter excusat a Jejunio, pariter existente aliqua rationabili causa, v.g. laboris, studii, aut hujusmodi, aliquid ultra consuetum sumi potest in Collatione.

27. Quod si regulam quandam generalem etiam circa hoc petas, respondet Reginaldus *lib. 3. n. 185.* & post eum Layman *lib. 4. tract. 8. c. 1. nu. 9.* ordinarie loquendo, & nisi aliqua causa justa excuset, v.g. laboris, infirmitatis &c. non esse notabiliter excedendam quartam partem eorum, quæ jejunanti spectata sua complexione sufficerent ad ordinatam cœnam: alioquin enim quis semicœnaret.

28. Alii vero, ut Bonacina *punct. 3. de Jejunio nu. 2.* citans Toletum, & alios, asserunt, hanc regulam esse defumendam ex consuetudine in singulis Regionibus receptam refectiuncula ista est per consuetudinem introducta; ergo sumi potest juxta limites receptæ consuetudinis. Cavendum tamen, ne tanta cibi quantitas sumatur, ob quam Collatio transeat in cœnam, vel quasi cœnam.

29. Resp. III. Utrum in refectiuncula illa non tantum quantitas, sed & qualitas ciborum sit attendenda, rursum diversæ sunt sententiæ: in praxi tamen tum recepta locorum consuetudo, tum aliæ circumstantiæ erunt attendendæ.

30. Prima pars de diversitate sententiarum

inter Doctores, ex eo patet: quia plerique Doctores pro Collatione ſolum admittunt leviuſcula ciborum genera, quæ parum nutriant, & potius ad ſitim extinguendam deſerviant: ut ſunt herbæ, poma, uva, & hujuſmodi fructus arborum, nec non & aliqua ex ſacharo confecta. His tamen ex communi uſu, vel in defectum fructuum, vel ne hi ſoli noceant, panem addi poſſe concedunt, non obſtante, quod panis plurimum nutriat, ſemenque depellat: cibos autem, qui communiter inter fercula apponuntur, ac juſcula cocta ex pane, & hujuſmodi, niſi adſit alia cauſa excuſans, cenſent eſſe prohibita. Ita Filliucius, Azorius, & alii, quorum ſententia communiori uſu videtur eſſe recepta.

31. E contra Bonacina *loc. cit.* & quidam alii volunt, in dicta refectiuncula non tam ſtricte prohiberi cibi qualitatem, ſicuti interdicitur quantitas: unde dictus Author admittit, poſſe licite ſumi juſculum, modo non ſit de cibis prohibitis, comedi piſciculum, aut exiguam partem piſcis majoris, imo plures res in eadem Collatione deguſtari poſſe, dummodo cibi quantitas non excedatur, neque Collatio tranſeat in cœnam, nec aliud præceptum obſtet. Et hæc quoad diverſitatem ſententiarum.

32. Altera pars datæ reſponſionis, videlicet in hoc attendendam eſſe receptam conſuetudinem locorum, ex eo patet: quia refectiuncula illa eſt introducta per conſuetudinem, ergo juxta hujus limites poterit ſumi. Sic in partibus hiſce Septentrionalibus paſſim pro Collatione admittitur caſeus una cum ovis frigidis, quamvis hi cibi præ cæteris nutriant, atque in aliis terris prohibeantur. Quod autem de juſculis calidis addit Bonacina, id conſuetudo hactenus recepta non videtur admittere, niſi in caſu debilioris complexionis, vel alia juſta cauſa interveniente: prout forſan inter Perſonas nobiliores delicatioribus aſſuetas, aut ſtudiis gravioribus defatigatas, quandoque fieri ſolet.

33. Quæritur V. Circa tertiam Jejunii conditionem, an ſit peccatum mortale, notabiliter anticipare tempus ordinarium comeſtionis in die Jejunii, v. g. per unam, vel alteram horam? Reſp. Non deſunt equidem Doctores, qui putant, hoc eſſe peccatum mortale, ſi abſque juſta cauſa fiat; pro qua ſententia citatur Navarrus *cap.* 21. *Manualis num.* 27. Covarruvias, Cajetanus, & nonnulli alii: dicendum tamen cum communiori, & probabiliori Doctorum, id non eſſe peccatum mortale, ſed veniale ſolum, ſi fiat abſque juſta cauſa. Ratio eſt: quia non violatur ſubſtantia præcepti Jejunii, ſed tantum circumſtantia quædam accidentalis. Leſſius *lib.* 5. *de juſt. & jur. cap.* 2. *num.* 13. & alii.

34. Dicitur, *ſed veniale tantum, ſi fiat abſque juſta cauſa*: quia tunc fit aliqua inordinatio. Quod ſi vero juſta cauſa ſubſit, utputa ſi iter ſit incundum, ſi hoſpites dimittendi, aut hujuſmodi, nullum erit peccatum, ne quidem veniale.

35. Quæritur VI. Utrum ſimiliter ille peccet, qui mane ſumit Collationem cæteroquin ſumi ſolitam, & prandium uſque ad veſperas vel noctem differt? Reſpondet Bonacina *loc. cit. n.* 6. & Layman *un.* 10. cum aliis communiter, id continuare peccatum veniale, ſi fiat abſque cauſa, eo quod pervertatur recepta conſuetudo; nullum, ſi juſta cauſa interveniat, v. g. copia negotiorum, non permittentium ſumptionem prandii in meridie, vel periculum infirmitatis &c. Verum Maſtrius *cit. diſp.* 12. *n.* 8. Reginaldus *lib.* 4. *n.* 186. Azorius, & quidam alii, probabile eſſe cenſent, talem (dummodo ſumat refectiunculam hora conſueta prandii, & non prius, niſi adſit alia juſta cauſa) nec venialiter peccare, licet ſine ſpeciali cauſa differat prandium ad noctem. Rationem dant: quia talis modus neque ex toto, neque ex parte, ſolvit ſubſtantiam Jejunii, quinimo hic modus jejunandi magis conducit ad corporis affictionem, unde & olim in Eccleſia primitiva refectio ſumebatur ad veſperam.

QUÆSTIO III.

Quæ ſit obligatio Jejunii?

SUMMARIUM.

36 *Jejunia ſolo jure Eccleſiaſtico inſtituta ſunt.*

37 *Jejunium Quadrageſimale ab Apoſtolis inſtitutum.*

38 *Quid de quatuor anni Temporibus?*

39 *Violare jejunium Eccleſiaſticum, eſt peccatum mortale.*

40 *Omnes Chriſtiani tenentur illud ſervare.*

41 *Sed primum complete vigeſimo primo ætatis anno.*

42 *Quid de ultimo die vigeſimi primi anni?*

43 *Adoleſcentibus, vel infantibus, an liceat veſci carnibus?*

44 *Adoleſcentes poſſunt obligari ad jejunium ex aliis cauſis.*

45 *Obligatio Jejunii Eccleſiaſtici eſt perſonalis,*

46 *Et certis diebus affixa.*

47 *Quid de Jejunio ex voto, vel propoſitione injuncta?*

48 *Solvens Judicium ex duplici præcepto Eccleſiæ obligatus, committit unicum peccatum.*

(b) Vide Tract. 3. diſt. 1. n. 41. & ſeqq.

49 *Quid, ſi quis ad illud tenebatur ex Voto, ac præcepto Eccleſiæ?*

50 *Statuens per totam Quadrageſimam non jejunare, vel non jejunans, quot peccata committat?*

(d) Tract. 3. Diſt. 1. n. 57.

51 *Peccant contra Præceptum Jejunii, qui alios ad id violandum inducunt.*

52 *Cauſa apponens carnem hoſpitibus, an peccet?*

53 *An poſſit eis miniſtrare cœnam?*

54 *Jejunium quomodo obliget peregrinos, & advenas? remiſſive.*

36. CONCL. I. Omnia Jejunia ſolo jure humano, ſeu ex Præcepto Eccleſiæ inſtituta ſunt, quamvis Jejunium Quadrageſimale, nec non Jejunia Quatuor anni Temporum ex Apoſtolica traditione deſcendant. Ita communis. Ratio eſt: quia ſi Jejunia eſſent Juris Divini, ſive a Chriſto Domino inſtituta, non potuiſſet tanta variatio circa ea intervenire, quantam ex conſuetudine variis locis & temporibus patet eſſe inductam; ſiquidem contra Jus Divinum non valet conſuetudo, *cap. ult. de Conſuetudine.*

37. Cæterum ſub Jure humano Eccleſiaſtico comprehenduntur ordinationes Apoſtolorum, quas ipſi ut Rectores Eccleſiarum fecerunt. Et quidem Jejunium Quadrageſimale, ad exemplum Chriſti Domini per quadraginta dies jejunantis, ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutum, patet ex Canone 68. Apoſtolorum: unde D. Leo *Serm.* 6. *de Quadrageſima*, ait: *Apoſtolica inſtitutio quadraginta dierum jejunia impleatur.* Et hoc ipſum alii SS. Patres paſſim docent. Verum quidem eſt, quod S. Ambroſius *Serm.* 25. aſſerat, *indictam eſſe Quadrageſimam a Domino.* Et hujuſmodi dictum ex eo ſolvitur, quia Apoſtoli ad Chriſti imitationem, & ex Divino inſtinctu, illud Jejunium perceperunt.

38. Porro Quatuor anni Tempora inſtituit S. Callixtus Papa I. quibus Jejunium ex Apoſtolica traditione acceptum ab omnibus ſervaretur; ut habetur in Breviario Romano, & Lectionibus Feſti ejuſdem *die* 14. *Octobris*: reliqua vero Jejunia ſucceſſive per Eccleſiam fuerunt inſtituta.

39. CONCL. II. Hoc præceptum Jejunii ita obligat, ut ſi abſque juſta cauſa violetur, committatur peccatum mortale. Ita communis, & certa Doctorum, paucis exceptis, & a Leſſio *loc. cit. n.* 32. relatis, qui volebant, tunc ſolum peccari mortaliter, quando ex conſuetudine aut contemptu violatur. Sed horum ſententiam rejecit Alexander VII. inter alias etiam ſequentem, ordine 23. Propoſitionem damnando: *Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubjicere præcepto.* Accedit ratio: quia generaliter Leges Eccleſiaſticæ in materia gravi, qualis eſt hæc, obligant ſub mortali. Et hinc olim violatores Jejunii jubebantur excommunicari. *cit. Can.* 68. *Apoſtolorum*, atque excommunicatio non incurritur, niſi ob peccatum mortale.

40. CONCL. III. Omnes Chriſtiani completo vigeſimo primo ætatis anno tenentur ſervare Jejunium diebus ab Eccleſia præſcriptis, niſi juſta aliqua cauſa excuſentur. Ita certa, & communis. Ratio eſt: quia ſi Jejunia eſſent Juris Divini, ſive a Chriſto Domino inſtituta, non potuiſſet tanta variatio circa ea intervenire, quantam ex conſuetudine variis locis & temporibus patet eſſe inductam; ſiquidem contra Jus Divinum non valet conſuetudo, *cap. ult. de Conſuetudine.*

37. Cæterum ſub Jure humano Eccleſiaſtico comprehenduntur ordinationes Apoſtolorum, quas ipſi ut Rectores Eccleſiarum fecerunt. Et quidem Jejunium Quadrageſimale, ad exemplum Chriſti Domini per quadraginta dies jejunantis, ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutum, patet ex Canone 68. Apoſtolorum: unde D. Leo *Serm.* 6. *de Quadrageſima*, ait: *Apoſtolica inſtitutio quadraginta dierum jejunia impleatur.* Et hoc ipſum alii SS. Patres paſſim docent. Verum quidem eſt, quod S. Ambroſius *Serm.* 25. aſſerat, *indictam eſſe Quadrageſimam a Domino.* Et hujuſmodi dictum ex eo ſolvitur,

n. 7. & alii. Adhuc tamen conveniens est, ut adolescentes etiam priori tempore sese ad jejunandum exerceant, & assuescant, plus, minus, secundum modum ætatis suæ.

43. Cæterum data doctrina de adolescentibus, intelligenda est, quantum ad præceptum Jejunii, quoad unicam refectionem: nam a cæteris, alisque cibis prohibitis, & ipsi abstinere tenentur. Infantibus tamen nondum præditis usu rationis, utpote cum, præcepti Ecclesiastici capaces non sint, infra primum septennium, tales cibos dare licitum est: nisi consuetudine in contrarium existente, id scandalosum foret. Reginaldus *lib. 4. n. 208.* & alii.

44. Deinde posita Conclusio loquitur solum de Jejuniis Ecclesiasticis: quia adolescentes ante vigesimum primum annum possunt quandoque ex aliis causis obligari ad Jejunium. Nam imprimis possunt teneri ad Jejunia ex Voto: prout Professi Regulam FF. Minorum, jam ante completum vigesimum primum annum tenentur servare Jejunia suæ Regulæ, cum per Professionem dictæ Regulæ vi Voti ab ipsis emissi, suo juri ceserint. Similiter tales adolescentes tenentur ad Jejunia pro Sacramentali pœnitentia imposita.

45. CONCL. IV. Obligatio Jejunii ab Ecclesia indicti est personalis, unde nequit illud per alium persolvi. Ita communis. Ratio est: quia finis Jejunii Ecclesiastici est, moderate affligere corpus, carnemque propriam edomare, juxta quod Ecclesia cauit in Præfatione Missæ Quadragesimalis: *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas &c.*

46. CONCL. V. Obligatio Jejunii Ecclesiastici est certis, ac determinatis ab Ecclesia diebus affixa; atque ideo ille, qui tali die jejunare non potest, aut etiam culpabiliter illud violat, non tenetur loco ipsius alio die jejunare. Ita rursum communis; idque patet a simili in præcepto audiendi Missam diebus Festivis, atque in obligatione Sacerdotum recitandi Breviarium, quæ pariter diei affixa est, & cum die transit.

47. Dicitur, *obligatio jejunii Ecclesiastici*: Nam loquendo de Jejunio debito ex Voto, est attendenda ipsius vovendi intentio: unde qui vovit bis in hebdomada jejunare, dies autem certos non determinavit, potest, quibus voluerit, jejunare, & non jejunans hac die hebdomadæ, tenetur alia jejunare: quia sic, & non aliter, sibi obligationem mediante suo voto imposuit. Qui vero vovit singulis sextis Feriis jejunare, tenetur hisce determinatis diebus jejunare. Sic pariter discurrendum de Jejunio cuipiam impositio a Confessario pro pœnitentia Sacramentali: quamvis, si secus non exprimatur, Confessarius non censetur ita alligare jejunium certæ diei, ut si tunc non servetur, aut ob impedimentum servari nequeat, pœnitens sit liber a Jejunio illo imposterum servando, ne Sacramentum Pœnitentiæ remaneat incompletum ob defectum Satisfactionis, quæ est pars integralis ipsius.

48. CONCL. VI. Qui solvit jejunium ex duplici præcepto Ecclesiæ obligatus, v. g. Vigiliæ & Quatuor Temporum, seu Vigiliæ & Quadragesimæ, unicum numero peccatum committit. Ita communis. Ratio est: quia, licet talis ex duplici titulo obligetur, utrumque tamen præceptum jejunii Ecclesiastici obligat ex eodem motivo virtutis Temperantiæ: atqui peccata non multiplicantur numero ex multiplicitate præceptorum, quando eandem virtutem respiciunt. Unde in simili omittens auditionem Missæ die Dominico, in quem incidit Festum de præcepto, non peccat duplici peccato (b)

49. Additur notanter in Conclusione, *ex duplici præcepto Ecclesiæ obligatus*; dum videlicet omnia Jejunia Ecclesiastica ex eodem motivo formali virtutis Temperantiæ injunguntur: Nam secus dicendum, si quis obligetur ad jejunium ex duplici præcepto, quod procedit ex motivo diversarum virtutum; ut puta quando quis tenetur jejunare ex Voto, sicque ex motivo formali virtutis Religionis; simulque ex motivo Temperantiæ, ratione concurrentis præceptis Jejunii Ecclesiastici: nam violans hujusmodi Jejunium, duplici specie peccati peccabit, nimirum & contra Temperantiam, & contra virtutem Religionis. (c)

50. CONCL. VIII. Si quis cessante causa rationabili excusante deliberate statuit, per totam Quadragesimam nunquam jejunare, ratione hujus pravæ voluntatis unum numero peccatum committit, gravius tamen: quod si vero postmodum hæc voluntas executioni mandetur, tot committuntur peccata numero distincta omissionis externæ Jejunii, quot sunt dies jejunales. Ita Filliuc. *tract. 27. cap. 5. n. 87.* & concordant superius (d) dicta. Ratio primæ partis est: quia dum quis statuit, non jejunare per totam Quadragesimam, actus hic respicit omnia illa Jejunia per modum unius objecti adæquati non autem fertur voluntas distincte super singulos dies Quadragesimæ. Altera pars ex eo probatur: quia obligatio Jejunii est singulis Quadragesimæ diebus (Dominicis dumtaxat exceptis) affixa; ergo & singulis illis diebus tenetur quis jejunare, & dum non jejunat, committit consummatam omissionem externam jejunii præcepti.

51. CONCL. VIII. Peccant insuper contra hoc præceptum Jejunii, qui alios ad jejunium violandum scienter inducunt. Ita communis. Quia tunc tales censentur aliis cooperari in fractione Jejunii: est enim regula generalis, quod non solum peccet, qui præceptum transgreditur, sed etiam, qui causa est, ut illud alii transgrediantur absque legitima causa. Hinc peccant Patresfamilias & Oeconomi, qui subditis suis præbent cibos vetitos, quibus jejunium solvant: quinimo non solum non debent tales cibos ministrare, sed etiam monere, & curare ex lege Charitatis, ut subditi cessante justa causa excusante jejunium servent. Non tamen tenentur ipsos cogere ad servanda jejunia; nimis enim rigorosum, & durum id esset. Filliucius *ibid. n. 91.*

52. CONCL. IX. Caupo, si adventantibus cibos vetitos, utputa carnes, apponat in locis Catholicis, graviter peccat, nisi urgeat necessitas, aut hospes habeat facultatem eas comedendi. Patet hoc ex priori Conclusione. Additur, *in locis Catholicis*: nam in locis Hæreticorum, ubi communiter non observantur jejunia, non esset illicitum carnes apponere; dummodo tamen hospites ipsas petant, vel non posset Caupo recusare sine suo gravi incommodo, quia v.g. ab hospitibus ad aliud hospitium perrecturis deserendus, vel a Magistratu puniendus foret.

53. Quantum ad cœnam attinet, si quidem constet, hospites non teneri ad jejunium, clarum est, eam posse ministrari. Verum quando constat eos teneri, tunc si Caupo potest sine suo incommodo negare cœnam, tenetur: quia quilibet lege Charitatis obligatur impedire offensionem Dei, quantum commode potest. Si vero sine incommodo negare nequeat, utputa quia hospites alio discessuri, & ibidem cœnaturi essent, aut gravius Deum offensuri blasphemando, vel maledicendo, tunc Caupo non peccat petentibus ministrando. In dubio autem, an hospites teneantur jejunare, & cœnam petant, præsumi potest eos excusari, sicque cœnam porrigi. Filliucius *loc. cit. n. 92. 93.* & alii.

54. Circa obligationem Jejunii variæ hoc loco possent formari Quæstiones quoad peregrinos & advenas, an quomodo obligentur ad Jejunia particularia locorum, per quæ transeunt, & universalia totius Ecclesiæ. Verum de his copiose jam dictum *Tract. 2. Dist. 3. Quæst. 3. & 4.* Ibi videatur.

QUÆSTIO IV.

Quæ causæ a Jejunio excusent?

SUMMARIUM.

55 *Sensus Quæstionis, & quid de usu carnium?*
56 *Generatim tres causæ excusant a Jejunio, impotentia, Pietas, Necessitas, seu labor.*
57 *Ratione impotentia excusantur. 1. Physice impotentes.*
58 *II. Moraliter impotentes, ut infirmi &c.*
59 *Alioquin carentes somno necessario, vel vertiginem patientes.*
60 *Mulieres gravidæ, aut lactantes, Adolescentes, Pauperes,*
61 *Et Senes.*
62 *Sexagenarii, an omnes excusentur?*
63 *Resolutio.*
64 *Quid de fœminis quinquagenariis?*
65 *Ratione Pietatis, qui excusentur a Jejunio?*
66 *Declaratur idipsum.*
67 *Corollaria.*
68 *Ratione Necessitatis, seu Laboris corporalis, qui excusentur?*
69 *Limitatio quoad labores aliquorum exigues.*
70 *Itinerantes, an, & quando excusentur a jejunio?*
71 *Quid, si iter non sit necessarium?*
72 *Bona fide non jejunans, haud peccat;*
73 *Secus, si quis dubitet, an habeat justam causam non jejunandi.*
74 *Dispensatio legitima excusat a jejunio.*
75 *Et quæ ad eam requirantur.*
76 *Episcopi possunt dispensare in jejuniis. Item Prælati Regulares cum suis.*
77 *Parochi an dispensare valeant cum Parochianis?*
78 *Causa hactenus allatæ, an excusent a jejunio ex Voto debito?*
79 *Quid, si constet de alia vovendi intentione.*
80 *Exemplum de FF. Minoribus.*

55. Advertendum, quod præsens Quæstio præcipue loquatur de causis ab observatione Jejunii excusantibus, quatenus per præceptum Jejunii unica duntaxat comestio permittitur, non vero, quatenus esus carnium prohibetur: siquidem comestio carnium multo difficilius, nec nisi ratione gravioris necessitatis conceditur. Et hæc quidem si evidens sit ac urgens, neque commode Superior adiri possit, licitum erit manducare carnes, & alios cibos vetitos, etiam absque ulla dispensatione: quod si tanta necessitas non urgeat, aut de ea evidenter non constet, dispensatione Superioris opus erit, juxta Doctores passim.

56. CONCL. I. Quamvis causæ justæ, quibus Fideles ab obligatione Jejunii excusentur, multiplices esse possint; eæ tamen commode ad tria capita revocantur, nempe ad Impotentiam, Pietatem, & Necessitatem. Ita Regnaldus *lib. 4. n. 204.* quamvis nonnulli loco tertii membri ponant laborem. Ratio est: quia, quando per observantiam præcepti Jejunii læderetur bonum corporis, excusat Impotentia; quando bonum animæ seu spiritus, excusat Pietas; & quando læderetur substantia externa, excusat Necessitas, seu Labor ad bona externa sive acquirenda, sive conservanda necessarius.

57. CONCL. II. Ratione Impotentiæ excusantur illi, qui sine gravi aliquo incommodo, vel notabili damno, jejunare non possunt. Ita communis. Siquidem per Impotentiam non intelligitur tantummodo impotentia physica, quæ tunc contingit, quando quis non potest absolute jejunare; sed etiam impotentia moralis, quæ accidit, quando quis absque notabili damno jejunare nequit.

58. Sic primo ratione impotentiæ moralis excusantur a jejunio infirmi, & convalescentes, etiamsi infirmitatem propria culpa contraxerint: nam quantum ad propositum, non est attendenda culpa præterita, ob quam infirmitas contracta est: sed ipsa præsens impotentia, ob quam quis jejunare nequit, sed indiget multiplici refectione.

59. Insuper ob dictam rationem excusari possunt, qui aliquid cibi noctu capiunt, ne necessario somno careant; aut quidpiam comedunt ad evitandam capitis vertiginem, vel membrorum tremorem, aut hujusmodi. Tum quia tale quid potius sumitur per modum medicinæ: tum, quia Ecclesia non censetur obligare cum tanto detrimento corporali. Bonacina *punct. ult. de Jejunio n. 2.* & alii.

60. Deinde hac de causa excusantur mulieres gravidæ, aut lactantes, utpote quibus tum pro se, tum pro suo fœtu, opus est copiosiore cibo. Insuper excusantur adolescentes ante vigesimum primum ætatis annum completum, juxta dicta *num. 41.* & *42.* Rursum excusantur pauperes, qui propter paupertatem alimento carent sufficienti ad unam congruam refectionem in die Jejunii sumendam: quinimo si alium cibum invenire non possunt, hi etiam carnes sibi datas licite comedunt; nam Ecclesiæ præceptum non obligat sub tam gravi incommodo.

61. Tandem Jejunio excusantur Senes: nam senectus ipsa est morbus, & quidem incurabilis, atque indigens moderato & frequentiori cibo. Et quidem certum est de Senibus septagenariis, quia ut plurimum sunt infirmi, atque egent crebriori moderata refectione: non enim possunt semel totum alimentum naturæ sufficiens sumere, cum id ob caloris naturalis defectum, qui senectutem comitatur, concoquere non valerent.

62. Quinimo multi Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 7. de Matrimon. disput. 52. num. 17.* & Mastrius *loc. citat. num. 20.* eximunt quoscunque Sexagenarios a Jejunio: quia (inquiunt) senum sanitas non est firma & constans, sed fallax & incerta, mediaque inter morbum & sanitatem perfectam, atque ex levi momento in morbum decidit; unde *senibus simili ratione iis, qui ex morbo convalescunt, in victu esse curandum*, notat Galenus *lib. 5. de Sanitate tuenda.*

63. Verum Lessius *lib. 4. c. 2. n. 41.* Layman *lib. 4. tract. 8. cap. 3. num. 2.* Bonacina *num. 4.* & alii ab ipsis relati, hoc quidem ordinarie procedere ajunt, eo quod illa ætas pluribus subjacere soleat incommodis, & natura tunc facile tum inedia, tum repletione graviter lædatur, & præcipitetur: nihilominus tenent, Sexagenarios non esse absolute eximendos a Jejunio, dum constat non esse debiles, aut infirmos, sed sine damno jejunare possunt. In dubio autem, an sint robusti & habiles ad jejunandum, fatentur omnes, ejusmodi Senes non teneri jejunare: quia stante tali dubio, exponerent se periculo gravis incommodi.

64. Ad-

64. Addit citatus Sanchez, sententiam aliquorum, qui fœminas quinquagenarias ob fragilitatem sexus sui censent a Jejunio excusari, sicut viros sexagenarios, esse opinionem probabilem speculative loquendo, sed in praxi non tutam. Et revera, nisi alia corporis debilitas accedat, aut constet, talem personam viribus jam defecisse, eadem in praxi sequenda non est; imo ipsam omnino improbabilem censet Layman *c. n. 2. §. illud.*

65. CONCL. III. Ratione Pietatis excusantur a Jejunio, quicunque operibus præstantioribus, ac majoris momenti incumbunt, quæ una cum jejunio absque gravi incommodo perficere nequeunt; ut sunt opera Misericordiæ, tum corporalis, tum spiritualis; item opera Religionis, ut concionari, docere, Sacramenta administrare, ac hujusmodi. Ita communis. Ratio est: quia labor mentis, ipsiusque ingenii, etiam redundat in corpus, illud affligendo, atque extenuando. Deinde Ecclesia suo præcepto intendit promovere fideles ad opus bonum, non autem retrahere a meliori bono, seu operibus præstantioribus, ut sunt opera enumerata, & hujusmodi. Et hoc verum est, sive deinde opera illa gratis exhibeantur, sive ob mercedem.

66. Dicitur in Conclusione, *quæ absque gravi incommodo perficere nequeunt*. Nam secus dicendum, si opera illa sint facile compatibilia cum Jejunio: quod quidem in praxi dijudicandum erit juxta arbitrium viri prudentis, spectata talium operum qualitate, & attenta ipsius operantis complexione. Porro in dubio melius erit ad tollendos omnes scrupulos, ut Superior cum talibus dispenset: quia circa hoc regula certa & universalis assignari non potest, nisi quod lex Jejunii Ecclesiastici non obligat cum magna difficultate, res tota magis declaratur exemplis.

67. Sic excusantur Concionatores, qui prædicant integra Quadragesima, quia valde laborant: secus, si tantum semel prædicent, nisi multum debilitentur. Similiter Lectores, Confessarii, imo & Cantores, Advocati, Judices, Medici, & alii hujusmodi, qui in suo munere sunt assidui, atque cum magna mentis & ingenii occupatione per totum diem studiis, lectionibus, & compositionibus intenti existunt, adeo ut suum officium agere nequeant cum Jejunio, excusantur ab eo: secus, si studium &c. sit leve. Et ita loquendo de aliis similibus.

68. CONCL. IV. Ratione necessitatis, sive laboris corporalis, excusantur a Jejunio, quotquot labore suo victitant, cum quo jejunium commode consistere non potest, quales sunt Agricolæ, & ferme Mechanici omnes. Nec refert, utrum sint pauperes, vel divites: quia hoc ipso quod, ex officio laborant, excusantur a Jejunio, si re ipsa laborem subeant; prout declarasse Eugenium IV. post alios refert Lessius *cit. c. 2. n. 43.* Accedit ratio: tum quia Ecclesia diebus jejunalibus nulli prohibet consueta servitia, & labores subire. Tum quia labor corporalis, si gravis sit & ferme continuus, valde corpus defatigat, ejusque vires extenuat, adeo ut laborantibus opus sit frequentiori cibo pro restauratione virium.

69. Dicitur, *& ferme Mechanici omnes*: Quia communiter excipiuntur pictores, quorum opus est ingenii potius, quam virium: item Sculptores, Sartores, & Barbitonsores, quorum labor, cum sit exiguus, per se loquendo non excusat a Jejunio. Hinc Alexander VII. sequentem inter alias, ordine 30. Propositionem damnavit: *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.* Veruntamen in casibus particularibus attendendum, an non tales quandoque excusentur ex aliis titulis; utputa ratione paupertatis, si non habent alimentum sufficiens pro una competenti refectione; vel alicujus debilitatis adjunctæ, aut hujusmodi.

70. Ob eandem causam ordinarie excusantur a Jejunio itinerantes, præsertim pedites, si suscipiant longum iter, puta iter totius diei, vel iter quindecim, viginti, aut duodeviginti milliarum Italicorum, prout exemplificat Bonacina *nu. 11.* & Azorius *part. 1. lib. 7. c. 17. qu. 9.* hic enim censetur gravis labor interventus. Secus dicendum, regulariter loquendo, de iis, qui equitando, vel curru vehendo, tale iter perficiunt: nam hoc genus itineris non ita defatigat. Unde & Alexander VII. sequentem inter alias Propositionem, ordine 31. damnavit: *Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.* Quod si vero iter longius sit, aut probabile periculum subsit superventuræ debilitatis ob nimiam

cor-

corporis agitationem, etiam equitantes, vel curru vecti a lege Jejunii excusabuntur. Et hisce curru, aut equo iter agentibus, annumerandi videntur ii, qui per aquam ratibus, aut navibus vecti, itinera sua necessaria perficiunt: nam ex una parte tales aqua vecti, non ita defatigari solent, sicuti pedibus incedentes, ex altera vero parte etiam aquei humores multum molestant, atque extenuant corpus humanum, ejusque vires debilitant. Quamquam in casibus particularibus hoc ipsum pensata via diuturnitate, ac temporis, complexionisque conditione, aliisque circumstantiis, pio proborum virorum judicio sit dimetiendum.

71. Cæterum allatam doctrinam de itinerantibus non pauci Doctores intelligendam censent de itinere necessario, & quod commode differri non potest: unde & allata Propositio damnata habet annexam clausulam illam: *Etiamsi iter necessarium non sit*. Et quamvis Azorius *l. c.* afferat, eum, qui laudando valde est defatigatus, adeo ut cibo ulteriori indigeat, tuto Jejunium solvere: nox tamen addit, si in fraudem legis se adeo quis laudando defatigaverit, peccatum committi per hoc, quod absque necessitate detur causa frangendi ex lassitudine jejunium, licet ea jam data non amplius peccetur in solvendo jejunio.

72. CONCL. V. Qui Jejunium non servat, bona fide putans, se justum non jejunandi causam habere, non peccat, quamvis ea ipsa non sit justa, & sufficiens causa illa. Ita Reginaldus *l. c. n.* 122. Bonacina *punct. ult. n.* 20. & alii. Ratio est, quia bona fides eum excusat.

73. Secus dicendum de eo, qui dubitat, an habeat justam causam non jejunandi: is enim tenetur jejunare. Ratio est: quia in dubio judicandum est pro possidente: sed possessio stat pro lege Jejunii; ergo stante dubio Jejunium est observandum. Intellige, nisi a Superiore dispensetur cum ipso in Jejunio, vel nisi is dubium præcise deponat confessio Confessarii, seu alterius viri probi & prudentis, aut alia ratione.

74. CONCL. VI. Supra recensitis causis a Jejunio excusantibus addi potest alia causa, magis tamen extensiva, videlicet legitima Superioris dispensatio. Ita omnes Doctores; & patet ex ipsa Ecclesiæ, non raro dispensantis, consuetudine. Advertendum tamen quod dispensatione opus non sit, quando necessitas est evidens, sed solum, quando ea est dubia; idque sive ad esum carnium, sive ad secundam tantum refectionem.

75. Porro, ut ejusmodi dispensatio sit valida & licita, requiritur causa rationabilis; id est, talis, quæ quidem sufficiens videtur; adhuc tamen de ejus sufficientia ad excusandum a jejunio dubitatur, ideoque ad Superiorem recurritur, ut ipsius authoritate suppleatur, si quid deficit. Et quidem minor causa, eaque privata sufficit, ut cum uno vel altero in lege Jejunii per authoritatem Superioris dispensetur, major vero, eaque publica, ut cum integra Communitate dispensari valeat.

76. Cæterum ejusmodi Superior, habens legitimam facultatem dispensandi in lege Jejunii cum suis subditis, est Episcopus, aut Prælatus respectu suorum Religiosorum. Ratio est: quia ad Episcopum pertinet dispensatio Juris communis in illis casibus, qui frequenter accidunt; idque tum ex præsumpta, & interpretativa voluntate Summi Pontificis, ut pote ad quem ob casuum frequentiam difficilis foret accessus pro obtinenda semper circa Jejunium dispensatione; tum ex longeva consuetudine, ac præscriptione; alioquin certe Fidelium Communitati non esset sufficienter provisum. Et hæc eadem ratio militat de Prælatis Regularibus respectu suorum Religiosorum, ut pote *in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent*, ut dicitur *c. Abbates de Privileg. in 6.*

77. Addunt Doctores, etiam Parochos ex causa rationabili posse cum particularibus Parochianis dispensare in lege jejunii; est enim Parochi (imo & Episcopi) non habemit potestatem supra Jus commune, quo præceptum est jejunium, tamen sive ex tacito consensu Pontificis, sive ex longæva consuetudine, & præscriptione, eisdem acquisita est jurisdictio, & facultas ista dispensandi. Et hoc quidem passim fatentur Doctores in casibus illis, quando Episcopus est absens, imo etiam præsente Episcopo, utpote ad quem gravioribus negotiis implicatum non tam facilis patet aditus, præsertim hominibus vilioribus, ad obtinendam dispensationem, posse Parochum cum aliquibus in casu particulari, atque ex justa causa dispensare in lege jejunii, probabilius censet Mastrius *l. c. n.* 26. cum aliis, quos allegat.

78. Quæres; an cause, quæ juxta dicta excusent a Jejunio Ecclesiastico, pariter excusent a Jejunio ex Voto debito? Resp. Affirmative, dummodo non constet de alia voventis intentione. Ita Sanchez *lib. 4. in Decal. c. 11. n. 14.* Bonacina *c. punct. ult. n. 4.* & alii. Ratio est: quia Votum est lex privata, quam sibi quisque sponte imponit; ergo si non constet de alia voventis intentione, est interpretandum juxta dispositionem aliarum legum circa eandem materiam, & consequenter eædem causæ utrobique excusabunt.

79. Additur notanter, *dummodo non constet de alia voventis intentione*: Alioquin enim hæc erunt attendenda: nam sicut quis vovendo sponte sibi legem imponit, ita strictiorem, si voluerit, imponere valebit. Sic potest adolescens ex Voto obligari ad Jejunium ante vigesimum primum ætatis annum, ut dictum *n.* 44.

80. Deinde loquendo de FF. Minoribus, ex vi Regulæ ipsorum major requiritur necessitas, ut jejunare non teneantur, in jejuniis Regulæ, quam in jejuniis Ecclesiæ: nam ad excusandum in jejuniis Ecclesiæ, non requiritur nisi probabilis necessitas; sed in jejuniis Regulæ requiritur manifesta, ut patet ex *c. 3. Regulæ* ibi: *Tempore vero manifestæ necessitatis non teneantur Fratres jejunio corporali*; ac notat Petrus Marchantius *ibid. q. 3.* & alii Expositores, quidquid nonnulli contradicant.

DISTINCTIO III.

De quarto, & quinto Præcepto Ecclesiæ, sive de Annua Confessione, & Communione Paschali.

QUÆSTIO I.

Quid sit, & quo Jure, ac quando obliget Confessio Sacramentalis?

SUMMARIUM.

1 *Quartum Ecclesiæ Præceptum quale?*
2 *Confessio Sacramentalis, quid?*
3 *Ex jure Divino necessaria est omnibus peccatum mortale committentibus post Baptismum.*
4 *Probatur hoc ulterius.*
5 *Præceptum Confessionis non statim obligat post peccatum mortale.*
6 *Quid, si subsit periculum obliviosæ peccatorum?*
7 *Confessionem est illico post Peccatum agere pœnitentiam; cur?*
(a) Ut dictum Tract. 1. Dist. 2. n. 46.
8 *Peccator modo moraliter evitat novum peccatum.*
9 *Præceptum Confessionis obligat in mortis articulo sub periculo.*
10 *Corollaria.*
11 *Jure Divino obligat etiam quandoque extra eventus articulares.*
12 *Hinc merito Ecclesia præcipit Confessionem annuam.*

1. QUartum Ecclesiæ Præceptum sequentibus verbis comprehenditur: *Peccata tua Sacerdoti proprio annis singulis confiteris*. De quo in Concilio Generali Lateranensi, seu Innocentio III. celebrato, & refertur *c. Omnis utriusque sexus, de Pœnitentiis & remissionibus*, sic statutum habetur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere*: Quod præceptum Ecclesiasticum ut clarius intelligatur, nonnulla præmittenda videntur: hinc fit.

1. CONCL. I. *Confessio Sacramentalis* est accusatio legitima de propriis peccatis, facta coram Sacerdote, ad eorum veniam impetrandam virtute Clavium. Ita in re communis. Et quidem ly *accusatio*, stat loco generis, reliqua ponuntur loco differentiæ. Porro per ly *ad eorum veniam impetrandam virtute Clavium*, deputatur finis, ob quem fieri debet Confessio Sacramentalis, qui est consecutio veniæ, ac remissio peccatorum obtinenda virtute Clavium; id est, virtute Sacramentalis absolutionis, a Sacerdote legitimam jurisdictionem habente super confitentem prolatæ. Juxta quod Christus *Joan. 20.* dixit Apostolis, eorumque legitimis Successoribus; *Accipite Spiritum Sanctum, quorum*,

corporis agitationem, etiam equitantes, vel curru vecti a lege Jejunii excusabuntur. Et hisce curru, aut equo iter agentibus, annumerandi videntur ii, qui per aquam ratibus, aut navibus vecti, itinera sua necessaria perficiunt: nam ex una parte tales aqua vecti, non ita defatigari solent, sicuti pedibus incedentes, ex altera vero parte etiam aquei humores multum molestant, atque extenuant corpus humanum, ejusque vires debilitant. Quamquam in casibus particularibus hoc ipsum pensata via diuturnitate, ac temporis, complexionisque conditione, aliisque circumstantiis, pio proborum virorum judicio sit dimetiendum.

71. Cæterum allatam doctrinam de itinerantibus non pauci Doctores intelligendam censent de itinere necessario, & quod commode differri non potest: unde & allata Propositio damnata habet annexam clausulam illam: *Etiamsi iter necessarium non sit*. Et quamvis Azorius *l. c.* afferat, eum, qui laudando valde est defatigatus, adeo ut cibo ulteriori indigeat, tuto Jejunium solvere: nox tamen addit, si in fraudem legis se adeo quis laudando defatigaverit, peccatum committi per hoc, quod absque necessitate detur causa frangendi ex lassitudine jejunium, licet ea jam data non amplius peccetur in solvendo jejunio.

72. CONCL. V. Qui Jejunium non servat, bona fide putans, se justum non jejunandi causam habere, non peccat, quamvis ea ipsa non sit justa, & sufficiens causa illa. Ita Reginaldus *l. c. n.* 122. Bonacina *punct. ult. n.* 20. & alii. Ratio est, quia bona fides eum excusat.

73. Secus dicendum de eo, qui dubitat, an habeat justam causam non jejunandi: is enim tenetur jejunare. Ratio est: quia in dubio judicandum est pro possidente: sed possessio stat pro lege Jejunii; ergo stante dubio Jejunium est observandum. Intellige, nisi a Superiore dispensetur cum ipso in Jejunio, vel nisi is dubium præcise deponat confessio Confessarii, seu alterius viri probi & prudentis, aut alia ratione.

74. CONCL. VI. Supra recensitis causis a Jejunio excusantibus addi potest alia causa, magis tamen extensiva, videlicet legitima Superioris dispensatio. Ita omnes Doctores; & patet ex ipsa Ecclesiæ, non raro dispensantis, consuetudine. Advertendum tamen quod dispensatione opus non sit, quando necessitas est evidens, sed solum, quando ea est dubia; idque sive ad esum carnium, sive ad secundam tantum refectionem.

75. Porro, ut ejusmodi dispensatio sit valida & licita, requiritur causa rationabilis; id est, talis, quæ quidem sufficiens videtur; adhuc tamen de ejus sufficientia ad excusandum a jejunio dubitatur, ideoque ad Superiorem recurritur, ut ipsius authoritate suppleatur, si quid deficit. Et quidem minor causa, eaque privata sufficit, ut cum uno vel altero in lege Jejunii per authoritatem Superioris dispensetur, major vero, eaque publica, ut cum integra Communitate dispensari valeat.

76. Cæterum ejusmodi Superior, habens legitimam facultatem dispensandi in lege Jejunii cum suis subditis, est Episcopus, aut Prælatus respectu suorum Religiosorum. Ratio est: quia ad Episcopum pertinet dispensatio Juris communis in illis casibus, qui frequenter accidunt; idque tum ex præsumpta, & interpretativa voluntate Summi Pontificis, ut pote ad quem ob casuum frequentiam difficilis foret accessus pro obtinenda semper circa Jejunium dispensatione; tum ex longeva consuetudine, ac præscriptione; alioquin certe Fidelium Communitati non esset sufficienter provisum. Et hæc eadem ratio militat de Prælatis Regularibus respectu suorum Religiosorum, ut pote *in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent*, ut dicitur *c. Abbates de Privileg. in 6.*

77. Addunt Doctores, etiam Parochos ex causa rationabili posse cum particularibus Parochianis dispensare in lege jejunii; est enim Parochi (imo & Episcopi) non habemit potestatem supra Jus commune, quo præceptum est jejunium, tamen sive ex tacito consensu Pontificis, sive ex longæva consuetudine, & præscriptione, eisdem acquisita est jurisdictio, & facultas ista dispensandi. Et hoc quidem passim fatentur Doctores in casibus illis, quando Episcopus est absens, imo etiam præsente Episcopo, utpote ad quem gravioribus negotiis implicatum non tam facilis patet aditus, præsertim hominibus vilioribus, ad obtinendam dispensationem, posse Parochum cum aliquibus in casu particulari, atque ex justa causa dispensare in lege jejunii, probabilius censet Mastrius *l. c. n.* 26. cum aliis, quos allegat.

78. Quæres; an cause, quæ juxta dicta excusent a Jejunio Ecclesiastico, pariter excusent a Jejunio ex Voto debito? Resp. Affirmative, dummodo non constet de alia voventis intentione. Ita Sanchez *lib. 4. in Decal. c. 11. n. 14.* Bonacina *c. punct. ult. n. 4.* & alii. Ratio est: quia Votum est lex privata, quam sibi quisque sponte imponit; ergo si non constet de alia voventis intentione, est interpretandum juxta dispositionem aliarum legum circa eandem materiam, & consequenter eædem causæ utrobique excusabunt.

79. Additur notanter, *dummodo non constet de alia voventis intentione*: Alioquin enim hæc erunt attendenda: nam sicut quis vovendo sponte sibi legem imponit, ita strictiorem, si voluerit, imponere valebit. Sic potest adolescens ex Voto obligari ad Jejunium ante vigesimum primum ætatis annum, ut dictum *n.* 44.

80. Deinde loquendo de FF. Minoribus, ex vi Regulæ ipsorum major requiritur necessitas, ut jejunare non teneantur, in jejuniis Regulæ, quam in jejuniis Ecclesiæ: nam ad excusandum in jejuniis Ecclesiæ, non requiritur nisi probabilis necessitas; sed in jejuniis Regulæ requiritur manifesta, ut patet ex *c. 3. Regulæ* ibi: *Tempore vero manifestæ necessitatis non teneantur Fratres jejunio corporali*; ac notat Petrus Marchantius *ibid. q. 3.* & alii Expositores, quidquid nonnulli contradicant.

DISTINCTIO III.

De quarto, & quinto Præcepto Ecclesiæ, sive de Annua Confessione, & Communione Paschali.

QUÆSTIO I.

Quid sit, & quo Jure, ac quando obliget Confessio Sacramentalis?

SUMMARIUM.

1 *Quartum Ecclesiæ Præceptum quale?*
2 *Confessio Sacramentalis, quid?*
3 *Ex jure Divino necessaria est omnibus peccatum mortale committentibus post Baptismum.*
4 *Probatur hoc ulterius.*
5 *Præceptum Confessionis non statim obligat post peccatum mortale.*
6 *Quid, si subsit periculum obliviosæ peccatorum?*
7 *Confessionem est illico post Peccatum agere pœnitentiam; cur?*
(a) Ut dictum Tract. 1. Dist. 2. n. 46.
8 *Peccator modo moraliter evitat novum peccatum.*
9 *Præceptum Confessionis obligat in mortis articulo sub periculo.*
10 *Corollaria.*
11 *Jure Divino obligat etiam quandoque extra eventus articulares.*
12 *Hinc merito Ecclesia præcipit Confessionem annuam.*

1. QUartum Ecclesiæ Præceptum sequentibus verbis comprehenditur: *Peccata tua Sacerdoti proprio annis singulis confiteris*. De quo in Concilio Generali Lateranensi, seu Innocentio III. celebrato, & refertur *c. Omnis utriusque sexus, de Pœnitentiis & remissionibus*, sic statutum habetur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere*: Quod præceptum Ecclesiasticum ut clarius intelligatur, nonnulla præmittenda videntur: hinc fit.

1. CONCL. I. *Confessio Sacramentalis* est accusatio legitima de propriis peccatis, facta coram Sacerdote, ad eorum veniam impetrandam virtute Clavium. Ita in re communis. Et quidem ly *accusatio*, stat loco generis, reliqua ponuntur loco differentiæ. Porro per ly *ad eorum veniam impetrandam virtute Clavium*, deputatur finis, ob quem fieri debet Confessio Sacramentalis, qui est consecutio veniæ, ac remissio peccatorum obtinenda virtute Clavium; id est, virtute Sacramentalis absolutionis, a Sacerdote legitimam jurisdictionem habente super confitentem prolatæ. Juxta quod Christus *Joan. 20.* dixit Apostolis, eorumque legitimis Successoribus; *Accipite Spiritum Sanctum, quorum*,

eum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.

3. CONCL. II. Confessio Sacramentalis est a Christo Domino instituta, & omnibus conscientiam peccati mortalis post Baptismum commissi habentibus jure Divino necessaria. Ita omnes Catholici, estque novissime definitum in Concilio Trident. *Sess. 14. Can. 6.* ibi: *Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure Divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.* Et *cit. Sess. 14. c. 5.* sic habetur: *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutum etiam esse a Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure Divino necessariam existere.*

4. Eadem Catholica Veritas præter continuam traditionem, atque perpetuum sensum Ecclesiæ, desumitur ex citatis verbis Christi *Joan. 20. Quorum remiseritis peccata.* Siquidem, ut argumentatur Doctor Subtilis *4. dist. 17. q. un.* & declarat Concilium Trident. *c. 5.* per dicta verba Christus constituit Apostolos, eorumque Successores Sacerdotes, suos Vicarios, tanquam Judices habentes potestatem remittendi & retinendi peccata, in quæ Christi Fideles ceciderint. Patet autem, Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non posse, neque servare æquitatem in imponendis pœnis pro ipsis peccatis, si in genere dumtaxat, & non etiam in specie, ac singillatim oporteret pœnitentes sua peccata confiteri.

5. CONCL. III. Dictum præceptum Confessionis Sacramentalis non statim obligat, cum quis in peccatum mortale lapsus est. Ita communis, intelligendo tamen hoc salvis iis quæ in sequentibus conclusionibus dicentur. Ratio est: quia præceptum Confessionis est affirmativum, quod obligat non pro semper, sed solum pro determinato tempore.

6. Neque obstat, quod nisi quis illico confiteatur, incidat in periculum oblivisendi peccatorum commissorum. Resp. enim cum Layman *lib. 5. tract. 5. c. 5. n. 4.* & aliis, adhuc ejusmodi peccatori obliviosо non incumbere obligationem illico confitendi, vel peccata sua scriptis anotandi, cum nullo jure id expressum reperiatur. Quinimo non tenemur confiteri nisi ea peccata, quorum post diligentem discussionem habemus conscientiam, ut fatetur Concilium Trid. *Sess. 14. c. 5. & Can. 7.* Quo facto, licet quorundam habeatur inculpata oblivio; adhuc eadem virtute Sacramenti remittuntur saltem indirecte.

7. Interim tamen consultissimum est, omnibusque vel maxime suadendum, post admissum peccatum mortale quam citissime per veram contritionem ad Deum converti, imo etiam data opportunitate ad Sacramentum Pœnitentiæ per dolorosam peccati Confessionem properare. Idque tum ad citius consequendam gratiam, atque amicitiam Divinam, evitandumque periculum damnationis æternæ: tum ut opera nostra bona (quæ, si fiant in statu peccati mortalis, sunt mortua, (a) neque meritoria augmenti gratiæ cælestis) hac ratione coram Deo meritoria evadant.

8. Accedit alia ratio: quia moraliter loquendo, & regulariter, nemo constitutus in peccato mortali diu observat totam legem ac evitat novum peccatum mortale; nam ut, dicitur *Psalm. 41. Abyssus abyssum invocat.* Et S. Gregorius *lib. 1. Homil. 11. in Ezechielem*, ait: *Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, mox suo pondere in aliud trahit.*

9. CONCL. IV. Dictum præceptum Divinum de facienda Confessione Sacramentali vel maxime obligat in articulo mortis, nec non & in probabili periculo ipsius. Ita communis. Ratio est: quia non est assignabile aliud tempus, in quo hoc præceptum Divinum potius obliget, quam in mortis articulo a quo pendet tota æternitas. Accedit: quia si tunc hoc præceptum non adimpleatur, id amplius secuta morte adimpleri non poterit.

10. Et conformiter dictis inferunt Doctores, quod non solum in infirmitate lethali teneatur quis ad Confessionem Sacramentalem, sed etiam in quolibet probabili periculo mortis; id est, tunc, quando quis aggreditur actus arduos, in quibus verisimile est, quod mors immineat: ut in bello mortali, in naufragio, & hujusmodi, prout exemplificat Scotus *c. dist. 17. §. de secundo.* His addunt Summistæ fœminas primo parturientes, & quæ alias maximam in partu difficultatem expertæ sunt: siquidem de hujusmodi probabili periculo mortis æque militant rationes proximæ allatæ. Et per hoc patet altera pars Conclusionis.

11. CONCL. V. Etiam quandoque per vitæ decursum, atque extra articulum mortis, præceptum divinum Confessionis Sacramentalis

obligat omnes Fideles, conscientiam peccati mortalis habentes: quod præceptum ut a Populo Christiano generalius observaretur, optime Ecclesia in Concilio Lateranensi (*n. 1.* relato) præcepit, ut Fideles singulis annis saltem semel confiteantur. Ita præter communem Theologorum, docet Concilium Trid. *Sess. 14. c. 5.* Ubi refellens insaniem eorum calumniam, qui Confessionem a Divino mandato alienam, atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse docere non verebantur, loquitur in hæc verba: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod Jure Divino necessarium & institutum esse intellexerat; sed ut præceptum Confessionis saltem semel in anno, ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur.*

12. Ex quo clare sequitur, quod Ecclesia semper intellexerit, præceptum Confessionis quandoque extra mortis periculum obligare Jure Divino: quamvis, cum tempus illud non fuerit determinatum a Christo Domino, Ecclesia pie salubriterque, atque cum ingenti animarum fructu statuerit, ut præceptum illud ab omnibus Fidelibus impleatur singulis saltem annis; sicque tempus implendi præceptum illud Divinum determinavit.

QUÆSTIO II.

Quomodo Præceptum Ecclesiasticum annuæ Confessionis obliget?

SUMMARIUM.

13 *Præceptum annuæ Confessionis, quos obliget? An se præcepto Confessio venialium.*
14 *Quid agendum habendi sola venialia?*
15 *Confessio communiter fit in Paschate, ejs sufficeret semel in anno confiteri.*
(b) Ac refertur supra *n. 1.*
16 *Solvitur instantia.*
(c) Tract. 14. dist. 2. q. 3. Concl. 3.
17 *In Paschate non confessus tenetur confiteri per annum.*
18 *Quid de confesso sola venialia, si postea peccet mortaliter?*
19 *Annus, quomodo sit computandus?*
20 *Præcepto Ecclesiastico non satisfit per Confessionem scienter invalidam.*
21 *Pueri quando teneantur ad Confessionem?*
22 *Circa pueros in praxi quid observandum.*
23 *Præsertim a Confessario?*
24 *Alia a Confessario observanda.*

13. CONCL. I. Præceptum Ecclesiasticum annuæ Confessionis obligat omnes Fideles conscientiam peccati mortalis habentes, eosque solos. Ita Theologi communiter. Ratio est: quia Ecclesia non præcipit Confessionem peccatorum dumtaxat venialium. Tum quia hæc multis aliis remediis expiari possunt, ut fatetur Concilium Trid. *c. sess. 14. c. 5.* Tum quia præceptum illud Ecclesiasticum, est determinatio præcepti Divini: atqui hoc est de peccatis dumtaxat mortalibus; ergo & illud.

14. Notant tamen Doctores, ex consuetudine Ecclesiarum, atque ad avertendum scandalum, receptum esse, ut Fideles omnes ante Communionem Paschalem Sacerdoti proprio se sistant, & si mortaliter nunquam se peccasse asseverent, super ea re Confessarii judicio sese subjiciant. Quinimo in praxi utilissimum erit, etiam sola venialia confiteri, propter uberes ex Sacramento Pœnitentiæ fructus provenientes.

15. CONCL. II. Quamvis ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico sufficiat semel in anno confiteri, nihilominus ist hæc Confessio communiter in Paschate fieri, atque Communioni Paschali præmitti solet. Ita communior, & probabilior Doctorum, nonnullis exceptis, qui volunt, præceptum Confessionis per se obligare in Paschate, & non tantum per accidens ratione Communionis Paschalis. Prior pars desumitur ex Concilio Lateranensi *c. Omnis utriusque sexus, de pœnit. & remiss.* (b) ubi plus non requiritur, quam ut *omnis fidelis omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur*: quæ verba, nisi quis vim inferat, intelliguntur de toto tempore a principio usque ad finem anni, prout argumentatur Lugo *disp. 15. de Sacr. Pœnit. sect. 8. n. 157.*

16. Nec obstat communis consuetudo confitendi in Paschate, & quod tunc in plerisque locis soleat exigi testimonium Confessionis Paschalis; simulque, quod in *Extrav. vicis illius, de Treguæ & pace* dicatur: *De jure tenetur Parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti.* Resp. enim, hoc totum fieri per accidens, & ratione Communionis Paschalis; sive, quia tunc urget præceptum sumendi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cujus dignæ perceptioni, habita copia Confessarii, præmittenda est confessio Sacra-

cramentalis, nec sufficit sola Contritio de commisso peccato mortali; prout declaravit Concilium Trid. *Sess. 13. c. 7.* & amplius suo loco (c) dicetur. Et per hoc patet altera pars Conclusionis.

17. Infertur proinde, quod si quis sive culpabiliter, sive ob legitimum impedimentum, in Pascha te non est confessus, is postmodum per anni decursum confiteri teneatur: quia toto anno urget hoc præceptum, neque illud est affixum tempori Paschali, ita ut cum illo transeat, sicut transit obligatio audiendi Missam die Festo.

18. Infertur secundo, quod is, qui Tempore Paschali confessus est sola venialia, teneatur adhuc confiteri mortale, tunc invincibiliter omissum. Quin etiam observat Lugo *loc. cit. n. 126.* quod si quis per totum annum frequenter confitetur sola venialia, quæ habet, & circa finem anni pecces mortaliter, obligetur hoc præcepto ad confitendum eadem adhuc anno illud peccatum mortale. Siquidem Ecclesia præcepit dumtaxat Confessionem mortalium semel in anno peragendam, qualem in casu quis necdum fecisse supponitur.

19. Quæres autem: quomodo annus iste sit computandus? Resp. duos dicendi modos cæteris esse probabiliores. Primus est eorum Theologorum, qui putant, annum esse computandum a die primo Januarii, & deinceps usque ad initium sequentis anni; cum isto die communiter censeatur novus annus incipere, & prior desinere. Secundus dicendi modus est illorum, qui asserunt, annum computandum esse a Paschate in Pascha, intelligendo per Pascha omnes illos dies, in quibus potest impleri præceptum Communionis Paschalis. Et hunc computationi consonat praxis, atque communior sensus Fidelium, arbitrantium, se dicto præcepto Ecclesiastico satisfecisse, postquam Paschali Tempore confessi sunt: quamvis etiam pro tunc, juxta computum prioris sententiæ, semel in anno confessi intelligantur. Unde patet, quod præsens quæstio in praxi parum urgeat.

20. CONCL. III. Præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis non satisfit per Confessionem sacrilegam, & scienter invalidam. Ita nunc pro certo tenendum nam oppositam quorundam sententiam rejecit Alexander VII. dum sequentem inter alias Propositionem; ordine 14. condemnavit: *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Accedit ratio. Tum quia, qui voluntarie facit Confessionem invalidam, revera non recipit Sacramentum Pœnitentiæ cum ad hoc necessario requiratur vera, integra, & dolorosa Confessio. Tum quia Christus, & Ecclesia, præcepit talem Confessionem; quæ conducibilis est ad consequendam remissionem peccatorum virtute Sacramenti Pœnitentiæ: atqui talis non est Confessio voluntarie nulla, & sacrilega; ergo.

21. Quæres quandonam teneantur Pueri ad Confessionem annuam? Resp. Eos teneri postquam ad annos discretionis pervenerunt, semelque in peccatum mortale lapsi sunt. Ratio est clara: quia nullum est præceptum; ne quidem Ecclesiasticum, continendi sola venialia.

22. Interim tamen, cum parentibus, vel præceptoribus, de primo peccato mortali puerorum constare nequeat, omnino consultum est, atque in praxi necessarium, ipsos tempestive de necessariis ad Confessionem requisitis instruere, atque post affectos annos discretionis ad Confessionem mittere, ut eidem paulatim assuescant, atque (si opus fuerit) præcepto Ecclesiastico satisfaciant.

23. Confessarius autem, utrum hujusmodi Pueri, vel Puellæ sint capaces absolutionis, dijudicare debebit; non quidem ex sola ætate, num videlicet septennium impleverint (quamvis post illam ætatem de usu rationis præsumptio esse soleat *arg. cc. Litteras de Despensat. impub.*) sed multo magis ex ingenii, atque educationis qualitate: multi enim post eam ætatem primum, aliqui vero citius consequuntur sufficientem usum rationis, ut non solum peccati venialis, sed etiam mortalis capaces existant.

24. Insuper, postquam Confessarius circumstantiis consideratis judicavit, Puerum vere ac deliberate peccasse, sive mortaliter, sive saltem venialiter, considerare debebit; utrum ille de peccato doleat; & quidem ex motivo non mere humano, utputa; quia a patre castigatus fuit, sed ex motivo supernaturali per fidem cognito, videlicet propter offensam Dei, metum pœnæ æternæ, aut Purgatorii, vel turpitudinem peccati. Sunt enim aliqui adeo natura vagi, ut licet satis dispositi fuerint ad peccatum, non tamen dispositi sint ad dolorum supernaturalem eliciendum: qui proinde vel prius per Confessarium disponendi sunt, vel si id tam cito fieri nequeat, eisdem, dummodo necdum mortaliter peccaverint, oratio quasi loco pœnitentiæ imponatur, & benedictio (quandoque vero absolutio) Cruce super eos formata impertiatur. Quod si vero omnibus consideratis adhuc dubium remaneat de Pueri capacitate, tunc absolutio dari potest sub conditione: *Si es capax, ego te absolvo &c.* Imo talis in mortis articulo sic absolvi debebit. Layman *lib. 5. tract. 5. c. 5. n. 7.* & alii.

QUÆSTIO III.

An, & quæ sit Obligatio Juris tum Divini, tum Ecclesiastici, sumendi Eucharistiam?

SUMMARIUM.

25 *Quintum Ecclesiæ Præceptum, quod?*
26 *Jure Divino tenentur fideles sumere SS. Eucharistiam, & quidem sæpius.*
27 *Tempus hujus obligationis determinavit Ecclesia, præcipiendo Communionem Paschalem.*
28 *Huic præcepto non satisfit per Communionem sacrilegam.*
(d) Tract. 2. Dist. 1. n. 48. & seqq.
29 *Corollarium.*
30 *Ad S. Communionem requiritur jejunium naturale.*
31 32 33 *Illud jejunium declaratur per Rubricas Missalis.*
34 *In periculo mortis potest sumi Eucharistia a non jejunis.*
35 *Et sæpius per modum viatici.*
36 *An, qui nunc communicavit sanus, teneatur, vel possit communicare per modum Viatici.*

25. QUintum Ecclesiæ præceptum hisce verbis exprimi solet: *sacrosanctam Eucharistiam ad minimum semel in anno, idque circa Festum Paschæ sumere.* Et hoc præceptum Ecclesiasticum habetur in Concilio Generali Lateranensi, sub Innocentio III. celebrato, atque refertur *cc. c. Omnis utriusque sexus, de pœnit. & remiss.* ibi: *Suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum; alioquin, & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana carere sepultura.* Hæc ibi. Quod, ut melius intelligatur, præmittendo nonnulla de præcepto Juris Divini, sit.

26. CONCL. I. Extat præceptum divinum, obligans omnes Fideles adultos, sumendi SS. Eucharistiam, non tantum in articulo mortis per modum Viatici, sed etiam ante illud periculum, & quidem sæpius in vita. Ita communis; atque desumitur ex verbis Christi, *Joan. 6. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* cum concordantiis. Accedit ratio: quia Eucharistiæ Sacramentum a Christo Domino institutum fuit per modum alimenti spiritualis; ergo non minus, atque alimentum corporale, sæpius in vita sumendum est ad reficiendas vires animæ.

27. CONCL. II. Etsi præceptum Divinum sæpius per vitæ decursum per se obliget Fideles adultos ad sumendam SS. Eucharistiam nihilominus ejusmodi tempora non possunt generatim determinari, sed definienda sunt prudenti judicio, ita tamen, ut Sacra Communio non nimium differatur: unde, ut huic præcepto Divino generalius, atque majori cum fructu animarum satisfiat, Sancta Mater Ecclesia pie admodum præcepit, ut Fideles post annos discretionis ad minus in Paschate Sacramentum Eucharistiæ reverenter suscipiant. Ita communis; & patet ex Concilio Lateranensi *n.* 25. allegato.

28. CONCL. III. Huic præcepto Ecclesiastico Communionis Paschalis non satisfit per indignam hujus sanctissimi Sacramenti susceptionem. Ita defacto indubitanter tenendum, quidquid nonnulli olim in contrarium scripserint. Siquidem novissime Innocentius XI. sequentem inter alias Propositionem, ordine 55. damnavit: *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Et merito; quia Ecclesia in citato Concilio Generali præcepit, ut fideles suscipiant *reverenter* in Paschate Eucharistiæ Sacramentum: atqui hoc non fit per sacrilegam Communionem; ergo. Accedit, quod Ecclesia saltem indirecte, & concomitanter possit præcipere actus internos, prout suo loco (d) jam dictum.

29. Et hinc infigne communicans in Paschate, non solum peccat gravissime contra præceptum Divinum, sacrilege illud SS. Sacramentum sumendo; sed etiam contra præceptum Ecclesiasticum, non reverenter suscipiendo Communionem Paschalem, ac proinde tenetur iterum, & digne communicare.

30. CONCL. IV. Ad recipiendum digne Sacramentum Eucharistiæ, extra mortis articulum, jure Ecclesiastico requiritur, ut quis a media nocte illius diei sit jejunus jejunio naturali. Ita communis; & habetur

c. Sa-

c. Sacramenta de Conſec. diſt. 1. & 2. Nihil 7. q. 1. cum concordantiis.

31. Porro in praxi, quantum ad propoſitum, bene notanda ſunt verba Rubricarum Miſſalis Romani. *Tit. 9. De defectibus diſpoſitionis Corporis.* Ita ſtatuentium: *Si quis non eſt jejunus poſt mediam noctem, etiam poſt ſumptionem ſolius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantitatecunque parva quantitate, non poteſt communicare, nec celebrare.*

32. *Si autem ante mediam noctem cibum, aut potum ſumpſerit, etiamſi poſtmodum non dormierit, nec ſit digeſtus, non peccat: ſed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, conſulitur aliquando abſtinendum.*

33. *Si reliquiæ cibi remanentes in ore tranſglutiantur, non impediunt Communionem; Cum non tranſglutiantur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ. Idem dicendum ſi lavando os deglutiatur ſtilla aquæ præter intentionem.* Hactenus Rubricæ.

34. CONCL. V. Nihilominus in articulo mortis, cum tunc urgeat vel maxime præceptum Divinum ſumendi Euchariſtiam, poteſt etiam non jejuno hoc Sacramentum porrigi per modum Viatici. Ita communis Doctorum, extendentium hoc pariter ob probabile periculum mortis; & conſtat ex praxi, & conſuetudine Eccleſiæ.

35. Addunt Doctores, quod qui in ejuſmodi articulo mortis Sacram Synaxin recepit perſeverante morbo, atque eodem periculo, poſſit iterum atque ſæpius communicari per modum Viatici: quia morituro valde indiget hoc alimento animæ ad vincendas tentationes tunc temporis magis occurrentes, & ſuperanda pericula peccandi.

36. Num autem moribundus, qui mane communicaverat ſanus, debeat, vel poſſit eodem adhuc die ſumere Euchariſtiam per modum Viatici, variant Doctores; prout videre eſt apud Gobat *tract. 4. Theol. Exper. n. 174. & ſeq.* Qui poſtmodum recte negat, exiſtentem in tali caſu obligari ad denuo communicandum eodem die. Deinde aſſerit, probabilius eſſe, quod ne quidem liceat: etſi nihilominus probabile ſit, quod liceat.

QUÆSTIO IV.

Varia Quæſita circa ſumptionem Sacramenti Euchariſtiæ ſolvuntur?

SUMMARIUM.

37 *An, qui Communionem Paſchalem non peregit, teneatur eam compenſare?*
38 *Sententia affirmativa eſt probabilior.*
39 *Ubi peragenda Communio Paſchalis?*
40 *Quid de Peregrinis, vagis &c.*
41 *Sacerdotes, an tempore Paſchali debeant communicare in propria Parochia?*
42 *Parvuli ante uſum rationis non tenentur communicare.*
43 *Quando obligentur pueri ad Communionem Paſchalem? Praxis circa hoc.*
44 *Muti & ſurdi a nativitate, qua Sacramenta poſſint miniſtrari?*
45 *An etiam Sacramentum Euchariſtiæ?*
46 *Energumeni, & ejecticii, an poſſit Euchariſtia miniſtrari?*
47 *Quæ ſint pœnæ non communicantium in Paſchate?*
48 *An aliquando poſſit differri Communio ultra tempus Paſchale.*
49 *Quid, ſi quis prævideat impedimentum communicandi tempore Paſchali?*

37. QUæritur I. An, qui Communionem Paſchalem culpabiliter, vel juſto impedimento detentus non peregit, teneatur eandem proxime compenſare? Ratio dubitandi deſumitur ex Concilio Lateranenſi &c. *c. Omnis utriuſque ſexus n. 25.* relato, ubi præcipitur *ſuſcipi Euchariſtiæ Sacramentum in Paſcha*: ac proinde videtur hoc præceptum eſſe affixum ipſi Tempori Paſchali, non minus, ac præcepta Feſtorum, Jejuniorum, atque Horarum Canonicarum, ſunt affixa certis diebus; ergo ſicuti hæc illis diebus culpabiliter, vel inculpabiliter omiſſa, non neceſſario compenſanda ſunt aliis diebus, ita & de præcepto Eccleſiaſtico Communionis Paſchalis videtur dicendum. Et ita ſentiunt non pauci Doctores, uti videre eſt apud Lugonem *diſp. 16. de Euchariſtia ſect. 4.* Aliqui vero diſtinguunt inter Communionem Paſchalem culpabiliter omiſſam, vel inculpabiliter; & hanc quidem compenſandam cenſent, non illam.

38. Verum affirmativa ſententia, aſſerens indiſtincte; Communionem Paſchalem poſtmodum eo anno compenſandam eſſe, communior & probabilior eſt, quam tenet Lugo *loc. cit.* Maſtrius *diſp. 12. Theol. Moral. num. 54.* Samig *diſp. 4. de Euchariſtia quæſt. 31. num. 15.* Layman, Gobat, Sylveſter, & alii. Ratio eſt: quia hoc præceptum non eſt præciſe affixum Tempori Paſchali, ſicuti præceptum jejunandi, vel audiendi Miſſam tali die. Siquidem præceptum Communionis Paſchalis non eſt ſimpliciter unum (prout fit in aliis allatis) ſed continet virtualiter duo præcepta; unum Communionis, ſaltem ſemel in anno peragendæ, ut ſatisfiat præcepto Divino ſumendi Euchariſtiam; alterum communicandi in Paſchate, ob venerationem hujus Solemnitatis: ergo, quamvis expiret hoc præceptum quoad ſecundum lapſum Temporis Paſchalis, non tamen quoad primum. Et per hoc patet ad rationem dubitandi *n. prec.* allatam.

39. Quæritur II. Ubinam Communio Paſchalis ſit peragenda? Reſponſ. eam peragendam in propria Eccleſia Parochiali; niſi adſit expreſſus, vel tacitus, aut ſaltem rationabiliter præſumptus conſenſus proprii Parochi, vel ejus Superioris, ad alibi communicandum. Ita Herincx *diſp. 6. num. 39. de Euchariſtia.* Rodriquez, & alii: idque deſumitur ex *cit. c. Omnis utriuſque ſexus, de Pœnit. & remiſſ.* juncta communi praxi Eccleſiæ, & conſenſu Doctorum. Unde ſic ejuſmodi licenter alibi communicans, juxta Bonacinam *diſp. 4. de Sacramentis, quæſt. 7. punct. 2. nu. 7.* Paulum, & alios, non ſatisfacit præcepto. Verum rigor iſte procedit, quando ne quidem tacitus, aut ſaltem rationabiliter præſumptus conſenſus proprii Parochi, vel ejus Superioris adeſt: nam quando talis perſonæ qualitas, tempus, vel aliæ cauſæ concurrunt, ut arbitrio prudentis viri credatur fore contentus Parochus, ſi quis alibi communicet, ſatisfiet præcepto Eccleſiaſtico; nec erit peccatum mortale, recipere Euchariſtiam extra propriam Parochiam; quia tunc non miniſtraretur ſine juriſdictione, cum adeſſet ſaltem tacita proprii Parochi licentia, Baſſæus *in Supplemento, verſ. Communio, n. 3.*

40. Excipiuntur etiam Peregrini, Vagi, & illi, qui extra propriam Parochiam tunc exiſtentes, ad ipſam commode accedere nequunt: nam tales poſſunt Tempore Paſchali in Parochia, in qua degunt, Euchariſtiam ſumere, imo & in Eccleſiis Regularium, Baſſæus *verſ. Communio Sacram. nu. 11.* & alii. Idem communiter tenent Doctores de ſervis Religioſorum, qui degunt in Monaſteriis, vel aliis locis a cura Parochorum exemptis.

41. Inſuper Sacerdotes ſatisfaciunt integræ præcepto Eccleſiæ, ubicunque tandem celebrent Tempore Paſchali: ſecus, ſi communicent more Laicorum. Diſparitas eſt: quia præceptum ſumendi Sacram Synaxin in propria Parochia, ex recepta conſuetudine extenditur ad eos, qui Euchariſtiam ab alio ſumunt, volendo, ut Oves a Paſtore proprio paſcantur: non vero ad illos, qui celebrando ſeipſos communicant. Bonacina *cit. diſp. 4. q. 7. punct. 2. n. 7.* Gobat *loc. cit. n. 74.* & alii.

42. Quæritur III. An, & quando Pueri teneantur præcepto Communionis Paſchalis? Reſp. I. Certum eſt parvulos uſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Communionem. Ita declarat Concilium Trid. *Seſſ. 21. cap. 4.* bene ſubjungens: *Neque ideo tamen damnanda eſt Antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit.* Ratio eſt. Tum quia parvuli ſunt incapaces præcepti. Tum quia ipſi non norunt debita cum reverentia hoc Sanctiſſimum Sacramentum ſuſcipere: qua de cauſa mos ille Antiquitatis miniſtrandi parvulis Euchariſtiam, poſtmodum authoritate Eccleſiæ ſublatus fuit.

43. Reſp. II. Tunc Pueri obligantur præcepto Eccleſiaſtico Communionis Paſchalis, quando *ad annos diſcretionis pervenerunt*; prout loquitur Concilium Lateranenſe *n. 25.* relatum. Cæterum, quando cenſendus ſit puer attigiſſe annos diſcretionis, ex actionibus rationalibus ipſius, cæteriſque circumſtantiis, prudenti judicio parentum, & vel maxime Confeſſariorum, diſcernendum eſt; cum alii citius, alii tardius ſufficientem rationis uſum, & ſpiritualium rerum intelligentiam aſſequantur. Praxis autem obtinuit, ut octennes & novennes non compellantur ad Sacram Synaxin; atque inſuper Gobat *tract. 4. Theol. Exper. n. 68.* poſt Suarez, & alios, notat, poſſe differri Communionem Paſchalem in unum alterumve annum, poſtquam puer eſt ſatis intelligens rerum ad illam rite obeundam ſpectantium.

44. Quæritur IV. Utrum muti & ſurdi a nativitate ſit porrigendum Euchariſtiæ

Sacramentum, non minus, ac alia Sacramenta? Et additur, *non minus, ac alia Sacramenta*: Nam certum est, posse ejusmodi surdo & muto, si cæteroquin non appareat indispositus, ministrari Sacramentum Baptismi & Confirmationis, atque in articulo mortis extremam Unctionem. Deinde potest ipsi ministrari Sacramentum Pœnitentiæ, dummodo is, in quantum valet, signis ac nutibus peccata sua confiteatur: nam in casu tantæ impotentiæ sufficere Confessionem per signa & nutus, passim fatentur Doctores. Insuper cum ad Matrimonium contrahendum non requirantur certa verba, sed sufficiat solus consensus contrahentium exterius expressus, potest mutus & surdus, si velit, atque inveniat aliquam volentem, matrimonium contrahere: *Cum, quod verbis non potest, signis valeat declarare*, ut habetur *cap. Cum apud de Sponsal.* Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp. 8. num. 12.* & alii. Verum de Sacramento Eucharistiæ loquendo.

41. Resp. Potest ejusmodi surdo & muto etiam ministrari Sacramentum Eucharistiæ, præsertim tempore Paschali, atque in articulo mortis; dummodo aliunde non appareat indispositus. Ita Abbas Panormitanus *in cap. Cum apud, de Sponsalibus*, Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 4. num. 5.* & alii. Quinimo, si discretio talium sit maturior & perfectior, posse ipsis SS. Eucharistiam sæpius ministrari, utputa in Festis solemnioribus, censet Herincx *tit. disp. 6. quæst. 2. num. 16.* Ratio est: quia tales muti & surdi ita quandoque sunt perspicacis & acuti ingenii, ut multa explicatu difficilia ex signis & nutibus facile percipiant, & vicissim manifestent; ergo visa aliorum Fidelium ad Sacram Synaxin accedentium devotione, facile distinguere valent Cibum ipsum Angelicum a profano, accidente simul interiori illustratione Spiritus Sancti: & consequenter, sanctibus præmissis, poterit ipsis, utpote viatoribus, ministrari *Panis Angelorum, Fatus cibus Viatorum.*

46. Porro quæ hactenus dicta sunt de mutis & surdis, longe magis locum habent in Energumenis (hoc est, a dæmone obsessis) epilepticis, & aliis infirmis, qui proinde non solum in Paschate, ac mortis articulo, verum & aliis temporibus rite communicantur: dummodo Sacram Eucharistiam absque irreverentia sumere possint, & cæteroquin indispositi non appareant.

47. Quæritur V. Quænam sint pœnæ non communicantium in Paschate? Resp. Tales & vivi ingressu Ecclesiæ arcendi sunt, & mortui Ecclesiastica Sepultura privandi. Ita enim statuitur in Concilio Lateranensi, & *cap. Omnis utriusque sexus, de Pœnitent. & remission. n.* 45. relato: quamvis hæ pœnæ non ipso jure incurrantur, sed primum per sententiam Judicis infligendæ sint, prout colligitur ex contextu illorum verborum, & tenet communis.

48. Quæritur VI. An aliquando licite possit differri Sacra Communio ultra tempus Paschale? Resp. Id fieri posse ob aliquam rationabilem causam, atque accedente consilio proprii Sacerdotis; prout patet ex verbis Concilii Lateranensis, *cit. num.* 25. relatis. Cæterum per proprium Sacerdotem, de cujus consilio possit differri Communio Paschalis, non solum intelligitur proprius Parochus, aut ejus Superior, sed etiam Confessarius, qui eo tempore Confessionem pœnitentis excipere potest: censetur enim ad hoc a propriis animarum Pastoribus eo ipso delegatus, quod potestatem acceperit Confessiones excipiendi. Herincx *loc. cit. n.* 28.

49. Et conformiter dictis responderi poterit ad illud dubium, an prævidens sibi futurum impedimentum communicandi Tempore Paschali, teneatur prævenire, & prius communicare? Etsi enim quoad hoc sint diversæ Doctorum sententiæ, quorum aliqui negant, alii vero affirmant, adesse talem obligationem prævenienti, nihilominus dicendum, quod tunc de licentia proprii Sacerdotis differenda sit Communio ultra tempus Paschale, juxta citat. Concilium Lateranense. Nisi forte prævideatur impedimentum duraturum per totum annum; tunc enim oportebit prævenire. Lugo *cit. disp. 16. num. 74. & seqq.*

QUÆ-

QUÆSTIO V.

Quid sit sentiendum de Communione frequenti, & quotidiana?

SUMMARIUM.

50 *Communio quotidiana nullo jure præcepta est.*
51 *Solvitur instantia.*
52 *Frequens & quotidiana Communio, per se loquendo commendatur.*
53 *Quid spectatis variis hujus vitæ impedimentis?*
Notabilis sententia D. Augustini.
54 *An ea Laicis negotiatoribus, & conjugatis permittenda?*
55 *Quid observandum circa Moniales?*
56 *Frequens Confessio, & communio, an sit nota Prædestinationis?*

50. CONCL. I. Communio quotidiana nullo Jure Divino, aut Ecclesiastico, præcepta existit. Ita communis; idque novissime declaravit Decretum S. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, *circa Communionem Quotidianam 1679. die 12. Februarii editum*, quod incipit, *Cum ad aures*, estque approbatum ab Innocentio Papa XI. Ratio est: quia juxta *c. Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & remiss.* defacto sufficit, communicare saltem in Paschate; non obstante, quod olim Laici tribus saltem temporibus in anno, nempe in Natali Domini, Paschate, & Pentecoste, communicare debuerint, *arg. cap. Etsi non frequentius*; & *cap. Sæculares de consecr. dist.* 2.

51. Nec obstat illud S. Anacleti Papæ *cap. Peracta de consecr. dist.* 2. *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere luminibus.* Resp. enim cum Glossa ibidem, hoc intelligendum esse de Sacerdotibus, qui conficiunt seu consecrant, idque patet tum ex Summario ibidem, tum ex sequentibus Capitulis. Porro loquendo de cæteris, non adesse talem obligationem, clare delumitur ex Concilio Trident. *Sess. 22. cap. 6.* ubi nihil præcipiens, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret: quid cuperet tantum indicans, inquit: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles astantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret.*

52. CONCL. II. Frequens, quin & quotidiana Communio, per se loquendo, & quantum ex parte hujus Sanctissimi Sacramenti, utilissima est, atque a Sanctis Patribus semper commendata. Hinc S. Ambrosius *lib. 5. de Sacramentis cap. 4.* ac refertur *can. Non ille, de consecr. dist.* 2. sic loquitur: *Ille panis quotidianus est: accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie mereris accipere*, cum concordantiis. Unde Concilium Tridene. *sess. 13. cap. 8.* Fideles exhortatur ad frequentem Communionem, & eam Fidei constantiam, animique devotionem ac pietatem, *ut Panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint.*

53. Dicitur: *per se loquendo*: Nam per accidens, & spectatis diversis vitæ hujus impedimentis, ac distractionibus (ut taceatur remorsus peccati gravioris) communius fieri solet, quod Laici sæculares ad Sacram Communionem ea, qua par est, reverentia, & animæ suæ fructu, quotidie sumendam, minus videantur dispositi. Proinde in hoc sensu S. Augustinus; relatus *can. Quotidie, de consecr. dist.* 2. sic ait: *Quotidie Eucharistiæ Communionem percipere nec laudo, nec vitupero, omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo, & exhortor: si tamen mens sine peccandi affectu sit.*

54. CONCL. III. Quod ad Sæculares negotiatores attinet, frequens ad Sacram Almoniam accessus, Confessariorum, secreta cordis explorantium, judicio relinquendus est, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem progressu Laicis, negotiatoribus, & Conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt: quamvis Conjugati serio admonendi sint, ob Sacratissimam Eucharistiæ reverentiam amplius continentiæ vacandum, purioriquæ mente ad Cœlestium Epularum Communionem esse conveniendum. Ita citatum Decretum Sacræ Congregationis. Ubi idcirco subjungitur, quod Pastoribus incumbat, non aliquos a frequentiori, aut quotidiana Sacræ Communionis perceptione deterrere, vel accedentes repellere; sed operam dare, ut unusquisque digne pro devotionis, & præparationis modo, rarius aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet; & quod Episcopi, in quorum

Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agere, eamque adhibito prudentiæ temperamento, sublatâ tamen omni irreverentiæ, & scandali suspicione, alere debeant.

55. CONCL. IV. Moniales, quotidie Sacram Communionem petentes, admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis Instituto præscriptis communicent: si quæ vero puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentioni & quotidianæ Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur. Ita verbatim citatum Decretum, quod tum alibi, tum apud Jos. Cardenas *in Crisi Theologica ad propositiones ab Innocentio XI. damnatas*, circa finem legi poterit.

56. Pro coronide sciendum 1. quod Innocentius XI. hanc inter alias, ordine 56. Propositionem, *sicut jacet*, merito condemnaverit: *Frequens Confessio & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota Prædestinationis.* Quamvis enim frequens Sacramentorum Confessionis, & Communionis, debita cum reverentia & devotione receptorum usus, recte connumeretur inter notas Prædestinationis (id est, inter ea signa, ex quibus probabiliter sive conjecturaliter colligi valet, aliquem consecuturum esse æternam Beatitudinem) prout ostendit, atque pluribus SS. Patrum auctoritatibus firmat Hieremias Drexelius *Signo 3. Zodiaci*: id tamen in gentiliter viventibus locum habere nequit. Quia tales, hoc ipso, quod vivant gentiliter, accedunt indisposite, & Sacramenta illa recipiunt sacrilege: atqui absurdissimum est dicere, frequentem sacrilegam Sacramentorum receptionem esse notam Prædestinationis; cum eo amplius Divina offendatur Majestas, quo frequentius ejusmodi reiteratur Sacrilegia.

TRACTATUS XI.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS, JURE PATRONATUS, ET DECIMIS.

1. PRæsentium materiarum Tractatus ex professo quidem ad Jus Canonicum spectare videtur, ubi sub propriis Titulis tum de Ecclesiasticis Beneficiis, ac Jure Patronatus, tum de Decimis, uberius agi consuevit. Veruntamen, quia circa præmissa plures occurrere solent materiæ practicæ, & Forum Conscientiæ respicientes, merito etiam in Theologia Morali discutiuntur, ne culpabilis eorum ignorantia multorum peccatorum origo sit, & fomentum.

DISTINCTIO I.

De Beneficiis Ecclesiasticis, eorumque Collatione.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum?

SUMMARIUM.

1 *Præsens materia, cur hic tractetur?*
2 *Beneficium generatim, quid? Quomodo in proposito sumatur?*
3 *Beneficium Ecclesiasticum, quid?*
4 *Tria in eo distinguuntur.*
5 *Quomodo sit jus perpetuum?*
6 *Ejus Laicus est incapax.*
7 *Debet constitui authoritate Ecclesiæ.*
8 *Beneficia Ecclesiastica majora, & minora,*
9 *Regularia, & Secularia,*
10 *Curata, & non curata, quæ?*
11 *Beneficia electiva, Patronata, & Collativa, seu libera, quæ?*
12 *Beneficia patrimonialia, & non patrimonialia?*
13 *Manualia, seu revocabilia, & non manualia, quæ?*
14 *Dignitas, Personatus, & Officium, an differant?*
15 *Strictè quid sit Dignitas,*
16 *Personatus, &*
17 *Officium?*

1. BEneficium generatim sumptum aliud non est, quam benevola actio tribuens gaudium capientibus: quo modo comprehendit quodlibet Beneficium, tam Laicale, quam Ecclesiasticum. In proposito sermo est de solis Beneficiis Ecclesiasticis, quæ authoritate Ecclesiæ sunt instituta, atque conferri solent Clericis propter officia spiritualia, & honestam eorundem sustentationem, ne alioquin in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare, vel negotiari cogantur; simulque, ut adimpleatur illud Apostoli 1. *Corint. 9. Qui altari deserviunt, cum altari participant.*

2. CONCL. I. *Beneficium Ecclesiasticum, est*

Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agere, eamque adhibito prudentiæ temperamento, sublatâ tamen omni irreverentiæ, & scandali suspicione, alere debeant.

55. CONCL. IV. Moniales, quotidie Sacram Communionem petentes, admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis Instituto præscriptis communicent: si quæ vero puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentioni & quotidianæ Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur. Ita verbatim citatum Decretum, quod tum alibi, tum apud Jos. Cardenas *in Crisi Theologica ad propositiones ab Innocentio XI. damnatas*, circa finem legi poterit.

56. Pro coronide sciendum 1. quod Innocentius XI. hanc inter alias, ordine 56. Propositionem, *sicut jacet*, merito condemnaverit: *Frequens Confessio & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota Prædestinationis.* Quamvis enim frequens Sacramentorum Confessionis, & Communionis, debita cum reverentia & devotione receptorum usus, recte connumeretur inter notas Prædestinationis (id est, inter ea signa, ex quibus probabiliter sive conjecturaliter colligi valet, aliquem consecuturum esse æternam Beatitudinem) prout ostendit, atque pluribus SS. Patrum auctoritatibus firmat Hieremias Drexelius *Signo 3. Zodiaci*: id tamen in gentiliter viventibus locum habere nequit. Quia tales, hoc ipso, quod vivant gentiliter, accedunt indisposite, & Sacramenta illa recipiunt sacrilege: atqui absurdissimum est dicere, frequentem sacrilegam Sacramentorum receptionem esse notam Prædestinationis; cum eo amplius Divina offendatur Majestas, quo frequentius ejusmodi reiteratur Sacrilegia.

TRACTATUS XI.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS, JURE PATRONATUS, ET DECIMIS.

1. PRæsentium materiarum Tractatus ex professo quidem ad Jus Canonicum spectare videtur, ubi sub propriis Titulis tum de Ecclesiasticis Beneficiis, ac Jure Patronatus, tum de Decimis, uberius agi consuevit. Veruntamen, quia circa præmissa plures occurrere solent materiæ practicæ, & Forum Conscientiæ respicientes, merito etiam in Theologia Morali discutiuntur, ne culpabilis eorum ignorantia multorum peccatorum origo sit, & fomentum.

DISTINCTIO I.

De Beneficiis Ecclesiasticis, eorumque Collatione.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum?

SUMMARIUM.

1 *Præsens materia, cur hic tractetur?*
2 *Beneficium generatim, quid? Quomodo in proposito sumatur?*
3 *Beneficium Ecclesiasticum, quid?*
4 *Tria in eo distinguuntur.*
5 *Quomodo sit jus perpetuum?*
6 *Ejus Laicus est incapax.*
7 *Debet constitui authoritate Ecclesiæ.*
8 *Beneficia Ecclesiastica majora, & minora,*
9 *Regularia, & Secularia,*
10 *Curata, & non curata, quæ?*
11 *Beneficia electiva, Patronata, & Collativa, seu libera, quæ?*
12 *Beneficia patrimonialia, & non patrimonialia?*
13 *Manualia, seu revocabilia, & non manualia, quæ?*
14 *Dignitas, Personatus, & Officium, an differant?*
15 *Strictè quid sit Dignitas,*
16 *Personatus, &*
17 *Officium?*

1. BEneficium generatim sumptum aliud non est, quam benevola actio tribuens gaudium capientibus: quo modo comprehendit quodlibet Beneficium, tam Laicale, quam Ecclesiasticum. In proposito sermo est de solis Beneficiis Ecclesiasticis, quæ authoritate Ecclesiæ sunt instituta, atque conferri solent Clericis propter officia spiritualia, & honestam eorundem sustentationem, ne alioquin in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare, vel negotiari cogantur; simulque, ut adimpleatur illud Apostoli 1. *Corint. 9. Qui altari deserviunt, cum altari participant.*

2. CONCL. I. *Beneficium Ecclesiasticum, est*

jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod officium spirituale, personæ Ecclesiasticæ authoritate Ecclesiæ constitutum. Ita in re Doctores communiter.

4. Tria siquidem in Beneficio Ecclesiastico distinguuntur. Primum, est *officium aliquod spirituale*, utputa obligatio recitandi Horas Canonicas, deserviendi alicui Ecclesiæ, administrandi Sacramenta, celebrandi certas Missas &c. Et hoc est omnino spirituale, non tamen est beneficium, sed fundamentum & causa beneficii Ecclesiastici; nam *propter Officium datur Beneficium cap. ult. de Rescriptis in 6.* Secundum, est *jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis*; & hoc jus proprie dicitur Beneficium: estque spirituale, quia oritur ex spirituali officio. Tertium, sunt ipsi *fructus percipiendi ex bonis Ecclesiasticis*, id est, ex bonis Deo dicatis, atque Ecclesiæ donatis: Et hi sunt quid temporale, liciteque venduntur absque labe Simoniæ, prout patet in fructibus Decimarum.

5. Additur in data definitione, *jus perpetuum*: Quia de natura Beneficii Ecclesiastici est, ut institutum perpetuo duret, & non conferatur ad certum durativæ tempus, sed regulariter ad totam vitam Beneficiarii; adeoque Beneficiarius in eo instituetur, seu investiatur, *arg. c. Sanctorum dist. 70.* ibi: *In qua Ecclesia qualibet titularis est, in ea perpetuo perseveret.*

6. Et subjungitur, *persona Ecclesiastica*: quia Laicus est incapax Beneficii Ecclesiastici: ante omne enim Beneficium requiritur prævius Clericatus, seu prima saltem Tonsura, adeo ut sine eo quis ad beneficium possidendum sit inhabilis; nam generaliter Laici spiritualia possidere non possunt. *c. Causam de Præscript.* & alibi.

7. Dicitur ultimo, *authoritate Ecclesiæ conflictum*: Quia Beneficia non nisi authoritate Ecclesiæ institui, seu erigi possunt: Unde si quis certas Missas, vel etiam Anniversarium, in perpetuum fundaverit, nisi simul approbatio Episcopi accesserit, non erit Beneficium, sed tantum pia donatio, vel Legatum pium. Barbosa *lib. 3. Juris Ecclesiast. univ. c. 4. n. 17.* Engel, & alii.

8. CONCL. II. Beneficia Ecclesiastica varie dividuntur. Ita omnes, & patet inductione. Imprimis enim *Beneficia* alia sunt *Majora*; ut Papatus, Patriarchatus, Cardinalatus, Archiepiscopatus, Episcopatus: quibus addunt Abbatiam; nam Abbates in suos *quasi Episcopalem jurisdictionem* obtinent *c. Abbates de Privileg. in 6.* Et hæc communi nomine Beneficii, ac nisi secus exprimatur; comprehendi non solent, cum sint *Columnæ Dignitatum*; prout appellantur *cap. Venerabilis de Præb.* Alia dicuntur *Beneficia Minora*; ut sunt cætera prædictis inferiora.

9. Deinde *Beneficia* alia sunt *Regularia*, alia *Secularia*. Illa sunt, quæ solis Regularibus competunt, aut pro ipsis tantum instituta fuerunt: ut Abbatia, Prioratus &c. *Secularia* e contra censentur, quæ sunt adicta, seu debita sæcularibus Clericis; id est, illis, qui nullam Regulam ex Ordinibus ab Ecclesia approbatis sunt professi, sed in sæculo existentes serviunt Deo sub Statu Clericali. Et de hac divisione loquitur illud receptum Canonistarum: *Secularia Beneficia sæcularibus, & regularia regularibus sunt conferenda, c. Cum ad nostram, &c. Officii, de Electione*, junctò Concilio Trid. *Sess. 14. de Ref. c. 10.* Intellige, nisi causa necessitatis exigente, deque consensu Superiorum, aliud fieri expediat.

10. Rursum alia sunt *Beneficia curata*, quæ videlicet curam animarum habent annexam: qualia habent Parochi &c. Alia dicuntur *Beneficia non curata*, seu quibus nulla ejusmodi animarum cura est annexa: & in dubio Beneficium censetur non curatum, ac proinde asserenti curatum, incumbit hujus probatio.

11. Insuper Beneficia Ecclesiastica juxta triplicem modum, quo communiter conferri solent, dividuntur in collativa seu libera, in patronata, & in electiva. *Beneficia electiva* vocantur, quæ conferuntur per electionem legitime celebratam, atque a Superiore confirmatam. *Patronata*, quæ ad Patroni præviam præsentationem, & subsecutam institutionem a Prælato factam conferuntur. Seu brevius: *Patronata* sunt, quæ subsunt Juri Patronatus. Tandem *Beneficia collativa*, seu *libera* appellantur, quæ per liberam Superioris collationem sine prævia Capituli electione, vel alterius præsentatione conferuntur.

12. Beneficia ulterius dividuntur in patrimonialia; & non patrimonialia. *Patrimonialia* dicuntur, non quod patrimonii naturam seu rationem habeant (nam successiones in Beneficiis Ecclesiasticis semper inimicæ reputantur, *cap. Accepimus, de Pactis*, & *cap. ad extirpandas successiones, de filiis Presbyt.*) sed quia juxta fundatoris institutionem non possunt conferri, nisi Clericis ex tali patria, loco, vel Parochia oriundis. *Beneficia non patrimonialia* vicissim sunt, quæ cuilibet digno, undecunque oriundo, conferri valent.

13. *Beneficia* tandem alia dicuntur *manualia*, alia *non manualia*. Prioris generis sunt ea, quæ ad nutum conferentis avocari possunt; & propterea etiam appellantur *Beneficia revocabilia*. Sed hæc non sunt proprie dicta Beneficia, cum de se non sint perpetua. *Beneficia non manualia* e contra sunt, quæ semel collata amplius adimi non possunt, nisi certis de causis a Jure expressis.

14. Quæres, quid sit Dignitas, Personatus, & Officium, & an differant? Resp. I. Hujusmodi vocabula quandoque sumuntur pro synonimis, prout loquet ex *c. Cum accessissent, de Constitut.* ubi idem Primicerius primo appellatur *Personatus*, deinde *Dignitas*, & tandem *Officium*. Unde in horum vocabulorum usu attendendam esse locorum consuetudinem, passim notant Doctores, ut Vallensis *tit. de Prabendis, n. 7.* Pirhing *eod. n. 10.* & alii.

15. Resp. II. Stricte loquendo prædicti termini inter se differunt: nam *Dignitas*, est præcedentia cum jurisdictione; *Personatus* vero, præcedentia sine jurisdictione. Unde ea Beneficia censentur Dignitates, quæ habent annexam præeminentiam, atque administrationem rerum Ecclesiasticarum cum imperio, & jurisdictione; & quidem (ut notat Sylvester *verb. Dignitas num. 1.*) in Foro externo contentioso: ut Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia. Fatendum tamen, Dignitatem etiam oriri posse ex institutione: ut si in institutione Beneficii cautum fuerit, quod sit Dignitas. Item ex consuetudine: nam si de consuetudine Ecclesiæ aliqua reputetur Dignitas, licet de Jure non sit talis, tamen Dignitas censeri debet.

16. *Personatus*, proprie accipiendo hunc terminum, est præcedentia sine jurisdictione: qualem habere censetur ille, qui præ cæteris Canonicis sui ordinis locum magis honorificum in Choro, in Capitulo, in Processionibus, & hujusmodi, obtinet. Unde Beneficium illud, cui talis præeminentia sedis, & præcedentiæ absque jurisdictione annexa est, dicitur esse *Personatus*.

17. *Officium* tandem est administratio rerum Ecclesiasticarum sine alia speciali præcedentia, vel jurisdictione; qualem administrationem habent Sacrista, Custos, Thesaurarius, & hujusmodi.

QUÆSTIO II.

De Collatione Beneficiorum.

SUMMARIUM.

18 *Beneficia, quibus modis conferri soleant?*
19 *Alii modi eadem obtinendi.*
20 *Per Electionem, quomodo valide acquirantur?*
21 *Major pars eligentium, qua.*
Vota majora, qua sint?
22 *Sanior pars eligentium, qua?*
23 *Per Præsentationem, quomodo acquirantur Beneficia?*
(a) Dist. 3. per totum.
24 *Institutio, quid?*
25 *Institutio triplex, videlicet Authorizabilis,*
26 *Collativa, seu Verbalis, &*
27 *Institutio corporalis, seu realis.*
28 *Investitura, installatio &c. quid? & quam sit necessaria?*
29 *Per liberam collationem conferri Beneficium, & Collatio Beneficii, quid?*

18. CONCL. I. Beneficia Ecclesiastica tribus potissimum modis obtineri, conferrique solent; videlicet per Electionem, Præsentationem, & liberam Collationem. Ita communis; atque desumitur ex illa vulgata divisione Beneficiorum in electiva, patronata, & collativa, de quibus *n. 11.* jam dictum est.

19. Dicitur notanter, *tribus potissimum modis*; Nam, quamvis hi tres sint communiores, & præcipue usitati modi, quibus Beneficia Ecclesiastica obtineri, conferrique solent, ea nihilominus etiam nonnullis aliis modis acquiri possunt; utputa per Postulationem, per Translationem Episcoporum ab uno Episcopatu ad alium, item per permutationem, & Renuntiationem in favorem tertii cum secuta collatione. De quibus partim in progressu, partim uberius in Jure Canonico per diversos Titulos tractatur.

20. CONCL. II. Ut per Electionem valide acquiratur, & conferatur Beneficium Ecclesiasticum, necesse est, quod ea sit canonice celebrata, & facta majori atque saniori parte Capituli, sive eorum, quibus jus eligendi competit. Ita desumitur ex

1. Quia propter, & *cap. in Genesi*, *de Electione*, & aliis locis Juris Canonici; ubi dicitur, quod electio non valeat, nisi vel omnes, vel major & sanior pars Capituli, consenserit in electum.

21. Circa quod notandum; quod *major pars* censeatur ea, ubi est major numerus eligentium respectu totius Capituli præsentis. De jure enim non sufficit (quidquid sit de speciali quorundam locorum consuetudine contraria, de qua Engel *tit. de Electione, num.* 37. post Zypæum) habere majora, seu plura vota comparatione alterius minoris partis, *cap. Ecclesia lib. 1. de Electione*, sed requiruntur majora vota respectu totius Capituli præsentis; ita ut, si sint duodecim Vocales, requirantur saltem septem vota, *arg. cap. Cumma, de Elect.* & *cap. Si cui, eod. in 6.* Sufficit autem quicunque excessus ultra medietatem, etiamsi foret unius medii voti, v. g. si essent tredecim Vocales, septem vota jam sufficerent.

22. Porro *pars sanior* censeturea, quæ est justior, & majori ratione nititur & authoritate. Glossa *in cit. c. In Genesi*, sive, ut alii loquuntur, *pars sanior* dicitur, quæ constat Viris dignitate, ætate, ac tempore officii, nec non & prudentia, pietateque magis conspicuis. Verum si nihil opponatur, nec non & in dubio, major pars numero præsumitur etiam sanior, *c. Ecclesia 57. de Elect.* ibi *Cum ubi major numerus est, ratius melius præsumatur*, cum concordantiis.

23. CONCL. III. Per Præsentationem conferuntur, atque obtinentur Beneficia Ecclesiastica, quando ad præsentationem Patroni, & institutionem subsecutam, factam a Prælato, ea conferuntur. Ita in re communis. Dicitur, *ad præsentationem Patroni*; id est, illius, qui habet jus præsentandi Clericum idoneum ad tale Beneficium; & id proprio nomine appellatur *Jus patronatus*, de quo inferius (2) ex professo dicetur.

24. Additur, *& institutionem subsecutam, factam a Prælato*: Siquidem *Institutio*, est concessio Beneficii ad præsentationem Patroni facta; & tam ipsa, quam præsentatio, pertinet ad Jus patronatus. Beneficium namque Juris patronatus non dicitur proprie conferri, cum Ordinarius non eligat personam providendam; sed proprie Ordinarius dicitur instituere, Patronus vero præsentare, Barbosa *lib. 3. Juris Ecclesiast. univ. cap. 13. n. 4.*

25. Cæterum allata particula intelligenda est de Institutione collativa. Nam, ut notat Fagnanus *in c. Cum Ecclesia, num. 28. & seqq. de Causis possess. & proprietat.* tres a SS. Canonibus assignantur species Institutionis. Prima dicitur *Institutio authorizabilis*: nec aliud est, quam approbatio ad curam animarum, *arg. c. Cum satis, de Officio Archidiac.* ubi Summarium sic habet: *Archidiaconus sine mandato Episcopi non committit curam animarum, id est, non habet institutionem authorizabilem.*

26. Altera vocatur *Institutio collativa* (quam alii *verbalem* appellant) eique ea, per quam titulus Beneficii confertur: ut si Episcopus, vel alius ordinarius Collator, præsentato ad Beneficium, vel verbis expressis, vel per litteras impertiatur confirmationem. Et hæc omnibus ad Beneficium Ecclesiasticum præsentatis adeo est necessaria, ut si propria authoritate Beneficium occupent, fructus illius colligant, aut similem quid facere præsumant, eo ipso jus ex præsentatione sibi quæsitum amittant. *arg. c. Avaritiæ, de Elect. in 6.* & post Garciam *de Beneficiis, p. 11. c. 12. n. 217.* tradit Engel *tit. de Institut. n. 2.*

27. Tertia tandem dicitur *Institutio corporalis*, sive (ut alii loquuntur) *realis*: neque aliud est, quam missio in possessionem Beneficii, quando nempe datur cuipiam actualis possessio ipsius. De hac fit mentio *cap. Ad hæc de Offic. Archidiaconi*. Ibi: *Institutio corporalis, tam super Beneficiis, quam etiam Dignitatibus ad ipsum*, (Archidiaconum) *debeat pertinere.*

28. Et hæc Institutio corporalis alio nomine vocatur *Investitura, Installatio, Missio actualem possessionem*. Neque enim quoad titulum institutus, possessionem etiam vacuam Beneficii propria authoritate, & sine licentia, sive introductione Superioris, apprehendere debet: alioquin pœna saltem arbitraria per Prælatum puniendus erit. Covarruvias *lib. 3. variar. Resolut. cap. 16. n. 7. & seqq.* Engel. *tit. de Institut. n. 4.* & alii. Præsertim, si alicujus Ecclesiæ consuetudo specialis, vel statutum id exigat, prout limitat Layman *in cap. Nosti, num. 5. de Elect.* Alioquin enim illum, qui habet jus in re, sive titulum canonicum Beneficii, posse propria authoritate vacantem eujusdem possessionem apprehendere absque alio Superioris, vel Judicis decreto, censet Pirhing. *tit. de Prabendis num. 55.* citans alios.

29. CON-

29. CONCL. IV. Per liberam Collationem conferitur, & obtinetur Beneficium Ecclesiasticum, quando illud solo jure Prælati libere, absque prævia Capitulari electione, vel præsentatione, confertur. Ita communis. Unde Barbosa *l. c. n. 3.* ait, quod *Collatio Beneficii* sit a Superiore gratuito facta concessio. Et hæc alio nomine vocatur *Provisio*; quia is, cui est facta collatio, dicitur de Beneficio provisus, aut Beneficium de persona ejus provisum.

QUÆSTIO III.

Quinam Beneficia libere conferre possint?

SUMMARIUM.

30 *Papa habet potestatem conferendi Beneficia totius Mundi.*
31 *Solet ea conferre tribus modis, videlicet,*
32 *Jure preventionis.*
33 *Jure devolutionis.*
34 *Collatio Beneficii ab Episcopo devolvitur ad Capitulum. Limitatur hoc.*
35 *Et Jure concursus, quomodo?*
36 *Quid Juris, si idem Beneficium a Papa, & inferiore, duobus conferatur?*
37 *Episcopus est ordinarius Collator Beneficiatum sua diœcesis.*
Habet super his inventionem fundatam.
38 *Collatio Ecclesiarum Parochialium per Concursum, qua?*
39 *Forma dicti Concursus.*
40 *Quid censendum de Primis precibus Imperatoris?*
41 *Non debent esse secunda.*
42 *In quibus Beneficiis non habeant locum.*

30. CONCL. I. Papa de Jure communi habet potestatem conferendi omnia Beneficia Ecclesiastica totius Mundi. Ita unanimis Catholicorum; & habetur ex præsum in Jure Canonico variis in locis, ut *c. 2. de Prab. in 6. &c. Si Papa de Privil. in 6.* & *Clem. un. Ut lite pendente &c.* ibi: *Ad quam* (Romanum Pontificem) *Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum plena & libera dispositio, ex sua potestatis plenitudine nascitur pertinere.* Unde receptum dictum est, quod Papa habeat concurrentem jurisdictionem cum omnibus Ecclesiæ Prælatis: quinmo ipse est *Ordinarius Ordinariorum.*

31. CONCL. II. Tribus præcipue modis Papa solet Beneficia conferre, videlicet jure præventionis, jure concursus, & jure devolutionis. Ita Rebuffus *in Praxi tit. de Devolutionibus §. 46.* & alii; idque ostenditur inductione.

32. Inprimis *Jure preventionis* id fit, quando Romanus Pontifex cuipiam confert gratiam exspectativam ad Beneficium primo vacaturum, *arg. c. Dudum* & *c. Licet Ecclesiarum de Prabend. in 6.* cum concordantiis. Et hoc est speciale in Summo Pontifice, neque alteri concessum, quod Beneficium, seu Præbendam nondum vacantem certæ personæ promittere, & jus ad illud dare queat, *arg. cap. Nulla de Concessione Prabenda.* Idque adeo verum est, quod etiam promissio Beneficii vacaturi per Prælatum Papa inferiorem facta nihil valeat, nullamque inducat obligationem *c. Relatum & c. Ex tenore eod.* Ubi hujusmodi promissiones Beneficii vacaturi, etiam scripsis datæ, non tenere dicuntur; cum sint attentatæ contra dispositionem Concilii Lateranensis.

33. Deinde *Jure devolutionis* Beneficia Ecclesiastica conferuntur a Papa, quando propter negligentiam conferendi, vel moram eligendi ab inferioribus Ecclesiæ Prælatis commissam, talis potestas conferendi ab inferioribus devolvitur ad Summum Pontificem. Quia enim Ecclesiæ Cathedrales, & Regulares ultra tres menses vacare, seu Prælato carere non debent *tenet. cler. c. Ne pro defectu de Electione*, alia vero Beneficia intra semestre; seu sex menses conferenda sunt *cap. Nulla de Concessione Prabenda.* Hinc, si ordinarii Electores aliquem intra præfatum tempus eligere, aut ei Beneficium conferre negligant, vel eligant, seu conferant illud indigno, jus eligendi vel conferendi Beneficium plenumque devolvitur ad proximum Superiorem, ac eo etiam negligente, gradatim ad Summum Pontificem *c. Quanquam de Elect. in 6.* & *cit. c. Nulla de Concess. Prab.*

34. Veruntamen in hoc posteriori loco habetur specialis limitatio, dum statuitur, quod quando ad Episcopum spectat collatio Beneficii, & ipse ultra debitum tempus conferre distulit, tunc non ad Superiorem sive Metropolitanum, sed ad Capitulum devolvatur collatio illius Beneficii. Idque merito statutum fuit propter communionem, quæ est inter Episcopum, & Capitulum suum Cathedrale: quamquam hoc ipsum procedat dumtaxat in Beneficiis, quæ

quæ pertinent ad Episcopum jure proprio; non autem in devolutis ad Episcopum propter negligentiam, vel delictum inferioris Collatoris, ut observat Abbas *in cit. c. Nulla de Concess. Prab.* citans alios.

35. Tandem *Jure concursus* Papa conferre potest Beneficia Ecclesiastica, eo quod ipse cum quolibet ordinario Collatore concurrat in potestate & jurisdictione. Nam quamvis Papa potestatem conferendi Beneficia Ordinariis contulerit, sibi tamen majorem reservavit, *c. Dudum de Prab. in 6.*

36. Unde de plenitudine potestatis potest Summus Pontifex quælibet totius Mundi Beneficia Ecclesiastica conferre, etiam nulla interveniente negligentia inferiorum Collatorum ordinariorum: & tunc inter Papam & reliquos inferiores Collatores datur locus præventioni, ita ut qui prior contulit, ejus collatio rata sit. Quod si idem Beneficium a Papa uni, & ab Ordinario alteri collatum sit eadem die, nec appareat, quæ collatio fuerit prius facta, erit potior conditio possidentis: si vero neuter possideat, præfertur is, cui Papa, vel ejus Legatus, contulit Beneficium *exx. cit. Si a sede de Prab. in 6.*

37. CONCL. III. Post Papam ordinarius Collator Beneficiorum in sua Diœcesi est Episcopus. Patet hoc ex *c. Nullus omnino 16. q. 7.* & *c. Cum ex injuncto 9. fin. de Haereticis*, ibi: *Ad cujus* (Episcopi) *officium tam institutio, quam destitutio Sacerdotum nimirum esse dignoscitur.* Hinc Abbas *in cit. c. Cum ex injuncto n. 2.* ait, quod Episcopus fundatam intentionem habeat super institutione, ac destitutione Sacerdotum, in Beneficiis suæ Diœcesis: &, si alius sibi vendicat, probare debeat, Jure speciali id sibi competere; quia de Jure communi ista pertinent ad Episcopum. Unde de his inferioribus Collatoribus impræsentiarum non est necesse agere; cum potius specialia jura, quæ nonnullis inferioribus Collatoribus competunt, inspicienda veniant.

38. Quæres, quid censendum de Collatione Parochialium Ecclesiarum per Concursum. Resp. De hoc ex professo agit in Concilio Trid. *Sess. 24. de Reformat. c. 18.* Cum enim maxime expediat animarum salus, eas a dignis & idoneis Parochis gubernari: hinc Concilium ibidem saluberrime decrevit, ut vacante Ecclesia Parochiali, interim, si opus fuerit, idoneus in ea Vicarius cum congrua fructuum portionis assignatione constituatur, donec ipsi de Rectore provideatur. Exinde voluit, ejusmodi Parochias non arbitrio Episcopi, sed per Concursum esse conferendas.

39. Porro forma concursus hæc assignatur, ut vacante Ecclesia Parochiali intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum, aliquot Clerici, ad Ecclesiam regendam idonei, coram deputandis Examinatoribus nominentur: vel, si ita pro Regionis more videatur magis expedire, per edictum etiam publicum ad talem Parochiam aspirantes vocentur, & comparentes examinentur per Examinatores in Synodo Diœcesano deputatos: & qui peracto examine idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, aliisque rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, Episcopo denuntientur. Ex quibus deinde Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit; ipsique, & non alii, Parochia conferatur, prout amplius habet Concilium Trid. *loc. cit.* Verum ab hoc Concursu sunt eximendæ nonnullæ Parochiæ, de quibus infra *Dist. 3. n. 41. & 42.*

40. Quæres ulterius, quid sit censendum de primis Precibus Imperatoris? Resp. Romanus Pontifex Imperatori recens electo, & a Papa confirmato, id postulanti, per speciales litteras concedere solet pro Ecclesiis Germaniæ singulare privilegium, virtute cujus in qualibet Ecclesia semel personam idoneam, sibi gratam & acceptam, ordinario Collatori nominare possit, qui ad Beneficium vacans, dummodo cæteroquin sit idoneus, omnino recipi debeat. Et hujusmodi nominatio per Romanorum Imperatorem facta dicitur proprio nomine, *Prima Preces Imperatoris.*

41. Cæterum prædictæ Preces Imperatoris sunt intelligendæ, dummodo idem Collator non nisi semel, id est, pro unico tantum Beneficio gravetur: nam alioquin non primæ, sed secundæ Preces conferentur. Gravasse autem tunc censetur, si Preces ad effectum pervenerint, atque supplicans actu Beneficium illud obtinuerit: nam si hic Precibus renunciaverit, vel ex quocunque alio impedimento Beneficium illud non obtinuerit, nihil prohibet, quin Imperator novas preces pro alio ad eundem Collatorem dirigere valeat.

42. Ab his tamen primis Precibus excipiuntur Dignitates Pontificiales, & primæ post illas; ut Præposituræ, vel Decanatus; item Præturæ, primæque dignitates in Monasteriis, & Ecclesiis Collegiatis. Excipiuntur etiam Beneficia, quæ pertinent ad

ad Jus patronatus Laicorum: nam huic Pontifex nunquam censetur derogare, nisi id exprimat. Insuper primæ præces Imperatoris locum non habent, nisi ordinarius Collator ad minus quatuor Beneficia conferre possit: nam si unum dumtaxat, vel alterum conferendum habeat, non tenetur ejusmodi Preces admittere. Quinimo hæc clausula, *Dummodo ipsi Collatores, & Collatrices, saltem quatuor Beneficia conferre habeant*: Litteris Pontificiis, Cæsareæ Majestati dictam facultatem concedentibus, inseri solet; ne alioquin facile contingat, ut quis toto vitæ suæ tempore impediatur ab usu juris liberæ suæ Collationis. Engel *tit. de Prab. n. 70.* Vvagnereck *c. Is cui §. 2. eod. in 6.*

QUÆSTIO IV.

Quibus conferenda sint Beneficia? ubi & de Conditionibus ex parte eorum requisitis.

SUMMARIUM.

43 *Beneficia Ecclesiastica non nisi dignis conferenda.*
44 *Ea dignioribus in conscientia conferri debent.*
45 *Mens Concil. Trid. circa hoc. Et Decretum Innocent. XI.*
46 *Conclusio procedit de omnibus Beneficiis curatis.*
47 *Quid de Beneficiis simplicibus.*
48 *Patrimonialibus, & Patronatis?*
(b) Ut infra dicetur Dist. 3. n. 44. & seqq.
49 *Ecclesia magis utilis, quis?*
50 *Dignus respectu Beneficii, & dignior, quis?*
51 *Unde desumenda major dignitas?*
52 *Indignus, quis?*
53 *Conditiones, ut quis sit dignus ad Beneficium.*
54 *I. Thorus legitimus.*
55 *II. Status Clericalis.*
56 *III. Ætas legitima. Et qua sit talis?*
57 *IV. Calibatus.*
58 *V. Absentia censura, atque irregularitatis.*
59 *Quid de excommunicato excommunicatione minori?*
60 *VI. Probitas morum. VII. Scientia debita. VIII. Habilitas corporis.*
61 *IX. Integritas status Ecclesiastici.*
62 *X. Garentia Beneficii incompatibilis.*
(c) Juxta dicenda Dist. 2. n. 19. & seqq.
63 *Electio indigni est ipso jure irrita.*
64 *Valet tamen electio digni omisso digniori*

43. CONCL. I. Certum est, Beneficia Ecclesiastica non nisi dignis, atque idoneis, conferenda esse. Ita communis: nam rectæ rationi adversatur, assumere ad officium spirituale personam idoneam. Hinc *c. Grave nimis de Prab.* dicitur: *Grave nimis est, & absurdum, quod quidam Ecclesiarum Prælati; cum possint viros idoneos ad Ecclesiastica Beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur: carnalitatis sequentes affectum, non judicium rationis: unde quanta Ecclesiis damna proveniant, nemo sanæ mentis ignorat &c.*

44. CONCL. II. Electores, Patroni, & collatores Beneficiorum, præsertim curatorum, quantum in ipsis est, sive in ipsorum libera dispositione, tenentur in conscientia ad præferendum inter dignos digniorem, sed quem magis Ecclesiæ utilem ipsi judicaverint. Ita post D. Thomam 2. 2. *q. 63. art. 2.* & *q. 185. art. 5.* Doctores passim; adeo, ut Lugo *disp. 35. de just. & jure sect. 2. n. 10.* hanc sententiam appellet communissimam. Desinitur hoc ex *c. Metropolitana dist. 64.* volente, quod *optimus ordinetur.* Concordat textus *c. Licet 8. qu. 1.* ibi: *Qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium* & alibi. Accedit ratio: quia dispensationes spiritualium principaliter ordinantur ad utilitatem communem, juxta illud 1. *Corinth. 12. Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem*: atqui communis istiusmodi utilitas non observatur, quando in dispensatione spiritualium, seu promotione ad Beneficia Ecclesiastica, illi, qui sunt simpliciter minus boni, præferuntur melioribus; ergo

45. Hinc Concilium Trid. *sess. 24. c. 1. de Reform.* expresse ait: *Alienis peccatis communicantes mortaliter peccant, qui nisi quos dignissimos, & Ecclesia magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promoverint.* Quorum verborum sensum, cæteroquin admodum clarum, cum nonnulli Authores sinistra interpretatione perverterint, Innocentius XI. sequentem inter alias, ordine 47. Propositionem damnavit: *Cum dicit Concilium Tridentinum, seu alienis peccatis communicantes mor-*

liter aliter peccant, qui nisi quos dignores, & Ecclesia magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent. Quorum verborum sensum, cæteroquin admodum clarum, cum nonnulli Authores sinistra interpretatione perverterint, Innocentius XI. sequentem inter alias, ordine 47. Propositionem damnavit: *Cum dicit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos dignores, & Ecclesia magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel prime videtur per hoc dignores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpsse ex relativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit dignores, ut excludat indignos, non vero dignos; sic tandem sequitur certio, quando sit concursus.* Hactenus Propositio damnata.

46. Dicitur notanter in Conclusione, *Beneficiorum, præsertim curatorum.* Eam enim post citatum Decretum Innocentii XI. procedere non solum de Episcopatibus, de quibus ex professo loquebatur Concilium Tridentinum; sed etiam de omnibus illis, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, sive sint Abbates, sive Vicarii, aut Priores nullius Diœcesis, sive Prælati Regulares, ob identitatem rationis; quin etiam de illis, qui eliguntur ad Beneficia Parochialia: ad longum deducit Jo. Cardenas *in Crisi Theologica ad Propositionem 47. Innocentii XI.*

47. Notat tamen citatus Author *n.* 2. neque Concilium Trid. *Sess. 23. c. 1. de Reform.* neque Propositionem allegatam Innocentii XI. agere de Beneficiis simplicibus, & nullam animarum curam habentibus: nam Concilium expresse agit de Pastoribus Ecclesiarum; Propositio vero citata agit contra eos, qui Concilium perperam interpretabantur. Hinc non pauci Doctores apud Lugonem *loc. cit. n.* 10. oppositum tenent de Beneficiis simplicibus: & quod in his non sit peccatum mortale, prætermittere dignorem, dummodo vere digni & idoneus instituatur, censet Layman *lib. 4. tract. 2. c. 15. n. 8.* post Sotum, Lessium, & alios: fiquidem Ecclesiæ plerumque non magnum inde detrimentum patitur.

48. Additur in Conclusione, *quantum in ipsis est*: Nam in Beneficiis patrimonialibus, sive quæ ex primæva Fundatione, statuto vel consuetudine, certo personarum generi, v. g. talis Familiæ, Patriæ &c. conferenda sunt, id observari debet, dummodo adsint idonei, qui ex tali genere institui possint; non obstante, quod alii meliores, sed extranei, præsto sint. Deinde, quando Patronus, præsertim Laicus, præsentat Clericum dignum ad Beneficium, tenetur cum Episcopus instituere (d) haud obstante, quod judicet aliquem alium fore dignorem. Siquidem hic est favor specialis, & privilegium, ratione Fundationis Patrono concessum, ut quem voluerit, præsentare valeat; dummodo is cæteroquin idoneus sit, ac dignus. Quinimo ex hoc fundamento probabiliter tradunt nonnulli Authores, quos citat, & sequitur Layman *l. c. cap. 15. n. 7.* Patronum Laicum plerumque satisfacere obligationi suæ, si præsentet dignum, ac idoneum, adeo ut periculum non sit, Ecclesiam ex illius provisione damnum accepturam: quamvis secus dicendum sit de Prælatis, & Patronis Ecclesiasticis, utpote quibus ex officio incumbit, Ecclesiæ quam optime providere.

49. Dicitur ultimo, *seu quem magis Ecclesia utilem judicaverint*: Quia non tenetur quis assumere simpliciter meliorem, sed meliorem quoad regimen Ecclesiæ: qui scilicet possit Ecclesiam & instruere, & defendere, & pacifice gubernare, prout loquitur Doctor Angelicus *cit. q. 185. art. 3.* Unde & Concilium Trid. *l. c.* notanter monet, eos a Promotoribus esse promovendos ad Ecclesias, *quos dignores, & Ecclesia magis utiles ipsi judicaverint.* Hinc pro dictorum intelligentia.

50. Notandum, quod *Dignus* respectu Beneficii Ecclesiastici dicatur omnis ille, qui habet sufficientiam, omnesque qualitates a Jure requisitas ad ejus ministerium. *Dignior* vero, qui comparatione aliorum majorem sufficientiam, aptitudinemque ad administrandum habere dignoscitur. Et quidem ista hæc major sufficientia, dignitasque, non præcise mensuranda est ex majori doctrina, vel majori probitate, aut nobilitate; sed conjunctim ex omnibus animæ & corporis dotibus, ipsaque aptitudine ad regendum, adeo ut Ecclesiæ, sive Prælaturæ, cui præficitur, utilior fore credatur.

51. Et notanter hoc additur. Nam major istiusmodi dignitas est desumenda per comparationem ad bonum commune: contingit autem quandoque, quod ille, qui est, minus sanctus, & minus sciens, possit magis conferre ad bonum commune, propter potentiam, vel industriam sæcularem, vel propter aliquid hujusmodi; uti notat D. Thomas *cit. q. 63. art. 2.*

52. Tandem *Indignus* censetur, cui deest aliqua ex qualitatibus ad ministerium Beneficiale Jure requisitis. Quod ultimum, ut melius pateat, fit

collatio Beneficii facta ei, qui Matrimonio junctus est, invalida existit: nisi forsan quis consentiente conjuge Castitatem voverit perpetuam, nec bigamus existat, *cap. Sane 2. de Clericis conjugatis.* Quinimo, si Clericus in minoribus Ordinibus constitutus habeat Beneficium, & postea contrahat Matrimonium, illud ipso jure perdit *arg. c. 1. & cap. Quoad a te sod.* & cum communi Doctorum tradit Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 42. n. 1.*

58. V. *Absentia Censura atque Irregularitatis*; hoc est, ut quis non sit detentus ullo Juris impedimento, ut puta Irregularitate, Excommunicatione, aut alia Censura Ecclesiastica. Collatio siquidem Beneficii nulla est, ipsoque jure irrita, si fiat excommunicato excommunicatione majori, vel suspenso, aut interdicto; prout patet *ex c. Postulasti, de Clerico excommunicat. & cap. Cum dilectus de Consuetud. & cap. 1. de Postulat. Prælat.* cum concordantiis.

59. Additur notanter, *excommunicato excommunicatione majori*: Quia, si Beneficium conferatur excommunicato excommunicatione minori collationem non esse ipso jure irritam, sed irritandam *arg. c. Si celebrat. de Clerico excommun.* censet Lessius *l. c. n. 116.* quamvis nonnulli oppositum teneant.

60. VI. *Probitas morum*. Et VII. *Scientia debita*. Et VIII. *Habilitas corporis*. Hoc est, ut quis bonis moribus, & scientia commendabilis existat, *cap. Cum in cunctis de electione*, & alibi; simulque ea corporis aptitudine præditus sit, ut decenter officium suum præstare valeat.

61. IX. *Intentio Status Ecclesiastici*. Si enim quis accipiat beneficium Ecclesiasticum eo dumtaxat animo, ut ex ejus fructibus sustentari valeat, donec studia sua absolverit, vel divitem uxorem reperierit, intentione postea Beneficium deserendi, peccat mortaliter, nec potest tuta conscientia illud retinere. Lessius *l. c. dub. 26. n. 132.* allegans communem. Nihilominus satis est, ut quis sincero animo, bonaque fide proponat Statum Ecclesiasticum retinere, neque ab eo resilire, nisi justa causa supervenerit: quia non est mens Ecclesiæ, per Beneficium ita firmiter astringere Clericum ad Statum Ecclesiasticum, ut nulla de causa, licet adhuc sit constitutus in Ordinibus minoribus, possit eum deserere incundo Matrimonium.

62. X. *Carentia alterius Beneficii incompatibilis*, justa inferius dicenda *Dist. 2. Quæst. 2.* Cæterum hoc non ita intelligendum est, quasi

quasi Collatio secundi Beneficii incompatibilis at nulla: quinimo ea est valida, sed adepta illius pacifica possessione vacat primum; prout declaravit Sac. Congregationem Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, refert Fagnanus *Super inordinatorum, 9. de Prab.* Quod si vero Beneficiarius utrumque retinere perrexerit, utroque privatus existit ipso jure. (e)

63. CONCL. IV. Electio indigni, seu carentis aliqua ex qualitatibus ad ministerium Beneficiale jure requisitis irrita est, ac nullius roboris: valet tamen electio de digno celebrata omisso digniori. Prior pars patet ex pluribus a textibus Juris Canonici, in explicatione singularum qualitatum hactenus adductis. Concordat Concilium Trid. *sess. 22. c. 4. de Reform.* ibi: *Nec aliis imposterum fiat provisio, nisi iis, qui jam ætatem, & cæteras habilitates integre habere dignoscantur: aliter irrita sit provisio.*

64. Altera pars est Zoesii *tit. de Elect. n. 45.* Engel *eod. n. 47.* & aliorum. Ratio est: quia Ecclesia nullibi rejicit, neque irritat electionem de digno celebratam omisso digniore (bene tamen electionem indigni) idque ob bonum pacis: alioquin enim omnes propemodum electiones essent in discrimine ac daretur locus infinitis litibus, si ex dumtaxat de causa posset electio impugnari, ac irritari, quod non fuerit electus dignior. Nec obstat, quod scienter eligentes dignum omisso digniori peccent. Nam *multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*, ut dicitur *c. Ad Apostolicam de Regularibus.*

QUÆSTIO V.

Quæ sint obligationes Beneficiariorum?

SUMMARIUM.

65 Obligatio Beneficiariorum multiplex.
66 Una, est Horarum Canonicarum recitatio.
(d) Tract. 6. Dist. 1. n. 24. 31. & seqq.
67 Alia, est Residentia personalis.
68 Episcopi & Pastores tenentur residere Jure Divino.
69 Alii vero Beneficiarii Jure Ecclesiastico.
70 De consuetudine excipiuntur beneficia simplicia.
71 Solvitur instantia.
72 Quibus de causis liceat abesse a Beneficio?
73 Episcopus quando, & quamdiu possit abesse?
74 Item & Canonici?
75 Quid de Parochis?
76 An hi possint abesse sine alia licentia per duos menses? Affirmant aliqui.
77 Melius alii negant.
78 Quid in casu subitæ necessitatis?
79 Vel in absentia ultra duos menses?
80 Salvitur instantia.

65. CONCL. I. Obligatio Beneficiariorum multiplex esse potest, pro qualitate scilicet Beneficiorum, atque Fundationum diversitate. Patet hoc: tum quia in una Fundatione plura Missarum onera Beneficiario imponuntur, quam in altera. Tum quia nonnulli eorum quandoque ad Chorum alligati existunt, non vero alii. Tacentur aliæ speciales obligationes, quæ quibusdam Beneficiis vi primævæ suæ Fundationis impositæ sunt, non aliis: unde tenor Litterarum Fundationis vel maxime inspiciendus, & exacte observandus erit.

66. CONCL. II. Una principalis Beneficiariorum omnium, etiam necdum in sacris Ordinibus constitutorum obligatio, est recitatio quotidiana Horarum Canonicarum. Ita communis, & patet ex jam superius (d) dictis.

67. CONCL. III. Alia obligatio Clericis Beneficiariis incumbens, est Residentia personalis. Patet hoc tum ex Concilio Trident. *sess. 23. de reform. c. 1.* tum ex Jure Canonico *toto tit. de Clericis residentibus.*

68. CONCL. IV. Episcopi, & Pastores quibus cura animarum commissa est, tenentur ad ejusmodi Residentiam personalem de Jure naturali, & Divino. Ita Lessius *lib. 2. de just. & jure c. 34. dub. 29.* Herincx *disp. 7. de just. & jure q. 4.* Vallensis: & alii; idque satis aperte supponitur in Concilio Trid. *cit. c. 1.* ibi: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, &c. Quæ omnia nequaquam aliis præstari, & impleri possunt, quæ gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt.* Quibus verbis insinuatur ratio Conclusionis: siquidem sedulorum Pastorum est gregi suo invigilare, eique assistere, quod fit per Residentiam personalem, non autem Mercenariorum more eundem deserere.

69. CONCL. V. Etiam reliqui Beneficiarii, curam animarum non habentes spectato Jure communi Ecclesiastico, tenentur residere in loco Beneficii, sive Dignitatem annexam habeant, *arg. c. 1. & seq. de Clericis non resid.* sive aliud obtineant simplex Beneficium, quantumvis tenue ac modicum: prout desumitur ex *cap. Conquerente & c. Inter quatuor eod.*

70. Dicitur notanter, *spectato Jure communi Ecclesiastico*: Nam imprimis hujusmodi obligatio non descendit ex Jure naturali & Divino, sed vel ex primæva Fundatorum intentione, vel saltem ex Sacris Canonibus jam allegatis. Deinde loquendo de Beneficiis simplicibus, ex generali consuetudine totius Ecclesiæ eadem personalem Residentiam non amplius requirunt. ideoque potest Beneficiarius per Substitutum illis deservire, nisi fundator diserte verbis oppositum expresserit. Fagnanus *c. Cum omnes n. 14. de Constit.* Vallensis, Engel, & alii.

71. Quod si contra datas Conclusiones objicias: Juxta Regulam 68. Juris in 6. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*, cum concordantiis: ergo non tantum habens Beneficium simplex, sed & quilibet alius potest deservire per Substitutum. Resp. negando consequentiam: nam allata Regula fallit, seu patitur exceptionem, quando electa est industria & opera personæ; prout ipsa in collatione Beneficii semper electa intelligitur, *arg. c. Is cui de Offic. Judicis delegati in 6.* Simulque, ut taceatur specialis dispositio Juris quoad hoc, contra rectam rationem est, ut non obstante, quod Beneficium detur propter officium, unus habeat Beneficium, ejusque emolumentum, & alter præstet onus, atque officium: nisi major aliqua ratio cogat Clericum a suo Beneficio ad tempus abesse, eique interim per alium idoneum Substitutum deservire.

72. CONCL. VI. Nihilominus justa de causa quandoque licitum est abesse a loco Beneficii. Ita Concilium Trid. *cit. sess. 23. de Ref. c. 1.* ubi inquit: *Christiana charitas urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas, aliquot nonnunquam abesse postulant, & exigunt.* Recte tamen ibidem subditur, quod quando tales, qui beneficium Ecclesiasticum curam animarum annexam habens obtinent, abesse contigerit, debeat causa legitimæ absentiæ per Episcopum esse cognita, & approbata: simulque ipsi teneantur, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquere; ut quantum fieri poterit, ex ipsorum Pastorum absentia Oves concreditæ nullum damnum accipiant.

73. CONCL. VII. Episcopus extra tempus Adventus, Quadragesimæ, ac solemniora Festa, potest abesse ab Ecclesia sua per duos, vel ad summum tres menses, sive continue, sive interruptim, sine alia Superioris approbatione, etiam causa dumtaxat relaxandi animum. Ita colligitur ex cit. Concilio Trid. & notat Barbosa *ibidem in Collectaneis n. 15. & 16.* & aliis, quos citat. Ratio hujus affertur a Concilio Trid. ibi: *Quoniam, qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse; quia statim reversuri sunt.*

74. CONCL. VIII. Canonici Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, possunt a suis Ecclesiis quolibet anno per tres menses abesse; nisi ubi propriis Ecclesiarum constitutionibus longius servitii tempus requiritur. Ita Concilium Trid. *sess. 24. c. 12. de Reform.* & Barbosa *ibi in Collectaneis n. 64.* cum aliis. Intellige, dummodo non omnes Canonici simul absint, sed tot semper remaneant, ut servitium Ecclesiæ possit peragi; quia Concilium non indulsit tres menses absentiæ toti Capitulo, sed Canonicis, scilicet singulis per vices. Fagnanus *in c. Licet n. 55. de Prab.*

75. CONCL. IX. Parochi vel maxime residere tenentur propter periculum, ne in illorum absentia quidam e Parochianis sine Sacramentis decedant, aut in aliis spiritualibus auxiliis detrimentum patiantur. Nihilominus quia circa Parochos quoque non raro occurrunt causæ aliquantisper aliorsum discedendi, provide idem Sac. Oecumenicum Concilium *cit. c. 1.* statuit in hæc verba: *Eadem omnia, etiam quoad culpam amissionem fructuum, & pœnas de Curatis inferioribus & aliis quibuscunque, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, Sacrosancta Synodus declarat, & decernit; ita tamen, ut quandoque ex causa prius per Episcopum cognita, & probata, abesse contingerit, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtinent.* Hæc Concilium: occasione quorum

76. Quæritur, an Parochus per dictos duos menses possit abesse sine alia licentia Episcopi? Affirmant Navarrus *c. 25. Manualis, n. 121.* Azorius *part. 2 lib. 7 c. 4. q. 10.* Bonacina & quidam alii. Rationem dant: tum quia ante Concilium id licebat, *arg. c. Præ-*

sen-

sentium & c. Si quis in Clero 7. q. 1. ubi per duos menses, vel saltem per tres hebdomadas potest Sacerdos a sua Ecclesia abesse, atqui a Jure antiquo non est recedendum sine novo Jure expresso *l. Præcipimus C. de Appel.* Tum quia Episcopo, qui tamen magis tenetur residere, id expresse permittitur a cit. Concilio.

77. Opposita sententia asserit, Parochos ne quidem primo bimestri posse abesse sine licentia Episcopi. Ita Barbosa *in Collect. novis ad cit. cap. 1.* Concilii Trid. *num. 67.* post Lessium *lib. 2. cap. 34. num. 159.* Vasquez, & plures alios. Et subdit Barbosa *num. 68.* quod Garzias, & Armendar. decisum referant, non posse Parochum per hebdomadam abesse non petita, vel non obtenta licentia, etiam relicto idoneo Vicario per Ordinarium approbato. Et hæc sententia est conformior verbis Concilii Tridentini proxime relatis, ut patet, quamvis simul attendi debeat praxis singularum Diœcesium, & an rigor iste sit ibidem receptus. *Credo tamen* (inquit cit. Lessius) *non esse usu receptum.*

78. Illud certum est, quod quando subita necessitas occurrit, qua nequit Parochus Episcopum adire, fas sit eidem ad breve tempus abesse absque expressa Episcopi licentia (nam subita necessitas, cum gravis sit, non patitur dilationem, neque moram) dummodo relicto idoneo Vicario bene provideatur, ne in sua absentia Grex sibi commissus spirituale damnum patiatur.

79. Insuper certum est, si per longius tempus, utputa ultra duos menses, Parochus sive conjunctim, sive divisim, a sua Parochia abesse velit, requiri causam graviorem atque expressam licentiam Episcopi; prout clare indicat cit. Concilium Trident. junctо *c. Licet canon. 5. fin. de elect.* ubi dicitur, quod super Residentia personali Parochi facienda *possit Ordinarius ipsius gratiam dispensationis ad tempus facere, prout causa rationabilis id exposcit.*

80. Nec obstat, quod Parochus Jure naturali teneatur ad Residentiam personalem: Resp. enim, id intelligendum secluso justa causa & cessante legitima dispensatione. Verum de Residentia Beneficiariorum, & pœnis non residentium, plura Canonistæ *Tit. De Clericis non residentibus &c.*

DISTINCTIO II.

De Incompatibilitate, Renunciatione, & Permutatione Beneficiorum.

QUÆSTIO I.

Quæ Beneficia sint incompatibilia, vel compatibilia?

SUMMARIUM.

1 *Mala ex pluralitate Beneficiorum simul retentorum ebruncinta.*
2 *Ea quandoque possunt abesse.*
Et dantur Beneficia compatibilia.
3 *Incompatibilitas Beneficiorum ex duplici capite oritur.*
4 *Si unum sufficit ad honestam sustentationem, non licet plura habere.*
5 *Quod Beneficium censeatur sufficiens ad congruam sustentationem?*
6 *Beneficia de se compatibilia, qua?*
7 *Beneficia simplicia ultra duo nequeunt haberi.*
8 *Alia Beneficia compatibilia, recensentur.*
9 *Beneficia de se incompatibilia, qua?*
10 *Beneficia uniformia sub eodem tecto, qua?*
11 *Corollarium de duobus Capellanis ejusdem Ecclesiæ.*
12 *Beneficium simplex potest adjungi alteri, tenues reditus habenti.*

1. QUanta mala oriri soleant in Ecclesia Dei, dum nonnulli plura obtinent Beneficia Ecclesiastica, paucis comprehendit Pontifex *c. quia in tantum de Prab.* dicens quod *multitudo Prebendarum canonibus inimica, dissolutionis materiam & evangelicis induxit, certumque continet periculum animarum.* Eadem mala amplius deplorat Pontifex *in Extrav. Execrabilis de Prab.* eo quod execrabilis quorundam ambitio, & improbitas importuna, plura a Romanis Pontificibus non tam obtinere, quam extorquere plerumque noscuntur Beneficia: adeo, ut (præter alia incommoda, quæ ibidem recensentur) multi alii litterati, probique Viri a consecutione competentium Beneficiorum impediantur, cultus Divinus minuatur, hospitalitas in ipsis Beneficiis debita non servetur, atque Ecclesiarum detrahatur commodis & honori, quæ carentes Defensorum auxilio in juribus suis, & libertatibus multipliciter collabuntur.

2. Quia vero talia incommoda atque inordinationes, quandoque certis concurrentibus circumstantiis abesse possunt; hinc non sequitur, universim illicitum esse, plura simul habere Beneficia. Quinimo eorum quædam esse compatibilia, satis indicat textus *in cap. Gratin, de Rescriptis in 6.* ibi: *Si talia sint Beneficia, qua simul nequeant de jure teneri.* Et idem manifeste supponit Concilium Trid. *Sess. 7. cap. 4. de Reform.* ibi: *Plura curata, aut alias incompatibilia Beneficia:* nam hujusmodi limitatio frustra apponeretur, nisi aliqua extarent Beneficia compatibilia. Hinc Quæstio remanet, unde oriatur, & quæ sit incompatibilitas Beneficiorum Ecclesiasticorum.

3. CONCL. I. Incompatibilitas Beneficiorum Ecclesiasticorum generatim ex duplici capite oritur; videlicet, si aut ipsa Beneficiorum institutio non permittat, ut plura ab eodem administrentur; aut si unum eorum ad honestam Beneficiarii sustentationem sufficiat. Ita communis, ut patebit ex dicendis. Et quidem, quantum attinet ad priorem partem, seu Beneficia de se incompatibilia, ex professo de ipsis dicetur *n. 9. & seqq.*

4. Quod autem cessante justa dispensatione sit illicitum, plura Beneficia, licet ceteroquin compatibilia, simul retinere, si unum ipsorum ad honestam Clerici sustentationem sufficiat, tenet Glossa communiter recepta *in cap. Dudum 54. v. Retinere de Elect.* ubi ait: *Nota, quod qui habet plura beneficia, quorum alterum per se sufficeret, non potest sine mortali peccato retinere aliud.* Idem ad longum propugnat Abbas *ibi. Extirpanda 5. Qui vero num. 34. & seqq. de Prab.* & Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 8. num. 2.* citans plures alios. Desumitur hoc ex *c. Sanctorum dist. 80. & cap. Conquerente de Clericis non residente, & cap. Cum teneamur, de Prab.* cum concordantiis. Accedit Concilium Trident. *Sess. 24. cap. 17. de Refor.* ibi: *Cum Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum Coetus statuit, ut in posterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, bene-*

ficæ sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferre: & consequenter a sensu contrario, & quia exceptio firmat regulam in oppositum, quando unum Beneficium sufficit ad honestam Clerici sustentationem, alterum conferri, & retineri non potest. Confirmatur: quia repugnat rationi naturali, ut quis plura simul non necessaria Beneficia occupando, defraudet alios Clericos a consecutione competentium Prædendarum, deturque ansa incommodis *n. 1.* enumeratis, nisi justa causa interveniatur, atque accedente legitima dispensatione id honestetur.

5. Quæres autem, quodnam Beneficium censeatur sufficiens ad congruam Beneficiarii sustentationem? Resp. Illud Beneficium censetur taliter sufficiens, ex quo Clericus pro statu sui conditione, & se, & familiam suam honeste valet sustentare. Adde cum Vallensi: *tit. de Concess. Prabend. §. 4. num. 10.* & aliis, parentes, fratres, & consanguineos egentes: nam & hos potest Clericus ex redditibus Ecclesiasticis honeste sustentare, non autem augere: probat tum ex Can. 39. Apostolorum, tum ex Concilio Trident. *Sess. 25. cap. 5. de Reform.* desumitur. Insuper circa hoc Glossa *in cap. Conquerente, v. Sufficientia, de Clericis non resid.* observat, atque ex utroque Jure ostendit, quod oporteat, quantum ad propositum, considerare plura alia, utpote nobilitatem, scientiamque, quia tales Personæ sunt ampliоribus redditibus honorandæ, *cap. de multa, §. fin. de Prabend.* Item, quod etiam hospitalitas, ipsique jura Episcopalia persolvenda attendi debeant: nam Clerici & hospitalitatem tenere, & jura Episcopalia persolvere, & insuper congruam suæ personæ, familiæque sustentationem habere debent, *cap. de Monachis de Prabend.* cum concordantiis. Et hinc, quodnam Beneficium dicatur sufficiens ad congruam sustentationem, arbitrio Judicis relinqui paulo plus, vel minus æstimandum, consideratis considerandis, qualitate scilicet personarum, locorum & temporum, resolvit Barbosa *lib. 3. Jur. Eccl. univ. c. 13. n. 183.* citans plures alios.

6. CONCL. II. *Beneficia de se compatibilia* sunt ea, quæ vel ex Jure communi, vel ex consuetudine, Statuto, aut Fundatione simul obtineri, ac retineri possunt. Talia sunt imprimis Beneficia simplicia non

requirentia personalem residentiam, vel quorum unum requirit residentiam, alterum vero non; nam in his facilius admittitur pluralitas, si ita necesse sit ad honestam Clerici sustentationem; prout colligitur ex Concilio Trid. *Sess. 24. de Reform. c. 17.*

7. Cæterum Barbosa *loc. cit. n. 180. & 182.* refert, Sac. Cardinalium Congregationem declarasse, quod Episcopus non possit plura Beneficia simplicia ultra duo uni conferre, usque ad sufficientem ejus sustentationem, absque Apostolica dispensatione. Et si de facto conferat tertium, collatio illius sit quidem valida, attamen quando illud est sufficiens pro congrua sustentatione Clerici, vacent ambo Beneficia priora; sin minus, vacet primum.

8. Deinde Beneficia compatibilia censentur, quæ in diversis Ecclesiis sunt, & nullam, vel saltem non incompatibilem residentiam exigunt. Laymán *cit. cap. 8. n. 7.* & alii. Insuper Beneficia de se compatibilia in eadem Ecclesia dicuntur, quæ disformia sunt, v.g. Præpositura & Canonicatus: qualia proinde, cum utrisque simul satisfieri possit, etiam in simul (si ita necesse sit ad congruam Clerici sustentationem) retineri possunt. *arg. cap. 1. de consuetud. in 6.* Nisi alicujus Ecclesiæ speciale Statutum, vel consuetudo repugnet.

9. CONCL. III. *Beneficia de se incompatibilia* (id est, abstrahendo ab eo, quod unum eorum ad honestam Beneficiarii sustentationem sufficiat) sunt ea, quæ vel Jure naturali, vel Jure communi Ecclesiastico, aut ex consuetudine, Statuto, seu Fundatione, continuam residentiam personalem postulant: ut sunt duo Episcopatus, duæ Abbatiæ, duæ Parochiæ, duæ perpetuæ Vicariæ, & cætera curata Beneficia. Item duæ Dignitates, Personatus, aut duo Officia personalem residentiam requirentia, *arg. c. Ad hæc, & c. Præterea, &c. Cum non ignores, & c. De multa, de Præb.*

10. Similiter Beneficia uniformia sub eodem tecto, censentur incompatibilia: ut sunt duo Canonicatus in eadem Ecclesia. Cæterum per *Beneficia uniformia sub eodem tecto* intelliguntur ea, quæ in eadem Ecclesia ad eundem finem instituta sunt, adeoque habent idem prorsus onus & officium eodem tempore persolvendum: uti contingit in duobus Canonicatibus ejusdem Ecclesiæ.

11. Hinc infertur, quod duæ Capellaniæ in duobus Altaribus ejusdem Ecclesiæ, simul cum onere, ut in uno Altari bis, in altero ter, distinctis diebus in eadem Ecclesia celebretur, non sint Beneficia uniformia, ac proinde de se compatibilia. Quia licet uno nomine generali Capellaniæ appellentur, cum tamen habeant distincta onera, seu officia in diversis Altaribus peragenda, re ipsa non sunt uniformia, sed disformia Beneficia, quæ proinde eidem conferri, & (dummodo primum eorum ad honestam Clerici sustentationem non sufficiat, neque constitutio, aut consuetudo particularis repugnet) simul retineri possunt.

12. Unde & Concilium Trid. *Sess. 24. c. 15. de Reform.* statuit, quod si Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium, aut Beneficia Parochialia, ob temporum injuriam redditus tam tenues habeant, ut non sufficiant sustentationi decenti pro dignitate, ac qualitate personæ, & loci, authoritate Episcopi liceat adjungere simplex Beneficium, donec melius provisum fuerit.

QUÆSTIO II.

Quæ sint pœnæ recipientium plura Beneficia incompatibilia?

SUMMARIUM.

13 *Illicitum est, plura simul obtinere Beneficia incompatibilia.*
14 *Circa dispensationem Pontificiam.*
15 *Triplex causa dispensandi in pluralitate Beneficiorum.*
16 *I. Necessitas Ecclesiæ.*
17 *II. Utilitas Ecclesiæ.*
18 *III. Evidens meritorum prærogativa.*
19 *Plura incompatibilia Beneficia recipiens, ipso jure privatus est priori.*
20 *Intellige de facto.*
21 *Et post receptionem, seu possessionem secundi.*
22 *Fallit si quis fructus secundi Beneficii necdum percipias.*
23 *Dicta privatio de facto incurritur ipso jure.*
24 *Et quomodo intelligenda?*
25 *Solvitur notabilis instantia.*
26 *Quid, si quis privatum cum secundo retinere contenderit?*
27 *In quibus casibus plura simul Beneficia haberi possint?*

13. CON-

13. CONCL. I. Quandocunque vel alterum Beneficium sufficit ad honestam Clerici sustentationem, vel ipsamet Beneficia de se sunt incompatibilia, illicitum est, sicque peccaminosum, plura simul obtinere citra dispensationem Pontificiam. Ita communis. Et quidem, quantum ad primum membrum attinet, patet illud ex *c. Ad hæc de Præbend.* ibi: *Illud est enumerationi contrarium, ut unus Clericus in una, vel diversis Ecclesiis, plures Dignitates, Personatus obtineat &c.* Huc accedunt textus, & mala ex pluralitate Beneficiorum provenientia, de quibus *n. 1.*

14. Altera pars, loquens de dispensatione Pontificia, ex eo probatur: quia habere plura Beneficia, non est intrinsece malum, sicuti mentiri, blasphemare &c. sed quamvis habeat quandam mali speciem, ea tamen concurrentibus certis causis cohonestari potest.

15. Porro ejusmodi justa causa dispensandi in pluralitate Beneficiorum, triplex a Doctoribus recenseri solet; videlicet necessitas Ecclesiæ; utilitas Ecclesiæ; & evidens meritorum prærogativa, *arg. c. Tales 1. q. 7.* ibi: *Nisi forte eos aut maxima Ecclesiæ utilitas, vel necessitas postulet, vel evidens meritorum prærogativa commendet.*

16. Et quidem ob necessitatem Ecclesiæ possunt quandoque plura Beneficia, etiam ultra congruam Clerici sustentationem conferri, si desint alii idonei Ministri, utputa in locis Hæreticorum, in quibus est defectus Clericorum.

17. Deinde ob utilitatem Ecclesiæ id accidere potest, quando unus solus, licet absens, magis putatur Ecclesiæ profuturus sua auctoritate, potentia, doctrina, & prudentia, quam alius præsens, vel plures alii: quia de causa filiis Principum conferuntur interdum plures Episcopatus, etiam ante ætatem, ut Ecclesiæ contra Hæreticos potentius defendantur. Pirhing. *tit. de præb. n. 191. & alii.*

18. Tandem de evidenti meritorum prærogativa habetur textus clarus *c. De multa §. fin. de præb.* ibi: *Nullus plures Dignitates, aut Personatus habere præsumat, etiamsi curam non habeant animarum. Circa sublimes tamen, & litteratas personas, quas majoribus sunt beneficiis honoranda, cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari.*

19. CONCL. II. Quicunque de facto plura incompatibilia Beneficia, sive curata, sive alias incompatibilia, simul recipere, ac retinere præsumpserit, per receptionem secundi mox priori Beneficio est ipso jure privatus; & is, ad quem spectat prioris Collatio, libere illud confert: statim atque institutus secundum recepit. Ita habetur *cit. cap. De multa, de præbend. Extravagant. Execrabilis, 9. Qui vero, eadem.* Accedit Concilium Tridentinum *Sess. 7. de Reformat. cap. 4.* quod prædicta Jura innovavit, & (cum illa loquerentur cuntaxat de Dignitatibus, Personatibus, seu Officiis, aut aliis Beneficiis curam animarum habentibus annexam) ad alia Beneficia, etiam quomodolibet incompatibilia extendit; prout notat Fagnanus *in cit. cap. De multa n. 3.* allegans decisionem Rotæ, Garziam affirmantem, ita esse indubitanter tenendum, & alios.

20. Dicitur notanter in Conclusione, *Quicunque de facto*: Quia firmo est de tempore moderno post Concilium Tridentinum: nam antehac variæ successive emanarunt Constitutiones Pontificiæ, ut videre est *cap. Referente de præbend. & cap. Quia nonnulli, de Cleric. non resid. & cit. cap. de multa*, atque *Extrav. Execrabilis*. Verum moderno tempore post Concilium Tridentinum procedit Conclusio, adeo ut hujus Decretum Fagnanus *loc. cit. n. 5.* ex quadam Cardinalium declaratione extendat ad plura Beneficia simplicia, si personalem residentiam requirant, aut primum ad congruam Clerici sustentationem sit sufficiens: nam & talia secundum Canones sunt incompatibilia.

21. Additur vero, *per receptionem secundi*: Siquidem sola assecuratio de altero Beneficio consequendo non sufficit ad inducendam dictam pœnam privationis, sed requiritur actualis receptio, atque possessio secundi Beneficii: hoc enim importatur per ly *receptionem*, id est, corporalem adeptionem, ut explicat cit. Fagnanus *num. 9.* & tenet Glossa *in cap. De multa, de præbend.* Accedit ratio: quia in jure *verba accipienda sunt cum effectu, cap. Relatum de Cler. non resid.* & alibi.

22. Quinimo ob hanc rationem similiter non censetur vacare primum Beneficium per adeptionem secundi Beneficii, cujus fructus ex causa etiamnum alius percipit; prout clare decisum habetur *c. Si tibi concesso de Præb. in 6.* Rationem hujus ulteriorem dat Glossa *ibidem* ℣. *Vacare*, quia talis non est adeptus plene; licet enim Be-

neficium habeat, fructus tamen non habet: & alioquin talis cogeretur mendicare, cum fructus ex secundo Beneficio non haberet, primo autem privatus existeret.

23. Dicitur ulterius in Conclusione, *priori Beneficio ipso jure privatus*: Siquidem, ut haec privatio modernis temporibus incurratur, non amplius opus est sententia Judicis eam infligentis, ut olim *c. Quia nonnulli, de Cler. non resid.* sed de facto inducitur ipso jure; prout liquet ex *cit. c. De multa, de prab.* juncto Concilio Trid. *sess. 7. de Reform. c. 4.*

24. Caeterum haec Beneficii privatio intelligenda est quoad titulum, seu jus illud retinendi, non quoad possessionem: nam possessione Beneficii ejusmodi Clericus privari non potest, nisi causa cognita; prout desumitur ex *cap. Licet Episcopus, de prab. in 6.*

25. Si dicas: Privatio Beneficii, & ipsum Beneficium nequeunt simul stare, cum privative opponantur; ergo si Clericus ille ipso jure privatus est Beneficio, repugnat, quod adhuc ejus possessionem retineat. Resp. distinguendo antecedens: privatio Beneficii quoad titulum & possessionem simul, nequit stare cum beneficio, concedatur: privatio Beneficii quoad titulum duntaxat, nequit stare cum Beneficio, seu possessione ejus, negatur antecedens, & consequentia. Nam, ut notat Lessius *lib. 2. de just. & jure cap. 29. num. 64.* leges illae, quibus additur, quod delinquens ipso facto sit privatus officio & beneficio, privant titulo, seu jure ad Beneficium, quatenus ipso facto quis amittit jus ad illud; nondum autem ejus possessione, nisi post sententiam Judicis.

26. CONCL. III. Insuper si quis prius Beneficium una cum secundo forte retinere contenderit, etiam secundo privatus existit. Ita habetur *cit. cap. De multa*, juncto Concilio Tridentino *Sess. 7. cap. 4. de Reform.* & tradit Fagnanus *cit. cap. De multa n. 6. & 8.* dicens, hanc poenam ipso jure incurri. Ubi ulterius addit, quamvis Glossa super illam dictionem, *contenderit*, asserat, ad hoc, ut quis secundo etiam Beneficio ipso facto privatus existat, requiri, quod quis utrumque in Jure contentiose retinere voluerit usque ad litis contestationem: contrariam tamen aliorum sententiam, qui volunt, ex sola retentione primi Beneficii cum secundo jam induci dictam privationem utriusque Beneficii, etiamsi quando quis incipit conveniri, velit prius dimittere, esse tenendam; eo praesertim, quia Concilium Trident. *loc. cit.* hanc poenam jure ipso imponit illi, qui ejusmodi Beneficia incompatibilia *recipere, & simul retinere praesumpserit.*

27. Quaeres: an in nullo prorsus casu possit quis simul habere plura Beneficia? Resp. Hoc in nonnullis casibus accidere posse. Et primo quidem per legitimam dispensationem; de qua superius *num. 15. & seqq.* Deinde id accidit sine dispensatione, quoties ipsa Beneficia non sunt incompatibilia: prout fit in Beneficiis simplicibus, quorum singula ad honestam sustentationem Clerici non sufficiunt. Tertio, si Ecclesia Cathedralis, vel Parochialis, aut Dignitas ob tenuitatem fructuum non sufficiat congruae sustentationi Rectoris sui, potest simul cum ea uniri, vel obtineri Beneficium simplex non requirens residentiam, juxta Concilium Tridentinum *Sess. 24. de Reformat. cap. 15. & 17.* Insuper ob eandem Ecclesiarum pauperatem possunt Episcopi, tanquam Sedis Apostolicae Delegati, uniones perpetuas Beneficiorum facere, & ista postmodum simul ab eodem possideri, prout concessit idem Tridentinum *Sess. 21. de Reformat. cap. 5.* Tandem ob praelatam causam quandoque Dignitati, vel Canonicatui accessorie annexa est Ecclesia Parochialis, quae per idoneum Vicarium administrari, ac simul cum Canonicatu retineri potest, *tex. clar. cap. Extirpanda, §. Qui vero, de prab.*

QUAESTIO III.

Quid, & quotuplex sit Renuntiatio Beneficiorum, & ex quibus causis fieri possit?

SUMMARIUM.

28 *Renuntiatio Beneficii, quid?*
29 *Non valet, nisi fiat coram legitimo Superiore.*
30 *Quilibet potest suo jure renuntiare, & quomodo?*
31 *Renuntiatio Beneficii tacita,*
32 *Et expressa,*

33 Re-

33 *Renuntiatio pura & conditionalis, quae?*
34 *Ad renuntiationem requiritur justa causa.*
35 *Sex causae resignandi Episcopatum.*
36 *Alia pro Renunciatione Beneficiorum.*

28. CONCL. I. *Renunciatio* est spontanea Beneficii Ecclesiastici dimissio, facta coram legitimo Superiore id acceptante. Ita in re communis.

29. Dicitur, *facta coram legitimo Superiore*: Siquidem Beneficia Ecclesiastica non nisi in manibus Ordinarii, hoc est, ipsius authoritate interveniente resignari debent, *c. Si quis vero, & c. Si quis Presbyt. 7. q. 1.* Et aliter facta resignatio non est valida: atque dimittens Beneficium sine licentia sui Praelati, potest compelli ad illud reassumendum, etiam per Censuras Ecclesiasticas *c. Non oportet 7. q. 1. & c. Admonet de Renunciat.* cum concordantiis.

30. Nec dicas: Quilibet potest suo juri renunciare, *c. 8. diligenti, de Foro compet.* ergo & Beneficiarius Beneficio, etiam sine licentia sui Superioris. Negatur enim consequentia: nam regula illa est intelligenda, dummodo id fiat sine praejudicio alterius. Atqui post acceptationem Beneficii, & confirmationem, manet Clericus Ecclesiae suae alligatus, quae pateretur detrimentum, si quilibet ipsorum pro libitu ei renunciare, & veniente lupo, id est, instante tribulatione, instar Mercenarii aufugere, Ovesque sibi concreditas derelinquere valeret.

31. CONCL. II. Renunciatio Beneficii Ecclesiastici alia est tacita, alia expressa. Ita communis, ac patet inductione. Et quidem *Renunciatio tacita* dicitur ea, quae fit facto aliquo resignationem significante, vel ex dispensatione juris eam importante. Nam qui facit id, quo posito ex ipsius Juris constitutione Beneficium amittitur, seu retineri nequit, eidem tacite, seu ipso facto renunciare censetur. Sic fit, dum Beneficiarius in minoribus constitutus, contrahit Matrimonium: quia tunc Beneficium Ecclesiasticum ipso jure vacat, *arg. cap. 1. & 3. de Clerc. conjug.* Idem dicendum de eo, qui Religionem solemniter professus est, *c. Beneficium, de Regularibus in 6.* & hujusmodi.

32. *Renunciatio expressa* Beneficii Ecclesiastici illa est, quae fit verbis expressis, aut deriptis, voluntatem renunciandi aperte declarantibus, coram legitimo Superiore eam acceptante. Caeterum

33. Renunciatio expressa subdividitur in puram, seu simplicem, & absolutam; & in conditionalem. *Renunciatio pura* seu *absoluta* est, quae fit sine adjectione ullius conditionis, modi, vel pacti. *Conditionalis* vero, quae fit sub certa conditione, facto, vel modo; ut si fiat Renunciatio Beneficii ex causa permutationis, vel si quis illud resignet in favorem tertii, puta, ut Beneficium conferatur Cajo consanguineo suo, & non aliter intendat resignare; quod appellant *Resignare in favorem tertii*, seu sub clausula, *Non aliter*. Insuper Renunciatio conditionalis censetur ea, in qua resignans reservat sibi fructus, vel pensionem ex beneficio: de quibus singillatim in progressu.

34. CONCL. III. Ad Renunciationem Beneficii requiritur justa, & legitima causa, alioquin Superior eam admittere non tenetur, neque debet. Ita communis. Ratio est: quia si quilibet pro suo arbitratu posset Beneficium reliquere, talis libertas in maximum Ecclesiae detrimentum cederet, aufugientibus passim per renunciationem Pastoribus, si viderent lupum venientem, seu tribulationem instantem.

35. CONCL. IV. Sex sunt causae, ob quas Episcopus post sui confirmationem potest petere, & Papa solet concedere licentiam cedendi, seu resignandi Episcopatum. Patet hoc ex *c. Nisi cum pridem, de Renunc.* ubi sequentes sex causae enumerantur. I. *Conscientia criminis*: non quidem cujuscumque, sed illius duntaxat, quod post actam poenitentiam impedit executionem Officii. II. *Imbecillitas corporis*, per quam quis impotens redditur ad exequendum Officium Pastorale. III. *Defectus scientiae*, etiam comperentis. IV. *Malitia plebis*, ob quam interdum cogitur Praelatus ab ipsius regimine declinare. V. *Grave scandalum*, quod aliter sedari non potest. VI. *Irregularitas personae* de quibus versiculi ibidem in Summario allegati.

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

36. CONCL. V. Renunciationes Beneficiorum inferiorum solent admitti tum ex praedictis, tum etiam aliis levioribus causis. Ita Pirhing *tit. de Renunciat. num. 54.* post Azorium, & alios. Sic in Curia Ro-

mana solet de facto admitti Renunciatio Beneficii inferioris, præsertim simplicis, quando resignans multo tempore servivit in Ecclesia: vel quando is resignat, ut Beneficium dimissum alteri conferatur, in cujus gratiam illud Clericus dimittit; dummodo in Sacris constituto, & resignanti, aliunde sit provisum, unde honeste vitæ alere possit. Concordat Bulla S. Pii V. quæ incipit, *Quanta Ecclesia* (& habetur tom. 2. Bullarii Romani *Constitut. 58. dubii Pontifex.*) in qua plures causæ, ob quas inferiores Beneficiarii resignare valeant, referuntur: veluti si resignantes sint senio confecti, valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati; seu quia eos ad aliud Beneficium contegerit promoveri; vel si sint Religionem ingressuri, aut Matrimonium contracturi, si statim possea id re ipsa exequantur; quique ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco Beneficii residere securi: dummodo resignaturis, & sacro Ordini manentibus, aliunde sit provisum, quo possint commode sustentari.

QUÆSTIO IV.

An sit licita Resignatio Beneficii in favorem tertii, vel reservata annua Pensione?

SUMMARIUM.

- 37 *Resignatio in favorem tertii, an sit licita?*
- 38 *Quid, si quis simpliciter resignet, & certam personam solum recommendet?*
- 39 *An tunc Episcopus teneatur, vel possit huic conferre?*
- 40 *Resignare Beneficium reservata pensione, an liceat?*
- 41 *Pensio, quid?*
- 42 *Id regulariter illicitum.*
- 43 *Tamen ex justa causa potest Episcopus constituere pensionem in Beneficio, & resignans pro ea sibi constituenda supplicare.*

37. CONCL. I. Resignationes in favorem tertii, seu cum clausula, *Non aliter*, ob speciem simoniæ, quam habent, juxta Stylum Curiæ non possunt fieri, nisi in manus Summi Pontificis. Ita Lessius *lib. 2. de just. & jur. cap. 35. dub. 14.* post Navarrum, Rebuffum, & alios; ac sequitur Engel *tit. de Renuntiat. num. 8.* citans communem omnium doctrinam, & in praxi observatam. Ratio est: quia Resignationes beneficiorum in favorem tertii, speciem quandam præseferunt hæreditariæ successionis; quam Sacri Canones semper detestantur, volentes, ut Beneficia Ecclesiastica ex secundum merita personarum, & quidem dignioribus, conferantur. Accedit, quod ejusmodi Resignatio cum clausula, *Non aliter*, si fiat in manus Episcopi, aut alterius Papa inferioris, vel contineat Simoniam juris Ecclesiastici, ut multi volunt, vel saltem speciem talis Simoniæ: *Cum in spiritualibus omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, cap. ult. de Pactis*, juncto *c. Quæsitum de Rerum permut.* ibi: *Pactio gramsa circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ.*

38. CONCL. II. Si quis tamen simpliciter resignet, & per modum recommendationis potius, quam rigorosæ obligationis, Episcopo certam aliquam personam nominet, non est jure prohibitum, quin Episcopus possit personæ recommendatæ, si ea cæteroquin idonea fuerit, ejusque qualitas noverit, Beneficium illud conferre. Ita Zoesius *tit. de Simonia n. 72.* Covarruvias *lib. 1. var. resol. cap. 5. n. 5.* & Engel *loc. cit. n. 8.* Idque desumitur ex *c. Cum universorum de Rerum permut.* & *cap. Ex parte N. de Offic. Jud. deleg.* ubi similes Resignationes leguntur, nec tamen ex hoc capite reprobantur, quamvis ex aliis rationibus non tenuerint.

39. Notandum tamen cum citatis Auctoribus, quod facta ejusmodi resignatione pure ac simpliciter in manus Episcopi, haud obstante, quod preces pro aliquo oblatæ fuerint, Episcopus non sit adstrictus, ut huic conferat Beneficium, neque injuriam faciat nominato, si alteri conferat. Ratio est: quia, cum Renunciatio in favorem tertii sit jure prohibita, simulque Resignatio Beneficii debeat fieri pure; hoc ipso non potest illi nominato jus quodpiam fuisse acquisitum (nam sola precum interpositio tale jus non tribuit) & consequenter neque injuria per denegatam collationem eidem irrogabitur. Attamen non peccabit Episcopus, si conferat Beneficium nominato, pro quo preces sunt oblatæ, dummodo aliud canonicum impedimentum non obstet, & personæ qualitas id mereatur, ut dictum *num. præced.*

40. CONCL. III. Resignare Beneficium Ecclesiasticum reservata annua Pensione, coram Episcopo, vel alio collatore Papa inferiore, regulariter loquendo non licet. Ita communis.

41. Ubi notandum, quod per *Pensionem* in proposito intelligatur jus percipiendi partem fructuum ex Beneficio alieno, authoritate Superioris cuipiam justa de causa constitutum: ut si authoritate Episcopi assignetur Parocho, ob senectutem v. g. resignanti, certa pars reditibus illius Beneficii, ab ejus successore ipsi persolvendorum ad honestam vitæ suæ sustentationem. Hoc præmotato.

42. Conclusio probatur ex eo: quia Beneficia Ecclesiastica sunt conferenda sine diminutione; id est, sine novi oneris impositione, aut aliqua fructuum detractione; prout habetur toto Titulo, *Ut Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur*: atqui hoc non fit, quando constituitur cuipiam pensio in Beneficio; ergo.

43. Additur in Conclusione, *regulariter loquendo*: Nam ex justa & rationabili causa potest non solum Summus Pontifex, sed etiam Episcopus, Pensionem in Beneficio constituere: utputa quia resignans est ætate decrepitus, vel infirmus, ut sic ex Pensione habeat, unde honeste sustentetur; vel quando pro bono pacis fit Resignatio Beneficii litigiosi, & hujusmodi. Barbosa *part. 3. de offic. & potest. Episcop. allegat. 84. num. 3.* Engel *tit. de Renunciat. num. 10.* & alii. Hoc ipsum desumitur ex *cap. Nisi essent de prab.* ubi legitur quædam provisio, seu pensio quadraginta librarum, resignanti pro bono pacis per Judices facta, & per Papam tolerata; ergo pariter nihil obstat, quin pure ac simpliciter resignanti Episcopus ex ejusmodi justa causa possit pensionem aliquam constituere. Quinimo pro ea sibi constituenda potest ipsemet resignans, ut securior sit, Episcopo ante Resignationem supplicare, *arg. cap. Tua nos de Simonia*, ibi: *Rogatus humiliter.*

QUÆSTIO V.

An, & quomodo possit fieri permutatio Beneficiorum Ecclesiasticorum?

SUMMARIUM.

- 44 *Permutatio Beneficiorum propria authoritate fieri nequit.*
- 45 *Secus, accedente authoritate Superioris.*
- 46 *Solvuntur instantia.*
- 47 *Forma & modus permutandi Beneficia, qualis?*
- 48 *In permutatione Beneficiorum, an pro habente pinguiores proventus possit supleri pretium?*
- 49 *Affirmant aliqui.*
- 50 *Opposita sententia est probabilior, ac merito tenenda.*
- 51 *Negantur permutari proventus sine Beneficio.*
- 52 *Solvuntur rationes prioris sententiæ.*
- 53 *Potest tunc Episcopus pensionem constituere in pinguiori Beneficio.*

44. CONCL. I. Etsi illicita sit, quin etiam accedente pactione Simoniaca, permutatio Beneficiorum Ecclesiasticorum privata authoritate facta; atque insuper Beneficia Ecclesiastica perdant, qui ea propria authoritate commutant: nihilominus licita est resignatio beneficiorum causa permutationis inter personas Ecclesiasticas idoneas, authoritate legitimi Superioris intervenientе. Ita certa, & communis; patentque singula ex diversis textibus Juris. Et quidem prima pars habetur *c. Quæsitum de Rerum permut.* ibi: *Generaliter teneas; quod commutationes prabendarum de jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, qua circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ*; cum concordantiis. Deinde, quod perdant sua Beneficia, qui eadem propria authoritate permutant, textus est clarus in *cap. Cum olim eod.*

45. Altera pars Conclusionis, quod videlicet legitima Superioris authoritate intervenientе, licita sit resignatio Beneficiorum causa permutationis, habetur *cit. cap. Quæsitum, de Rerum permut.* juncta *Clement. un. eod.* Ubi insuper additur, quod si quæ Beneficia ex causa permutationis ab aliquibus resignata fuerint, ea alius, quam ipsis per-

mutare volentibus conferri nequeant; alioquin Collatio nullius sit firmitatis.

46. Nec obstat textus *c. Majoribus de præbend.* ibi: *Divisionem prabendarum, aut disjunctum permutationem fieri prohibemus.* Resp. enim cum Glossa ibidem, id intelligendum *sine authoritate Superioris*: Superior enim, si expediré viderit, poterit admittere resignationem causa permutationis factam, per textus *num. præc.* allegatos; etsi ejusmodi permutatio propria authoritate neutiquam fieri possit. Et hoc modo concordantur jura juribus.

47. CONCL. II. Forma, & modus permutandi Beneficia, est: ut ea Clerici resignent in manus Ordinarii, experimentes, quod id causa permutationis faciant; ita tamen, quod prius accesserit consensus eorum, qui jus conferendi, eligendi, vel præsentandi habent. Quo casu arbitrari debebit Ordinarius, num admittenda sit, resignatio, nec ne: & si admittendam censuerit, nulli alteri, sed præcise ipsis causa permutationis resignantibus, Beneficia illa conferre poterit, ac debebit; & collatio aliis facta non tenebit. Ita habetur *cit. Clem. unic. de Rerum permut.*

48. Quæres, an in permutatione Præbendarum, sive Beneficiorum Ecclesiasticorum quoad titulum, quorum unum pinguiores habet proventus, absque labe Simoniæ possit suppleri pretium pro minus valente? Ratio dubitandi est: quia, quando dirè Ecclesiæ jure proprietatis una cum suis possessionibus invicem permutantur, potest pro alterius Ecclesiæ possessionibus pretium suppleri: dummodo adhibeatur cautela in Jure Canonico *c. Ad quæstiones, de Rerum permut.* infinuata: hoc est, dummodo id fiat, non unicum duntaxat contractum instituendo (alioquin enim pretium refundi videretur etiam pro ipsamet Ecclesia, quod sapit Simoniam) sed faciendo duos contractus, quorum uno ad invicem gratis Ecclesiæ, altero autem possessiones earum cum refusione certæ pecuniæ permutantur: ergo idem videtur posse fieri in proposito.

49. Resp. in solutione hujus dubii variare Doctores. Et quidem affirmant Angelus, & Sylvester, *v. Permutatio 2. q. 6.* post Abbatem, *c. Ad quæstiones, n. 3. de Rerum permut.* Eandem sententiam ex professo tradit Lessius *lib. 2. cap. 35. num. 101.* allegans Sotum, & Cajetanum. Probant imprimis hanc sententiam ex *cit. c. Ad quæstiones.* ob paritatem rationis. Addit Lessius, hanc compensationem exigi posse, non pro excessu, qui remanet annexus ipsi titulo Beneficii; sed pro incommodo temporali, quod quis subit sese spoliando majoribus illis provenibus, aut spe iplorum. Sed quidquid sit de probabilitate hujus opinionis.

50. Oppósita sententia non solum est probabilior, sed jure merito tenenda; prout eam tenent Covarruvias *lib. 1. var. res. c. 5. n. 9.* Navarrus *cap. 23. Manualis, nn. 100. §. Tertio* Laymán *lib. 4. Tract. 10. c. ult. n. 54.* citans insuper Suarez, & Vasquez, Engel *tit. de rerum permut. num. 4.* post Barbosam, Vallensis, & alii. Ratio hujus sententiæ, simul & disparitatis inter permutationem duarum Ecclesiarum una cum suis possessionibus quoad proprietatem, & inter permutationem duorum Beneficiorum quoad titulum una cum suis proventibus, hæc est: quia in priori casu duæ possunt intervenire, atque interveniunt permutationes, sibi invicem non permixtæ: una videlicet Ecclesiarum, altera possessionum, juxta *cit. cap. Ad quæstiones cod.* E contra in altero casu una duntaxat potest intervenire permutatio, sic nequit adhiberi consimilis cautela.

51. Probatur hoc ultimum: quia Beneficiarius non est dominus possessionum, v.g. agrorum, aut prædiorum beneficii (sicque has distincto contractu permutare nequit) sed ex iis tantum percipit reditus, ut quid accessorium ad ipsum Beneficium. Deinde Beneficiarius etiam non habet jus, & dominium redditum futuro primum tempore obventurorum, sed eos primum acquisiturus est sub conditione Beneficii retinendi, atque officii debiti præstandi; ergo antecedenter eosdem permutare nequit. Tandem permutatio illorum reddituum, cum sint quid accessorium ad Beneficium, simulque primum acquirendi sub conditione Beneficii retinendi, hoc ipso nequit separari a permutatione Beneficii, sicut fit in permutatione Ecclesiæ, suarumque possessionum quoad proprietatem.

52. Et per hoc patet ad rationes prioris sententiæ. Nam ad primum negatur consequentia, & paritas inter permutationem Ecclesiarum una cum possessionibus, & permutationem Beneficiorum una cum redditibus: quia ibi possunt institui duo contractus permutationis, non hic, ut proxime explicatum. Ad alterum dicitur, reddituros futuros Beneficii, ac spem ipsorum consequendorum, habere necessariam dependentiam, & connexionem cum Beneficio; cum sint accessorium hujus: unde urget illud *can. Si quis objecerit 1. q. 3.* ibi: *Quisquis horum alterum vendit, sciat quia nec alterum possidet, neutrum inveniatur derelinquit.*

53. Cæterum his non obstantibus, potest authoritate Episcopi in hujusmodi casu constitui Pensio in pinguiori Beneficio, præstanda alteri Beneficiario, qui illud ob utilitatem Ecclesiarum pro tenuis pinguit relinquit. Engel *l. c. n. 4.* post Navarrum *de Simonia Consil. 43. n. 4.*

DISTINCTIO III.

De Jure Patronatus.

QUÆSTIO I.

Quid sit Jus patronatus, & quomodo acquiratur?

SUMMARIUM.

1 *Jus patronatus, quid?*
2 *Tribus potissimum modis acquiritur.*
3 *Quis censeatur Ecclesiam fundasse,*
4 *Ædificasse, ac*
5 *Dotasse?*
6 *Acquiritur Jus patronatus etiam præscriptione,*
7 *Ac privilegio, & quomodo?*
8 *Legitime acquisitum transit ad hæredes.*
9 *Hi succedunt non in capita, sed in stirpes.*
10 *Jus patronatus ab uno in alium transfertur*
4. *modis, nimirum.*
11 *Successione, Donatione,*
12 *Permutatione,*
13 *Venditione universitatis?*
14 *Tamen id per se vendi nequit.*
15 *Jus patronatus procedit ex gratia, & privilegio Ecclesiæ.*
16 *Bodie tamen non gratia conceditur, sed jus.*
17 *Ejus etiam Laici, nec fœminæ, sunt capaces.*
18 *Solvuntur objectio.*

1. CONCL. I. *Jus patronatus*, quantum ad propositum, est jus nominandi, seu præsentandi Clericum idoneum, promovendum ad Beneficium Ecclesiasticum vacans. Ita in re communis. Dicitur primo, *jus nominandi, seu præsentandi*: nam ista duo hic ferme sumuntur pro eodem, quamvis exceroquin nominatio latius pateat, quam præsentatio. Et additur, *ad Beneficium Ecclesiasticum vacans*: tum ad magis explicandam naturam illius Juris patronatus, de quo agitur in proposito; nam Jus patronatus nonnullas in Jure acceptiones habet: tum quia, sicut institutio, ita & præsentatio ad Beneficium non vacans, irrita est *arg. c. Illud de Jure patron.* Reliquæ particulæ patebunt ex dicendis.

2. CONCL. II. Tribus potissimum modis acquiritur Jus patronatus respectu Beneficii Ecclesiastici, nimirum ex fundatione, ædificatione, & dotatione. Ita Glossa communiter recepta *in cap. Pia mentis 16. qu. 7.* & concordat Concilium Trid. *sess. 14. c. 12. de Reform.* Unde versiculus ille a cit. Glossa relatus.

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

3. *Fundasse* dicitur, qui fundum, seu terræ solum dedit, in quo Ecclesia construeretur.

4. *Ædificasse* dicitur, qui Ecclesiam suis sumptibus construxit, *arg. c. Monasterium 16. q. 7.* cum concordantiis. Quod si Ecclesia solum reparetur, seu reficiatur, Jus patronatus non acquiritur, nisi ipsa fuerit penitus destructa. Si vero funditus destructa fuit, & de consensu Episcopi aliquis eam reædificet, licet forsan de eadem materia, verius est, hunc acquirere Jus patronatus, ac priorem dominum non amplius remanere Patronum; prout tenet, ac probat Glossa *in c. Quoniam 9. Fundatores de Jure patr.*

5. Tandem *Dotasse* dicitur, qui Ecclesiæ annuos reditus sufficientes assignavit. Porro qui Ecclesiam ædificat, hoc ipso videtur etiam se obligare ad dotandum, si nemo alius dotet: siquidem Ecclesia sine dote consecrari non debet *c. Nemo Ecclesiam de cons. dist. 1.* & *c. Cum sicut de Consec. Eccl.* junct. Glossa magna ibidem, dicente: *Qui fundat Ecclesiam, tenetur dotem assignare eidem*: subintelligo, nisi alius dotare velit.

6. Dicitur notanter in Conclusione, *tribus potissimum modis*: Nam quamvis enumerati tres sint principaliores, nihilominus aliis quo-

mutare volentibus conferri nequeant; alioquin Collatio nullius sit firmitatis.

46. Nec obstat textus *c. Majoribus de præbend.* ibi: *Divisionem prabendarum, aut disjunctum permutationem fieri prohibemus.* Resp. enim cum Glossa ibidem, id intelligendum *sine authoritate Superioris*: Superior enim, si expediré viderit, poterit admittere resignationem causa permutationis factam, per textus *num. præc.* allegatos; etsi ejusmodi permutatio propria authoritate neutiquam fieri possit. Et hoc modo concordantur jura juribus.

47. CONCL. II. Forma, & modus permutandi Beneficia, est: ut ea Clerici resignent in manus Ordinarii, experimentes, quod id causa permutationis faciant; ita tamen, quod prius accesserit consensus eorum, qui jus conferendi, eligendi, vel præsentandi habent. Quo casu arbitrari debebit Ordinarius, num admittenda sit, resignatio, nec ne: & si admittendam censuerit, nulli alteri, sed præcise ipsis causa permutationis resignantibus, Beneficia illa conferre poterit, ac debebit; & collatio aliis facta non tenebit. Ita habetur *cit. Clem. unic. de Rerum permut.*

48. Quæres, an in permutatione Præbendarum, sive Beneficiorum Ecclesiasticorum quoad titulum, quorum unum pinguiores habet proventus, absque labe Simoniæ possit suppleri pretium pro minus valente? Ratio dubitandi est: quia, quando dirè Ecclesiæ jure proprietatis una cum suis possessionibus invicem permutantur, potest pro alterius Ecclesiæ possessionibus pretium suppleri: dummodo adhibeatur cautela in Jure Canonico *c. Ad quæstiones, de Rerum permut.* infinuata: hoc est, dummodo id fiat, non unicum duntaxat contractum instituendo (alioquin enim pretium refundi videretur etiam pro ipsamet Ecclesia, quod sapit Simoniam) sed faciendo duos contractus, quorum uno ad invicem gratis Ecclesiæ, altero autem possessiones earum cum refusione certæ pecuniæ permutantur: ergo idem videtur posse fieri in proposito.

49. Resp. in solutione hujus dubii variare Doctores. Et quidem affirmant Angelus, & Sylvester, *v. Permutatio 2. q. 6.* post Abbatem, *c. Ad quæstiones, n. 3. de Rerum permut.* Eandem sententiam ex professo tradit Lessius *lib. 2. cap. 35. num. 101.* allegans Sotum, & Cajetanum. Probant imprimis hanc sententiam ex *cit. c. Ad quæstiones.* ob paritatem rationis. Addit Lessius, hanc compensationem exigi posse, non pro excessu, qui remanet annexus ipsi titulo Beneficii; sed pro incommodo temporali, quod quis subit sese spoliando majoribus illis provenibus, aut spe iplorum. Sed quidquid sit de probabilitate hujus opinionis.

50. Oppósita sententia non solum est probabilior, sed jure merito tenenda; prout eam tenent Covarruvias *lib. 1. var. res. c. 5. n. 9.* Navarrus *cap. 23. Manualis, nn. 100. §. Tertio* Laymán *lib. 4. Tract. 10. c. ult. n. 54.* citans insuper Suarez, & Vasquez, Engel *tit. de rerum permut. num. 4.* post Barbosam, Vallensis, & alii. Ratio hujus sententiæ, simul & disparitatis inter permutationem duarum Ecclesiarum una cum suis possessionibus quoad proprietatem, & inter permutationem duorum Beneficiorum quoad titulum una cum suis proventibus, hæc est: quia in priori casu duæ possunt intervenire, atque interveniunt permutationes, sibi invicem non permixtæ: una videlicet Ecclesiarum, altera possessionum, juxta *cit. cap. Ad quæstiones cod.* E contra in altero casu una duntaxat potest intervenire permutatio, sic nequit adhiberi consimilis cautela.

51. Probatur hoc ultimum: quia Beneficiarius non est dominus possessionum, v.g. agrorum, aut prædiorum beneficii (sicque has distincto contractu permutare nequit) sed ex iis tantum percipit reditus, ut quid accessorium ad ipsum Beneficium. Deinde Beneficiarius etiam non habet jus, & dominium redditum futuro primum tempore obventurorum, sed eos primum acquisiturus est sub conditione Beneficii retinendi, atque officii debiti præstandi; ergo antecedenter eosdem permutare nequit. Tandem permutatio illorum reddituum, cum sint quid accessorium ad Beneficium, simulque primum acquirendi sub conditione Beneficii retinendi, hoc ipso nequit separari a permutatione Beneficii, sicut fit in permutatione Ecclesiæ, suarumque possessionum quoad proprietatem.

52. Et per hoc patet ad rationes prioris sententiæ. Nam ad primum negatur consequentia, & paritas inter permutationem Ecclesiarum una cum possessionibus, & permutationem Beneficiorum una cum redditibus: quia ibi possunt institui duo contractus permutationis, non hic, ut proxime explicatum. Ad alterum dicitur, reddituros futuros Beneficii, ac spem ipsorum consequendorum, habere necessariam dependentiam, & connexionem cum Beneficio; cum sint accessorium hujus: unde urget illud *can. Si quis objecerit 1. q. 3.* ibi: *Quisquis horum alterum vendit, sciat quia nec alterum possidet, neutrum inveniatur derelinquit.*

53. Cæterum his non obstantibus, potest authoritate Episcopi in hujusmodi casu constitui Pensio in pinguiori Beneficio, præstanda alteri Beneficiario, qui illud ob utilitatem Ecclesiarum pro tenuis pinguit relinquit. Engel *l. c. n. 4.* post Navarrum *de Simonia Consil. 43. n. 4.*

DISTINCTIO III.

De Jure Patronatus.

QUÆSTIO I.

Quid sit Jus patronatus, & quomodo acquiratur?

SUMMARIUM.

1 *Jus patronatus, quid?*
2 *Tribus potissimum modis acquiritur.*
3 *Quis censeatur Ecclesiam fundasse,*
4 *Ædificasse, ac*
5 *Dotasse?*
6 *Acquiritur Jus patronatus etiam præscriptione,*
7 *Ac privilegio, & quomodo?*
8 *Legitime acquisitum transit ad hæredes.*
9 *Hi succedunt non in capita, sed in stirpes.*
10 *Jus patronatus ab uno in alium transfertur*
4. *modis, nimirum.*
11 *Successione, Donatione,*
12 *Permutatione,*
13 *Venditione universitatis?*
14 *Tamen id per se vendi nequit.*
15 *Jus patronatus procedit ex gratia, & privilegio Ecclesiæ.*
16 *Bodie tamen non gratia conceditur, sed jus.*
17 *Ejus etiam Laici, nec fœminæ, sunt capaces.*
18 *Solvuntur objectio.*

1. CONCL. I. *Jus patronatus*, quantum ad propositum, est jus nominandi, seu præsentandi Clericum idoneum, promovendum ad Beneficium Ecclesiasticum vacans. Ita in re communis. Dicitur primo, *jus nominandi, seu præsentandi*: nam ista duo hic ferme sumuntur pro eodem, quamvis exceroquin nominatio latius pateat, quam præsentatio. Et additur, *ad Beneficium Ecclesiasticum vacans*: tum ad magis explicandam naturam illius Juris patronatus, de quo agitur in proposito; nam Jus patronatus nonnullas in Jure acceptiones habet: tum quia, sicut institutio, ita & præsentatio ad Beneficium non vacans, irrita est *arg. c. Illud de Jure patron.* Reliquæ particulæ patebunt ex dicendis.

2. CONCL. II. Tribus potissimum modis acquiritur Jus patronatus respectu Beneficii Ecclesiastici, nimirum ex fundatione, ædificatione, & dotatione. Ita Glossa communiter recepta *in cap. Pia mentis 16. qu. 7.* & concordat Concilium Trid. *sess. 14. c. 12. de Reform.* Unde versiculus ille a cit. Glossa relatus.

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

3. *Fundasse* dicitur, qui fundum, seu terræ solum dedit, in quo Ecclesia construeretur.

4. *Ædificasse* dicitur, qui Ecclesiam suis sumptibus construxit, *arg. c. Monasterium 16. q. 7.* cum concordantiis. Quod si Ecclesia solum reparetur, seu reficiatur, Jus patronatus non acquiritur, nisi ipsa fuerit penitus destructa. Si vero funditus destructa fuit, & de consensu Episcopi aliquis eam reædificet, licet forsan de eadem materia, verius est, hunc acquirere Jus patronatus, ac priorem dominum non amplius remanere Patronum; prout tenet, ac probat Glossa *in c. Quoniam 9. Fundatores de Jure patr.*

5. Tandem *Dotasse* dicitur, qui Ecclesiæ annuos reditus sufficientes assignavit. Porro qui Ecclesiam ædificat, hoc ipso videtur etiam se obligare ad dotandum, si nemo alius dotet: siquidem Ecclesia sine dote consecrari non debet *c. Nemo Ecclesiam de cons. dist. 1.* & *c. Cum sicut de Consec. Eccl.* junct. Glossa magna ibidem, dicente: *Qui fundat Ecclesiam, tenetur dotem assignare eidem*: subintelligo, nisi alius dotare velit.

6. Dicitur notanter in Conclusione, *tribus potissimum modis*: Nam quamvis enumerati tres sint principaliores, nihilominus aliis quo-

quoque modis Jus patronatus acquiri potest; videlicet præscriptione, ac privilegio. Et quidem contra Ecclesiam ab initio liberam de facto non præscribitur Jus patronatus, nisi tempore immemorabili: quod ipsum tamen legitime probari debet, juxta præscriptum Concilii Trid. *sess. 26. c. 9. de Reform.* Verum contra Ecclesiam non liberam, sed patronatam, seu potius contra ejus Patronum, præscribitur Jus patronatus spatio quadraginta annorum. Vallensis *tit. de Jure patron. §. 1.* & alii.

7. Cæterum ex privilegio potest acquiri Jus patronatus, quando ejusmodi privilegium cuipiam de Ecclesia, vel Christiana Republica bene merito, a Summo Pontifice conceditur, etiamsi Ecclesiam illam non fundaverit, neque exstruxerit, neque dotaverit. At vero Episcopus loci, aliique Prælati Papa inferiores, tale privilegium concedere non possunt *text. clar. c. 2. de Rebus Ecclesiæ non alien. in 6.* juncto Concilio Trid. *loc. cit.*

8. CONCL. III. Jus patronatus semel legitime acquisitum, transit etiam ad hæredes, nisi aliud ex prima Juris patronatus constitutione appareat. Ita communis. Notanter additur, *nisi aliud ex prima &c.* Si quidem in potestate Fundatoris est, an velit omnino remittere Jus patronatus, vel sibi tantum aut Familiæ suæ, vel etiam hæredibus extraneis reservare. Engel *tit. de Jure patr. n. 15.* & alii.

9. Notandum tamen, quod successio hæredum in Jure patronatus non fiat *in capita*, sed *in stirpes*. Unde, si plures sint simul Patroni, atque ex iis unus mortuus fuerit relictis tribus v.g. hæredibus, isti tres hæredes unum tantum votum in præsentando habent; adeoque vel debebunt conspirare in unius Clerici præsentationem, vel inser se antea convenire, ut alternis vicibus præsentent. *Clem. 2. de Jure patr.*

10. CONCL. IV. Generatim quatuor modis ab uno in alium transfertur Jus patronatus, videlicet successione, donatione, permutatione, & venditione universitatis. Ita communis. Hinc ille versus a Glossa *in cap. Ex insinuatione de Jure patr.* relati.

Jura patronatus transire facit novus Lares,
Res permutata, donatio, venditioque.

11. Et quidem (ut taceatur *successio*, de qua *Concl. præc.*) Jus patronatus transfertur ab uno in alium *donatione, arg. c. Illud & cap. Nullius tod.* Verum tamen in donatione Juris patronatus, si fiat de Laico in Laicum, necessario debet intervenire consensus Episcopi, prout desumitur ex citatis locis; secus dicendum, si donatio Juris patronatus fiat per Laicum loco Ecclesiastico *c. un. eod. in 6.* Similiter non requiri consensum Episcopi, si unus Patronus alteri Compatrono jus suum cedat, donet, aut remittat, cum aliis tenet Barbosa *part. 3. de offic. & potest. Epis. allg. 71. arg. Clem. 2. de Jure patr.*

12. *Permutatione* quoque transfertur Jus patronatus ab uno ad alium *arg. c. Nemini regum 16. q. 3.* Cæterum, si talis permutatio fiat in Laicum, requiritur consensus Episcopi: secus, si fiat in Ecclesiam. Barbosa *l. c. n. 31.*

13. Tandem transfertur Jus patronatus *per venditionem universitatis*, cui illud inseparabiliter adhæret; utpote per venditionem Castri, sive Comitatus, habentis annexum Jus patronatus *arg. c. Cum sicut in de Jure patr.* & alibi.

14. Dicitur notanter, *per venditionem universitatis*; id est, omnium eorum bonorum, ac jurium, quibus annexum est. Nam Jus patronatus, cum sit quid spirituale, aut spirituali annexum, per se vendi non potest absque labe Simoniæ *c. De jure eod.* ibi: *Cum inconveniens sit vendi jus patronatus, quod est spirituali annexum*: juncto *c. Præterea de Transact.* Imo etiam bona ipsa non possunt cum vendi propter annexum Jus patronatus; idque ob allegatam rationem, & notat Barbosa ibidem *n. 34.*

15. CONCL. V. Jus patronatus ex sola gratia, per missionem, atque privilegio Ecclesiæ procedit: quatenus nimirum ex benignitate ejusdem per sacros Canones illud fundatoribus, Ædificatoribus, & Dotatoribus Ecclesiarum, per modum cujusdam remunerationis concessum est, ut hac ratione Laici, aliique Fideles magis provocarentur ad fundandas, extruendas, dotandasque Ecclesias. Ita Fagnanus *in c. Quoniam n. 4. & seqq. de Jure patr.* & alii communiter. Idipsum desumitur ex *c. Quoniam* ibi: *Fotosate* (præsentandi) *in quo eos Ecclesia benevolæ sustinuit*, juncto *c. si quis Episcoporum 16. q. 5.* ibi: *Ædificatori Episcopo hæc gratia reservetur.* Siquidem de Jure antiquiori Laici in Ecclesiis per eos ædificatis, vel dotatis, nullum habebant Jus patronatus, sed statim Ecclesiæ ipsæ cum Sacerdotibus suis ad ordinationem pertinebant Episcoporum; prout liquet ex *cap. Noverint 10. quæst. 1.* & *c. Piæmentis 16. quæst. 7.*

16. Fatendum nihilominus, quod quamvis spe-

spectato Jure antiquo jus patronatus, ejusque concessio fuerit gratiosa, ut dictum; hodie tamen, cum per jura nova sit redactum in Corpus juris, amplius non dicitur gratia, sed justitia, & jus commune. Fagnanus *l. c. n. 12.* Idque patet ex *c. Nobis de Jure patron.* cum concordantiis: ubi constructori Ecclesiæ, vel Capellæ, jus patronatus expresse tribuitur.

17. CONCL. VI. Non tantum Clerici, sed etiam Laici, tam masculi, quam fœminæ, sunt capaces Juris patronatus. Ita communis. Et quidem de Laicis habetur expressus textus *c. Cum autem de Jure patr.* ibi: *Si Laicus fuerit, cui jus competit præsentandi*, & alibi. De fœminis pariter fit mentio *c. Ex literis eod.* ibi: *Postmodum Abbatissa prædicti Monasterii alium præsentavit eidem ad Ecclesiam suprascriptam. Et cap. ult. de Concess. Præb.* dicitur de quadam Comitissa, quod in quibusdam *Beneficiis Ecclesiarum jus habet patronatus.*

18. Dices: Laici sunt incapaces juris spiritualis *arg. c. Determinus, de Judiciis*, & clarius *c. Tua de Decimis* ibi: *Cum laicis nulla sit de spiritualibus concedendi, vel disponendi facultas*, juncto *c. Cautum de Præscr.* Atque jus patronatus est quid spirituale, vel saltem spirituali annexum: ergo ejusdem Laicus est incapax, ac præsertim fœmina. Resp. cum Glossa *c. Quarto de Judiciis*, majorem esse veram loquendo de juribus mere spiritualibus: secus de iis, quæ non sunt quid mere spirituale, sed duntaxat ei annexum; prout Laici possunt possidere jus funerandi. In proposito autem jus patronatus non est quid mere ac proprie spirituale, sed *spirituali annexum*, ut loquitur textus *c. De jure patr.* ibi: *Jus patronatus, quod est spirituali annexum.* Accedit, quod hoc jus competat Laicis ex speciali concessione, ac privilegio Ecclesiæ.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit Jus patronatus, & quomodo Ecclesiasticum differat a Laicali.

SUMMARIUM.

19 *Jus patronatus varie dividitur.*
20 *Jus patronatus hereditarium, ac familiare,*
21 *Altivum, & passivum,*
22 *Personale, ac reale, quid?*
23 *Ejus practica divisio est in*
24 *Jus patronatus Ecclesiasticum, &*
25 *Laicale, & quid?*
26 *Jus patronatus mixtum, quid?*
27 *Et quomodo reguletur?*
28 *Jus patronatus Ecclesiasticum, & laicale differunt,*
I. In tempore Patronis ad præsentandum concesso.
29 *Et qua circa hoc notanda?*
30 *II. Patronus Ecclesiasticus nequit variare, sicut Laicus.*
31 *Ratio disparitatis.*
32 *Quid juris, si plures a Patrono Laico præsententur?*
(a) Addc dicta Tract. XI. Dist. 1. n. 63. & 64.
33 *III. Si Ecclesiasticus Præsentes indignum, paretur jus præsentandi: secus in Laico.*
34 *IV. Legatus a latere non potest conferre Beneficia juris patronatus Laicorum.*
35 *Huic Papa non derogat, nisi id exprimat.*
36 *Quid de Beneficiis Juris patronatus mixti?*
37 *Magis dignum trahit ad se minus dignum, quomodo?*
38 *In mixtis non semper attenditur dignius, quando?*
39 *V. Papa per simplicem concessionem &c. derogat Juri patronatus Ecclesiastico, non Laico.*
40 *Limitatur hoc posterius*
41 *VI. Jus patronatus Ecclesiasticum, & laicale differunt quoad Concursum.*
42 *A Concursu, quæ alias Parochias excepta?*

39. CONCL. I. Jus patronatus varie dividitur, videlicet in hæreditarium & familiare; in activum, & passivum; in personale, ac reale. Ita communis, & probatur inductione.

20. *Jus patronatus hereditarium* dicitur, quod transit ad quoscunque hæredes, etiam extraneos. *Jus patronatus familiare*, seu *gentilitium* e contra est, in quo tantum succedunt illi, qui sunt de sanguine, & Familia Fundatoris: quæ divisio patet ex dictis *n. 8.*

21. *Jus patronatus activum* vocatur, quando Patronus potest præsentare ad Beneficium: & de hoc unpræsentiarum agitur. *Jus patronatus passivum* est, quando certi ex aliqua Familia (quamodo idonei adsint) exclusis

clusis extraneis debent ad Beneficium præsentari, & admitti: prout accidit in Beneficiis patrimonialibus, de quibus supra *dist. 1. n. 12.*

22. *Jus patronatus personale* est, quod cohæret personæ Fundatoris, vel ejus hæredi, ubicunque locorum existat. *Reale* vero quod cohæret certo loco, utputa Castro, Prædio, Monasterio, ac hujusmodi: & hoc transfit ad quemcunque talis loci possessorem.

23. CONCL. II. Nihilominus præcipua divisio juris patronatus est in Ecclesiasticum, & Laicale. Ita communis, atque desumitur ex *c. Cum autem de jure patr.* cum concordantiis.

24. *Jus patronatus Ecclesiasticum* est, quod personæ Ecclesiasticæ competit ratione Ecclesiæ, vel Dignitatis, aut Beneficii Ecclesiastici. Et tale censetur etiam esse illud jus patronatus, quod primitus fuit laicale, postea vero a Laico fuit concessum Ecclesiæ, Capitulo, Monasterio, vel cuipiam Beneficio: nam quia illud vi talis donationis jam competit Ecclesiæ, impotterum censebitur Ecclesiasticum, & non laicale; ut habetur *c. un. de Jure patr. in 6.*

25. *Jus patronatus laicale* dicitur, quod alicui sive Laico, sive Clerico, competit ratione propriæ patrimonii, vel successionis paternæ, aut alterius tituli sæcularis; non vero ratione Ecclesiæ, aut Beneficii Ecclesiastici, *arg. c. Cum dilectus* juncta Glossa ỳ. *Tanquam laicus cod.*

26. His additur communiter tertium membrum, scilicet *Jus patronatus mixtum*; estque illud, quod partim nomine Ecclesiæ ad Clericum, & partim ex alio titulo ad ipsum, vel ad Laicum spectat, ac proinde est mixtum ex utroque: quale est, si Ecclesia fundavit ex suis bonis aliam Ecclesiam, eamque Laicus dotavit, vel e contra.

27. Porro hujusmodi juri patronatus mixto illud est speciale, quod reguletur in particularibus casibus vel ut Ecclesiasticum, vel ut laicale, prout exigit qualitas casus magis privilegiata, magisque favens Patronatui. Glossa *cap. 1. ỳ. Ecclesiasticus de Jure patron. in 6.* Covarruvias *Practic. q. c. 36. n. 5.* & Faganus *c. Cum propter n. 26. & seqq. de Jure patr.* cum communi. Ratio est: quia, si non privilegiatus in materia individua, sive inseparabili, concurrat cum privilegiato, illius privilegio utitur, *arg. l. si communem ff. Quemadmodum servitutes amittantur &c.* Ubi hoc conceditur habenti rem communem cum pupillo. Quinimo generaliter in individuis privilegium uni ex sociis concessum, porrigitur ad omnes, juxta Glossam *fin. l. 1. c. de diversis Rescriptis*, ac pluribus exemplificat Faganus *l. c. n. 53. & seqq.*

28. CONCL. III. Inter jus patronatus Ecclesiasticum, & Laicale multiplex datur discrimen. Nam imprimis (præter discrimen, quod sumitur ex utriusque definitione) differunt, quod Patronus Ecclesiasticus habeat sex menses ad præsentandum, Laicus vero quatuor tantum, *c. Eam te, & n. Cum propter, de Jure patr.* & clarissime *c. un. eod. in 6.* Quod si vero Jus patronatus sit mixtum, & unus Patronus est Ecclesiasticus, alter Laicus, omnes ratione communionis habent semestre, nam propter communionem, non privilegiatum sortitur naturam privilegiati, juxta dicta *n. prac.*

29. Cæterum illud tempus sex, vel quatuor mensium, incipit currere non a die vacationis Beneficii, sed a die notitiæ dictæ vacationis, quam habent, vel considerata temporis, ac locorum distantia, habere præsumuntur Patroni; prout in simili dicitur *c. Quia diversitatem, de Concess. Prab.* Quod si hoc elapsum fuit, & Patronus, sive Ecclesiasticus, sive Laicus, nullum præsentavit ad beneficium vacans, vel quia neglexit, vel plures cum sint Patroni, lis de Jure patronatus inter eos orta est, & prius necdum decisa: statim elapso illo tempore pro ea vice devolvitur collatio Beneficii ad eum, ad quem spectat institutio, *arg. c. cum propter, & c. Eam te de Jure patr.* Et merito: ne propter negligentiam, vel discordiam Patronorum, Ecclesia diutius destituta Rectore, patiatur dispendium aliquod.

30. Secundo differunt: quia si Patronus Ecclesiasticus idoneum præsentavit, non potest amplius variare, seu alium præsentare: quod si fecerit, nihilominus præfertur ille, qui primo est præsentatus, *text. clar. c. Cum autem eod.* E contra Patronus laicus præsentato uno, vel pluribus, potest adhuc variare, ac intra quadrimestre alium præsentare; non quidem privative, seu ex toto recedendo a priori; sed accumulative, seu adjungendo secundum primo, *arg. c. Cum autem & c. Postoralis de Jure patr. & Clem. Plures, eod.* ac tenet Faganus *cit. c. Cum autem n. 6.* cum communi.

31. Cur autem laicis Patronis permissum sit variare in præsentando, non item Ecclesiasticis, multiplex solet dari ratio. Placet præ cæteris ea, quam affert Pirhing *tit. de Jure*

Jure patr. num. 103. & 104. quia præsentatio Patroni Ecclesiastici, utpote nomine Ecclesiæ facta, habet vim Electionis, ut post Innocentium, & Abbatem, passim tenent Doctores; ergo sicuti diligentes publicato scrutinio variare non possunt *c. Postulasti de Election.* ita nec Clerici præsentantes. Accedit, quod hi nomine, & jure Ecclesiæ tales actus quasi ex officio exercent: ideoque cum officio suo semel functi sunt, acquiescere debent: prout in simili dicitur de collatione, *c. Si tibi absenti, de Prab. in 6.* Secus est de Patrono laico: nam is suo proprio jure, & nomine præsentat. Accedit ulterius, quod Patronus laicus sit minus expertus circa Ecclesiastica, quam Clericus, utpote qui debet esse magis discretus, & amplius leire Jura: simulque, quod Laicus habeat minus tempus ad præsentandum, quam Clericus. Unde non mirum, quod ille possit variare; & quia gravatur minori temporis spatio, relevetur in isto.

32. Porro si duo simul, aut successivis temporibus a Patrono laico sint cumulative præsentati, tenetur ex iisdem Episcopus præligere digniorem: adeo, ut non sit locus gratificationi; sed peccet contra justitiam eligendo minus dignum, quamvis post factum iustlineatur electio de digno, omisso digniori, nec liceat postmodum appellare, aut litium occasiones amputentur. Faganus *l. c. n. 28. & seq.* citans alios; & desumitur ex *c. Constitutis de Appell.* juncto *c. Postoralis de Jure patr.* (a) Quod si vero ambo præsentati videantur æque idonei, vel sit dubium, quisnam ex iis sit digniior, tunc illud judicio Episcopi relictum est, *text. clar. c. Cum autem eod.* Estque stante pari dignitate locus gratificationi, adeo ut Episcopus possit eligere, quem maluerit, juxta Glossam ibidem ỳ. *Judicio* & alios.

33. Tertio differunt Jus patronatus Ecclesiasticum, & laicale: quia si Patronus Ecclesiasticus scienter præsentet indignum, ipso jure privatus est ea vice potestate præsentandi, & ad proximum Superiorem, ad quem spectat institutio, devolvitur libera collatio Beneficii. Secus est in Patrono laico: nam licet is præsentet indignum, non est privatus jure præsentandi pro ea vice, sed jubendus est alium præsentare, *arg. c. Cum non de Officio Judicis ordin.* juncta Glossa *ibidem* ỳ. *Minus idoneus.* Ratio hujus est eadem, quæ *n. 31.* allata fuit.

34. Quarto differunt: quia Legatus a latere Summi Pontificis potest conferre Beneficium Juris patronatus Ecclesiastici absque consensu, & præsentatione Patroni Ecclesiastici: secus est de Beneficio Juris patronatus laici; nam hoc absque consensu Patroni nequit conferre: *arg. c. Cum dilectus de Jure patr.* & amplius explicat Glossa *ibidem* ỳ. *quamvis præsentare.*

35. Quinimo generaliter Papa non censetur velle derogare Juri patronatus Laicorum nisi hoc exprimat. Faganus *c. quoniam nu. 10. de Jure patr.* post Glossam proxime citatam, & alios. Accedit ratio: quia Laici acquirunt Jus patronatus ratione propriæ patrimonii, quando fundarunt, ædificarunt, vel dotarunt Ecclesiam; unde non est æquum, ut jure inde quæsito facile priventur, sicque retrahantur ab aliis piis fundationibus; secus est in Patrono Ecclesiastico, cui jus hoc competit non ob proprium patrimonium, sed ratione Ecclesiæ.

36. Et ob eandem rationem Legatus nequit conferre Beneficium Juris patronatus mixti (idest, partim ad Clericum nomine Ecclesiæ, & partim ad Laicum spectantis) ne ex societate cum Clerico Patroquis laicus in re individua præjudicium, & incommodum sentiat, contra *Reg. 22. Juris in 6. Non debet aliquis alterius odio prægravari*, & Doctores passim. Quinimo, quia non privilegiatum propter communionem sortitur naturam privilegiati, privilegium Patrono laico competens, ne ipso invito possit Legatus Beneficium conferre, etiam Patrono Ecclesiastico communicatur, juxta dicta *n. 27.*

37. Nec obstat illud commune dictum: *Magis dignum trahit ad se minus dignum, arg. l. Qui religiosi, ff. de Rei vendicatione*; atqui Jus patronatus Ecclesiasticum est magis dignum, quam laicale; ergo. Resp. enim cum communi, dictum illud procedere tantum quoad commoda, & privilegia; non vero quoad damna, & odia, & pœnas.

38. Quod si urgeas. Hermaphroditus æstimatur fœminei sexus, quando hic prævalet in ipso, *l. Quæritur ff. de Statu hominum*, & tamen sexus virilis est dignior, & magis prodest: ergo in mixtis non semper attenditur, quod dignius est, magisque prodest, sed quod est potentius. Resp. distinguendo consequens: ergo in mixtis naturalibus non semper attenditur, quod dignius est, conceditur: in mixtis, quæ sunt talia Juris ministerio, negatur. Nam in his jus fingit, illud esse potentius & dignius, quod magis prodest, & jus alterius non lædit. Faganus *l. c. n. 56.*

39. Quæ-

39. Quinto differunt, quod simplici concessione, unione, aut reservatione alicujus Beneficii per Papam facta, derogetur Juri patronatus Ecclesiastico, non vero laico; nisi expressa, & specialis mentio fiat de hoc. Pirhing *de Jure patr. nn.* 133. eſtque communis aliorum. Ratio eſt: quia quamvis Papa poſſet etiam Juri patronatus laicorum Fundatorum derogare, utpote cum hoc ipſis Fundatoribus ex gratia ſit conceſſum ab Eccleſia, non tamen hujus adeo facile derogare ſolet; partim, ne domini ſæculares a piis fundationibus retrahantur, ſi paſſim eorum juribus derogetur; partim, quia Prælati Eccleſiarum ſicuti plus juris habent in bona Eccleſiaſtica quam laicalia, ita etiam in Patronatus Eccleſiaſticos, utpote ex Eccleſiaſticis bonis originem trahentes, quam in Patronatus laicales. Concordant dicta *n.* 34. & 35.

40. Notant tamen Doctores, hanc doctrinam in quarta, & quinta differentia allatam habere locum duntaxat in Jure patronatus Laicis competente ex fundatione, ædificatione, vel dotatione; non vero in eo, quod convenit ipſis ex ſpeciali gratia, privilegio, vel præſcriptione. Cum enim in his deficiant rationes proximæ allatæ, eisdem cenſetur ſufficienter derogatum per clauſulam generalem, *Ad cujuſcunque patroni præſentationem pertineat*.

41. Ultimo differunt Jus patronatus Eccleſiaſticum, & Laicale, quoad Concurſum: nam hic quoad Parochiales Eccleſias, etiamſi ſint Juris patronatus Eccleſiaſtici, præmittendus eſt, juxta Concilium Trident. *ſeſſ.* 24. *c.* 18. *de Reform.* Secus eſt de Parochiis, quæ ſpectant ad Jus patronatus Laicorum: nam tunc non eſt locus Concurſui, ſed is ſolus examinari debet, quem Patronus Laicus præſentavit; &, ſi dignus reperiatur, inſtitui.

42. Notat tamen Engel *tit. de Prab. n.* 67. per Bullam S. Pii V. *Ad exequendum* (& habetur tom. 1. Bullarii Romani, *Conſt.* 47. *diſſi Pont.*) a præfato Concurſu eſſe exceptas Parochias Monaſteriis, vel aliis Eccleſiis incorporatas, in quibus non propriæ Parochus, ſed Vicarius ponendus eſt.

QUÆSTIO III.

De jure præſentandi, aliiſque juribus Patrono competentibus.

SUMMARIUM.

43 *Patrono quatuor jura competunt, quæ?*
44 *Jus præſentandi, quomodo competat Patrono?*
45 *Beneficium ſine conſenſu Patroni regulariter nequit conferri.*
46 *Fallit hoc in certis caſibus.*
47 *Collatio Beneficii ſine conſenſu Patroni non eſt ipſo jure irrita, ſed irritanda.*
48 *Patronus nequit ſe ipſum præſentare.*
49 *Prælatus tamen poteſt Patrono conferre Beneficium.*
50 *Poſſunt plures Patroni unum ex ſe ipſis præſentare.*
51 *Patronus poteſt præſentare ſuos filios, vel conſanguineos.*
52 *Quid juris, ſi plures ſint Patroni, & diſcordent in præſentando?*
53 *Præſertim ſi duo præſententur ab eis in pari numero?*
54 *Patrono debetur honor, & qualis?*
55 *Patrono competit jus defendendi Eccleſiam.*
56 *Quæ Patrono non liceant?*
57 *Patrono egenti ſuccurrendum ab Eccleſia.*
58 *Et quomodo?*

43. CONCL. I. Patrono ſive Eccleſiaſtico, ſive laico præcipue quatuor jura competunt in Beneficio Eccleſiaſtico, reſpectu cujus habet Jus patronatus; videlicet jus præſentandi, præcedendi, defendendi Eccleſiam, atque ut ex bonis Eccleſiæ eidem indigenti modeſte ſuccurratur. Ita habetur *c. Nobis de Jure patr.* & complectuntur Gloſſa ibidem hiſce verſiculis:

Patrono debetur honos, onus, utilitasque:
Præſentet, præſit, defendat, alatur egenus.

44. CONCL. II. Jus præſentandi Clericum idoneum ad Beneficium Eccleſiaſticum, ſive ſimplex, ſive curatum, poſtquam vacaverit, adeo competit Patrono, ut Epiſcopus, vel is, ad quem ſpectat inſtitutio, teneatur eundem cæteroquin habilem admittere, atq; in dicto Beneficio inſtituere. Ita deſumitur ex *cit. c. Nobis de Jure patr.* Dicitur, *Clericum idoneum*: Nam ſi hic ſit indignus, Patronus laicus tenetur alium præſentare: Patronus vero Eccleſiaſticus pro ea vice privatur jure præſentandi, ut dictum *num.* 33.

45. CONCL. III. Beneficium Eccleſiaſticum ſine conſenſu, & voluntate Patroni, regulariter loquendo conferri nequit: & ſi de facto collatum ſit alteri, quam illi, quem Patronus præſentavit, poteſt ad inſtantiam ejus collatio annullari, ipſoque inſtante debebit is, qui ſine ſuo conſenſu inſtitutus fuit, amoveri. Ita ſtatuitur *c. Ex inſinuatione de Jure patr.* junctо *c. Determinus* 16. *q.* 7.

46. Dicitur, *regulariter loquendo*: Nam hinc inprimis excipitur caſus, ſi Patronus intra debitum tempus a jure definitum neminem præſentavit: tunc enim pro ea vice devolvitur collatio Beneficii ad eum, ad quem cæteroquin pertinet inſtitutio *c. Cum propter &c. Eam te de Jure patr.* Deinde valet collatio, ſi Summus Pontifex de plenitudine poteſtatis conferat Beneficium, derogando expreſſe Juri patronatus, ut jam dictum *n.* 39. Idem accidit, quando Patroni in præſentando diſcordant, & præſentatus a majori eorum parte non poteſt ſine ſcandalo inſtitui: tunc enim Epiſcopus ordinabit Eccleſiam, ſicut melius eam ſecundum Deum viderit ordinandam *c. Quoniam eod.*

47. Dicitur ulterius in Concluſione, *poteſt ad inſtantiam ejus collatio annullari*: Siquidem collatio Beneficii extra dictos caſus abſque Patroni præſentatione facta, non eſt ipſo jure nulla & irrita, ſed tantum poteſt per Patronum contradicentem irritari; ſi nempe is alium præſentet, aut expreſſe contradicat. Unde ſi terminus Patrono competens poſt collationem per Epiſcopum factam fuerit elapſus; non reclamante, nec contradicente Patrono, manet collatio omnino firma. Barboſa *part.* 3. *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 72. *n.* 171. citans plures alios.

48. CONCL. IV. Patronus, quamvis ſit Clericus, & cæteroquin idoneus, ſe ipſum ad Beneficium Eccleſiaſticum præſentare non poteſt. Ita communis; & patet ex *c. Per noſtras de Jure patr.* Ratio eſt: quia præſentatio ſui ipſius ſapit vitium ambitionis. Concordat illud D. Gregorii Papæ, ac refertur *c. In ſcripturis* 8. *q.* 1. *Sicut locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, ita fugientibus offerendus. Et ſicut ſcriptum eſt: Nec quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Hebr.* 5.

49. Cæterum ſi Prælatus, ad quem ſpectat inſtitutio, motu proprio vocet Clericum Patronum, eique conferat Beneficium vacans in quo dictus Clericus habet Jus patronatus, valebit collatio, quia tunc Patronus non cenſetur præſentare ſe ipſum, aut Beneficio ſeſe ingerere; ſed Beneficium ſibi oblatum acceptare, adeoque in collationem ejus ſibi factam conſentire. Pirhing *tit. de Jure patr. n.* 9. Imo poſſet hoc caſu Patronus Clericus procedere per viam deprecationis & ſupplicationis, ac rogare Epiſcopum, ut ſibi conferre velit illud Beneficium; atque exinde poterit Ordinarius illum gratificando admittere. Barboſa *lib.* 3. *Juris Eccleſiaſtici univ. c.* 12. *n.* 199. Abbas *in c. Per noſtras, de Jure patr.* & alii.

50. Inſuper ſi plures ſint Patroni, poſſunt illi ex ſe ipſis unum Clericum Compatronum nominare, & præſentare: nam quamvis Clericus Patronus non poſſit præſentare ſe ipſum, poteſt tamen præſentationi de ſe per Compatronos factæ conſentire. Gloſſa *in c. Conſuluit eod.* Barboſa *part.* 3. *de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 72. *n.* 91. & alii.

51. CONCL. V. Nihilominus non eſt prohibitum Patrono, ad Beneficium præſentare filios ſuos, aut alios conſanguineos. Ita Engel *tit. de Jure patr. n.* 3. cum communiori. Et merito: tum, ne hi ſint deterioris conditionis, quam alii, quorum parentes nullum fundarunt Beneficium: tum, ne ipſummet jus patronatus, quod in favorem Fundatoris, ejuſque hæredum introductum eſt, in ipſorum odium retorqueatur contra *Reg.* 61. *juris in* 6. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum* cum concordantiis.

52. CONCL. VI. Si plures ſint Patroni ejuſdem Eccleſiæ, vel Beneficii, & hi in præſentando diſcordent, aliis hunc, aliis alium præſentantibus, præfertur is, qui majoribus juvatur meritis, & plurium approbatur aſſenſu; modo id ſine ſcandalo fieri poſſit. Ita habetur *c. quoniam de Jure patr.* eſtque communis. Et quidem in tali caſu ſufficit præſentatio facta a majori parte reſpectu minorum partium, dummodo præſentatus cæteroquin ſit idoneus: veluti ſi ex ſex Patronis duo præſententt Titium, unus Sempronium, & tres Cajum, hi tres prævalent, ac præfertur Cajus *arg. cit. c. quoniam* & notat ibidem Fagnanus *n.* 13. cum aliis. Additur vero, *modo id ſine ſcandalo fieri poſſit*, propter dicta *n.* 46.

53. CONCL. VII. Si autem duo ſint præſen-

sentati a pluribus Patronis in pari numero, si vel ex duobus Patronis unus præsentavit unum, & alter alterum, nemini eorum acquiritur jus petendi institutionem. Ita Fagnanus *in cap. Cum autem nu. 23. cod.* & alii. Ratio est clara; quia ad hoc, ut præsentatus acquirat jus ad Beneficium, & consequenter jus petendi institutionem, requiritur, quod Præsentatio sit facta a majori parte Patronorum *arg. cit. cap. Quoniam de Jure patr.* ibi: *Si forte in plures partes fundatorum se vota diviserint, illa proficiatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur & approbatur assensu.*

54. CONCL. VIII. Præter jus præsentandi, ulterius Patrono Ecclesiæ debetur honor. Ita communis; & patet *ex cap. Nobis de Jure patr.* ibi: *Pro fundatione quoque Ecclesiæ honor processionis fundatori servatur.* Porro honor Patrono debitus consistit in præcedentia Processionis, quatenus in Litaniis, ac aliis publicis Processionibus debetur ipsi locus dignior præ aliis Laicis. Item quod in Ecclesia sua patronata debeat honorari per præcedentiam honorabilioris sedis, & dignioris loci, atque anteriioritatem in suscipienda Pace, thurificatione, & aliis consimilibus casibus. Barbosa *lib. 3. Juris Eccl. univ. c. 12. n. 214.* cum aliis.

55. CONCL. IX. Insuper competit Patrono jus, seu potius onus defendendi Ecclesiam. Ita habetur *capit. Edisi 16. q. 7.* Unde Patroni munus est, ut curam & inspectionem habeat quoad Ecclesiam & ejus bona ne male alienentur, aut dilapidentur; & si quid in detrimentum Ecclesiæ fieri deprehenderit, neque Beneficiarius honesta monitione præmissa desistere velit, id Episcopo denuntiet, prout ibidem dicitur. Item ipsius munus est, ut Ecclesiam intra & extra Judicium defendat, *tanquam ejus patronus & Advocatus*: hoc quippe nomine ipse appellatur in *c. Præterea* & *c. Cum autem* & *c. Nobis de Jure pat.* & alibi.

56. Non tamen debet Patronus veram aliquam jurisdictionem in Beneficiarium usurpare; neque in iis, quæ ad Sacramentorum administrationem pertinent, ullatenus sese ingerere; neque visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium seu fabricarum proventibus se immiscere (nisi id Patrono ex primæva institutione, ac fundatione competat) sed Episcopi ipsi hæc faciant, juxta Concilium Trid. *sess. 24. de Reform. c. 3. circa finem.*

57. CONCL. X. Tandem Patrono convenit, ut, *si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modeste succurratur.* Ita his verbis habetur *cit. c. Nobis de Jure patr.* junctis *c. Contra* & *c. Cuicunque 16. q. 7.*

58. Dicitur notanter, *modeste succurratur*, id est, habito respectu ad facultates Ecclesiæ, & ad qualitatem personæ, ut bene explicat & probat Glossa ibidem. Hinc Barbosa *lib. 3. Jur. Ecclesiastic. universi. cap. 12. nu. 217.* notat, quod tunc primum Ecclesia teneatur dare alimenta Patrono pauperi, quando superest ultra id, quod necessarium est ad cultum Dei, atque Ministrorum alimenta. In quo casu sunt præstanda Patrono alimenta in domo propria, non autem in ipsa Ecclesia: & quidem non solum pro se, sed etiam pro uxore, filiis, atque familia: ac insuper alimenta integra, id est, cibus, potus, vestis, lectus, & alia omnia, quæ sub alimentorum nomine continentur, dummodo (ut dictum) Ecclesiæ suppetant facultates.

DI-

DISTINCTIO IV.

De Decimis.

QUÆSTIO IV.

Quid sint Decimæ, Primitiæ, & Oblationes?

SUMMARIUM.

1 *Decima, quid?*
2 *Decimarum solutio est actus Religionis, & Justitiæ.*
3 *Qui fraudant Decimas, quomodo peccent? Jubentur excommunicari.*
4 *Excommunicatio hac non est lata sententia.*
5 *Bona dantium, & mala non dantium Decimas.*
6 *Primitiæ, quid? Primogenita, quid, & quomodo differant a Decimis?*
7 *An extet præceptum offerendi Primitias?*
8 *Præsertim in lege Evangelica?*
9 *Oblationes, quid?*
10 *Oblationis nomen duplicitèr accipitur.*
11 *Oblationes, an sint de Præcepto faciendæ?*
12 *Quid si Ministri Ecclesiæ indigeant?*
13 *Vel id habeat consuetudo loci?*

1. CONCL. I. *Decima* sunt pars decima omnium fructuum juste acquisitorum, Deo in recognitionem sui dominii universalis debita, atque Ecclesiæ Ministris quotannis exsolvenda. Ita in re communis; & desumitur hæc definitio ex *cap. Tua nobis, de Decimis*, ibi: *Decima, quæ Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcepit, suas esse Decimas & primitias asseverans*: junctis *c. Decimas Deo 16. quæst. 7.* & *c. Ex transmisso, de Decimis*, cum concordantiis.

2. Unde colligitur, quod solutio Decimarum, quatenus solvuntur a Fidelibus ob Dei cultum, atque in signum supremi ejus dominii in omnes res, & quod ab ipso bona cuncta procedant, sit actus virtutis Religionis: quatenus vero spectatur, prout est debita Ecclesiæ Ministris, nobis spiritualia præbentibus, sit actus Justitiæ.

3. Hinc illi, qui fraudant Decimas, peccant & contra virtutem Justitiæ, & contra virtutem Religionis; crimenque committunt *Sacrilegii, cap. Decimas quas 16. qu. 7.* Insuper fraudantes Decimas, tum in *cap. Omnes decimæ 16. qu. 1.* & *c. Tua nobis de Decimis*, tum in Concilio Trid. *Sess. 25. c. 12. de Reform.* excommunicari jubentur, ibi: *Cum decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt &c. Qui vero eas aut subtrahunt aut impediunt, excommunicentur: nec ab hoc crimine, nisi plena rositurione facta, absolvantur.* Hactenus Concilium.

4. Cæterum hæc Excommunicatio non est latæ, sed primum ferendæ sententiæ; prout desumitur ex ly *excommunicentur*. Imo præmittendam esse trinam monitionem, antequam infligatur, recte cum aliis notat Barbosa *in Collectaniis ad cit. locum Concilii Trident. n. 5.* & favet textus *c. Omnes decimæ 16. q. 7.*

5. Insuper, quod justo Dei judicio frequenter in rebus temporalibus damna patiantur, qui Decimas dare negligunt; & e contra, qui Decimas diligenter dant, non solum sanitatem corporis, sed etiam cum temporali fructu bona Cœlestia promereantur &c. urgentissimis SS. Augustini, & Hieronymi authoritatibus comprobatur *c. Revertimini*, & *cap. Decima tributa 16. q. 1.* Ubi D. Augustinus *Serm. 219. de Tempore*, inter alia sic loquens refertur: *Cum Decimas dandi & terrena, & Cœlestia possis præmia promereri, quare pro avaritia duplici benedictione fraudaris? Hæc est enim Dei justissima Constitutio, ut si tu illi Decimam non dederis, tu ad Decimam revoceris. Debita impiis militis, quod non vis dare Sacerdoti.*

6. CONCL. II. *Primitiæ* appellantur primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, arborumque, Deo ut Largitori omnium bonorum in signum gratitudinis oblati. Ita desumitur ex *c. 18. Numer.* ibi: *Universa frugum initia (id est, Primitias) quæ gignit humus.* Additur notanter, *quæ gignit humus*; nam in animalibus, recepto stylo S. Scripturæ, vocantur *Primogenita*. Unde patet discrimen inter Primitias, & Decimas: nam hæ sunt decima pars omnium fructuum juste acquisitorum; illæ vero, fructus

Ec pri-

primi arborum, agrorumque, & hujusmodi.

6. Quæres: An extet præceptum aliquod offerendi Primitias? Resp. I. In Lege Mosaica extabat præceptum offerendi Primitias; uti patet ex *cap. 26. Deut.* ibi: *Tolles de cunctis fructibus tuæ primitias, portasque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit &c.* Item *Exod. 13. Sanctifica mihi omne primogenitum*, & alibi. Quia vero Cæremonialia, & judicialia veteris Legis per Christi mortem, atque prædicationem Evangelii, evacuata fuerunt; remanet Quæstio loquendo pro statu Legis Evangelicæ, ad quam

8. Resp. II. Olim quidem ex præcepto Juris Ecclesiastici aderat ejusmodi obligatio solvendi Primitias; prout colligitur ex *cap. Prater dist. 32. & c. Decimas 16. q. 7.* ac notat Glossa *in cap. 1. §. In primitiis, de Decimis*. Hodie tamen ejusmodi obligatio solvendi Primitias in plerisque locis per contrariam consuetudinem sublata est. Ita Pirhing *tit. de Decimis n. 172.* Suarez, Azorius, & alii passim.

9. CONCL. III. *Oblationum* nomen, quantum ad propositum, accipitur pro illis oblationibus seu donis, quæ Fideles ad Altare offerunt inter Missarum solemnia. Ita desumitur ex *c. Antiquæ 10. q. 1. & ex. Omnis Christianus de Consecr. dist. 1.*

10. Additur notanter, *quantum ad propositum*: Siquidem Obligationis nomen interdum late accipitur pro omni eo, quod offertur Ecclesiæ, sive id fiat in vita, sive in morte, sive quid mobile, sive immobile, *arg. cap. Videntes 12. q. 1.* ibi: *Ipsa vero delicate oblationes appellantur, quia Domino offerantur.* Quinimo oblationis nomen adeo large acceptum, ipsius quoque Decimas & Primitias complectitur; verum stricte, & habito præsertim respectu ad communem modum loquendi, dicitur Oblatio, quod offertur Sacerdoti in Missa. Abbas *c. Causa de verb. signif.*

11. Quæres, an homines ad faciendas hujusmodi Oblationes teneantur? Resp. I. De ratione hujusmodi Oblationum est, quod voluntarie offerantur; juxta illud *Exodi 25. Ab omni homine, qui offert ultroneus, accipietis eas.* Et hinc regulariter loquendo illæ Oblationes non sunt de præcepto, nisi in certis casibus. Ita D. Thomas 2. 2. *q. 86. art. 1.* Abbas *ad Rubric. tit. de Parochis* & alii.

12. Additur notanter, *nisi in certis casibus*. Etenim, si Ministri Ecclesiæ indigeant, neque habeant aliunde, unde sustententur, tenentur Parochiani Jure naturali, & Divino, ad Oblationes Presbyteris indigentibus faciendas: nam ex quo Sacerdos impendit spiritualia, debet consequi temporalia: *Dignus enim est operarius cibo suo, Matth. 10.* Unde quamvis Sacerdos ob hoc non debeat subtrahere spiritualia, tamen Superior debet Parochianos compellere ad præstandas has Oblationes juris remediis, Abbas *loc. cit.* Covarruvias *lib. 1. var. resol. c. 17. n. 3.* & alii.

13. Deinde tenentur Parochiani ad faciendas Oblationes, ubi hoc habet consuetudo. Siquidem in multis locis consuevêrunt Parochiani, præsertim diebus Dominicis & aliis præcipuis Festis, facere ejusmodi Oblationes, juxta *Can. Omnis Christianus de Consec. dist. 1.* Atqui Fideles tenentur, possuntque cogi ad observandas laudabiles consuetudines, *c. ad Apostolicam de Simon.* & amplius de Oblationibus ostendit Hostiensis *in Summa tit. de Parochis §. In certis*. Et quidem hisce casibus adhuc oblatio remanet quodammodo voluntaria, saltem quoad quantitatem, vel speciem rei oblatæ.

QUÆSTIO II.

Quo jure, & ex quibus rebus solvendæ sint Decimæ?

SUMMARIUM.

14 *Decimæ, an debeantur Jure Divino?*
15 *Præsertim in Lege Evangelica?*
16 *Quomodo ipsa dicantur deberi constitutione Divina?*
17 *Solvitur instantia contra Decimas.*
(a) Vide dicta Tract. 2. Dist. 1. num. 9. & 10.
18 *Decimæ ex quibus rebus debeantur?*
19 *Declaratur hæc,*
(b) Ut dictur Quæst. 4. per totum.
20 *Decimarum divisio.*
21 *Decimæ prædiales, Personales, & Mixtæ, quæ?*
22 *Decimæ prædiales, & Personales, quomodo, & quibus solvendæ?*

14. CONCL. I. Decimæ secundum substantiam spectatæ, quatenus videlicet sunt necessarium stipendium Ministrorum Ecclesiæ, ad ipsorum sustentationem requisitum, debentur ipsis Jure naturali, ac Divino: quatenus vero spectantur secundum quotam, sive determinationem suam (id est, quod debeat dari plamet pars decima fructuum) tempore Legis Mosaicæ debebantur Jure Divino positivo; tempore vero Legis Evangelicæ Jure duntaxat Ecclesiastico, licet antiquissimo, utpote ab Apostolis derivato. Ita Doctor Angelicus 2. 2. q. 87. *art. 1.* & alii passim, paucis exceptis. Ratio primæ partis desumitur ex cit. verbis Christi. *Matth. 10. Dignus est operarius cibo suo*; cum concordantiis. Altera vero pars, loquens de Lege Mosaica, patet ex *c. 27. Levit.* & aliis pluribus locis.

15. Tandem ultima pars, seu quod in Lege Evangelica debeantur Decimæ secundum quotam spectatæ Jure Ecclesiastico, patet tum ex plurimis textibus Juris Canonici jam allegatis, vel in progressu allegandis: Tum ex eo: quia, si Decimæ simpliciter essent Juris Divini, non possent earum obligatio tolli per privilegium Summi Pontificis, aut contrariam consuetudinem: atqui hoc fieri posse, patebit ex dicendis *§. IV.*

16. Nec dicas, In Jure Canonico *c. Parochianos de Decimis*, expresse dicitur: *Decimæ non ab homine, sed ab ipso Deo sunt institutæ*: juncto c. Tua eod. ibi: *Decimæ divina constitutione debentur*; ergo non solum Jure Ecclesiastico. Resp. enim, hujusmodi authoritates vel accipiendas esse de Decimis secundum suam substantiam spectatis, & quatenus sunt necessarium stipendium Ministrorum Ecclesiæ. Vel dicendum, quod velint, Decimas Jure Divino deberi, non directe ac immediate pro statu Legis Evangelicæ; sed solum remote ac occasionaliter, quatenus ad imitationem Legis Divinæ, pro veteri Testamento statutæ, ad necessariam Ministrorum Ecclesiæ sustentationem, per Constitutionem Ecclesiasticam sunt denuo constitutæ.

17. Quod si dicas, Cæremonialia veteris Legis jam sunt evacuata, & de facto illicita observata, *7. Majores de Baptismo*. Resp. cum Doctore Angelico *loc. cit.* Præceptum de solutione Dec marum non fuisse cæremoniale, sed partim morale, partim judiciale. Et quatenus morale, fuit inditum a Lege naturali, atque a Christo in Lege Evangelica renovatum, *Matth. 10. Dignus est operarius cibo suo*, cum concordantiis. Quatenus vero judiciale erat, nempe secundum quotam, seu quoad determinationem decimæ partis, est renovatum auctoritate Ecclesiæ: sicque illud de facto obligat ex vi novi præcepti Ecclesiastici. (a)

18. CONCL. II. Spectato Jure communi debentur Decimæ ex omnibus, quæ licite acquiruntur. Ita habetur *c. Ex transmissa, de Decimis*, ibi: *Fidelis homo de omnibus, quæ licite potest acquirere, Decimas tregnare tenetur*; & alibi. Dicitur, *quæ licite acquiruntur*; nam de acquisitis per furta, simoniam, usuras, opus meretricium, ac hujusmodi Decimæ non debentur; imo nec possunt recipi, ne Clerici censeantur approbare peccatum alterius, ut notat Glossa *ibidem*, *V. licite*. Hinc c. Non est putanda *1. q. 1.* notanter dicitur; *Honera Dominum de tuis justis laboribus*.

19. Additur autem, *spectato Jure communi*. Siquidem variis ex causis hæc obligatio solvendi Decimas, utpote ex Jure Ecclesiastico proveniens, tolli potest, & aliquis (b) a præstatione Decimarum eximi, vel ex parte, vel etiam in totum: dummodo Ministri Ecclesiæ aliunde congruam habeant sustentationem, utputa ex sufficientibus reditibus Fundationis Ecclesiæ, Oblationibus, aut Legatis pis.

20. CONCL. III. Decimæ dividuntur in prædiales, personales, & mixtas. Ita communis. Siquidem, quantum est de Jure communi, debentur Decimæ *de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, de ipsa etiam militia, de venatione, & de omnibus bonis*; prout his ipsis verbis habetur *c. Non est de Decimis*, cum concordantiis. Itaque

21. *Decimæ prædiales* sunt, quæ persolvuntur ex prædiorum, aut arborum fructibus, obventionibus molendinorum, vel ædium locatarum, & hujusmodi. *Personales* dicuntur, quæ ex rebus, quas quisque sibi industria & opera sua acquirit, persolvuntur; *v. g.* ex lucro honestæ negotiationis, venationis, militiæ, &c. *Decimæ mixtæ* vocantur illæ, quæ partim prædiales, partim personales sunt: cujusmodi sunt, quæ debentur ex fructibus pecorum, veluti ex fœtu, lana, lacte, &c.

22. Porro Decimæ prædiales differunt a personalibus, quod illæ statim, atque collectæ sunt, solvi debeant: & quidem integræ absque deductione impensarum, quæ fieri solent in colendis prædiis vel agris, & colligendis fructibus, *arg. 1. Cum sint homines, & c. Tua nobis, & c. Pastoralis eodem*. E contra Decimæ personales solvuntur deductis prius ex pensis, ut pote cum residuum

Et 2 dun-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

duntaxat censeatur esse fructus, seu lucrum, *tit. c. Pastoralis*. Insuper Decimæ prædiales sunt solvendæ Parocho, in cujus Parochia fructus crescunt, & colliguntur, quamvis coloni alibi habitet; Personalis autem solvuntur Ecclesiæ, seu Parocho, in cujus Parochia quis audit Divina, & percipit Sacramenta Ecclesiastica, nisi consuetudine, conventione, aut privilegio aliud fieri oporteat *c. Cum simus homines de Decimis*.

QUÆSTIO III.

Quibus solvendæ sint Decimæ?

SUMMARIUM.

23 *Antiquitus Decimæ solvebantur Ecclesiæ, per Episcopos Clericis distribuendæ.*
(c) Ut dictum Tract. 7. dist. 4. n. 30.
24 *Tunc soli Episcopi erant Parochi, sedes de facto.*
25 *Decimæ prædiales spectant ad Ecclesiam Parochialem.*
26 *Et habet super iis Parochus fundatam intentionem.*
27 *Episcopo de jure communi debetur quarta pars Decimarum.*
28 *Quid de Decimis nullius certæ Parochiæ.*
29 *Limitantur prædicta.*
30 *Laici mere sæculares sunt incapaces juris Decimarum.*
31 *Secus de Laicis conversis, sive Regularibus.*
32 *Laicis potest competere jus percipiendi fructus Decimarum, ut quid temporale sunt.*
33 *Intervenientе justo contractu emptionis, conductionis &c.*
34 *An etiam per modum Feudi?*

23. QUæstio præsens procedit præcipue pro moderno statu, quo facta suppositur divisio bonorum Ecclesiasticorum in quattuor partes (c) ipsarumque distinctio Parochiarum: nam antea Decimæ debebantur Ecclesiæ, sive cœtui Clericorum in communi; & præstabatur Episcopis cujuslibet Diœcesis, qui eas inter Cleros & Ministros suæ Ecclesiæ, pro cujuslibet meritis & necessitate, juste fideliterque distribuere tenebantur, *arg. c. Episcopi*, & *c. Præcipimus 12. q. 1.* junctis *c. Decimas 16. q. 7.* cum concordantiis.

24. Siquidem Episcopi soli pro illo tempore erant Parochi, quibus totius plebis Diœcesanæ cura immineбat: cæteri autem Presbyteri, veluti ipsorum Coadjutores, ad nutum eorundem Episcoporum modo in hac, modo in illa parte Diœcesis Pastorale Officium exercebant, *arg. cap. In nova dist. 21.* & notat Barbosa *lib. 5. Juris Ecclesiastic. univ. cap. 26. §. 2. n. 4.* Postmodum vero, facta illa redituum Ecclesiasticorum divisione, Parochiæ singulæ singulis Presbyteris fuerunt constitutæ, singulisque Parochiis propria territoria per finos terminos assignata, in quibus cuilibet Presbytero tota suæ Parochiæ cura remaneret, prout habetur *c. Ecclesias 13. q. 1.* Et de hoc tempore, sive post divisionem bonorum Ecclesiasticorum & Parochiarum distinctionem loquendo, sit

25. CONCL. I. De Jure communi Decimæ prædiales spectant ad Ecclesiam Parochialem, siutque personalis Rectoribus illarum Ecclesiarum Parochialium, intra quarum fines prædia illa sita sunt. Ita communis; & habetur clare *c. Cum contingat de Decimis* ibi: *Cum perceptio Decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi pertineat*. Concordat textus *c. Cum in tua eod.* ibi: *Aliquibus Parochialibus Ecclesiis exhibentur, ad quas de jure communi spectat perceptio decimarum*.

26. Et hoc adeo verum est, quod Parochus loci habeat pro se fundatam in jure intentionem super omnibus Decimis intra limites suæ Parochiæ existentibus; ita ut præsumatur, Decimas ad ipsum pertinere, nisi adversarius, quicunque ille sit, oppositum ostenderit *arg. cap. A nobis eod.* Proinde propter istam juris assistentiam, Parochus non tenetur aliter probare, Decimas sibi competere, sed contrarium asserenti incumbit onus probandi, cum contra hunc militet Juris præsumptio, *arg. cap. 1. de Præscript. in 6.* ac notat Barbosa *loc. cit. c. 26. §. 2. n. 8.* cum aliis.

27. CONCL. II. Nihilominus post factam Parochiarum divisionem non prorsus excluditur Episcopus loci a perceptione Decimarum prædialium. Nam imprimis spectato Jure communi debetur ei, tanquam Superiori, & Ordinario omnium Fidelium suæ Diœcesis Pastori, quarta pars Decimarum totius Episcopatus; prout liquet ex *cap. Congruenter de Offic. Ordinarii*, ubi Pontifex inter jura Episcopalia recenset *quartam decimationum*: juncto *c. De quarta de Præscript.* & concordantiis. Hinc Fagnanus *c. Cum contingat num. 13. de Decimis*, cum aliis

aliis notat, quod Episcopus super quartam Decimarum habeat intentionem fundatam.

28. Deinde, quando Decimæ non sunt in certa Parochia (veluti, si prædia sint multum distantia, & non inclusa in limitibus alicujus Parochiæ; vel si novalia fiant in nemoribus remotis, & extra limites Ecclesiarum Parochialium, tunc Episcopus fundat intentionem super eas; adeo, ut *ipsas secundum discretionem a Deo sibi datam, alii Ecclesiæ deputare, vel ad opus summ potenter retinere*, prout habetur *cap. Quoniam de Decimis*. Notat tamen ibidem Abbas, quod, si certum sit, ejusmodi prædia, vel novalia includi in aliqua vicinarum Parochiarum, sed ignoretur, quænam illa sit; tunc Decimæ non debeantur Episcopo, sed sint dividendæ inter illas Parochias.

29. Additur notanter *n. 27. spectato jure communi*. Nam per hactenus dicta non negatur, quin aliquo jure speciali possit Episcopus tale jus amittere: utputa si appareat de contraria consuetudine: illa enim servari debet, cum in transferendo jus Decimarum ab una Ecclesia in aliam, plurimum valeat consuetudo. Idem erit, si constet de compositione, vel appareat de quodam privilegio, aut intervenerit præscriptio specialis. Fagnanus *ib. n. 18. & 19.*

30. CONCL. III. Laicis mere sæcularibus nullo modo competere, & concedi potest jus Decimarum, quatenus spirituale est; adeoque nec ipsæ Decimæ, prout sunt fructus Ecclesiastici. Ita Pirhing *tit. de Decimis, num. 139.* & communis aliorum. Patet hoc ex *c. Decimas, quas in usum 16. q. 7.* ubi Laici Decimas possidere prohibentur, & oppositum facientes dicuntur *sacrilegii crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere*. Idem desumitur ex *c. Ad hæc, & c. Quamvis de Decimis*, cum concordantiis. Ratio etiam est: quia Laici non possunt possidere spiritualia, multo minus spiritualia officia ministrare Fidelibus.

31. Additur vero, *Laicis mere sæcularibus*; sive, ut loquitur Pontifex *in cit. cap. Quamvis eod. Laicis in sæculo remanentibus*. Siquidem Laici conversi, etsi nullo Clericali Ordine sint insigniti, capaces sunt juris spiritualis: quia non sunt meri Laici, sed inter Religiosos numerantur, propter tria Vota substantialia Religionis ab ipsis edita; ideoque Clericorum juribus, & privilegiis gaudent, cujusmodi sunt Hospitalarii, Professi Ordinum Militarium, Equites Melitenses, & Teutonici Ordinis, *arg. Reiffenstuel Theol. Moral. c. Cum & plantare de privilegiis*. Unde talibus possunt concedi Ecclesiæ, & Decimæ; argumento a contrario desumpto, cum non sint *Laici in sæculo remanentes*: ita tamen, ut tales Religiosi Laici non per seipsos (hoc enim defectu Ordinis exequi nequeunt) sed per Clericos idoneos Ecclesias regant, & administrent. Abbas *c. Quamvis n. 3. de Decimis*, & alii.

32. CONCL. IV. Nihilominus potest Laicis concedi, & competere jus percipiendi fructus Decimarum, quatenus intelligitur abstractus a titulo & jure spirituali, & quid temporale existit; videlicet jus præcise percipiendi decimam partem fructuum: non quidem titulo proprio, sed vel nomine Clericorum, ad quos pertinent, interveniente justo contractu; vel nomine Ecclesiæ, & causa temporalis stipendii, pro obsequio ipsi Ecclesiæ per eos præstito. Ita Glossa in *c. Quamvis v. Concesserit de Decimis*; ubi ait, quod *fructus Decimarum bene possint concedi Laico ex causa ad tempus vitæ suæ*. Zoesius *eod. num. 45.* Pirhing *num. 138.* & alii. Idque probatur inductione.

33. Sic enim jus percipiendi fructus Decimarum sive Decimas materialiter spectatas pro sola utilitate fructuum percipiendorum, præcisa a spirituali jure & titulo, potest a Laicis obtineri interveniente justo contractu emptionis, & conductionis; quia, ut habetur *c. Vestra de Locato*: fructus Decimarum possunt dari ad firmam (hoc est, pro censu annuo aliis concedi) & libere locari illis, cum quibus Ecclesiæ conditio sit melior; dummodo hujusmodi locatio ad feudum, vel alienationem perpetuam non extendatur. Et talis locatio, quin & venditio fructuum decimalium ad unum, vel plures annos, passim fit: nam Decimæ sic spectatæ, sunt quid mere temporale.

34. Deindæ decimæ taliter spectatæ ante Concilium Lateranense, sub Alexandro III. 1179. celebratum, potuerunt Laicis in feudum per Episcopos dispensative concedi, ut Ecclesias ab hæreticis, & aliis oppressoribus defenderent, & quamvis hæc potestas in dicto Concilio Episcopis adempta fuerit, tamen Decimæ prius perpetuo Laicis in feudum concessæ penes Vasallos Laicos remanserunt, *arg. c. Cum Apostolica de his, qua fiunt a Prælati &c.* & *c. Statuto §. Sane de Decimis in 6.*

QUÆSTIO IV.

Quibus modis eximatur quis a præstatione Decimarum?

SUMMARIUM.

35 *Variis modis potest quis eximi a præstatione Decimarum.*
36 *I. Privilegio, & quali?*
37 *II. Per Consuetudinem; & quomodo hoc intelligendum?*
38 *Corollaria.*
39 *III. Præscriptione.*
40 *Solvitur instantia.*
41 *Quo tempore immunitas a solvendis Decimis præscribatur? Declaratur cap. 1. de præscript. in 6.*
(c) Ut dictum Tract. 7. Dist. 6. n. 15.
42 *IV. Compositione; & remissione.*
43 *V. Gravi paupertate; & quando?*

35. CONCL. I. Variis modis accidere potest, ut quis eximatur a præstatione Decimarum; videlicet privilegio, consuetudine, præscriptione legitima, compositione, remissione, imo & ob gravem paupertatem eorum, qui solutis Decimis non habent necessaria ad se, suosque alendos. Ita Doctores passim; atque desumitur ex diversis textibus Juris, mox singillatim referendis: unde sit.

36. CONCL. II. A præstatione Decimarum potest quis eximi privilegio, non quidem alicujus Principis territorialis laici, aut Episcopi loci, sed privilegio Summi Pontificis. Ita Vallensis *tit. de Decimis* §. 8. & alii. Prima pars habetur, *Tua, & cap. Dudum de Decimis*. Ubi dicitur, neque Imperiali, neque Regali concessione, quempiam a solutione Decimarum eximi, utpote quæ Divina constitutione debentur, & summi tributa egentium animarum. Altera pars ex eo patet: quia Episcopus nequit dispensare in jure communi: nam *lex superioris per inferiorem tolli non potest. Clem. Ne Romani de Elect.* Verum privilegio Pontificio id fieri posse, patet ex *c. Suggestum, & c. Ex parte, & segq. de Decimis*: ubi plura hujusmodi privilegia Cistercienſibus, aliisque concessa referuntur.

37. CONCL. III. Per consuetudinem alicubi legitime introductam similiter potest induci exemptio a præstatione quarundam Decimarum; dummodo adhuc ex aliis Decimis, vel reditibus, tantum super sit; quod sufficiat justæ Sacerdotum sustentationi. Ita Covarruvias *lib. 1. var. Resolut. cap. 17. n. 8.* & alii. Ratio est, quia Decimæ solo Jure Ecclesiastico debentur Clericis secundum quotam; sed secundum substantiam, sive ut sint necessarium stipendium Ministrorum Ecclesiæ, debentur Jure naturali, & Divino; atqui hinc Juri nequit derogari per contrariam consuetudinem, bene tamen priori, *cap. ult. de consuetud.*

38. Hinc valet consuetudo, ut ex quibuldam fructibus, vel bonis, præsertim minutis, v. g. oleribus, fabis, rapis, & similibus, alicubi non solvantur Decimæ, aut saltem non integræ: ideoque Jura, dicentia, quod Decimæ sint solvendæ integræ, intelligenda sunt de integritate solvi solita. Similiter valet consuetudo, ut Clerici nullas solvant Decimas, aut Laici non solvant personales: quinimo Decimas personales, seu ex lucro industriæ, hac ætate nostra ferme in toto orbe Christiano de consuetudine legitimæ præscripta non solvi, notat Navarrus *c. 21. Manual. n. 31.* Usumque in hac Decimarum materia valde variari, ita tamen, ut adhuc Clericis superfit honesta sustentatio, passim observant Doctores.

39. CONCL. IV. Insuper præscriptione rite absoluta potent immunitas a solvendis Decimis obtineri per privatas, seu particulares personas, sive Ecclesiasticas, sive Laicales. Ita Covarruvias *loc. cit. n. 10.* Pirhing *tit. de Decimis n. 129.* & alii. Ratio est: quia, ut dictum, Decimæ debentur Jure duntaxat Ecclesiastico; ergo nihil obstat, quin per contrarium usum legitime præscriptum abrogari possint, & sic immunitas ab eisdem solvendis præscribi; dummodo aliunde habeant Ecclesiæ Ministri congruam sustentationem.

40. Nec dicas: Laicus non potest præscribere jus percipiendi Decimas; ergo neque jus retinendi Decimas, id est, immunitatem ab eis solvendis. Resp. enim negando consequentiam, & paritatem: quia jus percipiendi Decimas est spirituale, cujus Laicus est incapax; jus autem immunitatis, seu exemptionis a Decimis solvendis, non est spirituale: hoc etenim tantum est quædam libertas, & commoditas temporalis integre percipiendi fructus suos, & in nullo titulo spirituali fundatur, ac radicatur.

41. Cæterum immunitas a solvendis Decimis

missione, potest etiam cuipiam competere immunitas a solvendis Decimis. Ita Vallensis *tit. de Decimis*, §. 8. *n.* 5. cum communi. Idque desumitur ex *c. Ex multiplici de Decimis*, junctis *c. Statuimus de Transactionibus*. ubi ejusmodi compositio facta approbatur. Idem de remissione liquet ex *c. Quia circa, de Privilegiis*. Ubi pariter quorundam Decimarum facta remissio, per Papam comprobatur.

43. CONCL. VI. Tandem gravis paupertas, sive tanta, ut solutis Decimis quis non habeat necessaria ad se suosque sustentandos, excusat interim a solutione Decimarum, donec melior fortuna advenerit. Ita Laymann *lib. 4. Tract. 6. cap. 2. nu. 8.* Abbas, Suarez, & alii. Ratio est: quia ob necessitatem tam gravem, generaliter potest differri solutio debiti. Quinimo, si quis tempore Decimarum solvendarum fuerit constitutus in extrema necessitate, prorsus liberatur obligatione eas persolvendi; cum tunc omnia sint communia, & sic ipse consumpserit, quod suum erat. Verum, qui gravem solum necessitatem patitur, is liberatur non simpliciter, sed donec melior fortuna aspiret.

QUÆSTIO IV.

Quibus modis eximatur quis a præstatione Decimarum?

SUMMARIUM.

35 *Variis modis potest quis eximi a præstatione Decimarum.*
36 *I. Privilegio, & quali?*
37 *II. Per Consuetudinem; & quomodo hoc intelligendum?*
38 *Corollaria.*
39 *III. Præscriptione.*
40 *Solvitur instantia.*
41 *Quo tempore immunitas a solvendis Decimis præscribatur? Declaratur cap. 1. de præscript. in 6.*
(c) Ut dictum Tract. 7. Dist. 6. n. 15.
42 *IV. Compositione; & remissione.*
43 *V. Gravi paupertate; & quando?*

35. CONCL. I. Variis modis accidere potest, ut quis eximatur a præstatione Decimarum; videlicet privilegio, consuetudine, præscriptione legitima, compositione, remissione, imo & ob gravem paupertatem eorum, qui solutis Decimis non habent necessaria ad se, suosque alendos. Ita Doctores passim; atque desumitur ex diversis textibus Juris, mox singillatim referendis: unde sit.

36. CONCL. II. A præstatione Decimarum potest quis eximi privilegio, non quidem alicujus Principis territorialis laici, aut Episcopi loci, sed privilegio Summi Pontificis. Ita Vallensis *tit. de Decimis* §. 8. & alii. Prima pars habetur, *Tua, & cap. Dudum de Decimis*. Ubi dicitur, neque Imperiali, neque Regali concessione, quempiam a solutione Decimarum eximi, utpote quæ Divina constitutione debentur, & summi tributa egentium animarum. Altera pars ex eo patet: quia Episcopus nequit dispensare in jure communi: nam *lex superioris per inferiorem tolli non potest. Clem. Ne Romani de Elect.* Verum privilegio Pontificio id fieri posse, patet ex *c. Suggestum, & c. Ex parte, & segq. de Decimis*: ubi plura hujusmodi privilegia Cistercienſibus, aliisque concessa referuntur.

37. CONCL. III. Per consuetudinem alicubi legitime introductam similiter potest induci exemptio a præstatione quarundam Decimarum; dummodo adhuc ex aliis Decimis, vel reditibus, tantum super sit; quod sufficiat justæ Sacerdotum sustentationi. Ita Covarruvias *lib. 1. var. Resolut. cap. 17. n. 8.* & alii. Ratio est, quia Decimæ solo Jure Ecclesiastico debentur Clericis secundum quotam; sed secundum substantiam, sive ut sint necessarium stipendium Ministrorum Ecclesiæ, debentur Jure naturali, & Divino; atqui hinc Juri nequit derogari per contrariam consuetudinem, bene tamen priori, *cap. ult. de consuetud.*

38. Hinc valet consuetudo, ut ex quibuldam fructibus, vel bonis, præsertim minutis, v. g. oleribus, fabis, rapis, & similibus, alicubi non solvantur Decimæ, aut saltem non integræ: ideoque Jura, dicentia, quod Decimæ sint solvendæ integræ, intelligenda sunt de integritate solvi solita. Similiter valet consuetudo, ut Clerici nullas solvant Decimas, aut Laici non solvant personales: quinimo Decimas personales, seu ex lucro industriæ, hac ætate nostra ferme in toto orbe Christiano de consuetudine legitimæ præscripta non solvi, notat Navarrus *c. 21. Manual. n. 31.* Usumque in hac Decimarum materia valde variari, ita tamen, ut adhuc Clericis superfit honesta sustentatio, passim observant Doctores.

39. CONCL. IV. Insuper præscriptione rite absoluta potent immunitas a solvendis Decimis obtineri per privatas, seu particulares personas, sive Ecclesiasticas, sive Laicales. Ita Covarruvias *loc. cit. n. 10.* Pirhing *tit. de Decimis n. 129.* & alii. Ratio est: quia, ut dictum, Decimæ debentur Jure duntaxat Ecclesiastico; ergo nihil obstat, quin per contrarium usum legitime præscriptum abrogari possint, & sic immunitas ab eisdem solvendis præscribi; dummodo aliunde habeant Ecclesiæ Ministri congruam sustentationem.

40. Nec dicas: Laicus non potest præscribere jus percipiendi Decimas; ergo neque jus retinendi Decimas, id est, immunitatem ab eis solvendis. Resp. enim negando consequentiam, & paritatem: quia jus percipiendi Decimas est spirituale, cujus Laicus est incapax; jus autem immunitatis, seu exemptionis a Decimis solvendis, non est spirituale: hoc etenim tantum est quædam libertas, & commoditas temporalis integre percipiendi fructus suos, & in nullo titulo spirituali fundatur, ac radicatur.

41. Cæterum immunitas a solvendis Decimis

missione, potest etiam cuipiam competere immunitas a solvendis Decimis. Ita Vallensis *tit. de Decimis*, §. 8. *n.* 5. cum communi. Idque desumitur ex *c. Ex multiplici de Decimis*, junctis *c. Statuimus de Transactionibus*. ubi ejusmodi compositio facta approbatur. Idem de remissione liquet ex *c. Quia circa, de Privilegiis*. Ubi pariter quorundam Decimarum facta remissio, per Papam comprobatur.

43. CONCL. VI. Tandem gravis paupertas, sive tanta, ut solutis Decimis quis non habeat necessaria ad se suosque sustentandos, excusat interim a solutione Decimarum, donec melior fortuna advenerit. Ita Laymann *lib. 4. Tract. 6. cap. 2. nu. 8.* Abbas, Suarez, & alii. Ratio est: quia ob necessitatem tam gravem, generaliter potest differri solutio debiti. Quinimo, si quis tempore Decimarum solvendarum fuerit constitutus in extrema necessitate, prorsus liberatur obligatione eas persolvendi; cum tunc omnia sint communia, & sic ipse consumpserit, quod suum erat. Verum, qui gravem solum necessitatem patitur, is liberatur non simpliciter, sed donec melior fortuna aspiret.

TRACTATUS XII.

DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA, ET INDULGENTIIS.

1. QUia præsens materia omnibus Clericis scitu valde necessaria existit, ne, quæ proprium statum, & Ecclesiæ sibi concreditæ jura concernunt, culpabiliter ignorent: ea juxta methodum a pluribus Authoribus observatam, in Theologia Morali merito pertractatur. Idipsum, dimissis difficilioribus ad Jus Canonicum Quæstionibus, breviter præstabit præsens Tractatus; ita tamen, ut ad finem ejusdem simul agatur de Indulgentiis.

DISTINCTIO I.

De Immunitate Ecclesiastica ut sic, ejusque Speciebus.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Immunitas Ecclesiastica, & quo jure constituta?

SUMMARIUM.

1 *Ratio Ordinis.*
2 *Munus tripliciter accipitur. Immunitatis etymon.*
3 *Immunitas Ecclesiastica, quid?*
4 *Est triplex. Localis, Realis, & Personalis.*
5 *Certum est Immunitatem Ecclesiasticam esse de Jure Divino quoad ea, qua vere sunt spiritualia.*
6 *Immunitas Ecclesiastica etiam quoad alia est aliqua ratione de Jure Divino.*
7 *Qua ratione hoc fiat, variatis Doctores. I. Sententia.*
(a) Tract. 11. Dist. 4. n. 6.
8 *II. Iuxta conformiter sententia.*
9 *Instantia contra hanc solvitur.*
(b) Tract. 11. Dist. 4. n. 14. & seqq.

2. IMMunitas sic dicitur a *munere*. Munus enim tripliciter accipitur. I. Pro dono: sic munera dari, mittive dicuntur. II. Pro officio: unde Munera militaria, Munera civilia, qualia solent esse conjuncta cum honore. III. Pro obligatione, seu functione cuipiam imposita: quo modo & *Municeps*, quasi communium onerum, seu *munerum particeps* dicitur. Et *Munera* sic accepto opponitur *Immunitas*, quæ est exemptio, sive liberatio ab ejusmodi obligationibus, & oneribus. Hæc ad propositum applicando, sit

3. CONCL. I. *Immunitas Ecclesiastica* est exemptio, sive jus, quo Ecclesiæ, res, & personæ Ecclesiasticæ, a publicis muneribus seu oneribus sæcularibus liberæ sunt. Ita Doctores passim, & patebunt singula ex dicendis.

4. CONCL. II. Ejusmodi Immunitas recte dividitur in localem, realem, & personalem. Ita communis. Et quidem *Immunitas localis* est, quæ convenit Ecclesiis, aliisque locis Ecclesiasticis. *Realis*, quæ competit rebus Ecclesiasticis; id est, bonis ad Ecclesiam, vel personas Ecclesiasticas pertinentibus. *Personalis tandem*, quæ debetur personis Ecclesiasticis.

6. CONCL. III. Certum est, quod Clerici, Ecclesiæ, earumque bona, si spectentur quoad ea, quæ vere & propriè spiritualia sunt, Jure Divino sunt exempta a jurisdictione & potestate sæculari. Ita Covarruvias *Tract. Quæstion. cap.* 31. *num.* 2. *Conclus.* 1. Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccl. univ. cap.* 39. §. 2. *num.* 6. & communis aliorum. Exemplificatur hoc de Sacramentis, quorum cognitio ad solum judicem Ecclesiasticum pertinet; adeo quidem, ut juxta Concilium Trid. *Sess.* 24. *canon.* 12. *Si quis dixerit, Causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit.* Idem accidit in Donis supernaturalibus spiritualibus, in Beneficiis Ecclesiasticis, in rebus sacris, & aliis similibus, ad quorum decisionem supernaturalis cognitio requiritur. Ratio est: quia super his nullam omnino potestatem a DEO acceperunt Principes sæculares (his quippe tota potestas sua immediate a Republica communicatur) sed ad talia dijudicanda per Christum supernaturaliter instituta fuit potestas Ecclesiastica, & tradita D. Petro, *Joan.* 21. ibi: *Pasce oves meas*; ejusque legitimis Successoribus, ac per hos cæteris Ecclesiæ Prælatis.

6. CONCL. IV. Etiam quantum ad alia prorsus concedendum est, quod immunitas Ecclesiastica, seu exemptio Clericorum, Ecclesiarum, rerumque Ecclesiasticarum, aliqua ratione sit de jure Divino. Desumitur hoc ex diversis textibus Juris, dictam immunitatem esse juris Divini clare attestantibus. Loquendo enim de personali exemptione Clericorum, eam haberi de jure Divino, patet ex *cap. Si Imperator dist.* 96. & *cap. Sylvester* & *cap. Relatum* 11. *q.* 1. cum concordantiis. Deinde generatim loquendo de exemptione, seu immunitate Ecclesiarum, habetur textus clarissimus *cap. Quamquam de Censibus in* 6. ibi: *Cum igitur Ecclesia, Ecclesiasticaque persona, ac res ipsarum, non solum jure humano, quin & Divino, a sæcularium personarum exactionibus sint immunes.* Et ibidem Glossa v. *Divino*, probat hoc ex *Genes. cap.* 47. Ubi Pharao Rex Ægypti terram Sacerdotum fecit immunem & liberam, ne tenerentur cum aliis quintam partem fructuum solvere Regibus. Unde & in veteri Lege Sacerdotes & Levitæ, erant exempti a jurisdictione sæculari aliarum Tribuum, & obligatione solvendi tributa. His accedit Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 20. *de reform.* ubi ait, *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam.* Concordat *cap. Nimis, de Jurejurando*, junctis variis Conciliis.

7. Dicitur notanter in Conclusione *aliqua ratione sit de Jure Divino*. Siquidem in hoc amplius declarando variant Doctores. Et quidem non pauci volunt, ejusmodi exemptionem non esse de jure divino obligante, sed solum a Lege humana, seu per privilegia in Corpore utriusque juris clausa: dici tamen quadam ratione esse de Jure Divino, scilicet originaliter & initiative, quatenus Legi naturali valde conformis est; atque a veteri Lege Divina originem duxit; prout in simili superius (a) dictum est, Decimas Divina constitutione deberi. Et hujus sententiæ sunt Covarruvias *loc. cit. num.* 2. *Concl.* 3. Lessius *lib.* 2. *de just. & jure, cap.* 33. *num.* 30. Molina, Garzias, & plures alii, quos citat Barbosa *cit.* §. 2. *n.* 1.

8. Alii e contra probabilius, Jurisque conformius esse censent, Clericos etiam in temporalibus Jure Divino a Civili Potestate exemptos esse; prout fortiter urgent textus *num.* 6. relati, atque tenet Glossa *cap. Si Imperator dist.* 96. & *cap. Quamquam de Censib. in* 6. Abbas *cap. Ecclesiæ S. Mariæ num.* 6. *de Constitut.* Barbosa *cit. cap.* 39. §. 3. *num.* 5. & rursus §. 5. *num.* 3. pro hac sententia allegans decisionem Rotæ, & plurimos Doctores; Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 8. *num.* 1. Engel *tit. de Immunit. Eccles. num.* 23. alique communius; quibus noviissime accessit Prosper Fagnanus *capit. Ecclesia S. Mariæ n.* 10. *de Constit.* asserens, quod *etobrior gravissimorum interpretum sententia est, eam exemptionem esse de Jure Divino.*

9. Neque obstat allata instantia de Decimis; nam Decimas etiam hodie esse Juris Divini, quatenus requiruntur ad necessariam Ministrorum Ecclesiæ sustentationem superius (b) jam dictum est. Verum de hoc plura Canonistæ,

QUÆ-

QUÆSTIO II.

In quibus consistat Immunitas localis, sive Ecclesiarum.

SUMMARIUM.

10 *Immunitas localis consistit in duobus; & quibus?*
11 *Judicia sæcularia prohibentur fieri in Ecclesiis, vel Cœmeteriis, sub nullitate actus.*
12 *Secus dicendum de Judiciis Ecclesiasticis.*
13 *Solvitur instantia.*
Quid magis deceat?
14 *In Ecclesiis, ac Cœmeteriis, facere contractus &c. non licet.*
15 *Sed si fiant, non sunt irriti.*
16 *Quid de venditione candelarum?*
17 *Ibidem prohibentur fieri Comœdiæ sæcularia, Confabulationes, &c.*
18 *Comœdiæ profanæ.*
19 *Comessationes, vel accubitus, &c.*
20 *Musica impura, ennesiquæ actiones sæculares.*
21 *Quid de Disputationibus?*
22 *Violentia Ecclesiis non est inferenda.*
Pœna contra facientem.

10. CONCL. I. Immunitas localis (quam alii appellant *Immunitatem Ecclesiarum*, sub his etiam comprehendendo Cœmeteria, & alia loca Religiosa) consistit in duobus, videlicet, ut actus profani, & sæculares ab Ecclesiis arceantur: deinde, ut malefactores ad Ecclesias confugientes, ibidem in vita & membris protegantur, neque violenter inde extrahi possint. Et quidem de hoc posteriori fusius decetur *Dist. sequenti*; quantum vero ad primum attinet, sit

11. CONCL. II. Imprimis in Ecclesiis, earumque Cœmeteriis, prohibitum est, exercere Judicia sæcularia; adeo quidem, ut totus Processus judicialis, & sententia super causa sæculari ibidem lata, ipso jure irrita, & nullius roboris existat. Ita expresse statuitur *c. Decet 6. fin. de Immun. Eccles. in 6.* ac tenens Doctores communiter. Et hoc quidem procedit non solum de causis criminalibus, sed etiam de civilibus, quæ ad Forum sæculare pertinent; uti patet ex textu. Maxime tamen Immunitati Ecclesiarum repugnat, atque *absurdum est, & crudele, si judicium sanguinis ibi exerceatur, ubi est tutela refugii constituta*, ubi dicitur *c. Cum Ecclesia de Immun. Eccles.* Ubi proinde, præter nullitatem processus, etiam sub pœna excommunicationis prohibetur agitare causas sanguinis in Ecclesia, vel Cœmeterio.

12. Dicitur notanter, *Judicia sæcularia*. Siquidem Ecclesiastica Judicia ibidem valide, & licite tractari possunt, *arg. c. Quæ frontis de Appell.* & docet Glosia communiter recepta *cit. c. Decet* ℣. *Sæcularium de Immunit. Eccles. in 6.*

13. Nec dicas. Judicia Ecclesiastica prohibentur exerceri in loco sacro. Resp. enim negando consequentiam & paritatem: nam æque, imo plus decet, ut Clerici in Forensibus actibus non occupentur diebus Festivis ac Laici. At loquendo de loco, Ecclesia præsumere potuit, Judicia Ecclesiastica cum minori strepitu, minorique tempore expediendo fore, quam sæcularia: simulque Judicem Ecclesiasticum majorem curam adhibiturum, ut omnia fiat in reverentia loci sacri fiant. Fatendum tamen, magis decens esse, ut etiam Ecclesiastica Judicia non in Ecclesia, quæ domus est orationis, non jurgiorum, sed in Palatio Episcopali, aut alio competenti loco fiant. Pirhing *tit. de Immun. Eccles. n. 7.*

14. CONCL. III. Insuper prohibitum est in Ecclesiis, eorumque Cœmeteriis, facere contractus, vel negotiationes, aut nundinas instituere. Ita communis; & habetur *cit. cap. Decet. de Immun. Eccles. in 6.* ibi: *Cessent in Ecclesiis, eorumque Cœmeteriis negotiationes, ne fori cujuscunque tumultus.* Idque merito statutum est ad exemplum Christi Domini, qui ingressus in Templum Dei, *ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit, & dicit eis: scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Matth. 21.*

15. Licet autem contractus in Ecclesiis facere sit prohibitum, iidem nihilominus de facto initi valent: nam nullo jure irritantur, sicut *cit. c. Cum Ecclesia de Immun. Eccles.* cassantur Judicia sæcularia. Simulque isthæc Constitutio, cum sit penalis, non est extendenda ad contractus, & notat Glosia passim recepta *cit. c. Decet* ℣. *Processus.*

16. Cæterum in Templis vendere candelas, si id fiat ad Fidelium devotionem promovendam, non est illicitum. Azorius *part. 2. lib. 9. c. 9. q. 5.* Angelus, & alii. Nam prohibetur quidem omnis negotiatio, vel contractus, qui sit lucri gratia, aut Divina Officia perturbat, vel impedit: hoc tamen non accidit in venditione candelarum causa promovendæ devotionis Fidelium.

17. CONCL. IV. Ulterius in Ecclesiis prohibentur fieri *Concilia, Conciones, & publica Parlamenta* (intellige, quando talia fiunt de rebus mere temporalibus, & sæcularibus; nam Concilia, & Conventus de rebus Ecclesiasticis, aut ad pietatem spectantibus, recte ibidem instituuntur). Item *confabulationes qualibet, & quacunque alia quæ Divinum possunt turbare Officium, aut oculos Divinæ Majestatis offendere.* Ita his ipsis verbis habetur *cit. c. Licet eod. in 6.*

18. Deinde Comœdiæ profanæ, ac ludi Theatrales, penitus in Ecclesiis fieri prohibentur; non obstante quacunque consuetudine contraria, quæ potius corruptela dicenda est, *c. Cum dicerem, de Vita & honest. Cler.* Quamvis pia & honesta spectacula ibidem exhiberi valeant. Pirhing *l. c. nu. 4.* post Sylvestrum, & alios.

19. Item *non oportet in Basilicis, seu Ecclesiis agapem facere, & intus manducare, vel accubitus facere, c. Non oportet, dist. 42.* Neque inter Ecclesiam possunt supellectilia reponi; nisi id necesse sit propter hostiles incursus, aut alias necessitates, quibus tamen cessantibus ad pristina loca reportari debent. *arg. c. Oratorium dist. 42.* & tradit Azorius *l. c. q. 8.*

20. Tandem novissime Concil. Trid. *sess. 22. in Decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ*, statuit, ut Ordinarii locorum *ad Ecclesias musicas eas, ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum aliquid infectur, item sæculares omnes actiones, vana, atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant; ut Domus Dei vere domus orationis esse videantur, ut dici possit.*

21. Quæres; an licitum sit, Disputationes in Ecclesiis habere? Resp. affirmative: quia scientia est donum Dei, & res *sancta. arg. L. 1. ff. de Variis & extraord. cognitio.* ibi: *Et quidem res sanctissima, civilis sapientia.* Abbas *c. Cum Ecclesia de Immun. Eccles.* Azorius *loc. cit. quæst. 4.* Pirhing *nu. 11.* & alii.

22. CONCL. V. Ad Immunitatem Ecclesiarum pertinet etiam, ne quis ei violentiam inferat, infringendo earundem fores, vel ipsas spoliando suis bonis, aut hujusmodi quidpiam attentando. Patet hoc ex *c. Omnes & c. Quisquis 17. q. 4.* cum concordantiis; ubi tales judicantur sacrilegi. Quinimo Ecclesiarum Dei violatores, sive cum effractione spoliantes Ecclesias, ipso jure excommunicati sunt *arg. c. Canonica 11. qu. 3. & c. Sicut 17. q. 4. & c. Conquestus de Sent. excom.* juncto Glossa *ibidem*, ℣. *excommunicatos nunciatis.*

QUÆSTIO III.

De Immunitate reali, & personali.

SUMMARIUM.

23 *Immunitas realis, & personalis, in quo consistat?*
24 *Bona Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, sunt triplicis generis. I.*
(c) Conformiter dictis num. 6. & seqq.
25 *II. ac 26. III. Declaratur.*
27 *Bona Clericorum patrimonialia, an gaudeant Immunitate?*
(d) Ut dictum n. 6. & seqq.
28 *Quid de bonis Feudalibus?*
29 *Aut si fundator in bonis Ecclesiæ reservavit sibi certam pensionem?*
30 *Quid loquendo de oneribus antiquis.*
31 *An etiam novis, sive postea imponendis?*
32 *Laici non possunt etiam in communibus necessitatibus, novas collectas Ecclesiis, & Clericis imponere?*
33 *An possint præstari absque ulla exactione Laicorum?*
34 *Quæ conditiones requirantur, ut Ecclesiæ & Clerici in communibus necessitatibus contribuere teneantur.*

23. CONCL. I. Immunitas rerum & personarum Ecclesiasticarum (quam alias *realem*, & *Personalem* appellant) generatim consistit in hoc, quod res, atque personæ Ecclesiasticæ, a jurisdictione sæcularium Magistratuum, eorumque exactionibus, & oneribus immunes sint, & liberæ. Ita omnes Theologi, Canonistæ, & Juris consulti Catholici; estque definitum in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. c. 19. & refertur *c. Non minus de Immunit. Eccles.* ubi etiam Laici collectas Clericis, vel Ecclesiis imponentes, aut jurisdictionem ipsorum usurpantes, & moniti non desistant, una cum fautoribus suis ipso facto excom-

communicantur. Concordat Concilium Generale sub Innocentio III. *c. 46.* relatum in *c. Adversus eod.* junctis *c. quia nonnulli eod. in 6.* & *Clem. un. eod.* cum concordantiis.

24. Hæc Conclusio ut melius intelligatur sciendum, quod bona Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum, triplicis generis distingui possint. Primi generis sunt ipsemet Ecclesiæ materiales, una cum Cœmeteriis; item vasa sacra, vestes, & quæcunque consecrata, sive benedicta sunt, tanquam Divini Cultus instrumenta. Et de his certum est, atque ab omnibus (c) concessum ea Jure Divino esse exempta a jurisdictione, & quibuscunque exactionibus Magistratuum sæcularium, nullam enim temporalem utilitatem habent, quæ in æstimationem venire possit; utpote cum ad Divini Cultus ministerium specialiter dedicata, nullis aliis humanis usibus applicari possint, juxta *Reg. 81. Juris in 6. Semel Deo dedicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.*

25. Alterum genus complectitur bona Ecclesiarum tum immobilia, tum mobilia, quæ sive a Fundatoribus, sive ab aliis Fidelibus, ad honorem Dei oblata seu donata fuerunt, ut per Prælatos Ecclesiarum in pios usus, utputa in ornatum Ecclesiæ, ac Ministrorum ejus sive pauperum sustentationem convertantur. Et de hisce bonis procedere dictam Decretalem, *Non minus*, cum concordantiis, convenunt pariter Doctores, eo quod sint Deo oblata, atque ad cultum ipsius specialiter destinata; sicque non nisi in pios usus convertenda (quod secus foret, si per exactiones Sæcularium gravarentur, atque diminuerentur) cum sint res Dei, & *Sanctum Sanctorum Domino, cap. Nullis 12. q. 2.* & alibi.

26. Tertium bonorum genus est eorum, quæ ad Ecclesiam, aut Personas Ecclesiasticas, pervenerunt aliis titulis, sive causis; utputa emptione, hæreditate, arte, labore manuali, aut alio quopiam titulo temporali. Et de his, præcipue vero de bonis patrimonialibus Clericorum, posset nonnulla moveri difficultas: sit tamen

27. CONCL. II. Non solum bona Ecclesiæ quocunque justo titulo acquisita, sed etiam bona patrimonialia Clericorum, gaudent Immunitate ab extraordinariis collectis, & jurisdictione sæculari, atq; potiuntur privilegio Fori. Ita communis Doctorum, uti testatur Barbosa *lib. 1. Juris Eccles. univ. c. 39. §. 5. n. 6.* Layman *lib. 4. tract. 9. c. 6. n. 9.* Pirhing *tit. de immun. Eccles. n. 62.* Engel *nn. 24.* cum aliis. Et hoc aperte desumitur ex Juribus *n. 6.* allegatis, utpote quæ de rebus Ecclesiæ, & Ecclesiasticarum personarum, indistincte, atque pariformiter loquuntur. Accedit ratio: quia *accessorium naturam sequi congruit principalis*, juxta *Reg. 62. Juris in 6.* cum concordantiis. Simulque magis dignum trahit ad æminus dignum *arg. c. Quod in dubiis de Constit. Eccl.* Atqui dicta bona sunt quid accessorium ad personas Ecclesiasticas, simulque hæ multo digniores illis; ergo. Quinimo Magistratus sæculares nihil posset statuere circa ejusmodi bona patrimonialia Clericorum, nisi obligando simul ipsamet eorum personas: sed has gaudere Immunitate Ecclesiastica, fatentur omnes Catholici. (d) Et hæ rationes a pari, vel etiam a fortiori, militant de bonis Ecclesiarum tertii generis: nam, ut dicitur *l. Qua religiosis ff. de Rei vendic. Qua religiosis adhærent, religiosa sunt.*

28. Limitatur hactenus allata doctrina in nonnullis casibus. Et 1. quidem in bonis Feudalibus: nam hæc non pleno jure transeunt in Clericum, aut Ecclesiam, sed dominus directus, qui eadem concessit, præter dominium ipsorum directum certas sibi conditiones & jura reservat; quæ proinde a Clericis, atque Ecclesiis, erunt observanda. Unde pariter, si Ecclesia, vel Clericus, a sæculari domino, v.g. Imperatore Feudum habeat, ac super jure Feudi quæstio inter Clericum & Laicum emerserit, ea non per judicem Ecclesiasticum, sed per dominum Feudi erit terminanda, prout decisum habetur *c. ex transmissa* & *c. Verum de Foro competenti.* Hinc respectu sæcularis Feudi Ecclesiæ, vel Clericus, non gaudet privilegio Fori, sed tenetur coram sæculari domino Feudi judicium subire: & convenitur coram eo in actionibus tam realibus, quam personalibus Feudum concernentibus.

29. Limitatur II. Si Fundator, seu Patronus, v.g. Princeps territorialis in ipso Fundationis limine sibi certam pensionem, sive annuos reditus, in bonis Ecclesiæ attributis reservasset, atque ipsos Episcopus ante consecrationem Ecclesiæ eidem constituisset *arg. c. Præterea de Jure patron.* Ubi Patronis permittitur in Ecclesiis *antiquos & moderatos reditus a locorum Episcopis institutos exigere.* Postquam autem Ecclesia jam ædificata, dotata, & consecrata est, novi census eidem imponi non possunt, nec veteres augeri *c. Prohibemus eod.* cum concordantiis. Quod si secus fiat, illud irritum erit.

30. Li-

30. Limitatur III. Quoad onera antiqua, seu quæ rebus, antequam ad Ecclesiam quocunque titulo devenissent, prius jam imposita fuerunt: nam quælibet res transit cum suo onere, *arg. c. Ex lustr. de Pignoribus*, & alibi. Hinc Ecclesia, vel Clericus tenetur ad hujusmodi onera antiqua præstanda, dummodo ea sint vera, & realia, id est, ipsis fundis seu bonis infixa, perpetua, certa, & determinata, *arg. c. 1.* juncta Glossa *v. Senioribus de Censibus.* Et in hoc sensu procedit textus *c. si tributum 11. q. 1.* ibi: *Agri Ecclesiæ solvunt tributum:* Et illud *c. Tributum 23. q. 8. Quia de exterioribus Ecclesia, quod constitutum antiquitus est, propace & quiete, qua nos tueri, & defensare debent, Imperatoribus persolvendum est.*

31. Dicitur, *quoad onera antiqua*; sive, ut Canone proxime relato dicitur, *quod constitutum antiquitus est.* Nam loquendo de oneribus novis, seu quæ imponuntur bonis Ecclesiarum, vel personarum Ecclesiasticarum eo tempore, quo bona illa jam spectabant ad Ecclesias vel personas Ecclesiasticas, ab ejusmodi oneribus hæ prorsus immunes sunt, per textus *n. 6.* allegatos. Et quamvis Barrolus *in l. Rescripto §. fin. n. 5. de Minoribus* teneat, Principes Laicos posse efficere tributaria, & allecta omnia prædia eorum Territorii, ita ut cum exinde ad Ecclesias pervenerint, obnoxia sint collectis postea imponendis: tamen ejus cautelam esse falsam, & contra immunitatem Ecclesiæ, & ab omnibus communiter reprobatam, ait Fagnanus *in c. Non minus n. 11. de Immun. Eccles.* post Baldum, & Rotam, quos citat.

32. CONCL. III. Etiam in communibus necessitatibus, & utilitatibus Reipublicæ, prohibitum est Laicis sub pœna excommunicationis, novas exactiones seu collectas Ecclesiis, aut Clericis imponere. Ita hodie clarissime habetur in Bulla Cœnæ Domini, ubi §. 18. imponentes collectas Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, ipso facto excommunicantur. Idipsum jam ante hac prohibitum fuerat in Concilio Lateranensi, sub Alexandro III. ac refertur *c. Non minus de Immun. Eccl.* ubi contra oppositum attentantes, sic statutum legitur: *Quicunque sub anathematis districtione seri de cætero alia prohibemus: nisi Episcopus, & Clerus tantam necessitatem, vel utilitatem asperxerint, ut absque ulla exactione ad relevandas communes utilitates, vel necessitates, ubi Laicorum non suppetunt Facultates subsidia per Ecclesias exactiones conferenda.* Hæc ibi.

33. Dicitur, *absque ulla exactione.* Nam illud absque ulla exactione, ac sponte per Ecclesias, ex arbitrio Episcopi, qui dictam necessitatem inspicere debebat, olim conferendum erat; ita ut ex *Laici humiliter & devote recipient cum gratiarum actione*, prout declaratum fuit in Concilio Generali sub Innocen. III. & refertur *c. Adversus eod.* Ubi tamen judicium super his denuo admittur Episcopis, atque præcipitur, ut *propter imprudentiam quorundam, Romanus Pontifex prius consulatur; cujus interest communibus utilitatibus providere.*

34. CONCL. IV. Ut in casu communium necessitatum, vel utilitatum Ecclesiæ, & Clerici contribuere debeant, plures requiruntur conditiones, ex allegatis textibus juris desumptæ. I. Ut necessitas, vel utilitas sit publica. II. Ut Episcopus, & Clerus super hoc deliberent. III. Ut dicta necessitas, vel utilitas, sit communis, tam Laicorum, quam Clericorum. IV. Ut ad eas relevandas non sufficiant Facultates Laicorum. V. Ut contributio ab Ecclesiasticis fiant sponte, & sine aliqua exactione seu compulsione Laicali: unde talis contributio, seu collecta, non debet imponi authoritate Magistratus sæcularis, sed Ecclesiastici; simulque ad eam solvendam Clerici non sunt compellendi per Judicem sæcularem, sed per Ecclesiasticum. VI. Ut, nisi Clericum in mora fuerit, desuper Romanus Pontifex consulatur. Ita desumitur ex *cit. c. Non minus* & *c. Adversus de Immun. Eccl.* junctis *Clem. un. eod.* in fin. prout fusius explicat Fagnanus *c. Non minus n. 22. & seqq.* ac tenent alii Canonistæ.

DL

DISTINCTIO II.

De Jure Asylorum.

QUÆSTIO I.

Quo jure, quibusque locis competat Privilegium Asyli?

SUMMARIUM.

(a) Dist. 2. n. 2.
1 *Immunitas localis, in quibus consistat?*
2 *Privilegium Asyli non ab Jure Divini, sed humano.*
3 *Solvitur instantia.*
(b) De hoc Tract. 2. Dist. 2. q. 1.
4 *Circa jus Asyli magnam vim habet consuetudo.*
5 *Privilegio Asyli gaudent omnes Ecclesiæ, Etiam interdictæ, vel pollutæ.*
6 *Item Cœmeteria, Sacristia, turres, atque atria Ecclesiarum.*
7 *Notabilis instantia solvitur.*
Ecclesia aliter sumitur in materia Immunitatis, quam violationis.
8 *An gaudeat Immunitate tenens januam Ecclesiæ, vel ejus parietem?*
9 *Immunitas an gaudeat spatium 30. vel 40. passuum circa Ecclesiam?*
10 *Monasteria, Hospitalia, Oratoria &c. gaudent Immunitate; & quæ?*
11 *Rei cur potius confugiant ad Monasteria, quam alia loca sacra.*
12 *Confugiens ad Sacerdotem SS. Eucharistiam portantem, gaudet Immunitate.*
13 *Solvitur instantia.*
Et hoc amplius extenditur.
14 *Quid de Reo Eucharistiam sumente? Vel fugiente ad Sacerdotem S. Oleum portantem?*

1. IMmunitas localis, ut jam superius (a) dictum, consistit in duobus: videlicet, ut actus profani & sæculares arceantur ab Ecclesiis; & ne malefactores adeas, aliaque pia loca confugientes, in vita & membris protegantur, neque inde violenter extrahantur. Siquidem tum per Leges Civiles, tum sacros Canones, speciale privilegium Ecclesiis, aliisque piis locis, ob majorem eorum reverentiam, concessum est, ut delinquentes, qui ad illas tanquam ad Asylum confugiunt, per vim extrahi non possint. Et de hoc loquendo, sit

2. CONCL. I. Privilegium Immunitatis, seu Asyli Ecclesiastici, non est Juris naturalis, aut Divini, sed humani duntaxat, Civilis ac Ecclesiastici. Ita Covarruvias *lib. 2. variar. Resol. c. 20. n. 2.* Pirhing *tit. de Immun. Eccl. n. 15.* & communior aliorum. Idque deducitur ex *c. inter alia de Immunitate Ecclesiarum* ibi: *Juxta statuta sanctæ Canonum, & traditionis Legum Civilium, spectans ad Ecclesiam &c.* Accedit ratio: quia licet jure naturali, ac Divino Deus sit colendus, & reverentia Locis sacris exhibenda; non tamen inde necessario infertur, hos fieri debere, Immunitatem Reis ad Ecclesiam confugientibus præstando: partim quia etiam crimina esse coercenda jure naturali, ac Divino ratiuntur: partim quia reverentia Locis sacris jure Divino, & naturali debita, satis observaretur per hoc, quod actus profani & sæculares inde arcentur.

3. Nec obstat, quod jam in Lege veteri Deus præceperit Civitates refugii esse constituendas, *Exodi 21. n. 13.* & *Deut. 19.* simulque etiam Gentiles ex instinctu naturæ aliqua Loca designaverint, quæ vocabantur *Asyla*; atque ipsum Concilium Trid. *sess. 25. c. 20. de Reform.* asserat, *Ecclesia, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam.* Resp. enim, Leges veteris Testamenti, quæ morales non fuerunt, sed tantum cæremoniales, aut judiciales, per adventum Christi expirasse. (b) Unde Jus Asyli jam non habetur veteris legis obligatione, sed solum ad quandam ipsius similitudinem, & secundum congruam juris naturalis æquitatem (quam etiam Gentiles agnoverunt) de facto per sacros Canones, ac Leges Imperatorias, Ecclesiis aliisque Locis sacris concessum fuit. Nec obstat Concilium Trid. *l. c.* Nam, ut concordentur jura juribus, loquendo de immunitate Asyli, plus non vult, quam Asyla ad imitationem veteris Legis, atque instinctu Divino, acceptaque a Deo authoritate, per Canonicas Sanctiones constituta esse.

4. In-

4. Infertur proinde cum Barbosa *l. 2. Juris Eccl. univ. c. 3. n. 81.* Engel. *tit. de Immun. Eccl. n. 9.* Covarruvias, & alius, quod circa hanc Immunitatem Ecclesiasticam, seu jus Asyli, habeat magnam vim consuetudo, ac propterea ad eam multis in casibus judices recurrere debeant. Nam, quia hæc Immunitas non est Juris naturalis, aut Divini, sed humani duntaxat, consequenter contrariam consuetudinem admittit, *arg. c. ult. de Consuetud.*

5. CONCL. II. Privilegio Asyli gaudent omnes Ecclesiæ, sive consecratæ, sive nondum consecratæ, dummodo authoritate Episcopi benedictæ fuerint, aut alia ratione, aut puta erectione Crucis, ad publicum Missæ Sacrificii usum deputatæ; prout liquet ex *c. Ecclesia de Immun. Eccl.* Idque procedit, etiamsi Ecclesia illa sit interdicta, vel polluta, & necdum reconciliata: quia tales Censuræ, aut impedimenta Juris, utpote pœnalia & odiosa, non oportet extendere ultra casus a Jure expressos. Pirhing. *l. c. n. 3.* Sylvester, & alii.

6. Præterea jure Asyli gaudent Cœmeteria, una cum fabricis ad Templi structuram attinentibus; ut est Sacristia, Turris, Atrium, Porticus, atque Ambitus: quia hæc omnia vel spectant ad Ecclesiæ fabricam, vel ei sunt annexa. Quinimo Cœmeterium authoritate Episcopi designatum, & sacratum, obtinet privilegium Immunitatis, etiamsi sit separatum ab Ecclesia. Barbosa. *l. c. n. 63. & seqq.*

7. Nec dicas, Si super tectum Templi, aut in ejus Turri, vel Sacristia, sive subtus Ecclesiam in caverna committitur injuriosa humani sanguinis, vel seminis effusio, non pollui Ecclesia; ut notat Glossa communiter recepta *in c. duo. de Consecr. Eccl. in 6.* ergo neque gaudent isthæc loca jure Asyli. Negatur enim consequentia: nam quando agitur de violatione, sive pollutione Ecclesiæ, nomen Ecclesiæ stricte accipiendum est pro solo spatio, sive ambitu interiore: eo quod materia hæc sit quasi pœnalis, & odiosa. E contra dum sermo est de privilegio Asyli, quod est favorabile & gratiosum, nomen Ecclesiæ accipiendum est late; quo sensu omnia ei annexa, & cohærentia: nam *odia restringi, & favores convenit ampliari, juxta Reg. 15. Juris in 6.*

8. Huc facit *c. si quis consuluit 17. qu. 4.* ubi puniri jubetur, qui fugientem *de atrio Ecclesiæ, vel de porticibus quolibet modo Ecclesiæ adhærentibus per vim extraxerit.* Quinimo hac ipsa de causa gaudet Immunitate, nec potest violenter abstrahi, qui clausam Ecclesiam reperiens, ejus januam vel seram apprehendit; quia jam censetur existere in Loco sacro. Barbosa *ibid. n. 65.* Bonacina *disp. 2. de Bulla Cœnæ, q. 3. punct. 16. n. 19.* & alii. Et hoc extendunt non pauci Doctores ad illum, qui parietem Ecclesiæ exteriorem tangit: nam privilegia Immunitatis sunt amplianda; simulque talis censetur adhærere Loco sacro. Diana *part. 3. tract. 1. resol. 73.* post Aloysium Riccium, & Bonacina *disp. 3. in Decal. q. 3. punct. 4. n. 5.* citans plures alios; quamvis non desint oppositum tenentes quoad hoc posteriùs.

9. Insuper dicta Immunitas non tantum Ecclesiis, sed etiam spatio quadraginta passuum circa majorem sive matricem Ecclesiam & spatio triginta passuum circa minores Ecclesias, concessum legitur *c. sicut antiquitus* & *c. Dominus 17. q. 4.* Verum hoc non habere locum quoad Ecclesias intra Castella, sive muros Civitatum constructas, desumitur ex *c. Quisquis 17. q. 4.* ibi: *Capella, quæ sunt intra ambitum murorum castellorum, non ponuntur in hac triginta passuum observatione;* & post Archidiaconum notat Covarruvias *l. 2. var. resol. c. 20. n. 5.* Cum quo etiam notant plerique Doctores, istam Immunitatis ad quadraginta, vel triginta passus extensionem, de consuetudine vix alicubi observari; quamvis Fagnanus *c. Ecclesia num. 20. de Immun. Eccl.* referat, quod S. Congregatio Cardinalium indistincte servari jusserit Immunitatem per circuitum dictorum passuum, saltem in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis.

10. CONCL. III. Insuper Monasteria, seu Domus Religiosorum, & eorum horti, areæ, & quæcunque intra Monasteriorum septa continentur; nec non Hospitalia, aut Oratoria auctoritate Episcopi constituta (secus, si Oratoria non sint constructa authoritate Episcopi) atque omnia alia Loca, religioni aut pietati destinata, dummodo eadem auctoritate Episcopi fundata fuerint, gaudent privilegio Asyli. Ita Barbosa *loc. cit. n. 67. & seqq.* Fagnanus *cit. c. Ecclesia n. 23. & seqq.* & alii; Idque patet tum *ex l. Patronæ C. Debit. qui ad Ecclesias confugiunt*: tum ex *c. Ad constitutionem 17. q. 4.* cum concordantibus; ac præsertim ex Bulla Gregorii XIV. quæ incipit: *Cum alias 1591.* desuper emanata, ibi: *Monasteriis, Domibus, locisque sacris, aut religiosis.*

11. Nec dicas, Si omnia hujusmodi Lo-

ea religiosa gaudent Immunitate Ecclesiastica, cur ergo communiter Rei confugiunt ad Monasteria, non vero ad Ecclesias, quarum tanta est multitudo? Resp. Id præcipue fieri ob majorem Asyli amplitudinem & commoditatem, quæ habetur potius intra septa Monasteriorum, quam in Ecclesiis, vel aliis Locis religiosis; quamvis revera & hæc gaudeant privilegio Immunitatis, seu jure Asyli Ecclesiastici.

12. CONCL. IV. Reus confugiens ad Sacerdotem, manibus Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum portantem extra Ecclesiam, gaudet jure Asyli. Ita Abbas Panormit. *c. sane de Celebr. Missar.* Engel *tit. de Immun. Eccles. n.* 12. Barbosa *cit. c.* 3. *n.* 69. allegans pro hac sententia plurimos Doctores; quamvis Covarruvias *n.* 6. non nihil de hoc dubitet. Ratio est: quia Sanctissimum Corpus Christi est longe dignius, quam Ecclesia materialis; simulque ipsis Ecclesiis conceditur hoc privilegium propter Corpus Christi; ergo multo magis huic, sive Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento: nam *Propter quod unumquodque tale, & illud magis tale.*

13. Nec obstat, quod de hoc non habeatur textus clarus in Jure. Siquidem præsens materia est favorabilis, sicque extendenda; & alioquin privilegium extenditur ad casum non expressum, quando ex mente Privilegiantis potest ille casus comprehendi. Et hæc de causa illud intelligunt Doctores non solum in casu, quo quis Sacerdotem, vel hostiam Baldachini apprehenderit, sed etiam, si le personis adorantibus Sanctissimum Sacramentum immiscuerit; quia omnes illæ cum Sacerdote Sanctissimum deferente unam Ecclesiam constituunt, quibus proinde favor iste concessus intelligitur.

14. Neque hinc sequitur, quod etiam captivus fugiens Eucharistiam gaudeat Immunitate. Siquidem privilegium Asyli conceditur fugientibus ad Ecclesiam, vel Eucharistiam; captivus autem non potest ad eam fugere, bene tamen Sanctissimo Sacramento ut Viatico, & spirituali Cibo animæ refici. Multo minus confugiens ad Sacerdotem, sacrum oleum ad infirmos deportantem, gaudebit immunitate; cum huic neque Jus faveat, neque pæritas, sive ratio faciendæ extensionis. Barbosa *ibid.* cum aliis.

QUÆSTIO II.

Quæ personæ gaudeant jure Asyli Ecclesiastici?

SUMMARIUM.

15 *Rei ad Asyla fugientes, varii.*
16 *Fideles Laici Rei, an omnes gaudeant Immunitate.*
17 *An etiam debitores pecuniarii, vulgo Falliti?*
18 *Quid, si hi cum bonis suis fugiant ad Ecclesiam?*
19 *Clerici, & Religiosi delinquentes, an Immunitate gaudeant?*
Sententia affirmativa est probabilior.
20 *Declaratur Conclusio.*
Fallit in pœnis mere Ecclesiasticis, quæ potius Correctionem sapiunt.
21 *Judæi, & pagani, an gaudeant Immunitate?*
22 *Sententia probabilior.*
23 *Hæretici ob crimen hæresis privantur Immunitate.*
24 *An ea pariter privati existant ob alia crimina?*
25 *Sententia negativa, hujusque fundamenta.*

15. Reorum ad loca sacra, tanquam Asyla fugientium, alii possunt esse Fideles; alii Infideles: & illorum quidam Laici, quidam Clerici, vel Religiosi, istorum alii Pagani, aut Judæi, alii Hæretici: & denique ii vel gravitate delictorum, vel ære alieno oppressi. Et de omnibus his procedit præsens Quæstio.

16. CONCL. I. Certum est, omnes Fideles laicos delinquentes, & ad loca sacra confugientes, gaudere jure Ecclesiastici Asyli, dummodo non admiserint crimina specialiter excepta. Patet hoc ex *c. Si quis contumax* 17. *q.* 4. & *c. Inter alia de Immun. Ecclesiæ* cum concordantiis, ac præsertim ex cit. Bulla Gregorii XIV. *Cum alias*. Et hoc intellige, etiamsi hi sint excommunicati, vel interdicti: nam Censura non privat immunitate, cum hujusmodi pœna nullibi sit jure expressa; simulque Censuræ sint medicinales, non mortales, *arg. c. 1. de Sent. Excommunic. in 6.* Pirhing *loc. cit. num.* 32. post Covarruviam *cit. cap.* 20. *numer.* 11. & alios.

17. CONCL. II. Fideles debitores pecuniarii, qui solvendo non sunt (vulgo, Falliti) confugientes ad Ecclesiam, gaudent Immunitate. Ita Abbas *cap. Inter alia num.* 22. *de Immunit. Eccles.* Barbosa *cit. lib.* 2. *Juris Ecclesiast. univ. cap.* 3. *numer.* 46. & 47. Covarruvias *num.* 14. & alii magno numero ab ipsis relati, quamvis non desint quidam oppositum tenentes. Ratio est: tum quia in favorabilibus, Reorum nomine veniunt debitores; Reus enim dicitur, cui movetur quæstio, id est, intentatur actio, sive civilis, sive criminalis. *cap. Verum de Verb. signific.* Tum quia Bulla Gregoriana §. 2. expresse facit mentionem de *fraudulentis Decoctoribus*; ita tamen, ut revocet quæcunque privilegia, & indulta ipsos extrahendi. Tum tandem, quia *cap. Inter alia de Immunit. Eccles.* generaliter prohibetur ex trahi de Ecclesia invitus; adeo, ut etiam servus, ob timorem Domini ad Ecclesiam confugiens, non sit restituendus, nisi de impunitate sua dominus ejus Clericis juramentum præstiterit.

18. Cæterum si fraudulentus debitor in creditorum præjudicium una cum rebus & bonis alienis ad Ecclesiam se recipiat, tunc de licentia Episcopi ejusmodi bona sunt consignanda Judici sæculari ad effectum, ut veris dominis reddantur. Barbosa *citat. num.* 47. Diana *part. 6. tract. 1. resol.* 17. & alii. Nec obstat *cap. Definivit* 17. *quæst.* 4. ubi prohibetur quispiam *damni, seu spolii residentibus in locis sancto inferri*. Nam loquitur textus de bonis propriis Rei, non autem alienis, & in quorum detentione idem delinqueret.

19. CONCL. III. An Clerici, & Religiosi, in Asylis tuti sint etiam contra proprios Judices Ecclesiasticos (nam contra Judices sæculares defendunter aliunde, videlicet per privilegium Fori) ita ut ab illis extrahi extra casus jure exceptos non possint: multum controvertunt Doctores, aliis affirmantibus, cæteris vero negativam sententiam tenentibus; uti videre est apud Fagnanum *c. Inter alia nu.* 70. & *seqq. de Immun. Eccles.* Barbosa *lib.* 2. *Juris Ecclesiast. univ. c.* 3. *n.* 137. Sed merito uterque horum affirmativam sententiam amplectitur, veluti probabiliorem, & magis communem; nam Canones generaliter loquuntur, non distinguendo inter Clericum & Laicum, ac proinde generaliter de omnibus sunt intelligendi. Deinde privilegium Asyli, hoc est, ut nullus violenter inde extrahi valeat, principaliter concessum est ipsi Ecclesiæ, sive loco sacro, idque propter reverentiam ejus. *arg. c. Reum. & c. Fratres. 17. q.* 4. cum concordantiis; ergo suffragatur cuilibet, sive Clerico, sive Laico, nisi sit de specialiter exceptis. Accedit, quod Clerici non debeant esse deteriores conditionis, quam Laici; simulque nullibi hoc privilegium eis ademptum reperiatur.

20. Cæterum data resolutio procedit quoad crimina graviora, & correspondentes ipsis pœnas judiciales enormes, quæ limites disciplinæ Ecclesiasticæ, ac Regularis correctionis excedunt: non vero quoad pœnas correctivas omnino necessarias pro conservatione status Ecclesiastici, ac Regularis. Infertur proinde, quod Clericus perpetrans homicidium extra locum sacrum (quod additur, quia alioquin hoc delictum foret unum de exceptis) & confugiens ad Ecclesiam, gaudeat Immunitate; adeo, quod non possit inde violenter extrahi, & tradi Curiæ sæculari, vel mitti ad triremes.

Secus est de delictis levioribus aut pœnis mere Ecclesiasticis, quæ potius correctionem sapiunt, quam vindictam publicam. Sic enim Religiosi delinquentes possunt secundum eorum instituta per Superiorem in Monasterio coerceri, verberari, & in carcerem detrudi, imo si opus fuerit, etiam de Monasterio expelli, neutiquam suffragante ipsis Immunitate loci: prout patet experientia; ipsaque Religiosorum consuetudine, quæ est optima legum interpres; & tenent Doctores passim. Similiter potest Episcopus Clericum, in flagranti crimine in loco sacro deprehensum, suis carceribus manetenus ad correctionem, absque violatione Immunitatis Ecclesiasticæ. Tum quia hic non agitur de amissione vitæ, vel membrorum *arg. c. Inter alia de Immun. Eccles.* Tum quia alioquin citrum peteretur servus Ecclesiasticæ disciplinæ, contra *cap. Cum inter de Consuetud.*

21. CONCL. IV. Quantum ad Judæos, & Paganos, multi censent, eos ad Ecclesiam confugientes gaudere Immunitate Ecclesiastica; eo quod privilegium illud fuerit concessum loco sacro, ob ejus reverentiam; atque ipsum, tanquam Ecclesiis favorabile sit ampliandum, simulque Canones illud concedentes, loquantur generaliter & indistincte: prout inter plures alios vult, & argumentatur Fagnanus *loc. cit. num.* 59. & *seqq.* & Diana *part. 6. tract. 1. resol.* 23. Et pro hac sententia Barbosa *citat. cap.* 3. *num.* 44. allegat Declarationem Sacr.

Congregationis Controversiis Jurisdictionalibus propositæ, Anno 1631. factam: de qua si legitime constabit, dicta sententia omnino tenenda erit.

22. Cæterum insistendo Juri communi probabilius videtur, eos non gaudere Immunitate, nisi sincero corde parati sint veram Fidem amplecti, ut tradit Abbas *c. Inter alia nu. 6. de Immunit. Eccles.* Covarruv. *num. 11.* Pirhing *tit. Immun. Eccles. nu. 39.* Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 3. nu. 12.* Bonac. *disp. 3. in Decalog. quæst. 7. punct. 6. §. 3. nu. 3.* & alii quamplures. Ratio est: tum quia ita habetur decisum in Jure Civili *lib. 1. C. de his, qui ad Ecclesias confugiunt*; quæ lex non reperitur in Jure Canonico correcta, imo potius approbata *cit. c. Inter alia*, ibi: *Juxta sacrorum statuta Canonum, & traditiones Legum Civilium.* Tum quia indignus est, ut ab Ecclesia defendatur, qui Ecclesiam contemnit. *arg. cap. ultim. de Immunit. Eccles.* Sic autem Ecclesiam contemnunt Infideles, nolentes veram Fidem amplecti, ipsamque Ecclesiam per Baptismum ingredi. Tum tandem, quia Canones Immunitatis privilegium locale concedentes Ecclesiis, intelligendi sunt secundum materiam subjectam, hoc est, de personis Ecclesiasticæ jurisdictioni subjectis, sive de fidelibus: Siquidem istorum curam & gubernationem gerit Ecclesia, non Judæorum, aut Paganorum, de quibus dicit Apostolus 1. *Corinth. 5. Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Et per hoc patere potest responsio ad rationes in oppositum.

23. CONCL. V. Certum est, quod Hæretici ob crimen hæresis priventur Immunitate Ecclesiastica. Siquidem in Bulla Gregoriana expresse excipiuntur *Hæresis Rei*: idque merito propter enormitatem hujus criminis, ad Ecclesiæ subversionem specialiter tendentis.

24. Cæterum an Hæretici propter solum crimen hæresis, vel (ubi publice toleruntur, v. g. in Germania) etiam propter alia crimina, utputa homicidium, furtum, &c. Immunitate priventur, rursus variant Doctores. Eos privari, affirmat Covarruvias *cit. §. 20. nu. 11.* cum quibusdam aliis: tum quia Hæretici, tanquam Ecclesiæ hostes & proditores, omni ejus favore indigni sunt. Tum quia tales revera sunt *Hæresis Rei*, non obstante, quod propter hoc crimen non inquirantur: atqui hæresis Rei generaliter, & absolute excluduntur a privilegio Immunitatis per Bullam Gregorianam: ergo.

25. Oppositam nihilominus sententiam non pauci Doctores sequuntur, ut Sylvester *verb. Immunitas III. quæst. 3.* Zoesius *tit. de Immunit. Eccles. num. 16.* Pirhing *n. 40.* Engel *nu. 19.* & alii. Rationem dant: quia in Hæretico propter homicidium, vel aliud crimen ad Ecclesiam confugiente, hæresis se habet per accidens; neque enim is fugit ad Ecclesiam propter hæresin, sed propter aliud delictum. Accedit, quod Hæreticus per Baptismum jam sit ingressus Ecclesiam, ejusque legibus obligetur; ergo pariter favoribus localibus, sive Immunitate Ecclesiis ob earum reverentiam concessa, frui poterit. Et hoc vel maxime tunc, quando is a pertinacia & errore recedens, per veram pœnitentiam Ecclesiæ reconciliatus fuit: sicque cessat effectus, ut illius favore & protectione, perinde ac alii Fideles, per Immunitatem defendatur, prout limitat Bonacina *cit. §. 3. n. 2.*

QUÆSTIO III.

Quæ crimina non gaudeant Immunitate Ecclesiastica?

SUMMARIUM.

26 *Omnia crimina gaudent Immunitate, nisi sint specialiter excepta. Corollarium.*
27 *Solvitur instantia.*
28 *Septem crimina non gaudent Immunitate.*
29 *I. Publici latrones, viarumque grassatores. Et qui sint tales?*
30 *Corollarium de furibus, & aliis.*
31 *II. Depopulatores agrorum, & qui?*
32 *III. Committentes homicidia, vel mutilationes, in Ecclesia, earumve Cemeteriis.*
33 *Quando censeatur homicidium commissi in Ecclesia?*
34 *Existens in Ecclesia, & occidens aliquem extra eam, an gaudeat Immunitate?*
35 *An Immunitas amittatur ob alia crimina commissa in Ecclesia?*
36 *IV. Proditorie hominem occidens.*
37 *Homicidium proditorium, quod?*
38 *Quid de procurante abortum fœtui animati?*
39 *V. Assassinii Rei. Assassinium quid?*
40 *VI. Rei hæresis, ac VII. Rei criminis læsæ Majestatis in personam Principis.*
41 *Corollaria.*

26. CONCL. I. omnia crimina gaudent Immunitate Ecclesiastica, quæ de Jure non reperiuntur specialiter excepta, ita communis; & habetur expressum *cap. Inter alia de Immunit. Ecclesiast.* ibi: *Fugiens ad Ecclesiam, quantumcunque gravia malefacta perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus &c. Nisi publicus latro fuerit, vel depopulator agrorum &c.* Unde adulteri, raptores virginum, fabricatores falsæ monetæ, condemnati ad triremes, & hujusmodi gaudent immunitate; cum de Jure Canonico specialiter non excipiantur.

27. Nec obstat, quod spectato Jure Civili ab Immunitate excipiantur homicidæ quicunque, adulteri, raptores virginum, *Auth. De Mandatis Princip. §. Sed neque. Callat. 3.* Resp. enim, quod in materia Immunitatis, utpote mere Ecclesiastica, non sit attendendum Jus Civile, sed Canonicum, & quidem in omni foro, quando est discrepantia inter utrumque.

28. CONCL. II. Septem sunt crimina, quæ non gaudent Immunitate Ecclesiastica: quæ licet in Jure Canonico paulo aliis verbis contineantur, tamen in Bulla Gregorii XIV. *Cum alias* (& habetur Tomo 2. Bullarii Romani, *Constit. 7. diffi Pontificis*) referuntur sequentibus verbis §. 3. *Ut Laici ad Ecclesias, Locaque sacra & religiosa predicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve Cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditorie proximum suum occiderint, aut Assassinii, vel hæresis, aut læsæ Majestatis in personam ipsius met Principis Rei immunitas Ecclesiastica non suffragetur.* Hæc ibi.

29. CONCL. III. Primo itaque Immunitate non gaudent *publici Latrones, viarumque Grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur*, uti loquitur Bulla Gregoriana, & concordat textus *c. Inter alia de Immunit. Eccles.* Et hoc est Primum crimen exceptum: nam Latrones, & viarum Grassatores parum differunt, nisi quod Latronis nomine illi tantum venire videantur, qui publicas vias obsidentes, solent aggredi, & despoliare viatores cæde interveniente; Grassatores autem viarum id faciant absque cæde hominis; & utroque casu crimen est exceptum. Tales censentur Pyratæ; & qui publicas obsident vias, vel arcem habent, aut castrum, & inde erumpere solent ad despoliandum homines prætereuntes.

30. Infertur proinde, Fures recipi Asylo. *Fures* enim vocantur, qui occulte, & sine armis furantur: qui autem violenter aggrediuntur, sive cum armis, sive absque armis, *Latrones*, prout habetur *Auth. Sed novo C. de Servis fugitivis*. Similiter in gaudet Immunitate, qui quidem in via publica hominis deprædationem attentavit, sed non perfecit: quia in pœnalibus & odiosis, præsertim quæ cedunt in præjudicium Ecclesiæ actus debent esse perfecti, & consummati.

31. CONCL. IV. *Depopulatores agrorum* dicuntur, qui segetes in agris deprædantur, comburunt, aut destruunt, vel agros alienos vastant: & hi non gaudent jure Asyli. Addit Barbosa *loc. cit. num. 87.* cum aliis, quod inspectata Bulla Gregoriana, utpote absolute loquente, hoc procedat de Depopulatoribus agrorum sive diurnis, sive nocturnis; quamvis attento Jure communi solus nocturnus excludatur, *cap. Inter alia de Immun. Ecclesiast.* ibi: *Vel nocturnus depopulator agrorum.*

32. CONCL. V. Qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve Cœmeteriis committere non verentur, illis pariter non suffragatur Immunitas Ecclesiastica; prout liquet ex allegatis verbis Bullæ Gregorianæ. Concordat *cap. ult. de Immunit. Ecclesiast.* ubi & hujus exceptionis ratio redditur, illis verbis: *Cum in eo, in qua delinquit, puniri quit debet; & frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem: mandamus, tales non debere gaudere immunitatis privilegio, quo se faciunt indignos.* Et hoc procul etiam in illo casu, quo quis in una Ecclesia delinquit, & postea fugit ad aliam, cum enim una sit per totum Orbem Ecclesia universalis, qui offendit unam Ecclesiam particularem, censetur omnes offendisse; ac proinde nullibi gaudet immunitate.

33. Censetur autem homicidium, aut mutilatio in Ecclesia committi, non solum tunc, quando uterque intra Ecclesiam existit; sed etiam, quando quis extra Ecclesiam existens, sclopo, vel jaculo mutilat, vel occidit existentem intra Ecclesiam: nam talis revera occidit, vel mutilat alterum:

rum in Ecclesia. Et hoc idem dicendum, si quis lethaliter vulneravit existentem in Ecclesia, sed vulnerates extra eam obiit; quia delictum censetur commissum in Ecclesia, Bonacina *tom. 2. qu. 7. punct. 6. §. 2. nu. 5.* & alii.

34. Num autem victissim, si quis intra Ecclesiam existens, sclopo, vel telo interficiat, sive mutilet existentem extra Ecclesiam, privetur Immunitate, variant Doctores. Negant Bonacina *loc. cit. numer. 3.* Novarius, & quidam alii; eo quod talis proprie loquendo non in ipsa Ecclesia, sed ex Ecclesia occidat, vel mutilet; simulque in hac materia, utpote odiosa & poenali, non sit facienda extensio ab incheatione homicidii ad homicidium ipsum. Affirmativa tamen sententia, videlicet talem privari Immunitate, est communior; quam tenet Abbas *cap. ult. num. 2. de Immunit. Eccles.* Pirhing *eodem numer. 25.* Barbosa *cit. c. 3. numer. 9.* citatis plurimos aliis. Tum quia tale homicidium, quamvis consummetur extra Ecclesiam, nihilominus in ipsa inchoatur, sive principiatur: Tum quia talis infert injuriam loco sacro, abutens ipso ad caedem, vel mutilationem injustam faciendam.

35. Quares: an quis privetur privilegio Immunitatis non solum propter homicidium, vel mutilationem, sed etiam propter alia crimina commissa in Ecclesia, v. g. propter furtum, adulterium, hujusmodi gravia delicta, quibus infertur specialis irreverentia loco sacro? Resp. Spectata Bulla Gregoriana negative. Siquidem Pontifex in saepe citata Bulla §. 2. expresse declarat, delinquentes in nullis aliis casibus, praeterquam in sua Bulla expressis, posse ab Ecclesiis extrahi; simulque prohibet fieri extensionem ad casus in ea non expressos, *etiam ex paritate, identitate, aut majoritate rationis.* Barbosa *cit. cap. 3. numer. 10.* 5. Bonacina *loc. cit. n. 11.* & alii post dictam Bullam scribentes; quamvis ante ipsam non pauci oppositum tenuerint.

36. CONCL. IV. insuper, qui proditorie hominem occiderit, non gaudet Immunitate. Patet hoc ex allegata Bulla Gregoriana, ibi: *Qui proditorie proximum suum occiderint.* Caeterum *Homicidium proditorium* vel maxime tunc committitur, quando quis aliud verbis, & aliud mente gerit, atque sub specie amicitiae Proximum interficit: prout fecit Joab duobus Principibus militiae, Abner, & Amasae, quos sub specie osculi praebendi occidit. *2. Reg. cap. 3. & 20.*

37. Deinde generalius loquendo, *homicidium proditorium* censetur, quando vel sub specie amicitiae (ut dictum) vel saltem nulla praecedente inimicitia, aut si praecessit, eadem per reconciliationem sublata, securus, & nihil mali praevidens occiditur, v. g. ferro, veneno, a tergo, de nocte, vel per insidias &c. Siquidem Homicidii proditorii malitia in eo consistit, quod occidatur compos rationis, qui hic & nunc impotens est ad praecavendum.

38. Dicitur, *compos rationis.* Nam, utrum procurans abortum foetus animati, secuto effectu, censeatur homicida proditorius, ac privetur Immunitate, est nova difficultas. Sed Bonacina *cit. punct. 6. §. 3. nu. 8.* probabilius esse censet, talem non privari: cum infans non occidatur per insidias ac dolose, eo quod dolus in infantem, utpote rationis impotentem, non possit committi: nam dolus est machinatio ad decipiendum, seu fallendum proximum adhibita.

39. CONCL. VII. Assassinii Rei non gaudent immunitate, ut expresse tradit citata Bulla Gregoriana. Porro *Assassinii* crimen trahit Originem, & nomen, a quibusdam Infidelibus, qui Assassini vocabantur, & accepta pecunia occidebant Fideles, quos aliqui volebant occidi; uti notatur per Glossam magnam *cap. 1. de Homicidio in 6.* Itaque Assassinii Rei sunt tum illi, qui occiforem promisso pretio conducunt, tum qui operas suas ad occidendum locant. Et hi omnes, utpote criminis Assassinii Rei, secuto effectu non gaudent Immunitate.

40. CONCL. VIII. Praeter crimen haeresis (de quo jam supra *numer. 23. & seq.*) privantur Immunitate Ecclesiastica Rei criminis laesae Majestatis in personam ipsiusmet Principis commissi. Ita cit. Bulla Gregorii XIV.

41. Dicitur, *in personam ipsiusmet Principis.* Nam secus dicendum de offendentibus Statuam Principis, vel cudentibus falsam monetam; non obstante, quod & tales de Jure Civili censeantur Rei laesae Majestatis. Addunt Doctores, eum, qui offendit, sive occidit filios Principis, aut ejus Consiliarios, vel Legatos, etsi reus existat criminis laesae Majestatis, nihilominus gaudere immunitate; eo quod crimen non

non committatur in personam ipsiusmet Principis. Bonacina *cit. q. 2. punct. 6. §. 6. n. 3. & 4.* Diana *part. 6. tract. 1. resol. 18.* & alii, paucis exceptis, qui ex eo oppositum tenent, quod Consiliarii, & Senatores censeantur esse *pars corporis ipsius Principis. I. Quisquis. C. ad Legem Juliam Majestatis.*

QUAESTIO IV.

De commodis Immunitatis Ecclesiasticae, poenisque eam violantium, ac modo extrahendi Reos criminum exceptorum.

SUMMARIUM.

42 *Commoda Reorum ad Asyla fugientium. I. Reus nequit inde extrahi &c.*
43 *Quid, si exeat sponte? Aut fictis promissis inducitus?*
44 *II. Reus nequit condemnari ad mortem, vel poenam corporalem.*
45 *III. Non possunt ei prohiberi necessaria victus, & vestitus. Potest tamen custodiri, ne aufugiat.*
46 *IV. Fugitus ad Ecclesiam, est recipiendus. Unde sustentari debent?*
47 *V. Non potest spoliari rebus suis; & quando?*
48 *Violatio Immunitatis, quale peccatum?*
49 *Ejus violatores incurrunt Excommunicationem.*
50 *Et alias poenas.*
51 *Observanda circa extractionem Reorum juris Asyli non gaudentium.*
52 *Hi nequeunt absque licentia Episcopi extrahi.*
53 *Limitatur hoc.*
54 *Atque amplius declaratur.*
55 *Alia notanda.*

42. CONCL. I. Privilegia Asylorum, seu commoda Reorum ad Ecclesias confugientium, varia sunt. Nam I. Reus in Loco sacro nequit capi, aut vinculis constringi, multo minus per vim, seu invitus, ex eo extrahi; prout habetur *c. Desinvit. 17. q. 4.* ibi: *Nullus audeat confugientes ad Ecclesiam, vel reficientes inde abstrahere, aut quadrupede vectibilitatis, vel damni, seu foveis relidentibus in loco sanctio inferre.* Concordat *c. Inter alia, de Immun. Eccles.* ibi: *Non est violenter ab Ecclesia extrahendus*; estque unanimis Doctorum.

43. Quod si vero Reus sponte egrediatur (prout licite potest, etiam Rectoribus Ecclesiarum invitis) Immunitas non violatur: quia nulla Ecclesiae fit injuria, neque Reus inde violenter extrahitur. Secus dicendum, si Reus ad Asylum deferendum verbis dolosis, aut ficta promissione Judicis impunitatem promittentis, inductus fuerit, ac postea capiatur: quia dolus hac in parte provi habetur. Pirhing *tit. de Immunitat. Eccles. num. 42.* post Azorium, Suarez, & Layman. Unde, qui verbis dolosis circumventus, atque praefixa a Judice securitate, & impunitate Principis, inductus exiit ex Asylo, is Ecclesiae restituendus erit, aut Judex tenebitur ei servare fidem promissam de impunitate vitae, & membrorum. Barbosa *l. c. n. 105.* & alii.

44. II. Reus, quamdiu est in Ecclesia, non potest per sententiam Judicis ad mortem, vel aliam poenam corporalem condemnari: prout desumitur ex *c. Reum 17. q. 4.* & *c. Inter alia, de Immunit. Eccles.* ibi: *Nec inde damnari debet ad mortem, vel ad poenam, sed Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra & vitam: super hoc tamen, quod inque fecit, estque alias legitime puniendus*: videlicet pecunialiter, vel alia satisfactione praeter poenam corporalem, ut explicat Glossa *vers. Puniendus*, & sequitur Abbas ibidem, allegans communem Doctorum. Addit Pirhing *n. 47.* & Layman *loc. cit. c. 3. n. 13.* post Suarez, talem neque poena servitutis, neque exilii, neque triremium mulctari posse; eo quod haec poenae sint valde graves, atque corporalibus aequiparentur, imo eorum quasdam excedant.

45. III. Nequit prohiberi, quo minus ad Reum necessarius victus, & vestitus deferatur, *text. clar. l. Presenti. C. de hit, qui ad Ecclesias confugiunt*: ibi: *Nec aliquando patimur, in ipsis Ecclesiis reverendis ita quemquam detineri, atque constringi, ut ei aliquid victualium verum, aut vestis negetur, & requies.* Et merito ita statutum est: nam impedire Reo necessarium victum, foret aperta coactio, quia ipse vel fame perire, vel exeundo se tradere cogeretur. Nihilominus prohibitum non est, ponere custodias circa Ecclesiam, ne Reus libere aufugiat; vel, ut capi possit, si sponte exierit, aut fugam attentaverit. Layman ibidem cum communi.

46. IV. Rei ad Ecclesias confugientes recipiendi sunt, neque inde repelli possunt, aut excludi. Nam Clerici, ac praesertim Rectores Ecclesiarum, tenentur tueri

jura Ecclesiæ, ipsiusque Immunitatem; ergo hoc ipso non possunt Reos ad eam confugientes excludere. Quinimo, si profugus non habeat bona propria, unde sustentetur (nam si hæc adsint, exipsis ei alimenta præstari debent) neque etiam a consanguineis, vel aliis necessaria vitæ habere possit; hæc per Ecclesiam, utpote cujus tutelæ, & protectioni sese commisit, eidem velut pauperi præstanda erunt: ne alioquin inedia, & necessariorum inopia urgente, invitus abire, & sæculari Potestati sese tradere cogatur. Abbas *cit. c. Inter alia. de Immunit. Eccles.* Sylvester *verb. Immunitas, III.* 2. 5. & alii. Qui tamen addunt, debere ejusmodi Reum, si possit, in commodum Ecclesiæ laborare: tum, ne immunitas ipsi sit occasio otiandi: tum, ut labore recompenset alimenta sibi præstita.

47. V. Reus ad Ecclesiam fugiens nequit spoliari rebus, bonisque suis, quæ secum attulit in eam *arg. cap. Definivit. 27. q. 4.* Intelligo hoc de rebus propriis Rei, non autem alienis, sive alteri obligatis, & in quorum detentione idem delinqueret, ut dictum n. 18. Insuper, si Reus arma prohibita secum detulit, ea poterunt ipsi etiam intra Ecclesiam auferri: delinquit enim is, qui fert arma legibus prohibita. Covarruvias *cit.* 20. *n.* 18. Layman *nu.* 3. & alii.

48. CONCL. II. Per violationem Immunitatis Ecclesiasticæ, sive violentam Reorum ex Asylis Ecclesiasticis extractionem, committitur gravissimum Sacrilegii peccatum. Patet hoc ex *Minor.* & *c. Frater 17. q. 4.* ibi: *Qui admittere sacrilegium non dubitaverit*, & alibi. Accedit ratio: quia violenta talis extractio repugnat sanctitati, & reverentiæ Locis sacris debitæ. Hinc S. Augustinus *Ser. 5. de Dedic. Eccles.* ejusmodi extractionem appellat, gravem injuriam Religionis, & Divinitatis offensam.

49. CONCL. III. Præter alias pœnas in Jure statutas, violator Immunitatis Ecclesiasticæ olim excommunicari jubebatur, *c. Sicut antiquitus, 37. q. 4.* cum concordantiis; quæ tamen continebant excommunicationem non latæ, sed primum ferendæ sententiæ. Verum hodie, sive spectari Bulla Gregoriana, dicta excommunicatio est latæ sententiæ; prout liquet ex verbis ejusdem Bullæ, §. 8. ibi: *quod si quis quacunque dignitate, & authoritate præditus, contra hujus nostræ Constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus, eum ipso facto sententias, & pœnas eisdem incurrere.* Bonacina *tom. 2. disp. 3. qu. 7. punct. 8. num. 3.* & alii.

50. Dicitur notanter, *præter alias pœnas*. Nam plures pœnas in istos Sacrilegos Jure statutæ sunt. Et quidem de Jure Civili, tales censentur Rei criminis læsæ Majestatis *text. clar. L. 2. C. De his, qui ad Ecclesiam confugiunt*. Imo & ultimo supplicio affici jubentur, *l. Præsenti C. eod.* quamvis hæc pœna non videatur amplius esse in usu. Insuper ipsi de Jure Canonico, præter pœnitentiam publicam ab Episcopo injungendam, incurrunt pœnam pecuniariam nongentorum solidorum, *c. Si quis contumax. 17. q. 4.* vel certe triginta librarum examinati argenti purissimi, *c. Quisquis inventus eod. 17. qu. 4.* pro qualitate delicti, & delinquentium conditione, Judicis arbitrio variandam, & Ecclesiæ læsæ applicandam pro satisfactione.

51. Quæres, quid observandum circa extractionem Reorum, privilegio Asyli non gaudentium? Resp. De facto quoad hoc est observanda Constitutio Gregorii XIV. quæ §. 3. & 4. exacte tradit formam extrahendi Reos ex Asylo Ecclesiastico ob commissa crimina excepta. Et primo mandat Pontifex omnibus Ecclesiæ Prælatis, ut eos, qui aliquod ex criminibus ibidem exceptis *judicio sui commissæ videbuntur, quando a Curia sæculari fuerint requisiti, Ministris, & Officialibus Curiæ sæcularis absque irregularitatis nota, aut alicujus censura Ecclesiastica incursu, tradi, & consignari curent*. Quibus verbis clare innuitur, de facto non esse opus prævia cautione, vel juramento, de impunitate vitæ & membrorum, Reo criminis excepti prius obtinenda: quidquid olim secus fuerit, *c. Reum. & c. Id constituimus, 17. q. 4.*

52. Deinde, ne Curiæ sæcularis Ministri abutantur facultate, sive de Jure communi, sive per specialia privilegia olim sibi concessa, per se, & propria authoritate extrahendi ejusmodi Reos; Pontifex dictam facultatem revocat, atque decernit, *ut Curiæ sæcularis, ejusque Judices & Officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, Locisque sacris præditis, Locum aliquem, in præfertur, delinquentum in nullo excessus supra dictis sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab eo authoritatem habentis, &c. capere, extrahere, aut incarcerare non possint.*

53. Subdit tamen Pontifex unicam limitationem, ejusque cautelam, dicens: *Nisi eo casu, quo ipsa Episcopus, & dicta Persona Ecclesiastica requisita, illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut captura & incarcerationi intervenire, & assistere recusaverint; tunc quo reverentia Ecclesiæ, & locis sacris debita immerita, prædictos delinquentes, minuere, quo id fieri poterit, cum scandalo & tumultu, extrahere fuerint.* Hæc Pontifex.

54. Et hanc quidem, videlicet extractionem Rei absque expressa Episcopi licentia per Judices sæculares fieri non posse, quantumvis de qualitate criminis excepti certo constet, post dictam Constitutionem Gregorianam communiter tenetur (licet Authores hanc antecedentes oppositum docuerint) & clare desumitur ex allegatis ejus verbis, utpote generaliter & infinite loquentibus. Quod si vero super qualitate criminis dubium emerserit, ejus cognitio (deducto prius Reo ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ, ibique debite custodito) ad solum Judicem Ecclesiasticum, id est, Episcopum, seu ab eo Deputatum pertinet: tum quia hæc res est Ecclesiastica, adeo ut ejus violatores sacrilegium committant. Tum præsertim: quia novissime sic declaravit Gregorius XIV. in sæpe cit. Bulla. §. 5. ibi: *Nisi eo-*

gnitio prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi rem crimina superius expressa commiserint. Barbosa *lib. 2. Juris Ecclesiast. universæ. cap. 3. num. 117.* & alii.

55. His addendum cum eodem Barbosa *n. 108.* & aliis, quod non possit Episcopus Delinquentes Curiæ Sæculari tradere, nisi prius sibi de excepto delicto perpetrato constiterit plene, certe, & concludenter, non autem per indicia, & præsumptive duntaxat. Item, quod Episcopus non teneatur stare Processui facto a Laica Potestate: nam quod hæc aliqualem cognitionem per viam facti, pro informatione, an crimini commisso sit annexa qualitas impeditiva juris Asyli, possit instituere, haud negatur. Et tandem, quod si dubium fuerit inter Doctores, an delictum gaudeat Immunitate Ecclesiastica, nec ne, debeat Judex Ecclesiasticus pro Reo judicare; nam Immunitas hæc, utpote ob reverentiam & favorem Ecclesiarum, aliorumque Locorum sacrorum principaliter concessa, censetur esse materia favorabilis; simulque in dubio potius Reo favendum est, *juxta Reg. 11. Juris in 6.* cum concordantiis.

DISTINCTIO III.

De Indulgentiis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Thesaurus Ecclesiæ?

SUMMARIUM.

1 *Indulgentia varia acceptiones.*
2 *Quomodo sumatur in proposito.*
3 *Thesaurus Ecclesiæ, datur, & quid sit?*
4 *Is declaratur ex verbis, Extrav.* Unigenitus.
5 *Constat ex meritis ac satisfactionibus Christi, & Sanctorum.*
6 *Solvatur instantia.*
7 *Ubi is repositus maneat?*
8 *Thesaurus Ecclesiæ dupliciter consideratur.*
9 *Quomodo dispensetur?*
10 *Præsertim ut includit satisfactiones Sanctorum.*

1. INdulgentiæ nomen, quod a verbo *indulgeo* derivatur, quandoque accipitur pro lenitate, seu condescendentia: ut 2. *Cor. 7. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Alio modo sumitur pro remissione; ut *Isaiæ cap. 61. Prædicare captivis indulgentiam.* Quæ verba apud S. Lucam *cap. 4.* referuntur taliter; *Prædicare captivis remissionem*: ut proinde Indulgentia quandoque sumatur pro remissione.

2. Hanc utramque significationem Theologi conjungunt, & Indulgentiam vocant remissionem pœnæ temporalis, ex condonatis peccatorum culpis sæpe remanentis, quæ sit ex causa justa & rationabili, per dispensationem Thesauri Ecclesiæ. Hujus autem nomine aliud non intelligitur, quam Thesaurus spiritualis satisfactionum Christi & Sanctorum, qui applicari possit reis alicujus pœnæ temporalis, post peccata quoad culpam in Sacramento Pœnitentiæ

jura Ecclesiæ, ipsiusque Immunitatem; ergo hoc ipso non possunt Reos ad eam confugientes excludere. Quinimo, si profugus non habeat bona propria, unde sustentetur (nam si hæc adsint, exipsis ei alimenta præstari debent) neque etiam a consanguineis, vel aliis necessaria vitæ habere possit; hæc per Ecclesiam, utpote cujus tutelæ, & protectioni sese commisit, eidem velut pauperi præstanda erunt: ne alioquin inedia, & necessariorum inopia urgente, invitus abire, & sæculari Potestati sese tradere cogatur. Abbas *cit. c. Inter alia. de Immunit. Eccles.* Sylvester *verb. Immunitas, III.* 2. 5. & alii. Qui tamen addunt, debere ejusmodi Reum, si possit, in commodum Ecclesiæ laborare: tum, ne immunitas ipsi sit occasio otiandi: tum, ut labore recompenset alimenta sibi præstita.

47. V. Reus ad Ecclesiam fugiens nequit spoliari rebus, bonisque suis, quæ secum attulit in eam *arg. cap. Definivit. 27. q. 4.* Intelligo hoc de rebus propriis Rei, non autem alienis, sive alteri obligatis, & in quorum detentione idem delinqueret, ut dictum n. 18. Insuper, si Reus arma prohibita secum detulit, ea poterunt ipsi etiam intra Ecclesiam auferri: delinquit enim is, qui fert arma legibus prohibita. Covarruvias *cit.* 20. *n.* 18. Layman *nu.* 3. & alii.

48. CONCL. II. Per violationem Immunitatis Ecclesiasticæ, sive violentam Reorum ex Asylis Ecclesiasticis extractionem, committitur gravissimum Sacrilegii peccatum. Patet hoc ex *Minor.* & *c. Frater 17. q. 4.* ibi: *Qui admittere sacrilegium non dubitaverit*, & alibi. Accedit ratio: quia violenta talis extractio repugnat sanctitati, & reverentiæ Locis sacris debitæ. Hinc S. Augustinus *Ser. 5. de Dedic. Eccles.* ejusmodi extractionem appellat, gravem injuriam Religionis, & Divinitatis offensam.

49. CONCL. III. Præter alias pœnas in Jure statutas, violator Immunitatis Ecclesiasticæ olim excommunicari jubebatur, *c. Sicut antiquitus, 37. q. 4.* cum concordantiis; quæ tamen continebant excommunicationem non latæ, sed primum ferendæ sententiæ. Verum hodie, sive spectari Bulla Gregoriana, dicta excommunicatio est latæ sententiæ; prout liquet ex verbis ejusdem Bullæ, §. 8. ibi: *quod si quis quacunque dignitate, & authoritate præditus, contra hujus nostræ Constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus, eum ipso facto sententias, & pœnas eisdem incurrere.* Bonacina *tom. 2. disp. 3. qu. 7. punct. 8. num. 3.* & alii.

50. Dicitur notanter, *præter alias pœnas*. Nam plures pœnas in istos Sacrilegos Jure statutæ sunt. Et quidem de Jure Civili, tales censentur Rei criminis læsæ Majestatis *text. clar. L. 2. C. De his, qui ad Ecclesiam confugiunt*. Imo & ultimo supplicio affici jubentur, *l. Præsenti C. eod.* quamvis hæc pœna non videatur amplius esse in usu. Insuper ipsi de Jure Canonico, præter pœnitentiam publicam ab Episcopo injungendam, incurrunt pœnam pecuniariam nongentorum solidorum, *c. Si quis contumax. 17. q. 4.* vel certe triginta librarum examinati argenti purissimi, *c. Quisquis inventus eod. 17. qu. 4.* pro qualitate delicti, & delinquentium conditione, Judicis arbitrio variandam, & Ecclesiæ læsæ applicandam pro satisfactione.

51. Quæres, quid observandum circa extractionem Reorum, privilegio Asyli non gaudentium? Resp. De facto quoad hoc est observanda Constitutio Gregorii XIV. quæ §. 3. & 4. exacte tradit formam extrahendi Reos ex Asylo Ecclesiastico ob commissa crimina excepta. Et primo mandat Pontifex omnibus Ecclesiæ Prælatis, ut eos, qui aliquod ex criminibus ibidem exceptis *judicio sui commissæ videbuntur, quando a Curia sæculari fuerint requisiti, Ministris, & Officialibus Curiæ sæcularis absque irregularitatis nota, aut alicujus censura Ecclesiastica incursu, tradi, & consignari curent*. Quibus verbis clare innuitur, de facto non esse opus prævia cautione, vel juramento, de impunitate vitæ & membrorum, Reo criminis excepti prius obtinenda: quidquid olim secus fuerit, *c. Reum. & c. Id constituimus, 17. q. 4.*

52. Deinde, ne Curiæ sæcularis Ministri abutantur facultate, sive de Jure communi, sive per specialia privilegia olim sibi concessa, per se, & propria authoritate extrahendi ejusmodi Reos; Pontifex dictam facultatem revocat, atque decernit, *ut Curiæ sæcularis, ejusque Judices & Officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, Locisque sacris præditis, Locum aliquem, in præfertur, delinquentum in nullo excessus supra dictis sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab eo authoritatem habentis, &c. capere, extrahere, aut incarcerare non possint.*

53. Subdit tamen Pontifex unicam limitationem, ejusque cautelam, dicens: *Nisi eo casu, quo ipsa Episcopus, & dicta Persona Ecclesiastica requisita, illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut captura & incarcerationi intervenire, & assistere recusaverint; tunc quo reverentia Ecclesiæ, & locis sacris debita immerita, prædictos delinquentes, minuere, quo id fieri poterit, cum scandalo & tumultu, extrahere fuerint.* Hæc Pontifex.

54. Et hanc quidem, videlicet extractionem Rei absque expressa Episcopi licentia per Judices sæculares fieri non posse, quantumvis de qualitate criminis excepti certo constet, post dictam Constitutionem Gregorianam communiter tenetur (licet Authores hanc antecedentes oppositum docuerint) & clare desumitur ex allegatis ejus verbis, utpote generaliter & infinite loquentibus. Quod si vero super qualitate criminis dubium emerserit, ejus cognitio (deducto prius Reo ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ, ibique debite custodito) ad solum Judicem Ecclesiasticum, id est, Episcopum, seu ab eo Deputatum pertinet: tum quia hæc res est Ecclesiastica, adeo ut ejus violatores sacrilegium committant. Tum præsertim: quia novissime sic declaravit Gregorius XIV. in sæpe cit. Bulla. §. 5. ibi: *Nisi eo-*

gnitio prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi rem crimina superius expressa commiserint. Barbosa *lib. 2. Juris Ecclesiast. universæ. cap. 3. num. 117.* & alii.

55. His addendum cum eodem Barbosa *n. 108.* & aliis, quod non possit Episcopus Delinquentes Curiæ Sæculari tradere, nisi prius sibi de excepto delicto perpetrato constiterit plene, certe, & concludenter, non autem per indicia, & præsumptive duntaxat. Item, quod Episcopus non teneatur stare Processui facto a Laica Potestate: nam quod hæc aliqualem cognitionem per viam facti, pro informatione, an crimini commisso sit annexa qualitas impeditiva juris Asyli, possit instituere, haud negatur. Et tandem, quod si dubium fuerit inter Doctores, an delictum gaudeat Immunitate Ecclesiastica, nec ne, debeat Judex Ecclesiasticus pro Reo judicare; nam Immunitas hæc, utpote ob reverentiam & favorem Ecclesiarum, aliorumque Locorum sacrorum principaliter concessa, censetur esse materia favorabilis; simulque in dubio potius Reo favendum est, *juxta Reg. 11. Juris in 6.* cum concordantiis.

DISTINCTIO III.

De Indulgentiis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Thesaurus Ecclesiæ?

SUMMARIUM.

1 *Indulgentia varia acceptiones.*
2 *Quomodo sumatur in proposito.*
3 *Thesaurus Ecclesiæ, datur, & quid sit?*
4 *Is declaratur ex verbis, Extrav.* Unigenitus.
5 *Constat ex meritis ac satisfactionibus Christi, & Sanctorum.*
6 *Solvatur instantia.*
7 *Ubi is repositus maneat?*
8 *Thesaurus Ecclesiæ dupliciter consideratur.*
9 *Quomodo dispensetur?*
10 *Præsertim ut includit satisfactiones Sanctorum.*

1. INdulgentiæ nomen, quod a verbo *indulgeo* derivatur, quandoque accipitur pro lenitate, seu condescendentia: ut 2. *Cor. 7. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Alio modo sumitur pro remissione; ut *Isaiæ cap. 61. Prædicare captivis indulgentiam.* Quæ verba apud S. Lucam *cap. 4.* referuntur taliter; *Prædicare captivis remissionem*: ut proinde Indulgentia quandoque sumatur pro remissione.

2. Hanc utramque significationem Theologi conjungunt, & Indulgentiam vocant remissionem pœnæ temporalis, ex condonatis peccatorum culpis sæpe remanentis, quæ sit ex causa justa & rationabili, per dispensationem Thesauri Ecclesiæ. Hujus autem nomine aliud non intelligitur, quam Thesaurus spiritualis satisfactionum Christi & Sanctorum, qui applicari possit reis alicujus pœnæ temporalis, post peccata quoad culpam in Sacramento Pœnitentiæ

jam dimissa non raro restantis. Et de hoc loquendo, sit

3. CONCL. I. Datur in Ecclesia ejusmodi Thesaurus spiritualis, ex meritis Christi, & satisfactionibus Sanctorum constitutus, qui nunquam exhauriri, sed per legitimam Indulgentiarum concessionem dispensari potest. Ita omnes Catholici; atque patet tum ex perpetua traditione, ac sensu Ecclesiæ: tum ex mox alleganda Extravag. *Unigenitus*, tum ex Concilio Trident. *Sess. 25. in Decreto de Indulgentiis*, cujus verba n. 25. referuntur. Fundatur insuper hæc Catholica Veritas in illo Symboli Apostolici Articulo: *Credo Sanctorum Communionem*. Nam Corpus mysticum Ecclesiæ non solum Christo, tanquam capite constat, sed etiam Sanctis, tanquam nobilissimis membris, juxta illud *Rom. cap. 12. Multi unum Corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*. Atqui in corpore sano caput, & reliqua membra, habent talem communicationem ad invicem, ut quod uni superfluit, alteri communicetur; ergo idem dicendum de Corpore Christi mystico, quod est Ecclesia.

4. Porro pro vera intelligentia hujus Thesauri Ecclesiæ juvat adducere verba *cit. Extravag. Unigenitus*. Quæ in Jure Canonico habetur inter Extravagantes Communes, *tit. de Pœnitent. & remissione*, ubi præmissa prærogativa meritorum, atque satisfactionum Unigeniti Filii DEI JESU Christi, *sic loquitur Pontifex Clemens IV. Quantum ergo secundo, ut nec supervacua, inanis, aut superflua, tantæ efficientiæ misericordia redderetur, thesaurum Militantis Ecclesiæ acquisivit, voluit suis thesaurizare filiis pius Pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum, Cæli Clavigerum, ejusque Successores suos in terris Vicarius commisit Fidelibus salubriter dispensandum, & propriis & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debita tam generaliter, quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) vere pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum. Ad cujus quidem thesauri cumulum, Beatæ Dei Genitricis, omnium Electorum a primo Justo usque ad ultimum merita, adminiculum præstare noscuntur: de cujus consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi (ut præfatum est) merita, quam pro eo, quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum*, Hactenus Pontifex in cit. Extravagant. *Unigenitus*.

5. Ex his proinde sequitur, quod Thesaurus Ecclesiæ constet imprimis ex meritis & satisfactionibus Christi, quarum valor cum sit infinitus, Thesaurus hic exhauriri nunquam poterit. Sequitur ulterius, quod ex dignatione Divina ad constituendum dictum Thesaurum, ejusque cumulum accedant, atque adminiculum præstent merita Beatissimæ Virginis MARIÆ, omniumque Sanctorum: Idque tum propter valorem generalissimum, qui in omni opere bono reperitur, atque universali Ecclesiæ obvenit: Tum ex eo, quia plurimi Sancti uberiora opera bona & satisfactoria peregerunt plusque passi sunt, quam opus fuerit pro remissione pœnæ temporalis eorum peccatis debitæ, ut patet in D. Virgine MARIA, nullius macula peccati unquam contaminata, S. Joanne Baptista, jam sanctificato in utero materno; item in SS. Apostolis, atque innumeris SS. Martyribus, Confessoribus, Virginibus, aliisque Sanctis. Unde, ne alioquin ejusmodi merita, sive satisfactiones Sanctorum, quoad vim satisfactoriam a Deo irremunerata remaneant; simulque, in corpore mystico Ecclesiæ perfecta servetur *Communio Sanctorum*, & quod uni ejusdem membro superabundat, alteri communicetur, prout alioquin in corpore sano fieri assolet, congruum fuit, ut ex Divina dignatione, ac non obstante infinitate meritorum Christi, etiam merita, sive satisfactiones Sanctorum, ad constituendum istum spiritualem Thesaurum Ecclesiæ assumerentur.

6. Hinc si objicias, Satisfactiones Christi repositæ in Thesauro Ecclesiæ, sunt infinitæ; ergo non est opus, ut ad eas accedant satisfactiones Sanctorum. Resp. distinguendo consequens: ergo hoc non est simpliciter, & absolute necessarium, conceditur: neque hoc est congruum, ac Divinæ Providentiæ, Justitiæ, & Munificentiæ consentaneum, negatur. Siquidem merita seu satisfactiones Sanctorum reponuntur in Thesauro Ecclesiæ, non quasi satisfactiones Christi per se non sufficerent, sed (ut jam dictum) ex dignatione Divina, ne alioquin ipsæ quoad vim satisfactoriam maneant irremuneratæ: simulque quia hoc ipsum

ipsum per quam gloriosum existit Christo Domino, a quo omne bonum Sanctorum promanat; ipsique Sanctis, in quibus Christus sicut Caput in suis membris honoratur, per honorificum; magisque per hoc eluceset perfecta unio Sanctorum cum Christo Capite suo.

7. Dices: Si datur talis Thesaurus Ecclesiæ, constans ex satisfactionibus Christi & Sanctorum, ubinam locorum is reperiatur? Resp. Hanc esse satis lepidam instantiam: nam cum Thesaurus iste sit mere spiritualis, ac moralis, utpote constatus ex satisfactionibus Christi & Sanctorum, quæ sunt quid spirituale ac morale, utique is in nullo loco materiale hujus mundi repositus jacet. Ille igitur existit duntaxat in mente Divina, in quantum ante oculos Dei merita, & satisfactiones superabundantes Christi & Sanctorum nondum oblivioni sunt traditæ; sed vivunt etiamnum, usque dum aliis indigentibus Ecclesiæ membris opportune communicentur, sicque quantum fieri potest, debitum ipsis præmium remissionis pœnæ temporalis reddatur.

8. Quæres: quot modis dispensetur Thesaurus Ecclesiæ? Ubi notandum, quod Thesaurus Ecclesiæ possit dupliciter considerari. I. Ut constat ex meritis Christi II. Ut constat ex meritis Christi & Sanctorum simul, juxta proxime dicta. Hoc præmisso

9. Resp. I. Considerando Thesaurum Ecclesiæ, prout constat ex meritis Christi, sic ipse dispensatur, nobisque applicatur variis modis, videlicet per Sacramenta, per Missæ Sacrificium, perque alia pia opera Fidelium, ipsisque Indulgentias. Ratio est: quia quotiescumque aliqua culpa, vel pœna nobis remittitur, aut aliquod gratiæ auxilium præstatur, semper Thesaurus meritorum Christi nobis applicatur, & distribuitur; eo quod hujusmodi beneficia nobis non conferantur, nisi intuitu atque virtute meritorum & Passionis Christi.

10. Resp. II. Spectando Thesaurum Ecclesiæ, prout non solum ex meritis Christi, sed etiam ex satisfactionibus Sanctorum constare intelligitur, sic ipse duntaxat per Indulgentias dispensatur. Ita Suarez *par. 3. tom. 4. disp. 51. sect. 4.* & Mastrius *disp. 23. Theol. Moral. num. 9.* cum communi. Ratio est: quia Sacramenta, Missæque Sacrificium habent suam dignitatem, atque valorem ex opere operato, duntaxat ex meritis & passione Christi, qui solus, utpote Redemptor noster, promeruit nobis facultatem, per bona opera consequendi gratiam vitamque æternam; ac proinde per hoc nobis non applicantur merita sive satisfactiones Sanctorum, bene tamen per Indulgentias. Et de his loquendo, sit

QUÆSTIO II.

Quid, & quotuplex sit Indulgentia?

SUMMARIUM.

11 *Indulgentia, quid?*
12 *Ha non tollunt culpam; sed pœnam peccatorum.*
13 *Earum effectus.*
(a) Modo uberius declarando n. 38. 41. & 42.
14 *Indulgentiarum divisio. Plenaria, seu totales, quid?*
15 *Indulgentia plena, plenior, & plenissima, non differunt quoad remissionem pœnæ?*
16 *Bene tamen quoad aliquas facultates.*
17 *Indulgentia non plenaria, seu partiales, quæ?*
18 *Indulgentia certarum annorum.*
19 *Aut dierum, quomodo intelligenda?*
20 *Quadragena, seu Quarena, Septena, & Carena, quid?*
21 *Ha male negliguntur.*
22 *Indulgentia personalis,*
23 *Localis, &*
24 *Realis, quid?*

11. CONCL. I. *Indulgentia*, quantum ad propositum, est Remissio pœnæ temporalis peccatis actualibus, quoad culpam jam remissis, coram Deo adhuc debitæ, ab habente potestatem facta per applicationem sufficientis & condignæ satisfactionis ex communi Thesauro Ecclesiæ. Hæc definitio in re est communis Theologorum, & patebit ex declaratione ipsius.

12. Dicitur, *remissio pœnæ temporalis*, Quia Indulgentiæ non valent ad remissionem culpæ, neque mortalis, neque venialis; sed solum ad remissionem pœnæ temporalis; quæ post culpam jam remissam non raro restat luenda, prout omnes Theologi fatentur. Accedit ratio: quia peccatum mortale non potest tolli, nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, hæc autem non

non conferatur per Indulgentias, sed solum per Sacramenta, in re, vel voto rite suscepta. Et quamvis peccata venialia multis remediis expiari possint, ut docet Concilium Trid. *Sess.* 14. *c.* 5. nihilominus ipsa quoad culpam non dimittuntur per Indulgentias; nam hæ supplent locum satisfactionis peragendæ post culpam jam remissam, & consequenter hanc non remittunt, sed virtute boni motus interioris, aut receptæ Sacramenti prius jam ablatam supponunt.

13. Unde Indulgentiæ valent duntaxat ad tollendam, per modum congruæ solutionis, pœnam peccatis, quoad culpam jam remissis non raro adhuc debitam, seu restantem: ac proinde effectus earum solummodo est, tollere pœnam peccatis debitam per applicationem sufficientis solutionis ex thesauro Ecclesiæ (a) non vero ipsammet culpam peccatorum. Cæteræ particulæ datæ definitionis patebunt ex dicendis in progressu.

14. CONCL. II. Indulgentiarum variæ sunt divisiones. Ita communis, idque patet inductione. Imprimis enim Indulgentiæ quoad quantitatem pœnæ, quæ remittitur, dividuntur in plenarias, & non plenarias. *Indulgentia plenaria*, seu totales sunt, quibus remittitur tota pœna temporalis, peccatis quoad culpam jam remissis debita.

15. Ubi scindum, quod aliqui distinguunt inter Indulgentiam plenam, pleniorem, & plenissimam: cujus distinctionis fundamentum desumunt ex *Extravag. Antiquorum de Pœnit. & remiss.* ubi Pontifex pro Anno Jubilæi *non solum plenam, & plenierem, imo plenissimam omnium concedit veniam peccatorum.* Sed revera quoad effectum remissionis pœnæ temporalis, nullum inter eas apparet discrimen: cum non solum Indulgentia plenissima, sed etiam plenior, & plena, in rite dispositis conferat omnium veniam peccatorum, sive pœnarum pro peccatis quoad culpam prius remissis debitarum. Neque per illum loquendi modum Pontifex aliud intendit, quam concedere *Indulgentiam adeo plenam, prout Clavium potestas se extendit*; sicuti Papam interpretatum fuisse in Consistorio, testatur Glossa ibidem *verb. Plenissimam*.

16. Nihilominus quoad speciales privilegia, & annexas facultates, potest cum Marchantio *Tom.* 3. *Tribunalis tract.* 5. *tit.* 2. *q.* 3. Mastrio *tit. disp.* 21. *n.* 21. & quibusdam aliis, sequens inter dictas Indulgentias notatu discrimen: ut *Indulgentia* dicatur *plena seu plenaria*, quando tota pœna, post culpam adhuc in Foro seu judicio Dei debita, per applicationem Thesauri Ecclesiæ remittitur. *Plenior*, quando potestate extraordinaria absolvendi a Casibus reservatis superadditur. *Plenissima*, quando ultra hæc, etiam dispensationes in Votis, & hujusmodi vinculis concedantur: prout fieri solet in Jubilæo (de quo procedit *c. Extravag. Antiquorum*) ac Indulgentiis in forma jubilæi datis.

17. Porro *Indulgentiæ non plenariæ*, seu partiales dicuntur illæ, quæ solum sunt remissivæ partis pœnæ temporalis, peccatis quoad culpam jam remissis debitæ: ut sunt Indulgentiæ certorum annorum, aut dierum: item Indulgentiæ illæ, quæ dicuntur *Quadragena*, *Septena*, *Carena*; aut quando remittitur tertia, vel quarta peccatorum.

18. Quod, si quæras, quid intelligatur per indulgentias mille, vel centum annorum aut dierum, item per quadragenam &c. Resp. I. Sensus hujusmodi Indulgentiarum non est, quod totidem dies, vel anni pœnæ Purgatorii remittantur; cum dentur Indulgentiæ nonnullæ decem millium annorum, nec tamen verisimile sit Purgatorium, quod post diem extremi judicii mox cessabit, adhuc decem millibus annorum duraturum. Unde

19. Resp. II. Sensus illius locutionis, ac hujusmodi Indulgentiarum est, quod per talis Indulgentiæ collationem tanta pœna culpam remittatur, quanta remitteretur virtute illius pœnitentiæ, quæ secundum formam juris, & consuetudinem Ecclesiæ olim statuebatur, si ipsa tot diebus, vel annis in hoc mundo peragretur. Quæ vero, & quanta ea sit, optime novit, ac determinavit Dominus Deus. Et conformiter dictis,

20. Resp. II. *Quadragena*, seu *Quarena*, est Indulgentia quadraginta dierum; idest relaxatio tantæ pœnæ, quanta fuisset redempta per pœnitentiam quadraginta dierum, olim ab Ecclesia pro certis peccatis statutam. Porro *Septena*, est Indulgentia septem annorum; seu relaxatio tantæ pœnæ, quanta fuisset remissa ob pœnitentiam septem annorum. *Carena* vero, est Indulgentia utramque prædictam complectens: Ita, ut sit remissio tantæ pœnæ, quanta fuisset redempta per pœnitentiam quadraginta dierum in pane & aqua peractam, & per aliam pœnitentiam septem annorum subsequentem. Tannerus *tom.* 4. *disputat.* 6. *dubit.* 8. *num.* 99. & alii magis communiter.

21. Quia igitur ejusmodi pœnitentiæ, olim ab Apostolis, sacrisque Canonibus sancitæ, admodum graves exiterunt, per quas proinde multum expiari poterat de pœna temporali peccatis debita: hinc merito Gobat. *tract.* 2. *Quinarii cap.* 3. *n.* 286. observat, eos pessime sibi consulere, qui ad solas Indulgentias plenarias attendunt, neglectis diebus, vel annorum Indulgentiis, quas tamen sæpissime, sive pro se, sive etiam pro Defunctis, intra modicum temporis spatium lucrari possent.

22. CONCL. III. Ulterius Indulgentia ratione subjecti, cui conceditur, dividitur in personalem, localem, & realem. *Indulgentia personalis* est, quæ directe conceditur alicui personæ determinatæ, vel toti Religioni, aut Communitati: quales plures concessæ sunt Religiosis, & variis Confraternitatibus.

23. *Indulgentia localis* est, quæ alicui pio loco conceditur ad ejus devotionem augendam, in ordine ad personas in tali loco orantes, aut alia præscripta opera ibidem peragentes: quales sunt illæ, quæ conceduntur devote visitantibus hanc vel illam Ecclesiam, ibique orantibus. Et hujusmodi Indulgentiæ dicuntur locales, non quod ipsi loco secundum se concedantur (solus enim homo est capax Indulgentiarum, non vero Ecclesia materialis, utpote quæ est res inanimata) sed quia fidelibus in tali loco devote orantibus conceduntur.

24. *Indulgentia realis* est, quæ conceditur rebus mobilibus, utputa Granis, Numismatibus, imaginibus, Rosariis, aut hujusmodi, in ordine ad homines. Et hæc Indulgentia pari passu ambulat cum locali, dempto eo, quod localis Indulgentia, loco sive devote ipsum visitantibus; realis autem rei mobili, sive eam devote penes se habentibus, atque opera ad Indulgentiæ consecutionem præscripta peragentibus concedatur.

QUÆSTIO III.

De Potestate concedendi Indulgentias, & Conditionibus ad earum valorem requisitis.

SUMMARIUM.

25 *Datur in Ecclesia potestas concedendi Indulgentias.*
26 *Idem probatur ex S. Scriptura.*
27 *Papa potest Indulgentias conferre omnibus Christi Fidelibus.*
28 *Episcopi, quas conferre valeant de Jure communi?*
29 *Quid de aliis Prælatis inferioribus?*
30 *Ad Indulgentias validas 4. conditiones requiruntur:*
I. Authoritas legitima concedendi.
31 *II. Causa justa.*
32 *Et qua talis sit?*
33 *III. Status gratiæ ex parte recipientis.*
34 *IV. Executio operis præscripti.*
35 *Indulgentia tantum valent, quantum sonant, &c.*

25. CONCL. I. Datur in Ecclesia Potestas divinitus collata D. Petro, ejusque legitimis Successoribus, concedendi indulgentias, & per earum concessionem dispensandi Thesaurum Ecclesiæ. Ita certa omnium Catholicorum, ejusque de Fide, & patet tum ex *cit. Extravag. Unigenitus*, tum ex Concilio Trid. *Sess.* 25. *in Decreto de Indulgentiis*. Ubi sic loquitur: *Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit; atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: Sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit: eosque anathemate damnat qui aut inutiles esse affirmant, aut eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.* Hactenus Concilium.

26. Eadem Catholica Veritas desumitur ex illis verbis Christi *Matth.* 16. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. ---- Et tibi dabo claves Regni Cœlorum: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Quæ promissio, *solvendi quodcunque*, cum sit amplissima & generalis, extenditur ad omnia vincula solvenda,

venda, quæ possunt homines impedire a consecutione salutis æternæ: unde cum inter hæc vincula etiam connumeretur vinculum reatus pœnæ temporalis, retardans hominem ab ingressu Regni Cœlestis, etiam potestatem solvendi hoc vinculum per opportunam dispensationem *Thesauri* Ecclesiæ, seu Indulgentiarum concessionem, Christus S. Petro, ejusque legitimis successoribus impertivit.

27. CONCL. II. Summus Pontifex potestate a Christo accepta, sicque Jure Divino, & primario ac principaliter sibi competente, potest ex rationabili causa Indulgentias, sive generales, sive particulares, omnibus Christi Fidelibus dispensare. Ita omnes Catholici: & desumitur ex *cit. Extravag. Unigenitus*, tum ex dictis *n. prec.* Accedit Ratio: quia potestas dispensandi bona communia primario penes Principem residet: atqui Summus Pontifex est Princeps, & caput visibile totius Ecclesiæ: ergo.

28. CONCL. III. Episcopi possunt jure communi concedere Indulgentias unius anni pro die Dedicationis Ecclesiæ: at vero pro Anniversario Dedicationis ejus, & in aliis casibus ob justam causam, duntaxat quadraginta dierum Indulgentias. Ita habetur expressum *c. Cum ex eo de Pœnit. & remiss.* juncto *c. ult. eod. in* 6. Hinc infert Laymannus *lib. 5. tract. 7. cap. 4. n. 2.* quod, si Episcopus ultra limites potestatis juxta Indulgentiam concedit, ea omni jure sit irrita quoad excessum. Dicitur, *quoad excessum*: valet enim nihilominus Indulgentia illa usque ad terminum potestatis Episcopalis: quia *Utile non debet per inutile vitiari*, juxta *Reg. 37. Juris in 6.* ac tenet Glossa *V. Non obstante*, *cit. cap. ult.*

29. CONCL. IV. Nullus Prælatus Episcopo inferior, neque Provinciales, aut Generales Ordinum, possunt Jure communi atque Ordinario Indulgentias concedere. Ita communis: & habetur clare decisum *c. Accedentibus de Excessibus Prælat.* Dicitur *Jure communi & Ordinario*; id est, nisi forsan quisquam eorum speciali concessione, aut commissione per Summum Pontificem sibi facta, quasdam Indulgentias (ut quandoque fieri solet) concedere valeat: nam tunc Indulgentiæ concedentur ex delegatione, seu commissione Summi Pontificis, cujus limites bene erunt observandi.

30. CONCL. V. Ad hoc, ut Indulgentiæ sint ratæ, & validæ, requiruntur quatuor conditiones: duæ quidem ex parte concedentis, nimirum authoritas legitima, & justa causa concedendi Indulgentias: & duæ ex parte suscipientis videlicet status gratiæ, ac executio operis injuncti. Ita Bellarminus *lib. 1. de Indulgentiis c. 11.* & communis: Et quidem de auctoritate legitima concedendi Indulgentias, per præcedentes Conclusiones, & textus Juris allegatos patet.

31. Deinde ad valorem Indulgentiarum requiri causam justam, ita quidem, quod concedens Indulgentiam sine causa justa non solum peccet, sed etiam Indulgentia ipsa sit invalida, conceditur passim ab omnibus. Ratio est: quia Papa non est dominus Thesauri Ecclesiæ, sed dispensator; juxta illud *1. Corinth. 4. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei*. Dispensator autem non potest sine justa causa, & ad libitum suum, de rebus domini disponere; alias enim potius dissipator bonorum domini sui foret, quam dispensator.

32. Porro causa justa dispensandi Indulgentias, non est sola utilitas, quam Indulgentiæ afferunt personis illis, quibus conceduntur; sed præterea requiritur alia causa finalis extrinseca, quæ Pontificem moveat ad Indulgentias prudenter dispensandas: qualis præsertim est ea, quæ redundat in Ecclesiæ utilitatem, bonum commune, ac Dei & Sanctorum gloriam. Atque hoc inter alia desumitur ex praxi: quia Pontifices non solent facile concedere Indulgentias, nisi in Festivitatibus Dei & Sanctorum, ut sic Fideles magis ad eorum honorem prosequendum excitentur. Item in publicis Ecclesiæ, vel cujusdam Provinciæ Catholicæ necessitatibus, ad quas sublevandas conceduntur vel Jubilæa per totum Mundum, vel Indulgentiæ personales pugnantibus contra Turcos. Imo ordinarie conceduntur Indulgentiæ, sub onere orandi pro exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, fidei Catholicæ propagatione, hæresum atque schismatum extirpatione, Principum Christianorum concordia, & hujusmodi.

33. Tertio, ex parte recipientis Indulgentiam, certum est, quod requiratur status gratiæ: quia homo existens in peccato mortali, non est capax Indulgentiæ, utpote cum per hanc sola pœna temporalis peccato quoad culpam jam remisso debita remittatur. Quamvis autem nonnulli velint, requiri statum gratiæ etiam tunc, quando opera pro lucrandis Indulgentiis præscripta perficiuntur, atque hoc ipsum in praxi merito sit observandum, præmittendo vel Confessionem, vel

vel saltem perfectam Contritionem: nihilominus communior, & probabilior est Doctorum sententia, sufficere ad lucrandam Indulgentiam, quod homo sit in statu gratiæ pro eo instanti, quo ultimum opus præscriptum perficitur, atque Indulgentia consummatur, & ejus effectus est percipiendus. Lugo *disp. 17. de Pœnit. n. 83.* Mastrius *n. 61.* Hermex *disp. 4. de Satisfactione, q. 11. n. 77.* & alii.

34. Quarto tandem ad consequendum fructum Indulgentiæ, requiritur ex parte lucrantis executio operis præscripti. Ratio est: quia Papa concedit Indulgentiam sub conditione hujus, vel illius operis exequendi: ergo, si opus non perficitur, neque Indulgentia obtinetur.

34. Omnes hæ quatuor conditiones apte continentur in illo vulgato Theologorum dicto: *Indulgentia tantum valet, quantum sonat, Clavo non errante, & Christo non reprobante*, Id est: *Clavo non errante*, ob defectum legitimæ potestatis, aut justæ causæ conferendi Indulgentias: *& Christo non reprobante*, ob indispositionem recipientis, qui vel non est in statu gratiæ, vel saltem opera præscripta non rite peragit.

QUÆSTIO IV.

De Subjecto Indulgentiarum capaci, & quomodo prosint Defunctis?

SUMMARIUM.

36 *Beati in cœlis, damnati, & infantes, non sunt capaces Indulgentiarum.*

37 *Bene tamen Baptizati viventes adulti.*

38 *Hi ipsis applicantur per modum absolutionis, habentis annexam solutionem, &c.*

39 *Catechumeni, an sint Indulgentiarum capaces?*

40 *Quid de ipsis pie defunctis?*

41 *Animæ Purgatorii sunt capaces Indulgentiarum, sed per modum Suffragii?*

42 *Indulgentiæ aliter conferuntur vivis, aliter Defunctis.*
Clausula, per modum Suffragii, *quid denotet?*

43 *Indulgentiæ, an certo prosint illis Defunctis, quibus applicantur?*
Rationes sententiæ negativæ.

44 *Affirmativa est probabilior.*

45 *Fundamenta ejus.*

46 *Solventur rationes in oppositum.*

47 *Cur diversa Indulgentia pro eadem Anima applicentur?*

36. CONCL. I. Neque Beati in Cœlis, neque damnati in inferno, neque infantes, aut perpetuo amentes, sunt capaces Indulgentiarum. Ita omnes Doctores. Ratio clara est: quia Indulgentia est remissio pœnæ temporalis ex peccatis actualibus quoad culpam jam remissis coram Deo adhuc debitæ. Atqui Sancti in cœlis non habent talem pœnam etiamnum restantem (quæ illuc *non intrabit aliquod coinquinatum, Apoc. 21.*) Damnati vero sunt in statu disgratiæ, atque ultimo termino damnationis æternæ: infantes autem, & perpetuo amentes nullum commiserunt peccatum actuale.

37. CONCL. II. Loquendo de adultis etiamnum viventibus, omnes baptizati, atque in statu gratiæ constituti, & opera injuncta peragentes sunt capaces Indulgentiarum, per quas ipsis pœna temporalis, peccatis eorum quoad culpam jam dimissis adhuc debita, remittitur non per modum simplicis solutionis, neque per modum meræ absolutionis, sed per modum absolutionis secum habentis annexam solutionem ex communi Thesauro Ecclesiæ. Ita Hermex *loc. c. qu. 6. nu. 55.* Mastrius *disp. 23. Theol. Moral. nu. 10.* Bellarminus *lib. 1. de Indulgentiis, cap. 5.* Suarez, & alii. Prior pars patet ex dictis *num. 33. & seqq.*

38. Altera pars probatur ex eo: quia per Indulgentias hinc dispensatur spiritualis Thesaurus Ecclesiæ, sicque intervenit solutio; illinc vero in dispensante requiritur jurisdictio, qua possit alterum solvere, & consequenter simul intervenit absolutio. Unde Pontifex *c. Quod autem de Pœnit. & remiss.* loquens de Indulgentiis, sic ait: *Cum a non suo Judice ligari nullus valeat, vel absolvi: remissiones præditas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus ut prosint, propris Judicibus specialiter indulserunt.* Nota ly *vel absolvi*; & ly *propris Judicibus*.

39. CONCL. III. Adulti necdum baptizati, proprio tamen actu contritionis, sive Baptismo flaminis justificati, v. g. Catechumeni etiamnum viatores, non videntur esse capaces Indulgentiarum. Ita Mastrius *loc. c. nu. 55.* cum communi & probabiliori Theologorum. Ratio est: quia tales per januam Baptismi, actu recepti, nondum sunt ingressi Ecclesiam, neque adhuc ejus jurisdictio-

ctemi subjecti: atqui Indulgentiæ viventibus non prosunt, nisi subditis, *arg. cit. cap. Quod autem de Pœnit. & remiss.* Idipsum probat praxis, & consuetudo Ecclesiæ, quæ hactenus non nisi Fidelibus, hoc est, jam Baptismi Charactere insignitis, consuevit Indulgentias concedere.

40. Additur notanter, *Carbeccamuti etiam nunc viventes*. Nam loquendo de ipsis in statu gratiæ jam defunctis, satis probabile est, prodesse eis Indulgentias per modum Suffragii: quia Defunctis conceduntur Indulgentiæ non per modum absolutionis judiciariæ, sicuti vivis; sed per modum Suffragii, prout illico amplius declarabitur: hinc sit

41. CONCL. IV. Animæ Fidelium in gratia defunctorum, & ob restantem pœnam temporalem suis peccatis debitam in Purgatorio existentium, sunt capaces Indulgentiarum; quamvis hæ eidem non applicentur per modum absolutionis (sicuti fit respectu viventium) sed per modum suffragii; habentis simul annexam solutionem ex communi Thesauro Ecclesiæ. Prima pars est certa, & patet ex receptissima praxi Ecclesiæ, atque communi sensu Fidelium; ac desumitur ex illo Articulo Symboli Apostolici; *Credo Sanctorum communionem*. Ratio posterioris partis est: quia Summus Pontifex, Christi in terris Vicarius, non habet jurisdictionem in Defunctos, sicuti in Fideles viventes: non enim Christus, *Matth. 16.* promisit D. Petro, ejusque legitimis Successoribus, potestatem absolute solvendi quoscunque, sed cum limitatione; *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis*.

42. Et hinc fit, quod Romanus Pontifex, sive per se, sive per alios, quibus id committit, Fidelibus cuamnum viventibus conferat Indulgentias vi Clavium, ac per modum absolutionis, simul tamen habentis annexam solutionem ex Thesauro Ecclesiæ, ut jam dictum. Verum defunctis non sic confert Indulgentias per modum absolutionis judiciariæ, sed duntaxat *per modum Suffragii*, habentis tamen annexam solutionem ex communi Thesauro Ecclesiæ; quatenus offeruntur Deo Patri infinita Christi merita, & satisfactiones Sanctorum, per modum condigni pretii pro liberatione Fidelium Animarum e Pœnis Purgatorii, additis precibus, ut eadem pro harum liberatione misericordissime acceptare velit. Et hoc denotat clausula illa communiter inserta brevibus Apostolicis, concedentibus Indulgentias pro Defunctis *per modum Suffragii*, prout communior Doctorum explicat; quamvis nonnulli aliam ejus explicationem afferant, uti videre est apud Filliucium *tom. 1. tract. 8. cap. 8. n. 304. & seqq.* Verum occasione prædictorum.

43. Quæres: an Indulgentiæ pro Defunctis, certo & infallibiliter illis prosint, quibus applicantur? Non desunt, qui hoc negent. Siquidem effectus Indulgentiarum pro Defunctis dependet ex liberali acceptione Dei: atqui credibile est, quod Deus facilius acceptet Indulgentias applicatas pro iis Defunctis, qui ex hac vita decesserunt magis digni tali gratia, utpote quia in vivis fuerunt magis solliciti in acquisitione Indulgentiarum, & oratione pro Defunctis. Nam, ut in simili de Missæ Sacrificio, orationibus, atque eleemosinis, inquit D. Augustinus *lib. de cura pro mortuis cap. ult.* & refertur *c. Non sufficimus 13. q. 2. Non pro quibus sunt, omnibus prosunt; sed his tantum, quibus, dum vivunt, comparatur, ut prosint*. Et his similia habet idem S. Augustinus, relatus *c. Tempus 13. q. 2.* Idipsum videtur suadere praxis Ecclesiæ, ac sensus piorum Fidelium, sæpius applicantium Indulgentias pro una eademque anima Purgatorii. Et pro hac sententia citantur Durandus, Cajetanus, Canus, Corduba, & quidam alii. Verum his non obstantibus.

44. Resp. Indulgentiæ rite acquisitæ, & pro determinata anima ex intentione Summi Pontificis applicatæ, secundum ordinariam Dei legem certo ac infallibiliter prosunt eidem; ita, ut anima illa de Thesauro Ecclesiæ per modum Suffragii sibi applicato, juvetur vel ad totalem remissionem pœnæ, & liberationem e purgatorio, si Indulgentia fuit plenaria: vel partialem, si hæc erat partialis. Ita Rodericus *Tom. 2. qq. reg. q. 97. art. 3.* Gobat *Tract. 4. Quinar. n. 483. & seqq.* Filliucius *loc. cit. n.* 305. atque Mastrius *disp. 24. Theol. Moral. num. 47.* asserens, hanc esse communiorem & probabiliorem sententiam.

45. Desumitur data responsio ex modo loquendi Summorum Pontificum, qui in Brevibus Altarium privilegiatorum concedere solent, *ut quicunque Sacerdos*, servatis servandis, ac diebus in Brevi specificatis, *Missam Defunctorum pro anima cujuscunque fidelium Defunctorum, ad præfatum Altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum Suffragii indulgentiam consequatur: sic Domini nostri &c. Suffragantibus meritis, Purgatoriis pœnis liberetur*. Ubi ponderandum

dum ly *pro Anima cujuscunque*, ac ly *Anima ipsa &c.* nam hujusmodi locutio promittit liberationem Animæ determinatæ e Purgatorio. Accederatio, quia ex una parte, quælibet anima Purgatorii est capax Indulgentiarum; cum existat in statu gratiæ; sitque DEO conjuncta per charitatem: ex altera parte Deus non solet finere, ut preces Ecclesiæ sint irritæ; simulque Communio Sanctorum sese extendit etiam ad Ecclesiam purgantem, sive Fideles in gratia sanctificante decedentes, atque existentes in Purgatorio.

46. Nec obstant rationes prioris sententiæ. Ad primam siquidem negatur consequentia: esti enim credibile sit, Deum non solum alia Ecclesiæ Suffragia, utputa Missæ Sacrificia, orationes, eleemosinas, & jejunia, sed etiam Indulgentias generaliter pro Defunctis applicatas, facilius admittere pro illis, qui in vita fuere studiosi Indulgentiarum, ac fer ventius memores piarum Animarum; id tamen de Indulgentiis pro hac determinata anima applicatis (secundum Legem Dei ordinariam) non videtur dicendum. Ad D. Augustinum potest responderi eodem modo; nisi dicere velis, Sanctum Doctorem ita locutum fuisse ad excludendum valde malos, sive decedentes in statu peccati mortalis, qui dum vixerunt, ob statum sum peccaminosum non promeruerunt, ut Indulgentiæ, atque Suffragia Fidelium sibi post mortem prodessent.

47. Ad ultimum dicitur, diversas Indulgentias pro una eademque anima merito applicari: tum quia non constat, an Indulgentia pro tali defuncto hic & nunc vitu obtenta sit, & nulla ex conditionibus ad ejus validitatem requisitis defuerit, v.g. justa causa concedendi tales Indulgentias, celebratio numeri Missarum pro valore Altaris privilegiati præscriptarum &c. Tum quia ignoratur, utrum non ob peculiarem causam Deus voluerit respectu talis Animæ exceptionem quandam facere a lege sua ordinaria, ipsique pro nunc, juxta inscrutabilia judicia sua, negare fructuum Indulgentiarum sibi applicatarum. Tum tandem, quia allata nostra responsio est quidem probabilior, atque communior inter Theologos, sed non omnino certa; ac proinde merito pro iisdem Animabus reiterantur Suffragia, Missæ Sacrificia, atque Indulgentiæ. *Melius enim superveniunt ista eis, quibus non obsunt, quam eis deerunt, quibus prosunt*, ut loquitur D. Augustinus, relatus *cit. c. Non sufficimus 13. qu. 7.*

QUÆSTIO II.

Varia Dubia circa Indulgentias breviter solvuntur.

SUMMARIUM.

48 *Ad lucrandas Indulgentias, an sit necessaria Confessio?*
49 *Et quando?*
50 *Quid si quis habeat sola peccata venialia?*
(b) Ut dictum Tract. 10. Disp. 3. n. 13.
51 *Unica Confessio, & Communio, an sufficiat pro pluribus Indulgentiis?*
52 *Quanto tempore possit præcedere?*
53 *An eodem opere, v.g. oratione, possint obtineri plures Indulgentiæ?*
54 *Sententia negativa probatur.*
55 *Sed limitatur.*
56 *An eadem Indulgentia possit sæpius obtineri repetito opere.*
57 *Decretum Sac. Congregationis circa hoc.*
58 *Praxis Fidelium.*
59 *Omittens levem partem operis injuncti, an lucretur Indulgentiam?*
60 *Hæ levitas quomodo mensuranda?*
61 *Non valens intrare Ecclesiam, an foris lucretur Indulgentias?*
62 *Quid de Indulgentia concessa visitantibus quinque Altaria?*
63 *An, si alicui Festo est annexa Indulgentia, translato Festo, etiam transferatur.*
64 *An Indulgentia Portiuncula habeat aliquid speciale?*
65 *Quomodo ibidem intelligendi sint termini toties quoties?*
66 *Quomodo Indulgentia cessent?*

48. QUæritur I. Utrum ad lucrandas Indulgentias semper sit necessaria Confessio Sacramentalis? Resp. I. Si in Concessione Indulgentiarum non expresse præscribatur Confessio, certum est, eam non requiri actualiter; sufficere, ut Indulgentiam lucraturus existat in statu gratiæ, aut præmittat contritionem perfectam de peccato mortali, si quod habuerit.

49. Resp. II. Quamvis Confessio in forma Indulgentiarum præscribatur, utputa si dicatur, *præmissa, aut facta Confessione*; & lucraturus Indulgentiam habet peccatum mortale, non sufficit sola contritio, sed requiritur actualis Confessio ad ejus consecutio-

tionem. Ita satis communis Theologorum; quia Confessio actualis censetur esse conditio necessario requisita per Breve indulgentiarum ad earum effectum, seu consecutionem.

50. Resp. III. Quando Confessio quidem in forma Indulgentiæ præscribitur, tamen Indulgentiam lucraturus nullam habet peccatum mortale, sed sola venialia, licet cautus & consultus sit, facere Confessionem de solis venialibus; nihilominus satis probabile est, tunc non requiri Confessionem actualem, nisi in forma Indulgentiæ expresse requiratur confessio etiam de solis venialibus. Ita Suarez *dis. 52. sect. 3. n. 5.* Herincx *cit. disp. 4. n. 80.* & alii passim. Ratio est: quia, etiamsi Confessio requiratur, id intelligendum est, quando pœnitens habet conscientiam peccati mortalis: nam confessio peccatorum simpliciter prolata, intelligitur in §§. Canonibus de Confessione mortalium; prout in simili patet ex præcepto annuæ Confessionis, ad quam (b) nemo obligatur, nisi habeat remorsum peccati mortalis. Accedit, quod Confessio videatur tantum exigi præsuppositive, seu tanquam certius medium acquirendi gratiam justificationis; vel tanquam necessaria ad Communionem in habentibus peccatum mortale, quæ simul frequenter præscribitur.

51. II. An unica Confessio, & Communio sufficiat ad lucrandas plures indulgentias eodem die diversis Ecclesiis concessas? Resp. Affirmative; eliqne certa, & communis Doctorum sententia. Imo hoc idem dicendum erit, quamvis secunda Indulgentia non eadem die, sed sequenti (dummodo quis perstiterit in statu gratiæ, ut recte limitat Basseus *V. Indulgentiam nu. 2.*) vel intra debitam distantiam occurrat. Lugo *disput. 27. de Pœnit. sect. 6. num. 93.* & alii. Quia Confessio, & Communio, non videntur exigi directe, sed solum præsuppositive, ad majorem dispositionem subjecti ob finem intentum, ut proxime dictum.

52. Porro, quantum se extendat ly *vel intra debitam distantiam*, non omnino conveniunt Doctores. Et quidem, ut taceantur dies pauciores, Portel. *in Dubiis Regular. V. indulgentia 12. num. 5.* post Comitolum, & Bonagratia Habiensis *in Summula Quæstionum Regularium. V. Indulgentia nu. 225.* post Basseum extendit hoc ad quatuor dies, dummodo quis de novo mortaliter non peccaverit. Deinde Gobat *tract. 3. Quinariin, 181.* cesset, non solum allatam doctrinam procedere, quando sequenti die occurrit altera Indulgentia, sed insuper arbitratur, quod si quis primo die Augusti susceperit Sacramentum Confessionis, & Communionis possit die sexta ejusdem mensis absque nova Confessione & Communione lucrari Indulgentiam, quæ omnibus confessis, & communicatis, illo die proponitur; eo quod hic vero possit dici esse confessus, & communicatus.

53. Quæritur III. An eodem opere, v. g. unica oratione, possit quis lucrari plures Indulgentias diversis vicibus concessas? Ut si quis eodem die plures Indulgentias diversis Granis benedictis concessas lucrari intendat, quarum aliquam pro se, alias pro Defunctis applicare velit, an is teneatur ad hunc finem consequendum opera præscripta, v. g. preces, iterare? Et quidem de Confessione, & Sacra Communione, jam patet ex proxime dictis: verum de aliis operibus ad Indulgentiarum consecutionem præscriptis loquendo.

54. Resp. Eodem opere non possunt diversæ Indulgentiæ lucrari, nisi forsan illæ essent per modum unius. Ita Lugo *loc. cit. n. 90. & seqq.* post Suarez, & alios. Mastrius *n. 65.* Herincx *n. 82.* & alii. Ratio est: quia ad singulas illas Indulgentias requiritur causa propria, & diversa; simulque oratio directe præscribitur pro singulis Indulgentiis, & consequenter oportet eam reiterare.

55. Additur tamen, *nisi forsan ille concessa essent per modum unius*: ut cum visitanti Ecclesiam, talem concedantur Indulgentiæ omnium Ecclesiarum Urbis. Tunc enim per unicum actum, seu unam visitationem, possunt omnes Indulgentiæ illæ lucrari; prout satis indicat ipsamet formula talis concessionis.

56. Quæritur IV. An possit obtineri sæpius eadem Indulgentia repetito opere injuncto: ut si visitantibus talem Ecclesiam concedatur Indulgentia, & quis eam ter visitet, an toties lucretur indulgentiam? Resp. I. Si ejusmodi Indulgentia sit concessa in perpetuum, & opus injunctum repetatur distinctis diebus, toties acquiritur Indulgentia, quoties illud persolvitur. Ita certa, & communis; nam id satis convincit formula dictæ concessionis.

57. Resp. II. Quod si Indulgentia conceditur pro certo duntaxat die, & opus pium sæpius intra eundem diem repetatur, non nisi semel Indulgentia plenaria eodem die lu-

lucrari potest. Hæc responsio est quidem contra non paucos anteriores Auctores (quorum sententia circa Indulgentias non plenarias necdum videtur rejecta) sed de facto indubitanter tenenda, ob Decretum Sac. Congregationis circa Indulgentias editum, ac per Innocentium XI. die 7. Martii 1678. approbatum, & inviolate servari jussum, ubi §. fin. declaratur: *Semel duntaxat in die Plenariam Indulgentiam in certo die Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.* Ita sonat Decretum.

58. Nec obstat pia praxis Fidelium, sæpius intra eandem diem opus præscriptum, v. g. orationem, aut Ecclesiæ visitationem peragentium. Nam hoc fit ad certius & securius lucrandam Indulgentiam Plenariam: si enim quis prima vice opera præscripta defectuose peregisset: adeo ut Indulgentiam per ea non fuerit meritus, lucrabitur ipsam, si eadem opera iterum, & sine defectu, intra debitum tempus obeat. Gobat *Tract. 4. Quinarii, n. 203.* post Bonacinam.

59. Quæritur V. An prætermittens levem partem operis injuncti, consequatur Indulgentiæ effectum: ut si ad consequendam Indulgentiam sit injunctum Rosarium, vel jejunium, & quis vel de die aliquid modicum degustet, vel e Rosario unum aut alterum *Ave* omittat? Resp. Etsi res hæc nonnihil sit dubia, eo quod Indulgentia solum, ac indivisibiliter concedatur pro toto opere; adhuc tamen probabilius est, non impediri effectum Indulgentiæ ex omissione partis, quæ tum in se, tum respectu operis injuncti levis existit. Ita Mastrius *loc. cit. num. 69.* Gobat *ibidem n. 190. & seqq.* Suarez, Bonacina, & alii. Ratio desumitur ex illa generali regula: *Parum proinde reputatur.* Simulque, quia posita etiam levi partis omissione, adhuc opus injunctum simpliciter præstatur.

60. Additur notanter, *quatum in se, tum respectu operis injuncti levis existit.* Nam ejusmodi pars non tantum absolute, sed etiam respective debet esse minima: unde non lucrantur indulgentias, recitantibus tria, vel quinque *Pater & Ave* concessas, qui unum omittit; hæc enim omissio, licet secundum se sit levis, tamen respectu talis operis censetur esse notabilis. Quod si vero quis omittat partem notabilem, ille neque totum fructum Indulgentiæ, neque partem ipsius consequitur. Lugo *cit. disp. 27. num. 88.* Gobat *num. 188. & 189.* & alii.

61. Quæritur VI. Utrum non valens intrare Ecclesiam, sive ob multitudinem hominum, sive quia eam clausam reperit, possit lucrari Indulgentias, visitantibus talem Ecclesiam concessas, orando ante fores, vel in Cœmeterio ipsius? Resp. affirmative: nam talis censetur moraliter Ecclesiam visitare, & in ipsa orare; simulque in favorabilibus, nomine Ecclesiæ etiam Cœmeterium comprehenditur.

62. Secus dicendum de Indulgentia concessa visitantibus quinque Altaria: licet enim existens, atque orans in Cœmeterio, dicatur moraliter visitare Ecclesiam: non tamen censetur moraliter visitare hoc, vel illud Altare. Itaque ad visitanda Altaria oportet ingredi ipsam Ecclesiam, atque eadem vel motu locali devote invisere, vel saltem in loco ac situ existere, unde sese convertendo ad quodlibet eorum, sicque orando, moraliter censeri possit, unumquodque ipsorum visitasse; nam motus localis ad hoc simpliciter necessarius non est. Lugo *cit. disp. 27. num. 98.* Mastrius *loc. cit. n. 23.* & alii.

63. Quæres VII. Utrum, si alicui Festo est annexa Indulgentia, translato Festo etiam transferatur ipsa Indulgentia? Ad hoc Dubium post recens Decretum S. Congregationis respondet noviissime Noster Felix Potest. in Examine Confessionis *part. 2. tom. 4. capit. 7. numer. 3739.* Quando est Festum Fori, seu tale, in quo populus abstinet a servilibus, illudque præcise transfertur, quoad Chorum & recitationem Officii, tunc non transferri Indulgentias; secus vero esse dicendum, si Festum illud etiam transferatur quoad forum, modo talis translatio non fiat voluntate, sed juxta Rubricas & Ritum Ecclesiæ. Ratio desumitur ex mente Summi Pontificis, ideo, teste S. Pio V. in Bulla 34. ad talia Festa Fori Indulgentiam concedentis, ut eadem sit ad usum, & devotionem populi. Populus autem non attendit ad usum Officium, sed ad id, quod est publicum, nempe ad Festi solemnitatem quoad Forum. Ex quo fit, quod translato Festo non solum quoad officium, sed etiam juxta Rubricas quoad Forum, pariter transferatur Indulgentia, non vero transferatur Indulgentia, si Festum Fori transferatur præcise quoad officium. Respondeo II. Si Festum aliquod non est Festum Fori,

seu tale, in quo debet abstineri a servilibus, tunc locum habet Decretum Sacræ Congregationis Rit. editum 10. Junii 1690. Ethæc talis Tenoris: *Translato festo, in cujus die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam Indulgentia, nisi ex concessione speciali.* Dicitur notanter, *nisi ex Concessione speciali*, quale indultum ab Innocentio X. teste La Croix obtinuit Societas JESU circa Festum Sancti Francisci Xaverii, si incidat in Dominicam primam Adventus, ubi non solum Officium, sed pariter Indulgentia transfertur in diem Lunæ proxime sequentem. Quod indultum novissime confirmavit Clemens XI. 24. Novembris 1702.

64. Quæres VIII. An Indulgentia Portiunculæ habeat aliquid speciale præter communes alias indulgentias, & quidnam? Respondeo, præterquam quod hæc indulgentia originem trahit ab ipso Christo Domino, adhuc sequentia habet special a. I. Loquendo de ipsa Ecclesia Portiunculæ, seu Sanctæ Mariæ Angelorum prope Assisium, ibidem Fideles singulis diebus, si dictam Ecclesiam visitent, possunt lucrari Indulgentias Plenarias. Ita novissime, & charissimis terminis concessit Innocentius XII. in suo Brevi *Redemptoris & Domini Nostri &c.* edito die 8. Augusti 1695. vide nostrum Patrem Felicem Potestà *part. 1. Exam. Confess. tom. 4. cap. 8. numer. 3797.*

Secundo. In Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum prope Assisium dictæ indulgentiæ in anno sancto non suspendantur: ex Brevi Innocentii X. 5. Julii 1650. Clementis X. 12. Novemb. 1674. & Innocentii XII. 21. August. 1699. vide dicenda infra. Tertio. Extendendo gratias ad alias Ecclesias totius Ordinis Seraphici per totum orbem diffusi, certum & extra ullam est controversiam, quod in dictis Ecclesiis omnibus Christi Fidelibus sint a summis Pontificibus in Festo Portiunculæ concessæ indulgentiæ plenariæ, atque hoc in perpetuum 2. Augusti a primis vesperis usque ad occasum Solis. Quarto. An Fideles frequentantes eo tempore dictas Ecclesias, toties, quoties accedunt, lucrentur indulgentias plenarias, prout est communis persuasio, teste P. Felice Potestà *loc. cit.* etiam Romæ non solum apud simplices, verum etiam apud viros doctos & Primates, exinde diem istum continuis visitationibus insumentes, magna erat suo tempore controversia, quæ exco crevit, quia Innocentius XI. in Brevi inferius allegando, & Romæ die 7. Martii 1678. edito statuit, semel duntaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam lucrifieri. Cum autem Summus Pontifex in citato loco videatur loqui de Indulgentiis ordinariis; indulgentia autem Portiunculæ fit extraordinaria, utpote ortum habens a Christo Redemptore, & exinde semper a Summis Pontificibus specialibus favoribus condecorata, S. Congregatio Cardinalium Concil. Trident. Interpretum die 17. Julii 1700. sustulit hanc controversiam, ac respondit: *Servandum esse solitum*, posteque consequenter FF. Minores, uti antea, ita etiam deinceps licite populo persuadere, easdem indulgentias lucrificri illo die toties, quoties. Quinto. Indulgentia Portiunculæ potest per modum suffragii applicari etiam Defunctis. Ita concessit Innocentius XI. in suo Brevi: *Alias Fel. record. &c.* Edito die 22. Januarii 1687. uti videndum apud P. Augustinum Matthæucium in suo officiali curiæ Regularis *vers. indulgentia n.* 16.

65. Quæres IX. Posito, Indulgentias Portiunculæ lucrifieri posse toties, quoties, quomodo hi termini sint intelligendi? Respondeo, meo quidem judicio esse singulis vicibus interpolandam aliquam moram: interea tamen pro consolatione Fidelium pono verba formalia P. Felicis Potestà *loc. cit. num. 3803. & seqq.* ubi sic ait: *Plures tenent, esse intelligendum, ut visitationes pro eodem die sint, seu moraliter interruptæ, seu continuatæ, quia favores sunt ampliandi. Alii docent, visitationes debere esse moraliter interruptas, ut inter unam & aliam visitationem, aliquod medium otii & interpolatio. Asserunt exemplum in humanis: si quis enim postquam Principem invisit, statim & per plures horas absque interpolatione ad urbem redeat, tales visitationes plus saperent risus, aut fastidii, quam prudentiæ. Si, quid sentiam, scire cupis, dico secundum modum plus sapere prudentiæ humanæ; primum plus patratis, ac simplicitatis. Scio tamen cum S. Job c. 10. Dei non esse oculos carneos, nec sicut videt homo illum videre.* Ita ille.

66. Quæres ultimo, quomodo Indulgentiæ semel concessæ iterum cessent? Respondeo primo, si tales Indulgentiæ fuerint ad certum tempus limitatæ, vel sub certa conditione concessæ, tempore isto elapso, vel conditione deficiente, etiam cessant indul-

gentiæ. Secundo. Si indulgentiæ sunt certo loco affixæ, eo destructo, pariter cessant, Quod, si talis locus v.g. Templum paulatim per partes destruatur, & per partes iterum reædificetur, non cessabunt indulgentiæ. Etenim in simili casu videtur perdurare adhuc eadem moraliter Ecclesia, ob quam rationem juxta La Croix pariter non indiget nova consecratione. Tertio. Si indulgentiæ sint datæ ad certas res v. g. ad Rosaria, Medallias &c. iis deperditis, vel moraliter destructis, etiam deperditur indulgentia v.g. si frangatur una pars transversa Crucis Terræ sanctæ, illa indulgentia cessat, cum ex hac fractione moraliter desierit forma Crucis. Et licet aliqui cum Gobat. velint defendere, si talis res v. g. Crux iterum redintegretur, manere indulgentias, mihi tamen cum pluribus aliis videtur non manere eadem, quoniam posita semel fractura, jam non censetur amplius moraliter eodem numero Crux, etsi postea redintegretur, sicuti destructa simul & semel Ecclesia, non censetur manere eadem, etsi ex prioribus a potiori materialibus reædificetur. Quarto demum cessant indulgentiæ per expressam concedentis, vel ejusdem Successoris revocationem.

QUÆSTIO VI.

Quæ Indulgentiæ per Paulum V. revocatæ, ac de novo Regularibus concessæ fuerint?

SUMMARIUM.

67 *Paulus V. revocavit Indulgentias Regularibus concessas.*
68 *Et quas generatim.*
69 *Corollaria circa non revocatas.*
70 *Indulgentiæ indubitatæ, ac per Paulum V. de novo concessa Regularibus. I. II. III.*
71 *IV. V. VI.*
72 *VII.* (c) Supra 57. citatum.
73 *VIII. IX. X.*
74 *XI. XII. XIII.*

67. ADvertendum, quod Paulus V. per specialem Bullam, quæ incipit, *Romanus Pontifex, die 23. Maii 1606.* edita (ut hæc in Bullario Romano, tom. 3. ac inter ejus Constitutiones ordine 21.) ob varia dubia, incertitudinem & confusionem earum, *omnes & singulas Indulgentias quascumque Ordinibus, & Institutis Regularibus hujusmodi, etiam mendicantibus, & quibuslibet personis Regularibus concessas, perpetuo revocaverit*; atque ipsarum loco novas concesserit. Quia vero nonnulli postmodum audebant asserere, priores Indulgentias esse denuo renovatas, Alexander VII. ad istum errorem subinovendum, inter alias Propositiones etiam sequentem, ordine 37. damnavit: *Indulgentia concessa Regularibus, & revocata a Paulo V. hodie sunt revalidata.* His præsuppositis, sit

68. CONCL. I. Generatim loquendo, per Bullam Pauli V. revocatæ sunt illæ solæ Indulgentiæ, quæ directæ ac principaliter concessæ fuerunt ipsis Religiosis, ac Monialibus, Ita Gobat. *loc. cit. numer.* 546. Bonagratia Habsensis *in Summula Quæstionum Regularium vers. Indulgentia numer.* 221. & alii. Siquidem Paulus V. ibidem asserit, a se revocari *Indulgentias quibuscumque Ordinibus, & Institutis, & personis Regularibus concessas*: quæ verba, cum sint correctiva Jurium antiquorum, sunt strictæ intelligentiæ, videlicet de illis solis, quæ ipsis Ordinibus, & personis Regularibus concessæ fuerunt: ut v.g. quoties FF. Minores celebrant, vel communicant, Indulgentiam plenariam consequantur, si id fecerint in die Dominico, aut Festis Domini, vel B. MARIÆ Virginis, aut quoties Religiosi dicerent Psalmum *Miserere*, & hujusmodi.

69. Colligitur proinde, quod per dictam Bullam non sint revocatæ Indulgentiæ, quæ promiscue concedebantur Religiosis & Sæcularibus. Neque illæ, quæ concessæ sunt universis Christi Fidelibus, visitantibus in certis Festivitatibus Ecclesias Regularium; cum hi non debeant esse deterioris conditionis, quam alii Fideles. Neque ex, quæ concessæ fuerunt Sæcularibus, utputa parentibus, cognatis, intuitu Religiosorum: aut ipsis Religiosis pro Animabus Purgatorii, ac hujusmodi: nam tales non fuerunt directe concessæ ipsis Regularibus.

70. CONCL. II. Indulgentiæ indubitatæ, ac per Paulum V. de novo concessæ omnibus personis Regularibus quorumvis Ordinum, sunt sequentes. I. Habitum Regularem a legitimis Superioribus causa profrendi in eo suscipientibus, & vere pœnitentibus, confessis, ac Sacra Communione refectis, Indulgentia plenaria. II. Professionem (ut supra) emittentibus,

Indulgentia Plenaria. III. Cuilibet Religioso intra Claustra sui Monasterii viventi, qui in Festo principali sui Ordinis confessus, & Sacra Communione refectus fuerit, aut Missam celebrans pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderit, Indulgentia Plenaria.

72. IV. In cujuslibet vero mortis articulo, si fuerit vere pœnitens & confessus, & Sacra Communione refectus, vel si id facere nequiverit, saltem contritus, nomen JESU ore, si potuerit, sin autem, corde devote invocaverit, Indulgentia Plenaria. V. Qui primam Missam canonice promotus, & confessus celebrabit, vel confessus & communicatus eidem Missæ interfuerit, aut ipso die Missam similiter celebrabit, Indulgentia Plenaria. VI. Spiritualia Exercitia per decem dies facientibus, Indulgentia Plenaria. Ubi tamen sciendum, quod novissime Alexander VII. in Bulla, *Cum sicut* (& habetur *tom. 5. Bullarii Romani, Constit. 68. dicti Pont.*) hujusmodi Indulgentias Plenarias concesserit FF. Minoribus, qui per octiduum vacaverint Exercitiis spiritualibus.

73. VII. Religiosi intra Claustra viventes, qui suam Ecclesiam devote visitaverint, & ut præfertur, oraverint, consequuntur easdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias Urbis, & extra eam diebus Stationum consequuntur, in omnibus diebus perinde ac si ipsas Urbis Ecclesias personaliter visitarent. Circa hoc autem notandum est Decretum Sacræ Congregationis (*c*) quæ *Indulgentias Stationum Urbis, quæ a Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicata sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis: Omnibus, aut personis, diebus tantum Statio, num in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat.* Ita Decretum.

73. Omnibus Religiosis intra Claustra viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam ante Altare eorum Ecclesiæ dixerint, in quolibet die quinque annos, & totidem Quadragenas. IX. Eisdem Indulgentias lucrantur existentes extra Claustra de licentia suorum Superiorum tanquam Prædicatores & Lectores, si dictas preces ante quodlibet Altare dixerint. X. Religiosi, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confessi, & Sacra Communione ultima Dominica mensis refecti fuerint, lucrantur sexaginta annos, & totidem Quadragenas.

74. XI. Qui vero contrito corde & pœnitentes eorum culpas & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accusabunt, & spiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem Quadragenas. XII. Missiones ad Terras Infidelium acceptantibus, &c. Indulgentia Plenaria. XIII. Orationibus quadraginta Horarum per Superiores Ordinum indictis in Visitationibus Generalibus, qui spatio duarum horarum interfuerint, &c. Indulgentia Plenaria. Patent hæc omnia ex citata Bulla Pauli V. unde delumpta sunt.

QUÆSTIO VII.

Quæ Indulgentiæ ab Innocentio XI. declaratæ sint apocryphæ?

SUMMARIUM.

75 De Indulgentiis ab Innocent. XI. declaratis tanquam apocryphis.

75. DElatæ sæpius fuere ad Sacram Congregationem Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præpositam, Indulgentiæ quædam confictæ, & omnino falsæ, quæ per diversas Orbis Christiani partes circumferuntur; Aliæ vero examinandæ, quæ adhibito studio inventæ sunt, vel Apocryphæ, vel a Romanis Pontificibus revocatæ, vel nullæ, quod datum eis tempus præteriisset: quarum quidem plurimæ, cum non facilem cognitionem habeant Christi fideles, harum rerum minus peritos fallunt, qui ipse Indulgentiæ, remissionisque peccatorum suorum consequendæ frustrantur. Quam ob rem eadem Sacra Congregatio vehementer cupiens huic malo magis in dies serpenti occurrere, animarum profectui, & Indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia colligi, & in indicem referri curavit.

Tales imprimis sunt illæ, uti asserunt, concessæ a Joanne II. & Sixto IV. recitantibus orationem Charitatis JESU Christi Domini nostri: Precor te piissime Domine &c. ab Urbano II. Ecclesiæ S. MARIÆ ut vulgo dici solet, Compagnolæ, & Sanctæ Victoriæ, ab Eugenio III. Revelationi de Plaga in humero JESU Christi, facta S. Bernardo, ab Innocentio III. Archi-Confraternitati, & Ordini Redemptionis, a Bonifacio IX. visitantibus Capellam Sancti Nicolai de Tolentino in ejus die Festo, a Joanne XXII. oculantibus mensuram plantæ pedis B. Mariæ Virginis, ab Alexandro VI. Immagini B. Mariæ, vulgo dictæ, Laghetti, a Leone X. gestantibus funiculum S. Francisci, primum in urbe impressæ, & deinde Mediolani Anno 1665. (illas tamen habent, & veras Confratres Archi-Confraternitatis Cordigerorum Sancti Francisci) recitantibus salutationem Angelicam ad pulsum horologii, & Imagini Conceptionis Mariæ Virginis Immaculatæ in circulo depictæ, cujus pedibus Luna subjecta est, a Pio IV. vel Pio V. Principi Senarum, a Clemente VIII. dicentibus orationem: O Magnum Mysterium &c. & Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, quam vocant Montis Serrati, Aventione impressæ, tum aliæ pro animabus Christi Fidelium defunctorum, impressæ Madriti 20. Julii 1606. a Paulo V. cantantibus Hymnum: Te Matrem Dei Laudamus, Te Mariam Virginem confitemur, &c. vel si die Sabbati intererint, dum idem canitur, & Coronis, Rosariis, Imaginibus, & Numismatibus, quæ Medallias appellant, ab eo benedictis, Federico Cardinali Borromæo supplicante Anno 1611. dum Ecclesia Romæ in honorem Sancti Caroli ædificaretur, & ab eodem Paulo, & Gregorio XV. dicentibus: Sia lodato il Santissimo Sagramento, Laus Sanctissimo Sacramento, ab Urbano VIII. in honorem ejusdem Sacramenti precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus, celebrata Missa dicentibus: Ave Filia Dei Patris, Ave Mater Dei Filii &c. a Clemente X. recitantibus mane, meridie, ac Vespere consuetam Antiphonam: Angelus Domini &c. & in fine: Deo gratias, & Mariæ. Ac demum aliæ a nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ut ajunt, Coronæ Mysteriorum Passionis Domini nostri JESU Christi, prece Magni Ducis Etruriæ.

Talis indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, qua repetita quinquies Oratione Dominica, & Salutatione Angelica, unam liberari animam quolibet die a purgatorii pœnis affirmant. Tales aliæ Penesii Confra-

ternitatis Sanctorum Sebastiani, & Rochi, & Romæ Societatis S. Bernardi ad Columnam Trajani. Tales demum aliæ Cruce signatorum S. Eustorgii Mediolani, Arimini, & Bononiæ.

Ejus generis sunt & illæ concessæ, ut ajunt, Capellæ Rosarii in Ecclesia S. Antonii de Rovigo, seu Rodigii, vel Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis Bergomi, aut S. Petri Montis Todoni die Festo Inventionis Sanctissimæ Crucis, vel gestantibus funiculum S. Francisci de Paula, vel celebrantibus Missas S. Augustini, aut alias quinque in honorem quinque Festivitatum B. V. vel recitantibus Officium S. Francisæ Romanæ, aut Antiph. o Passio magna &c. in memoriam Passionis JESU, aut Rosarium S. Annæ (quod Congregatio Sacr. Rituum non probat) aut orationem, quæ impressa cum Imagine Sanctæ Annæ circumferri solet: Ave gratia plena &c. (quæ oratio prohibetur) aut Officium Conceptionis B. V. Immaculatæ, quod asserunt a Paulo V. probatum fuisse, aut Orationem: Deus, qui nobis in Sancta Syndone &c. (excipitur Indulgentia centum dierum Anno 1671. concessa precibus Ducissæ Sabaudiæ ad annos 25. cunctis in illius ditione degentibus) aut aliam: Ave filia Dei &c. post Communionem recitandam, vel aliquo conspicuo signo venerantibus Sanctissimum Eucharistiæ Sacramenti nomen. Indulgentiæ rursus octoginta millium annorum veteri de tabula exscriptæ, quam in Basilica Lateranensi asservari affirmant, pro dicentibus Orationem illam vere piam: Deus, qui pro redemptione mundi, &c. Tum quæ impressæ fuerint Papiæ Anno 1670. sub hoc titulo, Sommario dell' Indulgenze concesse dalla Santità di Nostro Signor Papa Leone Decimo all' Immagine della Concezione della Gloriosa Vergine Maria, vel Pisauri sub nomine Beatæ Joannæ Anno 1608. evulgatæ, vel Barlettæ, seu Baruli a recitantibus quasdam non sane malas Orationes lucrandæ, vel Parmæ a visitantibus per Quadragesimæ dies Ecclesias Tertii Ordinis Sancti Francisci, vel Pistorii, & Vassallæ a recitantibus orationem: Ave Sanctissima Maria Mater Dei, Regina Cœli, &c. & aliæ in peculiari impresso libro descriptæ, quibus frui dicunt devotos Seraphicos, & Benefactores.

His annumerandæ sunt quæ crucibus Caravacensibus tributæ dicuntur, vel Coro-

næ, sive stellario Conceptionis Virginis Immaculatæ, quod ex duodecim globulis precariis constat, vel granis, crucibus, & Coronis Aloysiæ ab Ascensione Hispaniæ Monialis Ordinis Sanctæ Claræ, vel mensuræ Altitudinis JESU Christi Domini nostri, vel Imaginis, aut mensuræ vulneris lateri ejus inflicti, vel orationi, ut ajunt, in sepulchro Domini nostri repertæ, & Indulgentiæ, ut ajunt, innixæ revelationi factæ Sanctis Brigittæ, Mechtildi, & Elisabeth, vel Beatæ Joannæ de Cruce, & concessæ, ut asserunt, granis, quæ aliquod ex tribus granis tetigerint exantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem Fratrum Minorum observantiæ S. Francisci.

Omnes vero, & singulas jam dictas Indulgentias Sacr. Congregatio partim esse confictas, & plene falsas declarat, partim Apocryphas, vel ex alio capite nullas, quæ nemini suffragari possint, falsque in futurum nullo in loco ut veras publicari, & prædandas Christi fidelibus proponi vetat: foliaque, & libros, ubi sic proponuntur, seu asseruntur, omnino præcipit aboleri, nisi prædictæ Indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ; nec ideo tamen vult, alias, quas hoc Decretum non continet, pro veris, & legitimis taciteque probatis haberi.

Ac demum omnes Indulgentias concessas ante Decretum Clementis VIII. latum die 9. Januarii 1597. Coronis, Rosariis, seu Calculis, Crucibus & Imaginibus sacris, vel ante Breve Pauli V. quod incipit: Romanus Pontifex &c. editum 23. Maii, Anno 1606. personis Regularibus quarumcunque Religionum & Ordinum, etiam Mendicantium, vel ante Constitutionem 115. Clementis VIII. cujus initium: quæcunque &c. & 68. Pauli V. incipientem: Quæ salubriter &c. habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archi-Confraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate etiam JESU, Capitulo, vel cœtu quocunque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliisque personis, vel persona, etiamsi earum, vel ejus mentio specialis, & individua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis Authoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius etiam roboris & momenti pariter declarat.

Porro Summaria Indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinæ Christianæ, confraternitatibus Sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captivorum, nominis Dei, Rosarii, B. Mariæ de Mercede, & Redemptionis captivorum, Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, Cincturæ Sancti Augustini, & Sanctæ Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

Indulgentias vero stationum urbis, quæ a Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, ordinibus, aut personis, diebus tantum stationum in Missali Romano descriptis, suffragari posse declarat: semel autem duntaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.

De quibus relatione facta per Secretarium ad Sanctissimum, cuncta sanctitas sua probavit, & inviolate servari jussit. Datum Romæ, die 7. Martii, 1678.

Alexius Cardinal. Homodeus.

Loco † Sigilli.

Michael Angelus Riccius Secret.

QUÆSTIO VIII.

Quænam Indulgentiæ post novam reformationem soleant de facto ordinarie concedi Romæ Ecclesiis, vel Altaribus, & quomodo practice petantur? Ubi etiam de notabilioribus quibusdam Clausulis, quæ nonnullis Brevibus apponi solent.

SUMMARIUM.

76 *De Indulgentiis, quæ de facto solent ordinarie ad instantiam concedi Ecclesiis. Item quæ Altaribus privilegiatis?*

77 78 *Quomodo intelligenda sit Clausula*: Dummodo alia similis &c.

79 *De clausula*: Dummodo septem Missæ &c.

80 *An non detur Altare privilegiatum cum minori numero Missarum?*

81 *Quo tempore incipiat Concessio Altaris privilegiati, aut alterius Indulgentiæ?*

82 *Quomodo practice petenda pro Ecclesia aliqua Indulgentia?*

83 *Qualiter petenda pro Altari privilegiato quoad omnes Defunctos?*

84 *Quomodo pro Confraternitate?*

85 *Quomodo pro Altari privilegiato alicujus Confraternitatis.*

86 *An*

86 *An pro expeditione Brevium indulgentiarum aliquid debeat expendi?*

76. ETsi Summi Pontifices alii soleant Concessiones indulgentiarum ampliare, alii vero, ne ipsa multitudo contemptum, vel negligentiam pariat, restringere, sicque ob variationem circumstantiarum nequeat adduci uniformis quoad concessionem indulgentiarum pro perpetuis temporibus observantia; juvat tamen pro aliqua saltem directione in medium afferre, qualiter soleat post novam indulgentiarum reformationem ordinarie (& nisi fumenus Pontifex aliter specialem faciat gratiam) modernus Sanctissimus Clemens XI. felicitet regnans concedere Indulgentias, prout hanc ipsam informationem Romæ novissime accepimus a nostro Procuratore Generali Curiæ Romanæ.

FORMULA NOVA.

Qualiter de facto concedantur Indulgentiæ pro Ecclesiis, aut Altaribus privilegiatis, si Romæ petantur.

§. I.

77. *INdulgentia quadraginta horarum in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, Conventuum Regularium, virorum tantum, & Confraternitatum, semel tantum in anno, & ad Septennium: in Italia examinatarum, ultra montes interpolatarum nostri tempore. In aliis Ecclesiis, ut supra non qualificatis, ac signanter in Ecclesiis Monialium, & Conservatoriorum non concedantur.*

Nota 1. Quod per Conservatoria fœminarum intelligantur certa Loca a fœminis electa, ut ibidem Deo serviant &c.

Nota 2. Non esse mirandum, quod hic, & alibi excludantur Ecclesiæ Monialium, quoniam ipsis præter Indulgentias sui Ordinis conceduntur speciales infertus. Quinimo in Navarra vidi etiam in nonnullis Monasteriis Monialium institui compreca-tionem quadraginta horarum; ubi tamen, ut desuper Romæ impetrent Indulgentias per gratiam extraordinariam, indigent Patrono speciali.

§. II.

INdulgentia Novenæ Nativitatis Domini Nostri JESU Christi concedatur pro Ecclesiis ut supra qualificatis, tantummodo per Septennium.

Indulgentia Feriarum sextarum Mensis Martii, vel Quadragesima pro Ecclesiis, ut supra qualificatis, tantummodo ad Septennium.

Indulgentia plenaria ad Septennium in Ecclesiis parochialibus, cum suis solitis restrictivis pro titulari, vel in uno anni die festivo alicujus Sancti, in Martyrologio Romano descripti, vel una Dominica in anno, vel pro Dedicatione earundem Ecclesiarum.

§. III.

In Ecclesiis Regularibus Virorum, & Monialium.

PRo Ecclesiis Regularium (quæ nimirum alias jam habent Indulgentias Ordinis) *concedatur plenaria ad Septennium sine restrictivo: pro titulari tantum.* Nec hoc mirum, cum dictæ Ecclesiæ pluribus aliis Indulgentiis Ordinis decoratæ sint, uti nostræ in Festis S. Catharinæ Bonon. S. Paschalis, S. Bernardini, S. Antonii de Padua, S. Bonaventuræ, S. Claræ, S. Ludovici Episcopi, S. P. Francisci, S. Petri de Alcantara, S. Jo: de Capistrano, & S. Didaci &c.

Indulgentia plenaria ad Septennium in Ecclesiis Regularium, sub titulo B. Mariæ Virginis pro una ex Festivitatibus ejusdem B. Mariæ Virginis cum Clausula: dummodo, præter ea, quæ sunt Ordinis &c.

§. IV.

In omnibus Ecclesiis, exceptis Monialium, & Conservatoriorum.

INdulgentia septem Altarium duodecim vicibus in anno, ad Septennium.

Litaniæ B. M. V. semel in hebdomada ad Septennium.

§. V.

In omnibus Metropolitanis, & Cathedralibus.

DUæ plenariæ in anno cum solitis restrictivis ad Septennium.

§. VI.

Pro Monialibus intra claustra.

PRater Indulgentias Ordinis &c.

Indulgentia plenaria in quatuor anni Festis, per Moniales eligendis, & ab Ordinario approbandis, ad septennium.

Lytania B. M. V. semel in hebdomada ad septennium.

Septem Altaria duodecies vicibus in anno ad instar septem Altarium Basilicæ S. Petri de Urbe ad septennium.

Septem Ecclesia de Urbe ter in anno ad septennium.

Scala sancta ad instar &c. ad septennium.

Nocturna Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, ad septennium.

Indulgentia plenaria in articulo mortis pro Monialibus nunc viventibus.

§. VII.

Extra Claustra.

PRo titulari tantum.

Et in Ecclesiis sub titulo B. M. V. pro una ex septem Festivitatibus ejusdem B. M. V. cum Clausula: Dummodo prater ea, quæ sunt Ordinis &c.

Taceo hic, quod Ecclesiæ Monialium sæpius ex speciali gratia soleant incorporari Lateranensi, vel alteri Ecclesiæ, ex qua pariter pro se, quin etiam sæpe pro aliis præsertim consanguineis acquirere possunt magnas indulgentias.

§. VIII.

Pro Hospitali.

INdulgentia plenaria in articulo mortis pro morientibus in Hospitali, ad septennium.

§. IX.

Pro Missionibus.

INdulgentia plenaria ad instantiam Archiepiscoporum, & Episcoporum. Ad septennium.

§. X.

In Regno Poloniæ.

UNa plenaria, & alia septem annorum, ac totidem Quadragenarum cum solitis restrictivis in Parochialibus & Collegiatis Ecclesiis, ad Decennium.

§. XI.

Altaria privilegiata in genere.

IN omnibus Ecclesiis conceditur Altare privilegiatum (exceptis tamen Monialium, nisi sint Parochiæ) semel in hebdomade cum octava mortuorum, seu Commemorationis omnium Fidelium, & cum numero septem Missarum. Bis autem in hebdomade cum numero quatuordecim Missarum, ad septennium.

Nota denuo, quod, etsi Moniales hic excludantur, nihilominus in sequenti numero earum Ecclesiæ saltem quoad se, & consanguineos Altari privilegiato condecorentur. Itaque.

§. XII.

Pro Monialibus.

ALtare privilegiatum semel in hebdomade sine numero Missarum pro anima cujuscumque Monialis, earumque Consanguineorum, & affinium primi, ac secundi gradus, nec non Monasterii Benefactorum. Ad septennium.

Ex quo patet, quod Privilegium Monialium ex parte sit majus præcedenti, cum non restringatur ad numerum Missarum: partim vero minus: quia limitatur ad certas personas, ut ad Moniales, & certos Consanguineos, & Benefactores tantum.

Quod si Monialium Ecclesia sine simul Parochia, conceditur Altare privilegiatum, etiam pro anima cujuscumque Christi Fidelis semel in hebdomade, cum numero septem Missarum. Ad septennium.

§. XIII.

Pro qualibet Confraternitate.

ALtare privilegiatum semel in hebdomade sine numero Missarum: est tantum pro animabus Confratrum & sororum. Ad Septennium.

Ex quo patet, quod si in aliqua Ecclesia Parochiali, vel alia sint tantum duo, ad summum tres Sacerdotes, & nequeant ob defectum numeri Missarum obtinere Romæ Altare privilegiatum absolutum pro omnibus Christi Fidelibus, consultum sit, ut ibi instituant Confraternitatem, vel incorporentur alicui Archi-Confraternitati, ex quo saltem obtinere poterunt Altare privilegiatum pro fratribus & sororibus absque eo, quod requiratur aliquis certus numerus Missarum.

§. XIV.

Pro Hospitali.

ALtare privilegiatum pro morientibus in Hospitali sine numero Missarum. Ad septennium.

§. XV.

In Polonia.

ALtaria privilegiata semel in hebdomade cum numero trium Missarum, & bis in hebdomade cum numero trium Missarum. Ad decennium.

Quæres I. Quomodo in Brevibus Indulgentiarum intelligenda sit illa clausula: *Dummodo in Ecclesia alia similis Indulgentia concessa non sit, qua adhuc duret.* Vel etiam altera: *volumus autem, ut si alia Indulgentia in dicta Ecclesia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa sit, præsentes sine nulla.* Respondeo, tam nostrum Franciscum Diaz in Directorio trium Ordinum fol. 314. quam Claudium La Croix S. J. *lib. 6. Theologia Moral. part. 2. n. 1379.* afferre Decretum Innocent. XI. declarantis hanc clausulam, ut sequitur.

Cum a S. Congregatione Indulgentiis, sacrisque Reliquiis Præposita Cameracensis Archi Episcopus quæsiisset, qua vis & sententia clausulæ (quæ hodie Brevibus Indulgentiarum apponi solet.) Volumus autem, ut si alias Christi Fidelibus dictam Ecclesiam qualibet anni die visitantibus, alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, præsentes litteræ nullæ sint. S. Congregatio, re diligentius, examinata, Clausulam sic explicandam censuit, si videbitur Sanctissimo Domino Nostro. Ea mente continueri Altaria privilegiata pro Defunctis, neque Indulgentias, aut certo personarum genere concessas, ut Confraternitati, Regularibus, & Capitulo, aut certum pium opus in ipsa Ecclesia peragentibus, ut Lytanias, aliasve hujusmodi preces recitantibus, ac iis, qui Christiana doctrina eruditentur, vel alios eruditent, & qui Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti expositioni cum oratione quadraginta horarum interfuere, neque statimum Urbis & septem Altarium Indulgentias instar septem Altarium Basilicæ Vaticanæ concessas, neque demum, qua promitia vice concedantur. Cæterum, si alia Indulgentia sive plenaria, sive non plenaria, in perpetuum, vel ad tempus tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice, generatim Christi Fidelibus, Ecclesiam vel aliquod ejus Altare seu Capellam visitantibus eodem anni die vel diversis concessa fuerit, de qua non fiat in litteris Apostolicis mentio, hæ litteræ, ob adjectam Clausulam esse prorsus irritas, ac nullas. Datum die 23. Junii 1679. *De his autem facta relatione ad Sanctissimum Dominum Nostrum die 19. Martii 1677. sententiam Congregationis approbavit: Affixum & publicatum &c.*

79. Quæres II. Quomodo circa Altaria privilegiata intelligenda sit illa clausula: *Dummodo in ea septem Missæ quotidie celebrentur?* Respondet ex P. Gobat Matthæucius in suo officiali Curiæ Regularis, *V. Indulgent. n. 28.* sensum esse, dummodo *soleant celebrari*; adeo ut conditio non deficiat, si aliquando casu & fortuito contingat non tot celebrari, præsertim quia dictio *quotidie* non videtur sumi grammaticaliter, sed moraliter. Ex quo etiam Gobat apud citatum Authorem putat propterea Indulgentiam non corruere, si quandoque aliqua justa causa vel necessitate, aut infirmitate, vel ob hostium incursum uno die, vel etiam mense non celebrentur septem Missæ, dummodo tamen alias regulariter sic soleant celebrari.

80. Quæres III. An pro impetrando Altari privilegiato non possit obtineri restrictior numerus Missarum? Resp. Præter Altaria Confraternitatum (de quibus jam antea) etiam quoad alia posse obtineri Privilegium, si supplicetur, saltem cum minori numero, nimirum quinque Missarum; quinimo, quotiescunque aliqua specialis adesset circumstantia, v. g. si Ecclesia sit undequaque ab Hæreticis circumdata, vel si ob vicinarum aliarum Ecclesiarum carentiam tot essent onera Missarum, ut piis Fidelium defideriis & intentioni alias satisfieri nequi-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nequiret &c. restringeretur numerus etiam ad quatuor Missas. Ita modernus stylus Curiæ.

81. Quæres IV. Quando in Bulla Concessionis habetur dari gratiam ad Septennium, v. g. quo tempore hoc Septennium incipiat? Respondeo, valde multos Authores antecedenter definisse hoc septennium incipere non a die gratiæ Romæ concessæ, seu a die publicationis, & approbationis ab Episcopo, cum Papa videatur velle concedere Septennium utile, quod utile utique non incipiat ante approbationem & publicationem Episcopi. Hoc tamen non obstante hodie observandum est Decretum Sac. Congregationis Indulgentiarum novissime editum sequentis tenoris:

Discusso dubio in Sac. Congreg. Indulgentiis & sacris Reliquiis proposito: An attentis verbis, quæ in Brevibus Indulgentiarum apponi solent, præsentibus ad Septennium tantum valituris, Septennium intimum a die publicationis Brevis desumendum sit. Eadem S. Congregatio die 28. Maii 1731. declaravit, non a die publicationis, sed a die data Brevis Septennii tempus incipere. Et facta relatione SS. Domino Nostro per me infra scriptum Secretarium die 20. ejusdem Mensis, Sanctitas sua Congregationis sententiam approbavit.

L. M. Card. Gabrielius Præf.

Raphael Cosmas de Hieronymis Secretarius.

Romæ. Typis Cameræ Apostolicæ 1711.

82. Quæritur V. Quomodo practice petatur Indulgentia pro Ecclesia aliqua? Respondeo loquendo de Ecclesia debere I. exprimi patrocinium, seu titulum Ecclesiæ. II. Num ea sit sæcularium, vel Regularium & qualium. III. Diœcesis, ac Locus, in quo illa Ecclesia existat. IV. Demum dies, pro quo Indulgentiæ desiderantur, v. g. taliter instruendo supplicam:

Humillime petitur Indulgentia Plenaria ad Septennium pro Ecclesia Parochiali (si sit Regularis, declaratur etiam Ordinata) *Divi Petri* (aut posito nomine, quod hic sit dies Patrocinii) *Civitatis N. Diœcesis N. ac proinde festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli.* Si alium dem eligas pro Indulgentiis, eundem specifica conformiter instructioni superius datæ.

83. Quæres VI. Qualiter practice petendum sit pro omnibus Christi Fidelibus Altare privilegiatum? Respondeo: Modus petendi Altare privilegiatum est ferme idem cum præcedenti, v. g. loquendo de priori Ecclesia Parochiali supposito, quod in aliquo ejusdem Altari petatur Privilegium, Supplica sic instrui potest:

Petitur humillime Altare privilegiatum ad Septennium pro Ecclesia Parochiali S. Petri Civitatis N. Diœcesis N. atque ita ex sito Altari summo (si aliud eligatur, specificetur) *pro qualibet Fer. VI.* vel *pro Feria una septimanæ ab Ordinario Loci specificanda.* Quod, si desideraret restrictionem numeri Missarum, deberet pariter id exprimi.

84. Quæres VII. Quomodo, si in aliqua Ecclesia desideretur Confraternitas de novo erigenda, similis erectio practice petenda sit una cum Indulgentiis? Ante resolutionem nota: Quod aliud sit petere erectionem Confraternitatis; & aliud aggregari alicui Archi-Confraternitati. Aggregare enim competit Archi-Confraternitatibus, non autem Confraternitatibus; & hinc, si petitur institutio Confraternitatis in aliqua Ecclesia, debet supplicari in Curia Romana; quod si autem petatur Ecclesia aliqua aggregari alicui Archi-Confraternitati, v. g. latæ Rosarii, vel Chordæ S.P. Francisci &c. talem aggregationem ex specialibus Privilegiis, & cum conditionibus in Bulla Clementis VIII. *Quæcumque a Sede* sub die 24. Dec. 1604. editam præscripsit etiam possunt concedere Generales Ordinum. Hoc notato.

Resp. Quando petitur primo erigi aliqua Confraternitas in certa Ecclesia (ponamus adhuc in Exemplo Ecclesiam Parochialem S. Petri) tunc supplicatio Romam dirigenda taliter instrui potest.

Petitur humillime Breve pro Ecclesia Parochiali S. Petri Civitatis N. Diœcesis N. & in ea erigenda Confraternitate N. (hic nominatur, qualis sit Confraternitas) *Festum Principale rogatur determinari N.* Hic specificatur quale Festum Principale hujus Confraternitatis petatur: etenim advertendum, quod in Brevi simili, quale solet non tantum ad septennium extendi, sed de stylo Curiæ esse perpetuum, in Festo Principali concedatur Indulgentia plenaria, uti præter pro die ingressus, & in articulo mortis; pro quatuor autem Festis minus Principalibus plenumque ab Ordinario determinandis Indulgentiæ septem annorum dantur.

85. Quæres VIII. Qualiter practice petatur Altare privilegiatum pro Confratribus, sororibus aliisque Confraternitatis? Ante Respons. Nota ex dictis, quod tale privilegiatum Altare detur, absque eo, quod certus numerus Missarum requiratur; & hinc (inquit La Croix *lib. 4. Theol. Moral. part. 3. num. 931.*) sufficeret etsi hebdomadatim unica tantum Missa dicatur, dummodo celebretur illa die, qua determinatur Privilegium. H. N.

Respondeo; Altare Privilegiatum *pro Confratribus, & sororibus* eodem ferme modo petitur, ac *pro omnibus fidelibus Defunctis*, excepto, quod in petitione hujus Brevis exprimi quoque debeat Titulus Confraternitatis, v. g. taliter.

Petitur humillime Altare privilegiarum pro Ecclesia Parochiali S. Petri Civitatis N. Diœcesis N. & in eo sito Altari Confraternitatis N. pro feria N. (hic specificetur dies, vel si determinatus non petatur, ponatur sic) pro una Feria cujusvis septimanæ ad arbitrium Confratrum eligenda de consensu Ordinarii.

86. Quæres ultimo. An pro Brevibus Indulgentiarum supra memoratis debeat expendi certa taxa pecuniaria? Resp. si excipias institutionem Confraternitatis de novo in aliqua Ecclesia, omnia reliqua expediuntur gratis pro Deo & scriptura, excepto, quod agenti præter honorarium (si aliquod gratis vis offerre, ad quod tamen non obligaris, & attende, ne in hoc ignarus stylo Curiæ ab aliquo decipiaris) Ratione Agentiæ &c. uti vocant, absque memoriali vigenti Bajoci; cum memoriali autem quinquaginta Bajoci dentur, qui quinquaginta Bajoci nostra moneta conficiunt circiter unum florenum. Vide de hoc la Croix *loc. c.* Dixi notanter: *si excipias institutionem Confraternitatis &c.* Nam quoad hanc est certa Taxa novem circiter florenorum.

QUÆSTIO IX.

De Jubilæo, & variis ipsum concernentibus.

SUMMARIUM.

87 *Annus Jubilæus in Lege veteri, quis, & unde sic dictus?*
88 *Annus Jubilæus in Ecclesia Catholica, quando celebretur.*
Vocatur etiam Annus Sanctus.
89 *In Anno Sancto suspendantur alia Indulgentia.*
90 *Jubilæum Anni sancti extendi solet ad Diœceses ad solicitantes.*
91 *Indulgentia in forma Jubilei, contra Aquinatem S. quo ratione concedatur?*
92 *Jubilæum, quid?*
93 *Quæ facultates in Jubilæo concedantur?*
94 *Jura tempore Jubilæi prescribi solita, quæ?*
95 *In Anno Sancto non suspendantur Indulgentia Altarium Privilegiatorum.*
96 *An tunc suspendantur Indulgentia pro mortis articulo?*
97 *Non suspenditur Indulgentia Ecclesiæ Portiunculæ concessa.*
98 *An suspendantur Indulgentia partiales?*
99 *Præsertim concessa ab Episcopo?*
100 *Ad Jubilæum requiritur executio operum præscriptorum?*
101 *Et quidem perfecta.*
102 *Quid, si omittatur pars levis?*
103 *Opera debet quis exequi per se ipsum.*
104 *Quid, si detur eleemosyna per famulum?*
105 *Opera illa peragenda tempore præfixo.*
106 *Et non ante tempus diurnum hebdomadarum.*
107 *An lethaliter decumbens possit alibi lucrari Jubilæum Romæ publicatum?*
108 *Tria ejusdem sunt statutis diebus peragenda.*
109 *Commutatio operum præscriptorum tempore Jubilæi, quomodo fieri possit.*
110 *Atque intra eandem hebdomadam.*
An etiam reliqua opera intra eandem hebdomadam fieri debeant.
111 *Opera illa possunt fieri in diversis locis.*
112 *Idque exemplificatur.*
113 *Itinerantes post suum reditum possunt lucrari Jubilæum.*

87. PRo meliori sequentium intelligentia est prænotandum, quod olim in Lege veteri seu Mosaica, Hebræorum populus clangentibus tubis excitabatur ad recolendum annum quinquagesimum ingressus Filiorum Israel in Terram promissionis, qui & *Jubilæus* dicebatur, a voce Hebræa *Jobel*, quæ buccinam significabat, ut vult Lyranus *in cap. 25. Levitic.* quamvis alii alias Jubilæi derivationes ponant, uti videre est apud Navarrum *Tom. 3. de Commentar. de Jubilæo & Indulgentiis, notab. 1.* Et quidem in hoc anno quinquagesimo, qui Hebræis erat

nequiret &c. restringeretur numerus etiam ad quatuor Missas. Ita modernus stylus Curiæ.

81. Quæres IV. Quando in Bulla Concessionis habetur dari gratiam ad Septennium, v. g. quo tempore hoc Septennium incipiat? Respondeo, valde multos Authores antecedenter definisse hoc septennium incipere non a die gratiæ Romæ concessæ, seu a die publicationis, & approbationis ab Episcopo, cum Papa videatur velle concedere Septennium utile, quod utile utique non incipiat ante approbationem & publicationem Episcopi. Hoc tamen non obstante hodie observandum est Decretum Sac. Congregationis Indulgentiarum novissime editum sequentis tenoris:

Discusso dubio in Sac. Congreg. Indulgentiis & sacris Reliquiis proposito: An attentis verbis, quæ in Brevibus Indulgentiarum apponi solent, præsentibus ad Septennium tantum valituris, Septennium intimum a die publicationis Brevis desumendum sit. Eadem S. Congregatio die 28. Maii 1731. declaravit, non a die publicationis, sed a die data Brevis Septennii tempus incipere. Et facta relatione SS. Domino Nostro per me infra scriptum Secretarium die 20. ejusdem Mensis, Sanctitas sua Congregationis sententiam approbavit.

L. M. Card. Gabrielius Præf.

Raphael Cosmas de Hieronymis Secretarius.

Romæ. Typis Cameræ Apostolicæ 1711.

82. Quæritur V. Quomodo practice petatur Indulgentia pro Ecclesia aliqua? Respondeo loquendo de Ecclesia debere I. exprimi patrocinium, seu titulum Ecclesiæ. II. Num ea sit sæcularium, vel Regularium & qualium. III. Diœcesis, ac Locus, in quo illa Ecclesia existat. IV. Demum dies, pro quo Indulgentiæ desiderantur, v. g. taliter instruendo supplicam:

Humillime petitur Indulgentia Plenaria ad Septennium pro Ecclesia Parochiali (si sit Regularis, declaratur etiam Ordinata) *Divi Petri* (aut posito nomine, quod hic sit dies Patrocinii) *Civitatis N. Diœcesis N. ac proinde festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli.* Si alium dem eligas pro Indulgentiis, eundem specifica conformiter instructioni superius datæ.

83. Quæres VI. Qualiter practice petendum sit pro omnibus Christi Fidelibus Altare privilegiatum? Respondeo: Modus petendi Altare privilegiatum est ferme idem cum præcedenti, v. g. loquendo de priori Ecclesia Parochiali supposito, quod in aliquo ejusdem Altari petatur Privilegium, Supplica sic instrui potest:

Petitur humillime Altare privilegiatum ad Septennium pro Ecclesia Parochiali S. Petri Civitatis N. Diœcesis N. atque ita ex sito Altari summo (si aliud eligatur, specificetur) *pro qualibet Fer. VI.* vel *pro Feria una septimanæ ab Ordinario Loci specificanda.* Quod, si desideraret restrictionem numeri Missarum, deberet pariter id exprimi.

84. Quæres VII. Quomodo, si in aliqua Ecclesia desideretur Confraternitas de novo erigenda, similis erectio practice petenda sit una cum Indulgentiis? Ante resolutionem nota: Quod aliud sit petere erectionem Confraternitatis; & aliud aggregari alicui Archi-Confraternitati. Aggregare enim competit Archi-Confraternitatibus, non autem Confraternitatibus; & hinc, si petitur institutio Confraternitatis in aliqua Ecclesia, debet supplicari in Curia Romana; quod si autem petatur Ecclesia aliqua aggregari alicui Archi-Confraternitati, v. g. latæ Rosarii, vel Chordæ S.P. Francisci &c. talem aggregationem ex specialibus Privilegiis, & cum conditionibus in Bulla Clementis VIII. *Quæcumque a Sede* sub die 24. Dec. 1604. editam præscripsit etiam possunt concedere Generales Ordinum. Hoc notato.

Resp. Quando petitur primo erigi aliqua Confraternitas in certa Ecclesia (ponamus adhuc in Exemplo Ecclesiam Parochialem S. Petri) tunc supplicatio Romam dirigenda taliter instrui potest.

Petitur humillime Breve pro Ecclesia Parochiali S. Petri Civitatis N. Diœcesis N. & in ea erigenda Confraternitate N. (hic nominatur, qualis sit Confraternitas) *Festum Principale rogatur determinari N.* Hic specificatur quale Festum Principale hujus Confraternitatis petatur: etenim advertendum, quod in Brevi simili, quale solet non tantum ad septennium extendi, sed de stylo Curiæ esse perpetuum, in Festo Principali concedatur Indulgentia plenaria, uti præter pro die ingressus, & in articulo mortis; pro quatuor autem Festis minus Principalibus plenumque ab Ordinario determinandis Indulgentiæ septem annorum dantur.

85. Quæres VIII. Qualiter practice petatur Altare privilegiatum pro Confratribus, sororibus aliisque Confraternitatis? Ante Respons. Nota ex dictis, quod tale privilegiatum Altare detur, absque eo, quod certus numerus Missarum requiratur; & hinc (inquit La Croix *lib. 4. Theol. Moral. part. 3. num. 931.*) sufficeret etsi hebdomadatim unica tantum Missa dicatur, dummodo celebretur illa die, qua determinatur Privilegium. H. N.

Respondeo; Altare Privilegiatum *pro Confratribus, & sororibus* eodem ferme modo petitur, ac *pro omnibus fidelibus Defunctis*, excepto, quod in petitione hujus Brevis exprimi quoque debeat Titulus Confraternitatis, v. g. taliter.

Petitur humillime Altare privilegiarum pro Ecclesia Parochiali S. Petri Civitatis N. Diœcesis N. & in eo sito Altari Confraternitatis N. pro feria N. (hic specificetur dies, vel si determinatus non petatur, ponatur sic) pro una Feria cujusvis septimanæ ad arbitrium Confratrum eligenda de consensu Ordinarii.

86. Quæres ultimo. An pro Brevibus Indulgentiarum supra memoratis debeat expendi certa taxa pecuniaria? Resp. si excipias institutionem Confraternitatis de novo in aliqua Ecclesia, omnia reliqua expediuntur gratis pro Deo & scriptura, excepto, quod agenti præter honorarium (si aliquod gratis vis offerre, ad quod tamen non obligaris, & attende, ne in hoc ignarus stylo Curiæ ab aliquo decipiaris) Ratione Agentiæ &c. uti vocant, absque memoriali vigenti Bajoci; cum memoriali autem quinquaginta Bajoci dentur, qui quinquaginta Bajoci nostra moneta conficiunt circiter unum florenum. Vide de hoc la Croix *loc. c.* Dixi notanter: *si excipias institutionem Confraternitatis &c.* Nam quoad hanc est certa Taxa novem circiter florenorum.

QUÆSTIO IX.

De Jubilæo, & variis ipsum concernentibus.

SUMMARIUM.

87 *Annus Jubilæus in Lege veteri, quis, & unde sic dictus?*
88 *Annus Jubilæus in Ecclesia Catholica, quando celebretur.*
Vocatur etiam Annus Sanctus.
89 *In Anno Sancto suspendantur alia Indulgentia.*
90 *Jubilæum Anni sancti extendi solet ad Diœceses ad solicitantes.*
91 *Indulgentia in forma Jubilei, contra Aquinatem S. quo ratione concedatur?*
92 *Jubilæum, quid?*
93 *Quæ facultates in Jubilæo concedantur?*
94 *Jura tempore Jubilæi prescribi solita, quæ?*
95 *In Anno Sancto non suspendantur Indulgentia Altarium Privilegiatorum.*
96 *An tunc suspendantur Indulgentia pro mortis articulo?*
97 *Non suspenditur Indulgentia Ecclesiæ Portiunculæ concessa.*
98 *An suspendantur Indulgentia partiales?*
99 *Præsertim concessa ab Episcopo?*
100 *Ad Jubilæum requiritur executio operum præscriptorum?*
101 *Et quidem perfecta.*
102 *Quid, si omittatur pars levis?*
103 *Opera debet quis exequi per se ipsum.*
104 *Quid, si detur eleemosyna per famulum?*
105 *Opera illa peragenda tempore præfixo.*
106 *Et non ante tempus diurnum hebdomadarum.*
107 *An lethaliter decumbens possit alibi lucrari Jubilæum Romæ publicatum?*
108 *Tria ejusdem sunt statutis diebus peragenda.*
109 *Commutatio operum præscriptorum tempore Jubilæi, quomodo fieri possit.*
110 *Atque intra eandem hebdomadam.*
An etiam reliqua opera intra eandem hebdomadam fieri debeant.
111 *Opera illa possunt fieri in diversis locis.*
112 *Idque exemplificatur.*
113 *Itinerantes post suum reditum possunt lucrari Jubilæum.*

87. PRo meliori sequentium intelligentia est prænotandum, quod olim in Lege veteri seu Mosaica, Hebræorum populus clangentibus tubis excitabatur ad recolendum annum quinquagesimum ingressus Filiorum Israel in Terram promissionis, qui & *Jubilæus* dicebatur, a voce Hebræa *Jobel*, quæ buccinam significabat, ut vult Lyranus *in cap. 25. Levitic.* quamvis alii alias Jubilæi derivationes ponant, uti videre est apud Navarrum *Tom. 3. de Commentar. de Jubilæo & Indulgentiis, notab. 1.* Et quidem in hoc anno quinquagesimo, qui Hebræis erat

erat Jubilæus, sive Annus remissionis, debita gratis remittebantur, possessionesque ad pristinos dominos absque pretio revertabantur, ac præter nonnulla alia servi libertate donabatur, prout patet ex *Levit. cap. 25. num. cap. seq.* & aliis Sacræ Scripturæ locis.

88. Quia igitur Christus Dominus non venit solvere legem, sed spiritualiter adimplere, hinc ad similitudinem antiqui Ritus utpote futurorum præfigurativi, in Ecclesia Catholica dudum jam aliquot quadam ratione institutus fuit *Annus Jubilæi*, sive remissionis, & gaudii spiritualis, concedendo videlicet fidelibus, Basilicas de Urbe devote visitantibus, plenissimam omnium peccatorum suorum veniam, seu Indulgentiam: qua de causa annus ille per antonomasiam *Annus Sanctus* appellatur. Et quidem juxta morem antea jam in Ecclesia vigentem, de quo Navarrus *loc. cit. notab. 1. n. 21. & notab. 7. n. 4.* Bonifacius VIII. *in Extravag.* Antiquorum *de Panit. & remiss. inter communes*, ejusmodi Jubilæum concessit pro quolibet centesimo anno. Verum ob brevitatem vitæ humanæ, atque ut quamplures tanti Thesauri participes fieri mererentur, terminus iste per Clementem IV. imprimis reductus fuit ad annum quinquagesimum, ut habetur *in Extravag.* Unigenitus *eod.* & postea per Paulum II. ad annum vigesimum quintum, *Extravag.* Quemadmodum *eod. inter communes.*

89. Ut autem Christianæ Nationes ex omnibus Orbis partibus eo amplius in Fide & Religionis unitate congregarentur, eodemque pietatis ac devotionis spiritu Basilicas de Urbe, quo maximo fieri posset concursu durante Jubilæo visitarent, & frequentarent: hinc eodem Anno Sancto quæcunque aliæ Indulgentiæ solent suspendi; idque per specialem Bullam desuper expeditam: cujus exemplar refert Georgius Gobat *Tract. 3. Quinarii, circa initium.*

90. Verum quia non omnes pro lucrando Jubilæo Romam personaliter accedere possunt; hinc Summi Pontifices pro sua pietate solent Jubilæum Anni Sancti extendere anno sequenti ad alios Episcopatus. Illud tamen non faciunt Motu proprio, sed duntaxat ad instantiam vel Nunciorum Apostolicorum, vel Episcoporum pro suis respective Provinciis, aut Diœcesibus ferventissime sollicitantium. Gobat *cit. Tract. 3. Quinarii, n. 489.*

91. Insuper extra Annum Sanctum consueverunt Summi Pontifices, tum post suam quisque Coronationem, tum quando Ecclesia Catholica gravibus necessitatibus atque angustiis premitur, concedere per universum Orbem Christianum Indulgentiam plenissimam, seu in forma Jubilæi: ita tamen, quod eo tempore non fiat suspensio cæterarum Indulgentiarum (cessat enim tunc allata *nu. 93.* ratio hasce suspendendi, unde etiam nulla apponitur Bulla cæterarum Indulgentiarum suspensiva, prout fit in Anno Sancto) concedantur tamen facultates absolvendi a reservatis, & commutandi vota, prout amplius ex dicendis patebit. His prænotatis sit

92. CONCL. I. *Jubilæum* est Indulgentia plenaria a Summo Pontifice concessa visitantibus certas Ecclesias, & præscripta pia opera peragentibus, una cum concessione certarum facultatum in Brevi Apostolico expressarum. Ita in re communis. Et ratio est: tum quia omne Jubilæum est Indulgentia plenaria, licet non e contra: Tum quia quoad effectum remissionis pœnæ temporalis, non differt Jubilæum a cæteris Indulgentiis plenariis, cum hæ omnes in rite dispositis conferant omnium veniam peccatorum, quoad culpam jam remissorum, ut dictum *n. 15.* differt tamen ab his quoad superadditas ipsi speciales gratias, seu facultates, in Brevi Apostolico expressas.

93. Et quidem ordinarie loquendo, atque extra Annum Sanctum conceditur Jubilæum lucraturis, ac præscripta opera peragentibus, ut possint sibi eligere Confessarium a locorum Ordinariis approbatum, qui habeat facultatem absolvendi eos pro foro conscientiæ a quibusvis casibus reservatis, atque Censuris; etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, & insuper vota quæcunque (Religionis, & Castitatis perpetuæ exceptis) in alia pia opera commutandi. Aliquando tamen una, vel altera harum facultatum non conceditur, ut notat Gobat *c. Tract. 3. Quinarii, num. 2.* sed id ex tenore Brevis Apostolici, Jubilæum indicentis, desumendum erit, sicut & quænam pia opera pro lucrando Jubilæo sint peragenda.

94. Etenim in Anno Sancto, præter Confessionem Sacramentalem, & Communionem, sufficit certo dierum numero quatuor Urbis Ecclesias devote visitare, ibique pias ad Deum preces effundere, juxta formam præscriptam: quale quid etiam accidere solet in extensione Anni Sancti ad alias Dio-

Diœceses facta. Quod si vero ad avertendas graves Ecclesiæ necessitates extraordinarium Jubilæum publicetur, solet communiter exigi, ut Fideles extra Urbem existentes prima, vel secunda hebdomada indicti Jubilæi, Ecclesiam, vel Ecclesias, ab Ordinariis locorum assignandas visitent, ibique juxta præscriptam intentionem Deum exorent, ac feria quarta, sexta, & Sabbato alterius ex duabus hebdomadis jejunent, pariterque peccata sua confiteantur, & sacra Communione reficiantur, & eleemosynas pro arbitrio suo faciant: quamvis simul concedi soleat, ut si quis ex causa infirmitatis, vel alterius justi impedimenti, unum, vel alterum prædictorum operum præstare nequiverint, id Confessarii in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare valeant; prout amplius liquet ex contextu Litterarum Apostolicarum Jubilæum indicentium.

95. CONCL. II. Quamvis Anno Sancto, ac Jubilæo in Urbe durante, suspendi soleant tantisper omnes & singulæ Indulgentiæ, etiam perpetuæ, per quoscunque Romanos Pontifices concessæ, ut dictum *n. 93.* nihilominus tunc non intelliguntur suspensæ indulgentiæ Altarium Privilegiatorum pro Defunctis, neque aliæ concessæ eodem modo pro Defunctis. Ita Gavantus *in addit. ad Manuale Episcoporum, V. Indulgentia*, & alii: atque ita fuisse declaratum tum ab Innocentio X. tum novissime a Clemente X. refert Gobat *cit. Tract. 3. Quinarii, n. 45. & 48. append. I. Iict. A. & seqq.* quamvis in hac posteriori declaratione addatur, quod illæ Indulgentiæ suspensæ habeantur, quas possunt sibi lucrari vivi, ut eas possint concedere animabus Purgatorii per modum Suffragii.

96. Major difficultas est de Indulgentiis concessis pro articulo mortis. Et quidem has etiam suspendi in Anno Sancto, censet Layman *lib. 5. tract. 7. cap. 8. nu. 2.* Tannetus, & quidam alii: nam Breve suspensivum Indulgentiarum loquitur indistincte, imo Sixtus IV. *in Extravag.* Quemadmodum, *de Panit. & remiss. inter communes*, expresse suspendit omnes Indulgentias in vita, seu in mortis articulo concessas. Oppositum nihilominus, videlicet Indulgentias pro mortis articulo tunc non censeri suspensas, tenet Gavantus *loc. cit.* Lezana *Tom. 3. summa V. Jubilæum numer. 5.* Bonacina *disp. 6. de Indulgentiis q. 1. punct. 8. num. 2.* & alii, qui referuntur, quod ita Urbanus VIII. declaraverit, ejusque declaratio Romæ publicata fuerit a Vice Regente Pœnitentiariæ: atque hoc ipsum declarasse Innocentium X. refert Gobat *cit. num. 45.* accedit ratio: tum quia reipectu agonizantium cessat ratio suspendendi Indulgentias, videlicet concursus ad Basilicas Urbis; tum quia Successores Pontifices in suis Bullis omittunt clausulam illam, *seu in mortis articulo concessas*, olim a Sixto IV. insertam; sicque aliud nunc velle videntur: alioquin enim, si voluissent, idem expressissent. *arg. c. Inter corporalia de Translat. Episcop.*

97. Insuper, quod non sit mentis, & intentionis suæ, sub generali Indulgentiarum suspensione comprehendere, neque in verbo Romani Pontificis comprehensam esse Indulgentiam Ecclesiæ Portiunculæ prope Assisium dic. 2. Augusti concessam, declaravit Clemens VIII. Urbanus VIII. & Innocentius X. ut refert Lantusca *in thesaur. Regularium. V. Indulgentia n. 6.* declarationem dicti Innocentii X. per extensum allegans. Tacentur Indulgentiæ concessæ Basilicis & Ecclesiis Romanæ Urbis, & nonnullæ aliæ, quas pariter in Anno Sancto non suspendi, fusius ostendit Gobat *cit. Tract. 3. Quinarii n. 40. & seqq.*

98. Insuper, cum Sixtus IV. in *cit. Extravag. Quemadmodum*, pro Anno Sancto tantum suspendat Indulgentias Plenarias, hinc non suspendi tunc Indulgentias partiales, tradunt plerique Doctores: Nam dictio illa, *plenarias*, firmat regulam in oppositum de partialibus. Et licet in recentioribus Bullis non amplius addatur ly *plenarias*, adhuc non suspendi tunc partiales Indulgentias probabile censet Gobat *loc. cit. n. 47.* etsi hæc doctrina non careat difficultate, eo quod Pontifex indistincte suspendat *omnes & singulas* Indulgentias.

99. Illud certius est, ac probatur ex ratione proxime allata, quod, cum Pontifex Anno Sancto solummodo suspendat Indulgentias, quæ sunt concessæ a Romanis Pontificibus, idcirco non intelligantur suspensæ Indulgentiæ ab inferioribus concessæ, ut sunt Indulgentiæ 40. dierum, quas potest concedere Episcopus.

100. CONCL. III. Ad obtinendum Jubilæum requiritur ex parte lucrantis executio operum præscriptorum: & quamvis optandum sit, atque pie allaborandum, ut homo saltem præmissa vera contritione sit in statu gratiæ toto illo tempore, quo singula opera præstat; tamen probabilius est, sufficere

ad

ad consequendam indulgentiam Jubilæi, quod ultimum opus perficiatur in statu gratiæ. Hæc conclusio sequitur ex dictis *n. 33. & 34.*

101. Et quidem opera præscripta ita perfectè sunt adimplenda, ut si aliquod ipsorum vel pemitius, vel saltem quoad partem notabilem omittatur, sive id fiat ex ignorantia seu oblivione, sive etiam ex impotentia (secluso commutatione in aliud pium opus a Confessario facta) non obtineatur quidquam de Indulgentia Jubilæi. S. Thomas 4. *dist.* 20. *q.* 3. Gobat *tit. tract.* 2. *n.* 61. & alii communiter. Siquidem Papa concedit hanc Indulgentiam sub conditione executionis operum præscriptorum, dando simul facultatem, ut eadem in casu justi impedimenti possit per Confessarium in alia pietatis opera commutari; atqui non impleta conditione nemo consequitur id, quod sub conditione datur; quia deest animus concedentis.

102. Additur notanter, *vel saltem quoad partem notabilem*. Quia, etsi res dubia sit, utrum prætermittens levem partem operis injuncti consequatur fructum Indulgentiæ, v. g. si quis sub die præscripti jejunii aliquid modicum degustet; quod tamen non sufficit ad fractionem totalem jejunii: vel si quis ex injuncto Rosario omittat unum vel alterum Ave Maria, & hujusmodi; tuta, inquam, res sit, non nihil dubia, tamen probabilius est, quod etiam hic parum pro nihilo reputetur, ac proinde omittens ejusmodi minimam partem, non excidat fructu Jubilæi, aut alterius Indulgentiæ; nam adhuc opus injunctum simpliciter implerur, *v. g.* servatur jejunium quoad substantiam, recitatur Rosarium &c. Suarez *disp.* 52. *de Indulgentiis sect.* 5. *n.* 3. Bonacina *tit. disp.* 6. *q.* 1. *punct.* 5. *n.* 51. & concordant dicta superius *num.* 59. & 60.

103. Porro lucraturus Jubilæum debet opera præscripta per semetipsum exequi, utputa jejunando (etiamsi necdum attigerit vigesimum secundum annum ætatis) Ecclesias visitando &c. Siquidem Pontifex in Bulla Jubilæi exigit industriam personæ, sive actus personales lucraturi Jubilæum, veluti conditionem & dispositionem ipsius ad istud digne & fructuose consequendum.

104. Nec obstat, quod quis per famulum suum possit dare eleemosynam. Nam talis hoc ipso, quod det de propriis, adhuc censetur moraliter & proprie dare eleemosynam, licet interveniente ministerio sui famuli. Et nota, quod in tali casu nihil præjudicetur domino quoad valorem Indulgentiæ, si famulus ille sit constitutus in peccato mortali: bene tamen, si famulus non det eleemosynam pauperibus, sed eam sibi fraudulenter retineat; quia tunc revera deficeret conditio datæ eleemosynæ.

105. CONCL. IV. Insuper ad consecutionem Jubilæi requiritur, quod opera præscripta peragantur tempore in Bulla præfixo. Ratio patet ex dictis; quia nimirum nemo lucratur Jubilæum, nisi servatis conditionibus, sub quibus conceditur. Quia igitur in Jubilæo, quæ ob gravem Ecclesiæ necessitatem extraordinarie concedi solent, communiter habetur inserta clausula illa, quod opera præscripta peragi debeant *prima vel secunda hebdomada*, ab Ordinariis Locorum, vel eorum Vicariis &c. indicenda; item quod *Feria quarta, sexta & Sabbato alterius ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis* jejunium servetur. Hinc

106. Infertur primo, quod non lucretur Jubilæum, qui incipit opera præscripta facere ante tempus diurnum hebdomadarum taliter ab Ordinario indictarum, quia deficit conditio debiti temporis. Lugo *disp.* 27. *de Sacramento Pœnitentiæ, sect.* 7. *n.* 127. Navarrus *Consil. 1. de Constitut. n.* 9. & alii.

107. Verum in casu urgentis periculi (ut puta, si quis lethaliter decumbat) & accedente commutatione hujus conditionis in aliud pium opus per Confessarium facta, posse Jubilæum Romæ jam publicatum ostendi alibi, censet Billuecius *tract. 3. de Sacramentis n.* 267. citans pro se multos graves Doctores, sed tacito nomine, ejusque doctrinam secure in praxi observari ex causa, fatet Gobat *tit. tract. 3. nu.* 64. Ratio est; quia in Bulla Jubilæorum extraordinariorum expresse concedi solet, quod Confessarius ex causa legitimi impedimenti, ratione cujus pœnitentes opera pro lucrando jubilæo præscripta vel eorum aliquod præstare nequeant, *in illa pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt*, prout communiter loquuntur Bullæ Pontificiæ Jubilæum extraordinarium indicentes. Ergo post publicatum Romæ Jubilæum, pro toto orbe Christiano concessum, hoc ipso Pontifex concedere, atque indulgere cessetur, quod Confessarius circa constitutos in articulo mortis possit uti facultate commutandi opera, & conditiones præscriptas, eaque pro lucrando Jubilæo injungere, quæ ipsi pœnitentes ante obitum

tum adhuc efficere poterunt. Quod enim majus impedimentum, quam instans mortis Articulus? Et quis credat, ob hac largissima facultate, circa juste impeditos Confessarios expresse concessa, voluisse Papam sapientissimum Patrem, & Pastorem omnium Fidelium, excludere solos agonizantes, eo quod tempus Jubilæi in propria Diœcesi deputatum necdum advenerit.

108. Infertur ulterius, quod ille non lucretur Jubilæum, qui aliis diebus, ac in Bulla præscribuntur, jejunat: utputa, si quis loco jejunii Sabbatini jejunet Feria quinta: nam talis non peragit jejunium tempore præscripto, sicque agit contra formam, nisi forte ex causa rationabili interveniat commutatio hujus conditionis per Confessarium facta in aliud pietatis opus, juxta proxime dicta.

109. Ubi breviter notandum, quod, si tempore Jubilæi, conceditur Confessariis facultas commutandi opera præscripta, requiratur ad hoc rationabilis causa; nempe, quod pœnitentes præ infirmitate, paupertate, necessario laboritio, vel alio justo impedimento, dicta opera, vel eorum aliquod præstare nequeant, vel saltem non absque gravi difficultate: requiritur enim, ac sufficit, vel physica, vel saltem moralis impotentia. Deinde commutatio illa debet fieri in alia opera æquivalentia: alioquin enim non foret vera commutatio, sed partialis dispensatio. Layman *c. 8. de Indulgentiis n.* 22. Gobat. *tr.* 3. *Quinarii n.* 209. citans alios. Attendendum tamen est circa hoc ad statum pœnitentis, ejusque qualitates, & vires: nam commutatio præstita debet fieri, juxta prudens arbitrium Confessarii, in talia opera, *quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt*, prout loqui solent Bullæ Jubilæorum. Dicta quippe æqualitas operum non præcise spectanda est ex ipsa specifica operis præstantia, seu pœnalitate, sed ex fine per Pontificem in largitione Jubilæi intento. Unde ægroti loco jejunii injungi poterit vel largitio copiosioris eleemosynæ, si possunt, vel aliquantum precum recitatio: sicut & pauperibus, nullam penitus eleemosynam dare valentibus, oratio, aut iterata Ecclesiarum visitatio, & hujusmodi. Atque ista operum commutatio non solum intra ipsam Confessionem (prout communiter fieri solet, estque consultius) sed etiam extra eam, potest per Confessarium a pœnitentibus electum exerceri: dummodo fiat, saltem inchoative, intra duas hebdomadas pro Jubilæo designatas; prout amplius tradit Gobat. *tit. Tract. n.* 110. & 111. cum aliis.

110. Insuper non potitur Jubilæo, qui (cessante memorata rationabili commutatione) diebus cæteroquin debitis jejunat prima hebdomada semel, & alia hebdomada bis: debent enim omnia tria jejunia diebus statutis intra unam eandemque hebdomadam peragi, prout requirunt Bullæ Pontificiæ illis verbis; *Ac feria quarta, sexta, & Sabbato alterius ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis jejunaverit*. Nam dictio illa alternativa, *alterius ex duabus*, satis indicat, tria illa jejunia debere conjungi, ac fieri intra unam eandemque hebdomadam: idque eo magis, quia Pontifex hac intentione jejunium indicit, ut caro maceretur; ad hunc autem finem plus deservirent jejunia magis unita, quam interpolata per integram hebdomadam: Lugo *tit. disp.* 27. *n.* 105. Gobat. *tract.* 3. *Quinarii num.* 212. cum aliis, contra Bonacinam *tit. punct.* 5. *n.* 34.

Cæterum, an etiam reliqua opera, pro consequendo Jubilæo præscripta, debeant fieri intra unam eandemque hebdomadam, non adeo conveniunt Doctores. Affirmat Lugo *l. c. n.* 105. Henriquez, vel Busembaum, Sanctarelus, & alii, qui id probare conantur ex verbis Bullæ Jubilæi. Negat Bonacina *tit. punct.* 5. *nu.* 34. Diana *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 12. & alii, quorum sententiam esse probabiliorem, eo quod verba Bullæ Jubilæi hoc non convincant de aliis operibus præter tria jejunia, censet Gobat. *loc. cit. n.* 72. quamvis prior sententia utique sit tutior, ac proin in praxi merito tenenda, & consulenda.

111. CONCL. V. Opera præscripta tempore Jubilæi possunt impleri in diversis locis, utputa visitando Ecclesias in loco domicilii, & alibi jejunando, confitendo &c. Ita Lugo, *ubi supra n.* 112. Sanctus *lib.* 5. *De eccles. tit. de Pœnit. & remiss. cap.* 2. *num.* 16. & alii. Ratio est: tum quia favor Jubilæi non est localis, sed personalis tum quia nullibi in Bullis requiritur identitas loci, sed dumtaxat visitatio Ecclesiarum designatarum, ac devota præstatio operum præscriptorum.

112. Insertur proinde, quod, qui tempore promulgati Jubilæi cœpit aliqua opera præscripta perficere, *v. g.* visitando Ecclesias, possit in itinere reliqua opera peragere. Insuper, si quis a principio promulgati in sua patria Jubilæi non erat præsens, sed primum Feria quinta advenerit, potest

pit ij jejunio Feriæ quartæ alibi peracto, vel hoc de justa causa in aliud pietatis opus per Confessarium commutato, reliquit opera in patria prosequi.

113. Quinimo, si malit, poterit talis in itinere constitutus sequenti hebdomada jejunium præscriptum una cum cæteris operibus perficere; haud obstante, quòd tempus Jubilæi in sua patria jam effluxerit. Ratio est: quia in Bulla Jubilæi facultas universalis conceditur navigantibus, aut iter agentibus, ut cum primum ad sua sede domicilia receperint, possint opera præscripta peragere, sicque Jubilæum lucrari: atque in hunc finem, ut omnia cum majori quiete, ac devotione perfecta valeant, concediture eisdem spatium duarum hebdomadarum non minus, ac cæteris.

QUÆSTIO X.

De Facultate absolvendi a reservatis tempore Jubilæi.

SUMMARIUM.

114 *Tempore Jubilæi solet Confessariis concedi potestas absolvendi a reservatis.*
115 *Et commutandi vota.*
116 *Jubilæum non posse bis obtineri, est probabilius.*
117 *Nec etiam in duobus locis.*
118 *Quamvis non desint oppositum tenentes.*
119 *Valida est absolutio a reservatis, obtenta in Jubilæo ab habente animum adimplendi opera præscripta, licet postea hac eorum peragat.*
120 *Secus, si non habuisset animum ea implendi.*
121 *Utrum absolutus a reservatis peccet mortaliter, si postea non præstet opera Jubilæi?*
122 *Virtute Jubilæi, potest quis absolvi a reservatis ablatis ex jam peracto.*
123 *Hoc usum secerit aliqui de commutatione votorum.*
124 *Alii vero negant.*
125 *Probabilius est, in Jubilæo concedi facultatem absolvendi ab Hæresi, nisi excipiatur.*
126 *Idque probatur multipliciter.*
127 *Et confirmatur.*
128 *Solvitur ratio opposita sententia.*
129 *Respondetur ad Declarationes SS. Pontificum.*
130 *Excepta Hæresi non censentur excepti casus Hæresin sapientes.*

114. PRo majori intelligentia sequentium est notandum, quod tempore Jubilæi præter Indulgentias plenarias, omnibus fidelibus opera præscripta rite peragentibus confessis, duplex communiter potestas respectu eorum concedi soleat Confessariis, quos ipsi ex approbatis ab Ordinariis locorum elegerint. Prima est, quod hi possint eos pro ea vice, & in foro consentiæ tantum, absolvere ab omnibus censuris, & peccatis, etiam a reservatis tum a locorum Ordinariis, tum a Summo Pontifice, ac etiam contentis in Bulla Cœnæ Domini: dummodo non sint publice denunciati, incidisse in aliquam sententiam seu censuram excommunicationis, suspensionis, & interdicti; nam tales expresse in Bulla excipiuntur, nisi infra tempus celebrationis Jubilæi satisfecerint. Solet etiam interdum expresse excipi crimen hæresis, ut videre est in Jubilæo Innocentii X. anno 1648. die 11. Martii publicato, quod refert Gobat, circa initium *Tract. 3. Quinarii.*

115. Altera facultas, concessa Confessariis, est, quod possint quæcunque vota ipsorum (Religionis, & Castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare. Ubi nomine *Castitatis* intelligitur Castitas perpetua, & integra, ut in simili dictum est supra *Tract. 6. dist. 4. num. 45. & 46.* Non tamen solet concedi ulla facultas dispensandi super aliqua irregularitate quomodocunque contracta, prout amplius ex verbis Bullæ cujuslibet Jubilæi patere poterit; nam illa nonnunquam alterantur. His prænotatis, pro solutione præcipuorum dubiorum, circa materiam præsentis quæstionis occurrentium, sit

116. CONCL. I. Probabilius est, quod Jubilæum ad duas hebdomadas extensum non possit bis obtineri jac proinde, qui intuitu ejus absolutus est a reservatis hebdomada priori, non possit denuo hebdomada sequenti reiteratis operibus absolvi a reservatis, in quæ noviter incidit. Ita Lugo *disp. 23. de sacr. Panit. n. 121.* citans Suarez, Sanchez, & alios. Filliucius *n. 261.* asserens, ita fuisse declaratum a Sacra Congregatione Concilii, anno 1620. & rursus *num. 278.* ubi refert, ita respondisse Clementem VIII. ac novissime Sannig *loc. citat. num. 14.* Fundatur hæc sententia præter allatas jam Declarationes, in eo: quia Indulgentia tantum valet, quantum sonat Bulla; atqui Bullæ Jubilæorum utuntur clausula disjunctiva. *Qui prima, vel secunda hebdomada:* & infra *Alterius ex duabus hebdomadis:* ergo non nisi disjunctive poterit Jubilæum obtineri prima, vel secunda hebdomada, & consequenter non bis, seu copulative in utraque.

117. Atque hinc ulterius infertur, quod, si quis in uno loco, v.g. Salisburgi, lucratus est Jubilæum ibi prius publicatum, & postea veniat Erfingam, ubi serius idem Jubilæum publicatur, non possit secundo idem Jubilæum lucrari, & absolvi a reservatis: quia, licet locus sit diversus, Jubilæum tamen est idem. Lugo *l. c. n. 12.*

118. Additur notanter in Conclusione, *probabilius est.* Quia non desunt Doctores, qui affirmant, posse Jubilæum sæpius, atque in utraque hebdomada obtineri, si opera præscripta repetantur, eo quod Beneficium Principis sit latissime interpretandum, quando non tendit in præjudicium tertii. Henriquez *lib. 7. de Indulgentiis c. 13. n. 1.* & novissime Gobat. *tract. 3. Quinarii n. 92. & seqq.* citans plures alios ac proinde *n. 256.* inferens, quod prima hebdomada absolutus a censuris, si reincidat in illas, possit secunda hebdomada denuo absolvi repetitis operibus: quorum sententiam Lugo *c. n. 122.* probabilem censet, etsi nostram appellet probabiliorem.

119. CONCL. II. Valida est absolutio illius, qui animo adimplendi omnia requisita pro lucrando Jubilæo, die Lunæ alterius hebdomadæ confessus est peccata reservata, & ab eis, atque annexis censuris, etiam Papæ reservatis, obtinuit absolutionem pro foro conscientiæ, licet postmodum opera præscripta implere negligat. Ita Zerola *part. 2. Praxis Episcopalis verf. Absolutio q. 11.* Lugo *disp. 20. de Sacram. Pœnit. n. 100.* Sanchez *lib. 4. in Decalog. c. 54. n. 42.* Bonacina *disp. 5. de Sacr. Pœnitent. quæst. 7. punct. 5. §. 5. nn. 16.* citans insuper Suarez, Vasquez, & alios: quamvis nonnulli vehint, in tali casu censuras, earumque reservationem redire. Ratio Conclusionis est: quia absolutio ejusmodi fuit data omnino absolute, non autem sub conditione de futuro; ergo semel habita, simpliciter tenet. Accedit, quod pœnitens cum intentione peragendi omnia requisita confessus, rite fuerit dispositus pro recipienda absolutione ab omnibus peccatis, & censuris etiam reservatis virtute Jubilæi, quod lucrari revere intendebat; nam in ordine ad istud obtinendum Papa concessit facultatem absolvendi a reservatis.

120. Additur notanter, *qui animo adimplendi omnia &c.* Nam deficiente intentione adimplendi opera ad Jubilæum requisita ex parte confitentis, deficit quoque facultas absolvendi ex parte Confessarii, cum ipsam Pontifex solum concesserit in ordine ad consequendum Jubilæum, ac proinde defectu potestatis absolutio illa nunquam fuerit valida. Lugo, Bonacina, *ubi supra*, cum aliis.

121. Variant autem Doctores, utrum in priori casu pœnitens graviter peccet, si postquam tempore Jubilæi obtinuit absolutionem a reservatis, mutato animo non præstet opera præscripta, sicque Jubilæum lucrari negligat. Et quidem Suarez *disp. 31. de Pœnit. sect. 4. num. 5.* arbitratur, talem graviter peccaturum. E contra Sanchez *loc. cit. n. 54.* Lugo, Bonacina, *ubi supra*, Gobat. *cit. tract. 3. n. 262.* & alii, probabilius esse censent, talem non peccaturum mortaliter: nam, ex quo bona fide petiit, & accepit absolutionem a reservatis, non apparet sufficiens fundamentum inducendi obligationem sub mortali ad præstanda cætera opera; cum nulli gravem injuriam inferat, sibique potissimum noceat non lucrando Jubilæum, ad quod nulla lege sub mortali obligatur.

122. CONCL. III. Qui confessus est tempore Jubilæi animo illud lucrandi, atque ex oblivione omisit confiteri peccatum reservatum, vel censuratum, potest peracto Jubilæo ejus absolutionem obtinere a simplici Confessario. Ita Lugo *cit. disp. 20. num. 99.* Filliucius *tract. 8. cap. 10. de Jubilæo, num. 279.* Sannig. *loc. cit. nn. 17.* Suarez, & alii. Ratio est: quia per absolutionem tempore Jubilæi generaliter & absolute datam, jam censetur ablata reservatio pro oblitis, & consequenter postea ab his potest absolvere simplex Confessarius.

123. Et hoc ipsum non pauci Doctores extendunt etiam ad commutationem votorum, ita ut ille, qui præstitit opera pro consequendo Jubilæo præscripta, possit transacto etiam tempore Jubilæi votorum antea factorum commutationem petere, atque obtinere a quovis Confessario. Ratio esse potest: quia, qui semel lucratus est Jubilæum, acquisivit jus ad obtinendas omnes gratias Jubilæi, etiam pro tempore sequenti, si eas pro tunc petere fuit oblitus, & consequenter, sicut postea potest obtinere absolutionem a reservatis, ita & commutationem votorum. Ita Sanchez *l. 4. in Decalog. cap. 54. nn. 59.* Lessius *lib. 2.*

de just. & jur. cap. 40. n. 109. Gobat. *l. c. n. 243.* citans plures alios.

124. Fatendum tamen, quod Suarez *t. 6. de voto cap. 36. n. 14.* Bonacina *disp. 4. in Decalogum, q. 2. punct. 7. §. 3. nn. 14.* & quidam alii, negent, commutationem votorum fieri posse post peractum tempus Jubilæi, nisi hæc pro tunc jam fuerit inchoata, sicque perpetuata jurisdictio delegata Confessarii, dicendo v.g. *Commuto tua vota in ea opera, quæ postmodum tro designaturus.* Alioquin vero (inquiunt) translacto tempore Jubilæi, expirat jurisdictio Confessarii. Neque enim est paritas inter absolutionem a reservatis, & commutationem votorum; nam illa jam absolute, & sine aliqua conditione, facta fuit ipso tempore Jubilæi; non sic commutatio votorum, nisi in casu jam excepto.

125. CONCL. IV. Quando in Bulla Jubilæi datur Confessariis facultas absolvendi pro Foro conscientiæ ab omnibus censuris, & peccatis, *quantumvis gravibus & enormibus, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis, & aliis quomodocunque reservatis*; probabilius est, etiam concedi facultatem absolvendi ab Hæresi, nisi hæc expresse excipiatur. Ita Filliucius *cit. tract. 8. cap. 10. n. 265.* asserens, ita fuisse responsum in Sacra Pœnitentiaria 1617. occasione Jubilæi tunc promulgati. Zerola *p. 2. Praxis Epis. verf. Absolutio §. 8. concl. 4.* citans Scotum *dist. 22. q. 2. art. 3.* Corduba, *in Summ. quæst. 8.* Pagundez, Lugo, Azorius, plurisque alii, ac novissime Gobat. *cit. Tract. 3. Quinario, n. 248. & ibi in Appendicula*; quamvis etiam multi teneant oppositum, ut videre est apud Barbosam *part. 2. de Offic. & potest. Episcop. alleg. 40. n. 31.*

126. Ratio Conclusionis est: quia verba generalia generaliter sunt intelligenda; simulque negari nequit, quin Hæresis connumeretur inter casus Bullæ Cœnæ Domini. Deinde causa motiva, ob quam Pontifex per Bullam Jubilæi solet confessariis concedere amplissimam illam facultatem absolvendi, solet assignari ista; quia videlicet Sanctissimus Dominus Papa *cupit omnes Christi Fideles participes fieri hujus pretiosissimi Thesauri*, seu Jubilæi: atqui etiam lapsus in Hæresin, & de hac vere pœnitens, & contritus pertinet ad Christi Fideles: cur igitur is solus de mente Pontificis non poterit particeps fieri tanti Thesauri, nisi expresse excipiatur? Notum quippe est, quod beneficium Principis, nulli tertio præjudicans, sit largissime interpretandum, ut *c. Olim de Verb. signif.* & quod favores sint ampliandi, non restringendi, juxta *Reg. 15. Juris in 6.* cum similibus.

127. Accedit, quod, si Papa a tam generali & favorabili concessione velit esse exceptum crimen Hæresis, soleat illud expresse excipere, prout sæpius factum esse, ostendit Gobat. *ubi supra*: ergo, quando illud expresse non excipit, censetur per verba tam generalia, atque intuitu Jubilæi, velle dare Confessariis potestatem absolvendi etiam a crimine hæresis pro Foro Conscientiæ, *arg. c. quia circa de Privileg.* ibi: *Cum nihil exceperit & poterat excepisse*; sicut jam fecerant alii Pontifices, quando hoc crimen voluerunt esse exceptum.

128. Nec obstat ratio Doctorum oppositæ sententiæ, sese fundantium in gravitate, & rigorosa reservatione Hæresis: unde (inquiunt) hoc crimen non venit in generali concessione absolvendi, cum sit speciali nota dignum, juxta *Reg. 81. Juris in 6. In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* Nam contra est: quia sit licet opinio multorum Doctorum, non venire in generali concessione Casuum Bullæ Cœnæ crimen Hæresis, propter ejus enormitatem; tamen id nullo jure probatur, & alioquin Viri etiam doctissimi contrarium sentiunt; quod & in usum, & praxin, reducitur Romæ in sacra Pœnitentiaria, ut inquit Filliucius *loc. cit.* atque intrepide, singulariter a Confessariis Septentrionalibus, ubi impune grassantur Hæreses, in usum deduci posse, notat Gobat. *cit. n. 249. circa finem.* Accedit, quod, si vera esset opposita sententia, non nisi superflue, & negatorie quidam Pontifices expresse crimen Hæresis excepissent, utpote quod per se, & aliunde jam fuisset sufficienter exceptum.

129. Afferuntur quidem in favorem oppositæ sententiæ nonnullæ Declarationes SS. Pontificum, uti videre est apud Barbosam *cit. n. 31.* Verum respondet Diana *part. 1. tract. 5. resolut. 1.* post Fagundez, quod de illis non constet authentice. Certe Responsio Sacræ Pœnitentiariæ, per Filliucium adducta, stat in oppositum. Quod si revera tales declarationes Pontificiæ emanarint, non erit locus dandus nostræ sententiæ: nisi dici possit, quod dictæ Declarationes emanarint a Pontificibus circa proprias suas Bullas, aut, quod ipsæ restringantur intra limites Hispaniæ, aliorumque locorum, ubi viget

viget Officium S. Inquisitionis, ad cujus instantiam dictæ Declarationes emanarunt, ut patet ex verbis Decreti a Diana, *ubi supra*, relati.

130. His addendum cum Diana *part. 4. resol. 140. Gobat. loc. cit. nn. 250.* & aliis, quod, licet quandoque in Bulla Jubilæi expresse excipiatur Hæresis a generali facultate absolvendi, non ideirco censentur excepti alii casus Hæresin sapientes: ut est lectio, ac retentio librorum hæreticorum una cum cæteris casibus in primo Articulo Bullæ Cœnæ contentis. Nam talia delicta non possunt cum verborum proprietate dici Hæresis.

QUÆSTIO XI.

De Suffragiis.

SUMMARIUM.

131 *Suffragium dupliciter sumitur.*
132 *Suffragia fidelium sunt triplicis generis.*
(d) Tract. 14. Dist. 5. per totum.
133 *De fide est, dari inter fideles communicationem bonorum operum.*
134 *Possunt fideles justi se invicem juvare per Suffragia &c.*
135 *Solvitur instantia.*
136 *Ut Suffragium alteri prosit, tria ex parte offerentis requiruntur. I. Status gratiæ.*
137 *II. Intentio offerendi pro alio.*
138 *III. Opus de se satisfactorium.*
139 *Qua requirantur ex parte ejus, pro quo offertur.*
140 *Declaratur.*
141 *Suffragia pro aliis oblata, adhuc prosunt offerenti.*
142 *Is nihil perdit, quin potius lucratur.*
143 *Prælati Regulares, quid concedant per Litteras Fraternitatis, seu Suffragia Ordinis?*
144 *Hæ possunt communicari Benefactoribus.*
145 *Prodest talis communicatio.*
I. Per modum meriti de congruo.
146 *II. Per modum impetrationis.*
147 *III. Per modum satisfactionis.*
148 *Indulgentia plenaria pro talibus post mortem applicabiles.*
149 *Solvitur instantia.*
150 *Differentia inter concessionem Indulgentiarum, & Suffragiorum Ordinis.*

131. SUffragium, quod a *suffragari* (hoc est, assistere, vel auxilium præbere) derivatur, dupliciter accipitur. I. Pro voto, quale in electionibus ad Officia, & Dignitates dari solet: sed hæc acceptio ad propositum non servit. II. Pro auxilio, quod alteri præbetur: & hoc modo dicuntur Fideles mutuis sese Suffragiis juvare, quando precibus ad Deum fusis, aliisque piis operibus sese mutuo juvare satagunt.

132. Porro hujusmodi Suffragia, quibus unus Fidelis alterum juvare potest, generatim sunt triplicis generis, videlicet Sacrosanctum Missæ Sacrificium, indulgentiæ & propriæ actiones bonæ ac satisfactoriæ; ut orationes, jejunia, & hujusmodi, quibus Fideles sese invicem juvare possunt. Fideles autem, quibus emsmodi Suffragia applicari possunt, duplicis generis existunt, nempe Viatores, sive existentes in Ecclesia Militante; & mortui in Purgatorio, sive qui sunt in Ecclesia Purgante: nam Sancti in cœlis nullo indigent Suffragio, damnati vero eadem sunt incapaces. Quia igitur de Indulgentiis hactenus jam dictum, & de SS. Missæ Sacrificio (d) alibi dicetur, ex professo nunc de tertio Suffragiorum genere agendum restat.

133. CONCL. I. De fide certum est, dari aliquam inter Fideles bonorum operum communicationem, quibus ipsi sese mutuo juvare, ac sint invicem suffragari possunt. Patet hoc ex illo Articulo Symboli Apostolorum: *Credo Sanctorum Communionem*. Hujus quippe Articuli, juxta omnes Theologos, sensus est, quod detur in Ecclesia communio bonorum operum inter homines justos, quibus se invicem juvare possunt: nam homines justi sunt membra unius corporis mystici Ecclesiæ sub uno Capite Christo, *Rom. 12.* & *Ephes. 4.* ergo sicut in corpore sano unum membrum potest ferre auxilium alteri indigenti, ita & in Corpore mystico Ecclesiæ. Hinc *ad Rom. cap. 15.* ait Apostolus: *Obsecro vos fratres, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Et *Jacobi 5. Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet oratio justi assidua*, & alibi.

134. CONCL. II. Possunt insuper Fideles justi se invicem juvare per Suffragia ad satisfaciendum pro pœna temporali. Ita certa, & communis Catholicorum, contra Hæreticos; atque hoc ipsum a Catechismo Romano S. Pii V. *in fine de Sacramento Pœnitentiæ*, deducitur ex citato Ar-

ticulo Symboli Apostolorum de *Communione Sanctorum*.

135. Nec obstat illud *ad Galat. 6. Unusquisque onus suum portabit*. Et 2. *Corinth. 5. Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit*. Respond. enim, hujusmodi textus Sacræ Scripturæ loqui de retributione finali post hanc vitam: & sensus eorum est, quod in extremo judicio nullus puniatur pro peccatis alterius, neque præmiandus sit propter bona opera aliorum, sed quilibet pro propriis gestis duntaxat. Per hoc tamen non negatur, quin unus de facto possit satisfacere pro pœna temporali post culpam peccatorum dimissam aliis adhuc restante, sicque ipsos, sive viventes, sive mortuos in Purgatorio, juvare suis Suffragiis.

136. CONCL. III. Ut Suffragium habeat suum effectum, tres ex parte offerentis requiruntur conditiones. I. Status gratiæ: nam existens in statu peccati mortalis, indignus est remissione culpæ & pœnæ, sicque non potest pro altero offerre opera satisfactoria ex opere operantis, ac nomine proprio: etsi secus sit de Missæ sacrificio, quod habet effectum suum ex opere operato; nec non de precibus, in persona Ecclesiæ a Sacerdote in Missa, & Divino Officio persolutis, quæ non obstante malitia Ministri habent suum effectum, quatenus dicuntur nomine Ecclesiæ.

137. II. Requiritur, ut offerens habeat intentionem offerendi pro altero opus suum, cujus Suffragium applicandi. Et hæc quidem applicatio debet antecedere opus bonum, non subsequi: alioquin vel applicabitur ipsi operanti, si indigeat ejusmodi satisfactione; vel si is non indigeat, nec, dum operatur, applicavit alteri, quoad fructum satisfactorium reponitur in Thesauro Ecclesiæ. Sufficit tamen applicatio habitualis, hoc est, præterita & nondum revocata. Mairinus *disp. 23. Theol. Mor. n. 74.* & alii.

138. III. Ut ejusmodi opus ex se sit satisfactorium, hoc est, habeat valorem & pretium ad solvendum debitum illius, pro quo offertur. Et talia opera generatim sunt tria, videlicet Oratio, Jejunium, & Eleemosyna; sub quibus omnes aliæ operationes pœnales comprehenduntur.

139. CONCL. IV. Ut Suffragium quoad vim satisfactoriam habeat suum effectum, etiam ex parte illius, pro quo offertur, tres requiruntur conditiones. I. Quod indigeat Suffragio. II. Quod sit in statu gratiæ. III. Quod peccata, pro quibus satisfactio exhibetur, jam sint remissa quoad culpam. Ita communis. Siquidem pœna non remittitur, nisi prius peccatum quoad culpam fuerit dimissum.

140. Additur, *quoad vim satisfactoriam*. Nam quoad vim impetratoriam potest Suffragium prodesse etiam existentibus in peccato mortali, eidem de congruo promerendo, atque impetrando specialia gratiæ auxilia, quibus interius illuminati citius ad pœnitentiam convertantur, atque a variis tum animæ, tum corporis periculis præserventur &c.

141. CONCL. V. Suffragia pro aliis oblata non redduntur inutilia offerenti, quin potius adhuc multipliciter ei prosint. Ita communis: & patet inductione. Siquidem primo ejusmodi opus bonum prodest ipsi operanti in ratione meriti: seu quatenus homo justus per illud de condigno promeretur augmentum gratiæ sanctificantis, & gloriæ cœlestis: nam hoc semper manet operanti, & nequit alteri donari. Deinde ultra hoc meritum operis peracti, eidem remanens, accedit novum meritum ratione ipsius actus Charitatis, quo quis per applicationem boni operis a se peragendi vult suo Proximo subvenire. Insuper tale Suffragium prodest offerenti quoad valorem specialissimum illius boni operis, utpote quem non potest licite alteri applicare.

142. Ex quibus proinde liquet, offerentem Deo sua bona opera ex motivo Charitatis, & Misericordiæ spiritualis pro aliis, præsertim pro Animabus in Purgatorio, parum exinde perdere, quin potius lucrari: eo præsertim, quia Æterna Veritas dicere dignata fuit, *Matth. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Atque ipsamet Animæ Purgatorii, tanti Beneficii neutiquam immemores, sive adhuc in statu Purgationis (ut nonnulli volunt) sive saltem in statu adeptæ Cœlestis Beatitudinis, Deum pro suis benefactoribus exorare ferventius studebunt.

143. Quæres, quid concedant Prælati Regulares, dum quosdam Seculares præsertim Benefactores, admittunt ad communionem specialem operum & Suffragiorum Ordinis, sive Religiosorum sibi subditorum? De hoc ex professo agunt Emman. Rodericus *tom. 1. qq. reg. quæst. 3. art. 2.* & *seqq.* Miranda *tom. 2. Manual. Prælat. q. 50. art. 3.* Suarez *p. 3. tom. 4. disp. 55. sect. 5.* Lugo *disp. 7.*

Resp. 7. de Pan. sect. 8. Bassæus *verf. Suffragium n. 1.* Sorbus *verf. Indulgentia quoad seculares quarto, in Annot.* & alii.

144. Et iciendum, quod Urbanus V. prout refertur in Monumentis Ordinis, & Compendio Privilegiorum *verf. Indulgentia quoad seculares quarto, n. 6.* concesserit, *ut Generales & Provinciales totius Ordinis Minorum possint communicare Suffragia, Indulgentias, orationes & bona spiritualia beneficiorum Ordinis*: idque fieri communiter solet concedendo eis *Litteras*, quas vocant, *Fraternitatis*, sive *Suffragia Ordinis*. Notant vero citati Auctores, hanc concessionem, qua gaudent etiam alii Ordines habentes communicationem Privilegiorum, nihil continere, quod Jure communi non sit concessum: nam de Jure communi jam potest quilibet Prælatus bona & merita suorum Subditorum communicare, & applicare Benefactoribus suis. Hoc præmotato,

145. Resp. hujusmodi communicatio bonorum operum Ordinis, prodest hominibus ad eam per Prælatum admissis, multipliciter. In primis quidem indirecte, per modum cujusdam meriti de congruo: quia, ex quo quis efficitur membrum, ac socius talis Religionis, congruum est, ut ob merita ejusdem Religionis Deus speciali auxilio & protectione foveat, atque custodiat personas ipsi conjunctas, etiamsi ad hunc finem merita illa non exigerentur. Sic propter decem justos, si ibi invenes fuissent, pepercisset Dominus Sodomæ, & Gomorrhæ, ac finitimis Civitatibus, *Gen. 18.* Rodericus *l. c. art. 3.* Suarez, Lugo, & alii.

146. Deinde dicta admissio prodest illis personis etiam directe, per modum impetrationis. Tum quia, cæteris paribus, efficacior est oratio justi facta pro persona sibi conjuncta, quam pro extranea; tum quia tales personæ fiunt directe participes omnium Orationum, Missarum, aliorumque Suffragiorum, quæ generaliter fieri solent pro ipsa Religione, ac membris ejus. Unde bona opera talis Religionis possunt de congruo mereri (juxta dicta *n. 80. & 85.*) atque impetrare, ut Deus Confœderatis illis specialia gratiæ auxilia conferat, quibus a vitiis avocentur, interius illuminentur, atque animentur ad profectum in virtutibus, insuper præserventur a peccatis, a morte, & ab aliis malis tum spiritualibus, tum corporalibus. Itac. Auctores, & alii.

147. Ulterius juvat illa unio, atque communicatio bonorum operum Confœderatis (dummodo habeant conditiones *n. 79.* assignatas) ad aliquem fructum satisfactionis consequendum. Tum quia in Communitatibus Ordinum Religiosorum, præter quamplures Missas præsertim Conventuales, peraguntur plurimæ preces, pia exercitia, & bona opera pœnalia, atque satisfactoria, quæ generaliter applicantur pro Fratribus, Benefactoribus, ipsisque Confrefectis, tam vivis, quam defunctis. Tum quia satisfactiones illæ, quæ piis Religiosis superabundant, vi talis communicationis applicantur exteris.

148. Addit Bassæus *loc. c. num. 2.* quod pro animabus habentium prædictas Litteras Participationis possint Religiosi illius Monasterii, cujus olim fuerant Benefactores, celebrare Missam, quæ eas liberet a pœnis Purgatorii; idque ex concessione Clementis VIII. Fratribus Minimis facta, & communicantibus cum eis, quæ refertur *Tom. 2. Privilegiorum ejusdem Ordinis, Constit. 10. dicti Clementis.*

149. Objicies contra dicta. Si Prælati Regulares possent Benefactoribus applicare bona opera subditorum, præsertim quoad vim satisfactoriam; hoc ipso concederent Indulgentias: atqui hoc dici nequit, ergo. Resp. negando consequent. Nam multiplex est differentia inter concessionem Indulgentiarum, & Suffragiorum.

150. Primo siquidem Indulgentiæ concedantur ex communi Thesauro Ecclesiæ, ac virtute Clavium; non sic Suffragia. Insillis dispensantur etiam satisfactiones Christi, & Sanctorum, ex operibus olim jam peractis: in his sola pia opera Subditorum adhuc viventium, primum peragenda. Ulterius de illarum infinitate, ac sufficientia constat, secus de bonis operibus alicujus Communitatis religiosæ. Tandem hæc Benefactoribus prosunt, atque virtute Suffragiorum Ordinis communicantur non solum quoad vim satisfactoriam, sed etiam impetratoriam, ac de congruo meritoriam: e contra Indulgentiæ prosunt quoad solam vim satisfactoriam. Et ob tam multiplicem differentiam fit, quod suspensis Indulgentiis non suspendatur ullhæc communio Suffragiorum Ordinis. Rodericus *loc. c. art. 7.* pluribus ullhæc suffragia declarans, & alii.

TRACTATUS XIII.

DE CENSURIS, AC IRREGULARITATE, ALIISQUE POENIS CANONICIS.

1. TRactatus de Censuris Ecclesiasticis valde utilis est, scituque necessarius omnibus, qui sive in Foro Pœnitentiæ, sive exteriori Ecclesiastico judicant; eo quod ipsæ partim sint Pœnæ medicinales. *Cap.* 1. *de Sentent. excom. in* 6. partim pertineant ad *Nervum Ecclesiasticæ disciplinæ* nunquam disrumpendum. c. *Cum inter. de Consuetud.* Quia vero Censuræ sub Pœnis Canonicis, tanquam species sub genere continentur, breviter etiam de his agendum, ita tamen, ut materia Irregularitatum exactius declaretur.

DISTINCTIO I.

De Censuris, & Pœnis Canonicis in genere.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit Censura Ecclesiastica?

SUMMARIUM.

1 *Utilitas hujus Tractatus.*
2 *Censura generatim.*
3 *Censura Ecclesiastica, quid?*
4 *Est pœna spiritualis,*
5 *ac medicinalis.*
6 *Declarantur aliæ ejus particulæ.*
(a) Juxta decenda Dist. 3. n. 24. & seqq.
7 *Censura Ecclesiastica, quot?*

2. CEnsura apud Romanos significabat tum Officium Censoris, tum sententiam ejusdem Censoris, mores corrigentis, aut pœnam decernentis. Unde occasione hujus posterioris acceptionis factum est, quod censura significet correctionem quandam, & punitionem, juxta illud *Juvenalis, Satyra* 2. *de Laronia* canentis: *Dat census honestis, vexat censura columbas.* In proposito tamen nomine Censuræ intelligimus solam Ecclesiasticam; de qua loquendo, sit

3. CONCL. I. *Censura Ecclesiastica* est pœna spiritualis, ac medicinalis, pro culpa inflicta, privans usu alioquorum spiritualium bonorum, per Ecclesiasticam potestatem imposita, ut Fidelis a contumacia desistat. Ita in re communis, & patebit explicando singulas particulas.

4. Dicitur, *pœna spiritualis*. Tum ad differentiam pœnarum corporalium: si quidem Censuræ Ecclesiasticæ non versantur principaliter circa privationem bonorum temporalium, aut afflictionem corporis: quamvis per accidens, & secundario, nonnunquam hæc sequatur ex illa. Tum quia pœna spiritualis latius patet, quam censura: unde hæc particula stat loco generis, cætera vero habent rationem differentiæ.

5. Dicitur ulterius, *ac medicinalis*. Quia Censura Ecclesiastica proprie non est pœna vindicativa sceleris jam patrati, sed potius est pœna medicinalis, intendens futuram correctionem delinquentis contumacis. *arg. c.* 1. *de sent. excomm. in* 6. ibi: *Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinam non eradicans; dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat.*

6. Additur, *pro culpa inflicta*. Quia Censuræ Ecclesiasticæ non infliguntur, nisi ob culpam; per quod differunt ab irregularitate, quæ quandoque incurritur absque ulla culpa, ex mero defectu aliquo. (a) Et additur rursum, *privans usu aliquorum bonorum spiritualium*: qualia sunt administratio, vel receptio Sacramentorum, Suffragia Ecclesiæ, Sacrificium Missæ, ac hujusmodi. Dicitur tandem, *per Ecclesiasticam potestatem imposita*: quia potestas ferendi Censuras convenit soli Ecclesiæ, cui dicta potestas competit Jure Divino: prout habetur *Matt. cap.* 16. & 18. quamvis institutio, atque ipsa impositio Censurarum, sit de Jure humano Ecclesiastico.

7. CONCL. II. Censuræ Ecclesiasticæ sunt tantum tres, videlicet Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum: Ita omnes Doctores; & habetur clare c. *Quærenti de Verb. signif.* ubi Pontifex interrogatus, quid per Censuram Ecclesiasticam debeat intelligi? *Respondet, quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis, ac excommunicationis sententia valeat intelligi.* Unde patet, has tres esse Censuras Ecclesiasticas, & quidem solas.

QUÆSTIO II.

Ob quam causam Censuræ ferri possint?

SUMMARIUM.

8 *Excommunicatio, aut alia Censura, fertur ob solum peccatum mortale.*
9 *Dempta Excommunicatione minori.*
10 *Ac suspensione levi.*
11 *Peccatum illud debet esse externum.*
(c) Tract. 2. Dist. 1. n. 46. & Tr. 4. Dist. 4. n. 26.
12 *Ac in suo genere completum.*
13 *Et quid habeat annexam contumaciam, sive inobedientiam delinquentis.*
14 *Quomodo etiam ob alias causas, quis excommunicari possit?*
15 *Qualis contumacia requiratur & sufficiat?*
16 *Corollarium.*
17 *Censura proprie non infligitur ob peccatum mere præteritum.*
18 *An possit imponi Suspensio v. gr. per modum pœnæ?*
19 *Censura ipso Jure decreta non requirit aliam monitionem; Bene tamen, si feratur ab homine.*

20 *Censura, an possit infligi ob peccatum alterius? Affirmatur de interdicto;*
21 *Negatur de Excommunicatione. Tota Communitas non debet excommunicari, quamdo?*
22 *Disparitas inter Interdictum, & Excommunicationem.*
Excommunicatio pœna gravissima.
23 *Probatur responsio ex Jure.*
24 *An, si excommunicetur tota Communitas, teneat Excommunicatio?*
25 *Suspensio non incurritur, nisi ob propriam culpam.*
26 *Disparitas inter hanc, & Interdictum.*

8. CONCL. I. Ob solum peccatum mortale, externum, & in suo genere completum, potest infligi Excommunicatio major, vel alia Censura Ecclesiastica gravis. Ita Doctores passim. Ratio primæ partis est: quia pœna, ut sit justa, debet commensurari culpæ, sive eam non excedere: Excommunicatio major autem est gravissima pœna: ergo etiam gravem, seu mortalem culpam requirit.

9. Dicitur notanter, *Excommunicatio major*. Siquidem, ut notat Reginaldus *lib.* 32. *n.* 147. cum communi, Excommunicatio minor potest imponi non solum ob peccatum mortale, sed etiam ob veniale, nempe ob communicationem cum excommunicato vitando in alloquio, mensa, aliisque commerciis humanis, in quibus non reperitur notabilis irreverentia Dei, vel læsio sui, aut Proximi. Et ratio est: quia effectus Excommunicationis minoris non est adeo gravis, cum privet solum participatione, seu receptione Sacramentorum, quæ non quovis tempore est necessaria.

10. Et additur, *vel alia censura Ecclesiastica gravis*. Siquidem nihil prohibet, quin propter levem, sive venialem culpam, quandoque imponatur suspensio levis, v.g. suspensio ab uno actu electionis, aut Missa celebranda per unum vel alterum diem; prout notat Pirhing *tit. de sentent. excomm. n.* 207. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 3. *n.* 2. Suarez, Navarrus, & alii.

11. Altera pars Conclusionis, quod ob solum peccatum externum incurratur Censura, ex eo suadetur: quia Ecclesia non judicat de occultis. Et hinc alibi (c) jam dictum est cum communi, licet hæretici ipso jure incurrant excommunicationem; nihilominus eum, qui hæresin solo animo fovet, excommunicationem non incurrere,

prinsquam verbo vel opere externo eam sufficienter manifestarit.

12. Ultimæ tandem partis, quod peccatum in suo genere debeat esse completum, ratio est: quia leges pœnales sunt stricte interpretandæ, *c. cum causa de Reg. Jur. in 6.* Similique ferum verba accipienda cum effectu *arg. c. Hoc autem verbo de Pœn. dist. 1.* Hinc, qui conatus fuit percutere Clericum, sed erravit, aut impeditus fuit, non incurrit pœnam excommunicationis latam in percussores Clericorum. Similiter, quamvis dicta excommunicatio sit statuta etiam in mandantes, vel consulentes percussionem Clericorum, ea tamen ab ipsis non incurritur, nisi percussio Clerici actualiter sit secuta: & idem dicendum de similibus.

13. CONCL. II. Non ob quodlibet peccatum mortale potest ferri Excommunicatio, aut alia propriæ dicta Censura Ecclesiastica: sed requiritur ulterius, ut peccatum illud habeat annexam inobedientiam, & contumaciam delinquentis, per quam Reus Ecclesiæ monentis, ac præcipientis authoritatem spernens contemnat. Ita Navarrus *c. 27. Man. n. 9.* Sanctus *disp. 2. de Censur. q. 3. n. 12.* Abbas, & alii. Et hoc colligitur ex S. Scriptura: nam *Matth. 18.* dicitur: *Si Ecclesiam non audierit* (id est, si ei obedire non fuerit) *sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*; id est, tanquam exclusus ex gremio Ecclesiæ. Idem definitur ex definitione Censuræ ut sic, qua dicitur, Censuram esse infligendam, ut Fidelis a contumacia desistat: & hinc confusa Ecclesiastica censetur esse pœna medicinalis.

14. Nec dictis obstat, quod quis non solum ob contumaciam, sed ob alias quoque causas excommunicari possit, prout declaratur *cap. Quia frustra de Appell.* ibi: *Sane si quis pro contumacia, vel alia qualibet causa, interdicto vel excommunicationi subjacuit, &c.* Resp. quippe cum Abb. *ad cit. c. n. 10.* ad excommunicationem semper requiri contumaciam, quæ sit causa immediata excommunicationis, sive præcesserit delictum, sive non. Et hoc ultimum idcirco additur, quia potest *in aliquem interdixi, vel excommunicationis sententia proferri pro contumacia tantum, quia scilicet citatus stare noluit juri, text. clar. ib. Ex parte, §. 1. de sent. fin.* Quod si vero aliud delictum præcesserit, ac proinde excommunicationis sententia proferatur non tantum propter contumaciam, sed etiam pro illa causa alia, sive pro delicto: tunc illud erit causa excommunicationis non immediata, sed mediata,

15. Nihilominus id, quod dicitur, ad incurrendam Censuram requiri ex parte delinquentis contumaciam, non sic intelligendum est, quasi requiratur contumacia, atque contemptus formalis: sufficit enim inobedientia generalis, & contemptus interpretativus: in hoc consistens, quod quis sciens, quidpiam ab Ecclesia esse prohibitum sub Censura, nihilominus illud facere non vereatur. Unde

16. Infertur I. Excommunicationem, aut aliam Censuram, nunquam incurri ob peccatum solo Jure naturali, aut Divino prohibitum; nam ulterius requiritur præceptum Ecclesiæ, sub Censura quidpiam præcipientis, aut prohibentis, quod a Reo transgrediente contumaciter spernatur.

17. Infertur II. Censuram propriè dictam non esse infligendam ob peccatum mere præteritum; id est, quod penitus cessavit, & nullam præsentem inobedientiam ac contumaciam adjunctam habet. Ratio est: Tum quia Reus alioquin non posset duci contumax: tum quia Censura propriè dicta, non est solum pœna seu vindicta, sed simul medicina, ut Fidelis a contumacia desistat; ergo, cum inobedientia & contumacia non reperiatur præterita, quæ jam non sunt in potestate hominis, propter solum peccatum præteritum, nequit Censura propriè dicta infligi.

18. Dicitur notanter, *Censura propriè dicta*. Quia propter peccatum præteritum potest quidem imponi pœna, v. g. privatio Officii, vel Beneficii, imo & Suspensio ferri potest ob culpam mere præteritam, atque per modum pœnæ, ut notat Abbas *in cap. Reprehensibilis nu. 3. de Appell.* & Layman *cit. tract. 3. p. 3. c. 3. n. 2.* Verum hujusmodi Suspensio, seu pœna, non est Censura propriè dicta; cum non inferatur per modum medicinæ ad avertendum hominem a peccato: sed est mera pœna spiritualis, vindicativa peccati jam facti; cum tantum imponatur in pœnam admissi sceleris. Basseus *vers. Censura n. 25.* & alii passim.

19. CONCL. III. Quamvis, si ipso jure decreta est Censura latæ sententiæ, aliasmonitio necessaria non sit; quia tunc Lex, seu communis præceptum semper monet, ac prout de alia trina admonitione prævia opus non est, *arg. c. Reprehensibilis de Appell.*) Nihilominus, quando Censura fertur ab homine, ea nunquam infligenda est, nisi trina & legitima monitione prævia, cum intervallo dierum aliquot, saltem duorum aut trium,

ut censurandus habeat sufficiens tempus ad exhibendam emendationem, vel præstandam satisfactionem, aut proponendam suam defensionem, alioquin non solum injusta, sed etiam irrita foret Censura: licet aliquando, si necessitas facti id suadeat, possit una etiam admonitio peremptoria sufficere. Ita habetur expresse *c. Statuimus, & c. Constitutionem de Sentent. excommun. in 6.* cum concordantibus; estque communis Doctorum.

20. Quæres, an possit infligi Censura Ecclesiastica ob peccatum alterius? Resp. I. Loquendo de interdicto, sententiam affirmativam esse tenendam. Sic quippe propter peccatum Regis potest interdici totum Regnum, *arg. c. Non est subtis de Sponsalibus*. Et pro peccatis Episcopi terra ipsi subjecta, *c. Sane §. 2. de Officio delegati*. Et propter delictum Domini, vel Rectoris, Civitas, *c. si sententia, de sent. excommun. in 6.* Et Monasterium ob peccatum Prælati contumacis, *cap. Cum dilectus de Religiosis domibus*, ac notat Fagnanus *cap. Responsio, nu. 42. de sentent. excommun.* Et sic quandoque puniuntur aliqui, qui non peccaverunt, vel potius in suis Subditis Superiores, ut publica coercitione confusi citius resipiscant, atque a sua desistant contumacia: Præsertim, cum pœna Interdicti non tam multis bonis privet, sicut excommunicatio major.

21. Resp. II. Excommunicatio major ob peccatum alienum non incurritur ac proinde, ac innocentes cum nocentibus pœna adeo gravi involvantur, simul & collective excommunicari non debet tota aliqua Communitas, sive Collegium, aut Civitas; quamvis singuli, adeoque etiam omnes distributive, qui de tali Communitate nocentes reperiuntur, excommunicari valeant. Ita D. Thomas *parr. 3. Supplem. q. 22. art. 5.* Tannerus *tom. 4. disp. 6. q. 10. dub. 3. num. 42.* Layman, Pirhing, & alii communiter. Ratio est: quia Excommunicatio major non est infligenda, nisi propter peccatum mortale, peccatum vero cum constitat in actu, non est Communitatis, sed singularium personarum. Accedit, quod in Communitate plerumque soleant esse aliqui innoxii, & non consentientes peccato aliorum: atque æquum non est, ut condemnetur justus cum impio, præsertim pœna tam gravi, qualis est Excommunicatio major.

22. Nec obstat, quod secus fiat in Interdicto. Negatur enim paritas: siquidem Interdictum non est tam gravis pœna, neque tam multis privat bonis, sicuti Excommunicatio major: hæc enim est separatio non solum a Divinis, sed etiam a communione Fidelium, atque ideo pœna gravissima; sive, ut loquitur D. Augustinus, relatus cap. Consuluerunt 24. quæst. 3. *quæ pœna in Ecclesia nulla major est*. Quare ad hanc deveniendum non est, nisi magna adhibita circumspectione, & postquam prævis monitionibus, ac plerumque aliis lavioribus pœnis & Censuris, nihil obtineri potuit; ut recte monet Concilium Tridentinum *Sess. 25. cap. 3. de Reformat.* juncto *can. Ecce autem 24. q. 3.* Quinimo, cum ipsa sit medicinalis, neque tunc ad eam deveniendum est, nisi appareat spes aliqua fructus, vel ad ipsum Reum emendandum, vel saltem ad bonum publicum promovendum. Layman *loc. cit. part. 2. c. 1. n. 6.*

23. Cæterum, quod unus non sit excommunicandus propter peccatum alterius, ut puta filius pro delicto parentis, ad longum resolvit D. Augustinus *Epist. 47. ad Auxilium Episcopum*, ac refertur *cap. si habes 24. q. 3.* Quod autem tota Communitas aliqua (intellige, simul & collective: secus, distributive, dummodo omnes sint Rei) excommunicanda non sit, statuitur *c. Romana de Sentent. excommun. in 6.* ibi: *In Universitatem, vel Collegium proferri excommunicationis sententiam, penitus prohibemus, volentes animarum periculum evitare, quod exinde sequi posset: cum nonnunquam contingeret, innocios hujusmodi sententia irretire: sed in illis duntaxat de Collegio, vel Universitate, qui culpabiles esse constiterit, promulgetur.*

24. Utrum autem, si dictis non obstantibus excommunicetur tota Communitas, sententia excommunicationis valida sit, nec ne, ad longum disputat Fagnanus *cap. Responsio, num. 88. de Sentent. excommun.* Et quamvis non pauci Doctores censeant, ipsam esse invalidam, ponderando dictionem illam, *penitus prohibemus*: nihilominus idem Fagnanus *nu. 102.* tenet contrarium, afferens cum Glosa *in cit. cap. Romana. V. penitus*, & aliis, quod si sententia excommunicationis lata sit in Communitatem, non obstante, quod fuerit illicite lata, & hac ratione injusta, adhuc bene teneat, & liget singulos de tali Communitate doli capaces. Tum, quia Pontifex prohibuit quidem omnimodi ferri sententiam, sed hanc non irritavit. Tum quia, ut dicitur *c. ad Apostolicam de Regularibus, Malefactoribus prohibentur, quo se facto fuerint, obtinere no-*

bonis firmitatem. Accedit, quod *sententia posteriùs, sive justa, sive injusta fuerit, timenda sit*, c. Sententia. 11. q. 3.

25. Resp. III. Suspensio strictè accepta non incurritur, nisi ob culpam propriam. Ita Navarrus *cap. 27. Manual. n. 165.* Layman *lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 3. nu. 1.* Suarez, & alii. Ratio est: quia Suspensio est propriè dicta pœna, quippe directè cuipiam adimens usum Ecclesiasticæ potestatis: atqui pœna talis non incurritur sine culpa propria; Quinimo *peccata suos authores semper debent*, prout habetur c. *Quæsivit de his quæ fiunt a majori part. Capit.*

26. Nec urget, si fiat instantia de interdicto. Nam neque interdictum personale solet incurri, nisi ob peccatum proprium. Et quamvis interdictum locale etiam astringat innocentes, id tamen sit duntaxat indirectè, ac quamdiu sunt in loco interdicto: nam extra illum possunt interesse Divinis, atque si moriantur, in Loco sacro sepeliri. Si contra suspensus nullibi potest exercere usum potestatis Ecclesiasticæ.

QUÆSTIO III.

An ignorantia, metus, vel aliud quidpiam excuset ab incurrenda Censura?

SUMMARIUM.

27 *Regula generalis circa hoc.*
28 *Ignorantia facti excusat a Censura.*
29 *Ignorantia juris etiam excusat a Censura, dummodo non sit crassa.*
30 *Corollarium.*
31 *Rustici, & hominer simplices, sæpius per hoc excusantur a Censuris.*
32 *Metus gravis excusat a Censurit.*
(b) Juxta dictum Tract. 2. Dist. 2. n. 25. & seqq.
33 *Etiamsi aliter Jure naturæ prohibitus existat.*
34 *Excommunicatio, aut alia Censura sit invalida.*
35 I. *Ob defectum Jurisdictionis; & hoc duplicitèr.*
36 *Per appellationem, quando impediatur effectus Censuræ?*
37 II. *Ob defectum substantialis ordinis Judicii.*
38 III. *Ob defectum justæ causæ, & hoc tripliciter.*
39 *Censura lata contra innocentem, qui in Judicio probare nequit; an sit servanda?*
40 *Quid de Clerico innocente, & secundum publicas probationes excommunicato?*
41 *Forma absolvendi a Censuris, quæ?*
42 *Suspensio, & Interdictum, quandoque non indigent absolutione.*
43 *Absolutio a Censuris, an possit dari extra Confessionem, aut absenti.*

27. SUpponendum pro regula generali, cum juxta dicta *n. 8. ac seqq.* & Doctores passim, ad incurrendam Censuram Ecclesiasticam requiratur culpa mortalis, & talis, qualis ibidem est descripta: quotiescunque aliquis per ignorantiam, inadvertentiam, vel animi passionem, aut parvitatem materiæ excusatur a peccato mortali, eum etiam ab excommunicatione majori, gravi Suspensione, atque Interdicto personali fore excusandum. Hoc præmotato, quantum attinet ad statum propositæ Quæstionis, sit

28. CONCL. I. Ignorantia facti, qua quis ignorat, factum suum esse tale, quod sub Censura prohibitum excusat est, ab ipsa Censura: hinc, si quis v. g. percutiat Clericum, quem putat esse Laicum, adeoque invincibiliter ignorat esse Clericum, excusatur ab excommunicatione. Ita communis; & habetur *c. si vero de sent. excom.* ibi: *Si vero aliquis in Clericum nutrientem comam manus injecerit violentas, propter hoc non debet excommunicatione notari; dummodo ipsum Clericum esse ignoraverit.* Imo in tali casu sufficit ad evitandam Censuram ignorantia probabilis, ut explicat Glossa ibidem.

29. CONCL. II. Ignorantia invincibilis, vel probabilis Juris Ecclesiastici, præcipientis, vel prohibentis, quidpiam sub Censura; imo & sola ignorantia ipsius Censuræ dummodo non sit crassa, seu supina, excusat a Censura incurrenda. Ita Doctores communiter; & habetur clare ex *c. 2. de Constit. in 6.* ubi dicitur: *Ut animarum periculis obviatur, sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes; dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Quæ decisio cum sit favorabilis, multumque rationabilis, non tantum in Statutis Episcoporum, sed etiam Constitutionibus Pontificiis locum habet; nam etiam Papa est Ordinarius, & quidem *Ordinarius Ordinariorum*.

30. Infertur proinde, quod, licet quis sciat, opus aliquod esse prohibitum, vel præceptum, sive legi naturali, aut Divinæ, sive Ecclesiasticæ; si tamen invincibiliter, aut probabiliter ignoret, ipsi esse annexam excommunicationem, aut aliam Censuram Ecclesiasticam, hanc ipse non incurrat. Patet hoc tum ex citato textu Juris Canonici; tum ratio hujus ulterior est: quia ad incurrendam Censuram requiritur contumacia, & virtualis quidam contemptus, quo quis recusat obedire Legi, sub tali pœna, seu Censura quidpiam præcipienti: atqui is, qui ignorat illam pœnam, seu censuram, jam non est taliter contumax; ergo.

31. Infertur ulterius, Rusticos, aliosque homines simplices, sæpius ex hoc fundamento excusari ab incurrenda censura excommunicationis; eo quod eam esse hic & nunc latam, rarissime sciant, imo vix audierint aliquid de excommunicatione: Dummodo excipias excommunicationem in percussores Clericorum latam, & vix alicui ignotam, atque alias Censuras communiores, vel publicè denunciatas.

32. CONCL. III. Qui ex gravi metu mortis, mutilationis, infamiæ, aut hujusmodi transgreditur legem Ecclesiasticam sub pœna Censuræ impositam, is non incurrit annexam Censuram. Ita Pirhing. *tit. de Sent. excomm. nu. 47.* Suarez, & alii. Ratio est: quia leges Ecclesiasticæ regulariter non obligant cum tanta severitate, seu periculo vitæ, aut membrorum: (b) Atqui lex Censuram imponens, est Ecclesiastica; ergo.

33. Nec obstat, quod talis non tantum contra legem Ecclesiasticam, sed etiam contra Naturalem, ac Divinam operetur, ac proinde peccet: ut si quis gravi metu mortis adactus, Matrimonium contrahat, & consummet cum consanguinea, vel Moniali. Resp. enim, quamvis talis peccet contra legem Divinam & Naturalem, eo quod Matrimonium sit irritum, simulque propter nullum metum sit faciendum peccatum; adhuc tamen eum non incurrere excommunicationem, quæ ipso jure lata est contra taliter contrahentes. *Clem. un. de Consang. & affin.* Nam hæc Jure duntaxat Ecclesiastico, quale in casu tanti metus non obligat, statuta est; incestus autem prohibetur Jure naturali & Divino, quod ex nullo metu licitum est transgredi.

34. CONCL. IV. Insuper ex triplici capite, potest excommunicatio, aut alia Censura Ecclesiastica reddi invalida, ita ut nullum producat effectum: videlicet ob defectum jurisdictionis, ob defectum substantialis ordinis Judicii, & ob defectum justæ causæ. Ita Pirhing. *l. c. n. 40.* & alii communiter. Et quidem

35. I. Censura ab homine lata redditur invalida, adeo ut non obliget, ob defectum Jurisdictionis in ferente: ut si imponens Censuram, vel simpliciter careat Jurisdictione eam imponendi, vel ipsam habeat impeditam per excommunicationem, aut suspensionem. Nam *excommunicatus*, vel suspensus ab officio, *alium excommunicare non potest*, c. Audivimus 24. q. 1. juncta Glossa ibidem.

36. Idem dicendum, si Prælatus habeat jurisdictionem suspensam per appellationem legitimè ab alio interpositam ante sententiam absolutè latam; ut si is ferat sententiam contra Sempronium, quod nisi intra tot v. g. dies satisfecerit, noverit se esse excommunicatum; atque interim Sempronius appellet, & ad diem statutum non satisfaciat; nam ipse Censuram ejusmodi non incurrit, eo quod per legitimam appellationem, ante eventum conditionis interpositam, impediatur effectus Censuræ sub conditione latæ, vel ulterius posita primum infligendæ, prout habetur *c. Præterea, 40. de Appell.* Secus foret, si appellatio primum fieret post latam sententiam Censuræ in aliquem; nam hujus effectus per appellationem subsequentem non impeditur, neque suspenditur, *text. clar. c. Is cui de Sentent. excomm. in 6.*

37. II. Censura excommunicationis, aut alia, redditur invalida, & nullius roboris, ob defectum substantialis ordinis Judicii; ut si Judex Censuram laturus nullam omnino nec uniteam quidem, præmittat admonitionem; vel si omittatur citatio Rei, usque ad sui defensionem non admittatur; aut si legitima probatio causæ, ob quam Censura fertur, desit. Pirhing *loc. cit.* Suarez, & alii.

38. III. Censura est invalida ob defectum Justæ causæ, si nimirum ob nullam, aut omnino levem, & non commensuratam culpam feratur. Porro justitia causæ rursum tripliciter potest deficere. Primo, si nec re ipsa, nec secundum allegata & approbata crimen subsit, ut si quis excommunicetur, quod pauperi eleemosynam tribuerit, vel non fecerit id, quod agere, illicitum & pravum erat, aut hujusmodi. Censura sic lata haud dubie invalida est, cum contineat *errorem intolerabilem*, ut Jura loquuntur *c. Per tuas de Sent. excomm. & c. Venerabilibus*

§. Se-

6. *Perez. tom. in 6.* Deinde potest justitia cautæ deesse, quando crimen, ob quod Censura fertur, fuit quidem a parte rei commissum, sed de eo Reus nec est legitime convictus, nec confessus: sic enim causa subsistit solum secundum se, non autem in ordine ad Judicium, seu Forum externum; & consequenter sententia Censuræ, ob id inflictæ, est nulla. Tandem potest deficere causa, si a parte rei causa seu crimen non subsistat, tamen juridice contra Reum proberetur; tunc enim non adest vera causa ferendi Censuram, bene tamen præsumpta; cum Reus reipsa sit innocens, qui tamen juridice probatus est nocens. Verum de hoc ultimo casu loquendo, & pro vera ejus intelligentia, sit

39. CONCL. V. Censura lata contra innocentem, qui secundum allegata & probata in Judicio censetur nocens, ersi reipsa, & in Foro conscientiæ, non privet eum communibus Ecclesiæ Suffragiis, aliisque spiritualibus commodis ac facultatibus (revera enim Censura talis ob defectum causæ est nulla) tamen in Foro externo, atque in facie Ecclesiæ, debet servari, donec vel ab ea quis fuerit absolutus, vel innocentia ipsius atque error Censuræ, publice innotuerit. Ita Covarruvias *in c. Almæ mater part. 1. §. 7. n. 5.* Navarrus *cap. 27. Manual. n. 3.* Pirhing *n. 41.* & alii. Sic quippe habetur *c. si quis a proprio 11. q. 3.* Et S. Gregorius, relatus *can. 1. red. conf. 11. q. 3.* ait: *Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda est.* Accedit ratio: quia hoc necessarium est ad publicam utilitatem atque disciplinam, ipsamque Judicis ex officio secundum allegata & probata judicantis authoritatem tuendam; cui bono communi merito bonum privatum postponi debet. Et certe alioquin malevolis lata porta aperiretur, quaslibet Censuras contemnendi; cum dicere possent, se coram Deo esse innocentes, quamvis in Foro externo per falsa allegata & probata sint damnati nocentes.

40. Inserunt proinde, quod si Clericus innocens, sed secundum publicas probationes a Judice excommunicatus, actum sui Ordinis postea exerceat, is non contrahat irregularitatem; quia revera excommunicatio nulla. Si tamen in Judicio ipse hac de re accusetur, & convincatur, tanquam irregularis a Judice condemnari potest; cum enim in Foro externo censeatur excommunicatus, consequenter etiam irregularis declarari debet, si in tali excommunicatione celebrasse demonstretur. Quod si vero talis monitus desistere nolit, tunc de novo vere excommunicari, propter suam inobedientiam & contumaciam, atque apparentem contemptum Ecclesiasticæ potestatis.

41. Quæres, quænam sit forma absolvendi a Censuris? Resp. Nulla determinata forma verborum requiritur ad tollendas Censuras, sed sufficit, ut quibuscunque verbis voluntas absolventis sufficienter significetur. Solet tamen communiter hujusmodi forma observari: *Absolvo te a vinculo excommunicationis, quam incurristi* N. (exprimendo causam ipsius) *& restituo te sanctis Sacramento, & communioni Fidelium, in Nomine Patris &c.* A Suspensione tantum: *Ego te absolvo a vinculo suspensionis, quam incurristi propter* N. (exprimitur causa) *& restituo te executioni Ordinum, in Nomine Patris &c.* Quando vero Censura est dubia, servetur hæc, vel similis forma: *Si ullo unquam vinculo excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges, in Nomine Patris &c.*

42. Quinimo si Suspensio fuit lata ad determinatum duntaxat tempus, v. g. ad unum, aut duos annos, vel usque ad positionem certæ conditionis, v. g. dicendo, *sis suspensus, donec feceris:* tunc elapso illo tempore, vel adimpleta conditione, utpote præstita satisfactione, per se ipsam cessat Suspensio, neque opus est alia formula absolutionis, sive sententia restitutionis, *arg. c. Quia sæpe, de Election. in 6.* juncta Glossa *ibidem V. Donec.* Idem dicendum de interdicto taliter lato. Layman *cit. tract. 5. part. 4. cap. 5. n. 1.* Cæterum extra hosce casus necesse est, adhiberi veram absolutionem a Censuris, ab habente legitimam facultatem absolvendi datam; prout, alias rationes tacendo, clare patet ex Decreto Alexandri VII. inter alias Propositiones sequentem, ordine 44. condemnatas: *Quoad Forum contentiosum hoc correctio, ejusque contumacia sufficante, sufficiunt Censuræ.*

43. Tandem sciendum, quod absolutio a Censura ab habente potestatem ordinariam, potest dari etiam extra Confessionem Sacramentalem, imo & absenti, ac invito. Dicitur: *ab habente potestatem ordinariam:* nam habens potestatem delegatam ad absolvendum a Censuris, debet absolvere juxta tenorem suæ delegationis, ejusque formam exacte observare. Sunnig. Dist. 1. de Censuris, q. 6. & alii.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quid, & quotuplex sit Pœna Canonica? ubi & de Depositione, Degradatione, & Infamia.

SUMMARIUM.

44 *Pœna Canonica latius patet, quam Censura.*
45 *Pœna Canonica, quid?*
46 *Irregularitas quomodo habeat rationem pœnæ?*
47 *Declaratur ulterius data definitio.*
48 *Pœna Canonica sunt septem.*
49 *Depositio, &*
50 *Degradatio; quid?*
51 *Et quomodo privent Clericali munere?*
52 *Degradatio privat etiam omni Clericali privilegio.*
53 *Utraque infligitur primum a Judice.*
54 *Forma Degradationis.*
55 *Infamia, quid?*
56 *Alia juris, alia facti.*
57 *Infamia Juris, ob qua crimina contrahatur?*
58 *Enarrantur potiora.*
59 *Quomodo tollatur?*

44. ADvertendum, quod Pœna Canonica latius pateat, quam Censura Ecclesiastica: Siquidem Pœna Canonica respectu Censuræ Ecclesiasticæ se habet, sicut genus respectu speciei; omnis enim censura Ecclesiastica est etiam Pœna Canonica, non autem e contra. Hoc prænotato, sit

45. CONCL. I. Pœna Canonica est *pœna inflicta per Canones, vel secundum Canones, prohibens vel arcens punitum ab aliquo gradu Ecclesiastico, qui alias sibi liceret.* Ita Doctor Subtilis 4. *dist. 25. q. 2.* estque in re communis.

46. Dicitur, *pœna.* Quæ particula sumitur late, prout non tantum comprehendit pœnam proprie dictam, seu quæ procedit ex culpa, sed etiam irregularitatem absque ulla culpa mortali quandoque provenientem; hæc enim habet rationem pœnæ saltem large & improprie dictæ, in quantum est malum, ac pœnale homini cupienti ordinari, habere ejusmodi impedimentum. Additur autem, *inflicta per Canones, vel secundum Canones:* quia quædam pœnæ Canonicæ infliguntur ipso jure per Canones, quædam vero per sententiam Judicis secundum Canones; alioquin enim ejusmodi sententia Judicialis non esset justa, nisi infligeretur secundum Canones.

47. Dicitur ulterius, *prohibens, vel arcens punitum ab aliquo gradu Ecclesiastico.* Quia pœnæ Canonicæ a potiori prohibent hominem a susceptione, vel executione Ordinum: & licet quædam earum, ut Excommunicatio, ac Interdictum, privent ulterius quibusdam aliis bonis spiritualibus, hoc tamen satis denotatur per appositum ly, *Arcere.* Et additur, *qui alias sibi liceret:* si enim alioquin talis gradus, vel actus Ecclesiasticus, cuipiam non liceret, jam non esset ipsi pœna, eo privari. Hinc quippe non est pœna Laico, vel mulieri, quod non possit celebrare Missam, eo quod talis actus a limine sibi non competat; bene tamen Sacerdoti id foret pœnale.

48. CONCL. II. Pœnæ Canonicæ sunt septem, videlicet Depositio, Degradatio, Infamia, Irregularitas, Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum. Ita Scotus *loc. cit.* & alii; atque patebit ex diversis textibus Juris Canonici in progressu citandis.

49. *Depositio* est privatio perpetua Clericalis muneris, per canonicam sententiam cum debita solemnitate prolatam.

50. *Degradatio*, quæ plurimum convenit cum Depositione, est privatio perpetua Clericalis muneris, & privilegii, facta post canonicam sententiam, adjuncta reali actione & cæremonia per canones instituta. Additur, *qua plurimum convenit cum Depositione;* adeo ut a nonnullis pro una pœna computetur, *arg. c. Degradatio de Pœnis in 6.* ibi: *Verbalis degradatio, seu depositio, ab ordinibus:* Et notat Fagnanus *c. Qualiter, §. 2. n. 76. de Accusat.* Nihilominus est notabilis differentia inter ipsas: Nam Degradatio fit actione reali, & simul includit privationem privilegii Clericalis; quæ duo in Depositione verbali non habentur, prout patebit ex declaratione utriusque definitionis.

51. Dicitur I. In utraque data definitione, *privatio perpetua Clericalis muneris.* Quia tam Depositio, quam Degradatio, privat in perpetuum, ac sine spe remissionis, omni munere Clericali; id est, omnibus Beneficiis Ecclesiasticis, necnon & licentia exercendi actum cujuscunque Ordinis. Non tamen privatur quis Charactere Ordinis, quia hic est indelebilis; neque potestate valide conferendi (si fuerit Sacerdos) quia

& hæc

& hæc potestas est simpliciter impedibilis; neque facultate absolvendi pro mortis articulo moribundum, quia tunc nulla est reservatio Casuum. Insuper Depositus, aut Degradatus, non liberatur ab onere recitandi Breviarium, aut servandi perpetuam Castitatem: ne alioquin ex suo peccato commodum reportet.

52. Dicitur II. In definitione Degradationis; *& privilegiis*: quæ particula in definitione Depositionem est omissa. Siquidem per Degradationem (non tamen per solam Depositionem verbalem) privatur quis tum privilegio Fori, tum etiam privilegio Canonis. Privilegio quidem Fori, in quantum ejicitur a Foro Ecclesiastico, & traditur Foro seu Curiæ sæculari; ita, ut deinde sit constitutus sub jurisdictione Magistratus sæcularis, a quo proinde, quasi esset Laicus, poterit capi, incarcerari, ac juxta Leges Civiles de commissis criminibus puniri: quamvis, dum Clericus degradatus propter sua crimina traditur Curiæ sæculari, efficaciter pro eo debeat Ecclesia intercedere, ut citra mortis periculum quoad eum sententia moderetur, *cap. Novimus de Verb. significat.* Privatur insuper Degradatus privilegio Canonis, ita ut ejusdem invalor, aut percussor, quamvis injustus, non incurrat Excommunicationem latam in percussores Clericorum.

53. Dicitur III. In utraque definitione, *post canonicam sententiam cum debita solemnitate factam*. Tum quia neutra earum infligitur ipso jure, sed quælibet a Judice, seu per sententiam Canonicam debet infligi. Tum quia tam ad depositionem, quam ad Degradationem, requiritur certa solemnitas a Jure præscripta, quæ refertur in *c. Degradatio de pœnis in 6.*

54. Dicitur tandem in definitione Degradationis, *adjuncta reali actione*. Quia, ut habetur *cit. c. Degradatio de Pœnis in 6.* Clericus degradandus, vestibus sacris indutus, & habens instrumenta illa in manibus, quæ spectant ad Ordinem suum, ad Episcopum adduci debet: ab eoque ordine retrogrado (id est, incipiendo ab illo vestimento quod ultima vice in sua Ordinatione acceperat, usque ad primum, quod datur in collatione primæ Tonsuræ) omnibus suis vestibus, & ornamentis sacris, cum certis verbis exuitur; ac tandem caput illius raditur, vel rondetur, ne Tonsuræ, vel Clericatus vestigium in eo remaneat: & hisce peractis, Degradatus primum traditur Curiæ sæculari. Hæc omnia tamen non reperiuntur in simplici Depositione; nam hæc fit per solam sententiam in criminosos canonice latam, neque privat omni privilegio Clericali, aut Fori. Abbas *c. Tua de Pœnit.* ubi insuper notat, quod ista hæc Depositio alio nomine dicatur *Degradatio verbalis*. *c. Degradatio, eod. in 6.*

55. Quantum attinet ad *Infamiam*, quæ est tertia Pœnæ Canonica. Advertendum, quod infamia idem sit, ac privatio seu diminutio bonæ famæ, sive, ut alii loquuntur. *arg. l. Cognitionum ff. De variis & extraord. cognition. Infamia est læsa dignitatis status, vita ac moribus reprobatus.*

56. Duplex autem communiter assignatur Infamia, videlicet *Infamia juris*, & *Infamia facti*. Hæc posterior accidit, quando quis tale aliquid perpetrat, propter quod ejus bona existimatio apud probos & honestos viros læditur, licet jure aliquo expresso non notetur infamia. *Infamia juris* est, quæ ipso jure infligitur, seu decernitur in certa crimina committentes. Idque adhuc fit dupliciter, nempe dum vel ipso facto Infamia contrahitur, vel primum per sententiam Judicis secundum juris declarationem decernitur.

57. Quæres: ob quæ crimina contrahatur Infamia juris? Resp. I. Regula generalis est, Jure Canonico omnes eos censeri infames, quicunque Jure Civili habentur infames, nisi infamiam Jure Civili introductam Canones speciatim sustulerint. Prior pars habetur clare ex *c. Omnes 6. quæst. 1.* ubi Hadrianus Papa inquit: *Omnes vero infames esse dicimus, quos Leges sæculi infames appellant*. Concordat *c. Infames 6. quæst. 1.* ibi: *Infames esse dicimus omnes, quos Ecclesiastica, vel sæculi leges infames pronunciant*. Altera vero pars probatur ex *cap. ult. de Secundis nuptiis*; ubi infamia Jure Civili, *L. 1. C. de Secundis nuptiis*, decreta mulieri intra annum luctus nubenti, fuit sublata.

58. Resp. II. Quænam personæ censeantur Jure canonico infames, refertur *cit. c. Infames 6. quæst. 1.* Et sunt fures sacrilegi, incestuosi, homicidæ, perjuri, raptores, malefici, venefici, adulteri, de bellis publicis fugientes, criminibus capitalibus irretiti, sepulchrorum violatores, & alii hujusmodi ibidem enumerati. Et de talibus loquitur *Reg. 87. Juris in 6. Infamibus porta non patet ad dignitatem*.

59. Cæterum Infamia Canonica, quando orta est ex crimine occulto, tollitur per pœnitentiam: secus, quando ortum habet ex crimine manifesto; ut post Glossam *cap. Illis qui. 6. q. 1.* notat Fagnanus *in cap. Felis qui. 6. q. 1.* notat Fagnanus *in cap. Felis qui. 6. q. 1.* notat Fagnanus *in cap. Fel

& hæc potestas est simpliciter impedibilis; neque facultate absolvendi pro mortis articulo moribundum, quia tunc nulla est reservatio Casuum. Insuper Depositus, aut Degradatus, non liberatur ab onere recitandi Breviarium, aut servandi perpetuam Castitatem: ne alioquin ex suo peccato commodum reportet.

52. Dicitur II. In definitione Degradationis; *& privilegiis*: quæ particula in definitione Depositionem est omissa. Siquidem per Degradationem (non tamen per solam Depositionem verbalem) privatur quis tum privilegio Fori, tum etiam privilegio Canonis. Privilegio quidem Fori, in quantum ejicitur a Foro Ecclesiastico, & traditur Foro seu Curiæ sæculari; ita, ut deinde sit constitutus sub jurisdictione Magistratus sæcularis, a quo proinde, quasi esset Laicus, poterit capi, incarcerari, ac juxta Leges Civiles de commissis criminibus puniri: quamvis, dum Clericus degradatus propter sua crimina traditur Curiæ sæculari, efficaciter pro eo debeat Ecclesia intercedere, ut citra mortis periculum quoad eum sententia moderetur, *cap. Novimus de Verb. significat.* Privatur insuper Degradatus privilegio Canonis, ita ut ejusdem invalor, aut percussor, quamvis injustus, non incurrat Excommunicationem latam in percussores Clericorum.

53. Dicitur III. In utraque definitione, *post canonicam sententiam cum debita solemnitate factam*. Tum quia neutra earum infligitur ipso jure, sed quælibet a Judice, seu per sententiam Canonicam debet infligi. Tum quia tam ad depositionem, quam ad Degradationem, requiritur certa solemnitas a Jure præscripta, quæ refertur in *c. Degradatio de pœnis in 6.*

54. Dicitur tandem in definitione Degradationis, *adjuncta reali actione*. Quia, ut habetur *cit. c. Degradatio de Pœnis in 6.* Clericus degradandus, vestibus sacris indutus, & habens instrumenta illa in manibus, quæ spectant ad Ordinem suum, ad Episcopum adduci debet: ab eoque ordine retrogrado (id est, incipiendo ab illo vestimento quod ultima vice in sua Ordinatione acceperat, usque ad primum, quod datur in collatione primæ Tonsuræ) omnibus suis vestibus, & ornamentis sacris, cum certis verbis exuitur; ac tandem caput illius raditur, vel rondetur, ne Tonsuræ, vel Clericatus vestigium in eo remaneat: & hisce peractis, Degradatus primum traditur Curiæ sæculari. Hæc omnia tamen non reperiuntur in simplici Depositione; nam hæc fit per solam sententiam in criminosos canonice latam, neque privat omni privilegio Clericali, aut Fori. Abbas *c. Tua de Pœnit.* ubi insuper notat, quod ista hæc Depositio alio nomine dicatur *Degradatio verbalis*. *c. Degradatio, eod. in 6.*

55. Quantum attinet ad *Infamiam*, quæ est tertia Pœnæ Canonica. Advertendum, quod infamia idem sit, ac privatio seu diminutio bonæ famæ, sive, ut alii loquuntur. *arg. l. Cognitionum ff. De variis & extraord. cognition. Infamia est læsa dignitatis status, vita ac moribus reprobatus.*

56. Duplex autem communiter assignatur Infamia, videlicet *Infamia juris*, & *Infamia facti*. Hæc posterior accidit, quando quis tale aliquid perpetrat, propter quod ejus bona existimatio apud probos & honestos viros læditur, licet jure aliquo expresso non notetur infamia. *Infamia juris* est, quæ ipso jure infligitur, seu decernitur in certa crimina committentes. Idque adhuc fit dupliciter, nempe dum vel ipso facto Infamia contrahitur, vel primum per sententiam Judicis secundum juris declarationem decernitur.

57. Quæres: ob quæ crimina contrahatur Infamia juris? Resp. I. Regula generalis est, Jure Canonico omnes eos censeri infames, quicunque Jure Civili habentur infames, nisi infamiam Jure Civili introductam Canones speciatim sustulerint. Prior pars habetur clare ex *c. Omnes 6. quæst. 1.* ubi Hadrianus Papa inquit: *Omnes vero infames esse dicimus, quos Leges sæculi infames appellant*. Concordat *c. Infames 6. quæst. 1.* ibi: *Infames esse dicimus omnes, quos Ecclesiastica, vel sæculi leges infames pronunciant*. Altera vero pars probatur ex *cap. ult. de Secundis nuptiis*; ubi infamia Jure Civili, *L. 1. C. de Secundis nuptiis*, decreta mulieri intra annum luctus nubenti, fuit sublata.

58. Resp. II. Quænam personæ censeantur Jure canonico infames, refertur *cit. c. Infames 6. quæst. 1.* Et sunt fures sacrilegi, incestuosi, homicidæ, perjuri, raptores, malefici, venefici, adulteri, de bellis publicis fugientes, criminibus capitalibus irretiti, sepulchrorum violatores, & alii hujusmodi ibidem enumerati. Et de talibus loquitur *Reg. 87. Juris in 6. Infamibus porta non patet ad dignitatem*.

59. Cæterum Infamia Canonica, quando orta est ex crimine occulto, tollitur per pœnitentiam: secus, quando ortum habet ex crimine manifesto; ut post Glossam *cap. Illis qui. 6. q. 1.* notat Fagnanus *in cap. Felis qui. 6. q. 1.* notat Fagnanus *in cap. Felis qui. 6. q. 1.* notat Fagnanus *in cap. Fel

in Epistolis D. Pauli legi, quod ipse tribus vicibus excommunicaverit, nempe 1. Cor. 5. ut jam dictum. Et 1. Timoth. 1. ibi: *Ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.* Et Galat. 1. *si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit.*

5. CONCL. II. *Excommunicatio* est censura Ecclesiastica, qua homo Christianus a communione Fidelium separatur. Ita Doctor Subtilis *loc. cit.* §. *De quinto*, ubi ait: *Excommunicatio simpliciter, quæ est sola major, est exclusio alicujus a communione fidelium non quidem exclusio corporalis, qua fit in incarceratione, vel exclusione ab aliis, sed excludendo per prohibitionem, ne communicet cum aliis, nec alii cum eo*; estque in re communis. Dicitur, *Censura Ecclesiastica*: quæ particula stat loco generis, nam reliqua stant loco differentiæ. Et additur, *qua homo Christianus separatur a communione fidelium*. Tum quia Ethnici, & nunquam baptizati, nequeunt excommunicari; cum necdum re ipsa in Ecclesiam fuerint ingressi per Baptismum. Tum quia per hanc particulam Excommunicatio differt ab aliis censuris Ecclesiasticis, ut magis patebit ex dicendis.

6. CONCL. III. Excommunicatio ut sic ex parte boni, quo privat hominem, propriè ac principaliter dividitur in majorem, ac minorem; eo quod possit quis a communione Fidelium separari vel ex parte solum, vel ex toto: quamvis si nomen *Excommunicationis* absolutè ponatur, nec aliud exprimatur, illud sit intelligendum de Excommunicatione majori. Ita Scotus *l. c.* estque communis; & habetur *c. Si quem de sentent. excommunicationis*, ubi dicitur: *si quem sub hac forma verborum, illum excommunico, vel simili, a Judice suo excommunicari contingat, dicendum est, eum non tantum minori, quæ a perceptione sacramentorum, sed etiam majori excommunicatione, qua a communione fidelium separat, esse ligatum.*

7. CONCL. IV. *Excommunicatio minor* est censura Ecclesiastica, privans hominem perceptione Sacramentorum. Ita habetur ex *cit. cap. si quem de sent. excommunicat.* junctò *cap. si clerici de Clericis excommun. &c.* Ubi de excommunicato excommunicatione minori dicitur, quod *non videatur a collatione, sed participatione sacramentorum (quæ in sola consistit perceptione) removitus.*

8. Unde infertur, quod proprius & adæquatus Excommunicationis minoris effectus sit, privare hominem solo usu passivo seu receptione Sacramentorum Ecclesiæ; ac proinde ipsa tantum separet secundum quid a communione Fidelium, videlicet quoad solam Sacramentorum participationem, sive receptionem. Per quod ea differt ab Excommunicatione majori, quæ longè plures, eosque gravissimos effectus habet, uti patebit ex *Quæst. seq.*

9. CONCL. V. *Excommunicatio major*, quæ est simpliciter Excommunicatio, bene definitur, quod sit censura Ecclesiastica, qua quis a communione Fidelium simpliciter separatur. Ita desumitur tum ex Doctore Subtili *loc. cit.* tum ex *cit. c. si quem, de sent. excomm.* Quamvis enim ibidem non apponatur ly *simpliciter*: tamen textum illum loqui de separatione totali (id est, quæ fit tum per privationem Sacramentorum Ecclesiæ, tam recipiendorum, quam administrandorum, tum etiam per privationem communium Suffragiorum Ecclesiæ, nec non & convictus Civilis, seu exterioris communionis Fidelium) communiter intelligunt Doctores, prout mox amplius explicabitur. Hinc sit

QUÆSTIO II.

Qui sint effectus Excommunicationis majoris?

SUMMARIUM.

10 *Communio Fidelium, triplex. Pure interna.*
(a) Vide dicta Tract. 12. Dist. 3. Quæst. 7. per totum.
11 *Pure externa.*
12 *Et media, seu mixta.*
13 *Ecclesia non privat excommunicatum communione Fidelium pure internæ.*
14 *Neque privatis eruditionibus Fidelium:*
(b) De hoc amplius n. 17.
15 *Bene tamen communione Fidelium tam mediis, quam pure externa.*
16 *1. Excommunicationis majoris effectus est privatio communium Ecclesiæ Suffragiorum. Hæc quæ sint?*
17 *Corollarium notabile.*
18 *Privatio communionis Sacramentorum, activa, & passiva.*
19 *Nisi justa causa excuset, & quæ?*
(c) Tr. 2. Dist. 2. n. 25. & 28.
20 *II. Privatio usus Divinorum Officiorum, Divina officia, quæ?*

21 *IV. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ.*
22 *Quid juris, si excommunicatus in Loca sacra sepeliatur?*
23 *An hic effectus de facto locum habeat in omnibus excommunicatis.*
(d) Tr. 14. Dist. 5. n. 126.
24 *Omnino imponitur, non est sepeliendus in Loco sacro.*
25 *Major difficultas de excommunicato non vitando, & tamen.*
26 *Solutio.*
27 *V. Incapacitas ad Beneficium Ecclesiasticum.*
28 *VI. Nullitas Rescripti Apostolici ab excommunicato impetrati.*
Absolutio ad cautelam a Censuris.
29 *VII. Privatio omnis jurisdictionis spiritualis.*
30 *Quid, si excommunicatus non erat vitandus.*
(e) De quo num. 26. & 36.
31 *VIII. Privatio communionis Forensis. Limitatur in Reo.*
32 *Atque excommunicato non vitando.*
33 *IX. Inforescens per annum in excommunicatione sit suspectus de hæresi.*
34 *X. Privatio omnis Civilis communionis. Hoc procedit de excommunicato non tolerato, sed vitando.*

10. NOtandum hic cum D. Bonaventura 4. *dist.* 18. *art.* 1. *quæst.* 1. & aliis, quod triplex sit Communio Fidelium, nempe pure interna, pure externa, & media seu mixta. *Communicatio seu Communio Fidelium pure interna* consistit in Fide & Charitate, per quam Fideles inter se, & cum Christo Capite suo mystice copulantur: & ratione hujus unionis, seu communionis, potest unus Fidelis impetrare alteri de congruo specialia beneficia, eique si cæteroquin capax est, applicare proprias satisfactiones; juxta quod testatur David Psalm. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Concordat illud Symboli Apostolici: *Credo Sanctorum Communionem.* (a)

11. *Communio Fidelium pure externa*, est mere politica, consistens in Fidelium convictu, colloquio, aliisque commerciis. Et hæc olim prohibita fuit exhiberi excommunicatis excommunicatione majori: verum hodie post Concilium Constantiense, circa annum Domini 1414. celebratum, per constitutionem Martini V. quæ incipit, *Ad evitanda*, generaliter equidem prohibitio sublata est, exceptis duobus casibus, videlicet nominatim excommunicatis ac denuntiatis, & notorius Clericorum percussoribus.

12. Tandem *Communio Fidelium media, seu mixta* est, quæ in exterioribus actionibus, seu cæremoniis Ecclesiasticis consistens interiorem ac spiritualem fructum ex propria institutione continet. Quo spectat in primis usus tam activus quam passivus Sacramentorum; id est, administratio, & perceptio eorum; deinde communia Ecclesiæ Suffragia, quæ in Sacrificio Missæ, aliisque publicis Officiis, utpote in Horis Canonicis, in Benedictionibus Cinerum, Palmarum, & hujusmodi, pro universa Ecclesia ad Deum funduntur. Huc adde satisfactiones Christi & Sanctorum, quæ ex communi Thesauro Ecclesiæ per Indulgentias Fidelibus applicantur. His prænotatis, sit

13. CONCL. I. Certum est, quod Ecclesia per Excommunicationem neque velit, neque possit quempiam private communione Fidelium meræ internæ, quæ est per Fidem & Charitatem. Ratio est: quia talibus Virtutibus primo potest privari invitus, & absque propria culpa mortali: imo vera Fides & Spes potest etiam manere in peccatoribus, ipsisque excommunicatis, si contra hanc Virtutes propria voluntate non delinquant. Porro Charitas non tollitur per excommunicationem, sed supponitur jam sublata per peccatum mortale prævium; cum non nisi ob peccatum mortale excommunicatio major infligatur: & potest contingere, ut homo, priusquam ab excommunicatione ablolvatur, per contritionem perfectam redierit in gratiam & amicitiam Dei. Layman *lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 1. nu. 3.* & alii.

14. CONCL. II. Insuper certum est, quod Ecclesia excommunicatum non privet fructu orationum & satisfactionum, quas alii Fideles proprio nomine, ac privata intentione ipsi applicant. Ratio est: quia hujusmodi bona opera sunt in fine operantis propria; ergo spectant ad liberam ejus applicationem, non vero ad dispensationem Ecclesiæ. Unde nemo prohibetur pro excommunicatis privatim Deum orare (b)

15. CONCL. III. Excommunicatio major privat excommunicatum communione Fidelium tam media, quam etiam pure externa, seu mere politica. Ita communis. Ratio est: quia non excedit potestatem Ecclesiæ, privare hominem criminosum, & contumacem, communibus Ecclesiæ

Suffragiis, utpote suo nomine factis, ac usu Sacramentorum, vel eidem interdicere externam conversationem & convictum Fidelium. Quomodo autem id intelligendum sit, patebit inductione, explicando plerosque effectus Excommunicationis majoris.

16. Primus itaque effectus Excommunicationis majoris est, privare hominem communibus Ecclesiæ Suffragiis, ita ut excommunicato non prosint, neque ea nomine Ecclesiæ possint pro ipso offerri. Porro hujusmodi communia Ecclesiæ Suffragia commode ad tria capita reducuntur: quæ fuit in primis SS. Missæ Sacrificium; nam illud nomine totius Ecclesiæ offertur. Deinde Indulgentiæ, utpote quæ proveniunt ex communi Thesauro Ecclesiæ. Tandem huc pertinent Orationes publicæ, aliæque actiones sacræ, quæ a Ministris Ecclesiæ, in quantum tales sunt, ac nomine ipsius Ecclesiæ peraguntur: quales sunt Horæ Canonicæ, Benedictio solemnis Aquæ benedictæ, Candelarum, Palmarum, Consecratio Ecclesiæ vel Altaris, Officium Defunctorum, & hujusmodi.

17. Infertur proinde cum Navarro *c. 27. Manualis, num. 36.* & aliis, peccare eos mortaliter, qui orant pro excommunicato oratione publica, aut qui eum eo communicant in Oratione publica, seu nomine totius Ecclesiæ facta? Verum hoc intelligendum est de excommunicato non tolerato, sed vitando, uti observat cit. Navarrus. Intelligendum ulterius id est de Oratione publica, seu nomine totius Ecclesiæ facta: nam orationes privatæ, sub quibus comprehenditur *Memento* in Missa, a Sacerdote mentaliter orando factum, item & jejunia, aliaque pia opera, quæ non fiunt nomine Ecclesiæ, neque ab eius Ministris qua talibus, sed proprio cujuslibet nomine, ac ex privata devotione, non prohibentur fieri pro extommunicatis, juxta dicta *n. 14.* Insuper Feria sexta Parasceves, quo die Christus in Cruce pro suis inimicis oravit, etiam Ecclesia publice & solemniter orat pro Hæreticis ac Schismaticis, qui tamen sunt excommunicati. Item licitum est, solemniter orare pro extirpatione hæresum; & sic indirecte pro ipsis Hæreticis, ut a Deo convertantur, & hujusmodi.

18. Secundus effectus Excommunicationis majoris est, privare hominem communione Sacramentorum, tam activa, quam passiva: ita, ut excommunicatus licite, & absque peccato mortali, non possit ullum Sacramentum recipere, vel administrare. Et hoc intelligendum est non solum de excommunicato adhuc impœnitente, utpote qui ratione sui peccati mortalis prohibetur Sacramenta suscipere, vel administrare; sed etiam de eo, qui per perfectam contritionem jam rediit in gratiam Dei. Siquidem talis non potest licite, & absque peccato mortali (*nisi excuset justa causa*) ullum Sacramentum recipere, vel administrare, donec fuerit absolutus a sua excommunicatione: ageret enim contra præceptum Ecclesiæ, & expressam illius prohibitionem in materia gravi.

19. Additur notanter, *nisi excuset justa causa*; qualis foret ignorantia invincibilis, necessitas administrandi Sacramentum ob metum mortis, infamiæ, jacturæ bonorum, ac hujusmodi. Nam si quis excommunicatus, ignorans invincibiliter, se esse excommunicatum, administrat vel recipit Sacramenta, certum est, quod non peccet mortaliter, ratione ignorantiæ suæ invincibilis. Similiter, si quis excommunicatus occultus, sibi tamen conscius excommunicationis, urgente gravi necessitate Sacramenta administret, vel recipiat, v.g. ad vitandam mortem, aut scandalum, vel gravem jacturam, non peccabit; dummodo in ejusmodi casu, quo non potest prius obtinere absolutionem ab excommunicatione, perfectam contritionem præmittat receptioni, vel administrationi Sacramentorum. Ratio est: quia Lex Ecclesiastica, qualis est de privatione participationis Sacramentorum, tum activæ tum passivæ, cum tanto rigore non obligat, prout supra (c) jam dictum.

20. Tertius effectus Excommunicationis majoris, est privatio usus Divinorum Officiorum: Ita, ut excommunicatus Missæ, aliisque Divinis Officiis (exceptâ Concione) non possit licite, & absque gravi peccato interesse. Ubi nomine Divinorum Officiorum intelligitur non solum Missa, sed & cantus Horarum Canonicarum, publica Oratio, Processio, Benedictio olei, aquæ, candelarum, & cætera Ordini Clericali annexa, *exceptâ Concione*: hanc enim etiam excommunicato non tolerato licet audire, ut sic magis & citius ad pœnitentiam excitetur, *c. Responso de Sentent. excommun.*

21. Quartus effectus Excommunicationis majoris, est privatio sepulturæ Ecclesiasticæ. Nam certum est, corpus excommunicati non

non posse sepeliri in Loco sacro, seu destinato Sepulturæ Fidelium; prout expresse habetur *cap. Sacris de Sepulturis*, allegata ea ratione, quia *quibus non communicavimus vivis, nec debemus communicare defunctis*. Quinimo hac de causa ibidem præcipitur, ut ossa excommunicatorum sepulta in Cœmeterio Ecclesiastico, si possint discerni ab aliis ossibus non excommunicatorum, debeant exhumari, & inde amoveri: secus est, si amplius discerni non possint.

22. Quod si qui scienter, ac temerarie præsumpserint excommunicatum sepelire in Loco sacro, incurrunt & ipsi excommunicationem ipso facto, ut dicitur *Clem. 1. de Sepulturis*. Simulque ante exhumationem ejus, si ossa excommunicati discerni valeant ab aliis, non possunt in illo loco Fideles sepeliri, neque ibidem Divina Officia celebrari; & post exhumationem (idem dicendum, si corpus excommunicati ibi relictum fuit, eo quod ab ossibus Fidelium discerni non potuerit) debet locus reconciliari, *cap. Consuluisti de Consecrat. Ecclesiæ*. Si quidem per sepulturam excommunicati Locus sacer fuit pollutus, & ad Divina celebranda, Fideliumque sepulturam factus incapax. Herincx *disp. 6. de Censuris q. 2. n. 30.* & alii.

23. Dubitant vero Doctores, an prædictus effectus de facto post Concilium Constantiense locum habeat in solis excommunicatis vitandis, an vero generaliter in omnibus? Ratio dubitandi est: quia in excommunicatis non vitandis videtur cessare ratio ex Jure Canonico superius allata, *quibus non communicavimus vivis, non debemus communicare defunctis*. Nam excommunicatis non vitandis de facto communicamus in vita; & consequenter videtur, eis etiam defacto posse nos communicare defunctis in sepulchro. Et quidem per sepulturam excommunicati tolerati non violari locum sacrum, ob rationem allegatam, ultro (d) conceditur: num autem talis in loco sacro licite sepelitur, major difficultas est; ad quam

24. Resp. I. Certum est, quod quando alicujus excommunicatio est publica, & ipse fuit mortuus omnino impœnitens, talis non sit sepeliendus in loco sacro. Ratio est: quia, cum excommunicatio major non feratur, nisi ob peccatum mortale, qui ita ex moritur absque ullo pœnitentiæ signo, censetur notorie mori in statu peccati mortalis, ficque esse indignus sepultura Ecclesiastica. Et hac de causa Hæretici in sua hæresi decedentes non sepeliuntur in loco sacro, etsi in vivis non fuerint vitandi.

25. Resp. II. Utrum excommunicatus, qui ante mortem dedit vera signa pœnitentiæ, possit absque obtenta prius absolutione mortuus sepeliri in Loco sacro post Concilium Constantiense, si vitandus non fuit, variant Doctores. Et quidem Navarrus *c. 27. Manual. n. 36.* & Layman *lib. 1. tract. 5. part. 2. c. 4. n. 9.* post Henriquez, putant, talem posse sepeliri in loco sacro, quando eum pie mortuum esse præsumi potest.

26. Oppositum tamen videtur probabilius, atque tenendum cum Lud. Engel. *tit. de Sepulturis n. 19.* Herincx *loc. cit. n. 31.* Zoesio, & aliis, quando excommunicatio est publicæ quia tuno excommunicatus prius erit absolvendus, saltem post mortem, verberato, juxta Ritum præscriptum in Rituali Romano, ejus corpore, antequam sepeliatur in loco sacro: quæ quidem absolutio eo dunta xat tendit, ut hujusmodi defunctus restituatur communioni Fidelium quoad publica Ecclesiæ Suffragia (quæ proinde imposterum pro ipso celebrari, atque offerri poterunt) ipsamque sepulturam Ecclesiasticam. Ratio fundamentalis hujus sententiæ est: quia Bulla Martini V. in Concilio Constantiensi edita, quæ incipit. *Ad evitanda*, in fine expresse protestatur, quod *per hoc non intendit, excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari*; ergo publice excommunicati, sicut olim, *cap. A nobis de Sentent. excommun.* ita & nunc privati existunt sepultura Ecclesiastica, donec absolvantur, non obstante, quod contriti decesserint. Quod si vero excommunicatio sit occulta, & non nisi uni vel alteri cognita, non est ipsi neganda sepultura Ecclesiastica: nam ejus privatio, cum sit publica, requirit etiam publicam causam, ne alius, qui publice bonus habetur, hac via infametur.

27. Quintus effectus Excommunicationis majoris, est incapacitas, seu inhabilitas ad quodlibet Ecclesiasticum Beneficium accipiendum. Hinc præsentatio, vel electio alicujus excommunicati, item & institutio, ac confirmatio ipsius in Beneficio, sunt ipso jure irrita; prout habetur *cap. Postulasti de Clerico excommun. vel deposito*, ibi: *Cum excommunicatis communicari non debeat, Clericis excommunicationis vinculo innodatis Ecclesiastica Beneficia conferri non possunt; nec*

Illi vetuit ea licite retinere, nisi forsitan cum ejus fuerit misericorditer dispensatum; cum eo non fuerint Canonice consecrati, cum concordantiis. Idque Covarruvias in *c. Alma mater §. 7. n. 5.* Tellius *lib. 2. cap. 34. n. 117.* Laymann *c. 7.* & communiores alii rum, contra Navarrum, extendunt ad eum casum, quo excommunicatus, etiam tolleratus, ignoravit suam excommunicationem; nam licet ignorantia excommunicationis (dummodo ea probabilis fuerit, & non crassa vel supina) juvet ad effugiendum irregularitatem, aliasque poenas Juris latas contra excommunicatos, quidpiam sibi prohibitum agentes, non tamen sufficit ad habilitandum hominem in ordine ad ea, ad quae per excommunicationem factus fuit inhabilis.

28. Sextus effectus Excommunicationis majoris est, quod Rescriptum Sedis Apostolicae ab excommunicato impetratum, sit ipso jure nullum, ac irritum *text. clar. c. 1. de Rescriptis in 6.* Unde hac de causa hodie de Stylo Curiae Romanae, plerisque Rescriptis (id est, Litteris Pontificiis quidpiam ad alicujus consultationem, vel relationem respondentibus, aut ad ejus supplicationem concedentibus) praesertim impetratis a Regularibus, solet inseri Absolutio ad cautelam a Censuris, in ordine ad effectum illius Rescripti exercendi consequendum. Inde enim fit, quod post talem a Censuris absolutionem, datam ad cautelam, postmodum ex hoc capite, quod impetrator illius Rescripti tempore impetrationis fuerit constitutus in excommunicatione, illud nequeat impugnari.

29. Septimus effectus Excommunicationis est, quia excommunicatus privatur omni usu, sive exercitio jurisdictionis spiritualis, ut proinde omnia acta invalida sint. Hinc excommunicatus nequit alium excommunicare *cap. Audivimus 24. quaest. 1.* Neque potest conferre Beneficia *arg. c. nn. Ne sede vacante &c. in 6.* Nec valide eligere *c. Cum illectus & c. Cum inter 16. de elect.* ubi electio a suspenso celebrata, censetur irrita: omnis autem excommunicatus, hoc ipso est suspensus ab officio & Beneficio.

30. Verumtamen istud intelligendum est de excommunicatis non tolleratis, seu de vitandis. Siquidem acta excommunicati tolerati valida sunt, quamdiu per oppositam exceptionem non repelluntur; prout notat Navarrus *c. 27. Manual. n. 21.* id probans ex *cap. Ad probandum de sent. & re judicat.* Pirhing *tit. de sent. excomm. nu. 28.* Laymann *cit. part. 2. n. 13.* Lessius, & alii. Unde excommunicatus toleratus potest excommunicare, & Beneficia conferre, & eligere, & praesentare, aliaque hujusmodi jurisdictionalia valide exercere, nisi a parte adversa contra eum tanquam minus idoneum excipiatur. Accedit ratio: quia ex una parte tales excommunicati tolerantur, & consequenter sustinentur etiam eorum acta (nisi opponatur exceptio) ne alioquin plura incommoda, & inconvenientia oriantur, quae Concilium Constantiense (e) sublati voluit; ex altera vero parte dictum Concilium ipsos excommunicatos nullatenus in aliquo relevare, vel eis quomodolibet suffragari voluit; ergo sicut antehac, ita & nunc, salltem opposita exceptione, eorum acta sunt invalida.

31. Octavus est: quia Excommunicatio privat etiam communione Forensi, id est, impedit, quo minus excommunicatus possit esse Judex, Tabellio, Advocatus, Actor, Testis &c. etiam in causis civilibus. Hoc tamen non obstante potest excommunicatus stare in Judicio ut Reus; idest, potest in Judicio conveniri, ibique accusari, & citari ne alioquin, si accusari, & quocunque alio modo in Judicio convenit non posset, videretur de sua malitia commodum reportare, *c. Intolleximus de Judiciis.*

32. Quinimo & prior pars de facto solum procedit de excommunicatis vitandis, seu non tolleratis: nam si tolerati sunt, recuperunt dicta *n. 30.* Et quamvis Judex teneatur excommunicatos non tolleratos repellere ab agendo, patrocinando, & testificando, ne ipse atque alii illicite eis communicent, *cap. Determinus de Sent. excomm. in 6.* juncta Glossa ibidem: si tamen ei sunt tolerati, non tenetur Judex eos repellere (etsi possit, dummodo excommunicatio sit notoria) donec pars altera desuper excipiat, ipsamque excommunicationem, si necdum est notoria, intra octo dies aperte demonstret *arg. c. 1. de Except. in 6,* Laymann *ibid. n. 14.* & alii.

33. Nonus effectus est, quod, si quisin Excommunicatione per annum continuum inforduerit, hoc est, pertinaciter perstiterit, is fiat suspectus de haeresi: quia videtur contemnere potestatem Ecclesiae, cujus Claves atque Excommunicationem non timet. Unde contra talem, *tanquam de haeresi suspectum, procedi potest*, ut habetur in Concilio Trident. *sess. 25. cap. 3. de Reform.*

Et

Et si quis propter suspicionem haeresis, aut alterius criminis conjuncti cum contumacia (ut quia legitime citatus non comparuit) excommunicatus fuit, atque in tali excommunicatione per annum perseveravit, censetur is etiam convictus de illo crimine *arg. c. Excommunicamus §. Qui autem de Haereticis*, & cum communi tradit Covarruvias *in c. Alma mater §. 7. n. 16.* fusius hanc poenam deducens.

34. Tandem, ut omittantur quidam alii Excommunicationis effectus minus notabiles, de quibus Cuvarruvias *cit. §. 7.* Laym. *lib. 1. tract. 8. part. 2. cap. 2.* & alii. Excommunicatio major privat excommunicatum omni Civili, seu politica communicatione Fidelium: adeo, quod non solum ipsi excommunicato sit interdicta quaelibet Civilis conversatio, sive communicatio politica cum Fidelibus; sed etiam vicissim aliis Fidelibus prohibitum sit, ne excommunicati hominis societatem admittere, aut eidem communicare valeant. Alioquin enim, si alii Fideles scienter, & extra casus a Jure concessos, communicarent excommunicato (quod tamen de facto intelligendum est de excommunicato non tolerato, seu de vitando) non solum peccarent, sed etiam ipsimet incurrerent Excommunicationem minorem. Quod, ut melius intelligatur, sit

QUAESTIO III.

Quinam Excommunicati, & in quibus casibus sint vitandi?

SUMMARIUM.

35 *Excommunicati alii tolerati, alii vitandi?*
36 *Excommunicati, qui de facto sint vitandi?*
37 *Notorius percussor Clerici, quis?*
38 *Casus, in quibus non licet communicare excommunicato.*
39 *Os.*
40 *Orare.*
41 *Vale.*
42 *Communio.*
43 *Mensa, quid importet?*
44 *Communicans excommunicato vitando peccat*
45 *Atque incurrit excommunicationem*
46 *Et qualem?*
47 *Causa ab hoc excusantes? Reiffenstuel Theol. Moral.*
48 *Utile.*
49 *Lex.*
50 *Humile.*
51 *Res ignorata.*
52 *Necesse, quid denotet?*

35. PRaesens Quaestio procedit solum de excommunicatis excommunicatione majori: nam excommunicati excommunicatione minori duntaxat, nunquam fuerunt vitandi; utpote quae solum *separat excommunicatum a perceptione Sacramentorum. c. Si quem de Sentent. Excommunic.* Caeterum de prioribus loquendo, de facto communiter distinguunt Doctores, ac dicunt, quod excommunicati alii sint tolerati, quos caeteri Fideles vitare non tenentur: alii non tolerati, sed vitandi, quos nimirum alii Fideles tenentur evitare, nisi & ipsi excommunicationem minorem incurrere velint.

36. CONCL. I. Etsi olim omnes omnino excommunicati excommunicatione majori fuerint vitandi, publici quidem publice, occulti vero occulte: hodie tamen post Concilium Constantiense, circa annum Domini 1414. celebratum, ex moderatione Martini V. nulli excommunicati sint vitandi, nisi sint specialiter & nominatim denuntiati, vel nisi sint notorii percussores Clericorum. Ita Herincx *disp. 6. de Censuris, q. 2. n. 12.* estque Doctorum modernorum communis sententia. Prima pars patet ex Jure Canonico *c. Cum non ab homine de Sent. excomm.* cum concordantiis. Altera pars constat ex verbis Constitutionis Martini V. in Concilio Constantiensi editae, quae incipit, *Ad evitanda*, & inter alios refertur a Sylvestro, *v. Excommunicatio 5. num. 7.* Unde jam more Ecclesiae receptissimum est, ut non vitemus, nisi duas illas excommunicatorum species, quas praedictum Concilium vitari jussit; & sunt excommunicati nominatim denuntiati, deinde notorii percussores Clericorum.

37. Notandum vero, quantum attinet ad percussionem Clerici, quod tunc censeatur quis esse *Notorius percussor Clerici*, quando factum adeo notorie constat, *ut non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari*, prout loquitur Pontifex *in cit. Bulla*. Unde si percussio Clerici est adhuc occulta, vel factum ipsum potest probabiliter excusari, v. g. si percussor dicat, se percussisse Clericum ex joco, aut inadverteuter, vel nesciendo esse Clericum, talis

percussor Clerici etiam manifestus, non erit vitandus. Herincx *ibid.* cum aliis.

38. CONCL. II. Prohibitum est communicare cum excommunicatis vitandis in iis casibus, qui hoc vulgato carmine comprehenduntur;

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

39. Ubi per ly *Os*, intelligitur confabulatio, seu colloquium cum excommunicato, etiamsi fiat per litteras, vel internuncium, aut alia signa. Similiter ratione hujus particulæ intelliguntur prohibita oscula, amplexus, & alia hujusmodi signa amicitiæ, nec non & receptio muneris. Bonacina *tom. 1. disp. 2. de Excom. punct. 6. § 2.* & alii.

40. Per ly *Orare*, prohibetur communio in Sacris, sive in Orationibus, eo quod non liceat orare simul cum excommunicatis vitandis, neque eorum eis Missam celebrare. Quamvis, si excommunicatus vitandus ingrediatur Ecclesiam, ut Missam audiat, monendus erit, ut exeat: quod si nominatim monitus exire noluerit, novam excommunicationem Papæ reservatam incurrit, juxta *Clem. 2. de sent. excommun.* ac potest per vim expelli. Si vero hoc fieri nequeat erunt omittenda Divina officia, atque ipsamet Missa, dummodo necdum fuerit inchoatus Canon, aut (ut aliqui volunt) Consecratio: tunc enim oportebit pergere usque ad Sumptionem, ne Sacrificium Missæ maneat incompletum; sed peracta Sumptione Celicis Sacerdos debet discedere, ac reliqua peragero in Sacristia, vel omittere, si talis locus non adsit. Verum alii aliantes debebunt illico in tali casu exire ex Ecclesia, excepto Ministro Altaris; alioquin enim peccarent participando in Divinis cum excommunicato vitando. Bonacina *loc. cit. punct. 3. § 2. n. 3.* Herincx *disp. 6. de Censuris, q. 6. n. 18.* Sannig. *disp. 2. de Excommun. q. 2. n. 8.* & alii.

41. Per ly *Vale*, prohibetur omnis salutatio honorifica, etiam gestu facta. Notant tamen Doctores, licitum esse, prius salutantem resalutare; eo, quod sit quædam debiti solutio, quæ etiam debetur inimicis.

42. Per ly *Communio*, prohibetur quælibet societas, quæ sit communicando cum excommunicatis vitandis in habitatione, contractibus, aut exercitio; unde non licet inire contractus cum excommunicato vitando, vel idem opus facere cum eo, aut hujusmodi.

43. Tandem per ly *Mensa*, prohibetur communicatio in cibo, & potu: ut quando unus alterum invitat ad mensam, & cum ipso manducat; etiamsi talis manducatio fiat eo modo, quo aliqui communem & æqualem vitam agentes, simul comedunt: uti fieri solet in Seminariis, aut Refectoriis Religiosorum.

44. CONCL. III. Quicunque absque rationabili causa excusante scienter communicat excommunicato non tolerato, sed vitando, non solum peccat, sed etiam ipsemet incurrit Excommunicationem, saltem minorem, imo quandoque & majorem. Ita communis Doctorum. Et quidem prima pars patet ex eo; quia talis agit contra rationabilem Ecclesiæ prohibitionem, qua vetantur cæteri Fideles communicare cum excommunicato vitando, ut eo citius resipiscat, & ad pœnitentiam, atque condignam læsis satisfactionem præstandam compellatur. Estque tale peccatum pro gravitate excessus quandoque mortale, præsertim si fiat ejusmodi communicatio in publicis Officiis Divinis: quandoque autem veniale; prout communicando in rebus civilibus, & actionibus humanis, ut plurimum peccari tantummodo venialiter, idque ob levitatem materiæ, notat Filliucius *tract. 13. cap. 3. num. 44.* Navarrus *cap. 27. Manual. num. 29.* Bonacina *l. c. punct. 6. n. 5.* & alii.

45. Altera pars patet ex Jure Canonico variis in locis, ac præsertim ex *c. Excommunicate. 11. q. 3.* ubi dicitur: *Nullus cum excommunicatis in oratione, aut cibo & potu, aut osculo communicet, aut Ave vis dicere; quia quicunque in his, vel aliis prohibitis, scienter excommunicatis communicaverit, juxta Apostolorum institutionem, & ipse similis excommunicationi subjacebit.* Hæc ibi, quibus similia habentur alibi.

46. Dicitur in Conclusione, *Excommunicationem saltem minorem, imo quandoque & majorem.* Quia plerumque ejusmodi Excommunicatio est duntaxat minor, & nulli reservata, qualis ob peccatum quoque veniale contrahi potest: nisi quis cum excommunicato scienter in crimine communicet criminoso; id est, quando quis cooperatur crimini, vel contumeliæ, propter quam lata fuit excommunicatio, eidem consilium, favorem aut auxilium impendendo. Tunc enim non solum peccatur mortaliter, verum etiam incurritur excommunicatio major, & quidem reservata, si alterius excommunicatio reservata fuit: cum *faciente, & consentiente pari pœna constringat*, prout

prout statutur in *c. Super & c. Quod in dubii, de sent. excomm.* cum concordantiis.

47. CONCL. IV. Sunt tamen aliquæ causæ, excusantes ab omni censura & culpa eos, qui communicant cum excommunicato vitando, quæ referuntur *ean. Quoniam multos 11. q. 3.* & sequenti versiculo communiter continentur.

Utile, Lex, Humiles, Res ignorata, Necesse.

48. Per ly *Utiles*, denotatur utilitas tum spiritualis, tum corporalis, sive ipsius excommunicati, sive communicantis cum eo, vel alterius. Unde licitum est, tam verbo, quam facto, excommunicatum hortari ad resipiscentiam & conversionem: licitum quoque est, ab excommunicato petere consilium pro se vel aliis, quando non adest alius, qui possit æque utiliter consulere: potest insuper ab ipso exigi debitum, imo & ipse excommunicatus potest privatim (secus in Judicio, quia ibi non admittetur) petere suum debitum ab aliis.

49. Per ly *Lex*, intelligitur Matrimonium, ratione cujus potest uxor marito excommunicato, etiam denuntiato, communicare quoad thorum & cohabitationem, atque in colloquiis familiaribus, in pertinentibus ad gubernationem domus, & in aliis omnibus obsequiis, quæ præstabat uxor ante maiti excommunicationem.

50. Per ly *Humiles*, denotantur subjecti, ut sunt liberi, servi, ancillæ, & mancipia, atque rustici servientes, de quibus omnibus fit mentio *cit. c. Quoniam multos 11. q. 3.*

51. Per ly *Res ignorata*, datur intelligi quælibet ignorantia, qua quis ignoranter communicat excommunicato, sive ea sit ignorantia juris, sive facti, dummodo non fit affectata.

52. Tandem per ly *Necesse*, intelligitur quæcunque notabilis necessitas, sive si teneat ex parte excommunicati vitandi, sive ex parte communicantis cum eo, aut alterius: sitque vel necessitas animæ, vel corporis, vel famæ, aut fortunæ. Hinc excommunicatus potest recipi hospitio, potest ei dari eleemosyna, & vicissim ab eodem peti, & accipi, quando quis indiget: potest etiam cum eo communicari in eo loco, ubi adhuc est bonæ famæ, si alioquin esset infamandus, & hujusmodi.

QUÆSTIO IV.

De nonnullis Excommunicationibus in particulari.

SUMMARIUM.

53 *Excommunicationes latæ, & ferendæ sententiæ, quæ?*
(d) Tract. 2. Dist. 2. n. 35. 36. & seqq.
54 *Aliæ reservatæ, aliæ non reservatæ.*
55 *Bulla Cœnæ Domini, quæ?*
56 *Excommunicationes, & casus in eo contenti breviter enumerantur.*
57 *Pœna absolventium a Casibus Bullæ Cœnæ.*
58 *Excommunicatio in percussores Clericorum lata, declaratur.*
59 *Injectio manuum violenta, quæ?*
60 *Quid, si Clericus sit consentiens?*
61 *Alii modi violentæ manuum injectionis.*
62 *Quid de eam mandantibus, consulentibus, ratihabentibus?*
63 *Clerici, & Monachi nomine, qui hic intelligantur?*
64 Odia restringi, & favores convenit ampliari. *Declaratur.*
65 *Ratio difficultatis.*
66 *Regula I.*
67 *Regula II.*
68 *Canon*, Si quis Suadente, *an sit favorabilis, nec ne.*
69 *Qualis percussio requiratur ad incurrendam dictam Excommunicationem?*
70 *Casus, in quibus ea non incurritur.*
71 *Alia Excommunicationes, remittitur.*
72 *An possit quis sepius excommunicari?*
73 *Solvitur instantia.*
74 *Corollarium.*
75 *Solvitur alia instantia.*

53. NOtandum, quod *Excommunicationes*, aliæ sint *latæ sententiæ*, aliæ primum *ferendæ sententiæ*. Priores sunt, quæ ipso jure imponuntur, & posito delicto mox incurruntur: ut si in lege dicatur, *Qui tale delictum commiserit, sit ipso facto excommunicatus*, aut hujusmodi. *Excommunicationes ferendæ sententiæ* dicuntur eæ, quas Legislator excommunicat delinquenti, sunt quæ primum per sententiam Judicis imponendæ: ut si dicatur, *Qui tale crimen commiserit, excommunicetur*, vel hujusmodi; prout amplius supra (d) jam dictum.

54. Notandum ulterius, quod Excom-

municationes aliæ sint reservatæ, aliæ non reservatæ. *Excommunicationes reservatæ* dicuntur, quarum absolutionem Superior (nempe Papa, Episcopus, vel Prælatus Excommunicationem ferens) sibi reservavit: unde ab his nemo potest absolvere, nisi ipsemet ille Prælatus, aut illius Superior vel qui commissionem absolvendi ab eisdem accepit. *Excommunicationes non reservatæ* e contra sunt, quarum absolutionem sibi Superior non retinuit; unde a talibus quilibet approbatus Confessarius absolvere potest, idque ex citata commissione Superioris *arg. c. Nuper de sent. excommun.* His præmotatis, loquendo de nonnullis Excommunicationibus in particulari, sit

55. CONCL. I. Inter Excommunicationes latæ sententiæ, & Summo Pontifici reservatæ, imprimis sunt Casus Bullæ Cœnæ Domini; quæ Bulla ideo sic dicta annis singulis in Die Cœnæ Domini publicari solet, ac renovari. Ejus exemplar tum in Ritualibus Diœcesanis, tum etiam in Bullario Romano, atque aliis libris passim reperitur, estque Bulla satis longa.

56. Porro Excommunicationes in Bulla Cœnæ Domini in diversis personas feruntur. I. Excommunicantur hæretici, Apostatæ a Fide, receptores, fautores, & defensores Hæreticorum, legentes eorum libros de Religione tractantes, imprimentes, defendentes, & Schismatici. II. Appellantes a sententiis, & mandatis Summi Pontificis ad futurum Concilium Generale. III. Pyratæ, seu Latrunculi maritimi, eorumque fautores &c. IV. Rapientes bona naufragantium Christianorum, ubivis terrarum. V. Imponentes nova Pedagia, seu Gabellas, præter habentes authoritatem ad hoc: ut sunt Imperator, Reges, & Principes absoluti in terris suis. VI. Falsificantes Litteras Apostolicas. VII. Deferentes arma, & alia usui bellico idonea ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, vel Hæreticos expresse & nominatim a Sede Apostolica declaratos. VIII. Impedientes eos, qui victualia, aut alia necessaria Romam vehunt. IX. Afficientes injuriis eos, qui accedunt ad Sedem Apostolicam. X. Vexantes Romipetas. XI. Offendentes Cardinales, & Ecclesiæ Prælatos. XII. Offendentes eos, qui ad Romanam Curiam accedunt pro negotiis, negotiorumque gestores. XIII. Appellantes a gravamine, vel futura executione Litterarum Apostolicarum, ad Latcam Potestatem. XIV. Officiales, & alii, qui causas Ecclesiasticas avocanta Judicibus Ecclesiasticis. XV. Judices sæculares, qui personas Ecclesiasticas ad sua Tribunalia trahunt. XVI. Impedientes Prælatos, ne jurisdictione sua Ecclesiastica utantur. XVII. Usurpantes jurisdictionem Sedis Apostolicæ, aliarumque Ecclesiarum, seu fructus, reditus, & proventus earum. XVIII. Imponentes Decimas, vel alia onera Personis Ecclesiasticis. XIX. Judices sæculares, qui in causis capitalibus Clericorum sese interponunt. XX. Occupantes bona & Terras Ecclesiæ Romanæ, & superiorum Jurisdictionem in illis usurpantes.

57. Tandem circa finem citatæ Bullæ Cœnæ Domini addit Pontifex: *Quod si forte aliqui contra eorum præsentium, talibus excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus.* Circa quæ verba recte notat Navarrus *cap. 27. Manual. n. 74.* (ubi a *num. 55. & deinceps*, explicat Bullam Cœnæ Domini) quod hæc excommunicatio, ejusque absolutio non sit reservata Papæ, cum talis reservatio ex littera non pateat. Deinde, quod hanc excommunicationem non incurrat ille Confessarius, qui oblivione, incogitantia, vel ignorantia non crassa absolvit: quia refertur in eos, qui absolutionis beneficium impendere *de facto* (de jure enim talis absolutio non tenet, ob defectum jurisdictionis, cum obstet reservatio) *præsumpserint*: hoc est, scienter ac deliberate, non obstante illhac Constitutione, attentaverint. De horum quippe numero non est, qui absolvit per oblivionem, incogitantiam, aut ignorantiam non crassam.

58. CONCL. II. Inter alias plurimas Excommunicationes, cum reservatas, tum non reservatas, quæ partim in Jure Canonico, partim in diversis Constitutionibus Apostolicis contingentur, cæteris frequentior, atque ideo scitu magis necessaria est illa, quæ ipso Jure est lata contra percussores Clericorum. De hac *c. Si quis suadente diabolo 17. q. 4.* sic habetur statutum ab Innocentio Papa II. in Concilio Lateranensi: *Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat &c.* Concordat *Clem. Si quis suadente de Pan.* Circa quam Excommunicationem

59. Notandum I. Per manus violentas, Clericos, aut Monacho injectas, intelligi quamcunque actionem corporalem injuriosam, quæ est mortaliter peccaminosa, & violenter illata personæ Clerici, aut Monachi, vel rebus ipsius corpori adhærentibus. Unde hujusmodi excommunicationem incurrit, qui Clericum vel Monachum occidit, mutilat, vulnerat, vel percutit, sive id fiat manu aut pede, gladio vel baculo.

60. Quinimo hoc ipsum procedit, etiamsi hujusmodi injuriosa percussio, sive manuum injectio, fiat in Clericum consentientem, atque subjicientem corpus suum certis percussionibus, quamvis hoc fiat in satisfactionem cujuspiam præcedentis injuriæ a Clerico alteri illatæ. Nam etsi talis percussio non esset violenta, utpote exercita in consentientem; adhuc tamen ea foret injuriosa, atque redundans in opprobrium Status Clericalis, cujus favori privatorum pacto renuntiari non potest; prout expresse cavetur *c. Contingit 36. de sentent. excommunicat.* junctо *c. si diligenti de Foro compet.*

61. Insuper ille censetur injecisse manus violentas, atque ipso Jure incurrere memoratam excommunicationem latæ sententiæ, qui Clericum injuriose (licet absque alia læsione corporali) detinet in custodia publica vel privata, aut eum detruditin vincula *c. Nuper de sentent. excommunicat.* Item, qui sputum aut pulverem in faciem ejus projicit, vestimenta ipsi adhærentia dilacerat, aut violenter detinet, & hujusmodi. Secus est, si demeantur, dilacerentur, aut percutiantur vestimenta Clerico non adhærentia; utputa si Clericus fugiens amittat pileum, & alter pileum ex ira dilaceret, aut verberet.

62. Ulterius, licet ex textu citati Canonis comprehendantur soli physice offendentes Clericum vel Monachum, tamen ex aliis Canonibus extenditur hæc Excommunicatio etiam ad mandantes, consulentes, auxiliumve præbentes ad percussionem Clerici, dummodo effectus sit secutus *c. Quanta de sentent. Excommunicat.* Nam *facientes & consentientes pari pœna plectende sunt*: ut ibidem dicitur; idque clarius habetur *Clem. si quis suadente de pœnis.* Item ad eos, qui ratam habent offensionem Clerici suo nomine factam. *text. clar. cap. Cum quis 22. de sentent. excomman. in 6.* Quia; ut ait *Reg. 10. Juris in 6. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato æquiparari.*

63. Notandum II. Quod nomine *Clerici*, hic intelligantur omnes saltem prima Tonsura insigniti, dummodo Privilegio Canonis privati non existant. Nomine autem *Monachi*, hic intelliguntur omnes omnino Religiosi & Religiosæ, sive viri, sive Moniales sint, eorumque Conversi & Conversæ, imo etiam Novitii & Novitiæ. His addit Herinex *disp. 6. de Censuris quæst. 2. num. 59.* Canonissas sæculares (vulgo *Die Stifft. Eraulein*) quamdiu Prædendam retinent, & in habitu Ecclesiastico patenter a sæcularis fœminis distinctivo, incedunt. Item gaudent hoc privilegio Canonis Tertiarii, & Tertiariæ Ordinis S. Dominici, & S. P. N. Francisci, qui assumpto habitu Monachali se mancipaverunt obsequio alicujus approbatæ Religionis sub obedientia Superioris. Secus dicendum de Eremitis illis, qui sub nulla Regula & obedientia Superiorum vivunt, sed sunt vagi, & nullam specialem Ecclesiasticam obligationem habent.

64. Si dicas: Juxta *Reg. 15. Juris in 6. Odia restringi, & favores convenit ampliari*; Atqui *Can. si quis suadente 17. q. 4.* versatur in materia odiosa videlicet excommunicationis ipso facto incurrendæ; ergo non debet extendi ad omnes dictas personas; sed restringi ad solos Clericos & Monachos, utpote de quibus duntaxat Canon citatus expresse loquitur. Resp. cum Abbate *c. Non dubium de sentent. excommun.* distinguendo min. Atqui Canon ille versatur in materia odiosa ex parte percutientis, transeat (nam & hoc in dubium verti potest, *cum excommunicatio sit medicinalis c. 1. tod. in 6.*) versatur in materia odiosa ex parte Clericorum, Statusque Clericalis, negatur min. Sic enim is coartatur favorem, cum privilegium Canonis sit concessum non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem Ordinis Clericalis, ut dicitur *cap. Contingit 36. de sentent. excommunicat.* ac proinde merito extendendum. Hæc responsio, ut melius intelligatur,

65. Advertendum, quod plerumque, dum uni quidpiam favorabiliter conceditur, id alteri adimatur, ac proinde, quod uni est favor, id alteri solet esse odium. Ad dignoscendum igitur, quænam materia sit favorabilis, & quænam odiosa, Doctores apud Covarruviam *lib. 1. var. resol. c. 11. n. 5.* & Sanchez *de Matrim. disp. 1. n. 4.* sequentes assignant Regulas.

66. I. Quoties favor & odium distingui, atque ab invicem separari possunt, favor ut favor, & odium ut odium assumi debet; ac proinde ejusmodi Constitutio, quæ parte

est

est favorabilis, debet late explicari, & qua parte est odiosa, debet censeri strictæ interpretationis.

67. II. Quando Constitutio partim est favorabilis, partim odiosa, simulque favor ab odio separari nequit, tum ut dignoscatur, an sit favorabilis nec ne, attendere oportet ad principalem intentionem disponentis. Et si quidem principaliter in favorem alicujus statuta sit, constitutio censetur omnino favorabilis, non obstante, quod in aliquod damnum, sive odium tertii reducat. Si autem principalis intentum Constitutionis tendit in alicujus odium, seu pœnam, Constitutio censetur simpliciter odiosa, estque strictè interpretanda, haud obstante, quod simul cedat in aliqualem favorem tertii: siquidem ex primario suo fine mensuranda, & dijudicanda est ipsarum dispositio.

68. Hoc ad propositum applicando, cum Canon, *si quis suadente 17. quæst. 4.* principaliter latus fuerit in favorem Status Clericalis & Monachalis, eo quod in eos opprobrium & damnum cedat, injuste ab illis verberari, atque inquis vexationibus corporalibus male volorum passim obnoxios esse Clericos & Monachos, cæteroquin inermes: hac ratione Constitutio illa censetur favorabilis, ac proinde extenditur etiam ad Conversos, Novitios, & alias personas enumeratas. At vero respectu ipsius criminis, seu injuriæ censetur odiosa, & strictè interpretanda: unde non sufficit solus conatus, aut sola injuria verbalis, sed requiritur vera læsio corporalis, sive injectio manuum injuriosa. Unde ulterius.

69. Notandum III. Quod ad incurrendam hanc Excommunicationem requiratur injuriosa percussio, & quæ spectatis circumstantiis sit peccatum mortale. Unde ab hac Excommunicatione excusatur primo, qui tam leviter, aut ex joco, vel ex subita cholera percutit Clericum, ut vel ratione parvitatis materiæ, vel ratione inadvertentiæ, seu indeliberationis, non peccet mortaliter; prout *cap. 1. de Sentent. excommunic.* habetur, atque inter alia exemplificatur de impubere Clericum percutiente.

70. Deinde excusatur, qui percutit Clericum causa correctionis & disciplinæ, habens ad hoc legitimam facultatem. Ut si Magister Clericum Scolarem correctionis causa percutiat, *citat. cap. 1. de Sentent. excommunic.* Vel si Prælatus subditum percutiat causa disciplinæ: quia talis correctio non potest censeri violenta manuum injectio. Insuper excusatur, qui Clericum vim sibi inferentem, aut sua bona auferentem, percutit cum moderamine inculpatæ tutelæ: nam *vim vi repellere, omnes leges omniaque jura permittunt*, uti notatur *cap. si vero 3. de Sentent. excommunicat.* Rursum excusatur ab excommunicatione, qui percutit Clericum, quem invincibiliter nescit esse Clericum, *cit. cap. si vero*. Item ille, qui Clericum contempto Clericali habitu tyrannidi, & enormitatibus, se inverecunde immiscentem captivat, percutit, aut occidit, *c. Cum non ab homine, & c. Perpendimus eod.* Idem accidit in aliis nonnullis casibus, rationibus tamen, de quibus Authores.

71. CONCL. III. Plurimæ aliæ Excommunicationes, tum reservatæ, tum non reservatæ, habentur in Jure Canonico, & aliis Constitutionibus Ecclesiasticis passim, quas omnes obstat multitudinem enumerare difficile foret: in casu tamen emergentiæ de iisdem consulantur Libri de hac materia copiosius tractantes.

72. Quæres, an quis sæpius possit excommunicari? Resp. affirmative, *arg. c. Cum pro causa de sent. excomm.* & notat Glossa *ibi. in cap. Engeltrudam 3. q. 4.*

73. Nec obstat, quod ejectus ex Ecclesia, non possit amplius ejici, sicut & occisus nequit iterum occidi. Resp. enim cum citat. Glossa, excommunicationem habere duos effectus, unum ejiciendi extra Ecclesiam, & alterum detinendi extra. Et licet excommunicatio posterior non possit consequi primum effectum in jam excommunicato, bene tamen secundum.

74. Infertur proinde conformiter dictis, quod ligatus pluribus excommunicationibus possit absolvi ab una, & non ab altera; & qui vere vult absolvi ab omnibus, omnem causam, pro qua, vel quibus fuit excommunicatus, debeat exprimere, *arg. cit. c. Cum pro causa de sentent. excommunic.* juncta Glossa *ibidem, verf. Tanquam excommunicatum.*

75. Nec obstat, quod unum peccatum non dimittatur sine altero, *arg. cap. Majores, §. Sed adhuc de Baptismo*, ibi. *Dominus, qui totum hominem salvum facit in Sabbato, quia imperfectionis non novit; & ob hoc peccatum non ex parte, sed ex toto dimittit.* Resp. quippe cum Pagnano *in citat. cap. Majores n. 62.* disparitatem esse, quia absolutio a peccatis est actus Divinus, qui non debet esse absque perfectione: secus est de absolutione ab excommunicatione, quæ est actus humanus Ecclesiæ, utpote per quam introducta est excommunicatio.

QUÆSTIO V.

De Suspensione, & variis ipsam attinentibus.

SUMMARIUM.

76 *Suspensio, quid?*
77 *Differt a Depositione, & Degradatione.*
78 *Suspensio lata, & ferenda sententia.*
(c) Vide dicta Tract. 2. Dist. 2. n. 35. 36. & seqq.
79 *Suspensio ab officio, & Beneficio.*
80 *Totalis, & partialis, quid?*
81 *Suspensio ab officio non includit Suspensionem a Beneficio, nec e contra.*
82 *Per se loquendo.*
83 *Idem dic de Suspensione ab Ordine, & jurisdictione.*
84 *Suspensio absoluta lata censetur totalis.*
85 *Corollarium.*
86 *Secus, si suspensio feratur determinate.*
87 *Suspensus, si exerceat actum sibi prohibitum, an sit irregularis?*
88 *Quæ suspensionem possint incurrere?*
89 *Solvuntur instantia.*

76. CONCL. I. *Suspensio* est censura Ecclesiastica, qua prohibetur seu arcetur Minister Ecclesiæ ab aliquo actu Ecclesiastico alias sibi competente, & hoc ad tempus. Ita Doctor Subtilis *4. dist. 25. q. 1.* estque in re communis. Dicitur, *qua Minister Ecclesiæ*, id est, Clericus: quia Suspensio est censura propria Clericorum, & quæ Laicis non competit, quamvis Excommunicatio, & Interdictum sint censuræ Clericis & Laicis communes. Dicitur ulterius, *arcetur ab aliquo actu Ecclesiastico*: quia hic est proprius & adæquatus effectus suspensionis, scilicet privare Clericum exercitio actus Ecclesiastici cæteroquin sibi competentis, ut non possit illum laxe, & absque peccato exercere. Et per hoc differt Suspensio a cæteris censuris, quæ plures alios & distinctos effectus habent, ut patet ex singularum explicatione.

77. Additur tandem, *& hoc ad tempus.* Per quod Suspensio differt a depositione, ac Degradatione, quæ privant ministerio actuum Ecclesiasticorum in perpetuum, & absque spe restitutionis.

78. CONCL. II. Suspensio varie dividitur. Ita omnes, & patet inductione. Nam imprimis *suspensio* alia est *lata sententiæ*, quæ scilicet ipso Jure infligitur delinquenti: alia *ferenda sententiæ*, quæ primum per sententiam Judicis ob commissum delictum infligitur. (c)

79. Deinde ipsa dividitur in Suspensionem ab officio, & a Beneficio: *suspensio ab officio* est, qua Clerico interdicitur executio suorum Ordinum, aut aliarum functionum, quæ ipsi ratione Ordinis, aut muneris Clericalis competunt: *suspensio a beneficio* dicitur, qua fructus sui Beneficii Ecclesiastici Clericus percipere prohibetur; prout amplius declarabitur in Conclusionibus.

80. Ex his utraque *suspensio* subdividitur in totalem, & partialem. *Totalis* est, quæ quis ab omni prorsus officio Ecclesiastico, vel a perceptione omnium omnino fructuum Beneficialium suspenditur, seu arcetur. *Partialis* est, qua vel unus specialis actus officii Ecclesiastici Clerico prohibetur: ut si Sacerdos ab exceptione Confessionum, aut Episcopus a collatione Ordinum suspendatur; nam talis potest alios actus Ordinis sibi competentes exercere, utputa celebrare Missam, & hujusmodi. Vel (loquendo de Suspensione partiali a Beneficio) si Clerico Beneficiario certa duntaxat pars fructuum Beneficialium subtrahatur, v.g. tertia, vel quarta solummodo pars eorum.

81. CONCL. III. Censura Suspensionis est strictæ interpretationis, ac proinde Suspensio ab officio, per se non includit Suspensionem a Beneficio, nec e contra. Ita Ludov. Engel *tit. de Sentent. excommunic. n. 75.* Navarrus *cap. 27. Manual. n. 160.* & alii. Ratio est: quia Suspensio est pœna, ob commissum delictum inflicta: atqui pœnæ sunt strictè interpretationis; nam *odia restringi, & favores convenit ampliari*, juxta *Reg. 15. Juris in 6.* simulque *in pœnis benignior est interpretatio facienda. Reg. 48. Juris in 6.* Ex quibus mox sequitur, Suspensionem ab officio non includere per se loquendo suspensionem a beneficio, nec contra: habent enim diversos effectus, & ab invicem separabiles.

82. Dicitur, *per se loquendo*. Nam, si Suspensio ab officio sit perpetua, & in effectu Depositio, tunc taliter suspensus per sen-

ten-

tenuam Judicis, merito etiam privandus erit beneficio: dum Beneficium detur propter officium; quod tamen in perpetuum suspensus, amplius exercere non potest. Intellige, dummodo ipsi suspenso præstentur alimenta ab Ecclesia, ne in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare cogatur.

83. CONCL. IV. Similiter suspensus ab Ordine, non censetur suspensus a jurisdictione Ecclesiastica, nec e contra. Ita cit. Engel *n. 76.* estque communis Doctorum. Ratio patet ex proxime dictis: quia suspensio est strictæ interpretationis, ac proinde non extendenda ultra verborum proprietatem. Hinc Episcopus suspensus ab Ordine, licet Confessiones audire non possit, alteri tamen potestatem absolvendi, seu Confessiones audiendi delegare non prohibetur: nam hoc spectat ad potestatem jurisdictionis, illud ad potestatem Ordinis.

84. CONCL. V. Nihilominus, si absolute & sine limitatione Suspensio imponatur, neque ex adjunctis limitatio aliqua colligi possit, censetur ea esse simpliciter totalis. Ita Herlinex *disp. 6. de Censuris nu. 63.* Laymán, & communis. Ratio est: quia ex vi sermonis, propositio indefinita æquivalet universali; simulque tunc non est ratio, cur potius Suspensio de uno, quam de altero lata intelligatur.

85. Infertur proinde, quod suspensus absolute sine ulla determinatione, intelligatur suspensus tam ab officio, quam a Beneficio. Infertur ulterius, quod simpliciter & absolute suspensus ab officio, censeatur suspensus tam ab Ordine, quam jurisdictione: quia officium includit utrumque, nec est major ratio de uno, quam de altero.

86. Dicitur, *si absolute & sine limitatione &c.* Nam si Suspensio feratur determinate ad certam materiam, ut puta super certum actum Ordinis vel jurisdictionis non exercendum, tutentur omnes, eam ultra ejusmodi actum non esse extendendam: cum pœnæ non sint extendendæ ultra verborum proprietatem. Sic suspensus a Confessionibus audiendis, potest celebrare Missam, officium Diaconi solemniter exercere, ac hujusmodi.

87. CONCL. VI. Suspensus ab officio, si actum sibi interdictum culpabiliter exerceat, contrahit Irregularitatem, *c. 1. de sent. & re judicat. in 6.* At vero suspensus a Beneficio, si eidem se ingerat, & fructus percipiat, non efficitur irregularis, perdit tamen Beneficium ipso jure, *arg. cap. Cupientes, §. Cæterum de Elect. in 6.* Engel *loc. cit. num. 78.* Pirthing *de Sentent. excommunicat. nu. 209.* & alii.

88. CONCL. VII. Omnes, & soli Clerici, præter Papam, Suspensionis Censuram incurrere possunt. Ita Layman *lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 1.* contra Hernquez, qui existimat, etiam in Abbatissam Suspensionis censuram cadere posse. Patet Conclusio ex definitione Suspensionis *num. 76. & seqq.* explicata.

89. Nec urget instantia de Abbatissa. Nam ipsa solum suspendi potest ab officio suæ Oeconomiæ, ejusque actibus; non vero ab actu aliquo Ecclesiastico, cum sit incapax omnis Ordinis.

QUÆSTIO VI.

Quid, & quotuplex sit Interdictum, & qualis effectus ipsius?

SUMMARIUM.

90 *Interdictum, quid?*
91 *Quomodo differat ab Excommunicatione, & suspensione?*
92 *Interdictum locale. Generale, & Particulare, quid?*
93 *Interdicta Civitate Censentur interdicta Suburbia &c.*
94 *Quid si Ecclesia sit interdicta? Contigua quid?*
95 *Interdictum personale.*
96 *Et mixtum, quid?*
97 *Interdicto Clero, vel Populo, qui censeantur interdicti?*
98 *Interdicti triplex effectus.*
99 *I. Privatio participationis quorundam Sacramentorum.*
100 *Et quorum?*
101 *Quid de Baptismo, Confirmatione. Et confessione Chrismatis?*
102 *Item de Pœnitentia, & Eucharistia?*
103 *II. Prohibitio Divinorum Officiorum; & quorum?*
(f) Conformiter dictis supra, n. 20.
104 *Limitatur hoc.*
105 *III. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ.*
106 *Declaratur hic effectus.*
107 *Casus practici circa hoc.*
108 *Cessatio a Divinis, quid?*

90. CONCL. I. *Interdictum* recte definitur dicendo: Interdictum est Censura Ecclesiastica, per quam prohibetur participatio certorum Sacramentorum, Divinorum Officiorum, atque sepulturæ Ecclesiasticæ. Ita in re communis.

91. Differt autem interdictum ab Excommunicatione, quod hæc multo gravior existat, utpote removens Fidelem non solum a participatione Sacramentorum, sed etiam a communibus Suffragiis Ecclesiæ, ipsaque communione Fidelium. Item Excommunicatio non fertur in loca, aut integras Civitates. Secus accidit in interdicto locali. Differt etiam interdictum a Suspensione: nam hæc fertur in solas personas Ecclesiasticas; Interdictum vero etiam in Laicas ferri potest. Omittuntur aliæ differentiæ.

92. CONCL. II. Interdictum dividitur in locale, personale, ac mixtum. Ita omnes Doctores, & patet inductione. Si quidem *Interdictum locale* dicitur illud, quod directe fertur in locum, quatenus in ipso interdicuntur, seu prohibentur fieri Divina Officia, & hujusmodi. Et illud subdividitur in generale, & particulare. *Interdictum locale generale* est, quo interdicitur locus, varia sub se loca complectans, v.g. Regnum, Provincia, Civitas. *Interdictum locale particulare* dicitur, quo interdicitur particularis aliqua Ecclesia. Porro interdictum locale indirecte tantum afficit personas, dum solent esse in tali loco, vel Ecclesia: unde si ejusmodi personæ alibi existant, possunt ibidem Officiis Divinis interesse, Sacramenta recipere, atque in Loco sacro sepeliri.

93. Et quidem loquendo de interdicto locali, sciendum ex *cap. si civitas de sentent. excommunicat. in 6.* quod interdicta Civitate, Castro, aut Villa, etiam Suburbia, & contiguntia ædificia ipsorum intelligantur interdicta: ne cæteroquin interdicti sententia vilipendatur, si ponent in prædictorum Suburbiis Divina celebrari; cum incolæ ad eadem absque labore excurrentes, interdicti vim passim ejuserent.

94. Et ob eandem rationem, si Ecclesia interdicto subjecta existat, neque in Capellis ejus Divina celebrari, neque in Cœmeterio eidem Ecclesiæ contiguo sepeliri poterit: secus, si eidem Ecclesiæ contiguæ non sint, prout subjungitur *cit. c. si civitas, de sentent. excommunic. in 6.* Porro *contigua* dicuntur ea, quorum extrema invicem se contingunt, ut ait Glossa ibidem: sive, ut alii loquuntur, quando inter parietem Ecclesiæ ipsamque Capellam, vel Cœmeterium nihil aliud interponitur.

95. *Interdictum personale* est, quod immediate & directe fertur in personam; per quod videlicet certa persona arcetur a participatione quorundam Sacramentorum, Divinorum Officiorum, ac sepulturæ Ecclesiasticæ in quocunque loco. Unde hujusmodi interdictum requirit personam, quocunque ierit, sicut umbra comitatur corpus, & lepra leprosum, *arg. cap. si sententia §. Cum vero de sentent. excommunicat. in 6.* Ubi additur, quod si populus alicujus terræ interdicto notetur, singulares personæ interdicti censeantur, ne alioquin sententia effectu careat.

96. Tandem *Interdictum mixtum* dicitur illud, quo locus, ac personæ simul interdicuntur: ut si interdicatur Civitas, & omnes incolæ ejus. Unde interdictum mixtum includit locale, & personale simul.

97. Cæterum quoad interdictum personale est notandum, quod, si sententia interdicti proferatur in Clerum, non censetur interdictus Populus, nec e contra interdicto Populo, censeatur Clerus interdictus, *text. clar. cit. cap. si sententia de sentent. excommunic. in 6.* Unde uno ipsorum interdicto alius licite admittitur ad Divina: siquidem in materia pœnali, & odiosa, qualis est hæc, verba sunt strictè interpretanda, juxta *reg. 15. Juris in 6. Odia restringi, & favores convenit ampliari.* Et *reg. 26. eod. in pœnis benignior est interpretatio facienda.* Addunt Doctores, quod sive Clerus, sive Populus alicujus loci interdicatur, non comprehendantur Religiosi utriusque sexus nisi exprimantur: nam etsi in materia favorabili nomine Cleri contineantur etiam religiosi utriusque sexus, secus tamen est in materia odiosa, idque per textus proxime allegatos, junctis *Clem. 1. de suppleda neglig. Pral.* ubi illa ponuntur tanquam diversa, & concordantia.

98. CONCL. III. Triplex est effectus interdicti, videlicet privatio participationis quorundam Sacramentorum, prohibitio Divinorum Officiorum, & tandem privatio sepulturæ Ecclesiasticæ. Ita Doctores communiter; & patet non solum ex definitione interdicti superius posita, sed etiam ex diversis textibus Juris Canonici in progressu allegandis.

99. Quantum attinet ad primum effectum interdicti, notandum, quod privatio participationis quorundam Sacramentorum sit intelligenda de participatione talium Sacramentorum tam activa, quam passiva: ita ut illa nec licite possint administrari, nec licite recipi tempore interdicti, aut a persona interdicta.

100. Et

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
GENERALE DE BIBLIOTECAS

100. Et dicitur notanter, *quorundam Sacramentorum*. Nam tempore Interdicti localis, sive illud sit generale, sive particulare, non prohibetur administratio, & receptio omnium Sacramentorum, sed aliquorum duntaxat; videlicet Sacramenti Extremæ Unctionis, Ordinis, Eucharistiæ extra articulum mortis, ac etiam Benedictio nuptialis: quamvis juxta satis probabilem sententiam Matrimonium sine Benedictione nuptiali licite possit contrahi.

101. Secundum proinde, quod Sacramentum Baptismi, & Confirmationis licite possit conferri, & recipi ab interdictis, ac etiam in loco interdicto, ut habetur *cap. Responso de sentent. excommunicat. & cap. Quoniam. & cap. Alma Mater eod. in 6.* Siquidem Baptismus est Sacramentum summe necessarium ad salutem: Confirmatio autem est quasi complementum Baptismi, cum detur ad confirmandam, & fortiter profitendam Fidem Christianam in Baptismo susceptam. Et ob hoc *cit. cap. Quoniam eod. in 6.* habetur, quod tempore Interdicti Chrisma in die Cenę Domini confici queat: quia vetus Chrisma non debet esse usui: & concesso principali censetur concessum accessorium, nempe confectio Chrismatis pro administratione dictorum Sacramentorum requisiti.

102. Similiter Sacramentum Pœnitentiæ potest tempore Interdicti, non solum morientibus, sed etiam sanis (dummodo non fuerint excommunicati, nec sint in causa culpabili, ob quam latum est interdictum) licite administrari, *cit. cap. Alma Mater de sentent. excommunicat. in 6.* eo quod & istud Sacramentum sit valde necessarium propter pronitatem, quam habent homines ad peccandum. Sacramentum vero Eucharistiæ non nisi in mortis articulo (vel probabili periculo mortis) ministrari potest, *arg. cap. quod in te de Pœnit. & remiss.*

103. Secundus effectus Interdicti, qui est prohibitio Divinorum Officiorum, hoc involvit, quod tempore Interdicti intelligatur esse prohibita celebratio, & auditio Divinorum Officiorum. Porro nomine *Divinorum Officiorum* comprehenditur non solum SS. Missæ Sacrificium, sed & (†) omnis publica solemnis Oratio, quæ ab Ecclesia instituta est, quod a Clericis ad Dei laudem exerceatur: cujusmodi sunt solemnes Benedictiones Aquæ Benedictæ, Cinerum, Palmarum, & Candelarum, quæ nomine, & authoritate Ecclesiæ a Sacerdotibus fiunt: Item Horæ Canonicæ, si publice leguntur: quod ultimum idcirco additur, quia privatim tenentur clerici, ad Horarum Canonicarum recitationem obligati, eas recitare non obstante Interdicto locali, vel personali.

104. Nihilominus hæc tam ampla Divinorum Officiorum prohibitio postmodum limitata fuit in *cit. cap. Alma mater*, Ubi dicitur, quod quando Civitas, vel locus alius Interdicto subjacet, singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia dicantur Divina Officia sicut prius, submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis & interdictis (intellige, nisi habeant speciale privilegium, nec dederint causam Interdicti) exclusis, & campanis non pulsatis. In Festivitatibus vero Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis Virginis Gloriosæ, campanæ pulsentur, & januis apertis alta voce Divina Officia solemniter celebrentur, excommunicatis tamen prorsus exclusis, sed interdictis admissis.

105. Tertius effectus Interdicti, est privatio sepulturæ Ecclesiasticæ. Et hic effectus intelligendus est, ut in Loco sacro interdicto nullus possit sepeliri, nisi habeat privilegium; quale datur (ut alii privilegiati taceantur) omnibus Clericis, qui tempore Interdicti generalis illud servaverunt, ad hoc, ut cum silentio possint sepeliri in Loco sacro, *text. clar. cap. Quod in te de Pœnit. & remiss.*

106. Nihilominus tempore Interdicti localis generalis (secus in personali, vel si alicujus terræ populus interdicto notetur; nam etiam tunc singulares personæ censentur interdictæ, *cap. si sententia de sentent. excommunicat. in 6.*) possunt homines illius loci, qui personaliter interdicti non sunt, extra illum locum efferri, & alio loco non interdicto sepeliri, imo & ibidem interesse Divinis, *cit. c. si sententia*.

107. Insuper si quis sepultus fuerit extra locum sacrum tempore Interdicti, cessante Interdicto in locum sacrum est transferendus, si id commode fieri potest; ut post Glossam *in cap. A nobis 28. de sent. excommunicat.* ℣. *Forma* notat Navarrus *cap. 27. Manual. num. 176.* Quod si vero contingat, contra prohibitionem Juris aliquem interdictum sepeliri in Loco sacro, non erit is extrahendus: quia hoc non habetur Jure statutum. Glossa cit. & Engel *loc. cit. num. 96.* Nec obstat, quod secus sit dicendum de excommunicatis; quippe qui, in loco sacro sepulti, debent exhumari, *cap. Sacris de sepult.* Nam hæc pœna non est extendenda ad alium casum Jure non expressum: simulque Excommunicatio privat communione Fidelium, non vero Interdictum.

108. Quæres, quid sit Cessatio a Divinis? Resp. cum communi. *Cessatio a Divinis* (quæ & *Suspensio Organorum*, id est, laudis Divinæ dicitur) est Ecclesiastica prohibitio, ob quam Clerici cessare debent in certo loco a Divinorum Officiorum celebratione, & Sacramentorum administratione; nisi quatenus eam necessitas postulat.

109. Porro Cessatio a Divinis non debet indici, nisi ob gravem injuriam Deo & Ecclesiæ illatam, ut injuriantes resipiscant, & quod deliquerunt, emendent: suntque in ejus indictione plura observanda, quæ in jure Canonico *cap. si Canonici & c. Quamvis de offic. Ordinarii in 6.* fusæ præscribuntur.

110. Differt autem multipliciter Cessatio a Divinis ab Interdicto. Nam I. Cessatio a Divinis non est censura, sicut interdictum. II. Violans cessationem a Divinis, licet graviter peccet, non fit irregularis: bene tamen violans Interdictum. III. Cessatio a Divinis nunquam afficit personas, sed locum tantum: unde extra illum libere possunt Divina audiri a quolibet, vel celebrari: Interdictum vero quandoque est personale, & afficit personas. IV. Sepultura in loco sacro tempore Cessationis a Divinis, juxta probabiliorem sententiam, omnibus est concessa, dummodo fiat sine Officio funebri: secus est in Interdicto. Omittuntur aliæ differentiæ.

DISTINCTIO III.

De Irregularitate.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Irregularitas? ubi varia ipsam attinentia.

SUMMARIUM.

2 *Irregularitas, unde sic dicta.*
(a) Ut dictum Dist. 1. n. 45.
2 *Irregularitas, quid? Declaratur amplius.*
3 *Dividitur in Irregularitatem ex delicto, & ex defectu.*
4 *Et quomodo ha differant?*
5 *Irregularitas non est Censura; Cur?*
6 *Violans Irregularitatem non fit denuo irregularis; secus in Censuris.*
7 *Irregularitas non incurritur, nisi Jure exprimatur.*
8 *Ea non ab homine: sed solo Jure imponi potest, & quo?*
9 *An omnes solo Jure Ecclesiastico constituta sint?*

1. QUia irregularitas inter alias causas contrahitur ob violationem Censuræ Ecclesiasticæ, merito de ipsa tractatur post censuras jam explicatas. Cæterum *Irregularitatis* nomen derivatur a ly *irregulare*, quod significat aliquid inter regulam non contentum; sive non secundum regulam existens. Verum in proposito Irregularitas magis stricte sumitur, ac prout ipsa est una ex septem Pœnis Canonicis, arcens hominem a susceptione, vel executione Ordinum: & dicitur Pœna Canonica, saltem large sumendo nomen pœnæ. (a)

2. CONCL. I. *Irregularitas* est impedimentum Canonicum impediens susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, eorumque administrationem. Ita in re communis. Ratio est: quia præcipuus Irregularitatis effectus est impedire Ordinum susceptionem, aut susceptorum usum. Ubi tamen est sciendum, quod ly *Ordo* in data definitione large sumatur, prout etiam primam Tonsuram includit: siquidem irregularis prohibetur primam quoque Tonsuram suscipere. Advertendum ulterius, quamvis Irregularitas impediat susceptionem Ordinum, ac susceptorum usum, non tamen ita impedire, ut si Ordo a viro baptizato in irregularitate constituto suscipiatur, sit nullus ac irritus: adhuc enim Ordo valide suscipitur, quamvis illicite. Similiter, si Sacerdos irregularis præsumat celebrare Missam, valide celebrabit, etsi illicite.

3. CONCL. II. Irregularitas ut sic dividitur in Irregularitatem ex delicto, & in irregularitatem ex defectu. Ita communis. Ratio est: quia irregularitas non aliter dividitur, nisi propter causam, ob quam fertur:

100. Et dicitur notanter, *quorundam Sacramentorum*. Nam tempore Interdicti localis, sive illud sit generale, sive particulare, non prohibetur administratio, & receptio omnium Sacramentorum, sed aliquorum duntaxat; videlicet Sacramenti Extremæ Unctionis, Ordinis, Eucharistiæ extra articulum mortis, ac etiam Benedictio nuptialis: quamvis juxta satis probabilem sententiam Matrimonium sine Benedictione nuptiali licite possit contrahi.

101. Secundum proinde, quod Sacramentum Baptismi, & Confirmationis licite possit conferri, & recipi ab interdictis, ac etiam in loco interdicto, ut habetur *cap. Responso de sentent. excommunicat. & cap. Quoniam. & cap. Alma Mater eod. in 6.* Siquidem Baptismus est Sacramentum summe necessarium ad salutem: Confirmatio autem est quasi complementum Baptismi, cum detur ad confirmandam, & fortiter profitendam Fidem Christianam in Baptismo susceptam. Et ob hoc *cit. cap. Quoniam eod. in 6.* habetur, quod tempore Interdicti Chrisma in die Cenę Domini confici queat: quia vetus Chrisma non debet esse usui: & concesso principali censetur concessum accessorium, nempe confectio Chrismatis pro administratione dictorum Sacramentorum requisiti.

102. Similiter Sacramentum Pœnitentiæ potest tempore Interdicti, non solum morientibus, sed etiam sanis (dummodo non fuerint excommunicati, nec sint in causa culpabili, ob quam latum est interdictum) licite administrari, *cit. cap. Alma Mater de sentent. excommunicat. in 6.* eo quod & istud Sacramentum sit valde necessarium propter pronitatem, quam habent homines ad peccandum. Sacramentum vero Eucharistiæ non nisi in mortis articulo (vel probabili periculo mortis) ministrari potest, *arg. cap. quod in te de Pœnit. & remiss.*

103. Secundus effectus Interdicti, qui est prohibitio Divinorum Officiorum, hoc involvit, quod tempore Interdicti intelligatur esse prohibita celebratio, & auditio Divinorum Officiorum. Porro nomine *Divinorum Officiorum* comprehenditur non solum SS. Missæ Sacrificium, sed & (†) omnis publica solemnis Oratio, quæ ab Ecclesia instituta est, quod a Clericis ad Dei laudem exerceatur: cujusmodi sunt solemnes Benedictiones Aquæ Benedictæ, Cinerum, Palmarum, & Candelarum, quæ nomine, & authoritate Ecclesiæ a Sacerdotibus fiunt: Item Horæ Canonicæ, si publice leguntur: quod ultimum idcirco additur, quia privatim tenentur clerici, ad Horarum Canonicarum recitationem obligati, eas recitare non obstante Interdicto locali, vel personali.

104. Nihilominus hæc tam ampla Divinorum Officiorum prohibitio postmodum limitata fuit in *cit. cap. Alma mater*, Ubi dicitur, quod quando Civitas, vel locus alius Interdicto subjacet, singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia dicantur Divina Officia sicut prius, submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis & interdictis (intellige, nisi habeant speciale privilegium, nec dederint causam Interdicti) exclusis, & campanis non pulsatis. In Festivitatibus vero Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis Virginis Gloriosæ, campanæ pulsentur, & januis apertis alta voce Divina Officia solemniter celebrentur, excommunicatis tamen prorsus exclusis, sed interdictis admissis.

105. Tertius effectus Interdicti, est privatio sepulturæ Ecclesiasticæ. Et hic effectus intelligendus est, ut in Loco sacro interdicto nullus possit sepeliri, nisi habeat privilegium; quale datur (ut alii privilegiati taceantur) omnibus Clericis, qui tempore Interdicti generalis illud servaverunt, ad hoc, ut cum silentio possint sepeliri in Loco sacro, *text. clar. cap. Quod in te de Pœnit. & remiss.*

106. Nihilominus tempore Interdicti localis generalis (secus in personali, vel si alicujus terræ populus interdicto notetur; nam etiam tunc singulares personæ censentur interdictæ, *cap. si sententia de sentent. excommunicat. in 6.*) possunt homines illius loci, qui personaliter interdicti non sunt, extra illum locum efferri, & alio loco non interdicto sepeliri, imo & ibidem interesse Divinis, *cit. c. si sententia*.

107. Insuper si quis sepultus fuerit extra locum sacrum tempore Interdicti, cessante Interdicto in locum sacrum est transferendus, si id commode fieri potest; ut post Glossam *in cap. A nobis 28. de sent. excommunicat.* ℣. *Forma* notat Navarrus *cap. 27. Manual. num. 176.* Quod si vero contingat, contra prohibitionem Juris aliquem interdictum sepeliri in Loco sacro, non erit is extrahendus: quia hoc non habetur Jure statutum. Glossa cit. & Engel *loc. cit. num. 96.* Nec obstat, quod secus sit dicendum de excommunicatis; quippe qui, in loco sacro sepulti, debent exhumari, *cap. Sacris de sepult.* Nam hæc pœna non est extendenda ad alium casum Jure non expressum: simulque Excommunicatio privat communione Fidelium, non vero Interdictum.

108. Quæres, quid sit Cessatio a Divinis? Resp. cum communi. *Cessatio a Divinis* (quæ & *Suspensio Organorum*, id est, laudis Divinæ dicitur) est Ecclesiastica prohibitio, ob quam Clerici cessare debent in certo loco a Divinorum Officiorum celebratione, & Sacramentorum administratione; nisi quatenus eam necessitas postulat.

109. Porro Cessatio a Divinis non debet indici, nisi ob gravem injuriam Deo & Ecclesiæ illatam, ut injuriantes resipiscant, & quod deliquerunt, emendent: suntque in ejus indictione plura observanda, quæ in jure Canonico *cap. si Canonici & c. Quamvis de offic. Ordinarii in 6.* fusæ præscribuntur.

110. Differt autem multipliciter Cessatio a Divinis ab Interdicto. Nam I. Cessatio a Divinis non est censura, sicut interdictum. II. Violans cessationem a Divinis, licet graviter peccet, non fit irregularis: bene tamen violans Interdictum. III. Cessatio a Divinis nunquam afficit personas, sed locum tantum: unde extra illum libere possunt Divina audiri a quolibet, vel celebrari: Interdictum vero quandoque est personale, & afficit personas. IV. Sepultura in loco sacro tempore Cessationis a Divinis, juxta probabiliorem sententiam, omnibus est concessa, dummodo fiat sine Officio funebri: secus est in Interdicto. Omittuntur aliæ differentiæ.

DISTINCTIO III.

De Irregularitate.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Irregularitas? ubi varia ipsam attinentia.

SUMMARIUM.

2 *Irregularitas, unde sic dicta.*
(a) Ut dictum Dist. 1. n. 45.
2 *Irregularitas, quid? Declaratur amplius.*
3 *Dividitur in Irregularitatem ex delicto, & ex defectu.*
4 *Et quomodo ha differant?*
5 *Irregularitas non est Censura; Cur?*
6 *Violans Irregularitatem non fit denuo irregularis; secus in Censuris.*
7 *Irregularitas non incurritur, nisi Jure exprimatur.*
8 *Ea non ab homine: sed solo Jure imponi potest, & quo?*
9 *An omnes solo Jure Ecclesiastico constituta sint?*

1. QUia irregularitas inter alias causas contrahitur ob violationem Censuræ Ecclesiasticæ, merito de ipsa tractatur post censuras jam explicatas. Cæterum *Irregularitatis* nomen derivatur a ly *irregulare*, quod significat aliquid inter regulam non contentum; sive non secundum regulam existens. Verum in proposito Irregularitas magis stricte sumitur, ac prout ipsa est una ex septem Pœnis Canonicis, arcens hominem a susceptione, vel executione Ordinum: & dicitur Pœna Canonica, saltem large sumendo nomen pœnæ. (a)

2. CONCL. I. *Irregularitas* est impedimentum Canonicum impediens susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, eorumque administrationem. Ita in re communis. Ratio est: quia præcipuus Irregularitatis effectus est impedire Ordinum susceptionem, aut susceptorum usum. Ubi tamen est sciendum, quod ly *Ordo* in data definitione large sumatur, prout etiam primam Tonsuram includit: siquidem irregularis prohibetur primam quoque Tonsuram suscipere. Advertendum ulterius, quamvis Irregularitas impediat susceptionem Ordinum, ac susceptorum usum, non tamen ita impedire, ut si Ordo a viro baptizato in irregularitate constituto suscipiatur, sit nullus ac irritus: adhuc enim Ordo valide suscipitur, quamvis illicite. Similiter, si Sacerdos irregularis præsumat celebrare Missam, valide celebrabit, etsi illicite.

3. CONCL. II. Irregularitas ut sic dividitur in Irregularitatem ex delicto, & in irregularitatem ex defectu. Ita communis. Ratio est: quia irregularitas non aliter dividitur, nisi propter causam, ob quam fertur:

tur: Unde quia Irregularitas quandoque contrahitur ob aliquod delictum, quandoque vero sine prævio delicto ex mero defectu naturali, aut inculpabili; recte ea dividitur in irregularitatem ex delicto, & in Irregularitatem ex defectu ortam.

3. Porro inter has duas irregularitates est hoc notabile discrimen, quod irregularitas orta ex defectu, sæpius tollatur sublato defectu; irregularitas vero orta ex delicto semper maneat, donec legitime in ea dispensetur.

4. CONCL. III. Irregularitas non est censura Ecclesiastica, imo in pluribus differt ab ea. Ita Doctores unanimiter & patet inductione. In primis enim irregularitas propriè non est pœna, sed potius inhabilitas quædam ad Ordines suscipiendos, vel exercendos; etenim pœna propriè dicta supponit culpam, sed irregularitas quandoque contrahitur ex mero defectu naturali, absque ulla culpa. Et quamvis detur irregularitas orta ex delicto, seu quæ in pœnam delicti imponitur; ea tamen primario non imponitur per modum pœnæ medicinalis, sed impedimenti Canonici: e contra censuræ Ecclesiasticæ imponuntur ut pœnæ medicinales.

6. Deinde violans censuram Ecclesiasticam administrando Sacramenta, vel celebrando, incurrit irregularitatem; at vero irregularis celebrans, vel administrans Sacramenta ante obtentam dispensationem, etsi peccet mortaliter, non tamen incurrit novam irregularitatem, prout notat Navarrus *cap. 27. Manualis num. 194.* cum aliis satis communiter. Ratio est: quia prius Jure exprimitur, non autem posterius: atqui Irregularitas nunquam incurritur, nisi id Jure exprimatur; ut mox dicetur; ergo. Hinc fit

7. CONCL. IV. Irregularitas non incurritur, nisi ea in Jure sit specialiter expressa. Ita Scotus 4. *dist. 7. q. 3.* & clare desumitur ex *cap. Si quis de sent. excommunicat. in 6.* ubi dicitur: *Licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in jure) laqueum non incurrit.* Quinimo ex hoc textu recte infertur, quod defectus ille, ob quem irregularitas incurritur, debeat esse specifice nominatus in Jure, neque ab uno ad alium casum, ob similem vel majorem rationem, extensio fieri possit; siquidem odiosa, & pœnalia, sunt restringenda potius, non extendenda. Hinc Fagnanus *c. si quis Presbyter. num. 5. de Cleric. excomm.* inquit: *Qui dicit aliquem irregularem debet dare casum juris.*

8. CONCL. V. Irregularitates non ab homine per sententiam (id est, non per sententiam Judicis) sed solo Jure, & quidem Jure duntaxat universali Pontificio, non autem Episcopali, imponi possunt. Ita Laym. *lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 1. nu. 5.* & alii. Ratio est: quia irregularitas principaliter imponitur per modum Canonici impedimenti, ob decentiam ac reverentiam sacro Altaris ministerio debitam: atqui convenit, ut talia sint perpetua, totique Ecclesiæ communia, sicuti & Altaris ministerium, ejusque reverentia est communis Ecclesiæ universali; ergo. Accedit, quod nullibi in Jure concessum sit Episcopis, novas Irregularitates constituere, quamvis subditos transgressores & contumaces possint punire pœna Excommunicationis, Suspensionis, ac interdicti.

9. Cæterum non obstante, quod omnis irregularitas Jure duntaxat humano Ecclesiastico constituta sit; negari tamen non potest, multas irregularitates Jure Ecclesiastico constitutas, ex Lege veteri, & naturali originem traxisse. Siquidem plerique, sive ob naturalem indecentiam, sive ad exemplum veteris Legis Divinæ, atque occasione illius, sunt staturæ: prout patet in irregularitate ex homicidio, seu defectu perfectæ lenitatis proveniente, quam Ecclesia constituit, eo quod David Rex fuerit impeditus ab ædificatione Templi, ob multum sanguinem effusum, *2. Reg. cap. 7.*

QUÆSTIO II.

De Irregularitatibus ex delicto provenientibus.

SUMMARIUM.

10 *Irregularitas ex delicto, oritur ex Baptismo reiterato. Secus si in Confirmatione.*
11 *Aut si Baptismus sub conditione reiteretur.*
12 *Oritur quoque ex violatione censuræ.*
13 *Duplex ministerium sit proprium Ordinis.*
14 *Quid, si peragantur ea, quæ sunt jurisdictionis?*
(b) Adde dicta Dist. 2. n. 87.
15 *Irregularitas oritur ob indebitam susceptionem Ordinum; idque varie.*
16 *Excommunicatio minor non sufficit ad irregularitatem inducendam &c.*

17 *Quid de ordinato per saltum, vel ante legitimam ætatem &c.*
18 *Hæretici, Schismatici, eorumque fautores &c. sunt irregulares.*
19 *Crimina inducentia infamiam juris, inducunt irregularitatem.*
20 *Quid si crimina illa sint occulta?*
21 *Solvitur instantia.*
22 *Quid, si postea crimen illud fiat publicum?*
23 *Ex homicidio occulto oritur Irregularitas, & cur?*

10. CONCL. I. Irregularitas ex delicto oritur in primis ob Baptismum serio & scienter iteratum, tam ex parte rebaptizantis, quam rebaptizati. Ita Doctor noster 4. *dist. 6. qu. 8.* atque desumitur ex *cap. Ex litterarum de Apostatis* & *c. Qui in quadibet 1. q. 7.* & alibi. Secus est dicendum de Sacramento Confirmationis; nam, ut notat Doctor Subtilis 4. *dist. 7. q. 5.* cum communiori, ejusmodi Irregularitatem non incurrunt scienter reiterantes, vel iterato suscipientes Sacramentum Confirmationis: quia Irregularitas non incurritur, nisi in casibus a Jure expressis, *c. Is qui de Sentent. excomm. in 6.* ejusque proxime dictum *num. 7.* Atqui nullibi Jure reperitur expressa Irregularitas contra reiterantes Sacramentum Confirmationis; ergo.

11. Adde ulterius cum Layman *cap. 2. de Irregularitate n. 1.* non contrahi Irregularitatem, si rebaptizatio fiat sub conditione; quamvis temere, & non præmissa debita inquisitione, utrum Baptismus antea fuerit collatus, id fiat. Ratio est: quia leges pœnales intelligi debent cum effectu; qui autem baptizatum sub conditione baptizat *Si baptizatus non es, ego te baptizo &c.* is revera non baptizat; quia apposita conditio de præterito, aut præsenti, si non subsit, semper annullat, & impedit actum; ergo. Et ob eandem causam, qui metu v.g. adactus, animo simulato exterius rebaptizat, non fit irregularis, cum non habeat animum baptizandi.

12. CONCL. II. Oritur insuper Irregularitas ex violatione Censuræ Ecclesiasticæ; si nimirum ea innodatus, actum aliquem Ordinis solemniter exerceat. Ita habetur in Jure Canonico, toto *tit. De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante*, & alibi. Hinc Clericus fit irregularis, si exerceat actum proprium Ordinis constitutus in Excommunicatione majori, vel suspensus ab Ordine, vel ligatus Interdicto personali, aut in loco interdicto.

13. Requiritur autem ad incurrendam hanc Irregularitatem, ut ministerium, quod Clericus in Censura exercet, sit proprium Ordinis; seu tale, ut ab alio, qui talem Ordinem non habet, exerceri non possit. Unde Clerici in minoribus vix possunt ex hac causa Irregularitatem contrahere: siquidem consuetudo ferme obtinuit, ut eorum ministeria a Laicis etiam solemniter obeantur. Layman *loc. tit. c. 3. n. 4.* Navarrus *cap. 27. Manual. n. 242. & 244.* hoc ipsum docens de eo, qui cantat Epistolam sub Missa, sed sine Manipulo.

14. Insuper Clerici excommunicati, vel suspensi, non fiunt irregulares, si ea duntaxat paragant, quamvis illicite, quæ sunt officia solius jurisdictionis, non autem Ordinis. Ut si Episcopus tali Censura ligatus excommunicet, vel ab excommunicatione absolvat, omissa tamen solemnitate precum & Stolæ. Item, si Parochus assistat Matrimonio, sed non benedicat Nuptias, & ita loquendo de aliis actibus, qui sunt solius jurisdictionis, non vero Ordinis: tales enim non violant Censuram Ecclesiasticam exercendo in ea actum Ordinis sibi prohibiti, cum talem revera non exerceant. (b)

15. CONCL. III. Ob indebitam susceptionem Sacramenti Ordinis variis de causis incurritur Irregularitas. Ita omnes Doctores, & probatur inductione. Sic quippe fit irregularis, qui sciens, aut scire debens se excommunicatum esse excommunicatione majori, aut interdictum, vel suspensum a susceptione Ordinum, ordinatur; prout ex variis textibus Juris probat Navarrus *c. 27. Manual. n. 241.*

16. Et dicitur notanter, *Excommunicatione majori.* Quia Excommunicatio minor, quamvis sufficiat ad peccandum, non tamen sufficit ad Irregularitatem inducendam *cap. Si celebrat. de Clerico excomm. ministrante.* Deinde, qui ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, Simoniaco, Schismatico, Hæretico, aut Deposito, vel Degradato ordinatur, fit irregularis, quamvis characterem Ordinis suscipiat, *arg. cap. Quod quidem & c. Statuimus decretum 3. q. 1.* ac notat cit. Navarrus. Accedit *c. Ordinationes 9. q. 3.* & *cap. 1. 2. de 2. de Schismaticis* ubi irritæ censentur hujusmodi ordinationes (non quidem quantum ad valorem Sacramenti, sed quantum ad executionem ordinis) nisi legitime cum aliquo fuerit dispensatum.

tum. Siquidem dispensatio proprie habet locum respectu irregularitatis, non autem respectu Suspensionis, utpote quæ solet tolli per absolutionem, non per dispensationem: ac proinde hic non intervenit mera Suspensio, uti quidam afferere videntur, sed etiam Irregularitas.

17. Porro qui Ordine sacro ordinatur ante legitimam ætatem, vel extra tempus legitimum, aut absque Litteris Dimissorialibus; item, qui per saltum ordinatur, accipiendo videlicet majorem Ordinem ante minorem, non est quidem irregularis (nullibi enim ejusmodi irregularitas reperitur in Jure expressa) bene tamen ipso jure suspensus: si autem, antequam absolvatur a Suspensione, ejusmodi Ordinem exerceat, fit irregularis. Navarrus *loc. cit. num.* 241. & 242. id ex variis textibus Juris probans: *tit. de Clerico per saltum promoto n.* 2. & alii.

18. CONCL. IV. Etiam Hæretici, Apostatæ a Fide, Schismatici, eorumque fautores ac receptatores (id est, qui favent Hæreticis, vel Schismaticis formaliter sumptis, seu qua tales sunt) irregulares existunt. Ita habetur *c. quicunque de Hæreticis in 6.* & *c. saluberrimum 1. quæst. 7.* cum concordantiis: quamvis ad hanc Irregularitatem incurrendam requiratur hæresis externa, sive signo quodam exteriori sufficienter manifestata.

19. CONCL. V. Crimina inducentia Infamiam juris etiam inducunt Irregularitatem. Ita habetur *c. Infames quæst. 1.* ubi, cum dictum fuisset, fures, sacrilegos, incestuosos, homicidas, perjuros, raptores, maleficos, adulteros, & alios ibidem enumeratos, de jure infames esse, subdit textus: *Hi omnes, inquam, nec ad sacros gradus debent admitti.* Et merito: quia puros & immaculatos, non autem scelestos atque infames, convenit in sortem Domini, & sacrum ejus Ministerium cooptari.

20. Circa hoc tamen notandum, quod Clerici criminosi, atque delictorum de Jure Infamiam inducentium sibi conscii, ante actam veram pœnitentiam non debeant Ordines suscipere, aut in jam susceptis ministrare, v.g. celebrando Missam, non præmissa Confessione Sacramentali, eo quod perdiderint testimonium bonæ conscientiæ, sicque non absque novo peccato mortali id facerent. Nihilominus, si ejusmodi crimina (excepto homicidio) sint etiamnum occulta, tales post actam veram pœnitentiam prohiberi non debent, quo minus, si velint, in susceptis Ordinibus ministrent, aut ad superiores Ordines ascendant; prout habetur *c. Ex tenore, & cap. ult. de Temporibus Ordinationum*, & tradit Pirhing. *ibidem num.* 15. *& seqq.* 2c Navarrus *cap.* 27. *Manual. num.* 248. & alii. Et hinc inferes generaliter, quod ob crimina occulta non incurratur Irregularitas ratione Infamiæ; quidquid nonnulli in contrarium dixerint, male (ut loquitur Navarrus) injicientes magnos scrupulos Ecclesiasticis, qui ejusmodi crimina in occulto commiserunt.

21. Nec obstat, quod certis criminibus, utputa perjurio, incestui, adulterio, &c. infamia ipso jure annexa sit. Resp. enim, id procedere de talibus criminibus, quando publica sunt: secus, quamdiu illa sunt occulta. Nam quia Infamia consistit in diminutione bonæ famæ, sicut hæc sine publica rerum notitia comparari nequit, ita nec infamia incurri ob crimen mere occultum.

22. Quod si vero postea crimen publicum fiat, utputa per propriam Confessionem, vel alias legitimas probationes in judicio factas, statim absque alia Judicis sententia oritur Infamia, utpote ipso jam jure statuta pro tali crimine; & sic exinde incurritur Irregularitas. Unde Layman *cap. 4. de Irregularitate nu.* 8. ait, quod commisso ejusmodi crimine, etiamnum occulto, contrahatur Infamia fundamentaliter, atque in radice; accedente autem ejus publicatione efficiatur Infamia formaliter, inducens Irregularitatem ipso facto, donec abolita infamia legitime cum aliquo fuerit dispensatum.

23. Additur notanter *num.* 20. *excepto homicidio.* Istud enim, quantumvis sit occultum, inducit Irregularitatem, ut habetur *cit. cap. ult. de Tempor. ordinat.* juncto Concilio Trid. *Sess. 24. de Regular. cap. 6.* cum concordantiis. Quamvis hoc non ratione contractæ Infamiæ, hanc enim non parit crimen occultum, modo declarato; sed ex speciali Juris constitutione accidere videatur. Qua ratione pariter in occulto violans Censuram Ecclesiasticam, aut scienter Baptismum reiterans, Irregularitatem contrahit. Nam talibus delictis secundum *se*, ac præcisa infamia, Jus ipsum statuit Irregularitatem.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De Irregularitatibus ex defectu.

SUMMARIUM.

24 *Irregularitas ex defectu variis contingit.*
25 *Ex defectu animi sunt irregulares Amentes.*
26 *Omnino insani.*
27 *Neophyti, & qui sint tales?*
28 *Ex defectu corporis, qui censeantur irregulares?*
29 *Quid de carente oculo, aut visu ejus? Præsertim oculi sinistri?*
31 *Quid de Leproso, paralytico, phrenetico, &c.*
32 *Habente sex digitos, gibboso, & claudo?*
33 *Ex defectu Natalium, qui sint Irregulares?*
34 *Illegitime natus legitimatur per subsequens Matrimonium parentum.*
35 *Quid, si illegitimi religionem intrent?*
36 *Ex defectu ætatis, &*
37 *Ex defectu libertatis oritur irregularitas, & in quibus?*
38 *Ex defectu Sacramenti etiam ea oritur.*
39 *Et cur?*
40 *Bigamia triplex, nimirum Vera,*
41 *Interpretativa, &*
42 *Similitudinaria, quid?*
43 *Non fit irregularis, qui cum pluribus fornicatur.*

24. CUm Irregularitas duplex sit, una ex delicto, altera ex defectu; explicata priori, multiplici titulo proveniente; pergendum ad Irregularitatem ex defectu, quæ etiam multipliciter consurgit. Nam ipsa provenit I. Ex defectu animi. II. Ex defectu corporis. III. Ex defectu Natalium. IV. Ex defectu ætatis, & libertatis. V. Ex defectu Sacramenti, sive ex Bigamia. Et tandem VI. Ex defectu lenitatis; id est, ex homicidio, etiam licite patrato, de quo *quæst. seq.* Nunc priores Irregularitates ex defectu provenientes prosequendo, sit

25. CONCL. I. Ex defectu animi censentur, vel maxime irregulares, qui penitus carent usu rationis; quales sunt amentes. Et hi non solum Jure humano sunt irregulares, sed etiam Jure Divino ac naturali sunt inepti ad suscipiendos Ordines; Quamvis recipiant Characterem, si ordinentur. Idem fit in infantibus.

26. Insuper defectus omnimodæ scientiæ facit hominem irregularem. Siquidem naturale lumen dictat, non esse admittendos ad aliquod munus eos, qui nesciunt illud munus exercere. Interim hæc Irregularitas de se, & absque alia dispensatione tollitur sublata causa, seu ignorantia per acquisitam debitam scientiam.

27. Rursum Neophyti sunt irregulares. *arg. can. 1. dist. 28.* Idque *ne in superbiam elati, incidant in laqueum diaboli*, ut monet Apostolus 1. *Timoth.* 3. Dicitur autem *Neophytus*, qui ex lege Judaica, Machometica, vel Ethnica nuper conversus ad Fidem Christianam, suscipit Baptismum in ætate adulta.

28. CONCL. II. Corpore vitiati, qui videlicet non possunt absolute obire Ordinis ministeria, vel non sine aliorum horrore, sunt irregulares. Ita desumitur ex *c. Illiteratus, dist. 36.* & *c. Presbyterum de Clerico ægrotante*; cum concordantiis. Unde irregularis est, cui brachium, vel manus deest, aut reddita est manca. Item qui caret digitis dexteræ manus, quibus formatur signum Crucis; aut si deficiat pollex.

29. Insuper censetur irregularis, cui oculus erutus est, ut dicitur *c. si Evangelica, dist. 55.* ibi: *Nam illi, cui erutus est oculus, non possunt secundum Canones, Sacerdotii jura concedi.* siquidem hujusmodi carentia organi oculi, notabilem parit deformitatem. Secus est dicendum de eo, qui caret solo lumine, aut visu dextri oculi, modo habeat utrumque oculum integrum: vel qui habet visum ac intuitum brevem, aut non videt sine perspiciliis: quia hujusmodi vitium non inducit notabilem deformitatem.

30. Utrum autem, qui caret visu oculi sinistri, quem Stylus Romanus *oculum Canonis* appellat, eo quod necesse sit videre eo, ut quis Canonem Missæ sine indecora & nimia faciei conversione legere possit, sit irregularis, variant Doctores. Nam talis a quibusdam absolute censetur irregularis: alii tamen id limitandum æstimant, si absque notabili deformitate seu indecentia canonem legere nequeat, aut defectus ille cum alia gravi sqeditate faciei, seu oculorum, sit conjunctus; prout notat Navarrus *c. 27. Manual. n. 199.* & Barbosa *part. 3. de offic. & potest. Episc. alleg. 42. n. 31.* cum pluribus aliis, quos citat. In dubio autem standum erit judicio Ordinarii.

31. Insuper ex hoc capite irregularis est leprosus, paralyticus, phreneticus, arreptitius, morbo caduco laborans. Verumtamen

si tales integre convaluisse videantur, ac jam ante ordinati erant, possunt admitti ad Celebrationem. Sacerdos quoque, si morbo caduco laborans, raro cadat, & etiam sputa ore non evomat, privatim celebrare potest, adjuncto ei socio Sacerdote, qui Missam prosequi possit, si alter deficiat. Layman *cap. 7. de Irregularitate, n. 2. & seqq.* citans alios.

32. Porro irregularis non est, qui sex digitos in manu habet: neque qui uno digito ex minoribus caret: neque gibbosus, nisi gibbositas conjuncta sit cum turpi deformitate, aut debilitate. Nec etiam claudus censetur irregularis, nisi sit magna gressus deformitas, ita ut baculo, vel pede ligneo niti debeat: quod indecorum foret in Altaris ministerio. In dubio autem, an corporis defectus sit notabilis, ut irregularitatem inducat, necne, ad ordinarium Prælatum pertinet judicium. Barbosa *cit. alii*, 42. Layman *l. c. n. 6.*

33. CONCL. III. Ex defectu Natalium censentur irregulares, qui sunt illegitime nati: sive deinde illi sint nati a parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel saltem nativitatis, poterat consistere Matrimonium; sive sint spurii, id est, nati a parentibus, inter quos tempore conceptionis, ac etiam nativitatis non potuit consistere Matrimonium. Ita habetur *c. 1. & 2. de Filiis Presbyterorum*, & alibi. Ratio est: quia talis irregularitas Jure Canonico est introducta, partim in detestationem sceleris paterni; partim ob turpitudinis notam, quam filius ex tali nativitate, juxta communem hominum æstimationem, contrahere censetur; partim quia timetur, ne filius paternæ incontinentiæ imitator existat.

34. Ubi tamen notandum, quod illegitime natus, per subsequens Matrimonium inter parentes contractum legitimetur, si, dum suscipiebatur, inter parentes nullum liberat impedimentum dirimens, *cap. Conquestus & c. Tanta. Qui filii sint legitimi, & 5. seu. instant. de Nuptiis*. Etenim fictione Juris, ita ex benignitate Legum, Matrimonium subsequens quasi retrotrahitur ad tempus conceptionis, vel nativitatis, in ordine ad hunc effectum legitimationis: qui etiam locum habet in successionibus hæreditariis, & officiis, tam sæcularibus quam Ecclesiasticis, necnon & in Ordinibus, atque Dignitatibus: quia Matrimonium omnia præcedentia purgat, prout probat Glossa *cit. c. Tanta verf. Legitimi*.

35. Notandum ulteritis, quod illegitimi, si religionem ingrediantur, possint post emissam professionem ad Ordines promoveri, *cap. 1. de Filiis Presbyterorum*. Non tamen possunt tales ad Prælaturas Ordinis eligi, ut ibidem dicitur, nisi cum ipsis fuerit dispensatum.

36. CONCL. IV. Defectus legitimæ ætatis requisitæ ad Ordines, inducit irregularitatem, quamdiu durat defectus. Ita definitur *ex c. ult. de Temporibus Ordinationum*, cum concordantiis. Dicitur notanter, *quamdiu durat defectus*: siquidem Irregularitas ex defectu ætatis proveniens, cessat adveniente termino legitimæ ætatis, absque ulla alia dispensatione.

37. CONCL. V. Ex defectu libertatis inducitur irregularitas in pluribus. Primo quidem in mancipiis proprie dictis, *c. De servorum, & cap. Consuluit de servis non ordinandis*. Nec non & in Servis adscriptitiis, atque originariis, qui certæ glebæ, seu prædio colendo sunt perpetuo obligati; atque ideo sine consensu dominorum ordinari non possunt, *cap. Generalis & can. Admittuntur dist. 54.* Insuper & in Conjugatis: nam conjugati non admittuntur ad Ordines, sine licentia uxoris Votum continentiæ emittentis, *c. Uxoratus de Convers. conjugat.* His accedunt obligati ad rationicia (hoc est, Procuratores, Actores, Executores, seu Curatores pupillorum, & hujusmodi) nam hi ordinari non possunt, nisi deposito onere, atque reddita ratione: *Si enim ante libertatem negotiorum, vel officiorum fuerint ordinati, Ecclesia infamabitur*, ut dicitur *cap. un. de Obligatis ad rationem*.

38. CONCL. VI. Ex defectu Sacramenti, sive ex Bigamia, oritur Irregularitas. Ita habetur in Jure Canonico, *Tit. de Bigamis non ordinandis*. Et quidem hujusmodi irregularitas Bigamiæ annexa, procedit ex traditione Apostolica; ut colligitur ex illo 1. *Corinth. 2. Oportet Episcopum unius uxoris esse virum*. Ex infra: *Diaconi sint Unius uxoris viri*. Intelligo; non quod debeant esse uxorati, sed quod non debeant habuisse plures uxores.

39. Porro hæc irregularitas dicitur oriri *ex defectu Sacramenti*. Siquidem Matrimonium consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, per carnis assumptionem, juxta illud Apostoli ad Ephes. *cap. 5. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo & Ecclesia*. Hæc autem significatio deficit in Matrimonio cum secunda uxore, vel cum vidua, aut corrupta con-

contracto; cum non sit conjunctio unius cum una, eaque virgine, sicuti Filius Dei copulavit sibi Ecclesiam unam, & ab alio non assumptam.

40. Triplex communiter a Doctoribus assignatur Bigamia, scilicet vera, interpretativa, & similitudinaria: & harum quælibet inducit Irregularitatem, ut constat ex toto *tit. de Bigamis non ordinand.* Porro *Bigamia vera* est, quando quis valide contraxit Matrimonium cum duobus, illudque consummavit. Et additur, *illudque consummavit*: nam ex solo Matrimonio rato cum secunda inito non consurgit Bigamia, nisi illud sit etiam consummatum, *c. ult. dist. 34. & c. Debitum de Bigamis non ordinand.*

41. *Bigamia interpretativa* est, quæ contrahitur ab eo, qui quadam Juris interpretatione censetur habuisse duas uxores, etsi vere illas non habuerit: ut si quis duxerit viduam, quæ prius Matrimonium consummaverat, vel si quis ducat ab alio corruptam, vel si cognoscat propriam uxorem post adulterium ab ipsa commissum, aut hujusmodi. De quibus extant diversi textus Juris Canonici, ut *cap. Maritum dist. 33. &c. si cujus &c. si Laici dist. 34.* & alibi.

42. Tandem *Bigamia similitudinaria* est, quæ contrahitur ex attentatione & consummatione Matrimonii, quamvis invalidi, post Votum solemne Castitatis emissum in Religione approbata, vel post receptionem Sacrorum Ordinum. Tales enim aliquo modo similes sunt contrahentibus duplex Matrimonium, quatenus post connubium spirituale cum Christo initum, ab eo recedentes, attentant Matrimonium carnale contrahere, & consummare: sicque incurrunt Bigamiam similitudinariam, *arg. c. Quotquot &c. Menacho 27. q. 1.*

43. Advertendum tamen, nullam in Jure impositam esse Irregularitatem viris, qui extra Matrimonium constituti cum pluribus fornicantur, aut plures habent concubinas. Item Presbyterum, qui plures habuit concubinas, ex eo non esse bigamum, neque irregularem, expresse decisum habetur *c. Quia circa, de Bigamis non ordinand.* Siquidem hic non intervenit defectus Sacramenti, cum nullum præcesserit Matrimonium, significans conjunctionem Christi cum Ecclesia.

QUÆSTIO IV.

De Irregularitate ex homicidio, vel mutilatione.

SUMMARIUM.

44 *Irregularitas ex homicidio dupliciter contingit.*
45 *Causa eam statuendi.*
46 *Injuste mutilans, vel occidens, fit irregularis.*
47 *Dummodo sit baptizatus.*
48 *Ac secuto effectu.*
(c) Vide Tract. 9. Dist. 3. num. 33. & seqq.
49 *Mutilatio, quid?*
50 *Per membrum, quid intelligatur? Corollarium.*
51 *Mandans, vel cooperans ad injustam occisionem &c. fit irregularis.*
52 *Quid, si plures aliquem aggrediantur?*
53 *Homicidium casuale, an inducat Irregularitatem?*
54 *Saltem, si fuit indirecte, aut in causa voluntarium?*
55 *Quid, si quis dedit operam rei licitæ?*
56 *Vel illicitæ, sine debita diligentia, ne sequatur Homicidium.*
57 *Irregularitas etiam oritur ex homicidio publica authoritate facto.*
58 *Corollarium de cooperantibus.*
59 *Qualis requiratur cooperatio?*
60 *Clericus injurias passus, an possit conqueri coram Judice &c.*
61 *Quid de Confessario consulente Reum ad supplicium?*
62 *In bello justo, qui fiant irregulares?*
63 *Quid, si bellum sit mere defensivum, aut injustum?*
64 *Occidens ob necessariam vitæ defensionem non est irregularis.*
65 *Quid, si ob defensionem rerum suarum? Refertur aliorum opinio. Ac rejicitur.*
66 *Aut in bello mere defensivo ad eundem Patriam?*
67 *Et quid de Clericis.*

44. QUia Irregularitas ex homicidio quandoque provenit ex delicto, quandoque vero ex defectu, hinc expediens videbatur, specialim de ipsa instituere Quæstionem. Et quidem, si contingit homicidium, aut mutilatio injuste, tunc oritur irregula-

gularitas ex delicto. Quando autem contrahitur Irregularitas ex homicidio, aut mutilatione justa, qualis sit a Judice Reum ob delicta condemnante, aliisque Justitiæ Ministris in causa sanguinis ministrantibus, vel militibus, jubello justo occidentibus, tunc ea dicitur, *Irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis*.

45. Porro causa, cur SS. Canones hanc Irregularitatem statuerunt, est hæc: quia indecens videtur, ut qui alienum sanguinem fuderit, Christi mitissimi, proprium Sanguinem pro nobis effundentis, personam in Altari repræsentet, ac ejus nomine Hostiam immaculatam & incruentam Deo Patri offerat. Unde & in veteri Lege DEUS noluit sibi ædificari Templum a Rege Davide, eo quod multum sanguinem fudisset, non obstante, quod id factum fuerit in bello justo, simulque David cæteroquin extiterit sanctissimus, ac Vir secundum cor Dei. His prænotatis, & agendo prius de homicidio injusto, sit

46. CONCL. I. Clericus, aut quicunque alius homo baptizatus, injuste mutilans, vel occidens hominem, secuto effectu, est irregularis. Ita habetur expressum in Jure Canonico, *text. tit. de homicidio*, cum concordantiis, estque communis.

47. Dicitur notanter, *Homo baptizatus*. Quia ad incurrendam irregularitatem requiritur inter alia, ut occidens, aut mutilans, sit baptizatus: nam jura loquuntur tantum de mutilantibus, & occidentibus post susceptum Baptismum *cap. si quis viduam dist.* 50. & *cap. si quis post Baptismum dist.* 51. Accedit ratio: quia Infideles, seu necdum baptizati, Constitutionibus Canonicis non arctantur, *c. Gandemus de Divortiis*.

47. Additur autem, *secuto effectu*. Quia ad incurrendam irregularitatem non sufficit sola intentio mutilandi vel occidendi, sed requiritur actualis occisio vel mutilatio hominis, sive deinde illa sit occisio seu mutilatio hominis infidelis, sive fidelis, excommunicati, banniti, aut alterius hominis: nam Jura hinc loquuntur generaliter, illine vero sunt accipienda cum effectu. Cæterum dicta procedunt, sive ejusmodi occisio aut mutilatio fuerit publica, sive occulta *cap. ult. de Temporibus ordinat.* & alibi. Hinc etiam fit irregularis, qui procurat abortum fœtus animati anima rationali (secus, si animatus non sit) *c. sicut de Homicidio*. (c)

49. Quæres: quid in proposito intelligatur per mutilationem? Resp. Per mutilationem intelligitur communiter alicujus membri abscissio. Unde non sufficit ad irregularitatem, si quis tantum vulneraverit Proximum, aut eidem membrum reddiderit inutile; ut si quis excæcaverit hominem solo visu privando, non autem oculum eruendo: quia non est mutilatio.

50. Insuper per *Membrum* intelligi debet corporis pars aliqua principalis, peculiarem in corpore functionem habens: ut manus, pes, oculus, auris, ac hujusmodi. Hinc inferunt Doctores, cum non fieri irregularem, qui in rixa præscindit alteri digitum, ungues, barbam, capillos, aut excutit dentem, vel hujusmodi: quia talia non sunt propriè membra, & digitus v.g. est tantum pars & officium membri. Covarruvias *part. 3. Clem. si furiosus n.* 8. Barbosa *part. 2. de offic. & potest. Epis. alleg.* 42. *n.* 11. & alii.

51. CONCL. II. Etiam incurrunt irregularitatem, quicunque injustam occisionem vel mutilationem hominis mandant, aut ad illam favorem vel auxilium præstant, dummodo effectus actualiter fuerit subsecutus. Ita communis; & habetur *c. si quis viduam, dist.* 50. & *c. sicut dignum, de Homicidio* & alibi. Nam facientes & consentientes pœna constringit.

52. Infertur proinde, quod quando plures communi consilio aliquem aggrediuntur, omnes fiant irregulares, etsi unicus occidat, vel mutilet: quia præbent auxilium, atque moralem influxum ad occisionem, vel lesæ animando, vel impediendo, ne alter se defendere possit, aut aliter cooperando. Dicitur notanter: *quando plures communi consilio &c.* Nam si extra commune consilium, aut consensum, plures inflixerint alteri vulnera, solus ille fit irregularis, quem constat inflixisse vulnus lethale. Si tamen discerni nequeat, ex cujus ictu alter occubuerit, omnes debent se gerere, tanquam irregulares *c. significasti, de homicidio*.

53. CONCL. III. Quamvis ob homicidium mere casuale, ac fortuitum, non incurratur Irregularitas; si tamen illud fuit indirecte saltem, aut in causa voluntarium, Irregularitas contrahitur. Ita Doctores passim, propter textus Juris satis claros. Et quidem prior pars habetur expresse *cap. 9. & 12. ac seqq. de Homicidio*. Sic quippe, ut ibidem dicitur, irregularis non est, qui equum lasciviente freno coercuit, aut ipsum calcaribus stimulavit, unde equus excusso sessore profugiens, in via occidit infantem. Similiter non incurrit irregularitatem, qui ex alto dejiciens lignum, prius sollicite circumspexit, an nemo inferius adesset, sicque neminem videns, lignum projecit, & puerum fortuito ibi existentem, neque antea visum, interfecit. Accedit *Clem. un. de homicidio*, ubi dicitur: *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit*: quia nempe tale homicidium non est voluntarium, sed potius casuale ac fortuitum.

54. Altera pars habetur ex *c. Presbyterum & c. Continebatur, de Homicid.* ubi dicitur, quod homicidium imputetur ei, isque fiat irregularis, qui dedit operam rei licitæ, vel illicitæ, si non adhibuit omnem diligentiam, quam debuit, ne sequeretur occisio hominis: sic enim homicidium censetur saltem indirecte voluntarium. Similiter *c. De cætero, eod.* dicitur, quod dans causam homicidio, fiat irregularis: qualia etiam alibi habentur.

55. Circa hoc tamen notabilem distinctionem affert Layman *lib. 5. tract. 3 part. 3. c.* 10. *n.* 4. post alios, docens, quod si quis dedit operam rei licitæ, ac per se honestæ, sed debitam non adhibuit diligentiam, ne mors aut mutilatio hominis sequeretur, requiratur culpa lata, atque mortalis, ad contrahendam Irregularitatem ex tali homicidio, vel mutilatione solum indirecte voluntaria. Sic v. g. Medicus, aut Chyrurgus, volens sanare infirmum, si ipsum per imperitiam aut incuriam interficiat, non fit irregularis, nisi hujusmodi culpa fuerit lata, atque peccatum mortale. Idem dicendum de Infirmario, qui infirmum Charitatis gratia in lectulo movet, ut ei cibum ministret, aut quietius cubet: nam is non fit irregularis, etsi mortem paululum accelerasse videatur.

56. E contra vero, si quis dedit operam rei illicitæ, sicque ob non adhibitam debitam diligentiam, homicidii, vel saltem mutilationis causa extitit, videtur sufficere culpa venialis ad Irregularitatem contrahendam. Exemplum habetur in Clerico venatore cervorum, aut aprorum, si ipsos jaculando, non omnem adhibuit diligentiam, ne homicidium sequatur; nam Clericis venatio est specialiter interdicta, *cap. 1. & 2. de Cleric. venat.* Idem dicendum de Clerico impudice jocante, vel saltante cum muliere gravida, unde abortus prolis animatæ contingit; prout refertur casus *c. Sicut, de Homicidio*. Quamvis non desint Auctores, qui volunt, ejusmodi Canones pertinere tantum ad Forum externum, in quo præsumptio fieri solet culpæ latæ, si quis dedit operam rei illicitæ, atque exinde mors, vel hominis mutilatio fuit subsecuta.

57. CONCL. IV. Irregularitas insuper contrahitur ex homicidio, vel hominis mutilatione, publica authoritate facta, etiam si nulla omnino culpa intervenerit, sed id fiat ex officio. Ita communis, & habetur *c. si quis viduam dist.* 50. & *c. aliquantes dist.* 51. cum concordantiis ibidem a Glossa relatis. Siquidem tunc Irregularitas accidit ob defectum perfectæ lenitatis: & indecens est, ut ille, qui voluntarie sanguinem humanum fudit, Christi mansuetissimi personam in Altari repræsentet, ut jam dictum *n.* 45.

58. Hinc Judex, Assessor, Accusator, Denuntiator, Testis, Tabellio, Satellites, Lictores, & quotquot alii cooperantur ad causam sanguinis, dummodo mors vel mutilatio actualiter fuerit subsecuta, irregularitatem incurrunt, ob defectum perfectæ lenitatis; atque ostendit ex variis textibus Juris Glossa citata.

59. Intellige cum Glossa *in cap. De cætero, de Homicid.* communiter recepta, dummodo cooperatio ad mortem, seu mutilationem, aliquo modo notabilis sit, & non admodum remota, vel per accidens. Hinc Opifices irregulares non sunt, qui pro furibus suspendendis furcam ædificarunt, vel funes aut scalas confecerunt: quamvis secus dicendum sit de iis, qui funes ad suspendium deferunt, aut scalam applicant. Hi enim censentur causa propinqua, illi remota. Layman *l. c. c.* 7. *n.* 2.

60. Similiter, si Clericus in suis rebus, aut suorum vel Ecclesiæ bonis injuriam passus est, potest is de suis malefactoribus absque pœna Irregularitatis conquirere coram Judice sæculari, eosque denunciare Magistratui etiam de iis criminibus, quibus ita auta est pœna sanguinis: dummodo expresse protestetur, quod ad vindictam seu pœnam sanguinis id non faciat, sed petat emendam sibi fieri; prout expressum habetur *c. Postulasti, de Homicidio*, & amplius *c. Prælatis, eod. in* 6. Quia (ut dicitur ibidem) *Alioquin deterretur plerisque malefactoribus materia trucidandi eosdem* (Clericos) *aut ipsorum bona libere depradandi*.

61. Insuper citatus Layman post Sotum, ridet scrupulum alicujus Confessarii, qui reum ad supplicium comitatus, quod asinum, in quo vehebatur, pupugisset, irregularem se æstimabat, quasi mortem hominis

acceleraſſet. Idem eſt ſi Confeſſarius hortetur Reum, ut in via procedat; nam parum pro nihilo reputatur. Secus forſet, ſi cooperatio, vel acceleratio mortis notabiliter facta ſit; nam tunc fatentur omnes, contrahi Irregularitatem.

62. CONCL. V. Quicunque in bello offenſivo juſto hominem propriis manibus mutilant, vel occidunt, fiunt irregulares. Ita communis; & habetur *cap. Petitio de Homicid. &c. Quicunque, ac ſeqq.* 23. q. 8. Etſi enim Clerici poſſint hortari ad pugnandum in bello juſto, propria tamen perſona pugnare non debent, *cap. Ex multa* §. *fin. de Voto*, & alibi.

63. Dicitur notanter, *in bello offenſivo*: nam quid juris ſit de pugnantibus in bello mere defenſivo, dicitur *num.* 66. Et additur, *juſto hominem propriis manibus &c.* Siquidem in bello injuſto, quicunque auxilium aliquod attulerunt, quamvis propriis manibus neminem occiderint, nec mutilaverint, fecuta unius hominis mutilatione, aut occiſione, fiunt omnes irregulares, *arg. c. Sicut de Homicid.* E contra in bello offenſivo juſto illi duntaxat reddūntur irregulares, qui propria manu occidunt, vel mutilant, non vero alii, v.g. hortantes ad pugnam, Conſiliarii, vel præbentes arma, ſive ſubſidium: cum hoc non exprimatur in Jure. Herincx *diſp. 6. de Cenſuris n.* 148.

64. CONCL. VI. Qui ob neceſſariam vitæ, vel corporis ſui defenſionem, hominem mutilat, vel occidit, Irregularitatem non incurrit. Ita habetur *Clem. un. de Homicidio*, ibi: *Nullam irregularitatem incurrit, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat invaſorem.* Accedit ratio: quia Irregularitas non incurritur, niſi ex homicidio ſpontaneo: atque illud, quod ad neceſſariam ſuam defenſionem fit, non omnino ſponte, ſed cogente Legis naturalis neceſſitate perpetratur; ergo.

65. Dicitur notanter, *qui ob neceſſariam vitæ, vel corporis defenſionem*. Nam ſi quis moderamen inculpatæ tutelæ excedat, certum eſt, eum incurrere Irregularitatem; utpote qui mortem aliter evadere potuiſſet. Deinde ſi quis furem, aut alium iniquum aggreſſorem occidat, vel mutilet ob defenſionem rerum ſuarum, etiam talis contrahit irregularitatem; prout notat Gloſſa *cap.* 2. ℣. *Non deponatur de Homicid.* & Abbas *ibid. n.* 4. Navarrus *c.* 27. *Manual. n.* 213. aſſerens, Gloſſam illam fere ab omnibus receptam, ac ſatis diſputat Covarruvias *part.* 3. *Clem. ſi furioſus* §. *un. n.* 6. id probans ex *cit. c.* 3. & *c. Suſceptimus*, *eod.* eſtque communior Doctorum, nonnullis tamen exceptis. Ratio eſt: quia ad Irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis non requiritur culpa, ſed ſufficit ſpontanea hominis occiſio, vel mutilatio. Accedit, quod SS. Canones excipiant ſolummodo caſum, ſi quis mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat invaſorem: atqui talis non fuit in periculo vitæ, ſed duntaxat bonorum ſuorum; ergo de Jure non excipitur ab Irregularitate ob perpetratum homicidium.

Addunt nihilominus, *nonnullis tamen exceptis*. Quia non deſunt Doctores, volentes, quod *Irregularitas ex defectu lenitatis* incurratur tantummodo ex homicidio publica authoritate facto, & cooperatione ad illud: e contra vero ex homicidio privato contrahatur ſolum *Irregularitas ex delicto*; ac proinde, ubi homicidium privatum eſt inculpabile, & ſine delicto, non oriatur irregularitas, cum hæc nullo Jure expreſſa reperiatur, ut probare conantur ex ſolutione textuum Juris in contrarium allegatorum. Ex quo concludunt, homicidium factum ad neceſſariam defenſionem bonorum temporalium magni momenti, non inducere irregularitatem, hoc ipſo, quod fiat abſque omni delicto; cum res ſuas defendere, & vim vi repellere, cuilibet a natura ſit permiſſum, *leg.* 1. §. *vim vi ff. De vi armat. &* cap. *Olim cauſam* 12. *de Reſtitut. ſpoliat.* cum ſimilibus: prout tenet Suarez *diſp.* 46. *de Cenſuris ſect.* 2. *num.* 4. Filliucius *tract.* 20. *num.* 150. & *ſeqq.* Leſſius *lib.* 2. *de juſt. & jur. cap.* 9. *dub.* 11. *num.* 73. Caſtro Palao *diſp.* 6. *de Cenſur. punct.* 15. §. 8. *nu.* 7. Alphonſus de Caſtro, Petrus Navarrus, Coninch, & alii ab ipſis citati.

Verum a priori ſententia, quam etiam poſteriores Authores, ac præſertim Filliucius & Suarez, fatentur eſſe communem, non videtur recedendum. Tum quia Jus inter homicidium publica, vel privata authoritate factum, quantum ad incurrendam irregularitatem, nullibi diſtinguit: quinimo ſi hæc diſtinctio aliquando a Jure fuiſſet intenta, & approbata, ſuperfluo noſtrorum laboraſſet Concilium Generale Vicaneſe, relatum *cit. Clem. un. de Homicid.* dum præter homicidium mere caſuale (quod jam exceptum fuerat *cap. Hi, qui arbores diſt.* 50. & *cap. Dilectus cum ſeqq. de Homicid.*) ſpecificavit alios caſus particulares, in quibus ex occiſione, vel mutilatione hominis non incurritur irregularitas; ſi nempe furioſus, infans, vel dormiens hominem mutilet, vel occidat; aut ſi mortem aliter vitare non valens, ſuum occidat, ſeu mutilet invaſorem: nam omnia hæc ad homicidium privata authoritate, & abſque culpa perpetratum, ſpectare dignoſcuntur. Tum quia etiam in homicidio, ob defenſionem rerum ſuarum inculpate facto, intervenire defectum lenitatis, & perfectæ repræſentationis manſuetudinis Chriſti, negari non poteſt: ſimulque patet, neceſſitatem tuendæ propriæ vitæ eſſe ſtrictiſſimam, longeque graviorem præneceſſitate tuendi bona temporalia, quæ ſunt ordinis multo inferioris, ac *res tales & tranſitoriæ* merito appellantur *cap. ſuſcepimus de Homicidio*. Unde mirum non ſit, quod caſus ille fuerit exceptus ab incurſione irregularitatis, non item iſte: & ſi in hoc Conditor Canonis idem fieri voluiſſet, potuiſſet & hunc expreſſiſſe, prout in ſimili argumentatur Pontifex *cap. Inter corporalia de Tranſlat. Epiſcop.* Tum tandem, quia ita obſervat Stylus Curiæ Romanæ, qui jus facere dignoſcitur, & de quo teſtatur ipſemet Filliucius *loc. cit. num.* 149. citans Navarrum *cap.* 15. *Manual. num.* 5. Sicut & in *cap. ſignificaſti de Homicid.* Presbyter Eccleſiæ cenſetur irregularis, eo quod lethaliter percuſſerit maleficum, Euchariſtiam cum Altarium ornamentis, & libris Eccleſiaſticis auferentem.

66. CONCL. VII. Tandem, ſi quis in bello mere defenſivo, ad Patriam a violenta hoſtium aggreſſione liberandam, ex obligatione Charitatis, aut Pietatis pugnet, hoſtemque meræ defenſionis cauſa mutilet, vel occidat, non incurrit Irregularitatem. Item Pirhing, *tit. de Homicidio, num.* 115. Herincx *tit. n.* 149. Suarez, & alii. Ratio eſt: Tum quia bonum commune eſt præſtantius privato. Tum quia in tali caſu etiam propria vita periclitatur: ſimulque vim vi repellere, omnia Jura permittunt.

67. Cæterum loquendo de Clericis, Doctores admittunt hoc duntaxat in caſu inevitabilis neceſſitatis, & quando per ſolos Laicos Eccleſia, vel Patria, ſufficienter defendi non poteſt. Aliorum autem Clericus pugnans etiam contra inimicos Nominis Chriſtiani, ſi quendam interficiat, cenſetur irregularis, *c. Petitio de Homicid.* Nam ſpecialiter *Clericatus officium eos reddit inhabiles ad pugnandum*, ut dicitur *cap. Ex multa* §. *fin. de Voto*, junctis *c. Clerici. & ſeqq.* 23. q. 8. Et arma Clericorum ſunt lacrymæ, *arg. c. ſi vult diſt.* 30. & *c. Convenientior* 23. q. 8. cum concordantiis.

QUÆSTIO V.

Quis poſſit diſpenſare in Irregularitatibus?

SUMMARIUM.

68 *Irregularitas tollitur per diſpenſationem,*
69 *Cauſa ejus perdurante.*
70 *Papa diſpenſet in omni irregularitate,*
71 *Epiſcopi, in quibus irregularitatibus diſpenſent?*
72 *Quid de Capitulo, Sede vacante?*
73 *Prælati Regulares, in qua irregularitate diſpenſent cum ſuis Subditis?*
74 *Quid de Superioribus Localibus?*
75 *Limitatio præmiſſorum.*
76 *Forma diſpenſandi ſuper irregularitate.*
77 *Ad quem debeat dirigi ſupplex pro impetranda diſpenſatione circa Irregularitatem?*

68. NOtandum, quod Irregularitas tollatur per diſpenſationem, non autem per abſolutionem, prout tenet communis Doctorum. Siquidem abſolutio eſt actus juſtitiæ, in quo terminatur cauſa, & judicium; diſpenſatio autem eſt exemptio quædam a lege communi: Atqui Irregularitas eſt mera inhabilitas ad Ordines tum ſuſcipiendos, tum exercendos, & contrahitur quandoque abſque ullo delicto; & conſequenter in eam proprie cadit diſpenſatio, non autem abſolutio.

69. Et hoc inſuper intelligendum eſt, cauſa Irregularitatis perdurante: alioquin enim ceſſante cauſa Irregularitatis ex defectu, ceſſat etiam per ſe ipſam Irregularitas, neque opus eſt alia diſpenſatione. Sic, qui eſt Irregularis ex defectu legitimæ ætatis, litteraturæ, aut infirmitatis, adveniente legitima ætate, vel ſcientia, aut ceſſante infirmitate ſua, poteſt ordinari, aut Ordines ſuſceptos exercere, abſque ulla alia diſpenſatione. Hoc præmiſſo, ſit

70. CONCL. I. Summus Pontifex habet poteſtatem ordinariam, & univerſalem, diſpenſandi in omni Irregularitate. Ita omnes Doctores Catholici. Ratio eſt quia omnis irregularitas eſt de Jure duntaxat humano Eccleſiaſtico; atqui Papa de plenitudine poteſtatis ha-

habet facultatem dispensandi supra omne Jus Ecclesiasticum *arg. cap. Proposuit de concessione Prabendæ* ibi: *Qui secundum plenitudinem potestatis, de jure possumus supra Jus dispensare*; ergo.

71. CONCL. II. Episcopi possunt dispensare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad Forum contentiosum. Ita novissime eisdem concessum est in Concilio Trident. *sess. 24. de reformat. cap. 6.* ubi dicitur: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad Forum contentiosum, dispensare.* Et hanc quidem facultatem dispensandi, cum sit defacto jure ordinario annexa muneri Episcopali, posse Episcopum committere alteri, recte observant Doctores.

72. Addit Barbosa *in Collectaneis ad citat. locum Concilii Trident. num. 4.* citans plures alios Authores, etiam Capitulum Sede vacante habere præfatam facultatem dispensandi, a Concilio Trident. *loc. cit.* concessam Episcopis.

73. CONCL. III. Prælati Regulares possunt cum suis Subditis, ex specialibus privilegiis, dispensare in omni forme irregularitate: excepta illa, quæ orta est ex homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione. Ita Generalibus, & Provincialibus Ordinum Mendicantium, & Communitatium in privilegiis eorum, concessisse Sixtum IV. refertur in Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum §. *Dispensatio. num. 9. & 12.* ac tradit Herincx *disp. 6. de Censuris Ecclesiasticis numer. 192.* & alii.

74. Eandem facultatem dictus Sixtus IV. concessit etiam Prioribus conventualibus Ordinis Prædicatorum, & eorum Vicariis; prout habetur in Bulla, *Regiminis universalis.* §. 4. (ac refertur *Tom. 1. Bullarii Romani, Constitut. 7.* dicti Pontificis) & vulgo *Mare Magnum Prædicatorum* appellatur. Unde merito inferunt Authores, quod etiam Prælati, seu Superiores Locales Regularium, communicationem Privilegiorum habentium; atque eorum vicem gerentes, possint cum suis Subditis, etiam hospitibus ac Novitiis, dispensare in irregularitatibus, ut supra; dummodo hæ per Regulam, Statuta, vel alias, non sint specialiter reservatæ Prælato superiori. Bernard. Sannig. *tom. 3. Theolog. Scotist. Tract. De Censuris disp. quæst. ult.* Pelizzarius *tom. 2. Manual. Prælator. Tract. 9. cap. 13. n. 102.* & rursus *num. 136.* ubi hoc speciatim docet de irregularitate proveniente ex eo, quod quis Censura Ecclesiastica irretitus celebraverit Divina; & alii Canonistæ Regulares passim.

75. Additur in data Conclusione notanter, *in omni forme Irregularitate, excepta illa, quæ &c.* Nam imprimis irregularitas contracta ratione homicidii voluntarii, bigamiæ, & mutilationis membrorum, expresse excipitur a Sixto IV. tum *loc. cit.* tum in alia Bulla, *Regiminis universalis* (itidem relata *tom. 1. Bullar. Rom. Constit. 6.* dict. Pontificis, ac *Mare Magnum FF. Minorum* nuncupata) in qua Generali, ac Provincialibus Ministris ejusdem Ordinis FF. Minorum, ipsorumque Vicariis pro tempore existentibus, supradictam facultatem dispensandi cum suis Subditis concessit. Deinde hinc excipi debet irregularitas ex defectu animi proveniens: ut si quis amens, furiosus, aut patiens defectum necessariæ scientiæ: item ea, quæ oritur ex defectu corporis, ætatis, aut hujusmodi. Nam in talibus, quamdiu durant ejusmodi defectus, non posse dispensare Prælatos Regulares, est certum, ac extra controversiam. Idem respectu Prælatorum Localium dicendum de illis irregularitatibus, quarum dispensatio expresse reservata fuit Prælato superiori.

76. Pro fine hujus Quæstionis sciendum, quod pro impertienda dispensatione super irregularitatibus, nulla sit præscripta certa forma verborum, sed sufficiat quecunque dummodo significet, irregularitatem auferri. Communiter autem usurpatur ista forma: *Dispenso tecum super irregularitate, quam contraxisti ob celebrationem Divinorum in statu excommunicationis*, v. g. aut ob hanc, vel illam causam (exprimendo hujusmodi causam). Quod, si dubium sit, an quis irregularitatem incurrerit, additur: *Si forte eam incurristi.*

77. Quæres adhuc finaliter, ad quem nam Sapplica dirigi debeat, si petatur dispensatio ob irregularitate ob homicidium sive ex delicto, sive ex defectu proveniens? Ante Resp. Nota I. ex dictis, circa irregularitatem ratione homicidii, sive ex delicto, sive ex defectu provenientem, non posse dispensare Episcopos, aut Prælatos Regulares.

Nota II. Delictum homicidii posse esse publicum, vel occultum; ubi occultum hic dicitur illud, quod a nemine, vel a tam paucis scitur, ut neque sit famosum, neque manifestum, neque notorium facti, vel Juris. H. N.

Resp. I. Si delictum hoc sit adhuc occultum, potest circa irregularitatem dispensare sacra Pœnitentiaria, sive ea dispensatio petatur quoad Ordines recipiendos, sive quoad jam susceptos exercendos, modo præter delictum occultum adsit valde gravis causa dispensandi, & Orator absque scandalo & periculo manifestandi alias delicti a promotione ad Ordines, vel ab exercitio eorum abstinere nequeat. Ita noster Tiburtius Navarrus, Innocentii VI. Pœnitentiarius in sua Manuductione ad Praxin.

Resp. II. Si delictum sit publicum, aut irregularitas proveniat ex defectu, recurrendum erit ad Datariam, atque ibidem debebit dari certa Taxa pecuniaria pro qualitate, & gravitate delicti aut defectus &c. ubi insuper adverte; quod dispensatus ad Ordines, non illico exinde censeatur dispensatus quoad Beneficium.

TRA-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

TRACTATUS XIV.

DE SACRAMENTIS.

1. EXcellentiam Sacramentorum Legis Evangelicæ paucis sacrosanctum Oecumenicum Concilium Tridentinum complectitur, dum *Sess. 7. in Proœmio*, veriſſime atteſtatur, quod per ea *omnis vera juſtitia vel incipit, vel capta augetur, vel amiſſa reparatur*. Hæc etenim ſeptem Sacramenta, ſeptem illæ ſunt Columnæ, quas Æterna Sapientia de Cœlo deſcendens, & formam noſtræ humanitatis ſuſcipiens excidit, ut ſuper eas Domum Eccleſiæ ſuæ firmiſſimam conſtrueret: juxta illud *Prov. 9. Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem*. Hæc inſuper ſunt ſeptem illa Candelabra aurea, *Apoc. 1.* quibus mediantibus ad Fideles Divinæ gratiæ lux diffunditur. Et rurſus hæc ſunt ſeptem illæ ſtellæ, quas *cit. cap. 1. Apoc.* Filius Hominis, id eſt, Servator noſter JESUS Chriſtus in dextera miſericordiæ ſuæ, ac infinitæ Pietatis, ad illuſtrandam Eccleſiam ſuam habuiſſe legitur. De his ergo ſeptem Sanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis, tum in genere, tum in ſpecie, in præſenti Tractatu plane utiliſſimo, ſcituque vel maxime neceſſario, Deo adjuvante tractabitur, ad infinitam & perennem Ejuſdem laudem.

DISTINCTIO I.

De Natura Sacramentorum in genere.

QUÆSTIO I.

Quid, & quot ſint Sacramenta novæ Legis?

SUMMARIUM.

1 *Excellentia Sacramentorum novæ Legis?*
2 *Sacramenti variæ acceptiones.*
3 *Sacramentum in propoſito, quid?*
4 *Cur ſit ſignum ſenſibile,*
5 *Ac efficiter ſignificans gratiam?*
6 *Per effectum gratuitum, quid intelligatur?*
7 *Alia particulæ definitionis Sacramenti.*
8 *Sacramenta novæ Legis ſunt ſeptem.*
9 *Et omnia a Chriſto inſtituta.*
10 *Septem Ordines conſtituunt unum Sacramentum, & quo modo?*
11 *Inſtantia hæreticorum ſolvitur.*
12 *An in Lege Moſaica, & ſtatu Legis Naturæ, fuerit verum Sacramentum?*
13 *Declarantur Authoritates, quæ id negare videntur.*
Circumciſio, quomodo dicatur non contuliſſe gratiam?
14 *Remedium contra peccatum originale, quale antiquitus?*

1. ADvertendum, quod variæ ſunt Sacramenti acceptiones: cum enim *Sacramentum a ſacro* derivetur, in primis Sacramentum ſumitur a Juriſtis pro juramento, eo quod ſit ſacra quædam & religioſa affirmatio, *can. Qui Sacramento. 22. quæſt. 4.* & alibi. Deinde in S. Scriptura Sacramentum ſumitur quandoque pro Myſterio, ſeu re arcana; ut *Sapient. 2. Noſcierunt Sacramentum Dei. Daniel 2. Mihi Sacramentum hoc revelatum eſt*: & alibi. Tertio & magis ad propoſitum, ſumitur Sacramentum pro Cæremonia ſacra, ſeu hominem ſacrante.

3. CONCL. I. *Sacramentum*, prout in propoſito accipitur, eſt ſignum ſenſibile, gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum, ex inſtitutione Divina efficaciter ſignificans, ordinatum ad ſalutem hominis viatoris. Ita Doctor Subtilis 4. *diſt. 1. q. 2.* cum ſuis. Neque re ipſa differt allata Sacramenti definitio ab aliis, quarum plures afferre ſolent Theologi Catholici; ut eſt illa Catechiſmi Romani: *Sacramentum eſt inviſibilis gratiæ viſibile ſignum, ad noſtram juſtificationem inſtitutum*. Veruntamen definitio Scoti naturam Sacramenti clarius exprimit.

4. Dicitur I. *ſignum viſibile, ſeu ſenſibile*: id eſt, externum, & in materia ſenſibili inſtitutum. Nam, ut Sacramentum inſtitueretur in tali ſigno ſenſibili, admodum congruum erat pro hoc ſtatu; juxta illud D. Chryſoſtomi. *II mil. 60. ad Populum: Si incorporeus eſſes, incorporea dediſſet ipſe tibi dona; ſed quia corpori conjuncta eſt anima tua, ideo rebus ſenſibilibus tibi intelligenda tradit.*

5. Dicitur II. *Efficaciter ſignificans gratiam Dei*. Quia Sacramentum non eſt quomodocunque ſignum ipſius gratiæ divinæ, quæ confertur homini rite illud ſuſcipienti; ſed eſt ſignum efficax, *ſeu efficaciter ſignificans*; quia gratiam illam, quam ſignificat, etiam cauſat in homine ex opere operato, quatenus ex Divina inſtitutione, ac virtute meritorum Chriſti infallibiliter confert gratiam homini digne ſuſcipienti Sacramentum.

6. Additur in definitione a Scoto allata, *vel effectum Dei gratuitum*, majori clarioris gratiæ, & propter SS. Euchariſtiæ Sacramentum, quod conſiſtit *in facto eſſe*, ac primo & immediate ſignificat verum Corpus, & ſanguinem Chriſti realiter ſub Sacramento Euchariſtiæ contentum: quod Chriſti Corpus, ut pote ex gratuita Dei voluntate ibidem exiſtens, dicitur *effectus Dei gratuitus*. Quamvis poſtea idem Sacramentum etiam gratiam ſanctificantem digne ſumentibus conferat ex opere operato.

7. Dicitur II. *Ex inſtitutione Divina*. Quia Sacramenta totam vim ſuam efficaciter ſignificandi, id eſt, cauſandi gratiam in digne recipientibus, habent ex inſtitutione Divina, non autem ex natura ſua intrinſeca. Et additur, *ordinatum ad ſalutem hominis viatoris*: ut inſinuetur finis ille, propter quem Deus voluit inſtituere Sacramenta, qui eſt ſalus æterna hominis viatoris.

8. CONCL. II. Sacramenta Novæ legis ſunt ſeptem, & nec plura, nec pauciora. Ita de fide tenendum; ac præter perpetuam traditionem, ſenſumque Eccleſiæ, fuit definitum tum in Concilio Florentino, tum in Tridentino *ſeſſ. 7. can. 1.* his verbis: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia a JESU Chriſto Domino noſtro inſtituta; aut eſſe plura, vel pauciora quam ſeptem, videlicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe vere, & propria Sacramentum: anathema ſit*.

9. CONCL. III. Certum inſuper eſt, ac de Fide, omnia Sacramenta novæ Legis eſſe a Chriſto Domino inſtituta. Patet hoc ex allegato textu S. Concilii Tridentini. Hinc S. Auguſtinus *lib. 4. de Sacramentis. cap. 4.* ait: *Author Sacramentorum quis eſt, niſi Dominus JESUS? De Cujus ſide & Sacramenta venerunt*.

10. Objicies brevitar contra dicta. Septem ſunt Ordines, & quilibet eorum eſt Sacramentum; ergo computatis ſex aliis Sacramentis, plura ſunt Sacramenta, quam ſeptem. Reſp. negando conſequentiam: quia omnes ſeptem Ordines conſtituunt in ſimul unum Sacramentum Ordinis. Idque fit tum unitate ordinationis, ſeu finis, in quantum omnes ordinantur ad unum Sacerdotium, ac ratione hujus recipiuntur: tum unitate generis proximi, quatenus omnes, & ſinguli Ordines in particulari, conveniunt in ratione Sacramenti Ordinis ut ſic, tanquam in genere proximo. Et hinc omnes ſeptem Ordines ſub eodem nomine Sacramenti Ordinis hic comprehenduntur.

11. Objicitur ulterius ab Hæreticis: Nullibi habetur in S. Scriptura, quod dentur ſeptem Sacramenta: ergo ea non dantur. Reſp. I. Neque in S. Scriptura ullibi dicitur, quod dentur duo, vel tria tantum Sacramenta, ut volunt Hæretici; ergo vel unitas allata ratio contra ipſoſmet Hæreticos,

ticos, vel nihil probat. Resp. II. Negando consequentiam: quoniam hic Septenarius Sacramentorum numerus constat, tum ex perpetua traditione Ecclesiæ, definitione Conciliorum, unanimique SS. Patrum consensu; tum etiam satis bene deducitur ex diversis S. Scripturæ locis, ut suo loco de singulis Sacramentis in specie agendo patebit.

12. Quæres, an etiam in Lege Mosaica, ac statu Legis Naturæ, fuerit verum Sacramentum, conferens gratiam ex opere operato, atque in parvulis delens peccatum originale? Resp. affirmative; prout tenet Scotus 4. dist. 1. q. 6. Nam, ut inquit D. Augustinus lib. 2. De Nuptiis & concupiscentia, c. 11. ac refertur c. Ex quo de consecr. dist. 4. *Ex quo instituta est Circumcisio in populo Dei (quod erat tunc signaculum justitiæ fidei) ad significationem purgationis valebat & parvulis originalis veterisque peccati: sicut & Baptismus ex illa valens capit ad innovationem hominis, ex quo est institutus.* Hoc ipsum, & quidem extendendo ad statum Legis Naturæ, tradit idem D. Augustinus lib. 5. contra Julianum, cap. 11. ubi huic objicienti, quod in Lege Naturæ nondum fuerit Baptismus, respondet: *De Baptismate verum dicis; nec ideo tamen credendum est, ante datam Circumcisionem famulos Dei, quando quidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus spiritaliter fuisse parvulis fuit, quamvis quod illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit.* Concordant textus c. Majores, 5. Caute tamen: de Baptismo ibi: *Originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, & damnationis periculum evitabatur.* Atqui hoc non fit sine infusione gratiæ sanctificantis: non enim de Lege Dei ordinaria remittitur peccatum mortale, sive actuale, sive originale, sine infusione justificantis gratiæ; quia de facto non datur status medius inter filium Regni, & Gehennæ.

13. Nec obstat, quod aliqui SS. Patres, ac præsertim Concilium Florentinum *in Decreto Unionis*, videantur oppositum tenuisse. Resp. enim, SS. Patres, & Concilia, dum negant, Sacramenta veteris Legis contulisse gratiam ex opere operato, loqui de Sacramentis improprie dictis; qualia fuerunt plurima Cæremonialia illius Legis, veluti Purgationes a tactu morticini per aquam expiationis, Purgationes a lepra, Aspersio sanguinis hircorum & vitulorum ad emundationem carnis, ac hujusmodi. Hæc enim non conferebant gratiam ex opere operato, sed solum ex opere operantis, quatenus pro tempore Legis veteris fiebant in Charitate, atque ex obedientia Deo præstanda.

Quod si aliqui SS. Patres dicant, etiam Circumcisionem non contulisse gratiam, loquuntur ipsi comparative ad gratiam Baptismalem: nam Circumcisio non contulit gratiam ut dispositionem immediatam ad cœlum, sicut Baptismus; prout declaravit Pontifex *ex cit. cap. Majores, de Baptismo*, ibi: *Quoniam etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, & damnationis periculum evitabatur; non tamen pervenibatur ad Regnum cælorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum: Sed per Sacramentum Baptismi Christi Sanguine rubricati, culpa remittitur, vitatur periculum, & ad Regnum cælorum pervenitur.*

14. Ex his patet, quod in Lege veteri, quæ incepit ab Abraham, aut (ut alii volunt) a Moyse, & duravit usque ad Christum Dominum, ejusmodi Sacramentum, & Remedium contra peccatum originale parvulorum, fuerit Circumcisio: quæ etiam conferebat gratiam aliquam ex opere operato, quamvis respectu Baptismi parvam admodum, & quæ non fuit immediata dispositio ad Gloriam Cœlestem, eo quod fluxerit tempore, quo pretium nostræ Redemptionis per Passionem Christi actu exhibitam nondum fuerat persolutum. Cæterum in Lege Naturæ, quæ durabat ab Adam usque ad Abraham, vel Moysem, ejusmodi Remedium (quod etiam tempore Legis Mosaicæ adhibebatur semellis) consistebat in aliquo actu externo, qui fuit veluti exterior Professio Fidei in Messiam venturum: quamquam incertum sit quale illud in specie fuerit remedium, aut cæremonia.

QUÆSTIO II.

De Materia, & Forma Sacramentorum.

SUMMARIUM.

15 *Sacramenta tribus perficiuntur, quibus?*
16 *Sacramenta consistunt in usu, seu in fieri, præter Eucharistiam.*
17 *Hæc est Sacramentum permanens, ac veluti in facto esse consistit.*
18 *Materia Sacramentorum remota, & proxima, quid?*
19 *Forma*

19 *Forma Sacramentorum, quæ?*
20 *Utraque a Christo fuit determinata quoad substantiam;*
21 *Vel in specie infima, saltem in genere.*
22 *Mutatio substantialis irritat Sacramentum; non item accidentalis.*
23 *Et qua talis sit?*
24 *Exempla utriusque mutationis circa materiam.*
25 *Et circa formam.*
26 *Requiritur simultas inter materiam & formam Sacramentorum; & qualis?*
27 *Hæc magis declaratur in 4. Sacramentis.*
28 *Quid de sententia minorem simultatem requirente?*
(a) Vide Tract. 1. Dist. 3. num. 57. & 58.
29 *Eadem simultas ostenditur in Sacramento Eucharistiæ, Pœnitentiæ, &*
30 *Matrimonii.*

15. SAcramenta novæ Legis, ut proxime dictum, sunt signum sensibile; idque præcipue fit ex eo, quod omnia novæ Legis Sacramenta constent, seu perficiantur ex materia, & forma sensibili. Siquidem, ut Concilium Florentinum *in Decreto Unionis*, post enumerata septem novæ Legis Sacramenta constetur: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: quorum si unum desit, non perficitur Sacramentum.* Unde in præsenti Quæstione de Materia, & Forma Sacramentorum in genere, & in subsequenti de Intentione Ministri dicetur: quæ ut melius intelligantur,

16. Advertendum I. Quod omnia novæ Legis Sacramenta consistant in usu, & *in fieri*, excepto solo sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quod est Sacramentum permanens, ac veluti *in facto esse* consistit. In prioribus enim idem est Sacramentum, ac perceptio Sacramenti: sic enim Sacramentum Baptismi, est ipsamet perceptio Baptismi; nec permanet aliquid, quod est Sacramentum, cessante tali usu, seu receptione ejus. Nam post collationem Baptismi manet quidem in baptizato gratia Sacramentalis, & Character; hi tamen non sunt Sacramentum, sed effectus duntaxat ipsius Sacramenti Baptismi: & idem fit in aliis Sacramentis consistentibus in usu, seu *in fieri*.

17. Aliter dicendum de SS. Eucharistiæ Sacramento, quod habet rationem permanentis, ac veluti *in facto esse* consistit. Siquidem sub speciebus panis & vini consecratis Christus permanenter nobiscum esse voluit, semperque sub eisdem realiter præsens continetur, usque dum corrumpantur; atque ideirco tum in publicis processionibus, tum ad infirmos, summa cum reverentia circumfertur. Unde Eucharistia est Sacramentum etiam ante usum, seu actualem ejus perceptionem: quippe in termino prolationis formæ consecrationis jam incipit esse signum sensibile, ex institutione Divina efficaciter significans effectum Dei gratuitum, scilicet Corpus & Sanguinem Christi realiter contineri sub speciebus consecratis; quamvis postmodum digne hoc SS. Sacramentum suscipientibus etiam gratia habitualis, seu Sanctificans, ex opere operato conferatur.

18. Advertendum II. Quod duplex sit materia Sacramentorum consistentium in usu, seu fieri, remota scilicet, & proxima. *Remota materia Sacramentorum* est res sensibilis requisita ad confectionem Sacramenti; *Proxima* vero, est ipsamet debita applicatio hujus materiæ remotæ. Sic in Baptismo materia remota est aqua naturalis, seu elementaris: ablutio vero, per quam debito modo applicatur aqua naturalis baptizando, est materia proxima Baptismi. Et idem dicendum de Sacramento Ordinis, & aliis, prout in progressu magis patebit.

19. Advertendum III. Quod forma Sacramentorum sint verba, quæ Minister in administratione Sacramenti ex institutione Divina profert. Sic Forma Sacramenti Baptismi sunt verba illa, a baptizante proferenda: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et eodem modo discurrendum de aliis verbis in administratione singulorum Sacramentorum necessario proferendis.

20. CONCL. I. Materia, & forma omnium Sacramentorum novæ Legis, fuit a Christo Domino determinata quoad substantiam; non tamen ejusmodi determinatio in omnibus æqualiter facta. Prima pars est communis Theologorum. Siquidem Christus Dominus omnia ista hæc Sacramenta instituit: ergo etiam determinare debuit eorum materiam, & formam, saltem quoad substantiam.

21. Altera pars est Suarez *part. 3. tom. 3. disp. 1. sect. 3.* Mastrii *4. dist. 4. an. 89. & 45.*

ac

ac aliorum. Ratio est: quia in quibusdam Sacramentis res, seu materia, fuit a Christo Domino determinata ad quadam specie infima, ut aqua naturalis in Baptismo, & oleum olivarum in Extrema Unctione: in quibusdam vero solum in genere; ut in Sacramento Ordinis. Prout hoc desumitur ex praxi primitivæ Ecclesiæ, quæ ante scriptionem Sacri Evangelii, atque Epistolarum Canonicarum, non potuit Diaconus & Subdiaconis in eorum Ordinatione tradere Librum Evangeliorum, ac Epistolarum: simulque ex praxi Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, quarum quælibet valide conficit Sacramentum Ordinis, licet non conveniant in signo sensibili, seu materia Ordinandis porrigenda quoad speciem; sed solum in genere, quatenus quolibet eorum significatur certa potestas in Ecclesia conferri ordinato. Simile quid contingit in Sacramento Eucharistiæ, pro cujus consecratione sufficit quicunque panis triticeus, sive azimus, sive fermentatus: ac vinum de vite, cujuscunque sit speciei: item in Sacramento Pœnitentiæ, cujus materia remota sunt peccata actualia post Baptismum commissa, tum mortalia, tum venialia, hujus vel illius speciei.

22. CONCL. I. Quælibet mutatio substantialis facta in materia, vel forma Sacramentorum, irritat Sacramentum; non item mutatio solum accidentalis. Ita certa, & communis Catholicorum. Et patet hoc ex praxi Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ, quarum utraque juxta determinationem Concilii Florentini valide conficit Sacramenta; quamvis in eorum collatione nonnihil varient, sive in materia, sive in forma: nam variatio illa non est substantialis, sed solum accidentalis, ut magis in progressu patebit.

23. Quæres: quænam mutatio sit censenda substantialis, & quænam accidentalis? Resp. Mutatio substantialis tunc fieri censetur, quando secundum prudens judicium non manet amplius eadem res in substantia, quam Christus determinavit pro materia Sacramenti: vel loquendo de forma, quando non manet in verbis eadem significatio; ita ut illa mutatio, quæ destruit sensum verborum a Christo institutum, sit substantialis; quæ vero non destruit, censeatur accidentalis.

24. Declaratur allata doctrina exemplis. Sic valet Baptismus, sive adhibeatur aqua putealis, sive pluvialis, dulcis aut amara, vel marina, sive consecrata (qualis extra casum necessitatis adhiberi debet) sive non consecrata: quia quælibet harum adhuc quoad substantiam est aqua naturalis, seu elementaris, quæ ex Christi institutione est materia necessaria Baptismi. Non autem valet Baptismus in vino, lacrymis, aut sputo collatus: quia talia quoad substantiam non sunt aqua naturalis, sive elementaris. De illis autem liquoribus, de quibus dubium est, utrum adhuc retineant substantiam aquæ naturalis, nec ne (ut est tenue lixivium, aqua illa, in qua carnes sunt decoctæ &c.) similiter dubium est, an sint materia sufficiens Sacramenti Baptismi. Et idem, servata tamen proportione, dicendum de materia aliorum Sacramentorum.

25. Similiter loquendo de forma Sacramentorum, si in forma Baptismi v.g. pro ly *baptizo* dicatur *abluo*; vel si omittatur pronomen *Ego*, aut si transponantur solummodo verba, manente tamen adhuc eadem significatione, vel si subtrahatur aliqua sylaba syncopando ex humana inconsideratione, sive propter impedimentum linguæ, aut ob imperitiam loquentis, ita tamen, ut adhuc audiens satis possit intelligere sensum & intentionem loquentis: tunc ejusmodi mutatio formæ Baptismi solum censebitur esse accidentalis, ac proinde Baptismus valere: & ita discurrendo de aliis Sacramentis. Aliud dicendum foret de tali mutatione, per quam sensus verborum forma variatur; ut si in forma Baptismi omittatur ly *In nomine Patris*; aut si dicatur cum Ariano, *Ego te baptizo in nomine Patris Majoris &c.* Hæc enim mutatio, vel additio, repugnat verbis principalibus formæ, sicque est substantialis; ac proinde per eam non conficitur Sacramentum. Et eodem modo discurrendum est de cæteris Sacramentis.

26. CONCL. III. Ad valorem Sacramentorum requiritur insuper aliqua simultas inter eorum materiam & formam: hæc tamen simultas non necessario debet esse physica, vel mathematica (id est, talis, ut simul ac toto eodem tempore, quo v. g. profertur forma baptismi, continuetur ablutio baptizandi) sed sufficit moralis, id est, talis simultas, ut secundum moralem hominum æstimationem, spectata natura cujuslibet Sacramenti, una pars alteram afficiat. Ita Scotus 4. *dist. 6. quæst. 3.* ubi ait: *quod inter materiam, & formam Sacramentorum talis simultas requiratur, qualis requiritur in actibus humanis: noluit enim Christus nos obligare ad tam subtilem simultatem, quam vix posset homo percipere, vel servare.* Idem in re tenet communis

communis Doctorum: nam cum Sacramentum sit compositum morale, requiritur, & sufficit talis simultas, sive unio inter materiam & formam, ut unum moraliter, ac secundum communem hominum æstimationem censeatur afficere alterum, spectata natura cujuslibet Sacramenti.

27. Additur, *spectata natura cujuslibet Sacramenti*. Nam cum Sacramenta ex diversis actibus humanis constent, quorum aliqui majorem, alii minorem simultatem ex sua natura postulant; eadem diversitas etiam in Sacramentis observari debebit, juxta naturam & varietatem illarum operationum, quibus Sacramenta constant. Hoc ipsum melius patebit inductione. Sic in Baptismo, Confirmatione, Extrema Unctione, ac Ordine, requiritur, & sufficit talis simultas, ut unum non finiatur complere ante inceptionem alterius: ac proinde applicatio materiæ, & prolatio formæ, quod aliquam partem se contingant, ut sic Minister, dum verba profert, moraliter etiam censeatur abluere, inungere &c. Hinc in Baptismo requiritur tanta simultas, ut antequam una pars finiatur, altera incipiat; id est, ut antequam finiatur ablutio baptizandi, incipiat baptizans proferre formam Baptismi, & e contra, antequam is finiat formam Baptismi, jam incipiat ablutionem. Et idem servata proportione de Confirmatione, Extrema Unctione, ac Ordine dicendum est, atque in praxi semper observandum.

28. Nec obstat, quod nonnulli Doctores sentiant, ad valorem horum Sacramentorum non requiri tantam simultatem; adeoque valdum adhuc fore Sacramentum Baptismi, si statim post ablutionem jam finitam verba formæ proferantur, vel e contra: quia (inquiunt) adhuc talis intervenit simultas, ut juxta prudens judicium verba illa censeantur afficere ablutionem Baptismalem: Respond. enim, quidquid sit de probabilitate hujus sententiæ speculative loquendo, in praxi doctrinam superius traditam esse observandam: siquidem in administratione Sacramentorum tutior semper pars est sequenda, ne Sacramentum absque necessitate exponatur periculo invaliditatis. Unde & Innocentius XI. inter alias sequentem, ordine 7. damnavit Propositionem: *Non est illicitum, in Sacramentis conferendis sequi sententiam probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, &c.* (a)

29. Cæterum in aliis tribus Sacramentis *Reiffenstuel Theol. Moral.* multo major, vel minor, inter materiam & formam requiritur simultas, prout natura cujusque, juxta Christi institutionem, ac prudens judicium exigit. Et quidem loquendo de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, ad ejus confectionem omnino requiritur, ut toto eo tempore, quo verba Consecrationis proferuntur, materia sit præsens: hanc enim ut præsentem significant pronomina demonstrativa *Hoc*, & *Hic*. E contra in Sacramento Pœnitentiæ multo major distantia admitti potest inter accusationem Pœnitentis, & absolutionem Sacerdotis: Siquidem hoc Sacramentum peragitur per modum Judicii; in Judicio autem accusatio præsupponitur absolutioni, nec requiritur, ut sententia Judicis cum accusatione ipsius Rei sit tempore conjuncta.

30. Tandem in Sacramento Matrimonii potest consensus unius conjugis post consensum alterius tamdiu sequi, quamdiu hic moraliter permanere censetur; sicut accidere solet in aliis contractibus. Imo potest hoc Sacramentum, cum perficiatur per modum contractus, etiam inter absentes, ac per Procuratorem ad hoc specialiter deputatum rite celebrari, ut habetur *c. Accedens de Procurat.* juncto *c. ult. eod. in 6.*

QUÆSTIO III.

Quænam Intentio ex parte Ministri, ac Recipientis, requiratur ad valorem Sacramentorum.

SUMMARIUM.

31 *Ratio ordinis.*

32 *Solus homo viator est Minister Sacramentorum. Quid de nonnullis Hæresibus?*

33 *Aliqua Sacramenta, requirunt Ministrum confectatum, alia non; & quæ?*

(a) Tract. 14. Dist. 3. n. 46. & Dist. 12. num. 55.

34 *Intentio triplex, Actualis, Virtualis, & Habitualis, quæ?*

35

36 *Qualis requiratur ex parte Ministri?*

37 *Quid observandum pro praxi?*

38 *Intentio actualis* in actu exercito, & in actu signato; *Declaratur.*

39 *Intentio ex parte recipientis, an requiratur?*

40 *Et qua sufficiat in adultis?*

41 *Disparitas quoad hoc inter Ministrum, & recipientem.*

31. CUm ex Concilio Florentino *n.* 15. relato conſtet, quod *Sacramenta tribus perficiantur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia*: explicata materia, & forma Sacramentorum, in præcedenti Quæſtione, reſtat, ut de Miniſtro atque intentione ex parte ipſius, ſimul ac ex parte recipientis Sacramentum requiſita, nunc agatur.

32. CONCL. I. Defacto, ac de Lege Dei ordinaria, ſolus homo viator eſt legitimus Sacramentorum Miniſter. Ita communis: & deſumitur ex illo 1. *Cor. 4. Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei.* Item ex illo *Matth. ultim.* ubi Chriſtus ſolis hominibus viatoribus loquens, dixit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* & alibi. Quod ſi quandoque in Sacris Hiſtoriis legatur, Sacramentum aliquod ab Angelis fuiſſe miniſtratum, id factum eſt ex ſpeciali ordinatione Divina, ac privilegio extraordinario.

33. CONCL. II. Ex Sacramentis aliqua requirunt Miniſtrum conſecratum, alia etiam poſſunt a Miniſtro non conſecrato perfici. Ita communis, & patet inductione. Siquidem Miniſtrum conſecratum requirunt omnia, præter Sacramentum Baptiſmi, & Matrimonii. Baptiſmus enim in caſu neceſſitatis a quocunque homine, ſive maſculo, ſive fœmina conferri poteſt: Matrimonium vero non niſi a perſonis ſolutis, inter ſe contrahentibus, perficitur. Porro Euchariſtia, & Pœnitentia, & Extrema Unctio, requirunt Miniſtrum initiatum Sacro Ordine Presbyteratus. Tandem ordinarius Miniſter Sacramenti Confirmationis, ſicut & Ordinis, eſt ſolus Epiſcopus, non autem ſimplex Sacerdos: quidquid ſit, an ex ſpeciali conceſſione SS. Pontificis ſecus fieri poſſit, de quo ſuo loco. (a)

34. CONCL. II. Intentio, quantum ad propoſitum, recte dividitur in actualem, virtualem, & habitualem. Ita communis. Et quidem *Intentio actualis* tunc habetur in adminiſtratione Sacramentorum, quando quis actu cogitat, & vult, ſeu intendit conficere Sacramentum, dum illud conficit. *Intentio virtualis* ea dicitur, quæ licet actu præterierit, adhuc tamen manet in virtute ſua: & talis tunc cenſetur haberi, quando operans virtute actualis intentionis prius habitæ facit omnia, quæ facit, tanquam ex radice; ita, quod intentio illa actualis præhabita, fuerit principium ordinatum ad omnes actus ſubſequentes. Declaratur exemplo: habuit quis v. g. intentionem actualem celebrandi Miſſam, atque ex hac voluntate induit ſe ſacris Veſtibus, & vadit ad Altare: dum celebrat autem, fit diſtractus, & ex diſtractione non conſideratactualiter actum, quem exequitur: iſte celebrans ſic diſtractus dicitur celebrare cum intentione virtuali, quia virtute intentionis prius actualiter habitæ celebrandi Miſſam, facit omnes illos actus concernentes Miſſæ celebrationem.

35. Tandem *Intentio habitualis* aliud non eſt, quam intentio mere præterita, & non retractata per actum contrarium, quæ tamen non amplius influit in effectum: ut, ſi quis ſemel intendat ſuſcipere Sacramentum Baptiſmi, vel Confirmationis, & hanc intentionem ſuam non amplius retractet; is dicitur habere intentionem habitualem ſuſcipiendi tale Sacramentum, etiam dum dormit, imo & poſt integrum annum, ac ultra, dummodo hanc intentionem interim non revocaverit.

36 CONCL. IV. Intentio, quæ ex parte Miniſtri conficientis Sacramentum requiritur, debet eſſe vel actualis, vel ſaltem virtualis; ſola autem habitualis non ſufficit. Ita Doctor noſter 4. *diſt. 6. q. 6.* eſtque communis Theologorum. Ratio eſt: quia intentio ad Sacramentum conficiendum requiſita, debet eſſe cauſa Sacramenti: talis autem non eſt ſola intentio habitualis, bene tamen actualis, vel virtualis, in ſenſu ſuperius explicato; quia hæc utraque influit in actum, eſtque cauſa ipſius, non vero ſola intentio habitualis.

37. Cæterum, licet intentio virtualis ex parte Miniſtri ad confectionem Sacramentorum ſufficiat, ut tenent Theologi communiter, (nam intentionem actualem ſemper habere, & nunquam ſub adminiſtratione Sacramentorum, & præſertim Sacramenti pœnitentiæ in concurſu Confitentium, mente diſtrahi, moraliter foret impoſſibile, cum & ipſe Regius Pſaltes conqueratur *Pſalm. 39. Cor meum dereliquit me*: Adhuc tamen Miniſter Sacramentorum ſtudioſe debet curare, ut quantum patitur humana fragilitas, ipſe etiam intentionem actualem adhibeat: hæc enim actualis intentio eſt longe perfectior virtuali, & conſequenter magis meritoria.

38. Notandum tamen cum Cajetano *part. 3. q. 64. art. 8.* quamvis ſtudioſe debeat Miniſter operam dare, ut etiam actualiter intendat conficere Sacramentum (ut proxime dictum) hoc non eſſe intelligendum *in actu ſignato*, ſed *in actu exercito*. Non enim ſtudendum eſt, ut habeamus hoc in mente actualiter, *Ego intendo conficere Sacramentum*; ſed ſtudendum eſt, ut actualiter mens noſtra ad ea, quæ ſunt v. g. Conſecrationis, attendat, utpura ad prolationem diſtinctam formæ, ad reverentem contrectationem materiæ, ad futuram tunc ineffabilem præſentiam Divinæ gratiæ in Sacramento, vel etiam ipſius Chriſti quoad Euchariſtiam: hoc enim eſt celebrare cum actuali intentione *in actu exercito*. Ita Cajetanus. Et iſtam diſtinctionem actualis intentionis *in actu exercito*, & *in actu* (ut vocant) *ſignato*, etiam Aretinus 4. *diſt. 6. quæſt. 6.* & Suarez, cum alis agnoſcunt, poteſtque deſervire pro remedio vane nonnunquam ſcrupuloſorum.

39. CONCL. V. Loquendo de intentione ex parte ipſius ſuſcipientis Sacramentum, in infantibus, de perpetuo amentibus, nulla requiritur intentio propria recipiendi Sacramentum, v. g. Baptiſmus: in aliis tamen, nempe in adultis uſum rationis habentibus, omnino requiritur aliqua intentio, ita ut ipſis invitis ac repugnantibus non poſſit valide conferri Sacramentum. Ita deciſum habetur *c. Majores de Baptiſmo*; ubi in primis, quantum ad parvulos, dicitur: *Originale peccatum, quod ſine conſenſu contrahitur, ſine conſenſu per eam remittitur Sacramenti*. Deinde ibidem §. *ſed adhuc, & ſeq.* altera pars Concluſionis expreſſe deciditur: quæ proin eſt certa, & communis Theologorum. Et hinc in Rituali Romano Pauli V. prohibetur, baptizare amentem, qui cum aliquando habuerit uſum rationis, priuſquam incidit in amentiam, nunquam oſtendit voluntatem recipiendi Baptiſmum.

40. CONCL. VI. Nihilominus in adultis ad valide recipiendum Sacramentum ſufficit quælibet intentio ex tribus ſupra enumeratis, ſcilicet tam actualis, & virtualis, quam etiam ſola intentio habitualis: unde ad ſuſceptionem Sacramenti non requiritur, ut quis, dum ſuſcipit Sacramentum, actu intendat, vel paulo ante intenderit illud ſuſcipere: ſed ſufficit, ut aliquando intenderit, & hanc ſuam intentionem per actum contrarium necdum revocaverit. Ita rurſum communis; & habetur *cit. cap. Majores §. fin. de Baptiſmo*. Ratio eſt: quia intentio ex parte ſuſcipientis, ſolum requiritur ut diſpoſitio, ſeu conditio, per quam ſuſcipiens intelligitur non repugnare Sacramento; non autem requiritur ut principium actionis Sacramentalis, ſicut requiritur ex parte Miniſtri conficientis Sacramentum. Hinc ſi

41. Objicias. Ex parte Miniſtri, ſeu conficientis Sacramentum, non ſufficit ſola intentio habitualis ad valorem Sacramenti; ergo hæc neque ſufficit in ſuſcipiente. Reſpond. negando conſequentiam, & paritatem. Diſparitas deſumitur in primis ex ipſa Chriſti inſtitutione, quæ nobis innoteſcit ex perpetua traditione Eccleſiæ, atque unanimi Doctorum conſenſu. Deinde ex eo, quia utique plus requiritur ad agendum, quam ad patiendum, ſeu recipiendum: atqui in propoſito Miniſter eſt agens, & habet ſe active in adminiſtratione Sacramentorum, quoniam ipſe v.g. baptizat, recipiens vero habet ſe paſſive, ipſe enim eſt, qui baptizatur, confirmatur &c.

QUÆSTIO IV.

Quænam ex parte Miniſtri requirantur ad legitimam Sacramentorum adminiſtrationem?

SUMMARIUM.

42 *Quæ generatim requirantur ad Sacramentorum adminiſtrationem?*
43 *Improbitas Miniſtri ea non invalidat.*
44 *Ad Sacramenta licite miniſtranda requiritur ſtatus gratiæ.*
45 *Quid de Miniſtro non conſecrato?*
46 *Vel in caſu neceſſitatis &c.*
47 *Corollarium de duobus Sacerdotibus ſibi mutuo confitentibus.*
48 *Gravitas peccati celebrans in peccato mortali, ſed gravius, qui ſimulat ſe confeſſare.*
49 *Quot peccata committat Sacerdos, plures communicans in ſtatu malo?*
50 *Sententia rigida quorundam.*
51 *Plures ſimul communicans, committit unum numero peccatum, ſed graviſſ.*
52 *Sententia negans, talem peccare mortaliter, Rejicitur.*
53 *Quid de Sacerdote, plurium Confeſſiones audiente in peccato mortali?*
54 *Sacramenta, an peccet peti ab indigno Miniſtro?*
55 *Præſertim excommunicato vitando.*
56 *Quid de Miniſtro indigno tolerato?*

57 *Et eo, qui non tenetur ex officio ministrare Sacramenta?*

58. *An peccet graviter, qui alias functiones sacras exercet in statu malo?*

42. CONCL. I. Generatim ad legitimam, simulque meritoriam Sacramentorum, Ministrum confecratum requirentium, administrationem, ex parte ipsius requiritur potestas, vitæ probitas, debita intentio conficiendi Sacramentum, & observantia Rituum Ecclesiasticorum. Ita communis: patebit ex dicendis.

43. CONCL. II. Nihilominus infidelitas, seu improbitas Ministri, si cætera requisita adsint, neutiquam invalidat Sacramentum. Ita omnes Catholici, eliqueque novissime definitum in Concilio Trid. *Sess. 7. can. 12.* his verbis: *Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere Sacramentum; anathema sit.*

44. CONCL. III. Etsi Minister in peccato mortali existens valide administret Sacramenta, ut dictum; nihilominus ad easdem cite, & sine peccato mortali administranda, requiritur in Ministro confecrato status gratiæ. Ita communis. Nam hoc ipso, quod Sacramenta sint instituta a Christo ad nostram sanctificationem, & Minister ad eorum dispensationem specialiter sit consecratus, oritur obligatio ad illa administranda in gratia: siquidem sancta sunt sancte tractanda. Hinc *Levit. c. 22.* dicitur: *Sacerdotes incensum Domini, & panes Dei sui offerunt; & ideo sancti erunt.* Et *Isaiæ 52. Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Et S. Augustinus, relatus *c. Omnia 1. q. 1.* in quit: *Omnia Sacramenta, cum ab ipsis indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.*

45. Dicitur notanter, *in Ministro confecrato.* Quia Laicus, vel etiam Paganus, baptizans in casu necessitatis, non tenetur sub novo peccato mortali esse in statu gratiæ: cum tales non sint Ministri confecrati, sicut sunt Sacerdotes, qui virtute Sacramenti Ordinis accipiunt potestatem solemniter baptizandi &c. specialemque gratiam ad talia Sacramenta rite administranda obtinent. Sannig. *disp. 1. de Sacramentis q. 14. n. 8.* cum communi.

46. Limitant passim Doctores allatam doctrinam, *nisi adsint casus extremæ necessitatis, vel impossibilitatis.* Quia, si quis v. g. debeat administrare Sacramentum Baptismi puero agonizanti, poterit illud etiam peccato mortali irretitus administrare, si non possit tam cito elicere contritionem de peccato commisso: siquidem concurrentibus duobus præceptis incompossibilibus, illud magis obligat, cujus transgressio magis nocet. In praxi tamen hæc limitatio rarius poterit habere locum, nisi forsan in Ministro ob casus inopinati emergentiam perplexo, aut perturbato, vel ratione inadvertentiæ: nam alioquin contritio de peccatis admissis poterit brevissimo tempore, & quasi unico momento præmitti, & concipi a Ministro, si voluerit.

47. Hinc inferunt Doctores, si duo Sacerdotes velint sibi invicem confiteri, & ambo sint in peccato mortali constituti, eum, qui primo loco alterius excipit Confessionem, teneri antea præmittere Contritionem perfectam: quia alioquin administraret Sacramentum Pœnitentiæ in peccato mortali. In altero autem, qui primo loco confitetur, sufficeret attritio cum Confessione Sacramentali.

48 CONCL. IV. Etsi graviter peccet, grandeque sacrilegium committat, qui in statu peccati mortalis constitutus, scienter celebrat SS. Missæ Sacrificium; adhuc tamen gravius peccat is, qui peractis cæteris simular se confecrare, & non confecrat. Ita declaravit Innoc. III. *c. De homine de celebr. Miss.* ubi refertur casus de quodam incauto Presbytero, qui propter conscientiam peccati mortalis, in quo se constitutum novit, nec tamen Missarum solemnia ob urgentem necessitatem intermittere potuit; peractis cæteris cæremoniis, sed omissis verbis Consecrationis, Missam celebrare se finxit. Rationem dat Pontifex, *quod alter sacrilegè celebrans, in solius misericordiæ Dei manum incidat: iste vero (ficte celebrans) non solum Deo, cui non vereretur illudere, sed populo, quem decipit, se asstringat.* Idem servata proportione dicendum de aliis Sacramentis. Et merito Innoc. XI. sequentem, ordine 29. Propositionem damnavit: *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.* Nam, cum hujusmodi simulatio contineat etiam irreverentiam respectu Sacramentorum, ex nullo metu, quantumvis gravi, poterit licita reddi: cum irreverentia rebus sacris, sanctissimusque Sacramentis illata, sit intrinsece mala.

49. Quæritur I. An Sacerdos plures communicans, vel plurium Confessiones excipiens in statu peccati mortalis, tot peccata numero distincta committat, quot Sacramenta administrat? Ratio dubitandi, atque affirmativam tenendi, est: quia intervenient tot actus externi completi, quot fiunt indigne administrationes Sacramentorum; ergo & tot peccata numero distincta.

50. Et quidem non desunt Doctores, qui hoc ultro concedunt, ob rationem dictam; & præsertim, qui id admittunt de Confessario audiente plurium Confessiones in statu malo; siquidem hujus judicium Sacramentale finitur, ac variatur in singulis Confessionibus auditis. Imo Bonacina *disp. 1. de Sacramento, in genere, q. 3. punct. 2. n. 15.* post Coninch. & alios, hoc concedit etiam de eo, qui communicat alios in peccato mortali: ait enim talem toties peccare, quoties Hostias distribuit; cum sint plures Sacramenti distributiones, & plures actiones terminatæ, & complete, etiamsi fiant successive: Istis tamen non obstantibus,

51. Resp. I. Sacerdos in peccato mortali plures simul communicans, sive præbens eisdem SS. Eucharistiæ Sacramentum, est reus unius duntaxat peccati mortalis, licet gravioris. Ita Marchantius *tom. 3. Thesaurus Theol. Tract. 3. tit. 4. quæst. 2. concl. 2.* Fillutius *tract. 2. num. 87.* Henriquez, & probabile censet Tannerus *tom. 2. disp. 2. n. 56.* Ratio est: quia totus ille actus communicandi habet se per modum unius Convivii Spiritualis, & ipsamet administratio Sacramenti censetur moraliter unum Ministerium sacrum ex pluribus quasi actibus partialibus constitutum; unde & Christus Dominus in ultima Cœna Apostolis dicebat per modum unius Ministerii: *Accipite, & comedite ex hoc omnes.*

52. Quinimo Valquez *3. part. disp. 235. cap. 3. num. 39.* existimat, & favet Mastrius *disp. 16. Theol. Moral. num. 42.* citans alios, Sacerdotem, qui in statu peccati mortalis Fidelibus Eucharistiam distribuit, nec quidem mortaliter peccare; eo quod tunc sit non conficiat, neque recipiat Sacramentum, sed jam antea confectum duntaxat dispenset. Verum, quidquid sit de probabilitate hujus sententiæ, oppositum, sive talem peccare mortaliter, videtur probabilius. Tum quia communicans alios, vere ministrat Sacramentum. Tum quia Apostolus *1. Timoth. 3.* etiam Diaconos, olim Calicem consecratum Fidelibus dispensantes, voluit esse *habentes Mysterium fidei in conscientia pura.* Et hinc *c. Sciscitantibus 15. quæst. 8.* de malis Sacerdotibus, alios communicantibus dicitur: *Quoniam mali bona administrando, se tantummodo ladunt;* & consequenter peccant.

53. Resp. II. Sacerdos, qui se una vice ad audiendas Confessiones expositi, quamvis centum pœnitentes successive se præsentent, ab eoque in statu peccati mortalis absolvantur, probabiliter unum duntaxat peccatum committit. Ita Marchantius *loc. cit.* Ratio est: quia & talis Confessarius Ministerium, seu actionem natura sua communem omnibus accedere volentibus exercet, quam explicamus per verbum, *pro tribunali sedere, Judicium facere &c.* Et per hoc patet ad rationem dubitandi: quia hoc spirituale Ministerium non est completum per singulas absolutiones Sacramentales. Dicitur notanter *una vice:* si enim quis pluribus vicibus inter se moraliter distinctis se exponeret ad Confessionale, vel alios communicaret, ficuti censeretur multiplicare Ministeria, ita fierent numero distincta peccata.

54. Quæritur II. An possint licite peti Sacramenta a Ministro indigno? Ubi per *indignum Ministrum* intelligitur is, qui est in notorio peccato mortali constitutus, quamvis habeat potestatem Sacramenta conferendi, sive dein sit excommunicatus, sive non. Et dicitur, *in notorio peccati mortalis.* Nam, si peccatum alicujus non sit publicum, certum est, quod quis ab eo possit petere Sacramenta; cum possit, ac debeat præsumere, ipsum non esse indignum: quia nemo præsumitur esse malus, nisi probetur malus. Hoc prænotato,

55. Resp. I. Si Minister est excommunicatus, & vitandus (quales de facto solum sunt nominatim excommunicati & denunciati, ac notorii percussores Clericorum) non est licitum, ab eo petere Sacramenta, nisi in casu necessitatis. Ratio est: quia alioquin communicaret quis in Divinis cum excommunicato vitando; quod illicitum est extra casum necessitatis.

56. Resp. II. Loquendo de Ministro tolerato, licitum est non tantum in casu necessitatis, sed etiam extra casum necessitatis, ac ob spiritualem profectum animæ suæ petere, ac recipere Sacramenta a Ministro, cui ex officio Sacramenta administrare incumbit; quamvis ille malus sit, ac in peccato mortali constitutus. Ita Mastrius *disp. 16. Theol. Moral. n. 51.* cum communi. Desumitur hoc ex *c. Sciscitantibus 15. q. 8.* ubi dicitur, quod de manu Sacerdotis, quamdiu ab Ecclesia toleratur, licite Sacramenta sumantur. Accedit ratio: quia subditus, utputa Parochia-

Reiffenstuel Theol. Moral.

rochianus habet jus petendi, & accipiendi Sacramenta a suo Parocho; neque tale jus is amittere censetur ob sui Parochi malitiam: præsertim cum is, dummodo velit, possit se prius vel per Confessionem, vel saltem per Contritionem, restituere in statum gratiæ.

57. Et hoc idem dicendum de eo, qui est expositus ad ministranda Sacramenta, quamvis ex officio eadem administrare non teneatur: nam is, sit in statu peccati mortalis (quod tamen non facile præsumendum) sibi soli nocet.

58. Quæritur III. An peccet graviter, qui alias functiones Ordinum exercet cum conscientia peccati mortalis: ut si Lector Lectionem, Subdiaconus Epistolam, vel Evangelium Diaconus, in tali statu solemniter cantet; aut si Sacerdos Aquam Lustralem benedicat, SS. Eucharistiam de uno loco in alium transferat, vel Matrimonio assistat; seu Episcopus benedicat sacras vestes, consecret Ecclesias, vel alia hujusmodi præstet? Resp. negative: quia tales actiones neque sunt Sacramenta, neque immediate ordinantur ad sanctificationem animæ. Bonac. *cit. punct.* 2. §. 1. Mastrius *n.* 42. & alii, paucis exceptis.

DISTINCTIO II.

De effectibus, ac Necessitate Sacramentorum.

QUÆSTIO I.

An, & quomodo Sacramenta conferant gratiam?

SUMMARIUM.

1 *Effectus Sacramentorum duplex, Gratia, & Character.*
2 *Gratia actualis, &*
3 *Gratia habitualis, seu sanctificans, quid?*
4 *Gratia Sacramentalis, quæ? Gratiam conferri ex opere operantis, & ex opere operato, quid?*
5 *Omnia Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato non ponentibus obicem.*
6 *Hanc causant non physice, sed moraliter.*
7 *Ratio Conclusionis.*
8 *Sacramenta præter gratiam habitualem, conferunt etiam actualem.*
9 *Declaratur in ductione de Baptismo.*
10 *Confirmatione,*
11 *Eucharistia,*
12 *Pœnitentia,*
13 *Extrema Unctione.*
14 *Ordine, &*
15 *Matrimonio.*

1. Post explicatam naturam, atque essentiam Sacramentorum novæ Legis, progrediendum est ad eorundem effectus declarandos (agendo simul de debita dispositione, ad consequendum effectum gratiæ Sacramentalis requisita) nec non explicandam singulorum Sacramentorum necessitatem. Et quidem, quantum ad primum attinet, duplex communiter statuitur effectus Sacramentorum, Gratia videlicet, & Character. Horum prior per omnia Sacramenta digne recipientibus ex opere operato confertur: posterior vero non nisi per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem: prout amplius in progressu dicetur, incipiendo a gratia Sacramentali, utpote principaliori Sacramentorum effectu.

2. Advertendum, quod gratia supernaturalis generatim dividatur in actualem, & habitualem. *Gratia actualis* est aliquod actuale auxilium Dei, quo ipse hominem ad bene agendum, & ad salutem suam procurandam admonere, & quantum est de se, promovere solet: cujusmodi gratia actualis, ad instar luminis partim illuminantis, partim calefacientis, duo complectitur, videlicet internam illustrationem intellectus, piamque motionem voluntatis, qua quisa Deo illuminatur ad cognoscendum id, quod est agendum vel fugiendum, & aliqualiter interius instigatur, & commovetur ad illud agendum vel fugiendum. Et tales gratiæ actuales (quæ alio nomine *Auxilia Dei actualia* vocantur) sunt innumeræ bonæ inspirationes, pæque voluntatis affectiones, sæpius nobis liberaliter & misericorditer a Domino Deo immissæ.

3. *Gratia habitualis* est habitus gratiæ sanctificantis, per quam homo formaliter sanctus, justus, Deoque gratus redditur, etiam dum libere nihil operatur. Et hæc dicitur etiam *Gratia justificans*, seu *sanctificans*: quia est unica formalis causa justificationis impii, uti docet Concil. Trid. *sess.* 6. c. 7. Atque expellit formaliter ab homine omne peccatum mortale, cum quo de facto est incompossibilis: simulque constituit hominem esse Filium Dei adoptivum, ac hæredem vitæ æternæ, si in ea finaliter decedat seu moriatur.

4. Cæterum omnis ea gratia, quæ virtute Sacramentorum confertur homini ex opere operato, dicitur *Gratia Sacramentalis*, sive deinde illa sit gratia quædam actualis; sive habitualis. Dicitur, *ex opere operato*: nam quando homini datur gratia propter propria sua merita, devotionem, actusque virtuosos, dicitur talis gratia conferri ipsi *ex opere operantis*. Ea vero gratia, quæ virtute Sacramentorum homini rite disposito ultra gratiam suæ devotioni, actibusque virtuosis correspondentem, ex meritis Christi confertur, dicitur conferri *ex opere operato*: qui modus ex opere operato conferendi gratiam digne, seu absque obice peccati mortalis recipientibus Sacramentum, est proprius Sacramentorum. Et dicitur, *ex opere operato*: quia ob infallibilem promissionem Divinam ea gratia confertur ex meritis Christi, ac virtute Passionis suæ, quæ jam sunt *opus operatum*. His suppositis, sit

5. CONCL. I. Omnia novæ Legis Sacramenta conferunt ex opere operato gratiam digne sumentibus, seu non ponentibus obicem. Ita de Fide; est que non solum in Symbolo Niceno decretum per illa verba, *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum*; sed etiam novissime clarius, & loquendo generatim de omnibus Sacramentis, definitum in Concilio Tridentino *sess.* 7. *can.* 6. his verbis: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre &c. anathema sit.*

6. CONCL. II. Sacramenta gratiam illam, quam conferunt ex opere operato, non causant physice, sed moraliter; id est, causant gratiam in tantum, quatenus ex Divina institutione, & pacto, quod in eorundem institutione Christus inivit cum genere humano, sunt signum infallibile, Deum efficaciter movens ad producendam gratiam, quam significant, intuitu meritorum ac passionis Christi, in animabus digne suscipientium Sacramentum. Ita Scotus 4. *dist.* 1. *q.* 4. & 5. cum Scotistis, ac plures alii Theologi; quamvis nonnulli oppositum teneant, asserentes, Sacramenta gratiam etiam physice causare, quod postmodum diversimode explicant.

7. Probatur Conclusio ex eo: quia Sacramenta qua talia, sunt quid morale; ergo etiam erunt causæ duntaxat morales, & non physicæ, ipsius gratiæ. Antecedens patet; quia Sacramenta dependent solum ex institutione Christi, a qua, & meritis ejusdem Christi Domini, totam suam vim, atque efficaciam causandi habent. Consequentia probatur; quia modus operandi sequitur modum essendi, eique conformatur; ergo, cum Sacramenta qua talia, sint quid morale, etiam erunt tantum causæ morales ipsius gratiæ: eatenus videlicet, quatenus ex institutione Christi, ac virtute meritorum ejus, sunt signum efficax, atque infallibiliter movens Deum ad causandam gratiam in rite suscipientibus Sacramentum. Accedit, quod omnes authoritates SS. Patrum, & Conciliorum, asserentium, quod Sacramenta causent gratiam, optime salventur per causalitatem eorum moralem.

8. CONCL. III. Per Sacramenta novæ Legis digne recipientibus non tantum confertur gratia habitualis, seu sanctificans; sed præter eam, etiam virtute Sacramentorum, præstantur hominibus alia specialia gratiæ actualis auxilia, opportuna ad consequendos proprios fines singulorum Sacramentorum. Ita Theologi communiter. Ratio est: quia singula Sacramenta sunt a Deo instituta ob speciales suos fines; ergo etiam oportet, ut confrant specialia auxilia gratiæ actualis, quibus homo juvetur ad fines illos consequendos.

9. Hinc, quia per Baptismum spiritualiter regeneramur, ac in Christo vivere, ejusdemque Fidem profiteri incipimus: postmodum per alia Sacramenta juvamur ad hanc vitam spiritualem conservandam, & ad superandas varias difficultates in eo occurrentes; prout declarabitur discurrendo de singulis Sacramentis.

10. Sic per Confirmationem, per quam roboramur & confortamur ad fortiter confitendam Fidem in Baptismo susceptam, præter gratiam habitualem, digne sumentibus conferuntur tempore opportuno specialia gratiæ actualis auxilia ad constanter in Fide perseverandum, & quidem majora, quam conferuntur virtute solius Baptismi.

11. Similiter per Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod est cibus spiritualis animæ, conferuntur specialia subsidia actualis gratiæ pro conservatione vitæ nostræ spiritualis; non minus, ac cibus cor-

poralis vitam alit, & conservat corporalem. Unde juvat hoc Sanctissimum Sacramentum ad refrænandas inordinatas passiones, utputa iræ, invidiæ, luxuriæ, &c. præbendo multas particulares gratias auxiliantes, quibus debilitatur, atque moderatur prava inclinatio ad peccatum: simulque adhæc Augustissimum Sacramentum confert complura auxilia excitantia, & concomitantia gratiarum actualium, ad exercenda opera vitæ spiritualis, & diversarum virtutum; sicut cibus corporalis præstat vires ad exercendos actus vitales corporis.

12. Sicuti autem in vita corporali necesse est habere remedium contra morbum, ut si quis in morbum inciderit, sanetur: Ita in vita nostra spirituali tale remedium, & quidem multo fortius est Sacramentum Pœnitentiæ, quo non solum morbi, sed & ipsa mors animæ curatur, dum virtute ejus à morte spirituali, per peccatum mortale inducta, resurgimus.

13. Sequitur Extrema Unctio, præter augmentum gratiæ habitualis conferens homini digne recipienti specialia auxilia, quibus infirmus juvetur ad fortius resistendum tentationibus in extremo vitæ articulo occurrentibus: simulque is in sua infirmitate allevietur, quantum prodest saluti animæ suæ; juxta illud: *Jacobi c. 5. Ungunter eum oleo in Nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.*

14. Per Sacramentum Ordinis, quod respicit totam Ecclesiam in suo statu Hierarchico conservandam, atque ut sua singulis ministeria ad legitimum gubernantum hujus Ecclesiasticæ Reipublicæ destinentur; conferunturOrdinato pariter quædam specialia auxilia, ad digne adimplenda Ministeria sacra cuilibet Ordini annexa.

15. Tandem per Matrimonium, quo fit legitima propagatio generis humani ad Dei cultum, & conservationem Ecclesiasticæ Reipublicæ; ut id honeste ac decenter fiat, dantur Conjugibus Christianis specialia gratiæ auxilia ad pie degendam vitam conjugalem ac sustinenda ejus onera, prolemque recte ac devote educandam. Cæterum hujusmodi specialia gratiæ auxilia, plura vel pauciora, conferuntur digne suscipientibus Sacramentum juxta majorem, vel minorem eorundem dispositionem, ac capacitatem, ut amplius dicetur *quæst. seq. n.* 25.

QUÆSTIO II.

An omnia Sacramenta conferant primam gratiam, æqualem in inæqualiter cispositis?

SUMMARIUM.

16 *Sacramenta mortuorum, &*
17 *Sacramenta vivorum, qua?*
18 *Gratia habitualis seu sanctificans, prima & secunda, quæ?*
19 *Baptismus & Pœnitentia, per se conferunt primam gratiam:*
20 *Eer accidens quandoque secundam.*
21 *Alia quoque Sacramenta per se conferunt secundam.*
22 *Corollarium.*
23 *Et per accidens quandoque primam gratiam.*
24 *Cur hoc fiat per accidens?*
25 *Sacramenta conferunt majorem gratiam magis dispositis.*
26 *Etiam ex opere operato.*

16. ADvertendum, quod Sacramenta communiter dividantur in Sacramenta vivorum, & mortuorum. *Sacramenta mortuorum* sunt duo, videlicet Baptismus, ac Pœnitentia: quæ duo ideo sic dicuntur, quia per se (id est, ex vi primariæ institutionis suæ) sunt instituta ad conferendam primam gratiam; seu ad præbendam vitam spiritualem iis, qui per peccatum mortale spiritualiter fuerunt mortui, quæ non confertur nisi mediante gratia sanctificante.

17. *Sacramenta vivorum* sunt alia quinque, quæ ideo sic appellantur, quia per se loquendo supponunt animam suscipientis jam esse constitutam in gratia sanctificante, quæ est vita animæ. Unde, ut quis rite suscipiat unum horum Sacramentorum, requiritur, quod sit in statu gratiæ (saltem quantum bona fide, ac in pecta propria sua conscientia existimat) quod non requiritur ad Sacramenta mortuorum: hæc enim ab existente in peccato mortali, præmissa sola attritione, rite ac fructuose recipiuntur. Quod ut clarius intelligatur,

18. Advertendum ulterius, quod gratia habitualis, seu sanctificans (de qua *num. 3.* jam dictum) communiter dividatur in primam & secundam. *Gratia habitualis prima* aliud non est, quam illa prima gratia sanctificans, quam homo in primo suæ justificationis instanti acquirit, ac per quam formaliter ab eo expellitur peccatum mortale. *Gratia secunda* dicitur omne augmentum gratiæ sanctificantis: unde omnis illa gratia habitualis dicitur esse gratia secunda, quæ infunditur homini jam prius justificato, ac habenti in se aliquem gradum gratiæ. Sic dum peccator per Pœnitentiam justificatur, illa gratia habitualis, quam is in primo suæ justificationis instanti acquirit, dicitur *gratia prima*: omnis autem gratia posterior, quam virtute bonorum operum subsequentium, vel Sacramentorum digne receptorum, ulterius acquirit, dicitur *gratia secunda*; eo quod sit augmentum prioris, ac secundo primum loco acquiratur. His præmotatis, sit

19. CONCL. I. Baptismus, & Pœnitentia, quæ dicuntur *Sacramenta mortuorum*, per se, ac ex vi suæ primariæ institutionis, conferunt primam gratiam sanctificantem; quamvis, si hæc jam præfuerit in anima, per accidens conferant solum augmentum gratiæ. Ita communis Theologorum. Ratio primæ partis est: quia Baptismus primario, & principaliter, est institutus a Christo Domino in ordine ad remissionem peccati originalis; Sacramentum autem Pœnitentiæ in ordine ad remissionem peccati mortalis post Baptismum commissi: atqui talium peccatorum remissio non fit ablique infusione primæ gratiæ sanctificantis; ergo dicta Sacramenta per se conferunt primam gratiam.

20. Altera pars ex eo patet: quia prædicta Sacramenta digne recepta conferunt susceptientibus ex opere operato gratiam sanctificantem; ergo si recipiens jam prius est justificatus, non possunt primam, sed duntaxat secundam gratiam conferre, hoc est, augmentum primæ gratiæ sanctificantis tribuere.

21. CONCL. II. Reliqua quinque novæ Legis Sacramenta, videlicet Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium, *per se*, ac ex vi suæ primariæ institutionis, non conferunt primam gratiam, sed primo pariter instituta sunt ad conferendam secundam gratiam, sive augmentum ejus. Ita communis. Hæc enim de causa ea appellantur Sacramenta vivorum, ac præsupponunt vitam animæ, quæ habetur per inexistentem gratiam sanctificantem.

22. Hinc sequitur, quod, si quis sciens in peccato mortali existens, accedat ad unum illorum quinque Sacramentorum cum sola attritione cognita: ipse non solum per susceptionem talium Sacramentorum non justificetur, neque recipiat primam gratiam (quod tamen fieret virtute Sacramenti Baptismi in necdum baptizatis, & Pœnitentiæ in relapsis post Baptismum, prævia attritione recepti) sed potius de novo gravissime peccet, atque committat peccatum Sacrilegii.

23. CONCL. III. Nihilominus prædicta quinque Sacramenta vivorum per accidens quandoque possunt conferre primam gratiam. Ita communis Theologorum, dempto Sacramento Eucharistiæ, de quo, cum sit institutum per modum cibi & potus, qui mortuis non prodest, nonnulli Theologi tenent oppositum. Declaratur in primis Conclusio. Sic etenim, si quis bona fide existimet, se esse in statu gratiæ, cum tamen revera habeat occultum peccatum mortale, cujus non recordatur, & cum sola attritione accedat ad unum Sacramentum vivorum, illudque recipiat, talis vi Sacramenti justificatur, ac recipit primam gratiam; saltem per accidens. Probatur hoc, simulque posita Conclusio. Quia juxta Conc. Trid. *sess. 7. can. 6. & 7.* omnia Sacramenta novæ Legis habent vim conferendi gratiam non ponentibus obicem: atqui talis homo bona fide accedens, & cum attritione de commissis suis peccatis, jam non ponit obicem; ergo. Minor patet in Sacramento Baptismi, & Pœnitentiæ: simulque ex eo, quia ob tam bonam fidem nullius peccati mortalis sibi conscius est; ergo recipiet gratiam vi Sacramenti: Hæc autem, cum nulla prior inserit, non secunda, sed prima gratia sanctificans erit.

24. Dicitur notanter in Conclusione *per accidens quandoque &c.* Siquidem ab hisce Sacramentis vivorum, in casu posito, per accidens tantum confertur prima illa gratia sanctificans, eo quod ipsa per se & primario a Christo Domino non sint instituta ad primam gratiam conferendam: sed solum hanc conferre possint in casu extraordinario, & accedente bona fide suscipientis, putantis se esse in statu gratiæ, cum tamen non sit ob occultum peccatum mortale: quod totum fit per accidens.

25. CONCL. IV. Sacramenta ejusdem rationis conferunt majorem gratiam magis dispositis, quam alteri minus dispositio: & quidem major illa gratia confertur magis dispositio partim ex opere operantis, ac virtute illius boni motus interioris, quo facta est major ejusmodi dispositio; partim vi Sacramenti,

atque

atque ex opere operato. Prima pars est certa, ac extra controversiam; nam utiq; major illa dispositio ac præparatio promeretur majorem gratiam ex opere operantis; cum hoc ipsum generaliter fiat in omnibus piis actibus justorum.

26. Alteram partem Conclusionis, quod etiam vi Sacramenti, sicque ex opere operato, conferatur major aliqua gratia magis disposito, ait Suarezius *part. 3. tom 3. disp. 8. sect. 4. Concl. 2.* esse communem Theologorum sententiam: & colligitur ex Concilio Trident. *sess. 6. c. 7.* dicente, quod in justificatione, quæ fit in Baptismo, *Justitiam recipiat unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult & secundum cujusque dispositionem & cooperationem*; ergo, si Sacramenta conferunt gratiam secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem, conferunt majorem magis disposito, quam minus disposito. Accedit ratio desumpta ex congruentiis. Siquidem videtur spectare ad suavem Dei providentiam, ac sapientiam, justissimamque distributionem, ut melius disposito virtute Sacramentorum major conferatur gratia: simulque fuit hoc expediens, ut homines excitarentur ad recipienda cum majori devotione, ac reverentia, propter spem majoris fructus spiritualis.

QUÆSTIO III.

Qualis requiratur dispositio ad fructuose recipienda Sacramenta, & præsertim SS. Eucharistiam?

SUMMARIUM.

27 *Ad Sacramenta mortuorum recipienda, sufficit attritio de peccato mortali.*
28 *Pro Sacramentis vivorum requiritur status gratiæ.*
29 *Corollarium.*
30 *Ad dignam Eucharistiæ receptionem debet præmitti Confessio de peccato mortali.*
31 *Textus notabilis Concilii Trident. circa hoc.*
32 *Mandatum ejus celebrantibus injunctum quamprimum confitendi.*
33 *Hoc ly Quamprimum confiteatur, Quid importet?*
34 *Quandoque obligat ad statim confitendum.*
35 *Aliquin extenditur ad triduum.*
36 *Quid, si quis jam confessus, oblitus fuit peccati mortalis?*
37 *Solvitur instantia.*
38 *Limitatur hoc in casu necessitatis.*
39 *Quid, si non adsit necessitas celebrandi &c.*
40 *Copia Confessarii, quando deesse censeatur?*
41 *Quid, si ei differ?*
42 *Dato præcepto confitendi quamprimum, an teneatur Laicus?*
43 *An Sacerdos indigne celebrans?*

27. CONCL. I. Ad recipienda Sacramenta mortuorum, nempe Baptismi & Pœnitentiæ, requiritur in adultis, conscientiam peccatis mortalis habentibus, contritio, vel saltem attritio. Ita communis Theologorum: atque desumitur ex Concilio Trid. *sess. 14. c. 4.* ubi dicitur: *Docet præterea sancta synodus, etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum (Pœnitentiæ) actu suscipiatur: ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccati excludat cum spe veniæ, declarat, donum DEI esse &c. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad DEI gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Hactenus Concilium.

28. CONCL. II. Ad recipienda rite & fructuose Sacramenta vivorum, qualia sunt alia quinque, requiritur per se loquendo status gratiæ. Patet hoc totum ex dictis *q. prac. n. 21. & 22.*

29. Unde, si quis sit sibi conscius peccati mortalis, & velit suscipere Sacramentum Confirmationis, Extremæ Unctionis, Ordinis, vel Matrimonii, tenetur is prius vel per actum contritionis perfectæ, vel per præmissam Confessionem, ac susceptum saltem cum attritione Sacramentum Pœnitentiæ, se in statum gratiæ restituere. Et quidem ob majorem difficultatem in elicienda perfecta contritione communiter solet præmitti, atque ut præmittatur, suaderi Confessio Sacramentalis, quamvis in dictis quatuor Sacramentis jam sufficeret Contritio perfecta

fecta. Verum loquendo de Eucharistia, sit

30. CONCL. III. Ad dignam Augustissimi Eucharistiæ Sacramenti susceptionem, quando quis sibi conscius est alicujus peccati mortalis, omnino requiritur, ut præmittatur Confessio Sacramentalis de tali peccato mortali habita copia Confessarii, nec sufficit Contritio. Ita communis; atque desumitur ex verbis Apostoli, *1. Corinth. 11.* ubi de suscepturis hoc SS. Sacramentum, ait: *Probet autem se ipsum homo, & sic de panis illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

31. Idipsum expresse declarat Concilium Trid. *sess. 13. c. 7. & can. 10.* Verba ejus in *cit. c. 7.* sunt sequentia, ac bene notanda. *Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum: Probet se ipsum homo. Ecclesiastica autem Consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullius sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incumbuerit celebrare, hac Sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris: quod si necessitate urgente, Sacerdos absque previa Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Hactenus Concilium.

32. Notent hoc bene Sacerdotes, quotidie vel saltem sæpius per hebdomadam celebraturi: simulque sciant, cum circa ultima citati Concilii verba, *quamprimum confiteatur*, diversæ inter Theologos fuissent subortæ sententiæ, atque interpretationes, Alexandrum VII. sequentes duas Propositiones damnasse. Prima, & ordine 38. sic habet: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.* Secunda, & ordine 39. sic sonat: *Illa particula, quamprimum, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.* Verum occasione præmissorum.

33. Quæres, quid per ly *quamprimum confiteatur*, in citatis verbis Concilii Tridentini intelligatur? Resp. I. Quantum ad dictam clausulam explicandam, olim variæ exiterunt sententiæ: nam nonnulli eam explicarunt in sensu aperte enervante vim præcepti, prout liquet ex relatis duabus Propositionibus damnatis: alii e contra mandatum illud intellexerunt in toto rigore, quasi statim post Missam teneatur Sacerdos celebrans, si possit, confiteri. Et hec posterior sententia utique in praxi saluberrime practicatur, ut sic conscientiæ, & puritati Sacerdotum celebrantium amplius consulatur; eo præsertim, quia Rubricæ Missalis, *tit. De defectibus dispositionis animæ*, sic habent: *si quis autem in casu necessitatis non habens copiam Confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat. Secus, si contritus: debet tamen, cum primum potuerit, confiteri.* Verum hic rigor, etsi in specialibus circumstantiis sit observandus, non tamen semper sub præcepti districtione obligare videtur, sed opus est distinctione. Hinc

34. Resp. II. Quando hodie post Missæ Sacrificium præmissa contritione, ut supra, peractum, occurrit copia Confessarii, & non sit certum, an sequenti die, quo rursum celebrare teneberis, sis habiturus copiam Confessarii, teneris hodie confiteri. Ita Lugo *disp. 15. de Eucharist. sect. 7. n. 162.* Herincx *disp. 6. de Eucharist. q. 6. n. 81.* recte hoc extendens ad casum, quando sequenti triduo non putatur adfutura occasio confitendi, & alii. Ratio est: quia neglecta isthac copia confitendi, vel daretur nova causa iterum celebrandi sine Confessione, vel non confitendi *quamprimum*. Atqui horum utrumque directe est contra finem, atque intentum Concilii Tridentini; ergo.

35. Resp. III. Seclusis prædictis & aliis specialibus circumstantiis, ac si quis interea non est denuo celebraturus, sive communicaturus, memorato præcepto Ecclesiastico Concilii Tridentini satisfacere videtur, qui intra triduum confitetur. Ita Herincx ibidem, asserens, cit. ly *quamprimum confiteatur*, hoc modo communius explicari; Lugo, Sannig, & alii. Ratio est: quia hujusmodi dictio est moraliter, & civili modo intelligenda; neque ly *quamprimum*, aliud importare videtur, quam ly *illico*, quod in Jure (nisi secus subjecta materia exposcat) ad triduum extenditur, *arg. l. Cum specialis. C. de Judiciis*, ibi: *illico autem, id est, intra triduum proximum sine ulla dilatione.* Et L. ult. C. de Errore Advocat ibi: *Palam ex continenti, id est, triduo proximo*, cum concordantiis.

36. Quæritur II. Quid juris, quando quis jam semel confessus est, sed inculpabiliter oblitus alicujus peccati mortalis? Resp. Per se loquendo, ac seclusis specialibus circumstantiis, quæ ipsum excusare possunt, talis obli-

obligatur confiteri peccatum mortale necdum in Confessione depositum, antequam communicet, vel celebret. Ita Reginaldus *lib. 25. num. 105.* Herincx *loc. cit. num. 75.* & Lugo *nn. 151.* addens, talem, si est Sacerdos celebrans in casu necessitatis prævia Contritione, etiam comprehendi sub præcepto Concilii Tridentini ad *quamprimum* postea confitendum: quamvis nonnulli apud Henriquez *l. 8. cap. 46.* teneant oppositum, eo quod talis jam sit justificatus per Confessionem prævium; quorum sententiam speculative loquendo non esse improbabilem, censet etiam Joan. Bosco *part. 2. Theol. Sacrament. disp. 4. sect. 19. concl. 7.* Ratio autem nostræ repetitionis est: quia præceptum præmittendæ Confessionis ante Communionem, non obligat ad quomodocunque confitendum; sed simpliciter ad confitenda omnia peccata mortalia, quorum quis sibi conscius est.

37. Nec obstat, quod talis vi Sacramenti Pœnitentiæ jam sit justificatus, eique saltem indirecte remissum peccatum mortale, ob ignorantiam invincibilem, aut inculpatam oblivionem non confessum. Respond. enim, omnia peccata mortalia, quorum quis sibi conscius est, ante Sacram Communionem directe subjicienda esse clavibus Ecclesiæ, habita copia Confessarii; prout indicat Concilium Tridentinum *loc. cit.* allegans verba Apostoli 1. *Corinth. 11.* Ex quibus communior Doctorum infert, hoc esse præceptum Juris Divini, & non tantum Ecclesiasticum: unde non sufficit sola absolutio indirecta. Et revera, si quis pro prima vice posset in dicto casu communicare, vel etiam celebrare, posset etiam pro secunda & tertia vice, imo toties, quoties vellet, idipsum facere absque nova prævia Confessione, donec incidat in novum peccatum mortale: quod plane repugnat communi sensui Fidelium.

38. Dicitur notanter *nn. 36. per se loquendo, ac exclusis specialibus circumstantiis*. Nam si quis non amplius habeat copiam Confessarii, urgeatque necessitas celebrandi, vel communicandi; aut si quis jam ad finem communicantium positus recordetur peccati mortalis, quod obliti erat confiteri, hic inde sine nota vel scandalo gravi amplius recedere possit, talis non peccat communicando. Et hoc, etiamsi non eliciat de novo Contritionem: quia peccatum illud jam est remissum, saltem indirecte, vi præviæ Confessionis bona fide peractæ; simulque talis a facienda nova Confessione excusatur ob defectum Confessarii.

39. Quod si vero vel non desit copia Confessarii, vel saltem non urgeat necessitas celebrandi, aut communicandi, stante conscientia peccati mortalis necdum confessi, abstinendum erit a celebratione, vel Communione, donec præmittatur Confessio; ut notat Scotus 4. *dist. 9. q. un.* Navarrus *c. 21. Manual. c. 49.* & communis.

40. Censetur autem deesse copia Confessarii, quando vel absolute deest, cui possit Confessio fieri; vel quando is ex malitia, aut alio capite non vult, vel non potest audire Confessionem: aut quia caret jurisdictione; vel etiam, quando pœnitens rationabiliter timet sibi grave detrimentum, ut puta revelationem Sigilli, vel aliud notabile damnum a Confessario inferendum, & hujusmodi.

41. Quantum autem Confessarius debeat distare, ut censeatur ejus esse defectus, non potest certa regula statui, sed id desumendum est a variis circumstantiis, prudenti judicio ponderandis. Generatim, duntaxat dici potest, tunc deesse copiam Confessarii, quando ob infirmitatem, difficultatem itineris, brevitatem temporis, vel alia occurrentia negotia, aut hujusmodi, sine gravi incommodo, hic & nunc haberi non potest. Ita Lugo *n. 82. & seqq.* Herincx *n. 8.* Reginaldus *n. 109.* & alii.

42. Quæritur III. An hoc præcepto confitendi *quamprimum* teneatur Laicus, qui in casu necessitatis communicavit sine Confessione, sed cum contritione? Resp. negative. Ratio est: quia præceptum confitendi *quamprimum* Sacerdotibus, ut supra, celebrantibus incumbens, non est Juris Divini (nam præceptum Divinum non obligat ad confitendum post Communionem, sed ante eam, dummodo habeatur occasio confitendi) sed est præceptum merè Ecclesiasticum jure novo Concilii Trident. Celebrantibus impositum; atqui Concilium Trid. nullam facit mentionem Laicorum, sed duntaxat Sacerdotum celebrantium; ergo ejus præceptum non est extendendum ad laicos. Ita Bonacina *disp. 2. de Eucharistia q. 7. punct. 1. nu. 37. & 40.* Hoc etiam extendens ad Sacerdotem in casu necessitatis more Laicorum communicantem, cum Tridentinum loquatur solum de Sacerdotibus: Suarez, Reginaldus, aliique; quamvis non desint oppositum tenentes.

43. Quæritur IV. Utrum Sacerdos malitiose

tiose celebrans in statu peccati mortalis, teneatur vi præfati præcepti ad confitendum quamprimum: Resp. negative; nam hic non celebravit urgente necessitate, atque præmissa contritione (de quo casu loquitur Concilium Trid.) sed ex malitia; ac proinde celebrando, jam gravissime peccavit. Bonacina *ibid. n. 30.*

QUÆSTIO IV.

De Charactere; ubi & de Sacramentis cum Fictione susceptis.

SUMMARIUM.

44 *Ratio Ordinis.*
45 *Character, quid?*
46 *Tria Sacramenta imprimunt Characterem:*
47 *Et cur hæc,*
48 *Videlicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo,*
49 *Et non alia imprimant Characterem?*
50 *Character nec morte deletur.*
51 *Corollarium notabile.*
52 *Fictio in proposito, quid?*
53 *Fictio negativa, & positiva, quæ?*
54 *Baptismus ficte susceptus, recedente fictione confert effectum:*
55 *Similiter Confirmatio, & Ordo.*
56 *Quid de aliis quatuor Sacramentis?*
57 *Præsertim cum fictione negativa receptis?*

44. POst explicatum principalem Sacramentorum effectum, qui est Gratia, pergendum ad alterum ipsorum effectum minus principalem, qui est Character. De quo loquendo, sit

45. CONCL. I. *Character*, quantum ad propositum, est signum spirituale, impressum a Deo animæ suscipientis Sacramentum non iterabile. Ita Scotus. 4. *dist. 6. quæst. 9.* estque in re communis. Ejus frequens mentio est apud SS. Patres, ac etiam in S. Scriptura; ut 2. *Corinth. 1. Qui unxit nos Deus, qui & signavit nos.* Et *Ephes. 1. In quo signati estis Spiritu promissionis sancto.*

46. CONCL. II. Tria sunt Sacramenta, quibus talis Character indelebilis imprimitur, videlicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo: quæ proinde Sacramenta iterari non possunt. Ita de Fide; habeturque definitum in Concilio Florentino, in Decreto Unionis, ac novissime in Trident. *Sess. 7. can. 9.* his verbis: *Si quis dixerit, tria tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt: anathema sit.*

47. Cur autem hæc tria Sacramenta imprimant Characterem, & non alia quatuor, causa primaria est voluntas DEI, ac Christi ita instituentis; quæ nobis sufficienter constat ex perpetua traditione, atque authoritate Ecclesiæ. Accedit congruentia, quam Doctor Subtilis 4. *dist. 6. quæst. 10.* desumit ex Politia humana, in qua diversi Ministri, in familia cujuspiam magni Principis constituti, diversis, certisque Insignibus notantur, quibus eorum munus dignoscatur, atque ipsi inter se assimilentur, & ab aliis distinguantur; unde congruum fuit, ut simile quid fieret in Aula Summi Regis Christi JESU.

48. Hinc, quia per Baptismum assumitur quis in Familiam, seu Ecclesiam Christi, ejusque Servus incipit esse; accipit is in anima sua Characterem, quo denotatur esse Servus Christi, & convenit cum reliquis Christianis, differt autem ab Ethnicis, & Judæis. Idem contingit in Confirmatione, qua quis inungitur in Militem Christi ad fortiter defendendam, & confitendam Fidem ejus: atque in Sacramento Ordinis, quo quis deputatur in Ducem, ac unum ex Magistratu Familiæ Christi, seu Dispensatorem Mysteriorum DEI.

49. Quia vero per reliqua Sacramenta non deputatur homo ad speciale munus in Ecclesia, seu Familia Christi peragendum (sicut neque id accidit in Familia terreni Regis, ex eo, quod quis comedat & bibat, aut ipsi offenso reconcilietur: vel a morbis curetur, aut per generationem personas in ejus Familia multiplicet) hinc congruum fuit, ut reliqua quatuor Sacramenta Characterem non imprimerent.

50. CONCL. III. Character, qui per prædicta tria Sacramenta imprimitur, ita est signum indelebile impressum animæ suscipientis, ut neque in morte hominis deleatur. Ita communis. Ratio est: quia aliquin a SS. Conciliis Generalibus non posset dici absolute esse *Signum indelebile*. Hinc

51. Infertur, quod Character Sacramentalis remaneat in animabus Beatorum in cœlis existentium, & quidem ad majorem eorumdem gloriam, saltem accidentalem. Quinimo remanet quoque in animabus Damnatorum, quamvis ad majorem ipsorum confusionem. Infertur ulterius, si quis rite baptizatus, confirmatus, aut Ordine v. g.

Si-

Sacerdotali initiatus moriatur, atque miraculose a mortuis resuscitetur, eundem non posse amplius licite, aut valide baptizari, confirmari, aut denuo in Sacerdotem ordinari: remanet enim in ejusdem anima Character indelebiliter, unde nec dicta Sacramenta amplius reiterari possunt. Sed occasione dictorum, & quoad alteram partem Quæstionis,

52. Quæres: utrum Sacramenta, præsertim imprimentia Characterem, & ficte suscepta, recedente Fictione conferant suum effectum gratiæ? Ubi notandum, quod *Fictio* hic non accipiatur pro defectu interioris intentionis suscipiendi Sacramentum: ut si quis simulate accedens, permitteret se exterius aqua ablui, interius autem nollet suscipere Baptismum. Certum quippe est, tale Sacramentum invalide suscipi, ob defectum intentionis, ac proinde Baptismum sic susceptum nec imprimere Characterem, nec unquam postea habere effectum gratiæ ex opere operato consequendæ. Igitur in proposito, juxta receptam phrasin Theologorum, *Fictio* accipitur pro indispositione recipientis, effectum Sacramenti impediente, dum cæteroquin Sacramentum est validum. Nam etiam ille, qui suscipit Baptismum v. g. cum vera intentione, sed sine debita dispositione, committit quandam Fictionem, dum exterius ostendit, se recipere Sacramentum cum legitima dispositione, qua tamen interius caret. Unde de tali verificatur illud *Sapient. 1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.*

53. Porro hujusmodi *Fictio*, seu indispositio recipientis, atque obex impediens effectum Sacramenti, adhuc duplex esse potest. Una *negativa*, & absque peccato: ut dum quis ad Sacramentum accedit indispositus, hoc tamen invincibiliter ignorat, atque ideo in ejus receptione non peccat. Alia *positiva*, & cum peccato: ut cum quis scienter recipit Sacramentum indispositus, sicque illud recipiendo peccat. Hoc prænotato,

54. Resp. I. Baptismus ficte susceptus, recedente per veram pœnitentiam Fictione confert effectum suum; ac proinde effectus gratiæ sanctificantis, si propter obicem peccati mortalis, vel indispositionem suscipientis, tempore suscepti Baptismi impeditus fuit, remoto obice postmodum confertur. Ita communis Theologorum; eisque expressa sententia D. Augustini *lib. 1. de Baptismo cap. 12.* ac refertur *can. Tunc valere de consecr. dist. 4.* ubi ait, *Tunc valere incipit ad salutem Baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, qua corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri.*

55. Resp. II. Etiam Confirmatio, & Ordo, veluti Sacramenta Characterem imprimentia, & irreiterabilia, si ficte seu indispositè recepta sint, conferunt effectum gratiæ Sacramentalis recedente Fictione. Ita communior, & probabilior Doctorum, quamvis non desint oppositum tenentes. Ratio est: quia non videtur esse major ratio de Baptismo, ac de hisce duobus Sacramentis: utpote cum quodlibet horum imprimat Characterem, sitque amplius irreiterabile; & alioquin recipiens, teneretur carere effectu ipsorum in perpetuum. Accedit, quod Confirmatio sit veluti perfectio, & consummatio Baptismi, *arg. cap. De his de confirm. dist. 5.*

56. Resp. III. Alia quatuor Sacramenta, si cum Fictione positiva, novoque peccato sacrilege recipiantur, recedente Fictione non conferunt effectum suum gratiæ sanctificantis. Disparitas inter illhæc, & priora, est: quia hæc Sacramenta non imprimunt Characterem, possuntque iterari, ac sæpius recipi; sicque eorum effectus alio tempore acquiri. Quinimo specialiter loquendo de SS. Eucharistiæ Sacramento, dicitur 1. *Cor. 11. Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit.*

57. Additur, *cum fictione positiva*. Nam, si recipiatur Sacramentum cum Fictione negativa (hoc est, prætermittendo debitam dispositionem inculpabiliter, & sine peccato, v. g. ex casu inopinato, aut inadvertentia, nullam præmittendo attritionem) multi Doctores sunt, arbitrantes, hujusmodi Sacramenta conferre effectum suum recedente per veram dispositionem Fictionem: cum hoc videatur conformius infinitæ Bonitati Divinæ. Bonac. *disp. 1. de Sacramentis q. 6. punct. 3.* Suarez, Cajetanus, & alii; quamvis hoc ipsum a non paucis vel negetur, vel in dubium revocetur.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An, & quomodo singula Sacramenta sint necessaria ad salutem?

SUMMARIUM.

(b) Tract. 4. Dist. 2. n. 12.
58 *Necessitas medii, & necessitas præcepti, quid?*
59 *Baptismus est necessarius necessitate medii, & præcepti.*
60 *Loquendo de Baptismo in re, vel saltem in voto.*
61 *Baptismus fluminis,*
62 *Baptismus flaminis, &*
63 *Baptismus sanguinis, quid?*
64 *Martyrium supplet vicem Baptismi. Et confert gratiam ex opere operato.*
(c) Tract. 7. Dist. 1. quæst. 6. per totum.
65 *Sacramentum Pœnitentiæ, quomodo sit necessarium?*
66 *Et quibus?*
(d) Ut dictum Tract. 10. Dist. 3. n. 13. & 14.
67 *Eucharistia, quomodo necessaria?*
(e) Tract. 10. Dist. 3. q. 3.
68 *Confirmatio, & Extrema Unctio, an necessaria?*
69 *Per accidens quandoque obligant.*
70 *Quid observandum in praxi?*
71 *Sacramentum Ordinis, & Matrimonii, an sit necessarium?*

58. ESt hic recolendum ex jam alibi (b) dictis, quod, quantum ad salutem animæ consequendam, communiter duplex a Theologis distinguatur necessitas, una medii, altera præcepti. *Necessitas medii* illa dicitur, qua quispiam ita est necessarium ad consequendum finem, v. g. æternam salutem, ut sine eo non possit ullatenus finis obtineri: sic gratia sanctificans est necessaria respectu vitæ æternæ; item & Baptismus in statu Legis Evangelicæ, quia de facto sine ipso, etiamsi ex ignorantia, vel impotentia, aut inculpabili oblivione prætermittatur, salus æterna non obtinetur. *Necessitas præcepti* ea est, qua aliquid sub obligatione cujuspiam præcepti necessario præstandum est ad salutem consequendam, eo quod alias quis mortaliter peccaret, sicque æternam salutem amitteret; quamvis, si ex ignorantia, vel impotentia, aut oblivione inculpabili id forte prætermittatur, non impediat æternæ Vitæ consecutionem: sic necessaria est ad salutem observantia mandatorum.

59. CONCL. I. Baptismus in statu Legis Evangelicæ non solum est necessarius ad salute necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii. Ita certa, & communis Theologorum. Et quidem necessitate medii Baptismus est necessarius respectu omnium hominum, etiam parvulorum: quia nullus sine ipso potest vitam æternam consequi, licet ex ignorantia invincibili non baptizetur, prout contingit in parvulis, sine Baptismo, cum solo peccato originali, in utero materno decedentibus. Necessitate vero præcepti Baptismus est necessarius solum respectu adultorum, non autem parvulorum; nam adulti tantum sunt præcepti capaces, ac proinde peccant, si oblata opportunitate negligant recipere Baptismum. Secus est de parvulis: qui proinde, si moriuntur sine Baptismo, non damnantur propter transgressionem Legis de recipiendo Baptismo, sed solum propter culpam originalem, quæ defectu Baptismi non fuit in ipsis deleta.

60. CONCL. II. Nihilominus ea, quæ dicta fuerunt de necessitate Baptismi, sunt intelligenda de Baptismo in re, vel saltem in voto suscepto. Ita omnes Catholici; & constat ex definitione Ecclesiæ, ac unanimi SS. Patrum consensu. Sic enim *c. Baptismi vicem de consecr. dist. 4. & cap. Apostolicam de Presbyt. non baptizato*, dicitur, quod, quando deest possibilitas recipiendi Baptismum in re, possit homo salvari per Baptismum in voto susceptum. Idem habetur in Concilio Trid. *sess. 6. c. 3.* ubi illa sententia Salvatoris, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei, Joan. 3.* explicatur de Sacramento Baptismi in re, vel in voto suscepto.

61. Unde celebris est illa divisio Baptismi apud SS. Patres, & Theologos in Baptismum fluminis, flaminis, & sanguinis. *Baptismus fluminis* est Sacramentum Baptismi re ipsa susceptum, seu in aqua cum debita verborum forma collatum. Et hic Baptismus est primum Sacramentum novæ Legis, & fundamentum aliorum Sacramentorum; adeo ut eo non suscepto cætera Sacramenta valide & fructuose non recipiantur. Hinc si quis non actu Baptizatus in aqua, ordinaretur in Sacerdotem, invalida foret talis Ordinatio; non obstante, quod is forsan per Baptismum flaminis (qui Sacramentum non est, etsi in casu

casu necessitatis suppleat vicem Baptismi, quantum opus est ad consequendam gratiam justificantem, & vitam æternam) antea fuisset justificatus: ac proinde deprehenso errore, talis foret in aqua baptizandus, & rursum ordinandus; prout expresse habetur *cit. c. Apostolicus. De Presbyt. non bapriz.* Nam Baptismus fluminis, qui solus ex dicto triplici Baptismo Sacramentum est, cæterorum Sacramentorum janua exstitit.

62. *Baptismus flaminis* aliud non est, quam contritio perfecta hominis includens propositum servandi omnia præcepta, & consequenter etiam votum recipiendi Baptismum aquæ, seu Sacramentum Baptismi in re necdum receptum. Porro, quod Baptismus flaminis suppleat Sacramentum Baptismi, quantum ad effectum gratiæ sanctificantis, atque remissionem peccatorum, vitamque æternam consequendam, si desit occasio recipiendi Sacramentum Baptismi in re; patet non solum ex definitione Ecclesiæ, & communi SS. Patrum consensu, sed insuper desumitur ex illis S. Scripturæ locis, in quibus promittitur justificatio, & peccatorum remissio, hominibus vere pœnitentibus. Sic quippe dicitur *Ezech. cap. 18. si egerit pœnitentiam impius, vita vivet; & non morietur*, cum concordantiis.

63. *Baptismus sanguinis* aliud non est, quam Martyrium supplens defectum Baptismi aquæ. Fit additur *supplens defectum Baptismi aquæ*: quia, si quis jam baptizatus Martyrium sustineat (vel habeat contritionem perfectam) is proprie non habet Baptismum sanguinis, & flaminis; cum non possit amplius includere votum recipiendi Baptismum aquæ, eo quod illud Sacramentum sit irreiterabile.

64. Cæterum, quod Martyrium suppleat defectum Sacramenti Baptismi, quando deest possibilitas hoc recipiendi, patet ex illa generali promissione Christi, *Matth. 10. Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*, & alibi. Imo hoc adeo verum est, ut Martyrium etiam in parvulis (qui tamen proprium actum, quo Martyrium propter Christum acceperint, habere non possunt) suppleat vicem Baptismi: nam ipso opere perdunt animam suam propter Christum, atque ad instar innocentium Martyrum, ab Herode occisorum, præconium Christi non loquendo, sed moriendo confitentur. Ex quo fundamento communior opinio Theologorum docet, quod Martyrium conferat gratiam ex opere operato; cum ex speciali privilegio Christi, ejusque meritis justificet parvulos, qui proprium actum bonum habere nequeunt. Plura de Martyrio, suo loco (c) videantur. Nunc ulteritus loquendo de cæteris Sacramentis, sit

65. CONCL. III. Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel saltem in voto, necessarium est ad salutem necessitate medii, ac etiam præcepti, omnibus adultis post receptum Sacramentum Baptismi in peccatum mortale relapsis. Patet hoc inter alia ex Concilio Tridentino *sess. 14. c. 2.* ubi sic habetur: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentia lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regenitatis ipse Baptismus.*

66. Dicitur notanter, *adultis post receptum Sacramentum Baptismi in peccatum mortale lapsis*. Siquidem iis, qui justitiam in Baptismo susceptam constanter tuentur, non est necessario opus hoc Sacramento, ut Concilium Tridentinum *loc. cit. c. 1.* fatetur. Et hoc adeo verum est, ut si quis nullius peccati mortalis sibi conscius sit, is neque ad Confessionem annuam obligetur. (d) Quamvis utique cuilibet, etiam nullius peccati mortalis sibi conscio, summe consulendum sit, in dicto casu hujus Sacramenti sese participem efficere, sola venialia cum debito dolore confitendo, quod probi plerique, ob multiplices fructus Sacramenti Pœnitentiæ, sæpius per annum facere non intermittunt.

67. CONCL. IV. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum adultis est necessarium necessitate præcepti. Ratio est clara: quia extat præceptum, ut quandoque ab adultis, præsertim tempore Paschali, atque in mortis articulo, hoc Sacramentum reverenter digneque recipiatur, prout amplius ostensum suo loco. (e)

68. CONCL. V. Licet nullum extet præceptum de recipiendo Sacramento confirmationis, aut Extremæ Unctionis in mortis articulo, ac proinde hæc duo Sacramenta per se, ac simpliciter loquendo, non sint necessaria ad salutem, neque necessitate medii, neque præcepti: adhuc tamen necessarium est, ut non contemnantur. Ita Scotus 4. *dist. 7. q. 2.* D. Bonaventura, & Theologi communiter. Nullibi enim reperitur præceptum clarum de receptione horum Sacramentorum, seclusio contemptu. Et hoc additur ex eo, quia alioquin ratione contemptus peccatum committeretur, ut si quis ex eo omitteret horum Sacramentorum receptionem, quia ipsa parvi æstimaret.

69. Dein-

69. Deinde certum est, ex dictorum Sacramentorum omissione posse graviter delinqui per accidens, seu ratione scandali: ut si quis ea recipere negligat in talibus circumstantiis, unde alii graviter scandalizentur. Eadem obligatio per accidens occurrere posset ob alias circumstantias: ut si ponatur casus, quo ingruentes tentationes aliter vinci non posset, nisi receptione hujus, vel illius Sacramenti: quamvis hic casus rarius accidere posse videatur, cum communiter sufficientes resistendi vires per Orationes, Confessionem, & alia remedia spiritualia obtineri valeant.

70. In praxi igitur serius admonendi sunt Fideles, ne hujusmodi Sacramentum negligant suscipere, præsertim oblata majori opportunitate illud recipiendi; tum ne se privent maximo fructu, virtute Sacramenti consequendo; tum ne illud contemnere videantur. *Judicaretur enim contemptus, si omnimoda opportunitate oblata non susciperetur*, inquit Doctor Subtilis *cit. qu. 2.* solvens instantiam ex *cap. Omnes fideles de Consecrat. dist. 5.* adductam.

71. CONCL. VI. Sacramentum Ordinis, atque Matrimonii, non est necessarium singulis, sed tantum toti Ecclesiæ. Hæc Conclusio ex eo patet: quia neque singuli in particulari obligantur esse Sacerdotes, neque singuli tenentur nubere; quamvis, si nulli prorsus fierent Sacerdotes, aut nulli Matrimonium inirent, illinc Ecclesiastica Hierarchia, hinc autem legitima propagatio populi Christiani brevi esset interitura.

DISTINCTIO III.

De Baptismo, & Confirmatione.

QUÆSTIO I.

Quid sit Baptismus, & quo tempore institutus, quæque ejus obligatio?

SUMMARIUM.

1 *Hic sermo est tantum de Baptismo fluminis;*
Qui est janua Sacramentorum,
2 *Baptismus, quid?*
3 *Fuit institutus a Christo ante suam Passionem.*
4 *Solvitur instantia.*
5 *Num institutus tempore Christi a Joanne Baptizati?*
6 *Vel potest primum tempore oppertune?*
7 *Ad Baptismum suscipiendum tenentur omnes homines.*
8 *Infidelium filii, an possint baptizari invitis parentibus?*
9 *Præsertim licite?*
10 *Casus, in quibus hoc licitum est.*

1. IN præsenti sermo non est de Baptismo flaminis, neque de Baptismo sanguinis, sed duntaxat de Baptismo fluminis: utpote qui solus absolute dicitur Baptismus, estque unicus, juxta illud *Ephes. 4. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Quique solus est Sacramentum, quinimo janua & *Fundamentum omnium Sacramentorum, ante cujus susceptionem non suscipitur aliud Sacramentum*, ut dicitur in *c. Veniens de Presbyt. non baptizato.* Dummodo excipiatur Sacramentum Eucharistiæ: nam non baptizatus accipit verum Corpus Christi, si ei ministretur Eucharistia, prout ibidem notatur: quamvis illud fructuose non recipiat.

2. CONCL. I. *Baptismus* est Sacramentum ablutionis animæ a peccato, consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in certis verbis simul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis. Ita Scotus 4. *dist. 3. q. 1.* Neque hæc definitio in re differt ab ea, quam tradit Catechismus Romanus, dicendo: *Baptismus est Sacramentum regenerationis per lavacrum aqua in verbo vitæ*: quamvis prior ratio naturam Sacramenti Baptismi clarius explicet, utpote continens omnia ad ipsum requisita.

3. CONCL. II. Baptismus, qui est janua reliquorum Sacramentorum novæ Legis, fuit a Christo Domino institutus, & quidem ante suam passionem & mortem. Prima pars est de Fide, & constat ex dictis *dist. 1. num. 7. & 9.* Altera pars ex eo probatur: tum quia Baptismus est janua cæterorum Sacramentorum, ficque ante Sacramentum Ordinis, in ultima Cœna Discipulis collati, ipsisque Eucharistiæ, institui debuit. Tum

casu necessitatis suppleat vicem Baptismi, quantum opus est ad consequendam gratiam justificantem, & vitam æternam) antea fuisset justificatus: ac proinde deprehenso errore, talis foret in aqua baptizandus, & rursum ordinandus; prout expresse habetur *cit. c. Apostolicus. De Presbyt. non bapriz.* Nam Baptismus fluminis, qui solus ex dicto triplici Baptismo Sacramentum est, cæterorum Sacramentorum janua exstitit.

62. *Baptismus flaminis* aliud non est, quam contritio perfecta hominis includens propositum servandi omnia præcepta, & consequenter etiam votum recipiendi Baptismum aquæ, seu Sacramentum Baptismi in re necdum receptum. Porro, quod Baptismus flaminis suppleat Sacramentum Baptismi, quantum ad effectum gratiæ sanctificantis, atque remissionem peccatorum, vitamque æternam consequendam, si desit occasio recipiendi Sacramentum Baptismi in re; patet non solum ex definitione Ecclesiæ, & communi SS. Patrum consensu, sed insuper desumitur ex illis S. Scripturæ locis, in quibus promittitur justificatio, & peccatorum remissio, hominibus vere pœnitentibus. Sic quippe dicitur *Ezech. cap. 18. si egerit pœnitentiam impius, vita vivet; & non morietur*, cum concordantiis.

63. *Baptismus sanguinis* aliud non est, quam Martyrium supplens defectum Baptismi aquæ. Fit additur *supplens defectum Baptismi aquæ*: quia, si quis jam baptizatus Martyrium sustineat (vel habeat contritionem perfectam) is proprie non habet Baptismum sanguinis, & flaminis; cum non possit amplius includere votum recipiendi Baptismum aquæ, eo quod illud Sacramentum sit irreiterabile.

64. Cæterum, quod Martyrium suppleat defectum Sacramenti Baptismi, quando deest possibilitas hoc recipiendi, patet ex illa generali promissione Christi, *Matth. 10. Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*, & alibi. Imo hoc adeo verum est, ut Martyrium etiam in parvulis (qui tamen proprium actum, quo Martyrium propter Christum acceperint, habere non possunt) suppleat vicem Baptismi: nam ipso opere perdunt animam suam propter Christum, atque ad instar innocentium Martyrum, ab Herode occisorum, præconium Christi non loquendo, sed moriendo confitentur. Ex quo fundamento communior opinio Theologorum docet, quod Martyrium conferat gratiam ex opere operato; cum ex speciali privilegio Christi, ejusque meritis justificet parvulos, qui proprium actum bonum habere nequeunt. Plura de Martyrio, suo loco (c) videantur. Nunc ulteritus loquendo de cæteris Sacramentis, sit

65. CONCL. III. Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel saltem in voto, necessarium est ad salutem necessitate medii, ac etiam præcepti, omnibus adultis post receptum Sacramentum Baptismi in peccatum mortale relapsis. Patet hoc inter alia ex Concilio Tridentino *sess. 14. c. 2.* ubi sic habetur: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentia lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regenitatis ipse Baptismus.*

66. Dicitur notanter, *adultis post receptum Sacramentum Baptismi in peccatum mortale lapsis*. Siquidem iis, qui justitiam in Baptismo susceptam constanter tuentur, non est necessario opus hoc Sacramento, ut Concilium Tridentinum *loc. cit. c. 1.* fatetur. Et hoc adeo verum est, ut si quis nullius peccati mortalis sibi conscius sit, is neque ad Confessionem annuam obligetur. (d) Quamvis utique cuilibet, etiam nullius peccati mortalis sibi conscio, summe consulendum sit, in dicto casu hujus Sacramenti sese participem efficere, sola venialia cum debito dolore confitendo, quod probi plerique, ob multiplices fructus Sacramenti Pœnitentiæ, sæpius per annum facere non intermittunt.

67. CONCL. IV. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum adultis est necessarium necessitate præcepti. Ratio est clara: quia extat præceptum, ut quandoque ab adultis, præsertim tempore Paschali, atque in mortis articulo, hoc Sacramentum reverenter digneque recipiatur, prout amplius ostensum suo loco. (e)

68. CONCL. V. Licet nullum extet præceptum de recipiendo Sacramento confirmationis, aut Extremæ Unctionis in mortis articulo, ac proinde hæc duo Sacramenta per se, ac simpliciter loquendo, non sint necessaria ad salutem, neque necessitate medii, neque præcepti: adhuc tamen necessarium est, ut non contemnantur. Ita Scotus 4. *dist. 7. q. 2.* D. Bonaventura, & Theologi communiter. Nullibi enim reperitur præceptum clarum de receptione horum Sacramentorum, seclusio contemptu. Et hoc additur ex eo, quia alioquin ratione contemptus peccatum committeretur, ut si quis ex eo omitteret horum Sacramentorum receptionem, quia ipsa parvi æstimaret.

69. Dein-

69. Deinde certum est, ex dictorum Sacramentorum omissione posse graviter delinqui per accidens, seu ratione scandali: ut si quis ea recipere negligat in talibus circumstantiis, unde alii graviter scandalizentur. Eadem obligatio per accidens occurrere posset ob alias circumstantias: ut si ponatur casus, quo ingruentes tentationes aliter vinci non posset, nisi receptione hujus, vel illius Sacramenti: quamvis hic casus rarius accidere posse videatur, cum communiter sufficientes resistendi vires per Orationes, Confessionem, & alia remedia spiritualia obtineri valeant.

70. In praxi igitur serius admonendi sunt Fideles, ne hujusmodi Sacramentum negligant suscipere, præsertim oblata majori opportunitate illud recipiendi; tum ne se privent maximo fructu, virtute Sacramenti consequendo; tum ne illud contemnere videantur. *Judicaretur enim contemptus, si omnimoda opportunitate oblata non susciperetur*, inquit Doctor Subtilis *cit. qu. 2.* solvens instantiam ex *cap. Omnes fideles de Consecrat. dist. 5.* adductam.

71. CONCL. VI. Sacramentum Ordinis, atque Matrimonii, non est necessarium singulis, sed tantum toti Ecclesiæ. Hæc Conclusio ex eo patet: quia neque singuli in particulari obligantur esse Sacerdotes, neque singuli tenentur nubere; quamvis, si nulli prorsus fierent Sacerdotes, aut nulli Matrimonium inirent, illinc Ecclesiastica Hierarchia, hinc autem legitima propagatio populi Christiani brevi esset interitura.

DISTINCTIO III.

De Baptismo, & Confirmatione.

QUÆSTIO I.

Quid sit Baptismus, & quo tempore institutus, quæque ejus obligatio?

SUMMARIUM.

1 *Hic sermo est tantum de Baptismo fluminis;*
Qui est janua Sacramentorum,
2 *Baptismus, quid?*
3 *Fuit institutus a Christo ante suam Passionem.*
4 *Solvitur instantia.*
5 *Num institutus tempore Christi a Joanne Baptizati?*
6 *Vel potest primum tempore oppertune?*
7 *Ad Baptismum suscipiendum tenentur omnes homines.*
8 *Infidelium filii, an possint baptizari invitis parentibus?*
9 *Præsertim licite?*
10 *Casus, in quibus hoc licitum est.*

1. IN præsenti sermo non est de Baptismo flaminis, neque de Baptismo sanguinis, sed duntaxat de Baptismo fluminis: utpote qui solus absolute dicitur Baptismus, estque unicus, juxta illud *Ephes. 4. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Quique solus est Sacramentum, quinimo janua & *Fundamentum omnium Sacramentorum, ante cujus susceptionem non suscipitur aliud Sacramentum*, ut dicitur in *c. Veniens de Presbyt. non baptizato.* Dummodo excipiatur Sacramentum Eucharistiæ: nam non baptizatus accipit verum Corpus Christi, si ei ministretur Eucharistia, prout ibidem notatur: quamvis illud fructuose non recipiat.

2. CONCL. I. *Baptismus* est Sacramentum ablutionis animæ a peccato, consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in certis verbis simul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis. Ita Scotus 4. *dist. 3. q. 1.* Neque hæc definitio in re differt ab ea, quam tradit Catechismus Romanus, dicendo: *Baptismus est Sacramentum regenerationis per lavacrum aqua in verbo vitæ*: quamvis prior ratio naturam Sacramenti Baptismi clarius explicet, utpote continens omnia ad ipsum requisita.

3. CONCL. II. Baptismus, qui est janua reliquorum Sacramentorum novæ Legis, fuit a Christo Domino institutus, & quidem ante suam passionem & mortem. Prima pars est de Fide, & constat ex dictis *dist. 1. num. 7. & 9.* Altera pars ex eo probatur: tum quia Baptismus est janua cæterorum Sacramentorum, ficque ante Sacramentum Ordinis, in ultima Cœna Discipulis collati, ipsisque Eucharistiæ, institui debuit. Tum

quia Christus, vel potius ejus Discipuli, jam leguntur baptizasse *Joan. 3. & 4.* & consequenter illo tempore Baptismus Christi jam fuit institutus; cum non sit credibile, Apostolos alium Baptismum contulisse, quam Christi.

4. Nec obstat, quod Christus primum post suam gloriosam Resurrectionem dixerit Apostolis, *Matth. 28. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Resp. enim, tunc quidem Apostolis esse datum generale mandatum prædicandi Baptismum ubique terrarum; non tamen illo primum tempore fuisse institutum Baptismum.

5. Cæterum, quo determinato tempore Christus instituerit Baptismum, variant Doctores. Et quidem D. Thomas *3. p. q. 66. art. 2.* cum suis, & multis aliis, censet, Baptismum, in quantum Sacramentum est, fuisse institutum a Christo eo tempore, quo ipse a Joanne in Jordane Baptizatus fuit. Et potest hæc sententia suaderi ex eo: quia tunc Christus tactu suæ mundissimæ carnis consecravit fluenta Jordanis, atque aquam naturalem pro materia Baptismi dedicavit. Insuper eodem tempore tota SS. Trinitas, in cujus nomine confertur hoc Sacramentum, simul apparere dignata est: dum Pater Cœlestis de cœlo loquebatur, *Hic est Filius meus dilectus*; Filius baptizabatur: & super eum Spiritus Sanctus in columbæ specie apparebat.

6. Verum hæc sententia nonnullas patitur instantias. Tum quia Christus, dum baptizabatur, non suscepit Sacramentum Baptismi, sed Baptismum Joannis duntaxat, qui Sacramentum non erat. Tum quia Christus eo tempore necdum prædicavit, neque Discipulos habuit, & consequenter non videtur tunc instituisse Sacramentum Baptismi; haud obstante, quod ex tunc consecraverit aquas Jordanis, imo & quamcunque aquam naturalem, ut esset materia apta Baptismi a se instituendi. Atque ideo Scotus *4. dist. 3. quæst. 4.* & Scotistæ passim, probabilius esse censent, Sacramentum Baptismi non pro tunc, quando Christus baptizabatur a Joanne, sed paulo post institutum fuisse tempore opportuno, tamen ante illud tempus, quo Discipuli ejus baptizarunt; quamvis de tempore illo determinato ex S. Scriptura clare non constet.

7. CONCL. III. Ad Baptismum suscipiendum in statu Legis Evangelicæ, post sufficientem ejus promulgationem tenentur omnes homines: unde etiam Judæi, ac Pagani, obligantur præcepto recipiendi Baptismum. Ita Scotus *4. d. 3. qu. 4.* D. Thomas *part. 3. qu. 68. art. 1.* & Theologi communiter. Ratio est: quia omnes homines etiam Pagani, atque Judæi, obligantur ad procurandam propriam salutem æternam; ergo etiam tenentur ad id, sine quo salutem consequi non possunt: atqui sine Baptismo nequeunt consequi salutem æternam; juxta illud Salvatoris, *Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

8. Quæres: utrum Infidelium filii invitis parentibus suis baptizari possint? Resp. Eos quidem valide baptizari; tamen ordinarie non esse licitum, invitis parentibus Infidelibus eorum infantes baptizare. Ita Doctor Angelicus *loc. cit. art. 10.* aliique communiter. Ratio primæ partis est: quia ad valorem Baptismi ex parte infantium non requiritur propria dispositio *c. Majores de Baptismo.* Neque obstat ipsis parentum contradictio; quia infantes non baptizantur in fide suorum parentum, sed in fide totius Ecclesiæ, ac secundum voluntatem Christi.

9. Altera pars ex eo probatur; quia filii Infidelium ante usum rationis secundum Jus naturale sunt sub cura parentum; & ideo contra justitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur. Accedit, quod periculosum sit, tales filios Infidelium baptizare; quia de facili ad Infidelitatem redibunt, propter affectum ad parentes, eorumque exemplum: unde neque Ecclesia hactenus consuevit filios Infidelium invitis eorum parentibus baptizare.

10. Dicitur notanter *num. 8. Id ordinarie non esse licitum.* Nam hinc excipiuntur aliqui casus. I. Si infans constitutus sit in articulo mortis: nam tunc cessat periculum subversionis, ac proinde potest baptizari etiam insciis, vel invitis parentibus; dummodo hoc fieri valeat absque gravioribus incommodis. Idem dicendum, si filii Infidelium sint perpetuo amentes. II. Si infans ab Infidelibus parentibus sit separatus, nec ipsis amplius possit, aut saltem non debeat restitui; nam tunc baptizandus est. III. Si unus e parentibus consentiat, altero dissentiente: quia tunc ob favorem Religionis, salutemque prolis, præfertur voluntas consententis in Baptismum, veluti justior. IV. Si proles ad usum rationis pervenerit, aut saltem pervenisse ex quibusdam indiciis colligi possit, baptizarique velit: etenim in

in iis, quæ concernunt salutem animæ, homo non dependet a parentibus.

QUÆSTIO II.

Quæ sit materia Baptismi, qualisque requiratur ablutio baptizandi?

SUMMARIUM.

11 *Materia Baptismi remota, & proxima, quæ?*
12 *Aqua Baptismalis de præcepto Ecclesiæ debet esse benedicta.*
13 *Ad valorem Baptismi requiritur vera ablutio.*
14 *Corollarium.*
15 *Aliud Corollarium.*
16 *Ablutio Baptismalis potest fieri immersione, effusione, vel aspersione.*
17 *An trina effusio adhibenda?*
18 *In Baptismo, qua pars corporis sit abluenda?*
(a) Juxta dict. Tr. 1. Dist. 3. num. 57. & 58.
19 *Corollarium.*
20 *Quid agendum, si ablutio facta est in parte dubia?*
21 *Puer projectus in flumen cum intentione ipsum baptizandi, an baptizatur?*

11. CONCL. I. Materia Baptismi duplex est, remota scilicet, & proxima. Ita omnes Doctores. Et quidem materia ejus remota, est aqua naturalis, seu elementaris; prout non solum in Concilio Florentino, ac Tridentino definitum fuit; sed etiam constat ex pluribus S. Scripturæ locis; ut ex illo *Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* Idem *Act. c. 8. Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* & alibi. Materia proxima Baptismi, est ipsa ablutio facta in aqua naturali.

12. CONCL. II. Licet ad valorem Sacramenti Baptismi sufficiat quælibet aqua, quæ quoad substantiam est naturalis; ex præcepto tamen Ecclesiastico ea debet esse certo ritu benedicta. Ita certa, & communis. Cæterum ejusmodi solemnis benedictio Fontis, seu Aquæ Baptismalis, peragitur Sabbato Sancto ante Dominicam Resurrectionis, ac Vigilia Pentecostes, prout habetur in Missali Romano. Unde peccaret ille (& quidem juxta Toletum, mortaliter) qui extra casum necessitatis uteretur ad Baptismum aqua non sic benedicta *arg. Clem. unde Baptismo.*

13. CONCL. III. Ad valorem Sacramenti Baptismi requiritur aliqua vera ablutio, nec sufficit simplex applicatio aquæ ad corpus absque ullo motu successivo, seu fluxu ipsius aquæ: sufficit autem quælibet aquæ quantitas, dummodo sit tanta, quæ possit successive contingere corpus quoad aliquam partem sufficientem ipsius. Ita communis. Ratio est: quia materia proxima Baptismi non est nuda aqua, sed ablutio per aquam facta, atqui vere nemo dicitur ablui, nisi aqua successive ab una parte corporis perveniat ad alteram: ergo.

14. Infertur proinde, quod ille non valide baptizaret, qui digito per aquam naturalem madefacto attingeret corpus baptizandi, absque ullo tractu, vel motu ipsius: secus foret, si per motum aquæ, vel digiti madefacti, ablueretur pars sufficiens corporis baptizandi. Hinc non immerito approbant Doctores casum illum, quo fœmina infantem moribundum baptizavit madefacto aqua digito, ac ducendo Crucem per frontem infantis, simulque legitimam formam pronuntiando: hic enim vera, & sufficiens interveniebat ablutio.

15. Infertur ulterius, eum pariter non valide baptizaturum, qui aspergit alterum aqua naturali in tam modica quantitate, quod omnes guttæ persistant immotæ, ac nullo modo per corpus fluant. Revera enim in tali casu nulla interveniret ablutio hominis baptizandi: quia ad veram ablutionem omnino requiritur aliqua motio, seu fluxus aquæ abluentis; ut patet ex significatione vocis, ac communi modo concipiendi hominum.

16. CONCL. IV. Ablutio baptismalis potest fieri vel immersione, si baptizandus immergatur in aquam; vel effusione, ut si aqua fundatur super corpus baptizandi; vel aspersione, ut si baptizandus aspergatur aqua, in quantitate tamen sufficienti, ut actu fluat per sufficientem partem corporis. Ita rursum Doctores communiter. Et quidem certum est, ablutionem quolibet horum trium modorum peractam sufficere ad valorem Baptismi, licet secunda, quæ fit per effusionem, hodie communiter observari soleat.

17. Quamvis autem ad valorem Baptismi sufficiat unica ablutio Baptismalis, neque necessario requiratur trina effusio aquæ: nihilominus in praxi communiter trina effusio adhibenda est, juxta præscriptum vete-

rum Canonum, *c. Postquam & seqq. de consecr. dist. 4.* ac Ritualium Dioecesanorum, quibus extra casum necessitatis debet Minister sese conformare.

18. Notanter autem in hac, & praecedenti Conclusione dictum est, *dummodo aqua sumi per sufficientem partem corporis baptizandi.* Est enim non sit necesse ad valorem Baptismi, ut totum corpus abluatur, sed sufficiat, si abluatur quaedam pars ipsius sufficiens; variant tamen Doctores in assignando, quaenam pars sit sufficiens. Et quamvis non desint Authores, qui velint, absolute loquendo validum esse baptismum abluta quacunque etiam minima corporis parte: id tamen communior opinio vel negat, vel saltem incertum putat. Hinc in praxi semper tutior pars, quantum fieri poterit, est eligenda, ne Sacramentum homini tantopere necessarium, sine causa exponatur periculo invaliditatis, vel dubietatis. (a)

19. Infertur proinde, quod si Baptismus possit fieri in capite, in illo sit merito conferendus: quia caput est praecipua pars hominis, in qua principales sensus vigent, & a qua maxime totus homo potest denominari: unde caput est certissima, & sufficientissima pars pro collatione Baptismi. Quod si hoc commode fieri non possit, tunc in casu necessitatis, utputa propter periculum mortis, in quo versatur infans nondum perfecte natus, semper facienda est ablutio in a'a parte principaliori, quantum fieri potest.

20. Si vero pars illa sit minus principalis, ac proinde dubia (qualis secundum Scotum 4. *dist. 4. q. 3.* non solum est digitus, sed etiam manus, pes, ac hujusmodi) tunc si infans evadat periculum, ac perfecte nascatur, iterum baptizandus est sub conditione; prout notatur *c. De quibus de Baptismo*, atque in Ritualibus Dioecesanis Parochi plenius informantur. Insuper scindum, quod si parvulus cum Baptismo dubio moriatur, is sepeliendus sit in terra benedicta: quia ad hanc jus acquisivit ob probabilitatem sui Baptismi.

21. CONCL. V. Dubium sane, num puer, cum intentione ipsum baptizandi, projectus de ponte in fluvium vel fontem, ubi submergendus est, sit valide baptizatus: quamvis non desint Doctores, asserentes, talem Baptismum valere (inter quos sunt Suarez, Vasquez, Layman, & plures alii Recentiores) attamen rationabiliter, & magis probabiliter, negatur cum Doctore Subtili 4. *dist. 5. q. 3.* Ratio hujus sententiae negativae est, quia in tali casu deest ablutio requisita ad valorem Sacramenti Baptismi. Etsi enim videatur hic intervenire immersio pueri in aquam, ea tamen non tam est immersio, quam submersio pueri in fontem, vel fluvium praecipitati; cum ex natura sua tendat ad mortem parvulo inferendam. Unde nec is ablui dicendus est, sed potius submergi: nam abluio hominis debet fieri salva vita ipsius, saltem quantum est de se, atque ex natura ipsius ablutionis.

QUAESTIO III.

De Forma Sacramenti Baptismi.

SUMMARIUM.

22 *Forma Baptismi, quae?*
23 *Qua forma utantur Graeci?*
24 *Tria in forma Baptismi exprimenda.*
25 *In ea debet exprimi & Unitas, & Trinitas Personarum.*
26 *Quid, si ly* In nomine, *ter repetatur.*
27 *Baptismus in nomine Christi, de facto non valet.*
28 *An olim validus fuerit?*
29 *Qua forma sit adhibenda in Baptismo dubio?*
30 *Forma Baptismi,* In nomine Patris &c. *an sufficiat?*

22. CONCL. I. Vera, & legitima forma Sacramenti Baptismi, est haec: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Ita Fides Catholica. Et haec forma, quae in tota Ecclesia Latina semper fuit observata, atque etiamnum observatur, desumitur ex illis verbis Christi, *Matth. 28. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

23. Verum quidem est, quod in Ecclesia Graeca jam a tempore Apostolorum, atque ex eorum ordinatione, ex institucta Spiritus Sancti, ob gravissimas causas facta (ac praecipue ad tollendum errorem, & Schisma Graecorum, de quo fit mentio 1. *Cor. 1.*) observetur paululum alia forma Baptismi, nempe haec: *Baptizatur servus JESU Christi in nomine Patris, &c.* Quae forma pariter certa est, ac sufficiens, & a Graecis de praecepto observanda; tamen re ipsa non differt a priori: nam quod verbo activo, *Ego te baptizo*, dicunt Latini; hoc idem verbo passivo, *Baptizatur servus JESU Christi*, significant Graeci. Sed imposterum ex professo erit sermo de forma Baptismi, aliisque Ritibus Sacramentorum in Ecclesia Latina usitatis.

24. CONCL. II. In forma Baptismi necessario necessitate Sacramenti (ita nempe, quod alioquin eo non expresso nullum fieret Sacramentum) debent exprimi sequentia tria. I. Persona, quae baptizatur, quod fit per ly *Te*. II. Actio baptizandi, quod fit per ly *baptizo*. III. Invocatio SS. Trinitatis, quod fit per ly *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Desumitur hoc totum ex forma Baptismi, a Christo praescripta *tit. cap. 28. Matthaei*. Unde declaravit Alexander Papa III. & habetur c. 1. de Baptismo: *Si quis puerum ter in aqua immiserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen; & non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, Amen: non est puer baptizatus.* Haec ibi.

25. CONCL. III. Ob eandem rationem, sive institutionem Christi, *Matth. cap. 28.* nobis indicatam, requiritur, ut in forma Baptismi necessario necessitate Sacramenti exprimatur non solum Trinitas Personarum, sed etiam Naturae Unitas, quae significatur per ly *In nomine*. Unde infertur cum Suarezio *disp. 21. sect. 3.* & aliis, hanc formam, *Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, esse insufficientem ad valorem Sacramenti Baptismi: quia in ipsa fit substantialis mutatio.

26. Aliter dicendum est de hac forma, *Ego te baptizo in nomine Patris, & in nomine Filii, & in nomine Spiritus sancti*. Haec enim valet; quia licet ly *in nomine*, ter repetatur, non tamen significat pluralitatem Naturae Divinae, sicut ly *in nominibus*: prout a pari absque pluralitate Divinae Naturae dicitur, *Deus Pater, & Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus*; quamvis dici non possit, *Dii Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*.

27. CONCL. IV. Baptismus defacto collatus in nomine Christi tantum, nec est validus, nec licitus. Ita Herincx *disp. 5. de Baptismo, q. 4. n. 45.* & aliis: idque desumitur ex *c. Multi sunt de consecr. dist. 4.* ubi rejicitur Baptismus *in nomine solummodo Christi* collatus. Atque hoc ipsum videtur tenere communis praxis, & sensus Fidelium; quamvis Sannig *dist. 2. de Baptismo, q. 9. n. 6.* dubitet, ac indecisum relinquat, num defacto valeat baptismus in nomine Christi collatus.

Reiffenstuel Theol. Moral.

28. Dicitur notanter in Conclusione, *de facto*. Nam in primitiva Ecclesia Baptismus in nomine Christi tantum collatus, ex speciali dispensatione Divina, & Apostolis revelata, videtur fuisse validus, ac licitus; uti tenent Scotus 4. *dist. 3. quaest. 2.* D. Thom. S. Bonav. & communior Theologorum, paucis exceptis. Et hoc factum fuisse creditur ex speciali dispensatione Divina ad glorificandum magis SS. Nomen Jesu, tempore primitivae Ecclesiae Judaeis, atque Gentilibus summe exosum. Idque desumitur ex S. Scriptura: nam *Actorum c. 2.* S. Petrus, repletus Spiritu sancto, praecepit, dicens: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*. Item *Actor. c. 8.* dicitur: *In nomine Jesu baptizabantur viri, ac mulieres*. Et *c. 10. Jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi*. Hinc etiam Nicolaus Papa I. ut refertur *can. A quodam Judaeo de consecr. dist. 4.* dicit, eos, *qui in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in Christi nomine, sicut in actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt*, non esse denuo baptizandos.

29. Quaeres, quaenam forma sit adhibenda, si probabiliter dubitatur, an quis sit baptizatus? Resp. Hoc patere ex Jure Canonico, *c. 2. de Baptismo*, ubi sic habetur: *De quibus dubium est, an Baptizati fuerint, baptizentur his verbis praemissis: Si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Haec ibi. Quamvis nonnulla Ritualia Dioecesana priorem partem omittant, dicendo tantum in tali casu: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c.*

30. Quaeres ulterius, an Sacerdos ille valide baptizaverit, qui ignarus Linguae Latinae, hac forma usus est: *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu sancta*. Respondet Zacharias Papa (& habetur *can. Retulerunt de consecr. dist. 4.* affirmative, his verbis: *Si ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut haeresim, sed pro sola ignorantia Romanae locutionis infringendo linguam, ut supra, baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizentur*: & consequenter fic baptizati, censentur valide baptizati, eo quod non contigerit error substantialis in forma, sed duntaxat error Latinitatis ob imperitiam baptizantis.

QUÆSTIO IV.

De Ministro, & quibusdam aliis Baptismum concernentibus.

SUMMARIUM.

31 *Minister Baptismi potest esse quilibet homo.*
32 *In casu necessitatis, quid observandum?*
33 *Extra necessitatem, cui competat baptizare?*
34 *An Diaconus, vel Subdiaconus possit solemniter baptizare?*
35 *An valeat Baptismus, uno materia, & altero formam adhibente?*
36 *Observanda a Ministro Baptismi.*
37 *Quid agendum de Monstris?*
38 *Pœnæ reiterantium Baptismum.*
39 *Quid de rebaptizante sub conditione?*
(b) Videatur Tr. 13. Disp. 3. n. 11.
40 *Patrini in Baptismo, qui?*

31. CONCL. I. Quilibet homo ratione præditus potest esse Minister Baptismi, ita ut Sacramentum valeat: ac proinde validus est Baptismus, etiamsi conferatur a Pagano, vel Heretico, aut a muliere, vel Ministro malo, dummodo omnia alia necessaria adhibeantur. Ita Scotus *4. dist. 5. q. 2.* cum communi: & habetur decisum *can. Romanos & seqq. de consecr. dist. 4.* junctis *c. Veraciter de Summa Trinit.* & Concilio Florentino in Decreto Unionis.

32. In praxi tamen observandum est, ut in casu etiam necessitatis Sacerdos præsens præferatur Diacono, & Diaconus Subdiacono, ac Clericus alius Laico, & vir fœminæ: nisi pudoris gratia deceat, fœminam potius, modi baptizandi gnaram, quam virum baptizare infantem in mortis periculo constitutum, ac nondum plene natum; vel nisi melius fœmina, ut para obstetrix examinata, & approbata, sciat formam & modum Baptismi: prout passim solent monere Ritualia Dioecesana.

33. CONCL. II. Nihilominus extra casum necessitatis baptizans, cui id nec, vel ex officio non competit, peccat. Ita communis. Et hoc quidem esse peccatum mortale, docent Suarez, Navarrus, Scotus, aliique, quos citat & sequitur Layman *lib. 5. tract. 1. c. 7.* quia SS. Canones, ob honorem Sacramenti Baptismi, severe præcipiunt, ut sacerdos extra casum necessitatis solemniter baptizet. *Clem. un. de Baptismo.* Quia nimo munus baptizandi ex officio competit soli proprio Sacerdoti, seu Parocho, nisi is alicui alteri licentiam baptizandi concedat.

34. CONCL. III. Ex Episcopi, vel proprii Sacerdotis commissione, ob rationabilem causam facta, non solum alius Sacerdos, sed etiam Diaconus solemniter baptizare potest; non autem Subdiaconus, vel alius Clericus inferior, poterit solemniter baptizare ex tali commissione. Ita desumitur ex *c. Diaconus dist. 93.* juncta Glossa *ibidem* V. *Necessitas* & tradit Layman *loc. cit. num. 3.* citans alios.

35. CONCL. IV. Non valet Baptismus a pluribus collatus, uno eorum adhibente materiam, & altero proferente formam; dum scilicet unus aquam affundit, & alter verba formæ Baptismi profert. Ita Scotus *4. dist. 6. quæst. 2.* D. Thomas *part. 3. q. 67. art. 7.* & alii. Ratio est. Tum quia hoc est contra Christi institutionem; ut patet ex praxi Ecclesiæ, & communi sensu Doctorum. Tum quia in tali casu, significatio formæ esset falsa: nam alter dicendo, *Ego te Baptizo &c.* cum non ipse, sed alius baptizaret, falsum enuntiaret.

36. CONCL. V. Minister Baptismi extra casum necessitatis, ac solemniter baptizans, diligenter proprium Rituale Dioecesanum revideat, atque exacte observet, quæ in eo præscribuntur observanda circa Baptismum, sive parvulorum, sive adultorum, singulasque Cæremonias ibidem ad longum descriptas. Hæc Conclusio certa est: nam quilibet Minister Sacramentorum tenetur observare laudabiles Ritus suæ Ecclesiæ. Cæterum, quia ea, quæ circa Cæremonias Baptismi conferendi describuntur in Ritualibus Dioecesanis, sunt longiora, simulque in aliquibus variant, hoc loco omittuntur. Solum pro complemento hujus materiæ,

37. Quæres I. Quid agendum sit de Monstris? Resp. Monstrum, quod humanam speciem non præsefert, baptizari non debet. Quod si vero dubium sit, an sit homo nec ne, baptizetur sub hac conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo in nomine Patris &c.* S. autem Monstrum habeat plura capita, vel plura pectora, signum erit, quod totidem habeat corda, & animas; ac proinde, quod sint homines distincti: unde eo casu singuli eorum sunt seorsim baptizandi, unicuique dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris &c.*

38. Quæres II. Quænam sint pœnæ reiterantium Baptismum? Resp. I. Gravissimum Sacrilegium committitur ab eo, qui sciens & prudens absolute rebaptizat hominem, quem constat valide fuisse baptizatum: simulque talis temere rebaptizans incurrit ipso facto Irregularitatem. Ita communis; & colligitur ex *c. 2. de Apostatis & reiterantibus Baptismum.*

39. Addit Tannerus *tom. 4. disp. 4. q. 2. n. 109. & 120.* post Scotum, Suarez, & Vasquez, non multo levius peccaturum eum, qui quempiam, de quo nullum est morale dubium, quin vere baptizatus sit, denuo etiam sub conditione rebaptizat; quamvis talis sub conditione solum temere rebaptizans non incurrat Irregularitatem. (b)

40. Quæres III. Quid sentiendum de Patrinis? Resp. Quod in Sacramento Baptismi unus tantum Patrinus, sive vir sive mulier, vel ad summum unus & una, baptizatum de Baptismo suscipiant: inter quos & baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem spiritualis cognatio contrahitur. Ita expresse statuit Concilium Trident. *Sess. 24. c. 2. de Reformat. Matrim.* juncto *cap. Non plures de Consecr. dist. 4. & c. Quod autem 30. q. 4.*

QUÆSTIO V.

De Sacramento Confirmationis.

SUMMARIUM.

41 *Confirmationis dignitas.*
42 *Sacramentum Confirmationis, quid?*
43 *Materia ejus remota, & proxima: Et forma, qua?*
44 *Fuit a Christo institutum in ultima Cœna.*
45 *Episcopus est ordinarius Minister ipsius.*
46 *An & simplex Sacerdos ex commissione Papæ?*
47 *Generale præceptum de recipienda Confirmatione non extat.*
(c) Juxta dicta Dist. 2. n. 86. & seqq.
48 *Prima Tonsura initiandi, debent prius esse confirmati.*
49 *An peccetur mortaliter, si secus fiat?*
50 *Quænam hoc Sacramentum recipiendum?*
51 *Ad id qualis dispositio in adultis requiratur?*
(d) Videantur dicta Dist. 2. n. 28. & 29.
52 *Non potest reiterari.*
(e) Dist. 2. Quæst. 4. per totum.
53 *Sed reiteranti non fit irregularis.*
(f) Vide Tract. 13. Disp. 3. n. 10.

54 *In Confirmatione debet intervenire Patrinus.*
55 *Et alius a Patrino in Baptismo.*

41. QUandoquidem Confirmatio est veluti perfectio, & consummatio Baptismi, adeo ut sine ea quis non inveniatur plenus Christianus, *arg. c. Omnes fideles de Consecr. dist. 5.* Merito post Sacramentum Baptismi agitur de confirmatione, per quam Spiritus sanctus infunditur, gratia Baptismalis roboratur, & cor fidele ad patientiam & constantiam dilatatur.

42. CONCL. I. *Sacramentum Confirmationis*, est unctio hominis viatoris, facta in fronte, in figura Crucis cum Chrismate sanctificato, & hoc a Ministro idoneo, simul debita verba proferente, significans efficaciter ex institutione Divina unctionem animæ per gratiam roborantem, ad confitendum cum fiducia fidem Christi. Ita Scotus *4. dist. 7. q. 1.* Vel, si placet, brevius: *Confirmatio* est Sacramentum novæ Legis, quod baptizatis confertur per sacri Chrismatis in fronte inunctionem.

43. CONCL. II. Materia remota confirmationis, est Chrisma compositum ex oleo olivarum & balsamo, ac specialiter benedictum ab Episcopo. Materia vero proxima ipsius, est unctio facta in fronte, in figura Crucis, cum Chrismate sanctificato. Porro forma ipsius est talis: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita communis: & habetur expressum in Concilio Florentino in Decreto Unionis.

44. CONCL. III. Sacramentum Confirmationis a Christo institutum fuit, & quidem verisimilius in ultima Cœna. Prior pars est de Fide, & patet ex dictis supra *dist. 1. n. 8. & 9.* Altera pars ex eo suadetur, quia Christus Dominus in ultima Cœna Apostolos circa hoc Sacramentum instruxit, eosque docuit Chrisma conficere, prout desumitur ex authoritate S. Fabiani Papæ, *Epist. 2. c. 1. ad Orientales*: ubi ait: *In illa die Dominus Christus Jesus, postquam exuavit cum Discipulis suis, & lavare eorum pedes, sicut a sanctis Apostolis Prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Chrisma conficere docuit.*

45. CONCL. IV. Ordinarius hujus Sacramenti Minister est solus Episcopus. Ita omnes Theologi; ac præter Concilium Florent. *loc. cit.* luit novissime definitum in Concilio Trident. *Sess. 7. can. 3. de Confirmatione*, his verbis: *Si quis dixerit, sanctæ Con-*

firmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.

46. Dicitur, *Confirmationis ordinarium Ministrum*. Nam ex speciali commissione summi Pontificis, posse etiam simplicem Sacerdotem conferre Sacramentum Confirmationis, passim fatentur Doctores; idque desumitur ex *c. Pervenit dist. 95.* ubi S. Gregorius Magnus concessit Sacerdotibus in Sardinia hoc Sacramentum in absentia, atque defectu Episcoporum, ministrare. Idem desumitur ex Concilio Florentino *in Decreto unionis*, ubi cum dictum esset, quod ordinarius Minister hujus Sacramenti sit Episcopus, subjungitur: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* In quo casu, ut observat Sanuig. *disp. 3. De Sacramentis q. 3. n. 14.* dicta facultas conferendi istud Sacramentum convenit simplici Sacerdoti, remote quidem ac inchoative ratione Ordinis Sacerdotalis, proxime autem ratione dispensationis Papalis, reducentis quasi potestatem remotam in actum.

47. CONCL. V. Quamvis nullum extet generale præceptum de recipiendo Sacramento Confirmationis, neque hoc sit simpliciter necessarium ad salutem, licet necesse sit, ut non contemnatur (c) adhuc tamen Parochis incumbit, suos Parochianos sedulo admonere, ne hoc Sacramentum Confirmationis nimium differant, vel omnino suscipere negligant; sicque priventur fructu virtutis hujus Sacramenti digne recipientibus ex opere operato conferendo. Ita communis, atque hoc ipsum optime solent monere Ritualia Diœcesana.

48. CONCL. VI. Nihilominus ex præcepto Ecclesiastico speciali debet is, qui ad Ordines, aut primam Tonsuram admittendus est, esse confirmatus. Patet hoc ex Concilio Trid. *Sess. 23. c. 5. De Reform.* ubi dicitur: *Prima Tonsura non initiatur, qui Sacramentum Confirmationis non fuscepérit.*

49. Nam autem peccet mortaliter, qui susceperit Ordines ante Confirmationem, vastant Doctores. Affirmant Bonacina *disp. 8. de Sacramentis q. un. punct. 5. n. 10.* Toletus, & quidam alii: eo quod talis agat contra præceptum Concilii. Communior tamen sententia peccatum mortale, secluso contemptu, in hoc non agnoscit: cum Concilium nihil præcipiat ordinandis, sed ipsi Episcopo ordinanti, ne videlicet tales prima Tonsura initiet. Barbosa *ad tit. c. Concil. Trident. num. 2.* citans plurimos Doctores. Imo Layman. *lib. 5. tract. 3. cap. 5. num. 4.* cum quibusdam aliis, etiam respectu Episcopi ordinantis non agnoscit grave præceptum, sed admonitionem ejus, quod congrue fieri debeat: quamvis, si secus fiat, peccetur venialiter.

50. CONCL. VII. Quantum attinet ad ætatem recipientium hoc Sacramentum, observanda potissimum erit laudabilis cujusque Diœcesis consuetudo, atque institutio proprionum Ritualium Diœcesanorum: quamvis enim non semper expectari debeant anni discretionis in pueris, aut puellis, ad hujus Sacramenti susceptionem; expedit tamen, non facile ante septennium illos ad id suscipiendum adduci, prout sapientissime monet Catechismus Romanus, jussu S. Pii V. editus.

51. CONCL. VIII. Qui adulta jam ætate Confirmationem recipere volunt, requiritur, ut ad hujus Sacramenti gratiam, effectusque digne consequendos, præter Fidem, ac pietatem, etiam de peccatis suis ex animo doleant. Qua in re elaborandum est Parochis, ut tales prius ad Confessionem Sacramentalem, atque ad alia pietatis officia suscipienda excitent, & inducant. (d)

52. CONCL. IX. Certum est, hoc Sacramentum propter impressum characterem, non posse iæpius sumi, sive reiterari, idque nec licite, nec valide: ut proinde non solum ille mortaliter peccet, qui scienter præsumit hoc Sacramentum reiterare: sed etiam tale Sacramentum secunda vice collatum, prorsus nullum sit, ac irritum. Patet hoc ex Concilio Tridentino *sess. 7. can. 9.* & dictum est supertius. (e)

53. CONCL. X. Nihilominus Sacramentum Confirmationis temere reiterans, non fit irregularis. Ita Scotus *4. dist. 6. quæst. 5.* & communior aliorum. Ratio est: quia nullibi in Jure reperitur expressa talis Irregularitas: atqui Irregularitas non incurritur, nisi in casibus a Jure expressis, ut habetur *c. Si qui de Sententia excommunicatum. in 6.* Nec obstat, quod scienter reiterans Baptismum fiat Irregularis. Resp. enim, disparitatem esse: quia hæc Irregularitas est in Jure expressa, non vero illa; & aliosquin ob similitudinem rationis pœnæ non facile sunt extendendæ. (f)

54. CONCL. XI. In Sacramento Confirmationis debet intervenire Patrinus, qui teneat confirmandum. Ita perpetua praxis Ecclesiæ, & constat tum ex *c. Pervenit 30. quæst. 1.* tum ex Concilio Trident. *Sess. 24. de Reform. Matrim cap. 2.* ubi additur, quod in posterum *cognatio spiritualis, qua ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur.*

55. Sciendum insuper, quod non debeat idem esse Patrinus in confirmatione, qui fuerat in Baptismo: idque propter consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, nisi cogat necessitas; prout habetur *c. In Cath. de consec. dist. 4.*

DISTINCTIO IV.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

QUÆSTIO I.

De Natura, Institutione, ac Unitate Sacramenti Eucharistiæ.

SUMMARIUM.

1 *Eucharistia vi nominis, quid?*
2 *Eucharistia Sacramentum, quid?*
3 *Quando institutum a Christo?*
4 *Est excellentissimum.*
5 *Eucharistia est simpliciter unum Sacramentum.*
(2) Ut dictum supra Dist. 1. n. 8.
6 *Est unum unitate integritatis, non indivisibilitatis.*
7 *Multiplicatur numero juxta multiplicationem Specierum consecratarum.*

1. EUcharistia a Græcis derivatur, & latine significat idem, ac *Bona gratia*, item *Gratiarum actio*. Et idcirco præsens SS. Sacramentum non immerito dicitur *Eucharistia*, eo quod sit signum sensibile Christi Domini, qui est fons & origo totius gratiæ, sub ipso realiter contenti. Do quo proinde loquendo ad perennem Christi JESU laudem, atque in debitam institutionis hujus saluberrimi Sacramenti Gratiarum actionem, sit

2. CONCL. I. *Eucharistia* est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, veraciter contenti sub speciebus panis & vini, post consecrationem factam a Sacerdote sub verbis certis cum debita intentione prolatis; ex institutione Divina veraciter significans, Corpus Christi & Sanguinem sub eis realiter contineri. Ita Doctor subtilis 4. *dist. 8. qu. 1.* Cujus definitionis bonitas ex eo patet: quia naturam hujus sanctissimi Sacramenti clare explicat. Vel si placet, brevius: *Eucharistia* est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, veraciter contenti sub speciebus panis & vini consecratis.

3. CONCL. II. Eucharistiæ Sacramentum est institutum a Christo Domino in ultima Cœna. Ita communis; & aperte habetur *Matth. cap. 25. Marci 14. Luca 22. & 1. Corinth. 11.*

4. CONCL. III. Eucharistiæ Sacramentum inter omnia Excellentissimum est, atque augustissimum. Patet hoc ex eo: quia realiter sub se continet Christum Dominum verum Deum ac hominem, omnisque gratiæ Fontem atque originem. Hinc non immerito Doctor Angelicus *Opusc. 57.* illud appellat *Miraculorum a Christo patratorum maximum*. Alia encomia de hoc sanctissimo, & nunquam satis digne laudando Sacramento, habentur passim in Libris Alceticis.

5. CONCL. IV. Non obstante, quod in Venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus separatione facta, totus Christus contineatur, ut Fides docet: adhuc tamen Eucharistia simpliciter, & absolute, dicenda est unum Sacramentum; non quidem unitate indivisibilitatis seu simplicitatis, sed unum unitate integritatis atque perfectionis. Ita Doctor Subtilis 4. *dist. 8. q. 1.* cum omnibus suis, estque in re communis. Ratio est: quia alioquin simpliciter, & absolute, possent dici esse octo novæ Legis Sacramenta; quod est falsum, & erroneum in Fide, ac contra definitionem Concil. Trid. *Sess. 7. can. 1.* (2)

6. Quod autem hoc Sacramentum sit duntaxat unum unitate integritatis, non autem unitate indivisibilitatis, patet ex eo: quia hoc Sacramentum habet duas partes, ex quibus integratur, videlicet species panis, & species vini cum propriis signatis, nimirum Corpore & Sanguine Christi; ergo jam

QUÆSTIO III.

De Vino, seu materia Consecrationis Calicis.

SUMMARIUM.

18 *Vinum, ut sit materia Consecrationis, quale?*
19 *Uva non potest consecrari.*
20 *Nec acetum, vinum adustum, aut lacryma vitis.*
21 *Neque vinum ex pomis &c.*
22 *Quid de vino miraculoso?*
23 *Aut si vino admisceatur alius liquor?*
24 *Vinum in pane imbibitum nequit consecrari.*
25 *Vinum congelatum valide consecratur,*
26 *Sed non licite.*
27 *Quid agendum, si vinum, vel S. Sanguis congeletur?*
28 *Varii defectus circa vinum.*

18. CONCL. I. *Per vinum de vite*, quod est materia apta Consecrationis Calicis, intelligitur illud, quod de uvis maturis expressum est, qualiscunque tandem speciei vel coloris existat, dummodo sit verum vinum de uvis maturis expressum. Ita certa, & unanimis omnium Catholicorum.

19. Dicitur I. *Vinum de uvis expressum.* Quamdiu enim liquor vini adhuc intra uvam est inclusus, magis habet rationem comestibilis, quam potabilis: ac proinde uva, seu vinum intra uvam, non est materia apta Consecrationis, ut omnes fatentur.

20. Dicitur II. *De uvis maturis.* Nam, si uvæ sint penitus immaturæ, sicut liquor ex illis expressus non est verum vinum, sed potius acetum, ita nec potest esse materia sufficiens Consecrationis. Et ob eandem rationem etiam alii liquores, qui non habent rationem vini, consecrari nequeunt: ut sunt lacrymæ vitis, acetum, vinum adustum; non obstante, quod tales liquores de vite proveniant, nam revera non sunt vinum, sed alius quidam liquor.

21. Similiter vinum ex pomis, malogranatis, ac hujusmodi expressum, consecrari nequit: cum non sit vinum de vite, id est, de uvis expressum; licet vinum appelletur, eo quod colorem vini referat, & ad modum vini conficiatur.

22. Aliter tamen dicendum est de vino miraculoso, quale fuit illud in Cana Galilææ, a Christo ex aqua productum: nam ejusmodi vinum foret materia apta Consecrationis, cum in substantia sit ejusdem rationis & speciei cum Vino de vite expresso, quod sufficit.

23. Quod si vino de vite admisceatur quantitas alterius liquoris, utputa aquæ, tunc attendendum est ad ipsius quantitatem, & pensandum, utrum adhuc juxta prudens judicium hominum censeatur esse vinum usuale: & siquidem de hoc fuerit dubium, eo quod vino satis multa aqua fuerit infusa, similiter materia Consecrationis Calicis dubia erit: si certum, materia illa erit certa. In praxi tamen semper materia certa, & cui præter modicam aquam, ex præcepto Ecclesiastico apponendam, nulla materia extranea est admixta, adhibenda erit: idque tum ob reverentiam hujus SS. Sacramenti: tum quia aliquin quis peccaret, si hoc scienter, & absque necessitate faceret, nisi forte materia illa foret levissima.

24. CONCL. II. Vinum in pane imbibitum non est materia apta Consecrationis Calicis. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia tale vinum potius habet rationem cibi, quam potus: unde sicut simili de causa nequit consecrari uva, ita nec vinum in pane imbibitum.

25. CONCL. III. Nihilominus vinum congelatum valide consecrari potest, quamvis consecrando vinum congelatum quis peccaret. Prima pars Conclusionis est communior Theologorum, etsi Ledesma, Henriquez, Armilla, & quidam alii oppositum teneant. Ratio est: quia vinum congelatum adhuc substantialiter est vinum usuale; simulque per se, ac ex natura sua, est materia potabilis: non obstante, quod hic & nunc, seu quatenus congelatum est, non possit potari; hoc enim est per accidens. Accedit, quod moraliter loquendo, & juxta communem sensum hominum, vinum congelatum adhuc censeatur esse potus, non vero cibus; prout tamen uva, vel vinum in pane imbibitum, potius censetur esse quid comestibile, quam potabile.

26. Altera pars Conclusionis, quod nempe in vino congelato consecrans peccet (& quidem juxta quosdam graviter) ex eo patet: tum quia committeretur quædam irreverentia: tum quia sine necessitate consecraret quis in materia aliqualiter dubia, quam scilicet nonnulli Doctores superius allegati putant esse insufficientem, & invalidam.

27.

27. Unde si tempore hyberno ante Consecrationem accidat congelatio vini, tunc antea debebit liquefieri, vel per applicationem linteoli calidi, vel alia ratione decenti. Et quantum ad propositum, Rubricæ Missalis, *Tit. De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, sic loquuntur: *Si in hyeme Sanguis congeletur in Calice, involvatur Calix pannis calefactis: si id non proficeret, ponatur in fervenți aqua prope Altare, dummodo in Calicem non intret, donec liquefiat.*

28. CONCL. IV. Insuper *si vinum sit factum acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis, seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquæ, ut vinum sit corruptum, non conficitur Sacramentum. Si autem vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, vel alterius distillationis, conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat.* Ita loquuntur Rubricæ Missalis, *Tit. 4. Defectu vini.*

QUÆSTIO IV.

De Aqua vino consecrando apponenda.

SUMMARIUM.

29 *Aqua vino consecrando miscenda.*
30 *Et cur.*
31 *Hoc præceptum est Ecclesiasticum.*
32 *Aqua vino apponenda, debet esse modica.*
33 *Hæc aqua convertitur in Sanguinem Christi mediate, non autem immediate.*
34 *Oppositæ tamen sententiæ non carent probabilitate.*
35 *Quomodo hæ solvat rationes in oppositum?*
36 *Solutio principalis objectionum, pro favore Conclusionis.*

29. CONCL. I. Juxta exemplum Christi Domini, ac præceptum Ecclesiæ, vino consecrando est admiscenda modica aqua. Ita unanimis Doctorum, atque patet non solum ex Concilio Florentino in Decreto Unionis, ac Tridentino *sess. 22. cap. 7.* sed etiam ex Rubricis Missalis *num. præced.* relatis.

30. Porro hujusmodi appositio aquæ fit in primis ad exemplum Christi, qui in ultima Cœna consecravit vinum, cui aqua fuit admixta; uti communiter docent SS. Patres, & Concilium tam Florentinum, quam Tridentinum *loc. cit.* Deinde dicta appositio aquæ fit propter mysterium, videlicet propter sanguinem & aquam, quæ ex JESU Christi jam mortui latere profluxerunt. Tandem, cum per aquas in Sacra Scriptura *Apocal. cap.* 17. Populi intelligantur, fit dicta appositio aquæ in Calice consecrando, ad repræsentandum ipsius Populi fidelis unionem cum capite suo Christo. Et has tres rationes, cur aqua sit vino consecrando miscenda, dat Concilium Florentinum, ac etiam Tridentinum, ubi supra.

31. CONCL. II. Hoc præceptum de aqua vino miscenda est tantum Ecclesiasticum, non autem Divinum. Ita communior Theologorum, & concordat Concilium Tridentinum *loc. cit.* sic dicens. *Monet præterea sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo misceant.* Ubi bene notandum ly *præceptum esse ab Ecclesia.*

32. CONCL. III. Aqua Vino apponenda debet esse modica. Ita Scotus 4. *dist.* 11. *q.* 7. quamvis nonnulli dicant, non esse scrupulose procedendum in apponenda aqua. Ratio Conclusionis est: quia juxta communiorem Doctorum, aqua vino apposita non convertitur in Sanguinem Christi, nisi prius fuerit conversa in vinum ergo; ut sic possit converti in vinum ante consecrationem, erit modica aqua apponenda. Et hinc Rubricæ Missalis *Tit. 7. De Offertorio &c.* præcipiunt, ut Sacerdos infundat *parum aquæ in Calice*: & Florentinum Concilium *loc. cit.* dicit, quod vino *ante Consecrationem aqua modicissima admisceri debet.* Ubi ly *modicissima*, partim prohibet multum aquæ apponi, partim ostendit, omnem aquam, quantumvis modicam, etiamsi foret una duntaxat gutta sensibilis, sufficere.

33. CONCL. IV. Aqua ipsa vino mixta convertitur quidem mediate in Sanguinem Christi, si videlicet ea prius ante inchoatam consecrationem fuerit conversa in vinum per hujus virtutem; non tamen, juxta probabiliorem sententiam Doctorum, convertitur aqua immediate in sanguinem Christi, si videlicet tempore consecrationis adhuc retinet substantiam aquæ, & necdum fuit in vinum conversa. Ita expresse Doctor subtilis *loc. cit.* D. Thomas *part. 3. quæst. 74. art. 7.* D. Bonaventura 4. *disp.* 11. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 3. & Alensis, cum omnibus Thomistis & Scotistis, ac pluribus

RA-

Ratio est: quia solum vinum de vite, est materia apta Consecrationis Calicis, ut docet Concilium Florentinum: atqui aqua nondum conversa in vinum, non est vinum de vite, imo nullatenus est vinum, ut patet; ergo. Accedit auctoritas Innocentii III. qui (ut habetur *c. Cum Marthæ de Celeb. Miss.*) rejectis duabus aliis sententiis, tandem subjungit, tertiam sententiam esse probabiliorem, quæ docet, aquam cum vino transubstantiari in Sanguinem, cum in vinum transeat aqua mixta.

34. Additur notanter in Conclusione, *juxta probabiliorem sententiam Doctorum*. Siquidem opposita etiam sententia non caret sua probabilitate, ac docetur a Cardinale de Lugo, Coninch, Layman, aliisque pluribus, præsertim Recentioribus, qui volunt aquam vino mixtam per accidens etiam immediate converti cum vino in sanguinem Christi, licet antea necdum fuerit conversa in vinum. Ratio hujus oppositæ sententiæ desumitur ab exemplo, & facto Christi Domini, qui in ultima Cœna vinum aqua mixtum consecravit; prout superius *num. 29. & 30.* ex communi SS. Patrum, & Concilio Florentino, ac Tridentino, dictum est. Accedit, quod totus ille liquor in Calice contentus, sit vinum usuale atqui vinum usuale est materia apta Consecrationis; ergo.

35. Nec obstat (inquiunt) quod vinum de vite duntaxat, juxta Concilium Florentinum, sit materia sufficiens Consecrationis Calicis. Respondent enim, hoc esse verum per se loquendo; adhuc tamen per accidens aquam vino mixtam esse consecrabilem, cum constituat vinum usuale, quali Christus usus est in consecratione Calicis sub ultima Cœna.

36. Nihilominus, qui priorem sententiam *num. 33.* relatam, tanquam probabiliorem amplectitur, facile ad præfatum Recentiorum fundamentum respondet, dicendo, Christum consecrasse aquam vino mixtam duntaxat mediate. Nam intra tempus illud, quo Christus Calicem vino & aqua mixtum accepit, alia notabilis mora interessit ante actualem factam consecrationem; prout desumitur ex S. Evangelio, ubi Christus interea & Patri Cœlesti gratias egisse, & ipsum Calicem benedixisse legitur. Omnino siquidem credibile est, hujusmodi tum benedictionem, tum gratiarum actionem, longiori tempore, atque ad conversionem aquæ in vinum sufficiente, durasse: præsertim, quia tunc hoc SS. Sacramentum a Christo Domino institutum, primaque vice celebratum fuit.

QUÆSTIO V.

De Forma Consecrationis Eucharistiæ?

SUMMARIUM.

37 *Status Quæstionis.*
38 *Forma consecrationis, in Canone Missæ præscripta.*
39 *Quale peccatum, aliquid in ea omittere?*
40 *Practice circa hoc, ex Rubricis Missalis.*
41 *Forma sufficiens consecrationis Corporis Christi.*
42 *Quæ verba sint de essentia consecrationis Calicis.*
43 *In praxi circa hoc quid observandum?*
44 *Verba essentialia consecrationis proferuntur tam recitative, quam significative.*
45 *Verba proferre recitative tantum.*
46 *Significative tantum.*
47 *Et recitative ac significative simul, quid?*
48 *Quomodo verba essentialia consecrationis proferuntur?*

37. ADvertendum, quod certum sit, Formam consecrationis, quæ ponitur in Canone Missæ, esse legitimam, sufficientem, atque in praxi semper a Sacerdote latino celebrante observandam, ne consecrando peccet. Num autem omnia verba dictæ Formæ sint necessaria necessitate Sacramenti, ita quod uno eorum omisso non conficiatur Sacramentum Eucharistiæ, Quæstio remanet. Hinc sit

38. CONCL. I. Forma in Canone Missæ præscripta, atque in Ecclesia Latina semper observanda, est hæc, videlicet loquendo de consecratione Corporis Christi: *Hoc est enim Corpus meum.* Et loquendo de consecratione Calicis: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

39. CONCL. II. Si unum horum verborum Minister celebrans ex contemptu, vel (excepta particula, *Enim*) ex prava negligentia omittat, peccat mortaliter. Ita communis Doctorum: quia delinquit in materia gravi, atque concernente principale Mysterium Fidei. Additur tamen, *excepta particula*

enim, Siquidem non desunt Doctores, qui volunt, veniale duntaxat esse peccatum, particulam *enim* ex prava negligentia, aut alia consimili de causa omittere, dummodo non omittatur ex contemptu: alioquin enim ratione contemptus, omissio ejus foret mortalis.

40. Circa hujus tamen Formæ consecrationis prolationem, atque ad præcavendum pluribus scrupulis, & conscientiarum anxietatibus, Rubricæ Missalis *tit. 5. De defectibus formæ*, provide ordinant in hunc modum. *Si celebrans non recordetur, se dixisse ea, qua in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certe ei constet, se omisisse aliquid eorum, qua sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam consecrationis, seu partem, vel unam ipsam formam, & cætera prosequatur per ordinem: si vero valde probabiliter dubitat, se aliquid essentiale omisisse, iteret formam saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius.* Hactenus Rubricæ Missalis. Ut autem intelligatur, quænam sint illa verba, quæ sunt de necessitate Sacramenti, sit

41. CONCL. III. Forma sufficiens, ac essentialiter requisita ad consecrationem Corporis Christi, est hæc: *Hoc est Corpus meum*, aut quæcunque alia æquivalens in sensu: ly *Enim* non est necessarium necessitate Sacramenti. Ita certa, & communis omnium Theologorum.

42. CONCL. IV. Non omnia supradicta verba, quæ habentur in Canone Missæ, sunt de substantia, seu essentia Formæ consecrationis Calicis, sed hæc consistit essentialiter in solis illis verbis: *Hic est Calix Sanguinis mei*, vel in æquivalentibus: quamvis cætera sint necessario addenda necessitate præcepti, adeo quod alioquin graviter quis peccaret. Ita D. Bonaventura, Scotus, Suarez, & communior Theologorum; quamvis non desint cum D. Thoma *part. 3. quæst. 78. art. 3.* oppositum tenentes, asserendo, omnia verba in Canone Missæ posita (dempto ly *Enim*) esse de substantia consecrationis Calicis. Ratio Conclusionis est: quia neque sancti Evangelistæ omnium illorum verborum meminerunt, sed singuli aliqua omittunt: atqui non est verisimile, ipsos in hoc principali Mysterio Fidei quidpiam essentialiter requisitum omisisse, atque Formam consecrationis mutilam & insufficientem tradidisse. Imo ex hoc fundamento communius censent Theologi, hæc sola verba, *Hic est Sanguis meus*, sufficere pro consecratione Calicis: non minus, ac illa verba, *Hoc est Corpus meum*, sufficiunt pro consecratione Corporis Christi: quia Christus, ut habetur *Luca 22.* tam bene hic addidit ly *Quod pro vobis datur*, sicut subjunxit in altera consecratione, *Qui pro vobis fundetur.*

43. Notat tamen Doctor noster *4. d. 8. quæst. 2. §. De isto secundo* Filliuc. *tract. 4. de Eucharistia cap. 5. num. 115.* & alii, in praxi consecrantem non debere habere intentionem conficiendi eum solis primis verbis, quæ diximus esse de essentia consecrationis, vel cum omnibus; cum utrumque aliqualiter dubium sit, ac non omnino certum, ob varietatem sententiarum a Theologis in utramque partem defensarum. Unde oportebit intendere consecrare cum verbis a Christo Domino institutis, & secundum ejusdem institutionem, sive intentionem Ecclesiæ: sic enim evitabitur omne periculum errandi.

44. CONCL. V. Verba essentialia utriusque Formæ consecrationis juxta hactenus dicta, dum in Missa proferuntur a Sacerdote celebrante, dicuntur tam recitative, quam significative simul. *Recitative* quidem, in quantum celebrans intendit referre, quid olim Christus dixerit, juxta illa verba præcedentia Canonis: *Qui pridie quam paterentur, fregit, & dixit.* Insuper *significative*, in quantum Sacerdos celebrans in persona Christi loquitur, ac vere & significative dicit: *Hoc est Corpus meum: Hic est Calix Sanguinis mei.* Alia autem verba immediate præcedentia, & subsequentia utramque Formam consecrationis, ut puta ly *Accepit, & cum ededit &c.* ac ly *Hæc quotiescunque feceritis &c.* nec non & illa verba consecrationis Calicis, *Qui pro vobis effundetur &c.* proferuntur a Sacerdote solum recitative, non autem significative. Ita Scotus *4. dist. 8. quæst. 2.* cum omnibus suis; & videtur in re esse communis Theologorum, atque patebit ex declaratione terminorum.

45. Advertendum prunde, quod ille dicatur aliqua verba proferre *tantum recitative*, seu (ut alii loquuntur) *materialiter*, qui verba solummodo refert ut ab altero prolata, nihil tamen iisdem affirmare, vel negare intendit. Ut si dico, *Aristoteles dixit, Mundum fuisse ab æterno*: hæc verba, *Mundum fuisse ab æterno*, ego profero duntaxat recitative; quia iisdem non intendo affirmare,

hare, *Mundum fuisse ab æterno* (nam oppositum de Fide teneo) sed solum illa verba profero, seu recito, ut ab Aristotele dicta. Sic & in proposito, dum in Forma Consecrationis Calicis dicitur a Celebrante, *Qui pro vobis effundetur*, verba hæc tantum recitative proferuntur, ut nempe quondam a Christo prolata, non autem significative: quia Christus non amplius pro nobis moritur, neque imposterum effundet Sanguinem suum.

46. Ille vero *significative tantum* profert aliqua verba, qui solum intendit eisdem aliquid asserere, seu enuntiare: non autem profert ea, ut ab alio dicta. Sic fit, dum dico, *Mundus est creatus in tempore*, & hujusmodi.

47. Ille tandem profert aliqua verba *recitative & significative simul*, qui refert verba illa ut ab altero prolata, & simul per ea vult aliquid significare, seu asseverare: quo loquendi modo sæpius Concionatores uti solent, exclamando, v. g. *Deus præcipit, dicens, non furtum facies*, intentione referendi verba Dei, simulque insinuandi, quod furtum non sit faciendum.

48. Et hoc ultimo modo verba essentialia utrusque Formæ Consecrationis proferuntur, videlicet recitative & significative simul: recitative quidem, quatenus præmissis illis verbis, *Qui pridie quam pateretur &c.* dixit: *Hoc est Corpus meum*, dicta verba Consecrationis proferuntur ut olim a Christo prolata: simul tamen etiam significative, eo quod Sacerdos in persona Christi loquens, vere & affective dicat, *Hoc est Corpus meum*: *Hic est Sanguis meus*. Porro cætera verba solum proferuntur recitative, ut nempe quondam a Christo prolata.

QUÆSTIO VI.

De reali Præsentia Christi in Eucharistia.

SUMMARIUM.

49 *Christus vere ac realiter, & non tantum in figura, est præsens in Eucharistia.*
50 *Et quomodo?*
51 *Declaratur amplius per verba Concilii Tridentini.*
52 *In Consecratione fit transubstantiatio panis, & vini, in Corpus & Sanguinem Christi.*
53 *Nihilominus substantia panis & vini, propriè non annihilatur.*
54 *Cautela pro modo loquendi.*
55 *Quamdiu Christus præsens sit sub speciebus consecratis?*

49. CONCL. I. De Fide certum est, sub speciebus consecratis panis & vini contineri vere, atque realiter, & secundum propriam suam substantiam, Corpus, & Sanguinem Christi; non autem tantum in figura, signo, aut virtute. Ita perpetuo tenuit, & credidit Sancta Mater Ecclesia; estque contra Hæreticos in pluribus Conciliis, ac novissimè in Tridentino *sess. 13. c. 1. & can. 2.* definitum. Patet insuper hæc Catholica Veritas ex verbis Christi, in ultima Cœna prolatis: nondum enim Apostoli susceperant Eucharistiam de manu Domini, cum ipse veraciter affirmaret, Corpus suum esse, quod præbebat, dicendo: *Accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum.*

50. CONCL. II. Christus Dominus peracta Consecratione est totus tam quoad humanitatem, quam quoad Divinitatem, sub speciebus panis, ac vini: tamen ex vi verborum sub speciebus panis continetur Corpus ejus, & sub speciebus vini Sanguis; cætera vero concomitantèr solum, seu vi naturalis illius connexionis, qua parte Christi inter se copulantur, & qua per Unionem Hypostaticam Divinitas ejus humanitati est unita. Ita omnes Catholici; atque, ut aliæ probationes omittantur, hæc Catholica Veritas est novissime tradita in Concilio Tridentino, *sess. 13. cap. 3.* sequentibus verbis admodum dignis, ut huc adducantur, atque in modo loquendi de hoc Sanctissimo Sacramento jugiter observentur.

51. *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post Consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem sub panis & vini specie una cum ipsius anima & Divinitate existere, sed Corpus quidem sub specie panis, & Sanguinem sub vini specie, ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius Connexionis, & Concomitantia, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum Corpore, & anima Hypostaticam Unionem. Quapropter verissimum est, tantundem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri: totus enim, & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte; totus item sub vini specie, & sub*

& sub ejus partibus existit. Hactenus Concilium Tridentinum.

52. CONCL. III. Prolata rite Forma consecrationis, panis per veram transubstantiationem convertitur in Corpus Christi, & vinum in Sanguinem: atque illico desinente tota substantia panis & vini, sub iisdem speciebus incipit esse realiter præsens totus Christus. Hæc conclusio similiter est omnium Catholicorum, ac novissime definita in Conc. Trid. *sess. 13. can. 2.* ibi: *Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, una cum corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaverit quæ illam mirabilem, & singularem Conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini: quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat: anathema sit.* Hactenus Concilium. Et desumitur hæc Catholica Veritas ex ipsis verbis Christi, de eo, quod sub specie panis porrigebat Apostolis, veraciter dicentis: *Hoc est Corpus meum.*

53. CONCL. IV. Nihilominus in dicta Conversione, seu transubstantiatione panis in Corpus Christi, & vini in Sanguinem ejus, proprie substantia panis & vini non annihilatur. Ita Scotus *4. dist. 11. quæst. 4.* D. Thomas *p. 3. q. 75. art. 3.* D. Bonaventura *4. dist. 11. p. 1. art. 1. q. 3.* & alii. Ratio est: quia terminus *ad quem* annihilationis est purum nihil: atqui hoc non fit in proposito; ergo. Minor probatur: Quia desitioni substantiæ panis & vini, vi præfatæ totalis Conversionis, seu admirabilis transubstantiationis, succedit realis præsentia Corporis & Sanguinis Christi; & consequenter proprie loquendo, substantia panis & vini non annihilatur, sed potius vere ac totaliter convertitur, sive transubstantiatur in Corpus & Sanguinem Christi.

54. Cæterum, quia quoad præsentem materiam nonnulla latet lis de nomine, quidnam videlicet intelligatur per annihilationem; hinc abstrahendo a dicta difficultate, utpote minus utili pro praxi, optimum erit, in communibus discursibus, ac præsertim Concionibus dicere, quod panis & vinum peracta consecratione vere transubstantietur, seu quoad totam suam substantiam convertatur in Corpus & Sanguinem Christi, remanentibus solis speciebus, seu accidentibus suis.

55. CONCL. V. Christus tamdiu sub Sacramento Eucharistiæ est realiter præsens; donec ipsamet species consecratæ corrumpantur: in eo autem instanti Christus Dominus definit esse præsens, quo species consecratæ ita sunt alteratæ & corruptæ, ut si sub ipsis adfuisset substantia panis, hæc naturaliter deberet definere esse, & corrumpi. Ita communis Theologorum. Ratio est: quia Christus in hoc Sacramento decrevit supplere ablentiam substantiæ panis, & vini: & consequenter neque citius, neque tardius vult definere esse sub speciebus consecratis, ac ipsa substantia panis & vini naturaliter desineret, si adesset.

Reiffenstuel Theol. Moral.

QUÆSTIO VII.

De Necessitate sumendi Eucharistiam sub alterutra Specie; ubi & de ejus Effectibus.

SUMMARIUM.

56 *Non est præceptum Divinum, sumendi Eucharistiam sub utraque specie.*
57 *Solvitur instantia.*
58 *Ecclesia juste decrevit, ut Laici sub una tantum specie communicarent.*
59 *Causa hujus præcepti Ecclesiastici.*
60 *Sumens Eucharistiam sub una specie, nulla fraudatur gratia ad salutem necessaria.*
61 *Eucharistia, quando producat effectum gratiæ sanctificantis?*
62 *Præter hunc causat Eucharistia alios effectus; nam*
63 *Delet venialia;*
64 *Præservat a mortalibus;*
65 *Confert dulcedinem animæ;*
Diminuit fomitem.
66 *Alia remittere.*

(b) Tr. 10. Dist. 3. Quæst. 3. & seqq.

56. CONCL. I. Ex præcepto Divino non est necessarium, ut omnes Christi Fideles sumant Eucharistiam sub utraque specie. Ita novissime definitum est in Conc. Trid. *sess. 21. can. 1.* & 2. & oppositum asserentes anathematis condemnantur. Ratio est: quia nullibi habetur tale præceptum. Nam, qui dixit *Joan. 7. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* dixit quoque ibidem: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Item: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Item: *Qui*

manducat hunc panem, vivet in æternum; prout rectissime observat Concilium Trid. l. c. c. 1. & sequuntur Theologi, & Controversistæ unanimiter. Accedit, quod jam in primitiva Ecclesia fuerit consuetudo communicandi quandoque sub una specie; prout amplius ostendunt Controversistæ contra Hæreticos modernos.

57. Nec valet dicere *Matth.* 26. Christus porrigens Calicem, præcepit dicens, *Bibite ex hoc omnes*; ergo usus Calicis omnibus sub præcepto Divino injunctus est. Resp. enim in primis, retorquendo argumentum, quia D. Marcus Evangelista c. 14. v. 23. expresse fatetur, ac testatur: *& biberunt ex eo omnes*; ergo illud Christi præceptum jam in ultima Cœna fuit adimpletum, & consequenter neutiquam respiciebat omnes Christi Fideles imposterum nascituros. Resp. ulterius, illud Christi præceptum solos Apostolos, quibuscum Christus cœnavit, non autem omnes alios Fideles comprehendisse; uti patet ex allata instantia.

58. CONCL. II. Sancta Ecclesia Catholica justissimis de causis statuit, ut Laici, atque etiam Clerici non conficientes (idest, Missam actu non celebrantes) sub una tantum specie communicarent. Ita omnes Catholici; estque novissime definitum in Conc. Trid. *sess.* 21. *can.* 2. Porro rationes, quibus Ecclesia ad prohibendum Laicis, & Clericis non conficientibus, seu non celebrantibus, usum Calicis adducta est, præcipue sunt sequentes, & revera gravissimæ.

59. Primo siquidem dicta prohibitio facta est ob gravem irreverentiam, quæ sacrosancto Sanguini Christi multoties inferebatur per effusionem ipsius in terram, aut barbas, sive vestes Communicantium. Deinde, quia sacratissimus Sanguis confectatus, qui non semper juxta numerum atque exigentiam Communicantium ita confectari potuit, ut sub actuali Communione totus sumeretur, & neque deficeret, neque superabundaret, non potuit, nec potest in Sacrariis debita cum reverentia asservari, quin a potiori propter corruptionem speciei rum vini, utpote facillime in acetum degenerantis, tempore præsertim calidiori, gravem pateretur irreverentiam. Accedit, quod sanctissimus Sanguis confectatus absque effusionis periculo, aut aliis incommodis, difficillime potuerit ad infirmos deferri, aut pro iisdem asservari. Hujusmodi igitur malis, & irreverentiis, quotidie emergentibus in tanta populorum frequentia, atque hominum magna ex parte rudium multitudine, aliter sancta Mater Ecclesia efficaciter providere non potuit, nisi per subtractionem Calicis quoad Laicos, vel Clericos non celebrantes.

60. CONCL. III. Quamvis Christus Dominus in ultima Cœna hoc Sacramentum sub duabus speciebus instituerit, atque Apostolis tradiderit; tamen fatendum est, etiam sub altera specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi: ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia ad salutem necessaria eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt. Ita Concilium Trid. *cit. sess.* 21. c. 3. & omnes Catholici.

61. CONCL. IV. Eucharistia non statim, ac in ore ponitur, ex opere operato confert effectum gratiæ sanctificantis; sed primum, quando species deglutiuntur, ac ex ore trajiciuntur in stomachum. Ita communis. Ratio est: quia ad consequendum Eucharistiæ effectum ex opere operato requiritur, ut Corpus & Sanguis Christi, mediantibus speciebus Eucharisticis, vere comedatur, & bibatur; juxta illud *Joan.* 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*. Atqui juxta communem loquendi modum, nemo censetur quidpiam comedisse, vel bibisse, qui panem vel vinum in ore duntaxat retinet, nihil autem ex eo deglutit: ut patet in abluentes os suum, qui non censentur fregisse jejunium naturale, sed possunt adhuc communicare; ergo.

62. CONCL. V. Præter augmentum gratiæ sanctificantis, qui est primarius ac principalis hujus Sacramenti effectus, idem sanctissimum Sacramentum confert quosdam alios effectus. Ita tenent omnes Theologi, & Libri Ascetici, fusius de talibus effectibus differentes, quorum principaliores hic in compendio referuntur.

63. Et primo quidem hoc Augustissimum Sacramentum, digne susceptum, delet peccata venialia: idque non tantum mediate ac indirecte, quatenus fervorem Charitatis excitat, & movet actus virtuosos, per quos venialium detestatio sequitur; sed etiam immediate ex opere operato, quatenus producit augmentum gratiæ sanctificantis, virtute cujus delentur peccata venialia, præsertim ea, ad quæ digne Sacramentum suscipiens non habet positivum affectum, & actualem complacentium, sed virtualem quandam detestationem.

64. Se-

64. Secundo, præservat a peccatis mortalibus, quatenus vi illius Deus hominem exterius specialiter protegit, atque interius corroborat per singularia gratiæ actualis auxilia: nempe vel represso dæmone, vel amotis occasionibus peccandi, hominem ab ingruentibus tentationibus liberat, nec non ad eas superandas specialia quædam auxilia gratiæ subministrat.

65. Tertio, confert dulcedinem spiritualem, & quandam devote sumentibus suavitatem internam; ut proinde merito Ecclesia Catholica, in Officio de corpore Christi, huc applicet Prophetiam Jacob de Aser, *Gen. c. 49. Pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus*. Tandem inter alia bona, quæ secum affert, hoc Sacramentum rite susceptum diminuit fomitem, ac inordinatum affectum ad illicita.

66. Plura quidem alia de hoc SS. Sacramento disputant Theologi, sed ea sunt altioris indaginis, atque ad Theologiam Moralem proprie non pertinent. Quæ vero dicenda forent de præcepto Communionis, præsertim Paschalis, jam superius (b) agendo *De præceptis Ecclesiæ*, ex professo discussa fuerunt.

DISTINCTIO V.

De Sacrificio Missæ.

QUÆSTIO I.

De natura Sacrificii in genere.

SUMMARIUM.

1 *Eucharistia ut Sacramentum, & ut sacrificium.*
2 *Sacrificium proprie, & improprie.*
3 *Sacrificium proprie, quid?*
(a) Tr. 5. Dist. 1. n. 15.
4 *Est res permanentis.*
5 *Ad id sufficit sola rei oblatæ immutatio moralis.*
6 *Declarantur aliis exemplis.*
(b) Tr. 5. Dist. 1. n. 15. & seqq.
7 *Sacrificium est actus Latriæ.*
8 *Sacrificium missa non offertur Sanctis.*
9 *Sacrificia Gentilium fuerunt vera; & cur illicita?*
10 *In Lege Mosaica, & jam ante ipsum fuerunt aliqua sacrificia.*
11 *Deo esse sacrificandum, est de Jure naturali.*
12 *Sacrificia veteris Legis, varia: ut victima. Immolatio. Libamen.*
13 *Holocaustum. Hostia pacificorum. Hostia pro peccato.*
14 *Omnia sacrificia antiqua coadunantur in una missa sacrificio.*

1. ADvertendum, quod Eucharistia possit dupliciter considerari. Primo, ut est Sacramentum novæ Legis, idest, signum sensibile Corporis & Sanguinis Christi, realiter contenti sub speciebus consecratis panis & vini. Secundo, ut est sacrificium novæ Legis: quomodo ipsa non solum ex opere operato confert gratiam digne sumentibus, sed etiam prodest aliis, pro quorum salute offertur. Visso proinde de Eucharistia, ut est Sacramentum, restat agere de ipsa, ut est sacrificium, præmissa tamen ad majorem claritatem untea Quæstione de natura sacrificii ut fic: unde

2. Advertendum ulterius, quod sacrificium in communi dupliciter sumatur, proprie scilicet, & improprie seu latissime. Hoc posteriori modo sacrificium etiam comprehendit sub se preces, & orationes devotas Fidelium juxta illud *Ps.* 49. *Immola Deo sacrificium laudis*. Et *ad Hebr. c.* 13. *Offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus*, & alibi. Sacrificium proprie dictum est peculiaris actus virtutis Religionis, quo speciali quodam modo protestamur summam & absolutam excellentiam Dei, nostramque subjectionem ad ipsum, per oblationem & destructionem alicujus rei sensibilis. Et loquendo de hujusmodi sacrificio, sit

3. CONCL. I. *Sacrificium proprie dictum*, est oblatio externa rei permanentis Deo exhibita, qua significatur supremum dominium atq; excellentia Dei, & subjectio sacrificantis ad ipsum, mediante aliqua ipsius rei oblatæ destructione, seu immutatione. Ita in re communis, & concordant dicta superius. (a)

4. Dicitur, *oblatio externa rei permanentis*, ut puta ovis, bovis, vituli, tritici &c. ad distinguendum sacrificium proprie dictum a Laude Dei, quæ fit Deo verbis transeuntibus; atque ab Adoratione eidem exhibita per genuflectionem, & hujusmodi; nec

non ab omni Oblatione interna, qua quis per piam voluntatem se, suaque omnia Divinæ Majestati offert, atque refigurat.

5. Dicitur ulterius, *mediante aliqua ejusdem rei oblata destructione, sive immutatione*. Hæc siquidem ad rationem sacrificii propriè dicti omnino requiritur, quamvis non semper sit necesse, rem oblatam physicè destrui; cum quandoque sufficiat sola illius immutatio moralis, sive humano modo facta, in quantum res oblata accipit alium statum, & ad priores operationes redditur inutilis. Sic quippe olim Hebræi sacrificare DEO censebantur, dum vinum, oleum, aut alios hujusmodi liquores effundebant in terram circa Altare Domini: nam tunc vinum illud, aut oleum, non statim substantialiter corrumpebatur, donec siccaretur, sed solum acquirebat statum inutilem ad usus humanos.

6. Quo etiam modo Veteres, quibus sicut erat magis frequens, ita & magis nota ratio sacrificii, quandoque sacrificiabant projiciendo aliquid in mare, vel etiam coquendo panes in clibano, sicque farinam immutando: prout de quibusdam malis Judæis, coquentibus placentas Reginæ cœli, legitur *Jeremiæ cap.* 7. Nam tunc farina substantialiter non corrumpebatur, sed solum mutabatur in alium statum, a suo pristino diversum: res vero in mare projecta, utputa annulus, plerumque in sua substantia persistebat, immutabatur tamen, quatenus ad usus humanos inutilis fiebat. Cæteræ particulæ definitionis sacrificii tum ex allibi dictis (b) tum magis ex dicendis patebunt.

7. CONCL. II. Sacrificium est actus virtutis Religionis, & quidem supremæ ejus speciei, quæ dicitur *Latria*; unde non nisi soli Deo offerri potest. Ita communis omnium Theologorum; & patet ex ipsa sacrificii definitione, qua dicitur, sacrificium exhiberi in protestationem supremi dominii, atque excellentiæ: nam hæc non nisi soli Deo competit.

8. Ex dictis proinde sequitur primo, quod, quamvis in honorem Sanctorum optime celebrentur Missæ, nihilominus nec Beatissimæ Mariæ Virgini, nec ulli Sancto revera offeratur Missa. Siquidem hæc est sacrificium novæ Legis propriè dictum, quale non nisi soli Deo offerri potest, eo quod in ipso solo reperiatur supremum in omnes creaturas dominium, summaque excellentia. Hinc Conc. Trid. *sess.* 22. *c.* 3. sanctissime monet; *Quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum missas Ecclesia celebrare consuevorit; non tamen illis sacrificium offeri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere solet, offero tibi sacrificium Petre, vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.* Hæc Trident. quod ipsum dudum jam docuit S. Augustin. *l.* 8. *de Civ. Dei c.* 27. & communis sensus Ecclesiæ.

9. Sequitur ulterius, quod sacrificia Gentilium, etsi cæteroquin propriè dicta, ex eo capite fuerint illicita, imo & execranda, quia non fuerunt exhibita vero Deo. Fiebant enim tum hominibus, & quidem pessimis; ut Bel, seu Baalim (qui fuit Nemrod, *robustus venator coram Domino*, *Gen.* 10.) & aliis hujusmodi, quos cæca, aut verius propria malitia excæcata Gentilitas pro Diis habebat: tum dæmoniis per simulacra Idolorum nonnunquam responsa dantibus; juxta illud etiam ingratis Israelitis quodam objectum *Deut. c.* 32. *Immolaverunt dæmoniis, & non Deo, Diis quos ignorabant*, & alibi.

10. CONCL. III. Non solum in Lege Mosaica, sed etiam ante ipsam, aliqua extiterunt sacrificia. Patet hoc clare ex Sacra Scriptura: ut ex primis septem Capitulis Libri Levitici, ubi de sacrificiis legis Mosaicæ agitur: item ex *cap.* 4. *Genes.* ubi longe antea justus Abel Deo *obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum*. Et *Genes.* 8. ubi Noe post Diluvium, *sumens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super Altare*. Item Melchisedech obtulit panem & vinum (*erat enim Sacerdos Dei Altissimi*) *Gen.* 14. & alibi sæpe.

11. Quinimo notant Doctores cum D. Thoma 2. 2. *q.* 95. *art.* 1. quod naturali Jure præscribatur, Deo esse sacrificandum, quamvis an hæc, vel illa sint sacrificanda, Lex humana vel Divina postmodum constituerit. Sicut a pari Jus naturale præcipit, Deum esse orandum, atque invocandum, ut pote summum rerum omnium Dominum, & Largitorem bonorum omnium, eique pro acceptis beneficiis gratias debitas referendas &c. quamvis certæ & determinatæ preces, & formulæ precandi, sint Juris positivi, Divini vel humani.

12. Porro sacrificia veteris Legis varie dividebantur: & in primis ratione materiæ, in Victimam, Immolationem, & Libamen. *Victima*, comprehendebat animalia oblata, & mactata in honorem Dei: utputa quandoque de bobus, ovibus, agnis, vel capris fiebat Sacrificium. Per *Immolationem* offerebantur res inanimatæ, & solidæ: ut panis, simila, thus, triticum, & hujusmodi. *Libamen* dicebatur, quando fiebat oblatio de rebus inanimatis, sed fluidis, quæ effundebantur: ut vinum, oleum, aliique liquores.

13. Alia divisio Sacrificiorum Legis Mosaicæ ratione finis, & formæ, fuit in Holocaustum, Hostiam pacificam, & Hostium pro peccato. *Holocaustum*, & *Holocaustoma*, erat Sacrificium Deo oblatum pure ad laudem, & cultum ipsius, atque in protestationem supremæ suæ excellentiæ: & in hoc tota res oblata destruebatur, seu comburebatur, ut nihil cederet in usus humanos. *Hostia pacifica*, seu *hostia pacificorum*, erat Sacrificium, quod offerebatur Deo vel in gratiarum actionem pro accepto beneficio, & alio nomine dicebatur *Sacrificium laudis*: vel pro impetratione alicujus beneficii novi, & erat *Sacrificium impetratorium*: & in eo una pars comburebatur ad honorem Dei, altera cedebat in usum Sacerdotum, tertia in usum ipsorum offerentium. Tandem *hostia pro peccato*, erat Sacrificium, quod offerebatur ad obtinendam peccatorum remissionem: Unde & vocabatur *Sacrificium propitiatorium*, in quo una pars comburebatur, altera cedebat in usum Sacerdotum.

14. CONCL. IV. Omnia Sacrificia tum Legis Naturæ, tum Mosaicæ, de facto coadunata sunt in uno Tremendo & Incruento Missæ Sacrificio. Ita omnes Catholici; atque profitetur Ecclesia in Secreta Missæ post Dominicam VII. Pentecostes, sic orans: *Deus, qui Legalium differentiam hostiarum unius Sacrificii perfectione sanxisti*. Uberius idipsum docet Concilium Trid. *Sess.* 22. *cap.* 1. sic loquens: *Hæc denique illa sanctæ oblatio est, quæ per varios Sacrificiorum ritus, & Legis tempore, similitudines figurabatur; utpote quo bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium Consummatio, & perfectio complectitur*. Et de hoc Tremendo Missæ Sacrificio ex professo nunc agendum.

QUÆSTIO II.

De Missa, & qua ratione in ea offeratur verum Sacrificium?

SUMMARIUM.

15 *Missa est vox antiquissima. Lyturgia, quid?*
16 *In Missa distinguitur ratio Sacramenti, Sacrificii, & Missæ.*
17 *Missa Catechumenorum, & Missa Fidelium.*
18 *In Missa offertur Deo verum Sacrificium.*
19 *Probatur Catholica Veritas.*
20 *Missa Sacrificium est incruentum, cujus principalis Hostia Christus.*
21 *Panis, & vinum, hostia minus principalis; & quomodo?*
22 *Christus, quomodo in hoc Sacrificio offeratur?*
23 *Objectio notabilis, quomodo Hostia in Missa Sacrificio immoletur &c.*
24 *I. Responsio, de mystica, Sacramentali, & incruenta immolatione Christi.*
25 *Solvitur instantia, & declaratur magis hæc responsio.*
26 *II. Responsio, de morali Christi immutatione.*
27 *III. Responsio de physica Conversione panis, & vini in Corpus & Sanguinem Christi.*
28 *Objectio contra hanc sententiam, ejusque notabilis solutio.*

15. ADvertendum I. quod hæc vox *Missa*, ejusque usus sit antiquissimus in Ecclesia: legitur enim tum apud S. Augustinum, S. Ambrosium, aliosque SS. Patres, tum in Concilio Romano sub S. Sylvestro Papa I. celebrato. Imo S. Ignatius, Antiochenæ Ecclesiæ tertius post S. Petrum Episcopus, & Martyr, *in Epist. 6. ad Smyrnenses*, jam hujus dictionis meminit. Porro quod Patres Latini Missam appellant, Græci vocant *Lyturgiam*, hoc est, *Ministerium, Sacrificiumque Altaris*; uti notat Cov. *l.* 4. *var. resol. c.* 22.

16. Advertendum II. quod juxta usum Ecclesiæ, communemque sensum Fidelium, Missa acciplatur pro collectione omnium actionum, quæ fiunt a principio Sacrosancti Eucharistiæ Sacrificii usque ad finem

non ab omni Oblatione interna, qua quis per piam voluntatem se, suaque omnia Divinæ Majestati offert, atque refigurat.

5. Dicitur ulterius, *mediante aliqua ejusdem rei oblata destructione, sive immutatione*. Hæc siquidem ad rationem sacrificii propriè dicti omnino requiritur, quamvis non semper sit necesse, rem oblatam physicè destrui; cum quandoque sufficiat sola illius immutatio moralis, sive humano modo facta, in quantum res oblata accipit alium statum, & ad priores operationes redditur inutilis. Sic quippe olim Hebræi sacrificare DEO censebantur, dum vinum, oleum, aut alios hujusmodi liquores effundebant in terram circa Altare Domini: nam tunc vinum illud, aut oleum, non statim substantialiter corrumpebatur, donec siccaretur, sed solum acquirebat statum inutilem ad usus humanos.

6. Quo etiam modo Veteres, quibus sicut erat magis frequens, ita & magis nota ratio sacrificii, quandoque sacrificiabant projiciendo aliquid in mare, vel etiam coquendo panes in clibano, sicque farinam immutando: prout de quibusdam malis Judæis, coquentibus placentas Reginæ cœli, legitur *Jeremiæ cap.* 7. Nam tunc farina substantialiter non corrumpebatur, sed solum mutabatur in alium statum, a suo pristino diversum: res vero in mare projecta, utputa annulus, plerumque in sua substantia persistebat, immutabatur tamen, quatenus ad usus humanos inutilis fiebat. Cæteræ particulæ definitionis sacrificii tum ex allibi dictis (b) tum magis ex dicendis patebunt.

7. CONCL. II. Sacrificium est actus virtutis Religionis, & quidem supremæ ejus speciei, quæ dicitur *Latria*; unde non nisi soli Deo offerri potest. Ita communis omnium Theologorum; & patet ex ipsa sacrificii definitione, qua dicitur, sacrificium exhiberi in protestationem supremi dominii, atque excellentiæ: nam hæc non nisi soli Deo competit.

8. Ex dictis proinde sequitur primo, quod, quamvis in honorem Sanctorum optime celebrentur Missæ, nihilominus nec Beatissimæ Mariæ Virgini, nec ulli Sancto revera offeratur Missa. Siquidem hæc est sacrificium novæ Legis propriè dictum, quale non nisi soli Deo offerri potest, eo quod in ipso solo reperiatur supremum in omnes creaturas dominium, summaque excellentia. Hinc Conc. Trid. *sess.* 22. *c.* 3. sanctissime monet; *Quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum missas Ecclesia celebrare consuevorit; non tamen illis sacrificium offeri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere solet, offero tibi sacrificium Petre, vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.* Hæc Trident. quod ipsum dudum jam docuit S. Augustin. *l.* 8. *de Civ. Dei c.* 27. & communis sensus Ecclesiæ.

9. Sequitur ulterius, quod sacrificia Gentilium, etsi cæteroquin propriè dicta, ex eo capite fuerint illicita, imo & execranda, quia non fuerunt exhibita vero Deo. Fiebant enim tum hominibus, & quidem pessimis; ut Bel, seu Baalim (qui fuit Nemrod, *robustus venator coram Domino*, *Gen.* 10.) & aliis hujusmodi, quos cæca, aut verius propria malitia excæcata Gentilitas pro Diis habebat: tum dæmoniis per simulacra Idolorum nonnunquam responsa dantibus; juxta illud etiam ingratis Israelitis quodam objectum *Deut. c.* 32. *Immolaverunt dæmoniis, & non Deo, Diis quos ignorabant*, & alibi.

10. CONCL. III. Non solum in Lege Mosaica, sed etiam ante ipsam, aliqua extiterunt sacrificia. Patet hoc clare ex Sacra Scriptura: ut ex primis septem Capitulis Libri Levitici, ubi de sacrificiis legis Mosaicæ agitur: item ex *cap.* 4. *Genes.* ubi longe antea justus Abel Deo *obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum*. Et *Genes.* 8. ubi Noe post Diluvium, *sumens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super Altare*. Item Melchisedech obtulit panem & vinum (*erat enim Sacerdos Dei Altissimi*) *Gen.* 14. & alibi sæpe.

11. Quinimo notant Doctores cum D. Thoma 2. 2. *q.* 95. *art.* 1. quod naturali Jure præscribatur, Deo esse sacrificandum, quamvis an hæc, vel illa sint sacrificanda, Lex humana vel Divina postmodum constituerit. Sicut a pari Jus naturale præcipit, Deum esse orandum, atque invocandum, ut pote summum rerum omnium Dominum, & Largitorem bonorum omnium, eique pro acceptis beneficiis gratias debitas referendas &c. quamvis certæ & determinatæ preces, & formulæ precandi, sint Juris positivi, Divini vel humani.

12. Porro sacrificia veteris Legis varie dividebantur: & in primis ratione materiæ, in Victimam, Immolationem, & Libamen. *Victima*, comprehendebat animalia oblata, & mactata in honorem Dei: utputa quandoque de bobus, ovibus, agnis, vel capris fiebat Sacrificium. Per *Immolationem* offerebantur res inanimatæ, & solidæ: ut panis, simila, thus, triticum, & hujusmodi. *Libamen* dicebatur, quando fiebat oblatio de rebus inanimatis, sed fluidis, quæ effundebantur: ut vinum, oleum, aliique liquores.

13. Alia divisio Sacrificiorum Legis Mosaicæ ratione finis, & formæ, fuit in Holocaustum, Hostiam pacificam, & Hostium pro peccato. *Holocaustum*, & *Holocaustoma*, erat Sacrificium Deo oblatum pure ad laudem, & cultum ipsius, atque in protestationem supremæ suæ excellentiæ: & in hoc tota res oblata destruebatur, seu comburebatur, ut nihil cederet in usus humanos. *Hostia pacifica*, seu *hostia pacificorum*, erat Sacrificium, quod offerebatur Deo vel in gratiarum actionem pro accepto beneficio, & alio nomine dicebatur *Sacrificium laudis*: vel pro impetratione alicujus beneficii novi, & erat *Sacrificium impetratorium*: & in eo una pars comburebatur ad honorem Dei, altera cedebat in usum Sacerdotum, tertia in usum ipsorum offerentium. Tandem *hostia pro peccato*, erat Sacrificium, quod offerebatur ad obtinendam peccatorum remissionem: Unde & vocabatur *Sacrificium propitiatorium*, in quo una pars comburebatur, altera cedebat in usum Sacerdotum.

14. CONCL. IV. Omnia Sacrificia tum Legis Naturæ, tum Mosaicæ, de facto coadunata sunt in uno Tremendo & Incruento Missæ Sacrificio. Ita omnes Catholici; atque profitetur Ecclesia in Secreta Missæ post Dominicam VII. Pentecostes, sic orans: *Deus, qui Legalium differentiam hostiarum unius Sacrificii perfectione sanxisti*. Uberius idipsum docet Concilium Trid. *Sess.* 22. *cap.* 1. sic loquens: *Hæc denique illa sanctæ oblatio est, quæ per varios Sacrificiorum ritus, & Legis tempore, similitudines figurabatur; utpote quo bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium Consummatio, & perfectio complectitur*. Et de hoc Tremendo Missæ Sacrificio ex professo nunc agendum.

QUÆSTIO II.

De Missa, & qua ratione in ea offeratur verum Sacrificium?

SUMMARIUM.

15 *Missa est vox antiquissima. Lyturgia, quid?*
16 *In Missa distinguitur ratio Sacramenti, Sacrificii, & Missæ.*
17 *Missa Catechumenorum, & Missa Fidelium.*
18 *In Missa offertur Deo verum Sacrificium.*
19 *Probatur Catholica Veritas.*
20 *Missa Sacrificium est incruentum, cujus principalis Hostia Christus.*
21 *Panis, & vinum, hostia minus principalis; & quomodo?*
22 *Christus, quomodo in hoc Sacrificio offeratur?*
23 *Objectio notabilis, quomodo Hostia in Missa Sacrificio immoletur &c.*
24 *I. Responsio, de mystica, Sacramentali, & incruenta immolatione Christi.*
25 *Solvitur instantia, & declaratur magis hæc responsio.*
26 *II. Responsio, de morali Christi immutatione.*
27 *III. Responsio de physica Conversione panis, & vini in Corpus & Sanguinem Christi.*
28 *Objectio contra hanc sententiam, ejusque notabilis solutio.*

15. ADvertendum I. quod hæc vox *Missa*, ejusque usus sit antiquissimus in Ecclesia: legitur enim tum apud S. Augustinum, S. Ambrosium, aliosque SS. Patres, tum in Concilio Romano sub S. Sylvestro Papa I. celebrato. Imo S. Ignatius, Antiochenæ Ecclesiæ tertius post S. Petrum Episcopus, & Martyr, *in Epist. 6. ad Smyrnenses*, jam hujus dictionis meminit. Porro quod Patres Latini Missam appellant, Græci vocant *Lyturgiam*, hoc est, *Ministerium, Sacrificiumque Altaris*; uti notat Cov. *l.* 4. *var. resol. c.* 22.

16. Advertendum II. quod juxta usum Ecclesiæ, communemque sensum Fidelium, Missa acciplatur pro collectione omnium actionum, quæ fiunt a principio Sacrosancti Eucharistiæ Sacrificii usque ad finem

ipsius, in quo Corpus & Sanguis Christi consecratur, & offertur. Unde ad propositum tria sunt distinguenda, videlicet ratio Sacramenti, Sacrificii, & Missæ. *Ratio Sacramenti* consistit in eo, quod Eucharistia sit signum sensibile Corporis & Sanguinis Christi, realiter contenti sub speciebus consecratis; prout amplius *dist. præc.* declaratur. *Ratio Sacrificii* consistit in hoc, quod Christus in Missa incruente immoletur, Patrique suo Cœlesti offeratur; idque essentialiter & principaliter fit in consecratione, prout in progressu amplius ostenditur. *Ratio Missæ* tandem complectitur tum consectionem Eucharistiæ, seu consecrationem, tum reliqua omnia sive antecedentia, sive consequentia; ac proinde consistit in collectione eorum omnium, quæ a principio usque ad finem ipsius peraguntur. Et ex his quidem substantialia a Christo Domino, utpote novæ Legis Authore, instituta fuerunt: quoad totam vero actionem, atque ut Missa includit diversas Orationes & Cæremonias, ea est institutata ab Ecclesia.

17. Advertendum III. Quod olim tota ejusmodi actio dividebatur in duas partes, videlicet in Missam Cathecumenorum, & Missam Fidelium. *Missa Cathecumenorum* durabat a principio Missæ usque ad Offertorium exclusive; & fuit sic dicta, quia tamdiu, & non ultra, Cathecumenis interesse licebat. *Missa Fidelium* incipiebat ab Offertorio, & durabat usque in finem. Et ab hanc veterem Missæ divisionem, etiam defacto quandoque totum Officium solet dici in plurali *Missarum solemnia*; quamvis etiam Missa in singulari, sufficienter significet totam illam actionem sacram, quæ in Missa a principio usque in finem peragitur. His præmonitis, sit

18. CONCL. I. In Missa offertur Deo verum, ac proprie dictum Sacrificium. Conclusio est de fide, ac definita in pluribus Conciliis, novissime autem in Concil. Trid. *Sess. 22. can. 1.* ibi: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari: anathema sit.*

19. Desumitur insuper hæc Catholica Veritas, præter traditionem perpetuam, ac praxin Ecclesiæ jam a temporibus Apostolorum jugiter continuatam, ex illis verbis Christi *Matth. 26. Hoc facite in meam Commemorationem*. Siquidem ly *facite*, æquivalet verbo *sacrificate*, juxta illud *Levit. cap. 15. Suvem duas turtures, dabisque Sacerdoti, qui faciet unum pro peccato, & alterum in holocaustum*; id est, sacrificabit, seu offeret unum pro peccato &c. quales locutiones sæpius alibi in S. Scriptura reperiuntur. Accedit, quod Christus Dominus, ut pote *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, *Ps. 109.* in ultima Cœna Deo Patri vere sacrificaverit; ergo, cum illud ipsum Apostolis, eorumque legitimis Successoribus, facere præceperit, etiam hi vere ac proprie sacrificabunt. Et hoc quidem fecisse Apostolos, eorumque Successores, constat ex antiquissimis Lyturgiis, plurimis Sanctorum Patrum testimonis, & probatissimis historiis, de quibus Controversistæ, præsertim Bellarminus *lib. 1. de Missa*.

20. CONCL. II. Missæ Sacrificium est incruentum, in quo præcipua & principalis Hostia est Christus Dominus, sive Corpus, & Sanguis ipsius. Ita omnes Catholici; & omissis aliis probationibus, habetur expresse in Concilio Trid. *Sess. 22. c. 2.* ibi: *in Divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruente obtulit*. Et infra *can. 2.* Concilium definit, Christum ordinasse, ut *Apostoli, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem suum*.

21. Dicitur notanter, *principalis Hostia est Christus*. Siquidem hoc non obstante passim fatentur Theologi, quod etiam panis & vinum aliquo modo in Missa offerantur, ficque pertineant ad rem, quæ sacrificatur; prout lequet ex modo loquendi Ecclesiæ, quæ in Missæ offertorio sic orat: *Suscipe sancte Pater hanc immaculatam Hostiam*, præsentando simul panem consecrandum. Et infra: *Offerimus tibi Domine Calicem salutaris*, elevando vinum. Cæterum substantia panis, & vini, est dumtaxat Hostia minus principalis, & secundaria; atque eatenus in hoc tremendo Sacrificio offertur, quatenus ipsa est materia consecrationis Eucharistiæ, & quæ totaliter convertitur, seu transubstantiatur in Corpus & Sanguinem Christi.

22. Insuper scindum, quod Christus in Sanctissimo Missæ Sacrificio offeratur, non quomodocunque, sed ut mediante transubstantiatione panis, & vini, in Corpus & Sanguinem suum, realiter contentus est sub horum speciebus; prout fatetur Conc. Trid. *Sess. 22. c. 1.* ibi: *Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earum rerum symbolis, Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent*,

rent, præcepit. Christus itaque in hoc incruento Sacrificio non offertur, quatenus existit in Cœlis (sic enim nulla prorsus circa eum fit immutatio, ad rationem Sacrificii essentialiter requisita) sed quatenus vi consecrationis, ac mediante transubstantiatione panis, ac vini, in Corpus & Sanguinem suum ponitur, atque existit sub eorum speciebus consecratis. Verum pro majori dictorum intelligentia

23. Objicitur contra præmissa: Ad verum, & proprie dictum Sacrificium requiritur aliqua destructio, aut immutatio rei oblatæ, sive ipsius Hostiæ: atqui in Missa non fit talis destructio, neque immutatio rei oblatæ, sive Hostiæ; nam Christus, quiditur esse Hostia principalis, neque destruitur, cum sit immortalis, neque alia ratione immutatur, cum sit impassibilis, atque incorruptibilis; ergo. Ad hanc satis communem objectionem, plures sunt responsiones Theologorum, in hoc convenientium, quod omnes quandam ex parte Hostiæ oblatæ destructionem, sive immutationem admittant (hæc enim omnimodis requiritur ad rationem veri Sacrificii) licet eam varie postmodum explicent.

24. Primo itaque nonnulli cum Lessio *lib. 12. de Divinis Perfectionibus cap. 13. n. 95.* centent, ipsi consecrationi convenire rationem actionis sacrificativæ, ac per ipsam Christum modo incruento mactari, & hac ratione incruente immolari, quatenus per ipsam vi verborum Corpus Christi a Sanguine separatur, & vicissim Sanguis a Corpore. Siquidem vi verborum formæ consecrationis, sub speciebus panis ponitur solum Corpus Christi; & vi verborum consecrationis, sub speciebus vini solus Sanguis, sicque (non obstante, quod reliqua concomitanter sub utrusque speciebus etiam ponantur) Christus mystice, incruente, atque sacramentaliter tunc mactatur, immolatur, atque immutatur. Unde in forma ad propositam objectionem respondent, distinguendo Minorem: In Missa non fit destructio, aut immutatio Hostiæ, physica & subtantialis, transeat; non fit destructio, aut immutatio ejus mystica, incruenta, sive Sacramentalis, negant Minorem: & eodem modo distincta sua probatione, negant consequentiam.

25. Si dicas: Ad veram rationem sacrificii non sufficit sola immutatio mystica, & sacramentalis: Resp. id quidem non sufficere ad Sacrificium cruentum, bene tamen ad Sacrificium incruentum, quale peragitur in SS. Missæ Sacrificio. Ad hoc quippe incruentum novæ Legis Sacrificium sufficit incruenta, mystica, & Sacramentalis illa immolatio Christi: quæ fit non quidem malleo, vel cultro materiali, sicut olim victimæ immolabantur, sed cultro verbi Dei: de quo dicitur *ad Hebr. cap. 4. Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*. Nam vi hujus verbi Dei, seu vi verborum formæ consecrationis in persona Christi prolatorum, revera, quantum est ex vi verborum, sub speciebus panis solum Corpus Christi, & sub speciebus vini solus Sanguis ipsius ponitur: non obstante, quod ob naturalem partium inter se connexionem, & concomitantiam, ipsamque unionem Hypostaticam, etiam aliæ partes humanitatis Christi, una cum Divinitate, sub utraque specie contineantur; hoc enim est per accidens.

26. Secundo alii respondent, distinguendo Majorem. Ad rationem Sacrificii requiritur destructio, vel immutatio Hostiæ, vel physica, vel saltem moralis, concedunt: semper physica, negant Majorem, conformiter dictis *nn. 5. & 6.* Et eodem modo distinguunt Minorem. Siquidem in Sacrificio Missæ, licet Christus Dominus secundum suam humanitatem vi consecrationis substantialiter non destruatur, adhuc tamen secundum eam moraliter immutatur, quatenus per consecrationem Corpus Christi transiertur a statu suo naturali ad Sacramentalem, atque in usum cibi & potus, longe diversum a statu suo naturali. Nam istud moraliter loquendo idem est, ac si fieret verus cibus; juxta quod idem Salvator, *Joan. cap. 6.* affirmabat: *Caro mea, vere est cibus: & sanguis meus, vere est potus*. Ita Lugo *disp. 19. de Eucharistia, sect. 5.* & plures alii.

27. Tertio quidam volunt, Christum sacrificari ex eo, quia terminat realiter conversionem, seu transubstantiationem panis, & vini, in Corpus & Sanguinem suum, vi consecrationis peractam. Quia enim in Missa offertur panis & vinum, non quomodocunque, sed ut vi consecrationis totaliter convertitur seu transubstantiatur in Corpus & Sanguinem Christi: hinc actio sacrificativa censetur consistere in hac physica conversione unius in aliud, ad quam etiam spectat Christus Dominus, veluti terminus *ad quem* dictæ conversionis. Et simile quid contingebat olim sub Lege veteri in oblatio-

ne thymiamatis, & thuris, ubi in protestationem supremi Dominii Dei, & subjectionis sacrificantis ad ipsum, una res convertebatur in aliam, videlicet thus, aut thymiama, in suavissimum fussitum.

28. Si Dicas: Ex hac sententia videtur sequi, solum panem & vinum sacrificari (nam illud proprie sacrificatur, quod realiter immutatur) atqui hoc est falsum, & contra Concilium Trid. *n.* 20. citatum, simulque absurdum; quia alioquin Ecclesia haberet duntaxat Sacrificium imaginarium, ac vilius, quam habuerunt olim Hebræi; foretque figuratum minus nobile, quam figura; ergo. Resp. negando sequelam, cum sua probatione. Etsi enim illud proprie offerri dicatur, quod destruitur, seu immutatur, quando non fit conversio unius in aliud: nihilominus, si fiat talis conversio, tunc proprie ac principaliter illud offertur, quod per ejusmodi actionem potissimum intenditur. Unde, si principaliter intendatur destructio prioris rei per conversionem in aliam, tunc res conversa erit Hostia; prout accidit in combustione Holocausti, conversi in ignem, ubi non ignis, sed aries v. g. vel bos igne absumptus, censetur esse Hostia. Secus autem erit, si tunc principaliter intendatur res illa, in quam fit conversio alterius; quia enim, ut illud incipiat esse, alterum desinit, etiam Deus magis intendit honorari, honoratur que per illam actionem conversivam, ut ponit terminum *ad quem*, quam ut tollit terminum *a quo*: prout & in Lege veteri, dum thymiama vel thus offerebatur, convertendo ipsum in suavissimum fussitum, potius Deo offerebatur, & sacrificabatur ejusmodi fussitus suavissimus, quam thymiama vel thus. Igitur cum in Sacrificio Missæ Christus ejusque præsentia principaliter intendatur, consequenter in eo Hostia principalis erit Christus Dominus; non quomodocunque, sed ut contentus sub speciebus consecratis, ac veluti terminus *ad quem* principaliter intentus transubstantiationis, quæ divinitus accidit peracta consecratione. Quamvis eadem actione offeratur simul panis & vinum, secundario tamen & concomitanter, quatenus est terminus *a quo*, & cujus desitio intenditur propter aliud duntaxat, sicque minus principaliter. Lessius *l.* 2. *de inst. & jure*, *cap.* 38. *nu.* 13. licet postea *lib.* 12. *de Divinis Perfectionibus*, *cap.* 13. *n.* 95. amplexus sit primam sententiam *nu.* 24. relatam, tamquam faciliorem intellecta, magisque respondentem ordinario sacrificandi modo, qui supponit Hostiam, non producit.

QUÆSTIO III.

Qui sint Offerentes Missæ Sacrificium, & in quo consistat Essentia ipsius?

SUMMARIUM.

29 *Principalis offerens in Missa Sacrificio, est Christus Dominus?*
30 *Et quomodo?*
31 *Sacerdos celebrans, est proximus Minister.*
32 *Et quomodo alii Fideles illud offerant?*
33 *In Missa non omnes actiones pertinent ad essentiam sacrificii.*
34 *Hujus essentia consistit in Consecratione.*
35 *In Parasceve non fit Sacrificium Missæ.*
36 *Sumptio S. Hostiæ, non est de essentia ejus.*
37 *Præsertim facta ab astantibus.*
38 *Requiritur ad hoc sacrificium consecratio utriusque speciei.*
39 *Opposita sententia refertur, ac rejicitur.*

29. CONCL. I. Principalis offerens Missæ Sacrificium, est Christus Dominus, quamvis illud offerat Sacerdotum ministerio. Ita omnes Catholici Doctores; & patet tum ex Concilio Florentino in Decreto Unionis, tum ex Tridentino *sess.* 22. *c.* 2. ubi docet: *Una est eademque Hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Idem patet ex verbis consecrationis, ubi Sacerdos non nomine proprio, sed in persona Christi loquens, dicit: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.*

30. Cæterum Christus dicitur offerens, & quidem principalis; tum quia Sacerdotium, ipsumque Missæ Sacrificium instituit: tum etiam, quia Sacerdos illud ex Christi ordinatione offert nomine, atque in persona ipsiusmet Christi Domini. Ipse siquidem Sacerdotes constituere dignatus est suos Ministros, & Vicarios, qui in nomine, atque in persona sua, Patri Cœlesti illud offerrent Sacrificium; uti præter concordem SS. Patrum doctrinam, tenet Concilium Florentinum, & Trid. *loc. cit.*

31. CONCL. II. Sacerdos celebrans offert Missæ sacrificium ut proximus Minister: ex-

cæteri autem fideles etiam aliquo modo, minus tamen proprie, dicuntur hoc Sacrificium offerre. Ita communis. Et quidem prima pars patet tum ex cit. Concilio Trid. ubi dicitur: *Idem nunc offerens Sacerdotum ministerio* tum ex eo; quia Sacerdos est publicus Minister Ecclesiæ, ad hoc Mysterium conficiendum consecratus, veruisque sacrificans, juxta quod Christus Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, præcepit in ultima Cœna, dicens: *Hoc facite &c.* Quia vero Sacerdos, in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum, & Sacrificium, hinc Sacerdos non est principalis offerens, sed post Christum, qui est offerens principalis, proximus Minister.

32. Altera pars patet ex Canone Missæ, ubi dicitur: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.* Et infra: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ Familiæ tuæ.* Dicuntur autem alii Fideles hoc sacrificium offerre dupliciter: primo, ratione quadam generalissima, & solum, quia sunt membra Ecclesiæ, cujus nomine Sacerdos Deo offert sacrificium istud. Secundo, ratione quadam magis speciali, in quantum scilicet speciali externo concursu ad ejus oblationem cooperantur, illud vel petendo, aut procurando per donationem stipendii, vel faciendo sub ipsa oblationem ad Altare, aut interviendo Sacerdoti celebranti, vel saltem per devotam assistentiam seu præsentiam consentiendo in ipsum.

33. CONCL. III. Certum est, quod non omnes sacræ Actiones, quæ in Missa peraguntur, pertineant ad essentiam sacrificii. Pleraque enim sunt piæ quidem, sed solum accidentales Cæremoniæ, Ritusque sacri ab Ecclesia instituti *ex Apostolica disciplina, & traditione; quo & Majestas tanti sacrificii commendaretur, & mentes Fidelium per hæ visibilia Religionis, & Pietatis signa, ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur*: prout loquitur Concilium Trid. *cit. sess.* 22. *c.* 5. Porro in quanam parte Missæ consistat essentia sacrificii, Quæstio remanet; pro cujus resolutione sit

34. CONCL. IV. Essentia sacrificii Missæ consistit in consecratione; & quidem probabilius in illa sola. Ita Herincx *disp.* 8. *de Eucharistia*, *q.* 3. *num.* 42. Sannig *dist.* 5. *de Missa*, *quæst.* 4. *nu.* 5. cum communiori Theologorum, contra Bonacinam *dist.* 4. *de Eucharistia*, *quæst. ult. punct.* 2. *num.* 1. dicentem, quod partes essentiales sacrificii Missæ sint Consecratio, Oblatio, & Sumptio; & contra nonnullos alios, qui volunt, etiam sumptionem a celebrante peractam, spectare ad essentiam sacrificii Missæ. Ratio conclusionis est: quia sacrificium Missæ offertur, ac perficitur a Sacerdote in persona Christi, qui est principalis offerens, ut *n.* 29. dictum est: atqui consecratio, eaque sola, fit a Sacerdote in persona Christi; ergo sola consecratio spectat ad essentiam ejus. Minor probatur: nam Sacerdos in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum, ut ait Concilium Florentinum in Decreto Unionis; ergo. Hinc

35. Infertur I. Quod Feriæ sextæ Parasceves proprie non fiat sacrificium Missæ: quia ibi non fit nova Hostiæ consecratio, sed sumitur duntaxat Hostia pridie consecrata.

36. Infertur II. Quod sumptio Hostiæ seu Sacramenti, quæ fit a Sacerdote celebrante, non spectet ad essentiam sacrificii Missæ, stricte loquendo (hæc enim sumptio non fit in persona Christi, sicuti consecratio) quamvis spectet ad ejus integritatem, & complementum: nam, ut dicitur capit. Relatum de consecrat. dist. 2. *Quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?*

37. Infertur III. Quod multo minus sumptio Sacramenti, quæ fit ab aliis astantibus, spectet ad essentiam sacrificii Missæ: unde Concilium Trid. *sess.* 22. *c.* 6. & *can.* 8. approbat, & commendat Missas illas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat.

38. CONCL. V. Ad perfectam rationem sacrificii novæ Legis requiritur consecratio utriusque speciei: idque ex Christi institutione, qui voluit in illo offerri Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini, prout docet Concilium Trid. *sess.* 22. *c.* 1. Unde Rubricæ Missalis *Tit. de Defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, quantum ad propositum, sic habent: *Si Sacerdos ante Consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, præmittitur Missa* (quia videlicet sacrificium substantialiter necdum est inchoatum) *si post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem explenda ab eo loco, ubi ille defecit, & in casu necessitatis etiam per non jejunum.* Et merito: nam plus ur-

urget præceptum Divinum de substantali perfectione, atque integritate Missæ, quam præceptum Ecclesiasticum de non sumendo Eucharistiam, nisi a jejunis.

39. Sunt quidem nonnulli Theologi, quos refert Barbosa *in Collectaneis ad Concilium Trid. sess. 22. de Sacrificio Missæ c. 1. num. 26.* qui volunt, posse Papam ex causa urgenti concedere, ut consecratio Eucharistiæ, & Sacrificium Missæ in una specie fiat. Quia vero Concilium Trid. *loc. cit.* satis indicat, consecrationem utriusque speciei esse de Jure Divino, dum *ait, cap. 1.* inter alia sic loquitur: *Christus Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini DEO Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerent, præcipit*: hinc merito de hac quorundam sententia dubitatur, eaque probabilius & communius negatur.

QUÆSTIO IV.

De Effectibus Sacrificii Missæ.

SUMMARIUM.

40 *Sacrificium Missæ habet valorem ex opere operato, & ex opere operantis.*
41 *Est Latreuticum, ac Eucharisticum.*
42 *Est propitiatorium, Satisfactorium, & Impetratorium.*
43 *Missa sacrificium, quomodo sit propitiatorium, & peccata mortalia expiet?*
44 *Per se ac immediate non causat gratiam sanctificantem. Differentia inter Sacramentum, & Sacrificium.*
45 *Missa sacrificium, quomodo sit satisfactorium?*
46 *Et quomodo impetratorium?*
47 *Effectus impetratitii bonorum temporalium, an sit infallibilis?*

(2) Concordant dicta Tr. 5. Dist. 5. n. 57. & 58.

40. ADvertendum cum Scoto *Quodlib. 20.* & communi Theologorum, quod Missæ Sacrificium habeat duplicem vim atque valorem operandi suos effectus, videlicet ex opere operantis, & ex opere operato. Prior valor promanat ex bonitate ipsius Ministri, ejusque proprio merito, atque devotione, quacum peragit hoc Sacrificium; prout id ipsum accidit in omnibus aliis piis operibus, utpote quæ valent, seu prosunt ex opere operantis. Alter valor Sacrificii Missæ est ille, qui eidem ex Christi institutione, ejusque meritis, atque independenter a bonitate Ministri competit; juxta quod Concilium Trident. *citat. cap. 1.* profitetur dicens: *Et hac quidem illa munda oblatio est* (Malach. 1.) *quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest.* Unde sequitur, quod Missæ Sacrificium prosit ex opere operato, seu virtute ipsius sacrificii, quatenus habet specialem valorem sibi peculiariter ex Christi institutione annexum, & quidem ultra omne meritum operantis, seu procurantis celebrationem Missæ, atque independenter a bonitate Ministri illud offerentis. Hoc prænotato, sit

41. CONCL. I. Sacrificium Missæ in primis est Latreuticum, atque Eucharisticum. Ita communis; & patet ex Concilio Trid. *sess. 22. can. 3.* ubi inter alia dicitur, *Missa sacrificium ipso laudis, & gratiarum actionis.* Siquidem Missæ Sacrificium dicitur *Latreuticum*, quatenus instar Holocausti offertur DEO in recognitionem suæ supremæ excellentiæ: ipsum quippe institutum est ad ferendum cultum Latriæ (qua ratione *Latreuticum* appellatur) soli DEO debitum. Verum quatenus offertur in gratiarum actionem pro omnibus receptis beneficiis, præsertim Redemptionis nostræ, hac ratione Sacrificium Missæ vocatur *Eucharisticum*: *Eucharistia* enim latine sonat *bona gratia*, sive *gratiarum actio*.

42. CONCL. II. Insuper Sacrificium Missæ est propitiatorium, satisfactorium, & Impetratorium: ac proinde (præterquam, quod sit Sacrificium laudis, & gratiarum actionis) triplicem habet effectum, propitiationem videlicet, seu expiationem peccatorum quoad culpam; satisfactionem pro pœnis remanentibus ex peccatis quoad culpam jam dimissis; & impetrationem diversorum Beneficiorum. Ita omnes Catholici, & habetur novissime definitum in Concilio Trid. *sess. 22. can. 3.* his verbis: *Si quis dixerit, Missa sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam Commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere: anathe-*

ma sit. Idipsum fusius declarat citatum Concilium *c. 2.*

43. CONCL. III. Missæ Sacrificium vere quidem est *Propitiatorium*; in quantum virtute ejusdem DEUS nobis fit placatus, & propitius, id est, movetur ad deponendam justissimam iram suam & indignationem, quam ob nostra peccata concepit in ordine ad reganda uberiora gratiæ auxilia, quibus pœnitentiam agere, atque in ejus amicitiam redire, & peccatorum remissionem acquirere valeamus: nihilominus effectum expiationis peccatorum mortalium quoad culpam non causat immediate, sed duntaxat mediate, ac dispositive, impetrando videlicet specialia gratiæ auxilia, quibus homo disponitur, atque excitatur ad agendam veram de peccatis pœnitentiam, mediante qua per infusionem gratiæ sanctificantis immediate remittuntur peccata. Ita communis Theologorum; & patet ex verbis Concilii Trid. *sess. 22. c. 2.* ubi explicans modum, quo hoc Sacrificium nobis peccata remittit, sic loquitur: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit.* Quibus verbis aperte docet, Sacrificium illud non remittere peccata mortalia immediate, prout faciunt Sacramenta baptismi & Pœnitentiæ, sed tantum mediate, impetrando nimirum a Deo gratias actuales prævenientes, quibus peccatores excitentur ad agendam veram pœnitentiam, hocque ad consequendam peccatorum remissionem virtute perfectæ contritionis, vel Attritionis cum Sacramento.

44. Et conformiter dictis infertur, quod Missæ Sacrificium per se, & immediate, non causet gratiam sanctificantem (alioquin enim immediate deleret peccata mortalia) neque augmentum ipsius: quia nemo recipit augmentum gratiæ habitualis seu sanctificantis, nisi vel per proprium meritum, vel per dignam acceptionem Sacramenti. Et hoc ipsum suadet differentia inter Sacramentum, & Sacrificium: nam Sacramentum est primario & principaliter institutum ad nostram sanctificationem; Sacrificium vero immediate refertur ad cultum DEI, & protestandam supremam ejus excellentiam, & secundario solum ac veluti per quandam redundantiam, ad nostram utilitatem.

45. CONCL. IV. Quod attinet ad alterum effectum ipsius, Missæ Sacrificium dicitur esse *satisfactorium*, & quidem tam respectu vivorum, quam respectu animarum in Purgatorio existentium, in quantum ex opere operato virtute ipsius aliqua pœna, peccatis quoad culpam jam deletis correspondens, remittitur illis, pro quibus hoc Sacrificium applicatur. Unde Concilium Trid. *loc. cit.* ait: *Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolicam traditionem offertur.* Et infra *Sess. 25. de Decreto de Purgatorio*, docet: *Animas in Purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris Sacrificio juvari.* Et hic affectus satisfactionis infallibiliter confertur virtute Sacrificii Missæ, dummodo is, pro quo Missa offertur, sit capax ejusdem, id est, indigeat aliqua satisfactione, nec ponat obicem peccati mortalis, atque sit actualiter in statu damnationis.

46. CONCL. V. Tandem Missæ Sacrificium est *Impetratorium*, in quantum habet virtutem impetrandi a Deo diversa bona, tum spiritualia, tum etiam temporalia, quatenus ad spiritualia conducunt. Ita omnes Catholici, & patet ex perpetuo sensu, atque traditione Ecclesiæ, ipsoque Concilio Tridentino proxime allegato. Additur vero notanter, *bona temporalia, quatenus ad spiritualia conducunt.* Quia effectus Sacrificii incruenti Missæ nituntur meritis Sacrificii cruenti a Christo in Ara Crucis oblati: atqui Christus non promeruit nobis in Cruce bona temporalia, nisi quatenus conducunt ad spiritualia; nam bona temporalia secundum se præcise spectata, non sunt bona, imo sæpe sæpius homini mala & nociva.

47. Et hinc fit, quod effectus ille Sacrificii Missæ, nimirum, impetratio bonorum temporalium, non infallibiliter habetur, ut experientia constat: neque illico omnia nobis conceduntur, pro quorum impetratione leguntur Missæ; siquidem hujusmodi bona temporalia non semper conducerent ad bonum spirituale, & salutem animæ. Interim tamen credibile est, semper aliquid obtineri a Deo, neque Sacrificium in vanum offerri, etiamsi non statim obtineatur illud in specie bonum temporale, pro quo obtinendo missa offertur: potest enim Deus, atque pro summa in nos pietate solet, vel ejus concessionem in tempus opportunius, nobisque salutarius differre; vel loco illius, quod petimus, aliud nobis elargiri longe conducibilius ad salutem animæ nostræ: ad hoc quippe concedendum videtur ipsum compellere sua infinita Liberalitas, Bonitas, atque misericordia. (c)

QUÆ-

QUÆSTIO V.

Quantus sit valor Sacrificii Missæ?

SUMMARIUM.

48 *Valor Missæ ad placandum, satisfaciendum, ac impetrandum, non est infinitus:*

49 *Non obstante infinitate meritorum Christi.*

50 *Cur hæc per Missam finitè duntaxat modo applicentur?*

51 *Missa pro pluribus oblata, minus prodest singulis.*

52 *Quid de pluribus interuentibus, aut ignorantibus?*

53 *Sacerdos pluribus stipendiis non satisfacit, si unicam Missam celebret.*

54 *Nè quidem applicando uni fructum satisfactorium, & alteri impetratorium.*

55 *Ad partem fructus ejus specialissimi.*

56 *Fidelibus ejus prodest, si Missas curent sibi celebrari in vita, quam post mortem.*

57 *In Missa duo sunt consideranda.*

58 *Missa mali Sacerdotis tantum valet, quantum boni, quoad substantialia.*
Et quoad fructum, ejus ex opere operato.

59 *Imo & quoad Orationes dictas nomine Ecclesiæ.*

60 *Secus quoad Orationes, prout a Celebrante procedunt.*

48. CONCL. I. Valor, quem habet Missæ sacrificium ex opere operato, sive ad placandum nobis DEUM, sive ad satisfaciendum, sive ad impetrandum, non est infinitus, sed finitus; non obstante infinitate satisfactionis, ac meritorum Christi, in quibus totus Missæ valor radicatur, & fundatur. Ita D. Bonaventura 4. *dist.* 45. *art.* 3. Scotus *quodlib.* 20. cum suis & aliis communiter, paucis exceptis. Conclusio hæc potissimum sustinetur ex communi fusus Ecclesiæ: nam si idem numero sacrificium foret infiniti valoris, tunc frustra speciales numero Missæ legerentur pro specialibus hominum necessitatibus; imo unica missa, utpote infiniti valoris, sufficeret ad exhaurienduum totum Purgatorium; simulque posset quis per unius Missæ celebrationem satisfacere pro centum stipendiis a diversis hominibus datis: hæc autem omnia sunt absurda, & contra perpetuam praxin, ac sensum Ecclesiæ; ergo dicendum, quod Missæ Sacrificium a nobis oblatum, non sit infiniti valoris.

49. Additur in Conclusione, *non obstante infinitate meritorum Christi*. Quia valor ille, quem habet Missa ex opere operato, fundatur, ac desumitur ex sacrificio cruento in Ara Crucis oblato per Christum, ac meritis ejus, quæ sunt infinita, ac sufficientia pro redemptione infinitorum hominum, vel etiam mundorum, si darentur: quamvis hæc infinita merita Christi, per incruentum Missæ sacrificium finito, ac limitato duntaxat modo, juxta ordinatissimam DEI voluntatem, nobis applicentur. Et hæc de causa Barth. Gavantus *part.* 2. *Commentar. in rubricas tit.* 8. *n.* 23. valorem Missæ ait esse infinitum in radice, quatenus nempe radicatur in meritis Christi, quæ sunt infinita; sed ad impetrandum, & ad alios suos effectus, finitum in terminis, quia finite de eo omnes participant.

50. Cæterum ratio, cur per Missæ sacrificium merita Christi finito duntaxat modo nobis applicentur, alia non est, nisi voluntas, ac institutio Christi Domini, veri DEI & hominis, qui per hoc incruentum Missæ sacrificium modo duntaxat finito voluit nobis applicare merita suæ Dominicæ Passionis, atque satisfactiones præstitas in sacrificio illo cruento, quod ipsemet obtulit in Ara Crucis, se ipsum offerendo Patri suo Cœlesti pro redemptione totius generis humani.

51. CONCL. II. Idem numero sacrificium Missæ pro pluribus simul oblatum, minus prodesti singulis, ac si pauciotibus, vel uni tantum applicaretur. Conclusio hæc sequitur ex præcedenti: quia valor ille finitus, qui ex opere operato correspondet Missæ, dividitur tunc in illos plures homines, pro quibus simul offertur, qui cæteroquin totus uni obveniret, si Missa pro uno solo applicaretur.

52. Dicitur, *sacrificium Missæ pro pluribus simul oblatum*. Nam si loquamur de Missæ sacrificio, quatenus a pluribus offertur, nempe a pluribus Missæ inservientibus, vel devote assistentibus (qui etiam suo modo dicuntur Missam offerre, juxta dicta *n.* 31. & 32.) non minorem fructum exinde singuli referunt, quam si ipsi soli essent. Ratio est, quia ejusmodi oblationes privatæ sunt distinctæ, ideoque eis distincti, ac propriis effectus correspondent, juxta propriam singulorum devotionem & capacitatem. Et hoc ipsum suadet communis sensus Fidelium. Layman *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 1. *n.* 11. & alii.

53. CONCL. III. Sacerdos, qui pluribus sive ob acceptum stipendium, sive ob aliam causam, est obligatus ad celebrandum, non satisfacit unicum sacrificium Missæ pro omnibus offerendo. Ita de facto tenendum pro certo, ob Decretum Urbani VIII. *De Celebratione missarum*, quod incipit, *Cum sæpe contingat* (habeturque tom. 4. Bullarii Romani, *Constit.* 45. *dicti Pont.*) ubi §. 2. *sub obtestatione Divini Judicii mandat, ac præcipit, ut absolute tot missa celebrentur, quot ad rationem attributa eleemosyna præscripta fuerint, ita ut aliquatenus ii, ad quos pertinet, sua obligationi non satisfaciant, quicumque graviter peccent, & ad restitutionem teneantur*. Concordat Decretum Alexandri VII. inter alias Propositiones etiam sequentem, ordine 10. damnantis: *Non est contra justitiam, pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata, dantis stipendium, quod pro nullo alio offeram*. Proinde

54. Infertur I. Sacerdotem non posse pro una Missa duplex stipendium accipere, applicando uni fructum satisfactorium, & alteri fructum impetratorium; dum v. g. unus petit celebrari missam pro Defunctis, alter pro infirmo. Nam, qui dat stipendium pro celebratione Missæ, censetur velle fructus omnes ipsius, quantum est capax.

55. Infertur II. Non posse Sacerdotem licite pro una Missa duplex stipendium accipere, applicando uni petentium partem illam fructus, quæ ipsi sacrificanti competit. Siquidem hoc non modo sequitur ex dictis, sed rursum opposita sententia ab Alexandro VII. damnata est, dum is inter alias Propositiones etiam sequentem, ordine 8. rejecit: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti partem ejus specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.* Hæc, inquam, Propositio est damnata.

56. Quæres, utrum Fideles majora sibi beneficia, fructumque uberiorem comparent, si Missas sibi curent celebrari in vita, quam post mortem? Resp. affirmative, ut notat Batbolt *in Collectaneis ad Concilium Trid. sess.* 22. *cap.* 2. *n.* 11. citans Fraxinellum, & Homobonum de Bonis. Ratio est? quia Missæ pro aliquo dictæ post mortem, solum sunt satisfactoriæ pro pœnis in Purgatorio adhuc luendis: at in vita pro aliquo celebratæ, non solum satisfactoriæ sunt, sed etiam propitiatoriæ, atque impetratoriæ, sicque juvant in vita & post mortem. Accedit illud D. Gregorii lib. 4. Dialog. c. 58. *Tutior est via, ut bonum, quod quisque post mortem sperat agi per alios, ipse dum vivit, per se exequatur: beatius quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere*.

57. Quæres ulterius, utrum Missa mali Sacerdotis tantum valeat, quantum boni. Ubi notandum cum D. Thoma *part.* 3. *q.* 82. *art.* 6. D. Bonaventura 4. *dist.* 13. *art.* 1. *q.* 4. & communi Doctorum, quod in Missa duo debeant considerari, scilicet ipsum Sacramentum seu sacrificium, quod est principale, & Orationes, quæ in Missa pro vivis atque defunctis fiunt; idque sive in persona totius Ecclesiæ, cujus Sacerdos est publicus Minister, sive in Persona Sacerdotis, ac prout secundum propriam ejus devotionem spectantur. Hoc prænotato

58. Resp. I. Certum est, quod Missa mali Sacerdotis quoad substantialia, sive quantum ad Sacramentum, atque Sacrificium, non minus valeat, quam Missa boni Sacerdotis. Ratio est: quia utrobique idem conficitur Sacramentum, atque sacrificium; & quidem nomine, atque in persona Christi Domini, qui est principalis Offerens, simulque Hostia. Unde D. August. *lib. de Corpore Christi*, inquit: *In mysterio Corporis, & Sanguinis Domini nihil a bono majus, nihil a malo minus perficitur Sacerdote*. Et hoc ipsum etiam est intelligendum de fructu præcipuo sacrificii Missæ, qui provenit ex opere operato, & quatenus illud offertur in persona Christi: hic enim nihil omnino pendet a dispositione, & bonitate Ministri, juxta dicta *n.* 40.

59. Resp. II. Quatenus Sacerdos offert Missam, oratque nomine Ecclesiæ, non minuitur fructus impetrationis ob malam dispositionem Ministri celebrantis: quia etiam in peccatoribus manet ministerium, inquit Doctor Angelicus. Unde quantum ad hoc, non solum est fructuosa Oratio Sacerdotis peccatoris Missam celebrantis, sed etiam omnes aliæ ejus orationes, quas facit in Horis Canonicis, aliisque Ecclesiasticis Officiis, in quibus gerit personam Ecclesiæ. Excipe, nisi Minister sit excommunicatus non toleratus: quia per hunc non vult

Ec-

Ecclesia ad DEUM preces offerri, & consequenter nullam habent efficaciam, quatenus fiunt nomine Ecclesiæ.

60. Resp. III. Orationes privatæ Sacerdotis mali, seu in statu peccati mortalis celebrantis, non sunt fructuosæ, ne quidem secundum vim impetrandi pro aliis: ac proinde quoad circumadjacentia, sive annexa, hoc est, quoad Orationes, prout a celebrante procedunt, plus prodest Missa boni, quam mali Sacerdotis. Ratio est: quia Sacerdos malus celebrando, de novo peccat mortaliter; unde prout celebratio Missæ ab ipso procedit, potius meretur vindictam, quam misericordiam. Huc quadrat dictum illud cæci nati, atque a Christo illuminati, de quo *Joan. 9. scimus, quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.*

QUÆSTIO VI.

Pro quibus possit offerri Sacrificium Missæ?

SUMMARIUM.

61 Missa potest offerri pro vivis, atque defunctis, non vero pro damnatis.
62 Nequit offerri pro Sanctis.
63 Licite offertur pro Fidelibus non excommunicatis, etiam peccatoribus.
64 Secus de excommunicatis vitandis.
65 Quid de excommunicatis toleratis?
(a) Videantur dicti Tract. 13. Dist. 2. n. 26.
66 Possit offerri pro conversione Infidelium,
67 Sive indirecte, nec autem directe pro Infidelibus &c.
68 Et cur non directe?
(b) Ut dictum Tract. 13. Dist. 2. n. 17.

61. CONCL. I. Missæ sacrificium potest offerri tum pro vivis, tum pro Defunctis in Christo, nondum plene purgatis; neutiquam vero pro damnatis. Ita communis. Et quidem prima pars constat ex dictis n. 42. & 45. Altera pars habetur *c. Pro obitum bus 13. q. 2.* ac ratio est: quia damnatorum desperata est redemptio. Et hoc intelligendum cum Glossa ibidem communiter recepta, quando evidens est, aliquem decessisse in peccato mortali; ut puta cum quis se ipsum suspendit, præcipitat, vel alio modo occidit, *arg. c. Placuit 23. q. 5.* Nam sæpe est dicendum, si de hoc sit dubium: quia tunc oportet meliora de Proximo sperare.

62. CONCL. II. Etsi DEO in honorem Sanctorum rite offeratur Missæ sacrificium, juxta dicta *n. 8.* nequit tamen illud offerri pro Sanctis. Ita habetur decisum *c. Martho §. Tertio loco de Celebrat. missarum*, addita hac duplici ratione: Tum quia *injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*: Tum quia Sanctis in cœlis *orationibus nostris non indigent pro eo quod cum sint perfecte beati, omnia eis ad vota succedunt.*

63. CONCL. III. Certum quidem est, Missæ sacrificium licite offerri pro fidelibus non excommunicatis, etiam peccatoribus; illud tamen existentibus in peccato mortali non prodest quoad effectum satisfactorium, sed solum, quatenus sacrificium hoc est propitiatorium (modo *n. 43.* explicato) & impetratorium. Ratio est: quia Fideles in peccato mortali existentes sunt quidem capaces utriusque posterioris effectus, non vero effectus satisfactionis, seu remissionis pœnæ temporalis; cum ponatur obicem peccati mortalis.

64. CONCL. IV. Pro excommunicatis vitandis, seu non toleratis, nequit licite offerri sacrificium Missæ, & peccat graviter Sacerdos, directe pro ipsis celebrans. Ratio est: quia Missæ sacrificium offertur non solum in persona Christi, sed etiam nomine Ecclesiæ: atqui Ecclesia prohibet, ne suo nomine, & publico Ministerio Ecclesiastico, pro excommunicatis oretur, aut Missa celebretur, donec fuerint absoluti; uti habetur *c. Audivis 28. & c. Sacris de sent. excommun.* ergo.

65. Additur notanter, *pro excommunicatis non toleratis*. Nam non pauci Doctores volunt, post Concilium Constantiense, atque Extravag. Martini V. *Ad vitanda*, pro excommunicatis toleratis, seu non vitandis licite posse offerri sacrificium Missæ; utpote quibus de facto licite communicamus in aliis Officiis Divinis, imo & pro ipsis præsentibus publice precamur in Choro dicendo: *Misereatur vestri; Dominus vobiscum* &c. prout argumentatur Herincx *disp. 8. de Missa, n. 64.* citans Navarrum, Sa, Lugonem, & alios passim. Verum, quamvis id licite fiat, simulque tale sacrificium prodesse valeat excommunicatis toleratis, quatenus offertur in persona Christi, non tamen ipsis proderit, quatenus offertur in persona Ecclesiæ; cum Pontifex in præfata Bulla ex-

expresse protestetur, quod *per hoc non intendit, excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.* (d)

66. CONCL. V. Pro Infidelibus non baptizatis potest offerri Missæ sacrificium per modum deprecationis, ut ad veram Fidem convertantur. Ita Bonacina *disp. 4. de Eucharistia quæst. ult. punct. 3. nu. 4.* Herincx *n. 59.* Sannig *quæst. 7. nu. 15.* & alii. Ratio est: quia juxta Concilium Trid. *n. 42. & 45.* relatum, potest Missa offerri *pro peccatis & aliis necessitatibus*: atqui Infidelitas est peccatum, & necessitas maxima. Accedit, quod sacrificium incruentum missæ imitetur cruentum, olim a Christo in Ara Crucis oblatum; quod etiam non baptizatis profuit ad salutem animæ. Quinimo *cap. Apostolicam, de Presbytero non baptiz.* jubet Pontifex, quod missæ sacrificium offeratur pro Presbytero non baptizato, qui in confessione nominis Christi decessit.

67. Cæterum Mastrius *disp. 9. Theol. Moral. nu. 62.* alia ratione hoc declarat, & citans communiorem, & probabiliorem Doctorum, ait, posse quidem pro Paganis, & Infidelibus (imo & Excommunicatis) sacrificium missæ indirecte offerri, non autem directe. Et quidem prior pars suadetur ex eo, quod de facto sic fiat, quoties missæ sacrificium Deo offertur pro incremento & exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, vel tollendo ab ea Schismate, aut Hæresum extirpatione: nam quia hæc vel maxime fiunt per conversionem Infidelium, atque resipiscentiam Hæreticorum, Schismaticorum, aliorumque excommunicatorum; celebrando Missam juxta dictam intentionem, pro his pariter indirecte oratur, & celebratur.

68. Altera pars probatur ex eo: quia Pagani, & Infideles, necdum sunt effecti membra Christi per Baptismum in re, vel saltem in voto suscepturi: atqui sacrificium Missæ non potest directe applicari, nisi pro membris Christi; quia, ut inquit D. Augustinus *l. 1. de Anima & ejus orig. cap. 9.* relatus a D. Thoma *3. part. q. 79. art. 7. ad 2. Quis offerat Corpus Christi, nisi pro his, qui sunt membra Christi?* Idem delumitur ex ipsa praxi, & consuetudine Ecclesiæ, quæ quidem summo affectu, veluti pia Mater, Paganorum, aliorumque enumeratorum conversionem, & salutem exoptat; nullam tamen pro ipsorum conversione Missam ordinavit (bene tamen pro tollendo Schismate, vel contra Paganos) neque preces aliquas pro eis dicendas instituit; dempto solo die Parasceves, quo propter speciale mysterium, & quia Christus JESUS eadem die pro suis persecutoribus in Cruce orare dignatus est, etiam Ecclesia pro Hæreticis & Schismaticis, Judæis & Paganis, publice precatur. (e)

QUÆSTIO VII.

De Applicatione Missæ.

SUMMARIUM.

69 Missa triplicitur prodest, specialissime, generalissime, & specialiter.
70 Missa specialiter prodest iis, quibus applicatur a celebrante.
71 Quid, si nemini applicatur.
72 Aut Celebrans eam applicet contra suam obligationem, vel voluntatem Superioris.
73 Applicatio missa, an sufficiat habitualis?
74 Et quando fieri debeat?
75 An sit licitum celebrare cum reservatione applicationis?
76 Vel missam applicare proximo daturo stipendium?
77 Praxis optima applicandi missam.
78 Expedit etiam facere secundam intentionem.
79 Et quomodo?
(f) Ut dictum n. 73.
80 Digne celebrans plus participat de fructu missæ, quam alii.

69. ADvertendum cum Scoto *Quodlib. 20.* & aliis, Sanctissimum missæ sacrificium (idem servata proportione dicendum de Orationibus Fidelium, aliisque Justorum meritis, de quibus ex professo Doctor Subtilis *ibidem §. de primo*, hoc declarat) tripliciter valere, seu prodesse: nimirum specialissime, generalissime, ac modo quodam medio seu specialiter, *specialissime* prodest solum ipsi celebranti missam, seu aliud bonum opus peragenti, ac in statu gratiæ existenti, & hoc modo non videtur, id posse recta, seu ordinata voluntate alteri applicari; quia quilibet tenetur magis sibipsum diligere, quam Proximum. *Generalissime* prodest toti Ecclesiæ: neque enim celebrans vel orans debet aliquem de Ecclesia excludere, sed ex intentione saltem habituali omnes includere; uti patet ex Oratione Dominica, in qua singuli, ex Christi institutione orantes, dicimus: *Et ne nos inducas in ten-*

tentationem &c. non vero, & ne me inducas in tentationem. Et de hoc fructu generalissimo videtur David loqui *Ps.* 118. dicens: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Tertio tandem modo, seu *specialiter*, prodest missæ sacrificium, vel aliud pium opus illi, cui specialiter per celebrantem, vel orantem applicatur, v. g. Animabus in Purgatorio, vel danti stipendium pro celebratione missæ: & hic solus fructus, nempe specialis, applicatur pro eo, pro quo offertur Missæ sacrificium.

70. CONCL. I. Sacrificium Missæ specialiter prodest iis, pro quibus offertur; attamen ad hoc, ut sacrificium habeat suum effectum ex opere operato pro iis, pro quibus offertur, necessaria est propria applicatio Sacerdotis celebrantis. Ita Herincx *part. 4. disp. 8. de missa, quæst. 7.* Sannig *disp. 5. quæst. 6.* & alii. Ratio est: quia in hoc tremendo missæ sacrificio Sacerdos celebrans, & quidem solus, sustinet personam Christi; ergo sicut a solo Sacerdote celebrante in persona Christi sacrificium pro aliis offertur, sic etiam ab eo solo fructus ejusdem applicatur. Idem desumitur ex forma Ordinationis cujuslibet Sacerdotis, qui eidem dicitur: *Accipe potestatem offerendi sacrificium* &c. pro *vivis & defunctis*: & consequenter ab ipso pendet applicatio fructus ejus.

71. Infertur proinde I. sacrificium missæ nemini applicatum, quoad fructum suum specialem nemini profuturum ex opere operato, sed fructum ipsius in Thesauro Ecclesiæ remansurum. Intelligo, si Sacerdos eundem ex certa scientia nolit neque sibi, neque alteri applicare. Si vero hoc accidat ex inadvertentia, videtur ex parte Celebrantis adesse tacita, & habitualis intentio applicandi sibi, aut certe aliis, pro quibus tenetur; qualis applicatio habitualis jam sufficeret, juxta dicenda *n.* 73.

72. Infertur II. Etsi Sacerdos ex Voto, Justitia, Charitate, vel Obedientia obligetur missam applicare certis personis: valide tamen eundem posse missam applicare aliis, etsi illicite, quantumvis intentio & applicatio Superiorum, vel Ecclesiæ sit in contrarium. Ita Herincx *loc. cit. num.* 80. Layman *c. 2. n.* 11. Sannig. *nn.* 11. & alii communiter, contra Fraxinellum, qui ut refert Gavantus *tom. 1. Comment. in Rubricas, part. 3. tit. 12. n. 18.* docebat, Prælatum Regularem posse irritare intentionem subditorum in celebratione Missæ, si hanc contra suam intentionem applicarent, ita ut valeat applicatio Prælati, & non subditi. Sed communis sententia ex eo probatur: quia applicatio missæ est actus potestatis Ordinis, quæ non dependet ex potestate Superioris Regularis. Unde, quamvis subditus peccet agendo contra Obedientiam suo Prælato debitam, ejus tamen applicatio non potest irritari per Prælatum: sicut a simili nequeunt irritari alia, quæ sunt annexa Ordini Sacerdotali, ut patet in intentione conficiendi Sacramenta.

73. CONCL. II. Applicatio sacrificii missæ non necessario debet esse actualis, aut virtualis, sed sufficit habitualis; id est, actualis quondam habita, & nondum retractata. Ita communiter Doctores, paucis exceptis. Ratio est: quia per actualem intentionem olim habitam, ac necdum retractatam, Sacerdos jam donavit alteri fructum sacrificii sui; qui proinde eidem, utpote vi donationis jam debitus, obveniet, supposito, quod sequatur sacrificium, neque revocetur applicatio.

74. CONCL. III. Applicatio missæ debet fieri, antequam sacrificium sit perfectum ac proinde ante consecrationem, utpote in qua sacrificium missæ essentialiter consistit. Imo debet Sacerdos, præsertim quando accepto stipendio pro aliis celebrat, formare intentionem ante initium missæ, ut etiam fructus precum, nomine Ecclesiæ peractarum, obveniat illis, pro quibus celebrat.

75. CONCL. IV. Illicitum est, quod Sacerdos, qui de facto non habet stipendium pro Sacro faciendo, celebret cum reservatione suæ applicationis, applicaturus ei, qui dato stipendio proxime Sacrum sieri postulabit. Ita communis. Ratio est: quia fructus sacrificii non potest suspendi a Sacerdote, in cujus potestate non aliter est sacrificii effectus, quam ipsum sacrificium.

76. Et ob eandem rationem neque licitum est, per modum anticipatæ solutionis ex nunc applicare fructum sacrificii iis, qui postea primo petent; aut celebrare ad eorum futuram intentionem, quam Deus jam novit. Quinimo hæc praxis nonnullorum, tanquam periculosa, scandalosa, ac antiquissimæ Ecclesiæ consuetudini contraria, reprobata est a Congregatione Cardinalium 1605. ut refert Barbosa *part. 2. de offic. & potest. Epise. alleg. 24. n. 12.*

77. CONCL. V. Loquendo de modo circa applicationem missæ observando, optimum est,

est, atque in praxi consultissimum, ut Sacerdos applicet valorem Missæ juxta intentionem petentis, eique modo, quo debet ac potest, meliori prodesse intendat; interim tamen simul & sibi, & toti Ecclesiæ, prodesse velit ea ratione, qua potest meliori, absque præjudicio tamen dantis stipendium. Ita Gavantus *tom. 1. Comment. in Rubricas, part. 2. tit. 8. nu. 3.* Nam, ut bene considerantibus patebit, hoc modo fiet perfectissima applicatio Missæ, absque ullo cujusque præjudicio, cum DEUS optime noverit, simulque de fructu Sacrificii dare paratus sit cuique, quantum ipsi competit.

78. Deinde, quia quandoque contingere potest, utis, pro quo sive ratione accepti stipendii, sive ex alio titulo quis est celebraturus, non sit capax fructus sacrificii Missæ (prout v.g. accideret, si anima Defuncti, pro qua legitur Missa, jam sit in cœlo, vel ob sua delicta in inferno) in quo proinde casu fructus specialis Missæ rediret in Thesaurum Ecclesiæ, si nulla alia adesset persona, cui ipse competeret, & applicaretur: hinc ad istud evitandum optime consulunt Doctores, ut fiat aliqua secunda intentio, seu applicatio, per quam si fructu Missæ non egeat, vel ejus incapax sit ille, pro quo applicatur, mox alii substituantur, quibus in tali casu fructus Missæ applicatus obveniat.

79. Sed quoniam nobis non certo constat, quibus in tali casu optime possit, vel etiam debeat, fructus Missæ applicari: hinc consultum erit, ut generaliter eliciatur talis intentio, qua quis in ejusmodi casibus semper velit, tali secunda intentione fructum sacrificii Missæ illi, vel illis applicare, cui, vel quibus Deus novit, hic & nunc præ cæteris magis debere illum applicari, ac ut applicetur, Deo gratius fore. Nam, cum ad applicationem Missæ sufficiat intentio non solum actualis, & virtualis, sed etiam (f) habitualis, ejusmodi intentio secundaria generalis pariter sufficiet: potestque practicari absque ulla animi perturbatione, & anxietate.

80. His addendum pro solatio spirituali Sacerdotum devote celebrantium, cum Gavanto *cit. tit. 8. num. 5.* certum esse, quod Sacerdos digne celebrans in majori quantitate participet de fructu & valore Missæ, quam quilibet alius, qui eundem celebrare jubet, vel dato stipendio procurat. Et hoc tum ex ministerio proximiori: tum ex majori fide, ac devotione, quæ sub devota

Celebratione multipliciter excitatur: tum ex ipsa digna Sacramenti Eucharistiæ perceptione.

QUÆSTIO VIII.

De Obligatione celebrandi Missam, quam ex variis Titulis habent Sacerdotes.

SUMMARIUM.

81 *Sacerdos ex variis titulis potest obligari ad celebrandum.*
82 *An, & quoties per annum celebrare teneatur?*
83 *Curatus, quibus diebus celebrare debeat?*
84 *An tunc teneatur Missam applicare pro Parochianis?*
85 *Resolutio.*
86 *Sententia merito practicanda.*
87 *Beneficiarius, quoties teneatur celebrare?*
88 *Quid, si infirmetur ad tempus?*
89 *Beneficiarius, qui quotidie celebrare tenetur, an possit quandoque abstinere?*
90 *Aut pro alia intentione celebrare?*
91 *An satisfaciat anticipando missas?*
92 *Obligatus ad celebrandum in certa Ecclesia, vel Altari, peccat aliibi celebrando.*
93 *Nisi justa causa subsit.*
Quanta sit hæc obligatio?
94 *An aliis Celebrans teneatur ad restitutionem?*
95 *Nequit Sacerdos missam alii legendam dare, retenta parte stipendii.*
96 *Limitatur hoc in certis casibus.*
97 *Peccat mortaliter qui est notabiliter in mora celebrandi missas debitas.*
Et tenetur ad restitutionem.
98 *Quid, si ad modicum tempus differatur?*
99 *Aut dans stipendium consentiat?*
100 *Sacerdos tenetur dicere missam petitam, nisi obster Ritus Ecclesiæ.*
101 *Quid de missis votivis, ac de requiem in Festis duplicibus?*
Et Indulgentiis Altarium Privilegiatorum?
102 *Obligatio celebrandi missam ratione stipendii qualis?*
103 *Unicam missam omittens, an peccet mortaliter?*

81. ADvertendum, quod generatim Sacerdos ex variis Titulis obligari possit ad celebrandam Missam. I. Ratione suscepti sacri Ordinis Sacerdotalis. II. Ratione Curæ animarum, quam habet. III. Ratione Beneficii, seu Capellaniæ, cui ex primæva Fundatione annexum est onus celebrandi certas Missas, in Litteris Fundationis præscriptas. IV. Ratione recepti stipendii, seu eleemosynæ, pro missa celebranda porrectæ; non enim tenetur Sacerdos, quamvis sit dives, ac opulentus, ultro Missam pro aliis celebrare; sed potest licite stipendium sui ministerii, juxta consuetudinem laudabilem cujuslibet loci, recipere; idque pro sustentatione congrua vitæ suæ, juxta illud Salvatoris, *Matth.* 10, *Dignus est operarius cibo suo*, & alibi. Hoc prænotato, de singulis procedit præsens Quæstio: ad cujus resolutionem, sit

82. CONCL. I. Simplex Sacerdos peccat, & quidem juxta plures Doctores (quorum sententiam Sannig *loc. cit. q.* 8. *nu.* 1. censet probabiliorem) mortaliter, si cessante justo impedimento nunquam celebret toto anno: tenetur enim saltem ter, vel quater in anno, in Festis præsertim solemnioribus, celebrare. Probatur hoc ex Concilio Trid. *sess.* 23. *cap.* 4. *de Reform.* ubi dicitur: *Curet Episcopus, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus, si autem curam habeant animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, missas celebrent.* Accedit *c. Dolentes de celebr. miss.* ubi graviter reprehenduntur ii, qui Missarum solemnia vix quater celebrant in anno.

83. CONCL. II. Sacerdos Curatus per se, vel per alium, omnibus illis diebus tenetur celebrare, quibus Plebs sibi subjecta ex præcepto Ecclesiæ tenetur Missam audire. Ita communis: & patet tum ex citatis verbis Conc. Trid. tum ex ipsa ratione Curæ animarum: nam aliàs non posset Populus implere præceptum de audienda Missa.

84. Num autem omnibus dictis diebus teneatur Sacerdos Curatus applicare Missam pro populo, quæstio non modica est, eo quod Concilium Trident. *Sess.* 23. *de Refor. cap.* 1. sic dicat: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum committa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre &c.* Quibus verbis Concilium videtur agnoscere præceptum Divinum celebrandi, missamque applicandi pro suis Ovibus, ex parte ipsius Parochi seu Curati.

85. Resp. Licet Scotus *lib.* 9. *de Justitia quæst.* 3. *art.* 1. arbitretur, Parochum non solum obligari celebrare Missam, ut eam subditi audire valeant, sed etiam hanc propsis offerre: communior tamen sententia negat, talem obligationem ipsi incumbere ratione muneris sui; nisi forsan ex Fundatione, Consuetudine, Lege Diœcesana, Pacto, aut alio hujusmodi Titulo, specialis obligatio habeatur. Ita Layman, *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 3. *n.* 3. Herincx *disp.* 8. *de missa quæst.* 9. *num.* 95. & 96. Sannig. *disp.* 5. *q.* 8. *n.* 3. Suarez, & alii. Ratio est: Quia Beneficia cuncta propriè sunt instituta ad pascendum Populum verbo, & Sacramentorum administratione, non item ad semper applicandam Missam pro ipso, nisi secus habeatur ex Fundatione, vel alio speciali Titulo. Deinde non plus videtur evincere citatus textus Concilii Trid. nisi quod Sacerdotes Curati teneantur pro Ovibus suis Sacrificium offerre, celebrando saltem diebus, quibus urget præceptum audiendi missam, ut hi Parochiani possint missam audire, eique devoti assistendo, de fructibus ipsius participare: nam diversæ sunt obligationes ad celebrandum, & ad applicandum pro Parochianis missæ sacrificium; ab una autem obligatione non est faciendæ extensio ad aliam.

86. Patrandum tamen, quod his non obstantibus Barbosa *part.* 2. *de offic. & potest. Episcop. alleg.* 24. *n.* 23. & amplius *part.* 1. *de offic. Parochi cap.* 11. *n.* 10. verius esse putet, Parochum teneri missæ sacrificium pro suis Ovibus applicare aliquoties, juxta boni viri arbitrium. Idem censet Gobat *tract.* 3. *Theol. Experim. n.* 493. additque, illud boni viri arbitrium esse ferendum attenta copia vel inopia redituum, magna aut parva necessitate Parochianorum. Notat etiam Layman *cit. num.* 3. quod lex Charitatis, ac æquitatis ratio suadeat, ut Pastores ordinarii, videlicet Papa, Episcopus, Parochus, & Prælatus Regularium, pro suis subditis Deo intra, & extra sacrificium, frequenter supplicent, & aliquando etiam pro eisdem illud offerant.

87. CONCL. III. Capellanus, seu Beneficiarius, ex justitia sub mortali culpa est obligatus ad illum missarum numerum, quem Litteræ Fundationis Beneficii, ad cujus onera Beneficiarius illud acceptus se obligat. Circa hoc tamen

88. Notant I. Doctores, ac inter eos Navarrus *lib.* 2. *de Restit. cap.* 2. *n.* 210. Lugo *disp.* 21. *de Eucharist. num.* 49. Sannig *n.* 5. & Layman *n.* 7. quod si ejusmodi Beneficiarius, ad certum missarum numerum singulis hebdomadibus dicendarum obligatus, ad breve tempus infirmetur, ut pura una, vel altera hebdomada (aut juxta est. Laymanum, & Lugonem, uno mense) præsumendum sit, Fundatorem, & Ecclesiam, non intendisse tam arctam obligationem, ac proinde talem non teneri ad recompensationem: nam etiam dominus temporalis, tametsi jure detrahere posset de mercede famuli ob ejus infirmitatem (ut multi volunt *arg. l. Si uno §. Item cum ff. Locati*) si tamen pius & benignus est, detrahere non solet.

89. Notant II. Doctores, quod si Fundatio exigat quotidianum sacrificium in certo loco, v.g. in determinata Ecclesia, vel Altari peragendum, sicque obligatio principaliter habeatur ratione loci, v.g. ob majorem ejus reverentiam, vel commoditatem Populi: tunc tenetur Sacerdos, tale onus Missarum quotidie ibi celebrandarum in se habens, ibidem quotidie celebrare, vel per se, vel per alium substitutum, juxta Fundationem ipsi loco impositam. Si vero talis obligatio quotidie celebrandi sit ipsimet personæ Capellani, seu Beneficiarii imposita, tunc arbitrantur, ob reverentiam sacrificii, majoremque devotionem in se excitandam, aut alia justa de causa, posse eundem quando-que abstinere, etiam semel in hebdomada *arg. cap. Significatum de præb.* ubi de obligatione ad quotidie celebrandum dicitur, eum teneri quotidie extra casum infirmitatis celebrare, *salva honestate sua, & debita devotione.* Nam propter plurimos mundanos casus contingit nonnunquam, debitam impediri devotionem.

90. Non tamen hinc sequitur, quod is, qui titulo honestatis, majoriqueque devotionis, potest semel in hebdomada a Missa abstinere, possit etiam semel missam alibi, vel pro alia intentione celebrare. Nam hæc sunt omnino diversa: atqui ex diversis non valet illatio. Dicendum proinde, quod obligatus ad quotidie celebrandum juxta certam intentionem, etsi advertens, se esse minus dispositum, possit quandoque ob causam honestatis, debitæque devotionis, abstinere (ad summum semel in hebdomada) tamen eo die nec pro se, nec pro alio, neque alibi celebrare valeat; aut si celebraturus est, teneatur missam applicare juxta præscriptam Fundatoris intentionem, vel saltem hanc per alium celebrandam curare. Bonacina *disp.* 4. *de Eucharistia, quæst. ult. punct.* 7. §. 2. *num.* 16. Sannig *disp.* 5. *de missa, q.* 8. *n.* 5. & alii.

91. Notant III. Capellanum, qui ad celebrandum in determinato loco aliquot per hebdomadam diebus obligatus est, per se loquendo, ac nisi aliud exprimatur, posse satisfacere, si anticipet præcedenti hebdomada ibidem celebrando: eo quod non defraudet intentionem Fundatoris, utpote qui (nisi aliud expresserit) videtur exigere certum duntaxat missarum numerum temporis perlolvendum. Additur tamen, *per se loquendo* &c. Quia si in Litteris Fundationis contrarium exprimatur, specialiter statuendo v. g. ob commoditatem devotionemque Populi, aut reverentiam Loci sacri, ut in nulla hebdomada missæ prætermittantur, non licebit eas anticipare: mens enim justa Fundatorum, tanquam lex specialis, adimplenda est. Bonacina *ibidem* §. 5. *nu.* 4. Sannig *num.* 8. Navarrus, & alii.

92. CONCL. IV. Qui ex titulo Fundationis, vel ex conventione, aut pacto ratione recepti stipendii tenetur in certa Ecclesia, vel Altari celebrare, non potest absque peccato alibi celebrare; nisi hoc fiat ex justa, & rationabili causa. Ratio est: quia rationabilis, piaque voluntas Fundatoris, vel danti eleemosynam pro celebratione missæ, est adimplenda; quod alioquin non fieret.

93. Dicitur notanter, *nisi hoc fiat ex justa causa.* Nam si hoc accidat ob legitimum impedimentum, *v. g.* ob profanationem Ecclesiæ, inundationem aquarum, aut quia Sacerdos bona fide existens a Sacristia invenit Altare jam occupatum ab alio Celebrante, & hujusmodi, nullum committitur peccatum.

Et quamvis obligatio celebrandi in loco determinato, ex genere suo sit gravis; adeo ut juxta Bonacinam *cit. punct.* 7. §. 2. *n.* 2. & alios, alibi celebrans peccet mortaliter: nihilominus rectè notat Herincx *disp.* 8. *de missa, quæst.* 15. *n.* 185. hic etiam locum habere levitatem materiæ, utpote si raro mutetur locus, *v. g.* bis vel ter in anno, vel etiam semel aut bis in mense, dum quis debet quotidie celebrare. Insuper facilius excusari potest celebrans in alio Altari ejusdem Ecclesiæ quam si celebret in diversa Ecclesia; utpote minus recedens a voluntate Fundatoris. Lugo *disp.* 21. *de Eucharistia, n.* 36.

94. His adde, quod, quamvis Sacerdos extra præscriptam Ecclesiam, vel Altare, contra voluntatem Fundatoris, vel dantis stipendium celebrans peccet, ut dictum: nihilominus sit probabilius, talem non teneri ad restitutionem, aut novam celebrationem Missæ. Bonacina *cit.* §. 4. *nu.* 5. cum aliis. Siquidem talis Celebrans, etsi peccaverit, non tamen fraudavit Fundatorem, vel dantem stipendium, fructu ipsius sacrificii.

95. CONCL. V. Non est licitum Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam sub certo stipendio, eandem Missam alteri, parte illius stipendii sibi retenta, celebrandam committere. Ita habetur in Decreto Urbani VIII. *De celebratione missarum* (de quo jam *n.* 53.) ubi §. 4. hoc fieri prohibetur, *ut omne damnabile lucrum ab Ecclesia removeatur*. Unde oppositam nonnullorum sententiam Alexander VII. denuo rejecit, inter alias Propositiones etiam sequentem, ordine 9. damnando: *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missa celebranda traduntur, per alium satisfacere: collato illi minori stipendio, aliaparte stipendii sibi retenta*. Et hæc conclusio procedit etiam in casu, quo cuipiam Sacerdoti offertur eleemosyna solito major pro celebratione Missarum: nam debet is absolute integram eleemosynam tribuere alteri Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere potest; prout declararunt Cardinales, *Respondendo ad* 10. Quorum Declarationes habentur additæ post cit. Decretum Urbani VIII. in Bullario Romano.

96. Cæterum hoc Decretum non habet locum in Beneficiis: unde satis est, quod Rector Beneficii, qui potest Missam celebrare per alium, tribuat eleemosynam congruam secundum morem patriæ, nisi secus caveatur in Fundatione Beneficii; prout declararunt idem Cardinales, *ad* 8. Et merito: nam Beneficiarii habent suum stipendium non præcise ratione Missarum, sed etiam propter alia onera Beneficio annexa, cui specialiter obligati sunt deservire, atque intuitu ipsius recitare Horas Canonicas: unde non mirum, quod residuum ex redditibus Beneficii sibi retinere possint. Hoc ipsum dicendum videtur de Capellano, habente salarium stabile instar beneficiarii: cum similiter sit obligatus ad alia onera Capellaniæ. Insuper dictum Decretum non tangit illos, qui pinguius stipendium accipiunt per modum eleemosynæ, tanquam a speciali amico, vel benefactore, uti notat Sanctus. *cit. distinct.* 5. *quæst.* 9. *n.* 5. aut quando alter Sacerdos sponte in se suscipit sacrificandi obligationem, parte stipendii condonata. Layman *loc. cit. n.* 14. Nam quilibet potest cedere juri suo, vel favorem specialem cuipiam exhibere.

97. CONCL. VI. Sacerdotes, qui sunt notabiliter ultra ora celebrandi Missas debitas, peccant mortaliter. Ita Herincx *disp.* 8. *de missa*, *quæst.* 15. *n.* 181. Bonacina, & alii passim. Ratio est: quia potest contingere, ut dans stipendium pro celebratione Missæ, fraudetur fructu ipsius; uti accideret, si Missa petatur celebranda ad impetrandum aliquid a DEO, & Missa dicatur jam elapso tempore necessitatis; vel petatur Missa ad impetrandam infirmo sanitatem, aut pro anima Defuncti, & illa primum legatur, postquam obiit infirmus, aut anima ex Purgatorio post gravissimas pœnas jam est liberata. Quinimo (addunt Doctores) in tali casu tenetur Sacerdos ad restitutionem; & hinc Urbanus VIII. in citato Decreto, *De Celebratione missarum*, §. 8. provide statuit, quod *eleemosynæ manuales, & quotidianas ita dumtaxat Sacerdotes accipere possint, si meritis antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; aliisquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis, in futurum recipiendis*. Hæc ibi.

98. Dicitur, *qui sunt notabiliter in mora celebrandi*. Nam imprimis Declaratio Cardinalium ad dictum Decretum Urbani VIII. *Respondendo ad* 11. excipit casum, quando *infra modicum tempus* potest oneribus Missarum satisfieri: modicum autem tempus (ait Herincx. *n.* 182.) valde credibile censetur esse tempus unius mensis, aut etiam duorum mensium, imo nonnulli id extendunt ad tres menses.

99. Deinde citata Declaratio Cardinalium, *Respondendo ad* 12. excipit casum, *si tribuens eleemosynam pro aliarum missarum celebratione fecit, & consentiat, ut illa tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit*: nam tunc, juxta benefactoris consensum potest Missarum celebratio differri.

100. CONCL. VII. Sacerdos, qui stipendium accepit, tenetur dicere Missam, sicut offerens petivit, videlicet Missam talem, aut talem votivam, vel Missam de requiem; nisi obstet Ritus Ecclesiæ. Prima pars probatur ex eo, quia alioquin virtus Fidelitatis violaretur; simulque potest contingere, quod ob specialem offerentis devotionem, nec non speciales Missæ Orationes, major fructus impetrationis eidem proveniat. Altera pars ex eo liquet: quia sanctæ Matris Ecclesiæ voluntas, & ordinatio, prævalere debet voluntati privatorum Fidelium; eo præsertim, quod hi non intendant, nec rationabiliter possint intendere, contravenire Ritui Ecclesiæ.

101. Hinc quia Rubricæ Missalis, *tit. De Missis Votivis*, & *Missis Defunctorum*, prohibent, dici tales Missas in Festis Duplicibus, ac diebus Dominicis, non est dubitandum, quin satisfiat intentioni petentium impetrandum Missam de Festo Duplici occurrente cum applicatione ad intentionem petentis, & non Missam votivam, vel de requiem. Hoc idem, loquendo de Missis privatis de requiem (secus est de Anniversariis, ac Missis cantatis) novissime declaravit, ac fieri mandavit Alexander VII. Anno 1662. simulque tum ipse in speciali Decreto, 1664. tum Clemens IX. in alio, die 23. Septembris 1669. emanato, quod incipit: *Cum sel. record.* (& habetur tom. 5. Bullarii Romani, *Constitut.* 39. *dictæ Pontif.*) concessit, atque declaravit, per Missam de Festo occurrente dictis diebus celebratam pro Defunctis, lucrari Indulgentias Altarium Privilegiatorum pro Animabus in Purgatorio: de quo antea fuerat magna difficultas inter Doctores, qui communiter sententiam negativam tenuerunt.

102. Quæres, qualis sit obligatio celebrandi Missam ratione stipendii? Resp. I. Certum est, quod hujusmodi obligatio sit de genere Justitiæ, habens annexum onus restitutionis, si non adimpleatur: alioquin enim talis injuste retineret stipendium. Et hujusmodi obligatio indubie ex genere suo est gravis, atque sub mortali.

103. Resp. II. Num peccet mortaliter, qui accepto stipendio unam duntaxat Missam scienter omittit celebrare, variant Doctores. Et quidem, talem peccati mortalis reum eenset Mastrius *disp.* 19. *Theol. Mor. n.* 80. citans Petrum Navarrum, Bonacinam, & alios: eo quod damnum spirituale, per privationem debiti fructus Missæ illatum, sit ad modum grave. E contra negativam sententiam sequuntur Herincx *cit. disp.* 8. *n.* 180. Sanning *q.* 9. *n.* 10. Sanchez *lib.* 3. *de Matr. disp.* 1. *n.* 25. & quidam alii: quia censent eius parvitatem materiæ in una dunta-

xat Missa omissa: neque enim hic attendendum, ajunt, ad damnum spirituale (alioquin enim omittens recitationem unius Salutationis Angelicæ, ad quam tenebatur, peccaret mortaliter; cum damnum spirituale ex tali omissione sequens, anteferatur cuilibet temporali) sed gravitas materiæ mensuranda est juxta gravitatem, seu quantitatem stipendii; quale pro unica Missa datum, communiter non attingit quantitatem sufficientem ad Peccatum mortale, ut patet in furto.

QUÆSTIO IX.

De Tempore celebrandi Missam.

SUMMARIUM.

104 *Tempus celebrandi missam, quale?*
105 *Per Auroram, quid intelligatur?*
106 *Est moraliter, non mathematice considerandum, & attendenda consuetudo de hyeme.*
107 *Quid de meridie?*
108 *Et privilegiis Regularium?*
109 *An sit licitum, quotidie celebrare?*
110 *Quid de Feria V. Cœna Domini, & Sabbato Sancto.*
111 *Non licet plures missas eodem die celebrare.*
112 *Excepto die Nativitatis Domini.*
113 *Et causa necessitatis.*
114 *Casus necessitatis præcipui, qui?*

104. CONCL. I. Tempus ordinarium celebrandi Missam incipit ab aurora, & terminatur in meridie, sive hora diei duodecima. Ita communis; & patet ex Rubricis Missalis, *Tit. De defectibus in Ministerio ipso occurentibus*; ubi dicitur, quod *tempus debitum celebrandi sit ab aurora usque ad meridiem communiter*.

105. Cæterum per *Auroram* non intelligitur ortus Solis, sed prima Solis irradiatio, quando nempe aliquid lucis apparet. Et licet crepusculum hoc non semper, & ubique locorum sit æquale, ordinarie tamen solet incipere hora & quadrante vel sesqui hora ante ortum Solis.

106. Notandum ulterius cum Doctoribus passim, quod hæc res moraliter potius, quam mathematice sit consideranda. Hinc infertur, posse Missam inchoari duabus horis ante ortum Solis, ita ut circa initium aurorę finiatur. Quinimo tempore hiberno

cepta consuetudo in partibus Septentrionalibus obtinuit, quod Missa tribus vel quatuor horis ante Solis ortum celebretur; eo præsertim tempore, quo communiter homines sese labori suo manuali solent accingere. Siquidem hæc consuetudo justa de causa est introducta, ut in hiec partibus, quibus in hyeme Sol tiro oritur, operarii & famuli prius Missæ sacrificium audire possint, antequam ad suas operationes sese accingant. Layman *cap. 4. de sacrificio missæ num. 3.* & alii.

107. Insuper quamvis ordinarie non sit licitum sacrificare post meridiem, ut patet ex Conclusione, adhuc tamen satis est ad evitandam culpam, si missa inchoetur ante meridiem, vel in meridie, licet postea primum finiatur. Quinimo ex causa justa potest Missa inchoari etiam post meridiem, ut puta ne infirmus sine Viatico decedat, aut propter Principis funus; vel si Sacerdos, diebus præsertim Festivis post meridiem ad locum Ecclesiæ perveniens celebrare velit &c. Herincx *cit. disp. 8. quæst. 10.* Layman, & alii.

108. Notandum præterea, Regularibus Mendicantibus varia privilegia a SS. Pontificibus concessa esse celebrandi una hora ante auroram, & una post meridiem; imo etiam usque ad horam nonam, id est, horam tertiam vespertinam; ut refertur in Compendio privilegiorum *verf. Missa.*

109. CONCL. II. Licitum est cuilibet Sacerdoti rite disposito quotidie celebrare, exceptis tribus postremis diebus hebdomadæ Sanctæ. Prior pars est certa, & patet ex *c. Consuluisti de Celebrat. Missar.* & praxi Ecclesiæ universali. Altera pars ex eo probatur: quia in primis Feria sexta Parasceves omnino prohibitum est, celebrare Missam; cum eo die, ob memoriam illius sacrificii cruenti, quo Christus Dominus semetipsum Patri Cœlesti hac die pro salute totius mundi in Ara Crucis offerre dignatus est, non fiat consecratio; sed a Sacerdote actum consuetum perficiente, juxta Ritum Ecclesiæ, solum sumatur sacra Hostia pridie consecrata.

110. Porro Feria quinta Cœnæ Domini, & Sabbato Sancto, una duntaxat Missa solemnis celebrari solet, juxta traditionem, & consuetudinem Ecclesiæ. Verum quidem est, multos Doctores, ut Suarezium, Sotum, Barbosam, Lugonem, quos citant, & sequuntur Layman *loc. cit. n. 8.* & Gobat, *tract. 3. Theol. Experim. nn. 219. & seqq.* existimare, quod non sit prohibitum, Sabbato Sancto privatim, ac seclusо scandalo, post Officium solemne celebrare, cum nullo jure hoc prohibitum reperiatur. Et hoc ob datam rationem, ac loquendo de Celebratione privata ante Officium solemne, multo magis admittunt Doctores de Feria quinta Cœnæ Domini, quamvis communiter hac die Sacerdotes de manibus sui Prælati, Missam solemnem celebrantis, sacram Communionem more Laicorum sumere soleant exemplo Apostolorum, qui isto die de manu Christi Eucharistiam acceperant.

111. CONCL. III. Excepto die Nativitatis Domini, & casu necessitatis, non licet eidem Sacerdoti plures Missas eodem die celebrare. Ita statuitur *c. Consuluisti* & *cap. Te referente de Celebrat. Missar.* juncto *c. Sufficit de consecr. dist. 1.* ubi pro ratione subjungitur: *Non modica res est, unam Missam facere: & valde felix est, qui unam digne celebrare potest.*

112. Additur, *excepto die Nativitatis Domini*, Quia illo die potest quilibet Sacerdos tres Missas celebrare, quamvis ad eas omnes celebrandas non obligetur: & si voluerit dicere tantum unam, dicat quam maluerit, sed melius leget tertiam, utpote cujus oratio concordat Officio diei.

113. Additur ulterius in Conclusione, *& casu necessitatis.* Nam in casu necessitatis plures eodem die Missas celebrari posse a Sacerdote jejuno, & qui in prima Missa non sumpsit Purificationem, patet ex *cit. cap. Consuluisti de celebrat. Missar.* estque communis Doctorum.

114. Porro inter hujusmodi casus necessitatis, potissimum numerantur sequentes. I. Ne morituro sine S. Viatico decedat, quando non adest alia Hostia consecrata. II. Ne populus die Festo Missa privetur, præsertim in casu, quando plures Sacerdotes habere non possunt, v. g. in Anglia &c. aut quando Sacerdos habet duas Parochias, & die Festo in utraque celebrare tenetur. III. Juxta nonnullos, quando die Festo adveniunt peregrini Missam audituri: vel quando ad Ecclesiam accedit Vir Illustris; ut puta Princeps, vel Episcopus. Verum hodie standum est consuetudini locorum, cum ob multiplicationem Sacerdotum aliqui casus raro amplius locum habere soleant.

QUÆ-

QUÆSTIO X.

Quo in Loco sit celebranda Missa? Ubi de violatione Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

115 *Quo in loco de jure communi sit celebranda missa?*
116 *Quid in casu necessitatis?*
117 *Enumeratione casus necessitatis.*
118 *Episcopus potest dispensare ex causa rationabili.*
119 *An sit licitum, celebrare missam in aqua, vel mari?*
120 *Non licet celebrare missam in Ecclesia polluta.*
121 *Ecclesia pollitur quinque practice notatis.*
122 *I. Per injuriosam humani sanguinis effusionem; & qualem?*
(g) Ut dictum Tr. 12. Dist. 2. n. 7.
123 *II. Per injuriosam homicidium.*
124 *III. Per illicitam humani seminis effusionem.*
125 *Et quid de alia conjugali?*
126 *IV. Per sepulturam excommunicati vitandi.*
(h) Tr. 13. Dist. 2. n. 26.
127 *V. Per sepulturam Pagani, seu Infidelis.*
128 *Alii duo modi a nonnullis adduntur.*
129 *Polluta Ecclesia an polluatur Cœmeterium, & e converso?*
130 *Quid si in dictis casibus factum est occultum?*
131 *Quid agendum, si Ecclesia sit polluta?*
132 *Et quomodo reconciliando, & a quo?*
133 *Quid de FF. Minoribus?*
134 *Aut si Ecclesia fuit tantum benedicta?*
135 *Ecclesia polluta, an reconcilietur per celebrationem missæ?*
136 *Quid agendum, si durante missa violetur Ecclesia?*

115. CONCL. I. Jure communi, & ordinario, olim Missam celebrare non licuit, nisi in Ecclesia consecrata, sive, ut dicitur *c. Nullus de consecrat. dist. 1. Nisi in sacratis ab Episcopo locis.* Hodie autem sufficit, Ecclesiam, vel Oratorium esse benedictum, aut etiam non benedictum, dummodo ad hunc solum usum debite deputatum, atque ab Episcopo designatum fuerit. Ita Herincx *cit. disp. 8. q. 11.* cum communi; idque inter alia desumitur ex Concilio Trident. *sess. 22. in Decreto de Observandis in Celebratione Missarum*; ubi prohibetur Episcopis, *ne patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Divinum tantum cultum dedicata Oratoria, Sanctum hoc sacrificium peragi.* Concordant Rubricæ Missalis, *tit. De defectibus in Ministerio ipso occurrentibus*, ibi: *Si celebratur in loco non sacro, vel non deputato ab Episcopo*: & consequenter a sensu contrario, sufficit locum ab Episcopo esse deputatum.

116. Dicitur notanter, *Jure Communi, & Ordinario.* Siquidem in primis excipitur casus necessitatis, *arg. can. 1. de consecr. dist. 1.* ubi dicitur, *Missarum celebrationem non alibi, quam in sacratis Domino locis, absque magna necessitate fieri debere.* Unde cum exceptio firmet regulam in oppositum, tempore magnæ necessitatis licet alibi celebrare, in loco tamen honesto.

117. Porro necessitas celebrandi extra Ecclesiam consecratam in privatis domibus, aut etiam sub dio, in Altari tamen portatili, & loco cæteroquin honesto, juxta Doctores communiter potest esse. I. Si Ecclesiæ sint diruтæ, vel ab Infidelibus, sive Hæreticis occupatæ. II. Si Locus sacer non capiat tot homines, vel Celebrantes: ut in Supplicationibus ad parvas Capellas quandoque contingere solet. Similiter ob eandem necessitatem in publicis Castris, seu bello, pro Exercitu licitum est celebrare. Herincx, Layman *l. c.* & alii.

118. Excipitur ulterius, si fiat dispensatio ab Episcopo. Nam Episcopus ex rationabili causa potest dispensare, ut celebretur Missa in loco profano, honesto tamen, essaltis usibus sit deputatus; ut puta in hypocausto Nobilis Personæ ex morbo decumbentis, super Altare portatile rite præparatum, Layman *cap. 5. de Sacrificio Missæ num. 2.* & alii. Idem dicendum, si qui a Summo Pontifice privilegium acceperint extra Ecclesiam Missas celebrandi. De modo autem obtinendi dictum Privilegium, vide partim mea dicta in Jure Canonico *l. 3. tit. 41. nn. 16. & seqq.* partim La Croix *lib. 6. Theol. Mor. part. 3. num. 931. V. de Oratorius.* Ubi etiam advertit, quod, etsi in Oppidis ac Urbibus non soleat Romæ concedi hoc Privilegium ordinarie, nisi Nobilibus; pro Rure tamen, seu pro locis ac habitationibus extra Urbem, aut Oppidum sitis, detur quoque iis, qui non sunt Nobiles.

119. Quæres: num sit licitum, celebrare Missam in aqua, vel mari pro navigantibus? Resp. negative regulariter loquendo; idque propter periculum effusionis sacratissimi Sanguinis. Dicitur, *regulariter loquendo*: nam in longis juris navigationibus v. g. in Indias Orientales suscepitis, si magna sit tranquillitas sine ullo tempestatis indicio, adsitque præter Celebrantem alius Sacerdos, qui post consecrationem sumere tedos, qui post consecrationem sumere tedeat Calicem, ita ut assit omne periculum effusionis sacri Sanguinis; non pauci Doctores, quos citat, & sequitur Lugo *dis.* 20. *de Eucharistia sect.* 3. existimant, posse aliquando celebrari in mari. Idipsum in navigatione Orientali nonnullis a Sede Apostolica specialiter concessum fuisse, sed pro Trinacriis in mari Mediterraneo negatum, refere cit. Lugo n. 89.

120. CONCL. II. Non licet celebrare Missam in Ecclesia polluta, seu violata. Ita communis; & patet ex *c. Ecquisquis ac seqq. de consecrat. Ecclesiæ*, cum contordantibus. Hinc Rubricæ Missalis, *Tit. De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, sic habent, *Si Sacerdos celebrante violatur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa: si post Canonem, non dimittatur*. Hæc ibi. Incipit autem Canon, post dictum *Sanctus*, ab illis verbis: *Te igitur Clementissime Pater*, &c. Nihilominus, etsi celebrans in Ecclesia polluta mortaliter peccet, uti patet ex prohibitione Ecclesiæ, & gravitate ipsius materiæ: nullam tamen Censuram, vel Irregularitatem talis incurrit, cum hæc Jure illatum non reperiatur. Bonacina *q. 4. de matrim. punct. ult. n.* 26. cum communiori.

121. Quæres autem occasione hujus Conclusionis, ex quantum attinet alteram partem Quæstionis, quibus modis Ecclesia violetur. Resp. Generatim loquendo, quinque præcipue modis violatur, seu polluitur Ecclesia, fit quidem

122. I. Violatur Ecclesia per injuriosam humani sanguinis effusionem. Requiritur autem ad hoc, ut percussio seu vulnus inflictum homini existenti in Ecclesia, & non super tectum, aut turrita, aut subtus spelunam Ecclesiæ (g), sive deinde sanguis effundatur intra, sive extra Ecclesiam: imo etiamsi vulneratus existat extra Ecclesiam. Deinde requiritur, ut percussio sit gravis, seu talis, quæ sit peccatum mortale: unde si casu quis alterum percutiat, vel cum veniali tantum culpa excutiat alteri sanguinem e naribus (v. g. cum pueri ex venitali solum cholera sese percutiunt, usque dum manent sanguine e naribus) Ecclesia non polluitur. Tandem requiritur, ut tale factum sit notorium, juris, aut facti notitia: universim enim, ut Ecclesiæ aut Altaris violatio inducatur, oportet factum esse notorium; idque vel per sententiam Judicis, aut confessionem in Judicio factam, quod dicitur *Notorium juris*; vel per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit, quod vocant *Notorium facti*.

123. II. Violatur Ecclesia per homicidium injuriosum, ac notorium, quod, vel cujus causa intra Ecclesia perpetrata est, licet fiat sine sanguinis effusione. Dicitur notanter, *cujus causa intra Ecclesiam perpetrata est*: nam, si quis foris sit percutius, & postmodum in Ecclesiam se recipiat, ibique quantumvis copioso sanguine effuso moriatur, non violatur Ecclesia. Cæterum sufficiat in proposito, ut homicidium sit injuriosum ipsi Ecclesiæ, seu sanctitati loci, quamvis non sit injuriosum ipsi occiso: unde si quis se ipsum in Ecclesia suspendat, vel Judex quispiam Reo in Ecclesia mortis supplicium inferat, adhuc violabitur Ecclesia.

124. III. Violatur Ecclesia per illicitam, & notoriam humani seminis effusionem factam intra Ecclesiam, non autem in turre tantum, vel super tectum, ut supra n. 122. in simili dictum est: repugnat enim ea sanctitati loci. Quod si ejusmodi effusio sit involuntaria, aut si accidat in somno, licet causa sit data in vigilia, non violatur Ecclesia: nam hoc ipso, quod ipsa accidat in somno, secundum se non est libera. Henricus *loc. cit. q.* 11. *n.* 119. Bonacina n. 19. Navarrus, Sylvester, & alii. Sufficit autem, sive ea seminis effusio fiat per pollutionem voluntariam, sive per fornicationem: utroque enim modo violatur Ecclesia, si ea sit notoria juris, vel facti notorietate.

125. De actu conjugali dubitant Doctores, quibusdam absolute affirmantibus, aliis negantibus, cæteris vero magis probabiliter excusantibus duntaxat casum necessitatis; quæ contingere potest ob probabile periculum incontinentiæ, si conjuges longo tempore intra Ecclesiam cohibere tencantur.

126. IV. Violatur Ecclesia per sepulturam excommunicati. Hoc tamen post Concilium Constantiense intelligendum est de illo, qui aut publice denunciatus est, aut notorius percussor Clerici existit; hi enim

soli de facto sunt vitandi in vita, ac proinde etiam in morte; juxta illam regulam, *Quibus non communicamus vivis, non communicemus defunctis* t. c. Sacris, de Sepulturis. Nec obstant dicta superius (h) ubi cum probabiliori Doctorum negatur, excommunicatum toleratum absque prævia absolutione posse sepeliri in loco sacro. Ratio enim disparitatis est: quia Concilium Constantiense voluit ipsomet excommunicatos in aliquo relevare, aut eis quomodolibet suffragari; sed solum intendit tollere alia incommoda, quæ ex antiqua generali prohibitione communicationis fidelium cum excommunicatis sæpius oriebantur, atque impositorum orirí poterant, inter quæ merito connumeratur violatio Ecclesiæ per sepulturam excommunicati: sicque etiam talis Violatio Ecclesiæ de facto solum procedit in duobus enumeratis casibus.

127. V. Violatur Ecclesia per sepulturam Pagani, seu Infidelis, prout habetur *c. Ecclesia, de consecr. dist.* 3. Et hoc etiam intelligendum de infante nec dum baptizato. Quod si tamen infans in utero matris mortuus sit, potest una cum matre Christiana sepeliri in Loco sacro: quia fœtus est pars matris, & unus quasi cum ea corpus censetur, *arg. leg. 1. ff. de Ventre inspiciendo*, ibi: *Partus enim, antequam edatur, mulieris portio est vel viscerum.*

128. Dicitur notanter n. 121. *quinque præcipue modis*. Nam nonnulli adducunt duos alios modos Violationis Ecclesiarum; videlicet, quando Ecclesia benedicitur, vel consecratur ab Episcopo excommunicato publico; item, quando parietes Ecclesiæ consecratæ majori ex parte simul dejiciuntur, ac destruuntur, ut rædificari debeat. Verum de priori casu merito dubitant cæteri Doctores; cum ejusmodi Violatio nulli claro textui Juris innitatur, atque in pœnalibus non sit facienda extensio, nisi habeatur in Jure: unde sententiam negativam appellat Bonacina *loc. cit. n.* 22. probabilissimam. Posteriori autem casu potius Ecclesia destruitur, quam polluitur.

129. Quæres II. An polluta Ecclesia etiam polluatur Cœmeterium, & e contra? Resp. cum communi. Polluta Ecclesia polluitur simul Cœmeterium, si ei contiguum sit, non tamen vicissim polluto Cœmeterio polluitur Ecclesia. Ita communis; & habetur decisum *cap. un. de Consecrat. Eccles. in 6.* Accedit ratio: quia, ut inquit *reg. 41. Juris in 6. Accessorium naturam sequi congruit principalis*; non e contra: atqui Cœmeterium, si sit contiguum, est accessorium Ecclesiæ: ergo. Additur notanter, *si sit contiguum*: nam secus est, si Cœmeterium fuerit remotum ab Ecclesia, prout notatur *c. cap. un. in 6.*

130. Quæres III. Quid juris, quando in dictis casibus factum est occultum? Resp. Locus sacer in ejusmodi casibus non censetur pollutus, ita ut indigeat reconciliatione, quamdiu de eis publice non constat. Ita Glossa communiter recepta *c. 1. V. pollui, de consecr. Eccles. in 6.* Quare, quamdiu res manet occulta, ita ut nemo, vel non nisi pauci sciant, Ecclesia quoad judicium humanum non est polluta; censebitur autem polluta, quandocunque res mala propalabitur, & de facto publice constabit; quia tunc bona fama, ejusque existimatio apud homines deperdita erit, ac proinde indigebit reconciliatione.

131. Quæres IV. Quid agendum, si Ecclesia fuerit polluta, seu violata? Respond. Cum per se loquendo sit grave peccatum, celebrare in Ecclesia violata, hinc eadem prius est reconciliandа. Ita communis.

132. Et quidem, si Ecclesia prius fuit solemniter consecrata, eam solus Episcopus reconciliare potest, adhibita aqua per ipsum benedicta, ac vino & cinere mixta; unde simplex Sacerdos Ecclesiam consecratam reconciliare nequit, nisi ex commissione Summi Pontificis.

133. Dicitur notanter, *nisi ex commissione Summi Pontificis*: nam hinc accedente potest etiam simplex Sacerdos Ecclesiam consecratam reconciliare. Quo modo ex privilegio, & concessione Domini Papæ, Superiores FF. Minorum possunt Ecclesias sibi subjectas, aqua tamen prius per Episcopum consecrata, reconciliare, quando Episcopus distat duobus dietis (una dieta continet viginti milliaria Italica, quæ faciunt quatuor vel quinque Germanica) prout eisdem concessum a Leone X. & refertur in Compendio Privilegiorum, *V. Benedicere*.

134. Dicitur ulterius, *Ecclesiam consecratam*. Nam si Ecclesia solum fuerit benedicta, seu authoritate Episcopi ad Divinum Cultum, atque Officium deputata, poterit etiam simplex Sacerdos eam reconciliare aqua a se benedicta; prout notat cum aliis *loc. cit. n.* 12. Quamvis decens sit, ac ita consuetum, ut negotium hoc prius Episcopo significetur.

135. Ad-

135. Addunt nonnulli Auctores, videlicet Sa *V. Ecclesia, n.* 19. Cuitro, Avila, quando Sacerdos celebrat in Ecclesia polluta, præsertim bona fide (imo & mala fide) jam propter summam virtutem tanti sacrificii Ecclesiam habere pro reconciliata. Accedit textus *c. Ex fabrica, de consecr. dist.* 1. Sed hanc sententiam merito reprimunt Laymann *loc. cit. n.* 13. Sannig *dict. tr. de missa qua?. 19. n.* 25. & alii: cum ea nullo jure fundata sit. Nam textus citatus loquitur de alio casu, ut notat Engel *tit. de Consecr. Eccles. n.* 15. ubi, quamvis non nihil faveat priori sententiæ, illico subjungit, quod tutius sit, vera reconciliatione uti, quam sacri Canones præscribant.

136. Quæres V. Quid agendum, si durante missa contingat Ecclesiam violari. Resp. conformiter Rubricis Missalis, *num.* 120. relatis, si id accidat ante Canonem, dimittendam esse missam: secus, si post Canonem. Quid autem sit agendum, quando sub missæ sacrificio ingreditur Ecclesiam excommunicatus vitandus, dictum est *tract.* 13. *dist.* 2. *n.* 40.

QUÆSTIO XI.

De aliis notabilibus Dubiis circa Sacrificium missæ.

SUMMARIUM.

137 *An plures possint eandem Hostiam consecrare?*
138 *Et quomodo?*
139 *Solvitur instantia.*
140 *Sacerdotes ordinati, quam intentionem consecrandi cum Episcopo debeant formare?*
141 *Consilium pro praxi.*
142 *Sacerdos ordinatus non debet prævenire Episcopum in consecrando?*
143 *Sed consecrare cum Episcopo, si potest: aut verba Consecrationis proferre materialiter.*
144 *Quid agendum, si aqua pro vino infundatur?*
145 *Quid, si error primum advertatur post sumptionem?*
146 *Aut dum aqua habetur in ore?*
147 *Alia Dubia remissive.*

137. QUæritur I. An plures simul eandem Hostiam consecrare possint? Ratio dubitandi est: quia Sacerdotes noviter ordinati, juxta Pontificale Romanum monentur, ut una cum Episcopo, eosdem ordinante, proferant verba consecrationis & cætera peragant quæ habentur in Canone Missæ; qui eo tempore jam habent eadem Sacerdotes potestatem consecrandi: ergo.

138. Resp. Possunt plures simul eandem Hostiam consecrare, dummodo formam consecrationis cum debita intentione simul super eandem Hostiam proferant, & absolvant: quod si vero unus eorum, intendens absolute consecrare, alterum in finienda prolatione formæ præveniat, tunc ipse solus consecrabit, non vero alter. Ita communis Theologorum: & ratio hujus postremæ partis est; quia Hostia semel consecrata, est incapax ulterioris consecrationis.

139. Nec obstat, quod ambo simul inceperint formam consecrationis proferre. Resp. enim, consecrationem completo non perfici, nisi post integram prolationem formæ consecrationis, qua rite prolata non consecratio Eucharistiæ est perfecta: unde solus ille consecrabit, qui cum debita intentione consecrandi prius absolvit formam.

140. Quæritur II. Quam igitur intentionem consecrandi simul cum Episcopo debeant formare Sacerdotes noviter ordinati sub ea missa, sub qua ordinantur? Ratio dubitandi est: quia vix moraliter loquendo possibile est, ut in eodem momento una cum Episcopo finiant formam consecrationis: unde videtur sequi, quod si Episcopus prius finiant formam consecrationis, Sacerdotes noviter ordinati consecrent hostiam jam consecratam, quod est falsum: vel, si isti præveniant, Episcopus ordinans nihil sit actarus, neque consecraturus, quod est absurdum; cum Episcopus sit principalis Minister, offerens illud missæ sacrificium.

141. Resp. I. Quod ad praxin attinet, optimum est consilium, ut Sacerdotes noviter ordinati intendant cum Episcopo proferre verba consecrationis modo, quo possunt meliori: sive cum ea intentione, quam juxta sensum, atque ordinationem Ecclesiæ, tunc habere debent. Ratio est: quia hoc modo evitatur omne periculum errandi, & quodlibet inconveniens ex præallegatis. Suarez *part.* 3 *tom.* 3. *disp.* 61. *sect.* 4. & alii.

142. Resp. II. Optimus modus, atque intentio Ecclesiæ videtur in hoc consistere, ut Sacerdos noviter ordinatus nullo modo præsumat, neque intendat prævenire Episcopum in consecrando: hoc enim foret magnum inconveniens, quia tunc revera Episcopus non sacrificaret: eo quod Missæ sacrificium essentialiter consistat in consecratione, quæ tunc non ab Episcopo, sed a Sacerdote noviter ordinato fieret.

143. Deinde noviter ordinatus Sacerdos habeat intentionem conditionatam, seu potius disjunctam, vel consecrandi cum Episcopo, si possit simul cum eo formam absolvere; vel, si id non accidat, verba consecrationis materialiter solum proferendi, in signum Potestatis Sacerdotalis sibi tunc concessæ. Quinimo sunt multi Authores, quos refert, ac sequitur citatus Suarez, qui tenent, in dicto casu solum Episcopum proferre verba consecrationis formaliter, seu cum intentione consecrandi; alios vero Sacerdotes noviter ordinatos, proferre ea solum materialiter, seu in signum Potestatis Sacerdotalis sibi tunc concessæ. Igitur ad evitanda quæcumque incommoda proferant sacerdotes noviter ordinati una cum Episcopo verba consecrationis juxta sensum, atque intentionem Ecclesiæ, ac modo quo possunt meliori: sic enim nullum aderit periculum errandi.

144. Quæritur III. Quid agendum, si ex errore sacerdos infuderit aquam pro vino, idque primum post consecrationem advertat. Resp. cum Rubricis Missalis, *tit. De defectu vini*, & communi Doctorum. Si Sacerdos post verba consecrationis advertat, vinum non esse positum in Calice, sed aquam, deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calice, & facta Oblatione, saltem mente concepta (id est, formando intentionem consecrandi, & dicendo saltem mentaliter illam Orationem *Offerimus tibi Domine Calicem salutaris &c.* absque ejus elevatione, neque faciendo cum ipso Crucem super altare) statim debet consecrare, incipiendo ab illis verbis; *Simili modo, postquam cœnatum est &c.* & Missam prosequi.

145. Et hoc idem faciendum, etiamsi error primum advertatur post sumptionem hujusmodi aquæ. Debet enim Sacerdos pariter apponere novum vinum cum aqua in Calice, & facta Oblatione, saltem mente concepta, consecrare, ut supra, & sumere; quamvis non amplius sit jejunus. Siquidem præceptum Divinum de integritate sacrificii missæ magis urget, quam præceptum Ecclesiasticum de sumenda Eucharistia a jejunis.

146. Sed quæres, quid agendum, si Sacerdos, dum potum adhuc habet in ore, priusquam deglutiat, sentiat eum esse meram aquam? Respondent Angelus *v. Missa, num.* 17. & Sylvester *v. Eucharistia II. num.* 15. quod, si potest sine scandalo, emittat aquam in Calicem, & extrahat particulam S. Hostiæ, ipsamque aquam reponat in alio vase, & sic accipiat vinum, & consecret, ut supra; ac post sumptionem Sanguinis, etiam aquam illam sumat, si potest sine periculo vomitus, vel si timet de vomitu, reponat in sacrario. Sed cum hoc sit difficillimum & communiter non careat periculo scandali, præsertim si celebretur in publico; sitque non parva irreverentia, Particulam consecratam, prius Calici in fractione sacræ Hostiæ immissam, rursus ex ore in Calicem evomere: hinc bene notat Gavantus *part.* 3. *in Rubr. Missal. tit. nu.* 5. post Suarezium, quod absque scrupulo possit Sacerdos deglutire primum, & rursus consecrare, ac sumere secundum.

147. Possent hoc loco plura similia Dubia, sacrificium Missæ concernentia, moveri. Verum ea exacte, simulque breviter resolvuntur in Rubricis Missalis, a quolibet Sacerdote bene legendis, atque observandis: hinc ipsa impræsentiarum omittuntur.

DI-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DISTINCTIO VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

De institutione, natura & necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.

SUMMARIUM.

1 *Pœnitentia sumitur ut Sacramentum, & ut virtus.*
2 *De fide est, Pœnitentiam esse Sacramentum.*
3 *Est a Christo institutum.*
4 *Et quando præcipue?*
5 *Sacramentum Pœnitentiæ, quid?*
6 *Definitio ejus explicatur.*
7 *Est necessarium omnibus post Baptismum lapsis.*
(a) Dist. 2. n. 65. & 66.
8 *Appellatur* secunda post naufragium Tabula.

1. PŒnitentia dupliciter sumitur, nempe ut est virtus, & ut est Sacramentum. *Pœnitentia ut Sacramentum*, est unum, & in ordine quartum ex septem novæ legis Sacramentis. *Pœnitentia ut virtus* non est Sacramentum, seu virtus quædam: qualis de facto etiam requiritur ad ipsum Sacramentum Pœnitentiæ rite ac fructuose percipiendum, cum sit pars ipsius. Et hanc communiter ad differentiam Pœnitentiæ Sacramenti, solemus alio nomine vocare *Dolorem de peccatis, cum proposito non peccandi de cætero*; qui postmodum dividitur in Contritionem, & Attritionem.

2. CONCL. I. De fide est, Pœnitentiam esse verum & proprie dictum novæ Legis Sacramentum. Ita habetur tum ex perpetuo sensu & traditione Ecclesiæ, tum ex definitione plurium Conciliorum ac novissime Concilii Tridentini *sess.* 14. *can.* 1. sic definientis: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere, & proprie Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino institutum: anathema sit.*

3. CONCL. II. Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue Christus Dominus instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos, *Joan.* 20. dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ita communis. Nam optime S. Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. ad citatum textum Evangelicum, sic loquitur. *Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.* Hæc Concilium.

4. Dicitur, *tunc præcipue Christus instituit, cum a mortuis &c.* Quamvis enim jam in vita sua Christus Dominus D. Petro hanc potestatem remittendi peccata sese daturum repromitteret, dum eidem dixit, *Matth.* 16. *Tibi dabo Claves regni Cœlorum; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*, similemque promissionem cæteris postmodum Apostolis fecerit, *Matth.* 18. eam tamen potestatem Christus actualiter primum post suam gloriosam Resurrectionem Apostolis, antea sub ultima Cœna in Sacerdotes ordinatis, contulit *cit. loc. Joan.* 20. Unde & eo tempore Sacramentum Pœnitentiæ præcipue institutum dicitur.

5. CONCL. III. *Sacramentum Pœnitentiæ* est absolutio hominis pœnitentis, facta certis verbis, cum debita intentione prolatis a Sacerdote jurisdictionem habente, ex institutione Divina efficaciter significantibus absolutionem animæ a peccato. Ita Doctor Subtilis *in 4. dist.* 14. q. 4. cum suis.

6. Dicitur, *Absolutio hominis pœnitentis*: id est, signum sensibile, sive Sacramentum novæ Legis constitens in absolutione hominis pœnitentis; eo modo, quo Baptismus dicitur esse ablutio hominis &c. Et additur, *facta certis verbis, cum debita intentione prolatis a Sacerdote jurisdictionem habente*. Tum quia Minister hujus Sacramenti est solus Sacerdos, ita ut nullo modo Diaconus, multo minus alius inferior Clericus, illud ministrare possit: Tum quia Sacerdos ille, præter Characterem Sacerdotalem, etiam habere debet jurisdictionem in pœnitentem, vel ordinariam, vel saltem delegatam; alioquin enim absolutio data non valeret; cum sententia a non suo Judice lata, nulla sit. Cæteræ particulæ vel patent ex dictis in simili de aliis Sacramentis, vel amplius patebunt ex dicendis.

7. CONCL. IV. Sacramentum Pœnitentiæ est omnibus, post Baptismum in peccatum mortale lapsis, necessarium ad salutem in re, vel saltem in voto. Conclusio hæc est certa, & inter Catholicos indubitata; atque præter alia, patet ex Concilio Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. prout jam superius (a) declaratum fuit.

8. Additur vero, *omnibus post Baptismum in peccatum mortale lapsis*. Siquidem peccata ante receptum Baptismum commissa remittuntur virtute ipsius Sacramenti Baptismi, neque sunt materia apta Sacramenti Pœnitentiæ. Et hinc istud pœnitentiæ Sacramentum recte a SS. Patribus appellatur *secunda post naufragium Tabula*, naufragis præparata; prout habetur *can. Secunda du pœn. dist.* 1. juncto Concilio Trid. *cit. sess.* 14. *can.* 2. *ibi: Si quis Sacramenta confundens &c. dixerit, Pœnitentiam non recte secundam post naufragium Tabulam appellari: anathema sit.*

QUÆSTIO II.

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

SUMMARIUM.

9 *Materia ipsius remota, eaque vel necessaria, vel sufficiens;*
10 *Et proxima, quæ?*
11 *Circa hanc doctrinam Scoti, & Concilium Trid. concordant.*
12 *Peccatum originale, & actualia ante Baptismum, non sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ.*
13 *Peccata venialia sunt materia sufficiens.*
14 *Non autem sola imperfectiones.*
15 *Circa hæc, quid observandum in praxi?*
16 *Aut quando materia certa haberi nequit?*
17 *Peccata vitæ confessa, sunt materia sufficiens.*
18 *Solvitur instantia.*
(b) Adde dicenda n. 34. & 35.
19 *An sit necesse addere, quod peccata jam fuerint confessa, nec ne?*
20 *Id per accidens quandoque explicandum.*

9. CONCL. I. Materia Sacramenti Pœnitentiæ est duplex, remota, & proxima. *Remota* sunt peccata post Baptismum commissa: & hæc rursum est duplex, videlicet necessaria, & sufficiens. *Materia remota & necessaria* Sacramenti Pœnitentiæ, est omne peccatum mortale post Baptismum commissum, & nondum rite confessum. *Materia sufficiens*, etsi non necessaria, est omne peccatum veniale post Baptismum commissum, vel etiam mortale alias rite confessum. Ita communis Theologorum; idque patet inter alia ex Concilio Trid. *sess.* 14. *c.* 5.

10. Porro *Materia proxima* Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus Pœnitentis, videlicet Contritio, Confessio, & Satisfactio. Ex quibus satisfactio in re exhibita, communiter conceditur esse solum pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ: uti patet in agonizante, qui si prius petivit Confessarium, aut aliud signum petitæ Confessionis dedit, potest, ac debet absolvi absque alia injuncta satisfactione, utpote quam amplius præ mortis angustiis peragere nequit. Contritio vero, & Confessio, juxta Thomistas & Recentiores passim, sunt partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ; juxta Doctorem Subtilem vero 4. *dist.* 16. *quæst.* 1. §. *de Pœnitentia*, & Scotistas, essentiam stricte, ac præcise pro ipsa quidditate rei accipientes, solum requiruntur (necessario tamen, seu simpliciter) *ad Sacramentum Pœnitentiæ, ad hoc ut digne recipiatur*, prout amplius ibidem explicat Scotus.

11. Et cum hac Scotica doctrina concordat Concilium Trid. *sess.* 14. *cap.* 3. sic dicens: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius Pœnitentiæ actus, nempe Contritio, Confessio, & satisfactio: qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex DEI institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.* Nota: *qui quatenus ad integritatem Sacramenti requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur*: & consequenter, ex mente Concilii Tridentini, actus Pœnitentis non sunt partes essentiales hujus Sacramenti, ut volunt alii; sed solum earenus dicuntur partes ipsius, quatenus ad ejus integritatem, atque ut digne & perfecte recipiatur, requiruntur: quæ est ipsissima sententia Scoti, & communis Scotistarum. Sed dimissa Theologis hujusmodi difficultate speculativa, sit ulterius

12. CONCL. II. Peccatum originale, necnon peccata actualia ante Baptismum commissa,

missa, non sunt materia apta Sacramenti Pœnitentiæ. Ita Scotus 4. *dist.* 4. *q.* 5. cum communi. Nam peccatum originale, sicut & peccata actualia ante Baptismum commissa tolluntur virtute Sacramenti Baptismi: & Sacramentum Pœnitentiæ, tanquam secunda post naufragium Tabula, est institutum a Christo pro remissione sequentium peccatorum. Unde si Judæus, vel Gentilis recens baptizatus, sola peccata ante Baptismum commissa vellet confiteri, ipse non posset absolvi: quia non afferret materiam aptam hujus Sacramenti pœnitentiæ.

13. CONCL. III. Peccata venialia possunt vel omnia, vel aliqua eorum (idem dicendum de mortalibus, jam rite confessis, si peragitur Confessio generalis) in Confessione omitti; cum non sint materia necessaria, sed solum sufficiens: ac proinde utiliter quidem, sed non necessario, Clavibus Ecclesiæ subjeruntur. Unde Concilium Trid. *loc. cit. cap.* 5. sic ait: *Peccata venialia, quibus a gratia DEI non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte & utiliter citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis modis expiari possunt.*

14. CONCL. IV. Solæ imperfectiones non sunt materia apta Sacramenti Pœnitentiæ. Ratio est: quia tales non sunt peccatum mortale, aut veniale. Unde recte monent Doctores, quod in Confessione semper fit afferenda materia certa: & si nova non occurat, saltem ex jam semel confessis.

15. Porro materia certa (ut notat Diana *part. 3. tract. 4. resol.* 32. contra Tolctum *lib.* 3. *c.* 2. *n.* 6.) non est, confiteri duntaxat, quod quis non responderit Divinis inspirationibus, non fecerit bonum, quod poterat, & hujusmodi. Quamvis idcirco in his exponendis non debeat Confessarius impedire Pœnitentem: tum quia multa ex iis, quæ nonnunquam videntur meræ imperfectiones, sunt peccata venialia; idque ob varias intervenientes circumstantias, ut puta negligentias voluntarias, vel leves contra rectam rationem excessus: tum quia ad majorem sui humiliationem, atque exercitationem ferventioris progressus spiritualis, talia recte aperiuntur. Lugo *disp.* 16. *de Pœnitentia, num.* 103.

16. Quod si vero materia certa omnino haberi non possit, sed duntaxat dubia, pro ratione dubii danda est absolutio sub conditione, saltem tacita, præsertim si gravitas peccati dubii, aut alia circumstantia id expostulare videatur: vel, si nulla appareat necessitas Sacramentum sub conditione ministrandi, absolutione penitus superfedeatur. Laymann *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 3. *n.* 5.

17. CONCL. V. Peccata jam rite confessa, & remissa, sunt materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ, possuntque denuo fructuose confiteri, & subjici Clavibus Ecclesiæ. Ita communis; & patet tum ex Extravag. *Inter cunctas*, §. *Verum de Privilegiis*, ibi: *Licet de necessitate non sit, iterum eadem confiteri peccata: tamen quia propter erubescentiam, quæ magna est Pœnitentiæ pars, ut eorundem peccatorum iterentur Confessio, reputamus salubre*, &c. Accedit praxis piorum hominum, qui sæpius peragunt Confessiones tum generales, tum certorum peccatorum jam antehac confessorum.

18. Dices: Nemo potest solvi, qui non est ligatus; sed pœnitens post peccata rite confessa, eisdem non est ligatus: ergo eisdem non potest solvi virtute absolutionis Sacramentalis, siquæ ea non videntur amplius posse subjici Clavibus Ecclesiæ. Resp. majorem illam, *Nemo potest solvi, &c.* procedere solum in physicis (prout v. g. nemo potest solvi a catena, vel alio vinculo corporali, nisi actualiter ipso ligatus existat) non vero in moralibus, ubi sufficit tale vinculum præcessisse: sic enim potest quis injuriam sibi illatam sæpius alteri condonare, præsertim si is iterato veniam roget. Idem ergo dicendum de absolutione Sacramentali a peccatis, sæpius cum iterato dolore confessis, & Clavibus Ecclesiæ subjectis. (b)

19. Quæres, utrum sit necesse, pœnitentem in Confessione exprimere, quod peccata sua jam semel sint confessa, nec ne? Resp. Per se loquendo id necesse non est; prout notant Lugo *disp.* 16. *de pœnit. sect.* 2. §. 1. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 10. *nn.* 17. Bonacina, & alii; quia peccatum est idem specie, ac numero, sive confessum fuerit, sive non; neque etiam tempus, quo id commissum est, addit circumstantiam specie mutantem.

20. Dicitur, *per se loquendo*. Siquidem per accidens quandoque id necessarium est explicare; v. g. ob annexam reservationem, eo quod a casu reservato exteroquin posterior Confessarius absolvere non posset, nisi illud peccatum jam prius habenti debitam justificationem confessum fuisset. Idem contingere potest ob proximam pœcendi occasionem, quæ alioquin Confessario non innotesceret. Item, quando ratione circumstantiarum peccatum specie mutatur; ut si peccatum venereum sit, & tempore, quo committebatur, pœnitens exiterat solutus, aut Laicus, nunc autem est conjugatus, Clericus, aut Voto Castitatis obstrictus, vel e contra: nam, nisi tunc notificetur status iste variatus, deciperetur in materia gravi Confessarius, intelligens, pœnitentem vel habere circumstantiam specie diversam, vel ipsa carere. In praxi proinde tutius erit, nova peccata ab antiquis separare: eo præsertim, quia alioquin pœnitentiam competentem Confessarius imponere non sciret, cum major debeatur peccato mortali necdum confesso, quam semel jam rite confesso, & quoad culpam dimisso.

QUÆSTIO III.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

SUMMARIUM.

21 *Forma Sacramenti Pœnitentiæ, quæ?*
22 *Quæ verba sint de ejus essentia?*
23 *Solvitur instantia de ly &c.*
24 *Solvuntur aliæ instantiæ.*
25 *An possit omitti particula Te?*
26 *Absolutio in scriptis, vel absenti data, non valet.*
27 *Solvitur instantia.*
28 *Disparitas inter absolutionem a peccatis, & Censuris.*
(c) Ut dictum Tract. 13. Dist. 1. n. 41. & 43.
29 *Forma Absolutionis sub modo deprecativo, non valet.*
30 *Quid, si dicatur*, Absolvo Dominationem vestram.
31 *Alia preces non sunt de essentia formæ.*
32 *Ritus Absolutionis Sacramentalis.*
33 *Quid observandum circa irregularitatem?*
(d) Vide Tr. 13. Dist. 1. n. 41. & 42. ac Dist. 3. n. 57.
34 *Sensus verborum forma Absolutionis, quis?*
35 *Præsertim, si peccata jam prius remissa sunt.*

21. CONCL. I. Forma Sacramenti Pœnitentiæ sunt verba absolutionis a Sacerdote prolata, videlicet illa, *Ego te absolvo a peccatis tuis*, vel alia æquipollentia, actum judicialem sententiæ absolventis sufficienter exprimentia. Desumitur hoc tum ex Rituali Romano Pauli V. cujus verba *n.* 32. referuntur: tum ex Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 3. ubi ait: *Sacramenti pœnitentiæ formam in illis Ministri verbis positam esse, Ego te absolvo, &c. Quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ.* Hæc Concilium.

22. CONCL. II. Ex prædictis sola illa duo verba, *Absolvo te*, vel æquivalentia, sunt de essentia formæ absolutionis, ac necessario exprimenda necessitate Sacramenti. Ita Doctor Subtilis 4. *dist.* 14. *q.* 4. §. *Ex hoc sequitur*, ibi: *Communiter tamen ista verba sunt apta, Ego te absolvo.* Concordat Concilium Florentinum in Decreto Unionis, ibi: *Forma hujus Sacramenti est: Ego te absolvo &c.* Et Tridentinum *loc. cit.* Accedit ratio: quia hæc duo sola vocabula, *absolvo te*, constituunt perfectam sententiam absolutoriam Rei quoad peccata ab eodem in Confessione explicata: ergo hæc sola constituunt essentiam formæ absolutionis.

23. Dices I. Concilium tam Florentinum, quam Tridentinum, post dicta duo vocabula apponit ly &c. ergo & sequentia spectant ad essentiam formæ. Resp. negando consequentiam: quia inde solum sequitur, sequentia verba, *a peccatis tuis*, esse apponenda de præcepto; adeo, quod eadem omittens peccaret, vel mortaliter, vel juxta alios venialiter. Busembaum *l.* 6. *tract.* 4. *cap.* 1. *dub.* 1. Deinde per citatum ly &c. denotatur, quamvis verba immediate sequentia, *a peccatis tuis*, jam tacite intelligantur in præcedentibus, adhuc tamen ea ipsa spectare ad magis explicitam atque expressam significationem formæ.

24. Dices II. Verba illa, *absolvo te*, ex se non faciunt completum sensum absolutionis Sacramentalis, cum sint indifferentia ad significandam absolutionem a Censuris, pœnis, vel culpis: ergo ex se solus non sufficiunt pro essentia formæ Sacramenti pœnitentiæ. Resp. negando consequentiam: quia, licet verbum, *absolvo te*, ex se sit indifferens ad significandam absolutionem a pœnis, Censuris, vel peccatis; ipsum tamen præcedente hominis pœnitentis confessione, super quam cadit, sufficienter, atque ex vitalis locutionis, determinatur ad significandam illius hominis absolutionem

nem a peccatis, ita ut determinate cadat super hæc peccata absolvenda: sicuti in simili, si quis roget veniam illatæ injuriæ, altero respondente, *remitto tibi*, constetue vi hujus locutionis ipsi remissa injuria, pro qua rogavit veniam.

25. Dices III. Ergo pariter poterit omitti ly *Te*; cum similiter verbum *Absolvo*, concurrentibus hujusmodi circumstantiis sufficienter determinetur ad significandam absolutionem a peccatis potius, quam a censuris, vel aliis vinculis. Resp. negando sequelam. Siquidem omissa particula *Te*, mutatur substantialiter significatio formæ; forma enim absolutionis fuit instituta a Christo Domino per voces demonstrativas, adeo ut non nisi super præsentem cadere possit, prout desumitur ex illis verbis Christi *Joan. 20. Quorum remiseritis peccata &c.* juncta perpetua traditione, ac sensu Ecclesiæ. At omissa particula *Te*, locutio illa non est demonstrativa; cum verbum *Absolvo* proferri possit non solum circa peccata præsentis, sed etiam absentis. Sufficeret tamen pro essentia formæ absolutionis, si Sacerdos diceret, *Absolvo a peccatis tuis*: quia in ly *Tuis* implicite continetur ly *Te*. Lugo *disp. 23. de pœnit. n. 26.*

26. CONCL. III. Absolutio in scriptis data, vel etiam absenti collata, est nulla, & invalida. Ita communis. Siquidem ad formam absolutionis requiruntur verba proprie dicta, seu quæ orctenus proferuntur in præsentem; prout tenuit perpetuus sensus Ecclesiæ, & indicant verba Conc. Trid. *sess. 22.* relata, ubi ait: *Sacramenti pœnitentiæ formam in illis Ministri verbis* (hoc enim scripturæ non convenit) *positam esse.* Idipsum declarat ly *Ego te absolvo &c.* quod est demonstrativum, & de absente non verificatur. Hinc merito Clemens VIII. in Decreto, quod incipit, *Sanctissimus* 1602. die 20. Julii edito (habetur *tom. 3. Bullarii Romani Constit. 87. dicti Pont.*) damnavit, & sub Pœna Excommunicationis prohibuit oppositam quorumdam sententiam, asserentium, *Licere per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confitari, & ab eodem absente absolutionem obtinere.*

27. Nec obstat, quod Sacramentum Pœnitentiæ sit a Christo Domino institutum per modum Judicii: in Judicio autem possit quis absolvi absens, ac etiam per scripturam. Resp. enim: etsi hoc verum sit in Foro externo, ac Judicio publico, sive Sæculari, sive Ecclesiastico: negatur tamen, id procedere in Foro pœnitentiali, seu Judicio Sacramentali. Nam illud habet totum suum valorem ex institutione Christi, qui voluit, & ordinavit, ut in hoc Sacramento, seu Foro Pœnitentiali, proferatur forma absolutionis per verba proprie dicta, atque in præsentem; non autem scripto, vel in absentem. Et quidem Christum sic instituisse, patet ex perpetua traditione, praxi, ac sensu Ecclesiæ, ipsiusque Summi Pontificis, Christi in terris Vicarii, definitione. Ex quo ulterius sequitur, quamvis hoc Sacramentum fuerit institutum per modum judicii, nihilominus illud non per omnia æquiparari Judicio Forensi; idque ob specialem Christi ordinationem circa aliqua factam.

28. Nec rursum obstat, quod absolutio ab Excommunicatione, aliisque Censuris Ecclesiasticis, possit dari absenti, atque in scriptis. (c) Resp. enim negando consequentiam, & paritatem. Ratio disparitatis desumitur ex Christi institutione, qua ad formam Sacramenti pœnitentiæ, seu absolutionem Sacramentalem a peccatis, requiruntur verba proprie dicta, & in præsentem prolata; id autem nequit dici de absolutione a Censuris Ecclesiasticis, utpote Jure Ecclesiastico constitutis, non autem a Christo immediate provenientibus, sicut forma Sacramenti Pœnitentiæ. Accedit communis praxis Ecclesiæ, & consensus Doctorum.

29. CONCL. IV. Forma absolutionis sub modo deprecativo prolata, non valet. Unde si dicatur: *Absolvat te DEUS*, nullum perficitur Sacramentum. Ita communis Doctorum. Ratio est: quia hoc Sacramentum est a Christo institutum per modum Judicii; ergo & forma ejus debet proferri per modum sententiæ judicialis, non autem per modum deprecationis, vel impetrationis.

30. CONCL. V. Valida est absolutio, si reverentiæ causa Confessarius dicat, *Absolvo Dominationem vestram*, vel *Majestatem vestram*. Ratio est: quia non mutatur substantialiter forma; etsi mutatio hujusmodi neutiquam sit adhibenda in praxi. Idem erit si dicatur, *Solvat a peccatis tuis*, vel, *Remitto tibi peccata tua*, & hujusmodi: quia talia verba sunt æquivalentia formæ communiter usitatæ. E contra vero hanc formulam, *Ego te mundo a peccatis tuis*, plerique arbitrantur non sufficere: quia non videtur significare absolutionem per modum sententiæ judicialis; qualis requiritur ad Sacramentum pœnitentiæ, utpote quod per modum judicii est a Christo institutum.

31. CONCL. VI. Aliæ preces, quæ juxta morem Sanctæ Ecclesiæ laudabiliter apponuntur, non spectant ad essentiam formæ, neque ad hujus Sacramenti administrationem sunt necessariæ. Ita expresse Concilium Trid. *sess. 14. c. 3.* cujus verba *n. 21.* relata sunt. Hinc Rituale Romanum, jussu Pauli V. editum, dicit, quod in confessionibus frequentioribus & brevioribus possit omitti, *Misereatur tui &c.* & latis sit dicere, *Dominus noster JESUS Christus &c.* usque ad illud, *Passio Domini &c.* Unde hoc in concursu Pœnitentium practicari licite poterit.

32. Cæterum pro praxi, & digna administratione Sacramenti Pœnitentiæ observandum, quod juxta citatum Rituale Romanum, Pœnitente ante confessionem petente benedictionem, confessarius dicat: *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut digne & competenter confitearis peccata tua, in nomine Patris* (formando signum Crucis versus eum) *& Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Deinde peracta rite confessione, & injuncta Pœnitenti prius, ab eoque accepta salutari pœnitentia, primo dicit, *Misereatur tui &c.* Deinde dextera versus Pœnitentem elevata, dicit: *Indulgentiam &c. Dominus noster Jesus Christus te absolvat; & ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis* (hoc verbum, *Suspensionis*, in Laicis omittitur) *& interdicti, in quantum possum, & tu indiges. Deinde, ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris & & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Passio Domini nostri Jesu Christi, merita B. M. Virginis, & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.* Urgente vero aliqua gravi necessitate, ut puta in periculo mortis instantis, breviter Confessarius dicere poterit: *Ego te absolvo ab omnibus Censuris, & peccatis in nomine Patris &c.* Ita Rituale Romanum.

33. Observandum ulterius nomine Censurarum non venire Irregularitatem; atque ideo, si quid circa eam concedatur, ipsam ab habente facultatem dispensandi, esse specialiter exprimendam, dicendo: *Dispenso tecum in Irregularitate, quam incurristi propter &c.* & specificatur causa. Et hoc ultimum etiam observandum in absolutione a Censuris. (d)

Reiffenstuel Theol. Moral.

34. Quæres, quis sit sensus verborum formæ absolutionis, *Ego te absolvo a peccatis tuis?* Resp. Sensus horum verborum ille est, quem verba ipsa juxta proprium suum significatum important; ita ut per modum sententiæ judicialis significent absolutionem hominis a peccatis, loco DEI a Sacerdote factam. Ita Mastrius 4. *disp. 5. n. 386.* Lugo *disp. 5. de Pœnit. num. 72.* & alii, quamvis multi dictam formam in alio sensu explicent. Ratio est, quia forma Sacramentorum, quantum fieri potest, intelligenda est in sua propria significatione; uti patet in forma Sacramenti Baptismi, Confirmationis, & aliis: ergo idem dicendum de forma Sacramenti Pœnitentiæ, sive de absolutione Sacramentali, cum commode sic intelligi possit.

35. Dices: sæpius contingit, quod peccata confessa jam fuit prius remissa virtute contritionis perfectæ, vel alterius Confessionis prioris; ergo falsem tunc verba formæ absolutionis non possunt intelligi propria significatione, sicque erunt accipienda in alio sensu. Resp. negando consequentiam: quia nihil obstat, quo minus idem peccatum cuipiam sæpius remittatur, conformiter dictis *nu. 18.* Quinimo hoc ipsum contingit etiam in Judicio humano, ubi Reus sæpius judicialiter absolvitur, si eadem causa sæpius in Judicium deducatur.

QUÆSTIO IV.

De Contritione, seu Pœnitentia virtute, quæ est prima pars materialis Sacramentalis Pœnitentiæ.

SUMMARIUM.

36 *Partes Sacramenti Pœnitentiæ, tres.*
37 *Contritio generatim, quid?*
38 *Dividitur in perfectam, & imperfectam seu Attritionem.*
39 *Contritio perfecta.*
40 *Amor DEI appretiative, & intensive summus, quis?*
(e) Vide Tract. 4. Dist. 6. num. 6. & 7.
41 *Contritio imperfecta seu Attritio, quid?*
Et; quomodo differat a Contritione perfecta?
42 *Attritio inest naturalis sufficit.*
43 *Pœnitentia virtus, seu Contritio aliqua est necessaria ad salutem &c.*

43 *An sufficiat Pœnitentia virtualis?*
44 *Actus Contritionis perfecta sufficit ad justificationem.*
46 *Sed ea defectu includit votum Sacramenti; & cujus?*
47 *Extra Sacramentum requiritur Contritio, Sacramento sufficit Attritio:*
48 *Etiam cognita.*
49 *Propositum non peccandi de cætero, an sufficiat virtuale?*
50 *Contritio, & propositum hoc debet esse universale de mortalibus.*
51 *Quid de Peccatis venialibus?*
52 *Ad propositum illud non requiritur credulitas de non relapsu.*
53 *Corollarium.*
54 *Doctrina notabilis circa tentationem de futuro relapsu.*
55 *Non sufficit dolere, quod non satis doleat.*
56 *Tamen in tali actu plerumque intervenit verus dolor.*
57 *Dolor de mortalibus debet esse summus appretiative; quomodo?*
58 *Dolor hic præcedere debet absolutionem.*
59 *Non autem necessario Confessionem.*
60 *Etsi hoc sit consultum.*
61 *Dolor de peccatis, quanto tempore possit præcedere confessionem?*
62 *An confitens peccata prius omissa, teneatur elicere novum dolorem?*
63 *Corollarium de moribundo.*

36. TRes esse partes Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, patet ex dictis *num.* 10. & 11. ac unanimi Catholicorum. Unde viso de natura, simulque materia, & forma Sacramenti pœnitentiæ, breviter (quantum fieri poterit) erit videndum de singulis partibus ejus, incipiendo a contritione; additis tamen nonnullis, quæ Pœnitentiæ virtuti secundum se conveniunt. Hinc sit

37. CONCL. I. Contritio, quæ primum locum inter partes Sacramenti pœnitentiæ obtinet, ac prout est genus ad Attritionem & Contritionem perfectam, bene describitur a Concilio Trid. *sess.* 14. *c.* 4. quod sit *dolor animi, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*. Unde contritio, seu Pœnitentia virtus, non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, sed veteris etiam odium, seu detestationem peccati commissi continet: prout idem Concilium *l. c.* uberius declarat.

38. CONCL. II. Contritio sic generatim sumpta, recte dividitur in contritionem perfectam, & in attritionem, seu contritionem imperfectam. Ita Concilium Trid. *l. c.* & omnes Catholici. Et hæc divisio contritionis in perfectam, & imperfectam, oritur ex diversitate motivi illius formalis, ob quod quis dolet, ac detestatur peccatum commissum: nam si quis doleat ex motivo amoris DEI per peccatum offensi, erit contritio perfecta: si vero ex motivo solum turpitudinis peccati, aut metu inferni, seu pœnarum (per has intelligendo pœnas distinctas ab infernalibus, ut puta pœnas Purgatorii, vel pœnas temporales vitæ præsentis, v. g. pestem, famem, bellum, ac hujusmodi, quibus Deus castigare solet peccata Fidelium) erit Attritio. Sicusdem

39. *Contritio perfecta*, quæ est *Contritio simpliciter dicta*, est dolor animi, ac detestatio peccati propter DEUM summe dilectum, cum firmo proposito non peccandi de cætero. Ubi by *propter DEUM summe dilectum*, intelligendum est de Deo summe dilecto saltem appretiative, quamvis non semper amor ille DEI sit summus intensive.

40. Porro *Amor DEI appretiative summus* tunc habetur, quando DEUM ita amamus, ipsumque omnibus aliis rebus anteponimus, ut nullius creaturæ amore, vel timore, velimus ipsum offendere, aut ab ejus amore recedere. Et hoc modo omnes homines tenentur amare DEUM super omnia, juxta illud *Matth.* 10. *Qui amat patrem aut matrem plus, quam me, non est me dignus*, & alibi. Et qui ex motivo hujus amoris DEI dolet de commissis tais peccatis, censetur habere contritionem perfectam. *Amor DEI intensive summus* ille dicitur, qui est intensior, & vehementior omni alio actu amoris: & hoc modo non tenemur in hac vita DEUM diligere super omnia; quinimo non raro parentes plus intense amant liberos suos, quam DEUM, quamvis adhuc appretiative plus diligant DEUM, eo quod hunc ob amorem filiorum nolint offendere. (e)

41. *Contritio imperfecta*, quæ proprio nomine communiter dicitur *Attritio*, est dolor animi, ac detestatio peccati contra DEUM commissi, ob turpitudinem peccati, vel metum gehennæ, aut pœnarum conceptus cum firmo proposito non peccandi de cætero. Unde patet, hanc a contritione perfecta differre duntaxat penes motivum formale:

nam

nam perfecta contritio concipitur ex motivo amoris DEI per peccatum offensi; Attritio autem *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur*, ut loquitur Concilium Tridentinum *cit. Sess.* 14. *c.* 4.

42. Notandum tamen, ut Attritio cum Sacramento sufficiat ad justificationem peccatoris, requiri, quod ea procedat ex aliquo motivo supernaturali; sive quod *sit donum DEI & Spiritus Sancti impulsus*, juxta cit. Concilium. Unde dolor mere naturalis nemiquam sufficit, ut puta si puer de peccato doleat, eo quod virgas a patre meruerit: aut homo adultus, quod publicam apud homines infamiam incurrerit: nam dolor talis nulla ratione foret supernaturalis, nisque donum DEI, aut impulsus Spiritus Sancti. Et merito Innocentius XI. sequentem inter alias, ordine 57. Propositionem damnavit: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam*. Secus foret, si quis de peccatis doleat ob metum pœnarum temporalium ut a Deo immissarum: nam talis dolor non elicitur ex motivo mere humano, sed respicit DEUM ut justum vindicem peccati, & ultorem ejus per pœnas etiam temporales: prout Fideles credunt ex lumine Fidei supernaturalis.

43. CONCL. III. Pœnitentia virtus, sive contritio aliqua, est, & fuit universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinaverunt, pro quocunque statu ad salutem & justitiam consequendam necessaria. Conclusio sic profata est de Fide: habetur que in Concilio Trid. *sess.* 14. *c.* 4. ubi inter alia hoc probatur ex illis verbis Christi: *Luc. c.* 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*.

44. CONCL. IV. Quamvis regulariter loquendo post peccatum mortale commissum, homini sit necessaria ad salutem Pœnitentia formalis: adhuc tamen in aliquo casu potest ipsa supplere per Pœnitentiam virtualem, qualis est Dilectio DEI super omnia. Ita Doctores communiter. Hinc *Luc.* 7. dicitur: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; & alibi.

45. CONCL. V. Actus contritionis perfectæ, est, fuitque in omni Lege semper congrua dispositio, per Christi merita consequendi gratiam Divinam, nostramque justificationem: ex tamen in lege gratiæ, post receptum Baptismum, includit votum Sacramenti Pœnitentiæ suo tempore recipiendi. Ita communis omnium Catholicorum, & habetur clare in Concilio Trid. *Sess.* 14. *c.* 4. ubi dicitur: *Docet præterea, etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque DEO reconciliare, priusquam hoc Sacramentum* (Pœnitentiæ) *actu suscipiatur: ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto quod in illa includitur, nonnulli adscribendam*.

46. Additur notanter, *in Lege gratiæ, post receptum Baptismum*. Nam contritio perfecta ante receptionem Baptismi elicita, includit votum recipiendi Sacramentum Baptismi (unde & *Baptismus flaminis* dicitur) non autem votum Sacramenti Pœnitentiæ; cum peccata ante Baptismum commissa, non sint materia apta ipsius. Secus de contritione post Baptismum elicita: nam hæc includit votum Sacramenti Pœnitentiæ imposterum accipiendi.

47. CONCL. VI. Quamvis ad salutem, & justificationem peccatoris extra Sacramentum, omnino requiratur contritio perfecta cum voto Sacramenti saltem implicito, attamen cum Sacramento Pœnitentiæ sufficit Attritio etiam cognita. Ita defacto Doctores communiter. Unde Conc. Tr. *cit. cap.* 4. ait: *Quamvis contritio imperfecta, quæ Attritio dicitur, si voluntatem peccandi excludat, fine sacramento Pœnitentia per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat: tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*.

48. Fatendum quidem est, ultimam partem, quod etiam Attritio cognita (id est, ex quæ certe sciatur, ac cognoscitur esse solum Attritio) sufficiat cum Sacramento ad salutem, a pluribus olim fuisse negatam: verum defacto ob tam clara verba Concilii Oecumenici communiter tenetur Conclusio. Et ratio ulterior est: quia Sacramentum Pœnitentiæ est Sacramentum mortuorum, adest per se ad primario a Christo Domino institutum ad remissionem peccati mortalis, & collationem primæ gratiæ sanctificantis: atqui tale non esset, si virtute ejus nunquam conferretur prima gratia, seu hæc mediante prævia contritione perfecta, semper collata supponeretur; ergo.

49. CONCL. VII. Propositum non peccandi de cætero, quod requiritur una cum dolore de peccatis ad contritionem, & Sacramentum Pœnitentiæ, regulariter quidem debet esse formale ac explicitum, ita ut quis expresse sibi proponat, non amplius peccare de cætero: per accidens tamen potest

test etiam sufficere propositum virtuale, ac implicitum, quale includitur in ipsomet actu contritionis, ac detestationis peccati. Ita communis. Nam dum quis vere, & ex corde dolet de peccato commisso, illudque detestatur, simulque non habet actualem voluntatem peccandi pro futuro, hoc ipso censetur saltem virtualiter, ac implicite, habere propositum non peccandi de cætero. Et ita fit in casu, quo quis dolet, ac detestatur peccatum super omnia, nihil adverteus ad futuram vitam: censetur enim habere propositum sese emendandi, saltem virtuale ac implicitum.

50. CONCL. VIII. Contritio, ac propositum non peccandi de cætero, debet esse universale de omnibus peccatis mortalibus. Est certum. Unde peccat graviter, qui recepturus Sacramentum Pœnitentiæ sciens, & prudens, non attritur de omnibus mortalibus necdum confessis, vel proponit dumtaxat unum peccatum mortale evitare, non vero alterum.

51. Dicitur notanter, *de omnibus peccatis mortalibus*: nam locus est dicendum de peccatis venialibus. Licet enim ad confessionem peccatorum etiam venialium requiratur aliquis dolor, ac propositum eadem evitandi: quia tamen peccatum veniale hominem a gratia DEI non excludit, potestque unum remitti sine altero (quod non est in mortalibus) hinc sufficit attritio, & propositum de uno veniali confesso, etsi de aliis non habeatur. Sufficit etiam dolor, & propositum de evitandis venialibus confessis, præcise quoad frequentiam: quia talis habet jam voluntatem diminuendi peccata venialia, ficque emendandi.

52. CONCL. IX. Quamvis propositum non peccandi de cætero debeat esse firmum, nihilominus ad illud non requiritur credulitas, seu existimatio, quod quis deinceps non amplius sit relapsurus. Ita Petrus Marchantius *tom. 1. Tribunalis, tract. 4. tit. 3. q. 4.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 4. n. 8.* & alii. Ratio est: quia dolere de peccatis, & proponere emendationem vitæ, est actus præsens voluntatis peccatum commissum detestantis, & nolentis in illud relabi: existimatio vero, seu credulitas illa, non est actus voluntatis, sed intellectus, qui ex dolore & proposito illo non necessario consequitur; idque ob cognitam humanæ conditionis fragilitatem, nostræque voluntatis mutabilitatem, & plurimas hinc inde peccandi occasiones. Hinc donum perseverantiæ in bono, est equidem vel maxime exoptandum, summisque a DEO precibus postulandum, & auxiliante gratia divina, in virtute Passionis, ac meritorum Jesu Christi, humiliter sperandum: neutiquam tamen stulte præsumendum, aut absque speciali revelatione firmiter credendum; cum David, Petrum, aliosve post optima proposita lapsos fuisse constet.

53. Infertur proinde cum citatis Authoribus, & aliis, sæpe fieri posse, ut licet quis absolutum, & sufficiens propositum habeat, non peccandi de cætero; nihilominus timeat, vel etiam existimet, se non evitaturum omnia mortalia, vel certum peccati genus; idque ob rationes dictas, & expertam hactenus suæ voluntatis mutabilitatem.

54. Pro praxi tamen, & si diabolus conetur talibus persuasive *suggerere, Tu cades sine dubio, Tu non poteris ab hoc peccato abstinere, Occurrente tali occasione non resistes* &c. consultum erit, hujusmodi afflictis personis consulendum, ne cum vaferrimo isto Sophista multum disputent, sed potius mentem ad DEUM convertant, & cum humilitate cordis dicant: *Domine, verum est, quod quantum est ex me, me aque fragilitate, rursus in peccata caderem, si tua gratia me non protegeret: sed rogo, adjuva me, & adjuva fragilitatem meam; quia per gratiam tuam spero, & firmiter propono, non amplius peccare.* Hoc, vel consimili modo, ejusmodi diabolicæ suggestiones eludendæ sunt, ne alioquin pœnitens, multum cum dæmone disputans, se coram eis fallacibus succumbat: & vel in conditionatam volitionem pertrahatur rursum peccandi, si talis occasio sese offerret; vel certe in pusillanimitatem, aut diffidentiam erga DEUM, nec non & desperationem præcipitetur: ex quo fieri solet, quod vel Pœnitentiæ Sacramentum sacrilege recipiatur, vel desperans ab ipso, aliisque spiritualibus mediis, penitus retrahatur.

55. CONCL. X. Ad Sacramentum Pœnitentiæ non sufficit dolere, quod non satis doleas. Ita Layman *cit. c. 4. nu. 5.* Herincx *disp. 2. de Pœnit. n. 57. c. 3. n. 5.* & communis aliorum, contra Sylvestrum, Navarrum, & Sa, talem dolorem sufficere asserentes. Ratio est: quia talis revera non est dolor de peccatis commissis.

56. Interim tamen fatendum cum Doctoribus passim, in tali actu, quo quis dolet, se non satis dolere de peccatis, plerumque conjunctum esse dolorem de peccatis, etsi pœ-

nitens eum non cognoscat. Neque enim ad confessionem requiritur dolor sensibilis: sufficit quippe voluntas, ejusque aversio, & dolor de peccato commisso; quæ cum sit potentia spiritualis, ac interna, scrupulosi cum facile angi non debent, quasi sine dolore accedant ad Sacramentum, eo quod exterius nullum sentiant.

57. CONCL. XI. Etsi dolor de peccatis mortalibus commissis debeat esse summus appretiative, ita ut pœnitens nihil magis detestetur, quam peccatum, malitque omnia mala Mundi perpeti, quam mortaliter contra Deum peccare: non tamen opus est, imo nec passim expedit, particulares facere collationes, v. g. mallem hoc vel illud malum subire, quam mortaliter peccare. Ita Doctores communiter. Quinimo ejusmodi particulares collationes, seu reflexiones, spectata fragilitate humana sunt infirmioribus periculosæ: quamvis, si rite fiant, sint actus valde excellentes, ac meritorii.

58. CONCL. XII. Dolor requisitus ad Sacramentum Pœnitentiæ, præcedere debet Absolutionem: ejusque tutius, ut ipsum quoque Confessionem antecedat; quamvis sufficiat, si Absolutionem præcedat. Ita communis. Ratio primæ partis est, quia in Absolutione essentialiter consistit Sacramentum Pœnitentiæ: atqui ad hoc necessario necessitate Sacramenti præexquiritur dolor; & consequenter ille debet etiam præcedere Absolutionem.

59. Altera pars probatur ex communi sensu Fidelium, & recepta praxi confessariorum, qui post auditam confessionem solent exhortari Pœnitentes ad elicendum dolorem, quem & hi amplius pro tunc elicere gestiunt: frustra enim hoc fieret, nisi dolor tunc elicitus sufficeret. Accedit ratio: quia dolor ille cadit super peccata confessa: simulque confessio sufficienter redditur dolorosa per sequentem dolorem, & dolor sufficienter redditur sensibilis per præcedentem confessionem, eo ipso, quod pœnitens ordinet confessionem ad dolorem, & dolorem ad confessionem. Sic enim affert hæc duo, tanquam facientia unum quid morale, id est, confessionem dolorosam, qualis requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ.

60. Quia vero in praxi periculosum est, tam diu differre dolorem, cum facile contingere possit, ut quis peracta confessione aut distractus, aut attendendo ad pœnitentiam injunctam, vel reflectendo, num omnia rite confessus fuerit, obliviscatur doloris tunc elicendi, fiatque Sacramentum invalide recipiat: hinc consultissimum erit, dolorem ipsimet confessioni præmittere.

61. Quod si quæras, quanto tempore dolor possit præcedere confessionem? Resp. Tanto, quanto adhuc moraliter censeri potest, unum actum imperari ab alio, & fieri unum quid moraliter cum ipso, videlicet confessionem dolorosam. Quod ad praxin attinet, respondet Tamburinus *in Methodo expedita confessionis l. 1. cap. 2. §. 4.* qui mane dolet, & actu non revocato post tres vel quatuor horas confitetur sine novo doloris actu, non est dubium, quin satisfaciat. Rursus, si quis vesperi examinans conscientiam elicit actum doloris, proponens sequenti die confiteri, abunde est. Idem puto (addit citatus Author) si non solum præcedenti vesperi, sed etiam præcedente die id fecerit, actu semper, ut dixi, non revocato: colligitur hoc ex Lugone *disp. 14. de pœn. sect. 4. in fine, n. 36. & initio num. 37.* Longiorem temporis extensionem nondum inveni apud Theologos hæc tenus. Porro actus doloris, censetur revocari per actum contrarium, id est per complacentiam peccati, de quo doluisti, vel per alium novum peccatum mortale quodlibet.

62. CONCL. XIII. Qui peracta confessione iterum confitetur aliqua peccata, quorum antea fuit oblitus, probabilius non tenetur elicere novum actum doloris antea generaliter concepti de omnibus peccatis, sed potest absolvi virtute prioris doloris adhuc virtualiter permanentis. Ita Lugo *disp. 14. de Pœnit. sect. 3.* Henriquez, Diana, aliique. Ratio est: quia prior dolor, uti supponitur, fuit generalis, ficque extendit se ad illud peccatum, cujus contritus antea fuit oblitus; ergo, cum adhuc maneat, nihil obstat quin possit deservire ad duo Sacramenta, cum censeatur virtualiter multiplex.

63. Inferunt proinde Doctores, posse moribundum propter instans periculum mortis a confessario absolvi audito uno, alterove peccato; & deinde, si superfit tempus, auditis per ordinem cæteris, iterato absolvi in virtute doloris præcedentis. Quod si quis velit eadem peccata repetere, ac denuo confiteri, tunc plures Doctores volunt, dolorem esse renovandum: quamvis nonnulli contradicant.

DISTINCTIO VII.

De Confessione, quæ est altera Pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

Quæ Conditiones requirantur ad Confessionem Sacramentalem?

SUMMARIUM.

1 *Confessio varie sumitur, & quomodo in proposito?*
2 *Confessio Sacramentalis, quid, & quamodo necessaria?*
3 *Conditiones ejus sedecim.*
4 *An omnes necessariæ?*
(a) Ut dictum Tr. 10. Dist. 3. n. 5. 7. & 8.
(b) De his vide l. c. n. 9. & seqq.
5 *Reducuntur ad tres. I. Confessio Sacramentalis debet esse dolorosa; & sic*
6 *Humilis.*
7 *Libera.*
8 *Discreta.*
9 *Continens.*
10 *Verecunda.*
11 *Lacrymabilis, &*
12 *Parere parata, quomodo?*
13 *II. Confessio debet esse vera, atque ideo simplex, pura, fidelis, nuda, &*
14 *Accusans, quomodo?*
15 *Mentiri in Confessione, an sit peccatum mortale?*
16 *Quid, si major numerus peccatorum existimatur?*
17 *Vel fiat mendacium circa peccatum veniale?*
18 *Declaratur amplius.*
19 *III. Confessio debet esse integra, & sic*
20 *Fortis, ac*
21 *Secreta, & quomodo?*
22 *Confessio, si fiat publice, an valida sit?*
23 *Quid de Confessione per Interpretem?*
24 *Et de Confessione, tempore n. 5. naufragii alias nec facta.*
(c) Juxta doctrina n. 35. & seqq.
25 *Confessio, an debeat esse vocalis?*
26 *Saltem extra casum impotentiæ?*
27 *Magna difficultas, aut verecundia an excuset a Confessione ordinem faciendæ?*

(d) Ut dictum Tr. 1. Dist. 3. num. 57. & 58.

1. CConfessionis nomen varie solet accipi: I. Pro Confessione cujuscunque veritatis; & sic confiteri sumitur *Joan. 1. Et confessus est, & non negavit.* II. Pro Confessione Fidei: sic sumitur *Matth. 8. Qui me confessus fuerit coram hominibus &c.* III. Pro Confessione laudis, quam DEO deferimus ob ejus beneficia, opera, attributa: & sic frequentissime sumitur in Psalmis, & alibi passim in S. Scriptura. IV. Pro confessione judiciali in Foro externo: in quo sensu dici solet: *Propria Confessio est optima probatio.* V. Pro Confessione Sacramentali, prout hæc est altera pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ; & in hoc sensu agitur hic de Confessione.

2. Definitur autem Confessio Sacramentalis taliter: *Confessio* est accusatio legitima de propriis peccatis, facta coram Sacerdote, ad eorum veniam impetrandam virtute Clavium. Ubi ly *accusatio*, stat loco generis, reliqua ponuntur loco differentiæ; prout ex professo dictum fuit *tract. 10. dist. 3. n. 1. & seq.* ubi explicando quartum Præceptum Ecclesiæ, simul de institutione, atque necessitate Confessionis Sacramentalis, fusius agitur.

3. Quorum igitur hunc attinet ad alia, atque in primis ad conditiones Confessionis Sacramentalis, earum sedecim communiter a Doctoribus enumerantur, hisce versiculis comprehensæ:

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis;
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda;
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata;
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

4. Observandum tamen, non omnes istas conditiones esse simpliciter necessarias ad Confessionem, bene tamen utiles, ac valde proficuas; prout patet præsertim in illis duabus conditionibus, quod sit *frequens & accelerata.* Nam, licet sit consultissimum, atque utilissimum, post admissum peccatum grávius quamprimum confugere ad Sacramentum Pœnitentiæ per veram peccatorum Confessionem, ad id tamen homo non obligatur. (a) Neque tenetur quis per se loquendo, ex extra certos casus (b) intra annum sæpius confiteri, quamvis procul dubio id fit utilissimum, ac summe commendandum. Porro cæteræ conditiones, commode ad hisce tres reducuntur, nempe, quod Confessio sit *Dolorosa, vera, & integra:* de quibus singillatim loquendo, sit

5. CONCL. I. Confessio Sacramentalis necessario debet esse *Dolorosa.* Patet hoc ex eo: quia Confessio debet fieri cum vero dolore de peccatis, ac firmo proposito non peccandi de cætero; ut proxime dictum est *d. prac. quæst. 4. per totum.*

6. Ad hanc conditionem reducuntur plures aliæ ex enumeratis fedecim; ut illa, quod Confessio sit *Humilis*: id est, ut pœnitens cum humilitate cordis, nec non & humili corporis exterioris compositione, ut puta genibus flexis, &capite nudato, si vir est, neque infirmitas excuset, peccata sua confiteatur.

7. Item, quod sit Confessio *Libera*, id est, voluntaria, & ut ipsa cum animo recipiendi Sacramentum peragatur. Cui tamen conditioni non obstat, quod quis confiteatur propter obligationem præcepti, aut ad eam inducatur timore excommunicationis, infamiæ &c. dummodo adsit animus vere confitendi, ac recipiendi Sacramentum, & nullum aliud ex necessario requisitis deficiat.

8. Huc ulterius reducitur, quod Confessio sit *Discreta*: & hoc ex eo, quod pœnitens ut ut honestis & discretis verbis in sua Confessione, maxime in explicandis peccatis carnalibus. Vel maxime autem Confessio debet esse discreta in eligendo prudente atque erudito Confessario, qui sciat discernere inter lepram & lepram, ac debita remedia & consilia dare, maxime si pœnitens habeat casus difficiliores.

9. Ex quo penitus infertur error Bonacinæ *disp. 1. de pœn. q. 1. sect. 2. punct. 2. § 2. n. 17.* & aliis, quod si pœnitens, dubius de contractu v.g. usurario, eligat Confessarium, quem novit esse indoctum, putans, se propter ipsius inscitiam non obligandum ad restitutionem, non solum non excusetur a restitutione, verum etiam teneatur iterum confiteri. Hinc enim non videtur habuisse debitum dolorem, cum firmo proposito vitandi peccata in futurum.

10. Insuper ad Confessionem dolorosam revocatur illa conditio, quod sit *Verecunda*: hoc est, quod pœnitens corde & ore debeat præferre verecundiam, ne sicut fabulam, aut historiam, impudenter narret peccata sua. Et certe, si quis cum risu proponat peccata, quomodo is præsumi poterit habere verum dolorem de peccatis suis? Unde severe talis erit admonendus, adhibitis motivis etiam gravioribus, ad eliciendum dolorem requisitum pro Sacramento Pœnitentiæ rite suscipiendo.

11. Ulterius huc spectat alia conditio, nempe, quod Confessio sit *Lacrymabilis*. Non quod ad Confessionem requirantur Lacrymæ sensibiles seu exteriores, quandoquidem hæ non sunt in nostra potestate; sed quia debet fieri cum lacrymis cordis, id est, cum vera displicentia, atque interno dolore de peccatis, firmoque emendationis proposito. Unde hæc particula idem importat, ac *Confessio dolorosa.*

12. Tandem huc reducitur, quod Confessio sit *Parere parata*, in quantum pœnitens debet accedere animo parato ad obediendum Confessario in his, in quibus tenetur ipsi obedire: puta, in acceptanda pœnitentia, in vitandis occasionibus proximis peccatorum, in restitutione male ablatorum, si facultas suppetat, & hujusmodi; alioquin enim pœnitens non haberet firmum emendationis propositum.

13. CONCL. II. Confessio insuper debet esse *Vera*: ita videlicet, ut nihil falsitatis, vel simulationis, aut deceptionis habeat annexum. Ad hoc pertinent quinque sequentes conditiones ex supra enumeratis; nempe, quod Confessio sit *Simplex*, id est, non ita artificiose facta, ut aliquod peccatum occultetur, atque a Confessario non intelligatur. Item, quod sit *Pura*; tum quoad intentionem, ut non fiat ob pravum finem, ut puta ob vanam-gloriam, vel ad capessendum favorem Confessarii &c. sed spe veniæ, atque ad consequendam peccatorum remissionem: tum etiam quoad explicationem peccatorum, ut fiat sine admixtione rerum, vel historiarum impertinentium. Insuper quod Confessio sit *fidelis*, id est, verax, & sine mendacio, de quo mox plura. Et *Nuda*, id est, non palliata, & vestita certis verborum ambagibus, quibus peccata obscurentur, ne eorum gravitas

vitas a Confessario percipiatur, vel minus ponderetur.

14. Et tandem, quod sit *Accusans*. Tum quia accusatio est de essentia Confessionis Sacramentalis, ut patet ex hujus definitione n. 2. allata: Tum quia Confessio ita debet institui, ut per eam pœnitens se accuset, sibique peccata imputet, non autem aliter se excuset alteri ea imputando, v. g. diabolo, malis sociis, naturali complexioni &c. ut pote quæ ejus libertati voluntatem ad peccatum cogere non possunt. Excipe tamen circumstantias illas, quæ speciem peccati mutant, atque ex mortali faciunt veniale: ut est indeliberatio actus, imperfectus consensus voluntatis, & parvitas materiæ: hæc enim necessario debent addi.

15. Quæres, an mortui in Confessione sic peccatum mortale? Resp. I. Mentiri deliberate in Confessione circa materiam mortalem, ac necessariam, est peccatum mortale; & consequenter tali mendacio irritum redditur Sacramentum. Sic juxta omnes Theologos peccat mortaliter, & sacrilege recipit Sacramentum, qui scienter negat se fecisse peccatum mortale, quod revera fecit, ac nec dum rite confessus est: vel qui deliberate dicit, se commisisse tale peccatum mortale, quod revera non commisit; quia talis in Foro DEI mallitiose decipit Judicem, seu Confessarium, Christi Vicarium, & quidem in materia gravi, ut pote pertinente ad substantiam cauæ, seu Sacramenti Pœnitentiæ.

16. Addunt Doctores, ac præsertim Bonacina *loc. cit. num. 9.* eum simul et peccare mortaliter, & invalide confiteri, qui scienter majorem numerum peccatorum mortalium exprimit, quam revera admisit; quia etiam talis decipit Confessarium in materia gravi. Per accidens tamen contingere potest, quando pœnitentem circa hoc excusari a mortali: ut si homo simplex, rudis, bona fide majorem numerum fatetur, putans, consultius esse ac melius, majorem explicare numerum peccatorum, quam justo minorem.

17. Resp. II. Mentiri in Confessione circa peccatum veniale, vel aliam materiam non necessariam, aut quam hic & nunc confiteri qui non tenetur, non est peccatum mortale, sed veniale duntaxat. Ita Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 15.* Bonacina *loc. cit.* aliique communiter, contra Cajetanum. Ratio est: quia, cum tale mendacium non sit circa materiam necessariam Sacramenti Pœnitentiæ, non decipitur graviter ipse Confessarius, seu Judex.

18. Excipe, dummodo pœnitens non sit confessus unum duntaxat peccatum veniale, ac circa illud mentitus. Quia, cum tale veniale tunc sit tota materia Confessionis, & juxta hypothesin falso narrata, nulla revera afferretur materia Sacramenti Pœnitentiæ, ac proinde talis graviter peccaret: nisi forte animi perturbatio, vel scrupulus, eum excuset. Ita citati Authores, & alii.

19. CONCL. III. Confessio debet etiam esse *integra*. Unde Concilium Tridentinum *Sess. 14. c.* 5 adducit, ac infra *can.* 7. sub anathemate definit: *In Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium esse jure Divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duas ultimas decalogi præcepta; & circumstantias, quæ peccati speciem mutant.* Sed de Confessionis integritate ex professo *Quæst. seq.*

20. Ad hanc Confessionis conditionem spectat illa alia, qua dicitur, quod debeat esse *Secreta*; ne videlicet ob naturalem verecundiam, aut amorem, aliquid ex necessario dicendis omittatur. Unde patet, quod ista conditio juxta ad integritatem Confessionis.

21. Huc accedit altera conditio, qua dicitur, quod Confessio debeat esse *Secreta & sicuta*, quod ex Christi institutione ordinaria, & regulariter loquendo, debeat fieri coram solo Sacerdote Confessario: unde & communiter *Confessio auricularis* appellatur. Nam si Confessio Sacramentalis ex Christi institutione non esset secreta. Cadeo ita & Confessarius arctissime teneretur ad servandum Sigillum: vix hominibus foret difficillima, præsertim loquendo de peccatis occultis, & cogitationum, quæ etiam parum accommodata, ac consulta communitati fidelium. Sed circa hanc ultimam conditionem

22. Quæritur I. An Confessio Sacramentalis ita debeat esse secreta, ut non valeat, si fiat publice: sive (ut alii loquuntur) an hæc conditio sit de essentia Confessionis? Resp. Quamvis Christus instituerit modum confitendi secreto, tanquam modum Confessionis regularem & ordinarie servandum: valet tamen Confessio in casu necessitatis, aut alia de causa publice, seu aliis audientibus facta: & consequenter non est de essentia Confessionis, quod fiat penitus

secreto. Ita communis Doctorum. Ratio est: quia ex institutione Christi Confessio secreta ita est præcepta, ut publica nec sit præcepta, nec prohibita; prout patet ex praxi, & communi sensu Doctorum de validitate Confessionis factæ per Interpretem. Hoc ipsum clare probant verba Concilii Trid. *sess. 14. c. 5.* sic docentis: *Cæterum quod modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in satisfactum sceleratum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit: non est tamen hoc Divino præcepto mandatum, nec salutis consulte humano aliqua lege præcipitur, ut delicta præsertim secreta, publica essent Confessione aperienda.* Hæc Concilium.

23. Infertur proinde cum communi, quod quidem validè sit Confessio facta per Interpretem, timea per se loquendo nullus tenetur confiteri per Interpretem: quia Christus non ita dum prohibuit confessionem publicam, eam tamen non præcepit. Intelige, *per se loquendo*: nam peccator exitens in periculo mortis, qui de perfecta contritione dubius, vel non satis securus esset, per accidens obligaretur confiteri per Interpretem, ut sic una cum attritione, & Sacramento Pœnitentiæ justificetur, atque evitaret æternam damnationem. Id autem fieret, non quidem ex præcepto Divino Confessionis, sed ex præcepto Charitatis erga seipsum, qua qualibet tenetur procurare salutem animæ suæ. Hernex *disput. 3. de Confessione, quæstion. 7. num. 91.* Sanniy. *disput. 10. de Confessione quæstion. 2. n. 6. & 7.* allegans Scotum *4. dist. 17. quæst. unic.* & alii.

24. Infertur ulterius, quod valida sit confessio facta ab exulentibus in naufragio, vel quando tempore pestis plures infirmi detinebantur in eadem camera, ex missa fiat voce alta, ita ut ab aliis attentibus audiatur. In tali tamen casu, sicut & in priori, sufficit confiteri solum aliqua peccata, per quæ minus fama ejus apud circumstantes lædatur, cum quandoque sufficiat integritas tantum formalis confessionis. (c)

25. Quæritur II. Utrum confessio debeat esse vocalis, ita ut per nutus teneatur confiteri sua peccata oretenus, ac propriis verbis? Resp. I. Certum est, quod impotentia excuset a confessione oretenus facienda. Patet hoc ex communi sensu Ecclesiæ: sic enim mutus, qui scripto, nutibus, vel aliis signis peccata sua exprimere modo, quo possunt, melius, sacramentaliter tolent ac debent absolvi: & idem fit in moribundis, qui non valentes amplius loqui, signa doloris ac petitæ confessionis exhibent.

26. Resp. II. Extra casum impotentiæ adest gravis obligatio, peccata sua oretenus fieri propriis verbis confitendi. Patet hoc tum ex communi praxi, ac sensu fidelium, tum ex Concilio Florentino in Decreto Unionis; ubi pro parte Sacramenti Pœnitentiæ assignat *Confessionem oris*, id est, confessionem oretenus factam, nisi forsan impotentia excuset. Huc accedit illud D. Augustini *lib. De vera & falsa pœnitentia, c. 10* ac refertur c. Quem pœnitet. de pœnitent. dist. 1. *præcipit Dominus mundandis, ut ostenderent non Sacerdotibus, decimo corpori alii præsentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scripsum manifestanda.*

27. Infertur proinde, quod quamvis multi Doctores, ut Suarez, Vasquez, Lugo, Layman, aliique velint, non solum impotentiam, sed etiam magnam difficultatem, vel nimiam verecundiam in exprimendis oretenus peccatis, excusare a confessione oretenus facienda, ac sufficere, si scriptis comprehensa tradatur legenda confessario, quod præsertim sufficere ajunt, quando post peccata a confessario lecta subjungit pœnitens voce sensibili, *De his omnibus peccatis accuso me &c.* nihilominus opposita sententia, quam tenent Matthias *4. dist. 5. num. 175.* Sannig. *tit. dist. 20. quæst. 1. n. 3.* Fabec, aliique, sit probabilior, tutior, ac in praxi merito tuenda: cum eam non solum Concilium Florentinum verbis citatis, sed ipsa etiam communis praxis fidelium fundet, & confirmet. Accedit, quod ita materia valorem Sacramentorum concernente, tutior pars sit eligenda, ne Sacramentum fiat urgente causa exponatur periculo invaliditatis. (d)

QUÆSTIO II.

Quomodo Confessio debeat esse integra?

SUMMARIUM.

28 *Integritas Confessionis duplex, materialis, & formalis, quæ Confessio formaliter, & materialiter integra, quid*

29 *Regulariter Confessio debet esse integra, tam materialis &c.*

30 *Omnia peccata mortalia, quoad numerum, speciem &c. sunt confitenda.*
31 *Quid de simplicibus, grossiori modo quandam confessis?*
32 *Quid, si pœnitens ob multitudinem peccatorum, nescit numerum certum?*
33 *Corollarium de meretrice.*
34 *Et possim concipi casus, quo mulier abeat, Concubinarius; vir gravem uxoris infamiam.*
35 *Per accidens quandoque sufficit sola integritas formalis Confessionis.*
36 *Id generatim concingit ex cruce tantis.*
37 *I. Ratione ignorantiæ, seu oblivionis.*
38 *II. Ratione impotentiæ. Quid de mutis?*
39 *Alia Corollaria.*
40 *Quid agendum tempore naufragii aut belli instante confessario?*
41 *Ob solum confessum pudibundum, non licet fovere dissimulatam Confessionem.*
42 *III. Ratione gravis damni imminentis.*
43 *Corollaria.*
44 *Quomodo ex dictis casibus remittantur peccata?*
45 *Peccata non confessa, debent imposterum confiteri.*
46 *An deberent illico confiteri?*

(o) Supra Disp. 2. n. 36. & 37.

28. ADvertendum, quod integritas Confessionis sit duplex, materialis videlicet, & formalis. Tunc habetur *Integritas materialis Confessionis*, quando omnia peccata mortalia necdum legitime confessa quoad speciem, & numerum, Clavibus Ecclesiæ subjiciuntur, nullo proprio sive ex oblivione, sive ex alia causa omisso. *Formalis* est, quando ea peccata Clavibus subjiciuntur, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt, & ad quæ aperienda hic & nunc pœnitens tenetur: sive *integritas eorum formalis* est, quando pœnitens facit talem Confessionem, qualem moraliter loquendo in talibus circumstantiis potest facere, non obstante, quod non omnia peccata mortalia exprimantur, inculpabiliter tamen. Unde illa Confessio dicitur formaliter saltem esse integra, in qua nihil omittitur cum culpa mortali: quod si vero non solum nihil omittatur cum culpa mortali, verum etiam omnia & singula peccata rite exprimantur, tunc confessio non solum formaliter, sed etiam materialiter erit integra. Quando autem omittitur aliquod peccatum mortale scientur, & absque justa causa ideoque, culpabiliter, tunc Confessio illa nullatenus erit integra, sed sacrilega.

29. CONCL. I. Per se, ac regulariter loquendo Confessio semper debet esse integra, etiam materialiter. Ita omnes Theologi; & patet ex Concilio Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. & *can.* 7. ibi: *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure Divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & qui sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant &c. Anathema sit.* Additur autem, *per se ac regulariter loquendo*, propter dicenda *num.* 35. & *seq.*

30. CONCL. II. Certum est omnia peccata mortalia nondum legitime confessa, tam quoad numerum ac speciem, quam quoad circumstantias peccati speciem mutantes, esse necessario confitenda. Patet hoc ex citatis verbis Concilii Tridentini, & communi Doctorum. Unde non sufficit dicere: *Commisi fornicem, Fornicatus sum, Neglexi missam aliquoties &c.* Sic enim non explicaretur numerus peccatorum, sed oporter determinare certum numerum, prout præmisso debito, ac diligenti examine præsens cogitatio dictat: v.g. *Neglexi Missam die Festo bis: Fornicatus sum tot vel tot vicibus, vel* (si non omnino sibi certo constet de numero, addat pœnitens) *circiter plus minusve.*

31. Notant tamen hic non pauci Doctores, ut Fagundez, Layman, & alii, consultum non esse, simplici plebi scrupulos injicere, illius Confessionem invaliditatis damnando, eo quod ex ignorantia, & bona fide numerum suorum peccatorum olim non rite determinarint: nam bona fides, atque ignorantia tales simpliciores excusare solet.

32. CONCL. III. Si pœnitens ob nimiam peccatorum multitudinem hujusmodi certum numerum exprimere non possit, ad minimum dicat totum ad peccandum habitualem: v.g. continuavi tale peccatum tanto tempore, illud committendo tot vel toc circiter vicibus, plus minusve, per mensem, hebdomadem aut diem. Ita communis; & ratio est: Quia sic jam sufficienter innotescit status pœnitentis: simulque enumeratur distincte peccata quoad numerum, quantum moraliter, ac humano modo hic & nunc fieri potest.

33. Cæterum quia dantur quidam casus, in quibus multum difficile est explicare numerum peccatorum, ut in publica meretrice &c. notandum cum Lugone *disp.* 16. *sect.* 4. §. 4. & aliis, in hujusmodi casu sufficere dicere tempus, quo quis in tali statu, & consuetudine peccandi perseveravit. Sic meretrix v.g. sufficienter se accusat, dicendo se per annum omnibus, tam conjugatis, quam solutis, tam Clericis, quam Laicis, fuisse expositam. Quamvis quidam latis besse hoc limitent, dicentes, addi debere numerum actuum externorum in iis speciebus peccatorum, quæ non ita frequenter occurrunt; ut quoties cum Religiosis, consanguineis &c. peccaverit: hæc enim peccata possunt facilius, numerari.

34. Et quod hic dictum est de meretrice, dicendum est de quodcunque alio peccatore, in quo æqualis est difficultas explicandi certum numerum peccatorum. Unde hoc in primis habet locum in eo, qui passim turpiter concupiscit fœminas sibi obvias: Sufficit enim explicare hanc consuetudinem, ac tempus illius una cum speciebus principalioribus. Idem dicendum de eo, qui concubinam domi habuit, eaque ut propria uxore usus est: satisfacit enim, si statum & tempus explicet, addito tamen firmo proposito relinquendi, atque expellendi concubinam. Similiter ille, qui per aliquot dies, vel hebdomadas, sovit cupiditatem gravis vindictæ, vel odium, aut amorem turpem, communiter satisfacit, si dicat, se illo tempore magna diei parte, vel quasi per totum diem, talibus cogitationibus deliberate immoratum fuisse.

35. CONCL. IV. Quamvis per se, ac regulariter loquendo omnia & singula peccata mortalia, tam quoad speciem ac numerum, quam quoad circumstantias speciem peccati mutantes, sint Jure Divino explicanda in Confessione, ut dictum *n.* 29. & 30. ac proinde graviter peccet peccato sacrilegii, indigne videlicet recipiendo Sacramentum Pœnitentiæ, qui scienter & absque justa causa omittit aliquod mortale confiteri; nihilominus per accidens, & in casu quodam extraordinario, sufficit quandoque ad Confessionem sola integritas formalis. Ita certa, & communis. Ratio est: quia præceptum Divinum de facienda materialiter integra peccatorum Confessione, non obligat cum impotentia physica, vel moali: cum ad impossibile nemo obligetur. Hoc ipsum amplius patebit ex dicendis Conclusione sequenti. Hinc sit

36. CONCL. V. Tres generatim sunt causæ excusantes ab integritate materiali Confessionis, videlicet ignorantia seu oblivio, impotentia, & grave damnum imminens pœnitenti, aut tertio, ut puta Confessario. Ita in re communis; & patet inductione.

37. Et quidem ratione ignorantiæ, seu oblivionis, excusantur illi, qui præmisso sufficienti examine alicujus peccati mortalis non recordantur, aut illud penitus ignorant. Tenentur tamen tales omissa imposterum confiteri, dummodo eorum recordentur, juxta dicenda *n.* 44. & 45.

38. Ratione impotentiæ excusantur a materiali integritate Confessionis, qui laborant impotentia physica ad integre confitendum. Sic excusatur mutus, ut note nullatenus, loqui valens: qui proinde absolvi potest, dummodo unum vel alterum peccatum per nutus explicaverit; vel, si neque hoc fieri potest, signum doloris de suis peccatis ediderit, v.g. percutiendo pectus. Quod si tamen is scribere novit, expedit, ut peccata sua in scriptis Confessario exhibeat: ad quod tunc eum teneri, probabilius esse censent Doctores contra Cajetanum, Navarrum, & quosdam alios.

39. Et ob eandem rationem ignarus idiomatis potest absolvi tempore præcepti, vel alterius necessitatis, etsi non integre percipiatur, si non potest haberi Confessarius linguæ hinc ignarus. An autem talis teneatur confiteri per interpretem, si adsit, dictum est supernus *n.* 23. Rursum si pœnitens inter confitendum in phrenesin incidat, vel periculum sit, ne illico moriatur, debet statim absolvi: & postea, si supervixerit, rei qua peccata audienda erunt, & absolutio denuo impertienda.

40. Hoc ipsum accidere solet tempore naufragii, aut belli, quando imminet conflictus, & confessarius multorum integras Confessiones audire non possit. Quinimo in hujusmodi casibus, quando periculum imminens aliud non permittit, possunt omnes simul uno peccato explicato, quod minus infame, confiteri, & a Confessario absolvi, dicendo: *Ego vos absolvo &c.* Imo secundum quosdam (inquit Burlenbaum *tract.* 2. *de Confessione cap.* 2.) si aliter fieri non possit, sufficeret in tali casu dicere in genere, se,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

se tales peccatorem; aut etiam (subdit Ferdin. Hauchius, *V. Absolutio n.* 22.) signo aliquo, ut genuflexione, significare se, e-cause: ut si Confessarius dicat, omnes qui volunt confiteri & absolvi, percutiant pectus, vel genuflectant; & hoc imminente tam gravi periculo possunt omnes absolvi a Confessario, dicente: *Ego vos absolvo* &c. Hurtado *de Sacram. Pœnit. disp. 9. dific. 19.*

41. Cæterum extra hunc casum magni periculi imminentis, ob solum concursum pœnitentium, non licet tacere Confessionem dimidiatam; tenemur enim jure Divino confiteri omnia peccata mortalia, quorum habemus conscientiam, extra casum impotentiæ physicæ, aut moralis; qualis in solo pœnitentium concursu non adest. Et hinc merito Innocentius XI. inter alias sequentem, ordine 19. Propositionem damnavit: *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatæ tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v.g. possit contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, aut Indulgentiæ.*

42. Tandem ratione gravis damni imminentis potest excusari pœnitens ab integritate materiali Confessionis, quoties vel tenentur, vel ipsi Confessario, ex Confessione omnium peccatorum rationabiliter timetur grave damnum spirituale, vel corporale; fiquidem in tali casu cessetur adesse impotentia moralis.

43. Sic fieret, quando pœnitens rationabiliter timet, peccatum suum revelandum; quod tamen in praxi vix, nec nisi gravibus de causis, est præsumendum. Item quando femina ex jam expertis, vel aliis causis probabilibus, metuit sollicitationem ad peccatum, si confiteatur peccatum carnis, nec tamen habeat alium, cui confiteatur; nam tunc delicto carnis præermisso, posset alia confiteri. Huc accedit casus, si pœnitens, vel ipsemet Confessarius, timeat tempore vigentis pestis, ne ex diutius protracta Confessione contrahat morbum contagiosum. Idem dicendum de similibus.

44. CONCL. VI. In supradictis, ac aliis hujusmodi casibus, in quibus nequit fieri confessio materialiter integra, remittuntur quidem (si cætera requisita adsint) omnia peccata mortalia virtute Sacramenti Pœnitentiæ, sed diversimode: nam peccata explicite confessa remittuntur directe, adeo ut non remaneat in pœnitente obligatio, illa denuo confitendi; alia vero peccata mortalia, quorum quis vel invincibiliter fuit oblitus, vel eadem non potuit ob aliam justam causam ex supra enumeratis confiteri, solum indirecte, & eam o ere eadem imposterum confitendi, ac data opportunitate directe Clavibus Ecclesiæ subjiciendi. Ita communis. Ratio primæ partis est: quia unum peccatum mortale non remittitur sine alio; simulque gratia habitualis, seu sanctificans, quæ virtute Sacramenti Pœnitentiæ in tali casu confertur, est incompossibilis cum quocunque peccato mortali; ac proinde omne tale excludit.

45. Altera pars ex eo probatur: quia extat præceptum Divinum de confitendis omnibus peccatis mortalibus post Baptismum commissis; & consequenter peccata ea, quæ antea ob casum impotentiæ quis nequivit confiteri, debent postmodum data opportunitate in proxima Confessione exponi, & directe Clavibus Ecclesiæ subjici. Hinc merito Alexander VII. sequentem inter alias, ordine 22. Propositionem damnavit: *Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob justum vitæ periculum, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.*

46. CONCL. VII. Nihilominus, qui per oblivionem, aut aliam justam causam ex supra dictis, omisit aliquod peccatum confiteri, non tenetur statim ac habuerit commoditatem, illud confiteri; sed potest differre Confessionem illius peccati, donec ex vi alterius obligationis iterum confiteri tenebatur. Ita Bonacina *disp. 5. quæst. 5. fol. 2. pun. 4. num. 22.* post Suarez, Navarrum, Filliucium, & plurimos alios Doctores. Ratio est: quia jam satisfecit præcepto confessionis, cum re ipsa valide sit confessus. Excipitur tamen casus ille, quo quis Sacram Eucharistiam sumpturus, recordatur peccati mortalis omissi: nam tunc, si absque periculo infamiæ possit denuo confiteri, tenetur præmittere confessionem, ac peccatum illud directe Clavibus Ecclesiæ subjicere, ut jam alibi (e) dictum.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De necessitate confitendi Circumstantias aggravantes, Peccata dubia &c. & præmittendi Examen Conscientiæ.

SUMMARIUM.

47 *Circumstantia speciem peccati mutantes, quæ?*
(f) Ut dictum Tr. 3. Dist. 2. qu. 2. per totum.
Hæ sunt confitendæ.
48 *Circumstantia aggravantes, quæ?*
Alia sunt notabiliter aggravantes, alia non.
49 *Per se loquendo non tenemur confiteri circumstantias aggravantes, etiam notabiliter.*
50 *Solvitur instantia.*
Confessarius quomodo debeat judicare de gravitate culpæ?
51 *Quid Concilium Tridentinum circa hoc statuat?*
52 *Per accidens quandoque oportet confiteri circumstantias aggravantes.*
53 *Quid de consuetudine precandi?*
54 *Peccata dubia sub dubio sunt confitenda.*
55 *Quod intelligendum de dubio proprie dicto, seu negativo?*
(g) Ut dictum Tr. 1. Dist. 3. n. 29. *Sensus de scrupulo, aut dubio positivo.*
56 *Solvitur instantia.*
57 *An possit, & debeat quis peccatum confiteri, quamvis Confessarius veniat in notitiam Complicis.*
58 *Quid de sententia negativa?*
(h) Ut dictum Tr. 9. Dist. 6. n. 7. & seqq.
59 *Aut si adiri possit alius Confessarius?*
60 *Examen conscientiæ Confessioni præmittendum.*
61 *Qualis diligentia in eo faciendo adhibenda?*
62 *Hæc diligentia non requiritur æqualis in omnibus.*
63 *Ruditi non facile dimittendi pro faciendo multeri examine.*

47. QUæritur I. Utrum Circumstantiæ solum aggravantes, etsi notabiliter, sint necessario confitendæ? Pro cujus resolutione notandum, quod circumstantiæ aliæ mutent speciem peccati, aliæ intra eandem speciem duntaxat aggravent. *Circumstantia speciem peccati mutantes* dicuntur illæ, quæ actus humanos transferunt in aliam speciem peccati ab ea, quam habent ex objecto suo: sic circumstantia personæ conjugatæ, vel habentis votum Castitatis, transfert peccatum carnis a specie Fornicationis ad speciem Adulterii, vel Sacrilegii, dum actui Luxuriæ superaddit novam malitiam Adulterii, vel Sacrilegii. Idem contingit in illis casibus, quando peccatum ex genere suo veniale, per accidens fit mortale, vel e contra. (f) Et tales circumstantias speciem peccati mutantes, certum est esse necessario confitendas: idque expresse fitetur, atque definit Concilium Trid. *sess.* 14. *c.* 5. & *can.* 7.

48. *Circumstantia aggravantes* appellantur eæ, quæ malitiam actus ex objecto desumptam, intra eandem speciem peccati duntaxat aggravant, seu majorem reddunt; non autem superaddunt novam malitiam specie distinctam ab ea, quam actus habet ex objecto. Et ex his eæ sunt notabiliter aggravantes, quæ videlicet multum aggravant malitiam actus intra eandem speciem peccati; ut furtum mille florenorum simul ablatorum; aliæ non notabiliter aggravantes; ut furtum quinque, vel sex florenorum. Quæstio præsens præcipue procedit de circumstantiis notabiliter aggravantibus; nam omnes fatentur, circumstantias parum duntaxat aggravantes, non esse necessario confitendas. His præmotatis

49. Resp. Etsi consultum sit circumstantias solum aggravantes in confessione explicare; nihilominus per se loquendo, nulla est obligatio, eas etiam notabiliter aggravantes confitendi. Ita D. Thomas 4. *d.* 16. *q.* 3. D. Bonaventura, Mastrius *disp.* 21. *Th. Moral. n.* 157. & communior, atque probabilior Doctorum; licet non pauci oppositum teneant, etiam Scotistæ, eo quod Doctor 4. *dist.* 17. *q.* de *secundo*, libertatem suis reliquerit, hanc vel illam sententiam tuendi. Probatur autem data responsio, quia non est imponenda ejusmodi obligatio, nisi constet de tali præcepto: quinimo in dubiis melior est conditio possidentis; simulque *in odiosis omnium est sequendum*, juxta Reg. 30. *Juris in* 6. cum concordantiis. Deinde tale præceptum, talisque obligatio nullibi reperitur: quinimo Concilium Tridentinum satis clare oppositum indicat, *sess.* 14. *c.* 5. & *can.* 7. ubi exacte tradens doctrinam de obligatione confitendi, solummodo meminit ob-

obligationis confitendi *omnia & singula peccata mortalia, & circumstantias, quæ speciem peccati mutant*; ergo neque a nobis asserenda est obligatio confitendi circumstantias speciem peccati duntaxat aggravantes. Et hoc eo magis, quia idem Concilium *cit. c. 5.* expresse subjungit, *nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi.*

50. Dices: Juxta Concilium Tridentinum *cit. cap. 5.* talis requiritur confessio, ut Sacerdotes de gravitate peccatorum recte valeant judicare, & proportionatas pœnitentias injungere: atqui ad hoc necessario exigitur confessio circumstantiarum notabiliter aggravantium; nam aliud judicium est de gravitate mille florenorum, quam decem, maiorque pœnitentia pro illo furto injungenda, quam pro hoc; ergo. Resp. negando minorem, cum sat probatione; nam sufficit, ut Confessarius judicet de gravitate culpæ secundum speciem suam moralem, sicque proportionatam pœnitentiam injungat; nec opus est, ut judicet de quantitate seu intensione culpæ intra eandem speciem moris. Sive (ut alii loquuntur) sufficit ad Judicium Sacramentale, quod Judex sit informatus quoad omnia substantialia, inter quæ sunt circumstantiæ speciem mutantes; licet non quoad omnia accidentalia, qualia sunt circumstantiæ solum aggravantes. Nec urget, quod unicum furtum mille florenorum æquivaleat centum furtis decem florenorum. Resp. enim, id verum esse in genere entis, seu physico, non autem in genere moris: nam ex centum est, quod in priori casu unicum numero peccatum, in altero autem centum committantur.

51. Neque aliud vult Concilium Tridentinum *loc. cit.* nam sic ait, *Constat enim, Sacerdotes judicium hoc incognitæ causæ exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie, & singillatim, sua ipsi persona declarassent.* Hæc Concilium, inde inferens, *a pœnitentibus omnia peccata mortalia, & præterea etiam hæc circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant.* Unde, quia altum silet Concilium Oecumenicum de circumstantiis duntaxat aggravantibus, simulque noti juris sit, quod *exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, arg. L. Quæsitum §. denique ff. de Fundo instructo* concordantis: sequitur, per se loquendo, nullam esse obligationem confitendi circumstantias duntaxat aggravantes.

52. Additur *per se loquendo*. Nam per accidens contingere potest, quod quis obligetur confiteri circumstantias aggravantes: ut si certæ v. gr. quinquies furti sit annexa reservatio, vel excommunicatio: nam de ea tunc debet constare Confessario, ne absque jurisdictione absolvat. Simile quid accidere potest propter annexam obligationem restituendi, cujus modum pœnitens petit sibi indicari a Confessario. Quod si hoc necesse non sit, poterit Confessarius absolute dicere pœnitenti: *Restitue, quod absolvisti.*

53. Insuper, quamvis non detur per se obligatio confitendi consuetudinem peccandi, nihilominus ea per accidens dari potest. Sic fit, quando Confessarius, ut rectum judicium formare valeat de dispositione pœnitentis, & intelligere, an is non sit constitutus in occasione proxima peccandi, vel ipsa consuetudo non sit novum peccatum propter aliquam specialem rationem &c. interrogat pœnitentem circa hanc peccandi consuetudinem, prout explicat, & notat Joannes Cardenas *in Crisi Theologica cap. 2. ad Propositionem 58. Innocentii XI.* ubi Pontifex hanc, ordine 58. damnavit: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Etsi enim consuetudo peccandi, post priora peccata rite confessa, sit circumstantia duntaxat aggravans, & sic per se loquendo non necessario confitenda: tamen per accidens, ob rationes prædictas, tenetur pœnitens eam aperire Confessario interroganti.

54. Quæritur II. Utrum peccata dubia sint necessario confitenda? Resp. Probabilius est, & in praxi communiter tenendum, quod peccata dubia sint confitenda, sub dubio tamen. Ita Herincx *disp. 3. de Confess. quæst. 4.* & communior Doctorum, quamvis non desint oppositum tenentes. Ratio est; quia oportet peccata explicare, prout sunt in conscientia pœnitentis; ergo, sicuti peccata certa sunt sub certitudine explicanda, ita peccata dubia sub dubio. Idipsum suadet communis praxis, & sensus Fidelium, per quem sufficienter manifestatur nobis voluntas Christi, obligantis ad Confessionem talium peccatorum.

55. Accedit alia ratio: quia prælens Quæstio, ejusque Resolutio, procedit de dubio propeie dicto, adeo ut quis pro neutra parte habeat judicium probabile, sed remaneat omnino suspensus, non determinando in alterutram partem, an peccaverit, nec ne, vel an tale peccatum fuerit confessus, nec ne,

ne, quod vocant *Dubium negativum.*(g) Nam passim fatentur Doctores, secus esse dicendum de inani scrupulo, ut puta ex frivolis duntaxat rationibus ortum habente: item & de casu illo, quo quis probabiliter uni parti determinate adhæret, ut puta se non fecisse hoc peccatum, vel illud jam confessum esse, quamvis remaneat aliqua formido de oppolito; quia tunc licebit sequi sententiam probabilem, imo etiam practice deponere Dubium positivum si quod subortum fuit. Atqui stante dubio proprie dicto, seu negativo, si quis non confiteatur sub dubio peccatum, de quo dubitat, operatur cum conscientia practice dubia, atque exponit se periculo faciendi Confessionem sacrilegam, & non integram; ergo hoc ipso peccat.

56. Nec obstat illud commune dictum; *In dubio melior est conditio possidentis.* Resp. enim in dato casu possessionem stare pro obligatione legis de facienda Confessione. Nam certum est, omnia peccata mortalia, quorum conscientiam pœnitens habet, Jure Divino esse necessario confitenda: quod autem ab hac generali obligatione Legis Divinæ sit excepta peccatum mortale dubium, necdum certo constat (imo praxis, & consuetudo piorum Fidelium oppositum habet: simulque *Consuetudo est optima Legum interpres, cap. Cum dilectus de Consuet.*) & consequenter possessio stat pro obligatione Legis Divinæ, ac proinde allata instantia urget in oppositum.

57. Quæritur III. An quando peccatum non potest rite explicari in Confessione sine manifestatione Complicis, possit, & debeat pœnitens tale peccatum confiteri, non obstante, quod Confessarius veniat in cognitionem Complicis? Resp. Probabilius esse, quod possit, ac debeat; dummodo non possit alius Confessarius adiri, simulque Complici præter solam notitiam Confessarii, nullum aliud damnum eveniat. Ita D. Bonaventura *4. d. 21. part. 2. art. 1. q. 3.* Mastrius *disp. 21. Theol. Mor. num. 185.* Sannig *disp. 10 de Confessione, quæst. 6. num. 11.* Suarez, Layman, & communior aliorum. Ratio est: tum quia pœnitens utitur jure suo; & Complex, si quod dispendium famæ apud Confessarium incurrit, sibi ipsi imputet, eo quod libere fuerit socius talis criminis, quod sine ejus manifestatione coram Confessario explicari nequit. Nam ut habet *Reg. 86. Juris in 6. Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non alii imputare.* Tum quia ex una parte Confessarius cognoscit peccatum Complicis sub Sigillo Confessionis duntaxat, ac proinde non datur vera ratio infamiæ, parumque vel nihil læditur fama Proximi, seu Complicis: ex altera vero parte urget præceptum Divinum integritatis Confessionis.

58. Fatendum tamen, quod oppositam etiam sententiam nonnulli Doctores sequantur; ut Diana *part. 1. tract. 7. resolut. 49.* Navarrus *cap. 7. Manuel. n. 3.* & alii ab ipsis citati: quia (inquiunt) præceptum non infamandi alterum, fortius est præcepto integrandi Confessionem. Sed hæc ratio non convincit: nam in multis casibus ex justa causa licet peccatum Proximi manifestare (h) etiam in Foro externo; cur igitur id non licebit in Foro Sacramenti Pœnitentiæ, ad servandam integritatem Confessionis? Et hinc prior Sententia merito censetur probabilior, estque communior.

59. Dicitur notanter num. 57. *dummodo non possit alius Confessarius adiri.* Nam si id potest, tenetur pœnitens alium confessarium adire, ne sine causa profitiuat bonam famam, atque existimationem complicis apud confessarium. Lugo *disp. 16. de pœn. nu. 391. & seqq.* cum aliis. Et ob eandem caulam, si confessarius animadvertat, pœnitentem paratum esse ad nominandum complicem circa ea peccata, quæ sine complicis agnitione intelligi possunt, debet ipsum modeste prohibere; quia etiam, si ad particularem personam descendat, increpare: ac multo minus ipsemet confessarius curiose inquirat de persona complicis, uti notat D. Bonaventura *cit. q. 3.* & alii passim.

60. Quæritur IV. Quænam diligentia adhibenda sit in examine conscientiæ faciendo? Resp. 1. Certum est, quod pœnitens debeat prius se diligenter examinare, antequam Sacramentalem confessionem peragat. Patet ex iæpe cit. Concilio Trident. *sess. 14. can. 7.* ubi definit, *omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habetur, esse confitenda.*

61. Resp. II. Talis diligentia in faciendo ante confessionem examine conscientiæ adhibenda est, qualis communiter inter homines adhiberi solet in re seria, & quæ multum cordi est. Ita Scotus *dist. 17. q. un. §. de secundo,* Marchantius *tom. 1. Tribunalis, tract. 4. tit. 6. q. 3.* Sannig *q. 5. num. 11.* & alii. Ratio est: quia, ut loquitur Concilium Trident. *loc. cit.* sufficit *diligens præmeditatio*; ac proinde non requiritur strictissima

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIGITAL DE NUEVO LEÓN

sima & exactissima discussio, sed sufficit diligentia moralis, sive humano modo facta, qualem scilicet viri prudentes in arduis negotiis communiter adhibere solent.

62. Resp. III. Certum est hanc diligentiam non requiri eandem in omnibus. Ratio est clara: quia in hoc attendendus est status pœnitentis, ac tempus, quod a præterita confessione effluxit. Minus enim diligentiæ requiritur in homine DEUM timente, & qui frequenter, v. g. singulis hebdomadibus confitetur, quam in alio, qui omnibus peccandi occasionibus exponitur, & ad plures menses, aut etiam integrum annum, confessionem distulit: unde moraliter hæc res est dijudicanda.

63. Resp. IV. Licet Rustici quandoque inveniantur negligenter examinati, ipsi tamen communiter non sunt dimittendi, ut se magis examinent, ac postea redeant ad confessionem. Ita Lugo *disp. 22. de pœnit sect. 2. n. 20.* Vasquez, & alii. Ratio est: quia de iis præsumitur, licet millies se examinent, non fore magis aptos, quam si abipso Confessario breviter interrogentur, ac suaviter examinentur. Quando igitur confessarius cognoscit talem defectum examinis in hominibus rudioribus, expedit, ut sua industria ipsos adjuvet, suisque interrogationibus eorum suppleat defectum.

QUÆSTIO IV.

An absolvendus sit Moribundus, qui amplius confiteri non potest?

SUMMARIUM.

64 *Qui plura confiteri nequit, absolvendus est unico peccato expresso.*
65 *Aut si coram Sacerdote det signa doloris, ac petitæ Confessionis.*
66 *Imo & si dedit talia signa absente Confessario.*
67 *Sufficit testis unicus de talibus signis.*
68 *Ordinatio Ritualis Romani circa absolutionem moribundi, valde notanda.*
69 *Difficultas præcipua de pio Christiano, ac subita omnibus sensibus deficiente.*
70 *Potest talis in articulo mortis absolvi sub conditione.*
Probatur hoc authoritate Doctorum.
71 *Eadem sententia probatur ratione.*
72 *Objectio communis contra dicta.*
(1) Ut dictum Dist. 6. n. 10. & 11.
73 *Ejusque solutio.*
74 *Declaratur sententia, asserens, quod in casu tanta necessitatis vita Christiani &c. videatur sufficiens Confessio.*
75 *Salvitur instantia contra hanc sententiam allata.*
(k) Dist. 6. n. 60.
76 *Alia Sententia, tunc ex signis exterioribus pie præsumens Confessionem sensibilem.*

64. CONCL. I. Certum est, quod possit, ac debeat absolvi infirmus, qui unum saltem peccatum confessus est, si præ infirmitate plura exprimere non valeat. Ratio est clara; quia talis jam facit Confessionem formaliter integram, etsi non materialem; ad hanc enim in tali casu impotentiæ non tenetur, ut patet ex dictis *n. 36. 38. & seqq.* Et ob eandem rationem, atque juxta Rituale Romanum *n. 68.* allegandum, etiamsi pœnitens moribundus nullum peccatum in particulari confiteatur, sed solum dicat in genere, se peccasse, potest is absolvi, dummodo præ infirmitate nullum in particulari amplius explicare valeat.

65. CONCL. II. Certum insuper est, quod etiam ille moribundus absolvi possit, ac debeat, qui ob amissam præ infirmitate loquelam nullum amplius peccatum in specie, neque etiam in genere confiteri potest, exhibet tamen coram Sacerdote certa signa doloris, ac petitæ confessionis. Ratio est: quia talis confitetur modo, quo potest melior. Accedit Rituale Romanum, de quo infra *n. 68.*

66. CONCL. III. Etiam ille, qui absente confessario petivit confessionem, ac ostendit signa pœnitentiæ, de quibus, qui viderunt, testimonium perhibent, potest, ac debet absolvi a Sacerdote superveniente; quamvis in præsentia Sacerdotis jam sit defectuosus sensibus, & nullum amplius signum exhibeat. Ita rursum communis Doctorum, propter rationes proxime allatas.

67. Porro notat Diana *part. 3. tract. 3. resolut. 5.* post Reginaldum *tom. 1. l. 8. c. 3. n. 8.* & alios Doctores, quod in tali casu sufficiat unicus testis, qui testatur de petita per moribundum confessione. Idque jure asseritur; nam & alioquin unitestis plene creditur, quando non agitur de alterius præjudicio; uti tradit Glossa *c. Super Vers. Nisi juratus, de Testibus* arg. *c. Parvulos & c. Cum itaque de consuet. dist. 4.* ubi per unum testem plene probatur, quod quis sit baptizatus.

68. CONCL. IV. Generaliter quoad præsin in hujusmodi casibus erit rite observanda ordinatio Ritualis Romani, authoritate Pauli Papæ V. editi, quod agendo de Ritibus Sacramenti Pœnitentiæ, sic ordinavit: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & signis conetur Sacerdos, quatenus ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Hactenus Rituale Romanum. Ubi by *absolvendus est*, intelligendum est de absolutione Sacramentali absolute impertienda, & non tantum sub conditione: nisi forte de aliquo prædictorum signorum certo non constet, sed dubium sit; tunc enim debebit dari absolutio solum sub conditione. Et hæc quidem sunt certa, & communiter inter Doctores recepta.

69. Major difficultas est de illo moribundo, qui subito in phrenesin lethalem lapsus, vel apoplexia tactus est, aut alio casu improviso ita subitanee omnium sensuum usu destituitur, ut nullum omnino certum signum doloris, aut petitæ confessionis dederit ante adventum confessarii, neque in ejus præsentia ob vim morbi tale signum exhibeat, aut exhibere possit; interim tamen constat, cum prius Christiane vixisse, Sacramenta frequentasse, ac probum, fidelemque fuisse existimatum: Major, inquam, est difficultas, utrum talis in ejusmodi casu sit absolvendus, saltem sub conditione; *Si capax es absolutionis, ego te absolvo &c.* Pro cujus resolutione, salvo semper meliori, ac præsertim sanctæ Romanæ Ecclesiæ judicio, sit

70. CONCL. V. In ejusmodi casu is, qui prius Christiane & pie vixit, etiam nullo dato tali expresso signo, quod ad experimendum dolorem de peccatis communiter adhiberi solet (si tale ob vim morbi amplius dare nequeat) potest probabiliter, tam practice quam speculative absolvi sub conditione. Ita ex Ordine Franciscano Theologi fatis communiter, ut Petrus Marchantius *tom. 1. Tribunalis tr. 4. tit. 4. quæst. 3. dub. 2.* Hermnex *disp. 3. de Confess. n. 77.* qui in secunda Editione ad finem IV. Partis, post Indicem, in speciali additione subjungit, quod, ut hoc observetur in praxi, injungatur omnibus Parochis in prima admissione ad Curam animarum a Consistorio Ecclesiastici Moguntini Assessoribus Theologis. Item Poncius *disp. 46. q. 4. num. 95.* Joannes Bosco *de Pœnit. disp. 7. sect. 9. Concl. 6. nn. 150.* Basæus *vers. Absolutio n. 14.* plures tum ex nostro Ordine, tum alios pro se allegantes. Eandem sententiam tenet expresse Barbosa *in Collectaneis ad Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 3. de Sacramento Pœnit. num. 2.* citans pro hac sententia Vivaldum, Antonium de Litteratis, Homobonum de Bonis, Molfesium, Carolum de Baucio, Bartholom. de S. Fausto. Eandem sententiam probabilem censet Diana *part. 3. tr. 3. resolut. 8.* atque præter plures supra jam relatos Authores citat pro hac sententia Gregorium XV. in suo Memoriali Confessariorum, quod edidit, quando adhuc erat Archiepiscopus Bononiensis; atque etiam Sacerdotale Romanum *pag. 624.* dicens: *Posse absolvi moribundum assuetum frequentare Confessionem, quamvis repentino casu oppressus Sacramentum non petierit.* Et hæ authoritates ideo fusius adducuntur, ne videatur hæc sententia destitui probabilitate sua extrinseca, ex tam multorum doctissimorum Virorum authoritate desumpta: quæ cum tanta sit, rationibus mox asserendis probe stabilita, non mirum est, quod ista sententia communis in praxi observetur.

71. Probatur nunc eadem sententia ratione. Quia in primis probabiliter videtur adesse in dicto casu Confessio sufficiens, qualis nempe hic & nunc fieri potest; prout patebit ex solutione objectionum. Deinde nihil mali sit in conferenda tali absolutione conditionata (eo enim ipso, quod apponatur conditio, *Si capax es, ego te absolvo &c.* jam præcavetur omnis injuria Sacramenti, omneque periculum Sacrilegii evitatur) e contra vero spes subest, quod si non semper, saltem aliquando possit talis absolutio conditionata prodesse moribundo, eidemque interius duntaxat attrito, vi Sacramenti Pœnitentiæ cum perpetuo, atque in omnem æternitatem duraturo emolumento, gratiam sanctificantem conferre, vel augere; ergo nihil obstat, quo minus ejusmodi homo possit absolvi saltem sub conditione. Confirmatur: Sacramentum Baptismi in casu extremæ necessitatis potest, imo & debet conferri in materia dubia, vel etiam in parte dubia, ut puta in digito, manu &c. si infans moriturus nondum plene natus est; ergo ob paritatem rationis, idem dicendum videtur de absolutione Sacramentali sub conditione impertienda in casu memorato:

cum sit dubium inter Theologos, an non possit impertiri, imo & pars affirmativa sit multum probabilis.

72. Objicies autem communem difficultatem contra positam sententiam. Sacramentum Pœnitentiæ necessario prærequirit confessionem sensibilem, utpote quæ est pars ipsius: (1) ergo ubi nulla est confessio sensibilis, ibi nullum potest dari Sacramentum Pœnitentiæ, per consequens neque absolutio Sacramentalis: atqui in dato casu nulla omnino adest confessio sensibilis, neque per verba, neque per signa aut nutus, uti supponitur: ergo. Confirmatur: quia Sacramentum Pœnitentiæ ex Christi institutione est judicium sensibile, ergo ad ipsum necessario requiritur accusatio sensibilis: atqui in casu posito nulla intervenit accusatio sensibilis, cum juxta hypothesin moribundus nec dare possit, neque antea dederit signum petitæ confessionis: ergo. Hæc est instantia principalis oppositæ sententiæ.

73. Respondetur ad hanc difficultatem, atque utrumque argumentum, negando subsumptum, vel istud distinguendo. Licet enim in casu posito, & juxta hypothesin, non interveniat confessio sensibilis certa, seu verbis expressis, aut aliis signis claris & indubitatis facta; interveniunt tamen talia signa sensibilia, quæ probabiliter sunt confessio aliqua sensibilis, & pro casibus istius extremæ necessitatis probabiliter sufficiens pro obtinenda absolutione: quamvis, quia ejusmodi signa non sunt omnino certa, sicque non adest clara confessio, absolutio illa solum sub conditione danda sit, non autem absolute. Cæterum duplici præsertim modo contingit Authores ostendere, in ejusmodi casu intervenire, saltem probabiliter, aliquam confessionem sensibilem.

74. Primus modus dicendi, est non paucorum Authorum hujus sententiæ, asserentium, quod vita Christiana, atque Catholica, hactenus probe & publice peracta, in hujusmodi casu, ac extrema necessitate talis Moribundi, sit sufficiens sui accusatio (cum alia major fieri nequeat) adeoque ex hoc capite possit absolvi Moribundus. Hanc suam opinionem ita declarant: quia illa, qui petit confessionem, vel saltem dedit signa petitæ confessionis, potest in mortis articulo absolvi: sed homo Christianus & Catholice vivens, hoc ipso petit, deditque signa confessionis pro mortis articulo petitæ; ergo. Minorem probant: tum quia pro decursum totius vitæ Christianæ sæpius, ac præsertim frequentando Sacramenta Ecclesiæ, vel faciendo consuetum examen conscientiæ, imo & devote orando *Pater noster*, vel *Ave Maria*, per ly *dimitte nobis debita nostra*, vel *Ora pro nobis peccatoribus &c.* fatentur se peccatores, petuntque omnia pro felici hora mortis necessaria, aut opportuna: atqui inter hæc est etiam confessio, & absolutio Sacramentalis in mortis articulo obtinenda; ergo.

75. Nec obstat, quod talia non semper expliciter referant homines pro absolutione Sacramentali in mortis articulo recipienda. Resp. enim, ex parte recipientis Sacramentum sufficere etiam intentionem habitualem: atque insuper, quod dolor ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitus, possit aliquo tempore præcedere confessionem, ipsamque absolutionem, jam superius (k) dictum est. Quod si urgeas, ex hoc sequi, quod homo Christiane vivens etiam alias, v.g. in somno, possit absolvi; respond. negando sequelam: quia extra casum impotentiæ requiritur vera & integra confessio; quamvis secus sit in casu impotentiæ, & quidem extremæ, de quali nunc termo est.

76. Alter modus respondendi ad supra dictam difficultatem est Marchantii *locis.* & aliorum multorum, qui licet nolint absolute concedere, vitam Christianam esse sufficientem sui accusationem ad obtinendam absolutionem Sacramentalem in tali casu impotentiæ, & mortis articulo: addunt tamen, eandem esse sufficiens fundamentum ad prudenter præsumendum, quod hic & nunc adsit signum aliquod sensibile, quo Moribundus conetur petere confessionem, & absolutionem Sacramentalem, eamque actu petat, ut puta per suspiria, gemitus, aspirationes, oculorum ictus &c. Etsi enim talia ordinarie sint signa naturæ patientis, ac doloris corporalis; nihil tamen obstat, quo minus ea ab homine moribundo singulariter a DEO illuminato, & interius contrito, atque confiteri cupiente, neque ob destitutionem usus omnium sensuum externorum valente aliud signum desideratæ confessionis dare, præter unum, aut alterum ex supradictis actibus, quandoque ordinentur ut signa ad petendam confessionem, & absolutionem Sacramentalem. Cum igitur hoc fieri possit, & probabiliter quandoque fiat (prout sibimetipsi accidisse, citatus Marchantius testatur) potuerit sub conditione talis homo moribundus absolvi, eo quod ob vitam antea pie & Christiane peractam præsumi, ac sperari possit, etiam ipsum per talia signa hic & nunc petere confiteri, & sacramentaliter absolvi, cum alio meliori modo amplius nequeat confiteri, aut suum internum desiderium confitendi explicare.

DISTINCTIO VIII.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

Quis sit Minister Sacramenti Pœnitentiæ, & quomodo indigeat Jurisdictione?

SUMMARIUM.

1 *Solus Sacerdos est Minister Sacramenti Pœnitentiæ.*
2 *Is debet habere legitimam Jurisdictionem.*
3 *Sacerdos in sua Ordinatione accipit potestatem Ordinis, non jurisdictionis.*
4 *Accipit tunc potestatem in Corpus Christi verum, & mysticum, &c.*
5 *Differentia inter potestatem conferendi, & absolvendi.*
6 *Potestas absolvendi declaratur apto exemplo.*
7 *Hæc præsupponit potestatem conferendi.*
8 *Jurisdictio, sive Potestas jurisdictionis, quid?*
9 *Jurisdictio ordinaria.*
10 *Et delegata, quæ?*
11 *An quilibet Sacerdos possit absolvere a venialibus?*
12 *Cautelæ circa hoc.*
(a) De hoc vide Tract. 10. Dist. 3. n. 50. & 55.
13 *In mortis articulo absolvit quilibet Sacerdos.*
(b) Tr. 4. Dist. 4. n. 33.
14 *Ad Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ requiritur legitima approbatio.*
15 *Regulares exempti, a quo accipiant jurisdictionem?*

1. CONCL. I. Solus Sacerdos est legitimus Sacramenti Pœnitentiæ Minister. Ita omnes Catholici; estque definitum in pluribus Conciliis, atque novissime in Trid. *Sess. 14. cap. 6. & can.* 10. Idque patet ex illo *Joan.* 20. ubi Christus solis Apostolis, jam antea in ultima Cœna in Sacerdotes ordinatis, postquam a mortuis resurrexerat, dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

2. CONCL. II. Quamvis solus Sacerdos sit legitimus Sacramenti Pœnitentiæ minister, non tamen quicunque Sacerdos est talis, sed solum ille, qui præter potestatem Ordinis habet etiam potestatem jurisdictionis, id est, legitimam Jurisdictionem, vel ordinariam, vel saltem delegatam. Ita omnes Catholici; ac patet tum ex perpetua traditione ac sensu Ecclesiæ, tum ex citato Concilio Trident. *cap. 7.* ubi ait: *Persuasum semper in Ecclesia DEI fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Accedit ratio: quia absolutio est actus judicialis; ergo ex parte Sacerdotis requirit jurisdictionem in subditos: nam sententia a non suo Judice lata, nulla est.

3. CONCL. III. Sacerdotibus in sua Ordinatione solum confertur potestas Ordinis, nondum vero potestas Jurisdictionis. Ita ex professo Herincx *disp. 5. de pœnit. numer.* 11. cum communi. Ratio est: quia, licet Sacerdos in sua Ordinatione accipiat potestatem remittendi peccata (quæ dicitur *potestas Ordinis*) nondum tamen acquirit aliquos subditos; neque Jurisdictionem ad ipsos sacramentaliter absolvendos. Cæterum, ut hæc, simulque præcedens Conclusio, melius intelligatur,

4. Notandum I. Quod Sacerdos in sua Ordinatione duplicem accipiat potestatem, unam in Corpus Christi verum, id est, potestatem conferendi, & conficiendi verum Corpus & Sanguinem Christi in Tremendo Missæ Sacrificio: alteram in Corpus Christi mysticum, id est, potestatem ab-

solvendi Fideles pœnitentes, qui sunt de Corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, cujus ipse caput est: juxta illud *Coloss. 1. Et ipse* (Christus) *caput est corporis Ecclesiæ*. Et infra *vers. 24. Pro corpore ejus* (Christi) *quod est Ecclesia*.

5. Notandum II. Quod inter hanc duplicem potestatem multiplex intercedat discrimen. Siquidem potestas consecrandi est proxima, & omnino impedibilis, quæ proinde a Sacerdote semel rite ordinato amplius auferri, aut per Ecclesiam impediri non potest: unde licet Sacerdos sit suspensus, excommunicatus, imo etiam degradatus, si consecrare præsumat, valide, etsi illicite consecrabit. E contra vero potestas absolvendi, in Ordinatione Sacerdoti collata, est impedibilis, ac remota solum: remota quidem, eo quod insuper ad validam ejus executionem requiratur jurisdictio legitima: impedibilis vero, per subtractionem cujuslibet jurisdictionis, qua subtracta, vel saltem non collata per Prælatos Ecclesiæ, si Sacerdos attentaret absolvere, non solum illicite, sed & invalide absolveret.

6. Declarari solet illud per simile in Doctore Juris, qui licet in sui creatione, qua Doctor Juris declaratur, accipiat potestatem, ut ubique locorum possit Judicium exercere respectu sibi subditorum; non tamen mox a sui gradatione potest in quoslibet Judicium exercere, sed postea primum, quando alicubi vel ex officio, vel ex delegatione Superioris, quosdam acquirit subditos, respectu quorum deinceps Judicium exercere valebit. Ita in simili (servata tamen proportione) de Sacerdote jam ordinato quod potestatem exercendi Judicium Sacramentale in Sacramento Pœnitentiæ, & absolvendi peccatores confitentes, est discurrendum. Fagnanus *in cap. Omnis n. 84. de Pœnit. & remiss.* sub aliis terminis tradit hanc doctrinam, dicendo, quod Presbyteris in sua Ordinatione detur potestas Clavium in habitu tantum, non autem in actu, seu quantum ad usum: in institutione vero, seu collatione Beneficii curati, tribuatur executio illius potestatis.

7. Est & alia differentia inter potestatem consecrandi, & potestatem absolvendi Sacerdotibus concessam: Siquidem hæc posterior necessario præsupponit illam priorem. Unde Christus Dominus, qui Apostolis in ultima Cœna dedit potestatem consecrandi Corpus & Sanguinem suum, eisdem primum post suam Gloriosam Resurrectionem contulit potestatem absolvendi, *Joc. 20.* dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Hinc etiam per Episcopum in Ordinatione Sacerdotum, confert eisdem solet potestas consecranda circa Offertorium Missæ, videlicet ante lectum Evangelium; potestas vero absolvendi primum peracta Communione. Hujus autem ratio alia non est, nisi voluntas ac institutio Christi Domini, qui voluit, neminem posse conscientias nostras in Sacramento Pœnitentiæ judicare, qui non posset prius suam Sacratissimum Corpus & Sanguinem conficere: ut eo libentius conscientias nostras tali subjiceremus, cui ipsemet Christus sese subjecit confecrandum, & manibus tractandum.

8. Notandum III. Quod *Jurisdictio*, quantum ad propositum, aliud non sit, quam auctoritas quædam superioritatis supra alios in Foro conscientiæ judicandos. Porro hujusmodi Jurisdictio (quæ & *Potestas jurisdictionis* dicitur) duplex est, ordinaria scilicet, & delegata.

9. *Jurisdictio ordinaria* ea est, quæ alicui competit ex proprio officio, seu munere suo, id est, qua quis ex vi proprii officii (utpote cui annexa est cura animarum) habet subditos, quos in Foro conscientiæ judicare potest. Et talem habet Parochus in sua Parochia, Episcopus respectu Diœcesanorum, Abbas respectu suorum Monachorum, Generalis cujusdam Ordinis respectu totius Ordinis, & Papa respectu totius Orbis.

10. *Jurisdictio delegata* est, quæ habetur ex commissione alterius habentis ordinariam; id est, quam quis absque collatione alicujus Beneficii curam animarum habentis, accipit ab habente jurisdictionem ordinariam. Et talem habent Religiosi nullum habentes Beneficium curatum, sed tamen legitime approbati pro Confessionibus excipiendis respectu Sæcularium, & alii hujusmodi. Et ex his patet sensus secundæ, & tertiæ Conclusionis.

11. CONCL. IV. Sacerdotibus in sua Ordinatione confertur sufficiens jurisdictio absolvendi quemlibet a solis peccatis veniabilibus. Ita communior Theologorum. Ratio est: quia peccata venialia sunt materia libera Confessionis: ergo frustra reservarentur, & consequenter omnis Sacerdos poterit ab ipsis absolvere.

12. Notandum tamen, quod extra casum necessitatis non facile Sacerdos necdum expositus debeat se immiscere audiendis Con-

fessionibus venialium; idque ob plurima incommoda, quæ inde facile possent oriri. Et hinc non immerito Innocentius XI. in Decreto, circa Communionem quotidianam, edito 12. Februarii 1679. (a) monet Episcopos & Parochos, quod *non permittant, ut venialium Confessio sine simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, audiatur Ordinario*.

13. CONCL. V. In mortis articulo potest quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, imo & excommunicatus, degradatus, hæreticus, absolvere ab omnibus Censuris, & peccatis. Ita expresse Concil. Trid. *Sess. 14. c. 7.* ubi ait: *Verumtamen pie admodum, ne aliquis pereat, in Ecclesia DEI constituit semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes, qualibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & Censuris absolvere possunt*. Ex quibus verbis tam amplis docet unanimis Doctorum, quod simplex etiam Sacerdos, quamvis sit degradatus, excommunicatus, irregularis, vel apostata, possit absolvere, si non adsit Confessarius approbatus, proprius Parochus, aut Episcopus. Num autem hoc præsente possit absolvere simplex Sacerdos, jam alibi (b) dictum fuit.

14. CONCL. VI. Ut Minister Sacramenti Pœnitentiæ, sive Confessarius, illud valide administret, necessario requiritur etiam legitima approbatio ipsius. Ita communis. Hinc vitandæ sequentes duæ Propositiones ab Alexandro VII. damnatæ, quarum una, ordine 16. sic habet: *Qui benescium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium sæcularem Sacerdotem non approbatum ab ordinario*. Altera, ordine 13. taliter sonat: *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato*. Et merito utraque Propositio damnata fuit; nam secluso approbatione Episcopi, neque simplex ille Sacerdos ab eodem recipit jurisdictionem delegatam absolvendi (ordinariam enim eo ipso non habet, quod careat Beneficio curato) neque hanc accipiunt Regulares a Summo Pontifice.

15. Et notanter hoc ultimum additur: nam Regulares exempti jurisdictionem absolvendi sæculares non accipiunt ab Episcopo approbante, sed supposita approbatione Episcopi loci, accedente consensu superioris Regularis, ea ratione intelligitur ipsis concessa a Sede Apostolica; prout delumitur ex *Clem. Dudum §. Statuimus de Sepult.* Atque a S. Congregatione Concilii declaratum fuisse, refert Fagnanus *in c. Omnis n. 79. de Pœnit. & remiss.* Accedit ratio, quam affert Layman *lib. 4. tract. 6. c. 10. n. 19.* quia Episcopus loci tam amplam jurisdictionem audiendi Confessiones omnium Fidelium undecunque venientium, coliquæ a Censuris etiam Papæ reservatis (extra casus Bullæ Cœnæ Domini) absolvendi, dare non potest: sed eam Confessarii Ordinum Mendicantium immediate recipiunt a Summo Pontifice, cum dependentia tamen a consensu sui prælati, & approbatione Episcopi.

QUÆSTIO II.

De Probitate, Scientia, & Prudentia Confessarii.

SUMMARIUM.

16 *Ratio Ordinis.*
17 *In Confessario requiritur probitas, scientia, & prudentia.*
18 *Confessarius debet esse Judex, Medicus, & Doctor.*
19 *Probitas, qua in ipso requiratur?*
(c) De hoc Tr. 14. Disl. 1. n. 43. 44. & 47.
20 *Quomodo peccet administrans hoc Sacramentum in mortali?*
21 *Scientia in Confessario, qualis requiratur?*
22 *Scientia eminens, & Scientia mediocris, qua?*
23 *Quid, si Sacerdos sit dubius de sua sufficientia?*
24 *Generatim, qua Scientia debeat poliere Confessarius?*
25 *An is teneatur judicare de gravitate peccatorum in individuo?*
(e) Ut dictum Tr. 3. Quæst. 2. per totum.
26 *Quid, si it error in judicando? Doctrina practica.*
(f) Ut amplius n. 34. & seqq. dicetur.
27 *Prudentia Confessario necessaria.*
28 *Ea generatim, debet exerceri circa propriam personam.*
29 *Circa personas alantes.*
30 *Et circa pœnitentes, quomodo?*

16. Postquam de his dictum est, quæ requiruntur ad Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ, ut valide illud administret; merito præsens quæstio una cum sequentibus tractat de his, quæ requiruntur ad dignam,

solvendi Fideles pœnitentes, qui sunt de Corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, cujus ipse caput est: juxta illud *Coloss. 1. Et ipse* (Christus) *caput est corporis Ecclesiæ*. Et infra *vers. 24. Pro corpore ejus* (Christi) *quod est Ecclesia*.

5. Notandum II. Quod inter hanc duplicem potestatem multiplex intercedat discrimen. Siquidem potestas consecrandi est proxima, & omnino impedibilis, quæ proinde a Sacerdote semel rite ordinato amplius auferri, aut per Ecclesiam impediri non potest: unde licet Sacerdos sit suspensus, excommunicatus, imo etiam degradatus, si consecrare præsumat, valide, etsi illicite consecrabit. E contra vero potestas absolvendi, in Ordinatione Sacerdoti collata, est impedibilis, ac remota solum: remota quidem, eo quod insuper ad validam ejus executionem requiratur jurisdictio legitima: impedibilis vero, per subtractionem cujuslibet jurisdictionis, qua subtracta, vel saltem non collata per Prælatos Ecclesiæ, si Sacerdos attentaret absolvere, non solum illicite, sed & invalide absolveret.

6. Declarari solet illud per simile in Doctore Juris, qui licet in sui creatione, qua Doctor Juris declaratur, accipiat potestatem, ut ubique locorum possit Judicium exercere respectu sibi subditorum; non tamen mox a sui gradatione potest in quoslibet Judicium exercere, sed postea primum, quando alicubi vel ex officio, vel ex delegatione Superioris, quosdam acquirit subditos, respectu quorum deinceps Judicium exercere valebit. Ita in simili (servata tamen proportione) de Sacerdote jam ordinato quod potestatem exercendi Judicium Sacramentale in Sacramento Pœnitentiæ, & absolvendi peccatores confitentes, est discurrendum. Fagnanus *in cap. Omnis n. 84. de Pœnit. & remiss.* sub aliis terminis tradit hanc doctrinam, dicendo, quod Presbyteris in sua Ordinatione detur potestas Clavium in habitu tantum, non autem in actu, seu quantum ad usum: in institutione vero, seu collatione Beneficii curati, tribuatur executio illius potestatis.

7. Est & alia differentia inter potestatem consecrandi, & potestatem absolvendi Sacerdotibus concessam: Siquidem hæc posterior necessario præsupponit illam priorem. Unde Christus Dominus, qui Apostolis in ultima Cœna dedit potestatem consecrandi Corpus & Sanguinem suum, eisdem primum post suam Gloriosam Resurrectionem contulit potestatem absolvendi, *Joc. 20.* dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Hinc etiam per Episcopum in Ordinatione Sacerdotum, confert eisdem solet potestas consecranda circa Offertorium Missæ, videlicet ante lectum Evangelium; potestas vero absolvendi primum peracta Communione. Hujus autem ratio alia non est, nisi voluntas ac institutio Christi Domini, qui voluit, neminem posse conscientias nostras in Sacramento Pœnitentiæ judicare, qui non posset prius suam Sacratissimum Corpus & Sanguinem conficere: ut eo libentius conscientias nostras tali subjiceremus, cui ipsemet Christus sese subjecit confecrandum, & manibus tractandum.

8. Notandum III. Quod *Jurisdictio*, quantum ad propositum, aliud non sit, quam auctoritas quædam superioritatis supra alios in Foro conscientiæ judicandos. Porro hujusmodi Jurisdictio (quæ & *Potestas jurisdictionis* dicitur) duplex est, ordinaria scilicet, & delegata.

9. *Jurisdictio ordinaria* ea est, quæ alicui competit ex proprio officio, seu munere suo, id est, qua quis ex vi proprii officii (utpote cui annexa est cura animarum) habet subditos, quos in Foro conscientiæ judicare potest. Et talem habet Parochus in sua Parochia, Episcopus respectu Diœcesanorum, Abbas respectu suorum Monachorum, Generalis cujusdam Ordinis respectu totius Ordinis, & Papa respectu totius Orbis.

10. *Jurisdictio delegata* est, quæ habetur ex commissione alterius habentis ordinariam; id est, quam quis absque collatione alicujus Beneficii curam animarum habentis, accipit ab habente jurisdictionem ordinariam. Et talem habent Religiosi nullum habentes Beneficium curatum, sed tamen legitime approbati pro Confessionibus excipiendis respectu Sæcularium, & alii hujusmodi. Et ex his patet sensus secundæ, & tertiæ Conclusionis.

11. CONCL. IV. Sacerdotibus in sua Ordinatione confertur sufficiens jurisdictio absolvendi quemlibet a solis peccatis veniabilibus. Ita communior Theologorum. Ratio est: quia peccata venialia sunt materia libera Confessionis: ergo frustra reservarentur, & consequenter omnis Sacerdos poterit ab ipsis absolvere.

12. Notandum tamen, quod extra casum necessitatis non facile Sacerdos necdum expositus debeat se immiscere audiendis Con-

fessionibus venialium; idque ob plurima incommoda, quæ inde facile possent oriri. Et hinc non immerito Innocentius XI. in Decreto, circa Communionem quotidianam, edito 12. Februarii 1679. (a) monet Episcopos & Parochos, quod *non permittant, ut venialium Confessio sine simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, audiatur Ordinario*.

13. CONCL. V. In mortis articulo potest quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, imo & excommunicatus, degradatus, hæreticus, absolvere ab omnibus Censuris, & peccatis. Ita expresse Concil. Trid. *Sess. 14. c. 7.* ubi ait: *Verumtamen pie admodum, ne aliquis pereat, in Ecclesia DEI constituit semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes, qualibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & Censuris absolvere possunt*. Ex quibus verbis tam amplis docet unanimis Doctorum, quod simplex etiam Sacerdos, quamvis sit degradatus, excommunicatus, irregularis, vel apostata, possit absolvere, si non adsit Confessarius approbatus, proprius Parochus, aut Episcopus. Num autem hoc præsente possit absolvere simplex Sacerdos, jam alibi (b) dictum fuit.

14. CONCL. VI. Ut Minister Sacramenti Pœnitentiæ, sive Confessarius, illud valide administret, necessario requiritur etiam legitima approbatio ipsius. Ita communis. Hinc vitandæ sequentes duæ Propositiones ab Alexandro VII. damnatæ, quarum una, ordine 16. sic habet: *Qui benescium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium sæcularem Sacerdotem non approbatum ab ordinario*. Altera, ordine 13. taliter sonat: *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato*. Et merito utraque Propositio damnata fuit; nam secluso approbatione Episcopi, neque simplex ille Sacerdos ab eodem recipit jurisdictionem delegatam absolvendi (ordinariam enim eo ipso non habet, quod careat Beneficio curato) neque hanc accipiunt Regulares a Summo Pontifice.

15. Et notanter hoc ultimum additur: nam Regulares exempti jurisdictionem absolvendi sæculares non accipiunt ab Episcopo approbante, sed supposita approbatione Episcopi loci, accedente consensu superioris Regularis, ea ratione intelligitur ipsis concessa a Sede Apostolica; prout delumitur ex *Clem. Dudum §. Statuimus de Sepult.* Atque a S. Congregatione Concilii declaratum fuisse, refert Fagnanus *in c. Omnis n. 79. de Pœnit. & remiss.* Accedit ratio, quam affert Layman *lib. 4. tract. 6. c. 10. n. 19.* quia Episcopus loci tam amplam jurisdictionem audiendi Confessiones omnium Fidelium undecunque venientium, coliquæ a Censuris etiam Papæ reservatis (extra casus Bullæ Cœnæ Domini) absolvendi, dare non potest: sed eam Confessarii Ordinum Mendicantium immediate recipiunt a Summo Pontifice, cum dependentia tamen a consensu sui prælati, & approbatione Episcopi.

QUÆSTIO II.

De Probitate, Scientia, & Prudentia Confessarii.

SUMMARIUM.

16 *Ratio Ordinis.*
17 *In Confessario requiritur probitas, scientia, & prudentia.*
18 *Confessarius debet esse Judex, Medicus, & Doctor.*
19 *Probitas, qua in ipso requiratur?*
(c) De hoc Tr. 14. Disl. 1. n. 43. 44. & 47.
20 *Quomodo peccet administrans hoc Sacramentum in mortali?*
21 *Scientia in Confessario, qualis requiratur?*
22 *Scientia eminens, & Scientia mediocris, qua?*
23 *Quid, si Sacerdos sit dubius de sua sufficientia?*
24 *Generatim, qua Scientia debeat poliere Confessarius?*
25 *An is teneatur judicare de gravitate peccatorum in individuo?*
(e) Ut dictum Tr. 3. Quæst. 2. per totum.
26 *Quid, si it error in judicando? Doctrina practica.*
(f) Ut amplius n. 34. & seqq. dicetur.
27 *Prudentia Confessario necessaria.*
28 *Ea generatim, debet exerceri circa propriam personam.*
29 *Circa personas alantes.*
30 *Et circa pœnitentes, quomodo?*

16. Postquam de his dictum est, quæ requiruntur ad Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ, ut valide illud administret; merito præsens quæstio una cum sequentibus tractat de his, quæ requiruntur ad dignam,

legitimam, licitam, & meritorium dicti Sacramenti administrationem ex parte Ministri. Hinc sit

17. CONCL. I. Ut confessarius rite, ac licite, meritorieque suo munere fungatur, ex parte ipsius requiruntur tria, videlicet Probitas vitæ, Scientia conveniens, & Prudentia. Ita communis. Ratio est: tum quia is sine probitate vitæ, sive existens in peccato mortali, peccaret mortaliter administrando Sacramentum pœnitentiæ; tum quia, ut dicitur *c. Omnis utriusque sexus de pœn. & remiss.* Confessarius debet se habere *more periti Medici, ut superinfundat vinum & oleum vulneri ut sanctati*: ad hoc autem opus est scientia, & prudentia, ut patet; ergo.

18. Hæc generalia requisita ex parte confessarii paucis complectuntur Doctores, dum ajunt, quod confessarius debeat esse & Judex, & Medicus, & Doctor. *Judex* quidem, discutiendo pœnitentem, atque de ejusdem peccatis judicando, ac pro ipsis salutarem pœnitentiam & satisfactionem imponendo, simulque vel impertiendo absolutionem, vel (si merita causæ id exposcant) hanc negando. *Medicus*, qui juxta *cit. c. Omnis utriusque sexus cod.* novit superinfundere vinum & oleum vulneribus sanciati: Et *Doctor*, ob debitam scientiam, prudentiamque ex parte ipsius requisitam, prout amplius in progressu dicetur. Nunc singula in Conclusione cautnerata prosequendo per ordinem

19. Quæritur I. Quænam probitas requiratur ex parte confessarii? Resp. ad hoc, ut Sacerdos licite, & absque peccato mortali administret Sacramentum pœnitentiæ requiritur, ut non sit sibi conscius peccati mortalis. Quod si eum remordeat conscientia peccati gravioris, tenetur prius per receptionem Sacramenti Pœnitentiæ, vel saltem præmissa contritione perfecta (c) esse restituere in statum gratiæ: aliquam peccaret novo peccato mortali Sacrilegii. Valebit tamen absolutio data a Sacerdote in statu peccati mortalis existente, si cætera requisita adsint; ac proinde valide quidem, non licite Sacramentum administrabit.

20. Quæritur II. Quot peccata numero distincta confiteatur Sacerdos, qui plurium confessiones pro eadem vice, successive tamen, in statu peccati mortalis excipit? Resp. De hoc jam esse dictum superius *tr. 14. disp. 1. n. 49. & 53.*

21. Quæritur III. Quæ, & quanta requiratur Scientia in confessario? Resp. I. In confessario requiritur scientia competens, id est, saltem mediocris. Ita communis. Ratio est: quia cum in hoc Sacramento confessarius exerceat officium Judicis & Medici, scire debet, quid sit sui muneris, ne & se, & suos pœnitentes periculo exponat errandi in materia gravi, & salutem animarum concernente. Siquidem, ut inquit Salvator, *Matth. 15. Cæcus, si cæcum ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

22. Additur notanter, *Scientia competens, id est, saltem mediocris*. Duæ enim sunt species Scientiæ. Prima dicitur *Scientia eminens*, qua quis optime sit versatus in Jure Canonico, in Theologia Morali, atque Casistarum lectione, & qua sciat ratiocinari, cujuscunque difficultes conscientiæ resolvere. Hæc Scientia, quamvis sit utilissima, omnique studio prosequenda, nihilominus absolute necessaria non est: alioquin pauci reperirentur confessarii. Secunda vocatur *Scientia mediocris*, quæ tamen commode determinari nequit, sed debet dijudicari ex ratione diversitatis tum locorum, tum personarum: major enim requiritur scientia pro confessionibus in Urbe aliqua inter Magistros, & Mercatores excipendis, quam in pagis inter simplicem populum.

23. Resp. II. Si Sacerdos sit dubius de sufficientia, debet se conformare judicio Episcopi approbantis, vel sui Prælati, aut alicujus docti Theologi, & si per ipsos capax, & sufficiens repertus fuerit, suum dubium in illorum judicium rejicere, & secure confessiones excipere. Ita D. Thomas 2. 2. q. 104. *art.* 5. Suarez, Toletus, & alii. Intelligo, dummodo is successive per lectionem librorum competentium magis conetur in hujusmodi scientia ad confessarium requisita proficere, & in casibus obscurioribus ac difficilioribus non erubescat doctiores consulere, quod præsertim a principio erit observandum, quando quis incipit confessiones excipere.

24. Resp. III. Interim certum est, quod confessarius debeat esse præditus tanta Scientia, ut scial, quænam sint peccata ex genere suo mortalia, & quænam venialia; quænam sint circumstantiæ speciem peccati mutantes, & quæ non: tenetur enim inter hæc, veluti inter leprам & lepram, seu spiritualis Medicus, posse discernere. Insuper tenetur scire regulas communes, quibus quis excusari possit a præcepto, vel a peccato mortali: nec non ea, quæ requiruntur ad legitimam Sacramentorum administrationem, ac in specie ad Sacramentum Pœnitentiæ, & hujusmodi, de quibus idcirco passim Theologi Morales tractare consueverunt.

29. Resp. IV. Cum Suarez *t. 3. tom. 4. disp. 28. sect. 2. n. 2.* Lugone, Marchantio, aliisque. Quamvis teneatur confessarius scire, quidnam ex natura sua sit peccatum mortale, & quidnam veniale, ut dictum; non tamen requiritur, quod de omnibus, quæ audit a pœnitente, judicet, an sint hic & nunc peccata mortalia, vel venialia. Quis enim hoc etiam ex viris doctissimis, absque manifesto periculo errandi, facere poterit? Idque tum ob diversitatem opinionum inter Doctores: tum quia casus ipsi in individuo valde alterantur quoad majus, ac minus, ex materia, indeliberatione, passione, multisque aliis circumstantiis, ratione quarum quandoque peccatum, ex genere mortale, fit veniale, ac e contra. (e) Sufficit itaque, ut Confessarius attente audiat confitentem, & qualitatem gravitatemque malitiæ prudenter expendat, licet ad gravitatem peccati mortalis certo illam determinare non possit.

26. Notandum tamen, si confessarius determinatum forat judicium, & quandoque peccatum mortale reputet veniale, aut e contra, non idcirco confessionem, & absolutionem pœnitentis reddi invalidam: nam, ut recte quidam loquuntur, *Sacerdos non debet judicare pœnitentem secundum Divina, sed auctoritate Divina absolvere.* Unde, si confessarius audiat peccatum, quod discernere nequit, utrum hic & nunc sit mortale vel veniale, illud tale quale est absolvat, suspendens judicium pro natura ipsius; quandoquidem in genere bene sciat, an sit mortale, vel veniale: etenim quidquid agat, non semper poterit concepta dubia (Doctoribus præsertim ob particulares circumstantias frequentius occurrentia) super peccatis, & eorum gravitate deponere; neque oportet per exactissimas interrogationes hoc Sacramentum pœnitentibus nimis grave & onerosum reddere. (f)

37. Quæritur IV. Circa quæ generatim Prudentia Confessarii debeat esse sollicita? Resp. I. Licet Prudentiæ virtus ad omnes Sacerdotum functiones rite obeundas summe necessaria sit; merito tamen præ omnibus aliis ea requiritur ad confessiones audiendas: ut Confessarius, & quatenus Medicus est, probe noverit super infundere oleum, & vinum vulneribus fanciati; & quatenus Doctor est, caute errantes viam veritatis edocear.

28. Resp. II. Generatim Prudentia confessarii est exercenda partim circa propriam personam, partim circa pœnitentes, & partim circa alias personas. Et quidem circa propriam personam, vigilare oportet Prudentiam Confessarii tum in procuranda, atque conservanda puritate conscientiæ, tum in devota invocatione gratiæ Spiritus sancti, ad hoc Divinum ministerium rite peragendum; tum in ardenti zelo, sive desiderio procurandi salutem animarum, Deique gloriam acquirendi, & ampliandi. Accedit assecuratio corporalis, ne videlicet, quantum fieri poterit, confessarius incurrat periculum corporis, seu contrahendæ infirmitatis, præsertim excipiendo confessiones laborantium morbis contagiosis. Huc revocantur nonnulla alia, quæ Confessario quoad propriam personam, etiam in exterioribus gestibus rite ordinandam, necessarie, & prudenter attendenda erunt.

26. Deinde quoad alias personas astantes, plura observanda suggerit Prudentia. Primum est: ut confessarius in modo procedendi. Alterum ne nimis clare loquendo, faciat nonnunquam circumstantes audire peccata confitentis contra eorum voluntatem; aut ne gestibus, aliisve signis, faciat astantes devenire in notitiam cujuspiam peccati gravioris confessi. Et hoc tum ratione sigilli confessionis, ne illud quoquo modo, etiam indirecte, violetur: tum ratione scandali, & ne circumstantes merito abhorreantur, & (quod promissimus est) aversionem concipiant a tali confessario. Alia similia suggeret ipsamet Prudentia.

30. Potissimum autem circa pœnitentes ipsos Prudentia confessarii exercenda est, eos partim caute examinando, si opus fuerit; partim charitative instruendo, dubiaque ipsorum solide resolvendo, & dando opportuna consilia; partim eos diserete corrigendo, atque salubria subministrando media, quibus ad veram detestationem peccatorum inducantur, atque ab ulteriore lapsu præserventur. Præsertim autem magna opus est prudentia circa eos, qui videntur esse constituti in occasione proxima peccandi, nec non & circa recidivos. Hinc sit

QUÆSTIO III.

De interrogationibus a Confessario faciendis.

SUMMARIUM.

31 Confessarius, an teneatur quandoque interrogare pœnitentem?
32 Cautela circa interrogationes.
33 Quid observandum circa rudiores? (g) Dist. 7. c. 63.
34 Quid observandum in faciendis interrogationibus.
35 His potest errari per defectum & excessum. Doctrina notabilis.
36 Regula generales circa examen, & interrogationes faciendas.
37 Præsertim in materia Luxuriæ.
38 Praxis circa hujusmodi interrogationes.
39 Interrogationes, ex sua institutione sub Confessionem?
40 Vel potius sub Confessione.
41 Quid agendum, si pœnitens taceat peccatum, quod Confessarius scit eum commisisse.
42 Quid, si pœnitens illud neget?
43 Limitatur dicta responsio.

31. QUæritur I. An Confessarius teneatur quandoque interrogare pœnitentem? Resp. Etsi per se, ac primario, nunus pœnitentis sit sese debita examinare, atque integre accusare, Judicis autem audire: nihilominus in supplementum ignorantiæ, seu defectus ipsius pœnitentis, etiam Judicis sive Confessarii est interrogare, eumque examinare in hoc Foro Sacramentali. Ita Herincx *disp. 5. de pœn. n. 55.* cum communi. Idque patet tum ex *c. Omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* ibi: *Sacerdos autem sit discretus & cautus &c. diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccata*: tum ex Rituali Romano, ibi: *Si pœnitens numerum, & species, & circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget*. Accedit ratio: quia Confessarius tenetur, quantum moraliter potest, procurare integram peccatorum Confessionem, atque evitationem peccati Sacrilegii; & curare, ne indispositio administret hoc Sacramentum.

32. Additur, *in supplementum ignorantiæ, seu defectus pœnitentis*. Nam Confessarius non obligatur ulterius interrogare pœnitentem, quem ex modo procedendi advertit virum doctum, & bene conscientiam examinasse, suaque peccata quoad numerum ac speciem rite propoluisse, si nescit, cum aliquid per oblivionem omisisse. Herincx *loc. cit.* Lugo *disp. 22. de Pœnit. n. 17.* & alii. Imo etiam, quando faciendæ est interrogatio, prorsus abstinendum est a curiosis, & non substantialibus; hoc est, iis, quæ non concernunt numerum, speciem, ac circumstantias speciem mutantes peccatorum: quamvis, ut hæc facilius intelligantur, expediat, circa pœnitentem ex teroquin ignorum præmittere interrogationem de tempore ultimæ Confessionis, & (si occurrat peccatum carnis) an sit solutus, vel ligatus Matrimonio &c.

33. Quantum ad rudiores attinet, plerumque non expedit, ipsos, etiamsi minus parati accedere videantur, dimittere sine absolutione, ut se magis examinent: quia aut deterriti vix amplius ad talem Confessarium veniunt, aut ratione suæ incapacitatis non raro redibunt æquæ indispositi. Quare tales communiter permittendi sunt, peccata suo modo, quo possunt, etiam rudiori, proponere: & tunc suaviter examinantur, atque juxtura a Confessario, utijam suprius (g) dictum fuit.

34. Quæritur II. Quomodo segerere debeat Confessarius in faciendis interrogationibus? Resp. I. Confessarius non tenetur examinare pœnitentem exquisita industria, & exactissimo examine, suavi & humano modo. Ita Lugo *disp. 16. de Pœn. sect. 14. num. 589. & seqq.* Gobat *tract. 7. Theol. Exper. n. 331. & seqq.* & alii passim. Ratio est: quia ipsemet pœnitens, qui tamen primario ad hoc obligatur, non tenetur, nisi moralem diligentiam in examine conscientiæ faciendo præmittere: ergo multo minus tenetur Confessarius ad exquisitissimas interrogationes, utpote qui tenetur facere interrogationes duntaxat in supplementum. Deinde in hoc vel maxime attendendum est ad conditionem humanam, & ne ex hoc capite Confessio, seu Sacramentum Pœnitentiæ reddatur nimis grave ac odiosum, neque detur ansa Hæreticis vocandi illud *Confessoria carnificinam*. Et ad hoc maxime requiritur prudentia Confessarii, ne vel nimium pœnitentem torqueat aliis, & aliis minutissimis interrogationibus, vel aliunde quid plus, aut minus fiat.

35. Additur notanter, *ne quid plus, vel minus fiat*. Dupliciter siquidem circa hoc errari potest, scilicet per excessum, vel defectum. Per defectum errant rudes quidam & ignari Confessarii, nihil interrogando, vel solum crassissima quædam, aut universalia. Per excessum e contra errant nonnulli nimium interrogando, ac strictissime examinando, imo interdum ex quadam curiositate impertinentia investigando: ut scrupulosi, & curiosi. Atque in hoc etiam majus periculum habent Confessarii doctiores, quia his occurrunt plures semper & plures interrogationes, quibus melius species & numerus peccatorum cognoscretur, & explicaretur. Verum hic notanda doctrina Lugonis *l. c. n. 590. Non est bona regula illa, si dicas; talis vel talis interrogatio facit aperire difficile numerum & speciem peccati: ergo illa etiam interrogatio addenda erit &c. Quia non est attendendum solum ad exactam & integram Confessionem peccatorum, sed & maxime attendendum est ad conditionem humanam, & ne ex eo capite Sacramentum ipsum redditur grave &c.* ut proxime dictum.

36. Resp. II. Circa examen pœnitentis, faciendaque modo humano interrogationes, nequit dari una eademque regula pro omnibus: cum pendeat plurimum ex capacitate, & dispositione specialis pœnitentis, aliisque circumstantiis. Siquidem pauciores & crassiores interrogationes debent fieri homini inculto & barbaro, quales sunt Indi occidentales, quam Europæo: levius item examinandus est rudicus, quam homo civilis: levius, qui ægrotat, & difficile potest ad subtilia attendere propter capitis debilitatem, quam homo sanus: denique (quod notandum etiam est) levius, & minus exacte interrogandus est circa singula, qui plura habet peccata, quam qui pauciora. Ita Lugo *loc. cit. disp. 16. num. 494.* & ratio patet ex dictis.

37. Insuper circa hoc advertit communis Theologorum, in materia præsertim Luxuriæ cautissime esse procedendum, & non multiplicandas interrogationes: tum ne forte ex hujusmodi interrogationibus pœnitens male discat, quæ bene ignorabat: tum ut pudori consulatur, atque occurratur periculo tam ex parte pœnitentis, quam Confessarii, ne se illecebra insinuet. Unde, ut recte notat Coninch *disp. 7. de Sacrament. dub. 7. num. 56.* cum aliis, præstat aliquando Sacerdotem minus perfecte peccatum intelligere, quam vel pœnitenti, vel sibi aliquod scandalum creare, aut esse minium.

38. In praxi igitur utatur Confessarius terminis honestis, præcipue erga fœminas, & minoris ætatis personas, ordinando semper per suas interrogationes a cogitationibus cum consensu. Quod si pœnitens vere castus respondeat, se illis non consensisse: non est opus, ut Confessarius suo examine ulterius ad Luxuriæ actus progrediatur: nam quando pœnitens est immunis a consensu in cogitationes obscenas, multo magis erit liber ab ipsis actibus pravis; nisi forsan præ ruditate ingenii, malitiam cogitationum obscenarum non apprehendat. Si vero pœnitens sese pravis cogitationibus consensisse confiteatur; quærat Confessarius ex ipso, num eas actu complere voluerit: si respondeat quod sic, petat deinde, num talia obscena desideria habuerit erga personas solutas, vel ligatas; atque, an actu ipso cum eisdem compleverit, nec ne. Sicque procedet quasi per gradus de cogitationibus ad desideria, de istis ad oscula, de osculis ad tactus impudicos, & ab his ad ipsosmet actus, inter limites honestatis & modestiæ.

39. Quæritur III. Utrum circa illos qui ipsi sua peccata exponunt, necessariæ interrogationes speciei, numeri, & circumstantiarum speciem mutantium, fiat immediate subjungendæ expositioni cujuslibet peccati, vel differendæ usque ad finitam totam Confessionem? Resp. Circa hoc variare Doctores, idque in praxi relinquendum esse prudentiæ Confessarii. Interdum enim præcipue in Confessionibus brevioribus, & quæ memoriter sine scriptura peraguntur, expediet differre interrogationes usque ad finem, ut constat Layman: idque, ne pœnitentes per hujusmodi crebras interpositas interrogationes facile in sua Confessione confundantur, perturbentur, vel omnino a subsequentium Confessione abterreantur, aut tædio affligantur. Et hoc locum habere potest, si Confessarius confidat suæ memoriæ, se omnia quæsita facile usque ad finem retenturum: in quem finem is imo, vel altero digito contracto, signum faciendæ postmodum interrogationis sibi facere potest.

40. Nihilominus communiter, & ordinarie, potissimum in Confessionibus e scripto factis, vel longioribus, ubi Confessarius merito sibi metuere debet, ne forsan plurium obliviscatur, & deinde vel cum scrupulo

pulo omissis interrogationibus absolvat, vel certe pœnitentem magna cum molestia sua cogat repetere longam Confessionem; satius esse censet Lugo *disp. 22. sect. 2. nu. 15.* & alii, si Confessarius suaviter cum successive adjuvare studeat, & ejusmodi necessarias interrogationes quoad numerum, speciem, nec non & circumstantias speciem mutantes, immediate singulis peccatis substituat. Et recte quidem; quia frequenter ipsemet pœnitens post longum intervallum non statim singillatim de peccatis illis, quæ antea sive memoriter, sive e scriptis confessus fuerat, sese reflectere potest; vel saltem de novo confunditur, eodem cum rubore reverendo, ut distinctius exponatur.

41. Quæritur IV. Quid agendum, si pœnitens facere vel etiam neget peccatum, quod Confessarius aliunde novit cum commisisse? Resp. I. Si pœnitens dumtaxat taceat peccatum, illud non confitendo, debet confessarius ingenuæ veritatem, etsi, si id absque alio incommodo fieri possit, insinuando suam de hoc notitiam. Herincx *disp. 5. de pœn. q. 4. n. 56.* Quod si vero id eliciat ex confessione alterius, v. g. complicis, oportet interrogare adeo cauto, ut pœnitens de alterius confessione nihil possit conjicere (alioquin enim frangeretur Sigillum) ne cura quærendo in communi, an nihil amplius habeat, quod confiteri tam gravet; vel adhibendo confuetas cæteroquin interrogationes, & abstrahendo a notitia prioris confessionis.

42. Resp. II. Quando pœnitens negat, se ejusmodi peccatum commisisse, regulariter is erit absolvendus. Ita Herincx *l. c.* Tanneris *tom. 4. disp. 6. q. 7. n. 99.* Gobat, *tr. 7. Theol. Exper. n. 545.* Diana *part. 5. tract. 11. resol. 21.* Tolletus & alii. Ratio est: quia in Foro Sacramentali pœnitens stat pro se, & contra se; ac proinde est credendum est tam contra se, quam pro se. Accedit, quod si Confessarius solum noverit peccatum ex confessione alterius, non sit major ratio, cur alteri potius fides adhibeatur, quam illi. Quinimo si tunc posteriori confitenti negaretur absolutio, hoc ipso frangeretur indirecte Sigillum confessionis prioris, utendo ejus notitia in præjudicium, ruborem, & confusionem complicis. Accidere insuper potest, quod alter pœnitens hoc peccatum jam fuerit confessus, aut saltem habeat justam causam illud immæsenarium tacendi, v. g. ob damnum sinum, vel alterius.

43. Additur, *regulariter*. Nam si confessarius evidenter sciat, pœnitentem commisisse tale peccatum, illudque nunc maliose negare, non potest cum absolvere; prout notant citati Auctores, ac Lugo *disp. 12. de pœnit. num. 11. & 22.* & alii. Siquidem nefas est, ministrare Sacramentum ei, quem evidenter scio esse indignum, illudque non nisi sacrilege petere.

QUÆSTIO IV.

Quid agendum Confessario circa constitutos in Occasione proxima peccandi, Recidivos, & laborantes quadam ignorantia.

SUMMARIUM.

43 *Quid agendum circa constitutos in occasione proxima peccandi?*

45 *Occasio peccandi proxima, & remota, quæ?*

(h) Concordant dicta Tract. 3. Disp. 2. num. 24.

46 *Quid si occasio proxima relinqui nequeat?*

47 *Propositiones circa occasionem proximam peccandi damnatæ. Ratio damnationis earum.*

48 *Quid agendum circa recidivos? Solus relapsus non est certum signum falsæ Pœnitentiæ.*

49 *Quid, si recidivus minuat numerum peccatorum?*

50 *Et quid, si eum augeat &c.*

51 *Quando pœnitenti recidivo sit urganda ad tempus absolutio?*

52 *Quid agendum, si pœnitens habeat ignorantiam circa peccatum?*

53 *Præsertim vincibilem?*

54 *Aut est spes profectus?*

55 *Vel pœnitens patat resolutionem dubii?*

56 *Generalia circa scientiam & prudentiam Confessarii.*

44. QUæritur I. Quomodo debeat se gerere Confessarius circa constitutos in Occasione proxima peccandi? Resp. I. Oportet Confessarium cavere, ne aliquem in proxima occasione peccandi mortaliter constitutum absolvat, nisi se illam, quam primum potest, relicturum proponat. Ita communis. Ratio est: quia talis, si nolit, cum possit, relinquere occasionem proximam, non censetur esse contritus, nec habere firmum propositum sese emendandi; cum tantum affectus ad proximam occasionem peccandi, sit virtualiter ipsa volitio peccati: nam, ut habetur *Ecclesiastici c. 3. Qui amat periculum, in illo peribit.*

45. Dicitur notanter, *in occasione proxima peccandi mortaliter*. Siquidem ejusmodi Occasio alia est remota, alia proxima. *Proximam occasionem peccandi* appellant, quæ talis est ex suo genere, ut frequenter homines similis conditionis ad peccatum mortale inducat, vel saltem experientia constet, eam in hoc homine talem effectum habere. Lugo *disp. 23. de Pœnit. num. 149.* Alii per Occasionem proximam peccandi intelligunt eas solum circumstantias loci, temporis, personarum &c. in quibus si sis constitutus, certum est moraliter, te esse peccaturum novo peccato mortali, sive, quibus nunquam, vel fere nunquam uteris sine novo peccato; ut si decies in tali occasione constitutus, sucumbas septies, vel octies; secus, si solum bis, vel ter acquievisses peccato. Gobat *tract. 7. Theol. Exper. nu. 525.* citans alios. (h) *Occasio remota* dicitur ea, quæ talis non est: & hanc fugere non tenemur; aliàs enim omnes deberemus secedere in eremum, aut de mundo exire, ad fugiendas innumeras occasiones remotas peccandi, quod nemo dixerit.

46. Resp. II. Quia vero sunt aliquæ Occasiones proximæ, quæ difficillime relinquuntur, & non nisi cum scandalo, vel infamia, aut alio notabili detrimento: v. g. si frater sua propria sorore in domo paterna abutatur sine medio, separationis faciendæ &c. tunc magna opus est Prudentia Confessarii. Siquidem ejusmodi occasiones, quæ vel declinari non possunt, vel dum declinantur, gravia generant incommoda, non illico tenetur (sicut nec moraliter potest) pœnitens derelinquere; cum talis potius permaneat in ejusmodi occasione ex quadam necessitate atque impotentia, quam ex affectu ad peccatum. Itaque confessarius adigat pœnitentem, ut promittat, se proxima commoditate oblata illam occasionem defecturum: deinde protestetur, se Divina cooperante gratia omnes vires adhibiturum, ne relabatur; atque in hunc finem Sacramenta frequentaturum, Beatissimæ Virgini Mariæ se fore devotum &c. Et si quidem sit peccatum Luxuriæ, pœnitens promittat Confessario, se specialiter evitaturum colloquia, familiaritates, loca privata, munuscula, aliaque peccati illecebras. Quod si igitur in præstatione, & executione horum appareat aliqua vel parva emendatio, talis pœnitens absolvatur: si vero tetæ experientia, per longum tempus probata, oppositum appareat, is rejiciatur, veluti non contritus ratione evidentis periculi, in quo versatur; simulque efficaciter eidem intimetur illud Christi Domini, *Matth. 18. Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te: bonum tibi est debilem vel claudum in vitam ingredi, quam duas manus, aut duos pedes habentem mitti in gehennam ignis.*

47. Huc addendæ, & vitandæ sunt nonnullæ Propositiones, a Sede Apostolica merito condemnatæ: & quidem Alexandri VII. hanc inter illas, ordine 42. damnavit: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hac nimis utilis esset ad obtinendum concubinarii, vulgo regalo, dum deficiente illa, nimis ægre vitam ageret, & alia æquè aptè duo magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Hæc est damnata Propositio. Accedunt aliæ ab Innocentio XI. novissime condemnatæ, quarum prior, ordine 61. sic sonat: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quamvis directe & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* Altera, ordine 62. sic habet: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* Et tertia ordine 63. *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali, nostro, vel proximi.* Omnes hæ Propositiones sunt damnatæ, & merito. Siquidem ad hoc, ut quis non teneatur deserere occasionem proximam peccandi mortaliter, nulla causa est sufficiens, nisi sola impotentia physica, vel moralis, deserendi illam occasionem proximam: nam quoties potest quis eam derelinquere, tenetur; quia quilibet, si potest, tenetur vitare proximum periculum summi mali, quale est peccatum mortale, utpote gravissima offensa infiniti Boni. Accedunt allegata verba Æternæ Veritatis, *Matth. 18.*

48. Quæritur II. Quid agendum circa Relapsos, seu Recidivos, & Consuetudinarios, qui semper in ea lem recidunt peccata? Resp. I. Necesse est, quod Confessarius magnam circa illos adhibeat discretionem. Siquidem ejusmodi relapsus non est generaliter certum signum falsæ pœnitentiæ, sed potius fragilitatis humanæ: plurimi enim, etiam probitate conspicui, relapsi sunt, & contra bona proposita firmiter con-

concepta, quin quandoque juramento, aut voto firmata, denuo peccarunt. Unde & *Matth.* 18. Petro interroganti: *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies? Dixit JESUS: Non dico tibi, usque septies, sed septuagies septies*, hoc est, toties, quoties ierio doluerit, veniamque rogarit.

49. Resp. II. Si hujusmodi Recidivus post ultimam suam Confessionem se vel paululum emendavit, nec tota peccata, ut ordinare solitus fuerat, commisit, & aliquem conatum ad se emendandum adhibuit, debet is absolvi, ac moneri, ut in proposito perseveret.

50. Quod si vero augeat numerum peccatorum, aut saltem ita longo tempore sua peccata contineat, aliquoties quidem se vincendo, denuo iterum relabendo, ac numerum augendo, tunc sollicite duo extrema erunt Confessario vitanda. I. Ne per nimiam severitatem pœnitenti potius sit occasio ruinæ spiritualis, ac desperationis, quam salutis. II. Ne e contra per nimiam clementiam potius foveat peccata, quam minuat. Unde magni opus erit prudentia, ac discretione, qua Confessarius ambo ista extrema devitando, hinc per graviora exhortationum motiva deterreat pœnitentem a relapsu, ac peccatis; illinc vero dulciora Divinæ gratiæ, Passionis Dominicæ, & invocationis Sanctorum lenimenta proponendo, erigat in fiduciam & spem Christianam, atque sterratam peccatorum detestationem, & firmius emendationis propositum: sicque cum Evangelico Samaritano noverit opportune vulneribus sauciati oleum, & vinum infundere. Neque mox de talibus spes omnis erit abjicienda; nam, ut inquit Thomas Kempensis *lib. 1. de Imitat. Christi, cap. 16. quid si fortiter proponens, saepe deficis, quid ille, qui raro, aut minus fixe aliquid proponit?*

51. Si vero omnia hujusmodi remedia sint frustra hactenus longo jam tempore adhibita, & nullum appareat verum signum doloris, aut propositum emendandæ vitæ, eo quod pœnitens nullum serium conatum adhibeat, quo tentationibus ac occasionibus peccandi renitat, sed habeat suis cupiditatibus relaxet: tali post crebras admonitiones, & minas affectuosis adhibitas, tandem ita dictante prudentia erit absolutio ad tempus deneganda, ne Confessarius pœnitentem in suis peccatis videatur fovere. Quinimo opposita nonnullorum sententia ab Innocentio XI. damnata est; dum is sequentem inter alias Propositionem, nempe 60. condemnavit: *Panitenti habenti Confuetudinem peccandi contra Legem Dei & Naturæ, aut Ecclesiæ, esse emendationis spes nulla apparet, nec est neganda, nec differenda absolutio: dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.* Hæc, inquam, Propositio, ut pote damnata, imposterum cavenda erit: quamvis omnem lapidem prius oporteat movere, quam pœnitenti relapso absolutionem negare, præsertim si hic & nunc clariora det signa doloris, ac propositi emendationis.

52. Quæritur III. Quid agendum, si Confessarius advertat, Pœnitentem habere ignorantiam circa aliquod peccatum? Resp. I. Quando Confessarius advertit, pœnitentem esse in bona fide cum ignorantia invincibili circa aliquod peccatum commissum, vel committendum; prævideteque, pœnitentem, quamvis instruatur, non idcirco a peccato recessurum esse, ac proinde probabiliter credit, suam admonitionem non profuturam, non tenetur pœnitentem admonere. Siquidem ejusmodi monitio foret actus vanus, atque inanis, imo & nocivus: quia, dum Confessarius pœnitentem ab errore bona fide habito retrahere conaretur, & quidem absque spe fructus, juxta casum positum, ipsum in æternæ damnationis abyssum demergeret.

53. Resp. II. Quoties ignorantia est vincibilis & culpabilis lethaliter, non potest Confessarius dissimulare, quamvis admonitio non sit profutura. Ita communis. Ratio est: quia, cum ea ignorantia non excusat, pœnitens affectus est peccato mortali; quare si Confessarius dissimularet, conferret Sacramentum indigno. Cæterum, quia ignorantia, quæ in uno est vincibilis, in alio potest esse invincibilis; hinc rursum opus est magna prudentia Confessarii, cumque oportet hoc perpendere ex qualitate personæ, & aliis circumstantiis.

54. Resp. III. Quando etiam ignorantia est invincibilis, adest tamen ipse profectus, debet Confessarius pœnitentem admonere. Ita Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 48.* cum aliis. Ratio est, quia quilibet approbatus Confessarius tenetur lege Charitatis docere proximum errantem.

55. Resp. IV. Quod si pœnitens aliquod patiatur dubium, illiusque resolutionem petat, tenetur Confessarius illi veritatem aperire, licet non ignoret, pœnitentem suis dictis & monitis non obtemperaturum,

Ita Sanchez *loc. cit. nu. 14.* cum aliis. Ratio est: quia pœnitens eo ipso, quod dubitet, jam habet in conscientia remorsum peccati sui, ita ut amplius in bona fide non sit; unde taciturnitas Confessarii foret illius erroris approbatio.

56. Cæterum, quomodo circa præmissa, & alia plurima, oporteat vigilare scientiam & prudentiam confessarii, paucis hisce pagellis pro dignitate nequit comprehendi, eo quod negotium hoc sit valde arduum. Tota Theologia Moralis ad istud Sacerdotis officium rite ordinandum incumbit, innumeri Libri & Tractatus Theologici hactenus editi, & imposterum edendi, in hoc ipsum allaborant: ut autem actu ipso omnia legitime perficiantur, post sedula Literarum studia, nec non & debitam Librorum Theologicorum lectionem, gratia Spiritus Sancti humilibus precibus erit imploranda.

QUÆSTIO V.

De Denuntiatione Confessariorum sollicitantium Pœnitentes ad inhonesta.

SUMMARIUM.

57 *Immane Sacrilegium est, sollicitare pœnitentes in Confessione.*
58 *Sollicitare hic, est incitare ad turpia.*
59 *Istud exemplificatur.*
60 *Sollicitare, plures habet acceptiones.*
61 *Sollicitare censetur Confessarius tradens in Confessione turpem chartam postea legendam.*
62 *Sive sollicitet ad peccandum secum, sive cum alio.*
63 *Pœnitens sollicitatus tenetur denuntiare Confessarium sollicitantem.*
Et alius Confessarius debet hoc ipsum monere.
64 *Et sub qua obligatione?*
65 *Ipse tamen Confessarius sollicitans non tenetur sollicitate præcipere, ut se denuntiet.*
66 *Refellitur instantia.*
67 *Constitutiones de obligatione denuntiandi Confessarium sollicitantem, non ubique sunt receptæ.*
68 *Sollicitatus denuntians non cogitur propriam turpitudinem detegere.*
69 *Confessarius a femina sollicitatus, hanc denuntiare non tenetur.*
70 *Confessarius pœnitentem sollicitans, quibus pœnis subjaceat?*
71 *Neque is punitur, donec de crimine constet.*
72 *Sollicitatio an sufficienter probetur per testes singulares?*

57. CUm nefandum scelus, immaneque sacrilegium committatur, si quis Sacerdotum, ad sacras confessiones excipiendas deputatus non solum probitatem vitæ ex parte Ministri Jure Divino requisitam non habeat, sed insuper Sacrosancto Pœnitentiæ Sacramento abutatur, & malitia diabolica sollicitando pœnitentes ad turpia, pro medicina venenum, & pro pane aspidem eis porrigat, in summam animarum perniciem; Plurium Romanorum Pontificum Pastoralis sollicitudo salubria pestifero huic malo remedia providere studuit, prout liquet ex Constitutione 31. Pii IV. *Cum sicut nuper*, & Constitutione 34. Gregorii XV. *Universi Dominici* (quarum prior *Tom. 2.* posterior autem *Tome 3. Bullarii Romani* refertur) statuendo, ut hujusmodi delinquentes a personis in confessionali sollicitatis denuntientur Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis, atque per hos procedatur contra eosdem tanquam de hæresi suspectos, debitas pro delicti enormitate pœnas infligendo, prout amplius ex dicendis patebit.

58. CONCL. I. *Sollicitare*, quantum ad propositum, idem est, ac provocare, seu allicere verbis, aut alia ratione incitare ad turpia, & inhonesta; hoc est, ad res carnales, & venereas. Ita Bonacina *Tom. Tractationum variarum disp. 6. de Obligatione denuntiandi &c. punct. 3. num. 2.* post Sanctarellum *in tract. de Hæresi quæst. 44. n. 7.* & alios, idque patet ex contextu dictarum Constitutionum Pontificalium, quæ de confessario sollicitante loquuntur.

59. Unde sequitur, confessarium, qui pœnitentem in confessionali osculatur, aut cum venerea delectatione contrectat, seu verbis, ictu oculorum, vel alio exteriori signo ad libidinem provocat, esse denuntiandum, ac subjici pœnis dictarum Constitutionum: quia censetur sollicitare ad inhonesta. Secus dicendum, si is solum interius carnaliter delectetur, vel etiam deliberate polluatur, fœmina tamen non advertente, etiamsi hoc ipsi extra confessionale aperiat. Bonacina *l. c. n. 3.*

60. Additur tamen in Conclusione, *quantum ad propositum*. Nam verbum *sollicitare*, plures alias habet significationes: aliquando enim accipitur pro verbo *pluries instare*, & requirere: aliquando pro *inquietare*, vel *molestare*, uti videre est apud Calepinum, *v. Sollicito*. Verum in proposito solum, accipitur pro *sollicitare peccatricem* pœnitentis, eamque conari labefactare: adeo, ut in præcitatis Bullis Pontificiis sermo duntaxat sit de Confessariis sollicitantibus pœnitentes ad inhonesta, quorum nomine per antonomasiam intelliguntur peccata. Castro Palao *part. 1. tract. 4. disp. 9. n. 4.* Bonacina *l. c. n. 13.* & alii.

61. CONCL. II. Sollicitare ad inhonesta quoad propositum etiam censetur ille confessarius, qui pœnitenti tribuit in confessione chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat: nam traditio illa sceleratæ chartæ jam est incepta sollicitatio, & quidem in injurium Sacramenti, sacrilege facta eo tempore, quo pœnitens monendus erat de seria vitæ emendatione. Unde contrariam quorundam opinionem reprobavit Alexander VII. die 24. Septemb. 1665. inter alias damnando sequentem, ordine 6. Propositionem: *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti Chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione; ac proinde non est denuntiandus*. Hactenus propositio damnata.

62. Insuper nomine *Sollicitationis* impræsentiarum intelligitur, sive Confessarius impie tentet provocare pœnitentem ad peccandum secum; sive ad peccandum cum tertia persona; & sive sollicitet fœminam, sive masculum; sive istud contingat sub actu confessionis, etiam simulatæ, sive antea vel post immediate; imo & si fiat extra occasionem confessionis in confessionali. Patet hoc totum ex citata Bulla Gregorii XV. *Universi Dominici*, §. 3. & 4. ubi Constitutionem Pii V. *Cum sicut nuper*, olim pro Regnis Hispaniarum emanatam, ac loquentem duntaxat de Confessariis mulieres pœnitentes sollicitantibus, in primis *motu proprio, & ex certa scientia*, extendit ad qualvis Christianæ Orbis partes, & postea statuit, & declarat, *quod omnes & singuli Sacerdotes, qui personas, quacumque illa sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confessionis, sive antea vel postea immediate, seu tenus sunt, vel pretextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut loco quocunque, ubi Confessiones Sacramentales audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulanter exhibitam Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicites & inhonestos sermones, seu tractatus habuerint, in Officio S. Inquisitionis severissime, ut infra, puniantur*. Hæc Pontifex.

63. CONCL. III. Certum est, quod pœnitens sollicitatus habeat gravem obligationem denuntiandi confessarium sollicitantem in confessionali ad actus inhonestos; adeo ut etiam alius confessarius habens desuper notitiam teneatur præcipere pœnitentibus ad denuntiandum ejusmodi confessarios sollicitantes. Ita communis. Idque præter quasdam Litteras Clementis VIII. quarum meminit Bonacina *cit. punct. 3. n. 3.* patet ex relata Constitutione 34. Gregorii XV. ubi gravis ejusmodi obligatio manifeste supponitur, dum Pontifex §. 7. expresse & sub pœnis per locorum Ordinarios, & Inquisitores pro modo culpæ infligendis, *Mandat omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes; seu, ut præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis*.

64. Et quidem hujusmodi præceptum denuntiandi confessarium sollicitantem, obligat sub mortali: est enim datum in materia gravi, seu respiciente salutem animarum, ac majorem Sacramenti Pœnitentiæ reverentiam. Quinimo pluribus in locis extant Edicta Episcoporum, & Inquisitorum, præcipientia dictam denuntiationem confessarii sollicitantis sub pœna excommunicationis: excommunicatio autem supponit peccatum mortale. Porro Pœnitens, non denuntians peccaret contra virtutem Religionis, utpote ex cujus motivo, seu ob majorem Sacramenti reverentiam, Pontifex dictam denuntiationem præcepit. Bonacina *loc. cit. num. 10. & 12.* allegans plures alios.

65. Cæterum notanter dicitur in relata Bulla Gregorii XV. *Qui fuisse ab aliis sollicitatos*. Nam ipsemet Confessarius, qui personam pœnitentem impudice sollicitavit, non tenetur huic præcipere, ut se ipsum Inquisitori, vel Ordinario denuntiet. Repugnat enim Juri Naturæ, ut quis voluntarie procuret propriam suam ruinam: prout accideret, si confessarius, qui sollicitavit, præciperet pœnitenti, ut se ipsum denuntiando diffamet, ac proinde gravem, & Naturæ repugnantem obligationem moluit Sancta Mater Ecclesia Confessariis injungere: sed solum præcipit, ut pœnitentes moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, si quos *noverint, fuisse ab aliis sollicitatos*, prout loquitur Gregorius XV. ubi supra. Ita Jo: Maria Sbogar *in Theologia Radicali 2. 249. cap. 2. num. 19.* post Bordonum *tom. 1. c. 23. n. 57.* & alios.

66. Neque hinc sequitur propositio illa, quam Alexander VII. die 24. Septembris 1665. ordine 7. reprobavit, quæ asserebat: *Modus evadendi obligationem denuntiandi sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur eum sollicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi*. Etsi enim sollicitans cui sollicitatus rite confitetur, non teneatur hunc monere de obligatione denuntiandi semetipsum, ut dictum: non tamen potest eum liberare ab obligatione denuntiandi, quam aliunde, seu ex præcepto Ecclesiæ, per memoratas Constitutiones Pontificias promulgato, contraxit.

67. Utrum autem Constitutiones illæ de obligatione denuntiandi ubique terrarum sint receptæ, est quæ *facti*; & in facto consistens. Et quidem, quod in partibus Infidelium, ubi non servatur Decretum S. Officii, ablolvantur recusantes denuntiare sollicitantes in Confessione, refert Jacobus Pignatellus *tom. 1. Consult. 255. nu. 14. vers. In Partibus*. Idipsum de Germania sentire videtur Georgius Gobat *tract. 7. Theologia Experimentalis c. 575. & 576.* de quo alii.

68. Dices: Nemo cogitur propriam turpitudinem detegere, ac Judici denuntiare. *Can. Quis aliquando §. His authoritatibus de Pœnit. dist. 1.* ergo nec pœnitens est cogendus ad denuntiandum confessarium sollicitantem, saltem quando eidem consensum præbendo peccavit. Resp. Neg. consequentiam. Quia pœnitens solummodo tenetur denuntiare confessarium, qui ipsum sollicitavit in confessionali: non autem tenetur dicere se Confessario sollicitanti consensum præbuisse. Sed nec Inquisitores, aut Ordinarii locorum possunt denuntiantem interrogare, an confessario sollicitanti in opus consenserit: & si improvide interrogarent, non teneretur denuntians respondere, cum non interrogetur legitime: sicque is nunquam cogitur propriam turpitudinem in judicio detegere. Bonacina *de var. disp. 6. punct. 5. n. 50.*

69. CONCL. IV. Non tamen e contra confessarius, si a fœmina in confessionali sollicitetur ab inhonesta, tenetur istam denuntiare. Ita Bonacina *l. c. num. 10.* allegans alios. Ratio est: quia supra memoratæ Constitutiones Pontificiæ emanarunt duntaxat ad comprimendam quorundam pro Sacro Tribunali sedentium execrabilem malitiam, occasione salutiferi Sacramenti Pœnitentiæ astu diabolico pervertentium animas fidelium: solum enim loquuntur de confessariis sollicitantibus personas in confessionali, nullam autem mentionem faciunt de fœminis sollicitantibus confessarios.

70. CONCL. V. Confessarius sollicitans pœnitentem in confessione seu confessionali, ut supra, gravibus pœnis subjiciendus est pro qualitate criminis. Patet hoc ex citata Constitutione 34. Gregorii XIV. §. 4. ubi omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores, & locorum Ordinarii in universis Orbis Christiani partibus, pro suis Territoriis etiam privative quoad alios, Judices delegantur, ut super his *diligenter inquirant, & procedant: & quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles reperirint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, suspensionis ab executione Ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ & passivæ, si Regulares fuerint, exilii, damnationis ad Triremes, & carceres etiam in perpetuum absque ulla spe gratiæ, aliisque pœnis decernant, eos quoque, si prodeliti enormitate graviores pœnas meruerint, debita precedente degradatione, Curiæ sæculari puniendos tradant*. Hæc ibi.

71. Solum nota, quod Inquisitor, seu Ordinarius loci, Sacerdotem de tam nefando crimine delatum non possit illico punire, donec de delicto legitime constet: aliquam manifestum subesset periculum, ad malevolarum, & quandoque ab aliis subornatarum fœminarum ementitam delationem puniendi innocentes confessarios. Unde nec Evangelium, nec ulla Divina humanaque Lex unius testimonio etiam idoneo quempiam condemnat: *Can. Admonere 33.*

72. Quæres: an crimen sollicitationis ad actus inhonestos in confessionali, sufficienter probetur per testes singulares, ut puta, per plures fœminas, quæ singillatim affirment, se a confessario seorsum fuisse sollicitatas? Resp. Negative, nisi etiam concurrant

rant alia indicia, seu præsumptiones. Ita Pignatellus *cit. tom.* 1. *Consul.* 104. *num.* 2. *& seqq.* & alii. Ratio desumitur ex citata Bulla Gregorii XV. ubi quidem §. 5. ne ob defectum probationum delictum tam enorme, & Ecclesiæ DEI tam perniciosum maneat impunitum, admittuntur testes singulares, istud tamen non absolute conceditur, sed solum concurrentibus aliis præsumptionibus & indiciis, arbitrio Judicis dijudicandis, ibi: *Cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum esse judicandum &c.* Alioquin vero, quod testes singulares regulariter non probent, patet ex *can. Nihilominus, 3. q. 9. & c. Cum dilectus, 33. de Electione* cum similibus.

DISTINCTIO IX.

De Casibus Reservatis, & Sigillo Confessionis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Reservatio Casuum, & a quo fieri possit?

SUMMARIUM.

1 *Casus reservatus, quid?*
2 *Per actum reservationis directe afficitur persona Confessarii &c. Corollarium.*
3 *Datur in Ecclesia potestas reservandi casus.*
4 *Quæ peccata reservari soleant?*
Quid de casu dubio?
5 *Papa ordinarie non reservat peccatum, nisi ob annexam excommunicationem.*
6 *Unde hoc sublato quilibet Confessarius absolvit a peccato.*
7 *Item, si Censura non fuit contracta.*
8 *Casus reservati 88. Pontifici, qui?*
(a) Videatur Tr. 23. Dist. 2. nu. 55. & seqq.
9 *Episcopi possunt reservare Casus pro suis Diœcesibus.*
10 *Ubi tales reperiantur?*
11 *Cautela quoad Regulares.*

1. CONCL. I. *Reservatio Casuum* aliud non est, quam negatio jurisdictionis absolvendi circa aliquod peccatum. Ita in re communis. Hinc *Casus reservatus* sic definitur, quod sit peccatum mortale externum, ad cujus ablolutionem inferioribus Sacerdotibus jurisdictio non est concessa.

2. Dicitur, *jurisdictio non est concessa Sacerdotibus*. Siquidem per actum Reservationis principaliter, ac directe, tantum afficitur persona Confessarii, ejus jurisdictionem arctando; & indirecte solum personæ ipsius pœnitentis, eo quod a tali confessario ob defectum jurisdictionis a Casu reservato absolvi non possit: prout inter alios notat Fagnanus *cap. Omnis num. 78. & seqq. de Pœnit. & remiss.* ubi ad longum probat, quod per actum Reservationis Casuum non afficiatur, nisi persona Sacerdotis confessiones audientis, licet indirecte obsitet pœnitentibus. Unde infert, quod Regulares intra diœcesin Episcopi approbantis possint absolvere pœnitentem alterius Diœcesis a Casibus in Diœcesi pœnitentis reservatis, si hi non sint reservati in Diœcesi, in qua confessiones audiunt: cum Regulares habeant jurisdictionem a Papa, & Episcopus alterius Diœcesis nequeat, etiam quoad suos subditos, limitare jurisdictionem Sacerdotis sibi non subditi.

2. CONCL. II. Certum est, dari in Ecclesia DEI potestatem reservandi casus aliquos, sive casus criminum graviorum, a quibus inferiores confessarii absque speciali licentia, & facultate, extra mortis articulum absolvere non possunt. Patet hoc præter continuam praxin, & lenium Ecclesiæ, ex Concilio Trid. *sess. 14. can. 11. c. 31.* ubi proinde monet in hæc verba: *Extra quem articulum mortis Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere utantur, ut ad superiores, & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant.*

3. CONCL. III. Sola peccata mortalia, eaque nonnisi certa, externa, ac opere consummata, reservari solent. Ita Lugo *disp. 20. de Pœnitent. sess.* 2. Layman *l. 5. tr. 6. c. 12. num. 4.* Herincx *disp. 6. de Pœnit. num. 6. & seqq.* cum aliis passim. Dicitur, *reservari solent*

solent; nam quamvis peccata mortalia etiam mere interna possent reservari, tamen in usu non est, neque expedit, ut eadem reserventur. Deinde quoties morale dubium est de reservatione Casus, jam is non censetur reservatus, sive sit dubium juris, sive facti: siquidem reservatio est valde odiosa, & stricte interpretanda, adeoque intelligi debet de casibus certis & indubitatis. Herincx *l. c. n. 7.* Suarez, & communis.

5. CONCL. IV. Papa ordinarie nullum peccatum mortale sibi reservat, nisi propter annexam Censuram Excommunicationis sibi itidem reservatæ. Ita Herincx *cit. n. 6.* Navarrus, Toletus, Henriquez, Layman, aliique communiter: dummodo excipiatur unus, vel alter casus, in quo oppositum habetur specialiter expressum; prout Sixtum V. in Bulla, contra male promotos, quæ incipit. *Sanctum & salutare* (ac habetur *tom.* 2. *Bullarii Romani* Const. 91. *dicti Pontif.*) reservasse sibi peccatum istud absque alia excommunicatione annexa, notat ibidem Lugo *num.* 25. Et hinc in Conclusione additur *ly ordinarie*.

6. Infertur pronde, quod si Papa, aut ejus Pœnitentiarius, aliquem absolvat a sola Censura excommunicationis summo Pontifici reservatæ, possit postmodum quilibet inferior confessarius in foro conscientiæ absolvere hominem illum a peccato ipso, cui talis excommunicatio adjuncta fuit. Idem dicendum, si quis tempore Jubilæi, vel alias confessario habenti specialem facultatem absolvendi a casibus Summo Pontifici reservatis fuisset confessus, ab eo que ablolutus ab omni vinculo excommunicationis, omissa tamen per oblivionem confessione Casus reservati Papæ: nam talis poterit postmodum per quemlibet confessarium ab eodem casu absolvi, eo quod jam fuerit antea absolutus ab excommunicatione Papæ reservata; sublata autem excommunicatione non amplius manet reservatio Casus Papalis.

7. Infertur ulterius, si quis commisit peccatum Summo pontifici reservatum, sed ob ignorantiam, aut aliam causam a Censura Papali exculatus fuit, talem etiam ab inferiori confessario absolvi posse: siquidem sublata, vel non contracta censura Excommunicationis, etiam ablata censetur reservatio. Pirh. *tit. de Hæreticis nu.* 37. Basæus *verf. Casus reservatus n.* 2. Layman *n.* 2. & alii.

8. CONCL. V. Casus reservati Summo Pontifici, continentur partim in Bulla Cœnæ Domini, sic dicta, quod eandem Summus Pontifex singulis annis in die Cœnæ Domini solemniter promulgari faciat: (a) partim in Jure Canonico, & diversis Bullis Pontificis.

9. CONCL. VI. Etiam Episcopi pro suis Diœcesibus possunt sibi reservare certos casus, a quibus confessarii absolvere nequeunt absque licentia, & facultate ipsorum speciali. Patet hoc tum ex perpetua praxi, seniuque Ecclesiæ; tum ex Concilio Trident. *sess. 14. cap. 7. & can. 11.* sic definiente: *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi Casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo Casuum reservationem non prohibere, quo minus Sacerdos a reservatis vere absolvat: anathema sit.*

10. Cæterum Casus Episcopis reservati continentur in propriis singularium Diœcesium Ritualibus, & variantur juxta exigentiam & diversitatem Diœcesium: quamvis isthæc reservatio non afficiat personam confessarii extra ejusmodi Diœcesin existentis, si Casus in Diœcesi confessarii reservatus non sit, ut dictum *n.* 2.

11. De cætero quoad potestatem absolvendi Sæculares, impositerum Regularibus cavendæ erunt duæ propositiones, ab Alexandro VII. damnatæ, quarum prior, ordine 4. sic sonat: *Prælati Regulares possunt in Foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occultæ, & ab Excommunicatione propter eam incursa.* Posteriore autem, ordine 12. est ista: *Mendicantes possunt absolvere a Casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

QUÆSTIO II.

De absolutione a Casibus reservatis in & extra Articulum mortis.

SUMMARIUM.

12 *In mortis articulo absolvere potest quilibet Sacerdos.*
13 *Articulus mortis, & periculum mortis, quid?*
14 *Sacerdos excommunicatus, in mortis articulo absolvens non fit irregularis.*
15 *Absolutus a Casu reservato in mortis articulo, non tenetur postea se sistere superiori.*
16 *Nisi fuerit annexa excommunicatio.*
17 *Extra articulum mortis nequit Confessarius absolvere a casu reservato.*

18 *Quid, si urgeat necessitas?*
19 *Et Casu reservato sit annexa excommunicatio?*
(b) Ut dictum Tr. 2. Dist. 2. num. 18.
20 *An tunc opus sit, confiteri Peccata reservata?*

22. CONCL. I. In mortis articulo quilibet Sacerdos potest absolvere ab omnibus Casibus reservatis. Patet hoc ex dictis *dist. praced. n.* 53. & Concilio Trid. ibidem relato.

13. Porro per *Articulum mortis* non duntaxat intelligenous est quasi ultimus vitæ spiritus, sed etiam quodvis probabile mortis periculum, sive id accidat ex infirmitate, sive decreto Judicis quempiam morti adjudicantis, sive ex aliis casibus, ut puta ex imminente belli conflictu, partu periculoso mulieris, aut navigatione periculosa, seu valde longa, in qua Sacerdotis copia futura non est. Licet enim in rigore differentia sit inter articulum, & periculum mortis (nam *Articulus mortis* proprie dicitur, quando ex ægritudine prudenter præsumitur mors secutura: *Periculum mortis* vero, cum datur occasio, in qua frequenter homines pereunt, ut in conflictu bellico, in periculosa navigatione, & hujusmodi) in præsenti tamen materia, utpote favorabili, idem est Articulus mortis, & probabile periculum ejus: nam morale periculum in malis ita existimari, & vitari debet, sicut eventus ipse, juxta illud *Ecclesiastici* 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Barbosa *part.* 2. *de offic. & potest. Episc. allegat.* 25. *n.* 81. Diana, Layman, & alii passim.

14. Advertendum etiam, quod Sacerdos excommunicatus in præfato mortis articulo quempiam absolvens, per hoc non incurrat Irregularitatem, ut post alios notat Barbosa *in Collectaneis ad Concilium Trid. sess.* 14. *cap.* 7. *n.* 15. Nec obstat quod ceteroquin violans Censuram Ecclesiasticam, fiat irregularis. Resp. enim, in hoc casu excusare necessitatem sive articulum mortis Proximo impendentis; eo præsertim, quod Concilium Trident. *cit. c.* 14. ad hoc cuivis Sacerdoti expressam facultatem præbeat, ibi; *Atque idco in articulo mortis omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuslibet peccatis & Censuris absolvere possunt.*

15. CONCL. II. Qui propter mortis articulum a Casibus reservatis per infortunium Confessarium fuit absolutus, non tenetur amplius cessante periculo Superiori se sistere, nisi fuerit annexa Censura excommunicationis Superiori reservata. Ita Barbosa *cit. allog.* 25. *num.* 80. & Doctores communiter. Ratio est: quia in mortis articulo habent omnes Sacerdotes potestatem, per se, & directe absolvendi ab omnibus peccatis, ut patet ex Conc. Trid. *l. c.*

16. Additur notanter, *nisi fuerit annexa Censura excommunicationis.* Quia absolutus in mortis articulo ab excommunicatione, cessante tali periculo tenetur se sistere Superiori; non quidem, ut iterum absolvatur, sed ut mandatum ejus accipiat, & conditioni satisfaciat: alioquin enim reincideret in eandem specie excommunicationem, & quidem ipso jure, propter novam inobedientiam, atque contemptum sese debite præsentandi de novo commissum: prout expresse statutum habetur *c. Eos qui de sentent. excommunicat. in* 6. estque communis Doctorum.

17. CONCL. III. Extra casum articuli mortis, si Confessarius non præditus legitima facultate absolvendi animadvertat, quod pœnitens inter alia confiteatur peccatum reservatum, ordinarie loquendo non debet ipsum absolvere, sed ad Superiorem mittere; nisi ipsemet Confessarius possit, ac velit ab eodem facultatem absolvendi petere, tacito tamen nomine pœnitentis. Ita Doctores communiter, & concordat Concilium Trident. *cit. sess.* 14. *c.* 7. cujus verba *n.* 3. referuntur.

18. Dicitur, *ordinarie loquendo.* Nam, si urgeat aliqua necessitas, v. g. si pœnitens longe distet ab Episcopo, & tamen nunc debeat celebrare, vel communicare; tunc confessarius potest absolvere pœnitentem, ita, ut absolutio directe cadat super non reservata, tametsi solum venialia, indirecte vero super reservata: cum onere tamen, ut pœnitens postea Superiori, aut alteri habenti facultatem absolvendi se præsentet, ab eoque, prævia Confessione, a reservatis quoque directe absolvatur. Intelligit, nisi malit ipsemet confessarius a Superiore licentiam absolvendi impetrare, persona non nominata, ut supra dictum.

19. Adde cum Layman *cit. tr. 18. c.* 22. *n.* 10. Suarez, Henriquez, & alios, idem dicendum esse, tametsi Censura excommunicationis, v. g. ob occultam Clerici percussionem, reservationi annexa sit: adhuc enim in casu necessitatis poterit indirecte absolvi ab inferiori confessario. Ratio est: quia

quia excommunicatio solo Jure Ecclesiastico arcet a receptione Sacramentorum, & consequenter cessat ejus obligatio in casu magnæ necessitatis. Quinimo, cum excommunicatus ad vitandam infamiam possit præmissa contritione SS. Eucharistiam suscipere (b) cur non pariter urgente simili necessitate Sacramentum Pœnitentiæ?

20. Cæterum in præmisso casu multi Doctores volunt, per se loquendo sufficere confiteri sola peccata non reservata inferiori confessario; quam sententiam Henricx *dist. 3. de Confess. q.* 5. *n.* 61. valde probabilem affirit, eo quod nemo per se loquendo obligetur ad idem peccatum bis confitendum. Oppositam tamen sententiam plurimi tenent Doctores, estque saluberrimum consilium, & per accidens quandoque necessarium, etiam peccata reservata inferiori Confessario exponere, ut sic pœnitens in rebus necessariis melius instruat, aut si indignus fuerit, a Sacramento Pœnitentiæ repelli possit; prout bene notat Henricx ibidem.

QUÆSTIO III.

De Sigillo Confessionis.

SUMMARIUM.

21 *Sigillum Confessionis, quid?*
22 *Quanta sit ejus obligatio?*
23 *Confessarius tenetur celare peccatum auditum, jure naturali, Divino,*
24 *Et Ecclesiastico.*
25 *Sub Sigillo Confessionis, qua omnia cadant?*
26 *Corollarium.*
27 *Sigillum Confessionis potest violari directe, & indirecte.*
28 *Exempla violationis indirectæ.*
29 *Alia hujus exempla.*
30 *Cautela notabilis.*
31 *Quando Confessarius possit uti notitia Confessionis?*
32 *Cautela.*
33 *An quis possit uti notitia Confessionis ad delinquendo insidias?*
34 *De licentia confitentis, an liceat revelare Confessionem?*
35 *Sententia aliorum.*
36 *Præter Confessarium, qui alii teneantur ad Sigillum?*
37 *Quid, si quis alterius Confessionem scriptam reperit?*

21. CONCL. I. Per *Sigillum Confessionis* aliud non intelligitur, quam obligatio illa, qua in secreto teneri debent peccata ex Sacramentali Confessione cognita. Et hæc obligatio dicitur *sigillum*, sumpta metaphora a sigillo materiali, quo solent obsignari res illæ, quas volumus omnino esse occultas, & secretas.

22. CONCL. II. Certum est, talem obligationem nihil revelandi de peccatis in Confessione auditis, de facto extare: quæ quidem obligatio tanta est, tamque gravitæ Sigillum Confessionis obligat, ut communiter Theologi asserant, non licere confessario ex quacunque causa, etiam gravissima, ut puta ob periculum vitæ suæ, imo nec ob periculum totius reipublicæ, Confessionem revelare, aut peccatum in eadem auditum manifestare. Ratio hujus strictissimæ obligationis est: quia alioquin fieret injuria Sacramento Pœnitentiæ; simulque Confessio redderetur odiosa, & merito retraherentur ab ea Fideles, si scirent, in aliquo casu posse peccata confessa revelari in eorum præjudicium.

23. CONCL. III. Peccatum in Confessione detectum tenetur confessarius celare tum Jure naturali, ac Divino positivo, tum Etiam Ecclesiastico. Ita Scotus 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. & Theologi communiter. Ratio priori partis est: quia alioquin hinc Lex naturæ de servanda Fidelitate, & secreto Proximi celando violaretur, illinc autem Præceptum Christi positivum. Nam Christus, dum instituit Sacramentum Pœnitentiæ, præcepitque Confessionem, simul confessarius arctissimam hanc Sigilli obligationem imposuit: ut patet tum ex perpetua traditione, ac sensu Ecclesiæ: tum ex eo, quia alioquin præceptum Confessionis non esset accommodatum conditioni humanæ, ac spirituali Fidelium utilitati.

24. Ultima pars, quod etiam Jure Ecclesiastico Sigillum confessionis sit præceptum, patet inter alia ex *c. Omnis utriusque sexus de Pœnit. & remiss.* ubi pœna Depositionis a Sacerdotali Officio, ac perpetuæ pœnitentiæ in arcto Monasterio peragendæ, constituitur in, qui Sigillum Confessionis violaverint.

25. CONCL. IV. Sub Sigillo Confessionis non tantum cadunt peccata confitentis, sed etiam peccata complicis, item circumstantiæ peccatorum, quæ ad eorum Confessionem aliquo modo pertinent, & ex quarum revelatione potest confitenti evenire

infamia, vel aliud incommodum: ut puta, si quis confessus sit, se illegitime natum Sacros Ordines recepisse; infamibus parentibus ortum, nobilitatem generis jactasse &c. Tales, inquam, peccatorum circumstantiæ, v. g. defectus natalium, aut generis obscuritas, a confessario manifestari non possunt sine Sigilli violatione. Ratio est, quia per horum, ac aliorum similium revelationem, confitenti fieret præjudicium, & sic Confessio redderetur odiosa.

26. Similiter, atque ob eandem rationem, violatur Sigillum confessionis, si confessarius generatim dicat, Titium sibi confessum esse peccatum mortale, vel habuisse Casum reservatum, aut Censuram excommunicationis. Item, si dicat, se illum non absolvisse, quia non recte dispositus erat. Insuper confessarius violat Sigillum, si peccatum aliquod veniale in specie revelet: secus foret, si solum in genere; cum certum sit, pœnitentem ad minus peccatum veniale confiteri debuisse, nam alioquin confessio non subsisteret. Unde si quis dicat, Titium confessum sibi esse peccatum veniale, Sigillum non violatur: bene tamen si dicat, Titius confessus est mendacium. Monet quoque Layman *l. 5. tr. 6. c. 14. n. 6.* eum alias, cavendum esse confessario, ne aliquo loquendi modo sinistram de confitente opinionem apud alios generet; v. g. si dicat, *Titius maximis onus peccatis sæpe mihi molestus est*. Significare enim videtur, illum scrupulosum esse, & sic indirecte Sigillum confessionis violabit. Quod ultimum, ut melius intelligatur, sit

27. CONCL. V. Sigillum confessionis duplici modo violari potest, directe scilicet, ac indirecte. *Directe* tunc *violatur*, quando confessarius expresse & aperte peccatum confessum, aut aliquid aliud sub Sigillo cadens, manifestat. *Indirecte violatur Sigillum Confessionis*, quando, licet confessarius nihil aperte revelet, ita tamen verbis vel signis se gerit, ut alter possit in notitiam peccati confessi devenire, & colligere, hunc pœnitentem habuisse peccatum mortale, vel certum veniale &c. Ita Doctores communiter.

28. Ista Conclusio, ac præsertim secunda pars ipsius, amplius declaratur exemplis. Sic quippe Parochus publice cuipiam negans Sacramentum v. g. Eucharistiæ, propter solam notitiam e confessione acceptam indirecte frangit Sigillum. Similiter confessarius, si absolute dicat, se non absolvisse Petrum, nulla alia addita rationabili causa, frangit sigillum indirecte, eo quod absolutio nulli negetur, nisi supposita indispositione pœnitentis, aut ob Casum reservatum. Unde, si interrogetur confessarius, an hunc vel illum absolverit, non debet absolute negare, neque affirmare, se absolvisse, si non absolvit; sed optimum erit dicere, se functum fuisse munere suo.

29. Insuper Sacerdos, qui aversionem aliquam a peccatore ex notitia accepta in confessione concipit, ac severiorem vultum ex de causa illi ostendit, aut minus grate ei colloquitur &c. frangit sigillum indirecte: quia sic facto exprobrat pœnitenti peccata confessa; &, si hoc liceret, redderetur confessio multum odiosa: præsertim inter eos, qui simul debent cohabitare. Marchantius, Lugo, Bonacina, & alii. Similiter illicitum est, extra confessionem revocare pœnitenti in memoriam sua peccata confessa, etiam ipsum consolandi gratia; quia ipse hac ratione confunderetur, sicque confessio, si hoc passim liceret, odiosa redderetur.

30. Hinc non immerito Clemens VIII. in Decreto, de casibus reservatis, die 26. Maii 1593. edito (& verbatim refertur a Basseo *verf. casus reservatus, n. 40.*) universis Regularibus sic mandavit: *Tam Superiores pro tempore existentes, quam confessarii, qui postea ad Superioratus gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur &c.* Quod Decretum, etsi specialiter de Regularibus, utpote perpetuo simul cohabitantibus loquatur, quia tamen quoad hoc punctum consonat Juri naturali, ac Divino, etiam ad alios extendendum erit, ne Sacramentalis confessio quoquo modo reddatur odiosa.

31. CONCL. VI. Nihilominus licite utitur confessarius notitia confessionis ad actiones non afferentes ullum prorsus incommodum pœnitenti, vel complici. Ita in re communis: sic enim confessio non redditur ullatenus odiosa, & onerosa. Et utique propter notitiam ex sola confessione hauftam potest confessarius orare DEUM pro salute ipsi pœnitentis, ob confitetudinem occultorum peccatorum de æterna salute periclitantis: potest etiam DEUM orare, ut se per gratiam suam a similibus peccatis misericorditer præservet: potestque se magis præcavere ab illis peccatorum incitamentis, & initiis, quibus videt pœnitentem suum a diabolo seductum fuisse, ac postea graviter cecidisse, & hujusmodi. Rursum Concionator, vel Scriptor rerum ad mores spectantium, potest ejusmodi notitia uti ad parandas tanto aptius Conciones, Commendationes, dummodo hoc ita fiat, ut nulli exinde incommodum sequatur, neque scandalum pusillorum sequi valeat.

32. Et hoc ultimum notanter additur: quia coram simplicioribus hominibus cavendum est confessariis, ac præsertim Concionatoribus, ne dicant, iste hoc vel illud e confessionali scire; nam per hujusmodi dicta facile simpliciores scandalizantur. Unde infert Gobat *tr. 7. Theol. Exper. n. 873.* cum Dicastillo *p. 3. tr. 4. risol. 76.* quod communiter peccent graviter Concionatores, præsertim si sint Parochi, quando dicunt expresse, se hæc vel illa peccata percepisse in confessione; quia communiter homines, præsertim plebei, scandalizantur similibus verbis.

33. Ex dictis patet resolutio illius quæstionis, utrum Sacerdos, si ex notitia confessionis sciat, sibi in via, vel in nemore parari insidias, aut præberi venenum in poculo, possit hoc periculum declinare? Resp. enim, hoc licite fieri, dummodo id occisione aliunde accepta, absque ullo detrimento, pudore, aut manifestatione confitentium fieri possit; ut notat Scotus *4. dist. 21. q. 2. §. ad argumenta*, & Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 26.* citans plurimos alios. Secus dicendum, si id fieri nequeat sine præjudicio, manifestatione, aut suspicione Rei confessi: nam sic redderetur confessio odiosa.

34. CONCL. VII. Utrum de licentia pœnitentis possit confessarius revelare confessionem Sacramentalem, disputant Theologi. Negant plerique ex antiquioribus, ac præsertim Scotus *ibi, dist. 21. q. 2.* Alensis, aliique. Ratio est: quia licet pœnitens possit cedere juri suo, non tamen potest cedere juri Sacramenti, atqui Sigillum est introductum Jure naturali, atque ex primaria Christi institutione, in favorem Sacramenti, & secundario solum in favorem pœnitentis; ergo.

35. Oppositum docent multi alii cum D. Thoma *in supplemento p. 3. q. 11. ar. 4.* Tum quia si pœnitens det licentiam loquendi de peccatis in confessione auditis, videtur cessare ratio secreti naturalis, atque reverentiæ Sacramenti. Tum quia *c. significasti de Adulteriis*, legitur, quod de licentia mulieris Sacerdos, cui hæc confessa fuit, dixerit, eam sibi confessam esse adulterium, nec tamen in hoc casu vel minimum Sacerdos reprehenditur a Papa. Verum Barbosa *ad cit. c. significasti n. 2.* post Navarrum *in c. Sacerdos de pœn. dist. 6. n. 126.* & quidam alii ceosent, illud capitulum loqui non de confessione Sacramentali, sed extra Sacramentum Sacerdoti tam per adulterum, quam adulteram facta. Et hinc prælens Quæstio ulteriori Disputationi Theologicæ reliquitur.

36. CONCL. VIII. Præter confessarium, ad quem Sigillum Confessionis principaliter spectat, obligantur quoque ad tacendum aliæ personæ, ad quas Sacramentalis confessio immediate, vel mediate pervenit: ut puta astantes, quidpiam audientes; interpres, per quem facta est confessio; item ille, cui pœnitens bona fide confitetur existimans eum esse Sacerdotem, cum non sit. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia hujusmodi revelatio foret contra reverentiam Sacramenti, ipsamque confessionem redderet odiosam.

37. Addunt nonnulli, eum quoque teneri Sigillo confessionis, qui confessionem alterius memoriæ causa scriptam reperit. Sed alii rectius negant, hunc Sigillo Sacramentali obligari. Rationem dant, quod talis Scriptura non sit confessio Sacramentalis, sed tantum remote ac per accidens ordinetur ad Sacramentum confessionis. Interim tamen ille, qui talem scriptam confessionem reperit, arctissime secreto naturali obligatur, adeo ut peccet mortaliter, si gravia, seu diffamantia peccata consulto legat, aut lecta aliis evulget: quamvis secus sit, si ex curiositate sola levia peccata legat, vel lecta aliis revelet. Layman *l. c. q. 8. nn. 19.* & alii.

DISTINCTIO X.

De Satisfactione, ut tertia parte Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

De Satisfactione Sacramentali, ejusque acceptatione, & implectione.

SUMMARIUM.

1 *Satisfactio dupliciter sumitur.*
2 *Dimissa culpa non semper remittitur tota pœna peccatis debita.*
3 *Satisfactio, ut est pars Sacramenti Pœnitentiæ, quid?*
4 *Confessarius tenetur pœnitenti aliquam satisfactionem injungere,*
5 *Regulariter loquendo: & an hæc sit pars essentialis.*
6 *Satisfactio Sacramentalis habet effectum remittendi partem pœnæ ex opere operato.*
7 *An peccato mortali peractæ sufficit ad integritatem Sacramenti.*
8 *An tunc habeat effectum ex opere operato sibi correspondentem.*
9 *Solvitur instantia.*
10 *An possit pœnitens respuere pœnitentiam sibi impositam?*
11 *Quid, si Confessarius nolit eam moderari?*
12 *Quid de levi pœnitentia?*
13 *Pœnitens tenetur implere pœnitentiam sibi injunctam.*
14 *Quid, si pœnitentia sit solum levis.*
15 *Tenetur pœnitens per se ipsum implere pœnitentiam.*
16 *An hæc possit ipsi commutari a Confessario?*
17 *Et an tunc necesse sit, repetere priora peccata?*

1. ADvertendum, quod Satisfactio dupliciter accipiatur. I. Generaliter, quomodo importat actionem, qua quis facit quantum debet: sic debitor solvens creditori, dicitur illi satisfacere. II. Specialiter, proprie, ac stricte: quomodo ipsa est actio afflictiva corporis vel animæ, per quam Deo voluntarie satisfacimus pro pœnis temporalibus, quæ remanent ex peccatis virtute pœnitentiæ a DEO quoad culpam jam remissis.

2. Certum siquidem est, quod quidem in justificatione peccatoris aliquando remittatur peccatum tam quoad culpam, quam quoad totam pœnam, adeo, ut nulla remaneat pœna temporalis pro eo luenda; prout contingit in Baptismo, & Martyrio, & quandoque in actu perfectæ Contritionis, vel amoris DEI super omnia. Id tamen non semper fit, quinimo ordinarie loquendo, dimissa per pœnitentiam culpa peccati mortalis, remanet aliqua pœna temporalis, in quam pœna æterna peccato mortali correspondens commutatur, in hoc vel futuro sæculo luenda; prout liquet tum ex Concilio Trident. *sess. 6. c. 14.* & *sess. 14. c. 8.* tum ex pluribus S. Scripturæ locis, ac fusius contra Hæreticos ostendunt Controversistæ.

3. CONCL. I. *Satisfactio*, ut est tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ, est opus bonum pœnale in Sacramento pœnitentiæ a confessario impositum, ad pœnas temporalis peccatis confessis debitæ, compensationem, seu solutionem. Ita Marchantius *tom. 1. Tribunalis tr. 4. tit. 7.* ellque in re communis. Dicitur, *in Sacramento pœnitentiæ a Confessario impositum*; ad excludenda alia opera satisfactoria, & pœnalitates, quæ vel propria voluntate assumuntur, vel a DEO nobis immittuntur: hæc enim deserviunt quidem ad satisfaciendum pro peccatis nostris, non tamen sunt pars Sacramenti Pœnitentiæ, neque satisfactio Sacramentalis; sed talis est ea solum, quæ a Confessario imponitur.

4. CONCL. II. Sacerdos regulariter loquendo tenetur aliquam satisfactionem pœnitenti injungere. Ita communis Doctorum, & patet ex Conc. Trid. *sess. 14. c. 8.* ibi: *Debent ergo Sacerdotes Domini pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere.* Hinc idem Concilium *eit. sess. 14. c. 3. & Can. 3.* inter partes Sacramenti Pœnitentiæ etiam numerat satisfactionem. Nec obstat, quod satisfactio communiter censeatur esse pars integralis hujus Sacramenti: Respondetur enim, hoc parum urgere; quia Sacerdos tenetur etiam integritatem ipsius curare.

5. Intelligo, *regulariter loquendo*: nam incapaci, v. g. moribundo extra usum rationis constituto, nulla satisfactio imponi debet (imo nec potest) non obstante, quod dato signo petitæ Confessionis absolvi debeat. Ex quo liquet, satisfactionem non esse partem essentialem Sacramenti Pœnitentiæ, sed integralem solum: quamvis Masstrius. 4. *dis. 5. nu.* 569. cum aliis hoc intelligendum censeat de satisfactione actu exhibita, idest, de actuali executione ipsius: nam satisfactio Sacramentalis in voto, sive propositum saltem implicitum satisfaciendi, potest dici pars essentialis ipsius in quantum hoc sublato (id est, si pœnitens tale propositum saltem implicitum non haberet, sed contrariam voluntatem) Sacramentum non conficeretur.

6. CONCL. III. Satisfactio Sacramentalis habet virtutem specialem ex opere operato remittendi aliquam partem pœnæ temporalis peccatis debitæ, quam non haberet, si illud ipsum opus esset voluntarie assumptum, aut aliunde impositum. Ita Doctores passim. Ratio est: quia satisfactio a Sacerdote imposita, & a pœnitente adimpleta, est pars Sacramenti pœnitentiæ; ergo habet aliquem effectum ex opere operato, (quia sicut totum Sacramentum, ita & quælibet pars ejus talem habere debet) atqui talis effectus alius non est, nisi remissio pœnæ temporalis peccatis confessis debitæ, ut pote ad quam principaliter ordinatur; ergo.

7. CONCL. IV. Pœnitentia Sacramentalis in statu peccati mortalis peracta, sufficit ad integritatem Sacramenti pœnitentiæ, atque ad implendam præceptum Confessarii de perfolvenda Pœnitentia. Ita omnes Doctores: idque patet tum ex communi sensu Fidelium, qui non solent repetere pœnitentias forsan in statu peccati mortalis peractas, neque ad eas repetendas consueverunt a Confessariis obligari: tum ex eo; quia præceptum jejunii, & alia ejusmodi satis implentur, licet opera præscripta peragantur in statu peccati mortalis.

8. Adde cum Doctore Subtili *4. dist. 15. quæst. 1. §. de quarto* quem sequuntur Scotistæ communiter, & multi alii, ut Navarrus, Vasquez, Medina, Djana, &c. quamvis melius sit pœnitentiam injunctam in charitate perfolvere (quia talis non tantum solvit pœnam, sed etiam meretur augmentum gratiæ, & gloriæ cœlestis) adhuc tamen probabile esse, quod pœnitentia Sacramentalis in statu peccati mortalis peracta habeat effectum remissionis pœnæ temporalis peccatis confessis debitæ, ac sibi ex opere operato correspondentem; eo quod hujusmodi effectus habeatur ex meritis Christi, seu vi Sacramenti Pœnitentiæ, cujus satisfactio illa est pars.

9. Nec obstat, quod homo non sit in statu gratiæ. Tum quia licet is defacto non sit in statu gratiæ, in illo tamen fuit tempore recepti Sacramenti Pœnitentiæ: tum quia, licet ad merendum requiratur status gratiæ, ex nullo tamen capite offenditur, cum etiam requiri ad satisfaciendum virtute Sacramenti prius digne recepti. Verum hæc solummodo probabiliter dicuntur quia multi alii oppositum tenent: imo non pauci hujus sententiæ Authores asserunt, satisfactionem in malo statu peractam delere pœnam non pro tunc, sed positea primum ablato obice, seu recuperato statu gratiæ. Hinc quilibet studeat persolvere Pœnitentiam Sacramentalem in statu gratiæ: sic enim & merebitur, & certo solvet pœnam.

10. CONCL. V. Quamvis pœnitens ex aliqua causa rationabili possit pœnitentiam a Confessario sibi impositam non acceptare, perendo, ut alia sibi imponatur: tamen omnem pœnitentiam ab ipso sibi impositam respuere non potest, si ab eodem absolvi velit. Ita communis. Ratio primæ partis est: quia Pœnitentiæ a Confessario injungendæ debent esse salutares, & convenientes statui seu facultati pœnitentium, juxta Concilium Trid. *sess. 14. c. 8.* ergo ob causam rationabilem, utputa quia ipsam commode peragere nequit, licite potest pœnitens hanc vel illam in particulari pœnitentiam respuere, veluti sibi non convenientem, & rogare Confessarium, ut aliam mitiorem, sibique convenientiorem imponat.

11. Quod si Confessarius sit adeo imprudens, ac indiscretus (prudens enim hoc non facit) ut non obstante rationabili petitione pœnitentis nolit illam pœnitentiam moderari, ac mitiorem imponere; poterit pœnitens licite a Confessione desistere, ac dicere Confessario, se alium minus severum, magisque discretum quæsturum. Nam

pœnitens non tenetur sub peccato mortali quod hoc ei obedire, nisi quatenus cupit ab ipso absolutionem recipere

12. Altera pars ex eo probatur: quia satisfactio est par integralis Sacramenti Pœnitentiæ: ergo tenetur pœnitens, extra casum impotentiæ, aliquam saltem levem Pœnitentiam acceptare, & adimplere, et certe, quis credat, talem esse rite dispositum, si extra casum impotentiæ neque unicum *Ave Maria*, aut prolationem Sanctissimi Nominis JESU, vel percussionem pectoris, vellet pro pœnitentia Sacramentali acceptare? Neque contrarium docet Scotus 4. *dist.* 25. *q.* 1. & *dist.* 18. *quæst. un.* Quia is partim loquitur de pœnitentia peccatis condigna, partim de tali, occasione cujus pœnitens traheretur in desperationem, (tunc enim excusabit impotentia) prout ex ejus verbis desumitur, ac notat Herincx *disp. dif.* 4 *de satisfact. n.* 15. Sanneg. *d.* 12. *q.* 2. *n.* 10. & 12. ac alii.

13. CONCL. VI. Tenetur pœnitens sub peccato adimplere pœnitentiam sibi a Confessario impositam. Patet hoc ex *cap. Omnis utriusque sexus de Pœnit. & remiss.* ubi cuilibet confitenti præcipitur, quod *injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere*. Accedit ratio: quia tenetur pœnitens recipere Sacramentum Pœnitentiæ, non solum essentialiter, sed etiam integraliter, totum.

14. Certum notat hic Suarez *disp.* 38. *sect.* 7. *num.* 4. & 9. cum aliis, quod, quamvis obligatio adimplendi pœnitentiam sit ex genere suo gravis, ac proinde ille peccet mortaliter, qui non adimplet gravem pœnitentiam, vel notabilem ejus partem omittit: tamen, si pœnitentia sit solummodo levis, v. g. dicere quinque *Pater & Ave*, aut modica tantum ejus pars committatur non committatur peccatum mortale, sed solum veniale; quia etiam hic levitas materiæ excusat a mortali.

15. CONCL. VII. Pœnitens tenetur per seipsum implere pœnitentiam Sacramentalem, & non potest eam implere per alium, quem sibi propria auctoritate substituit. Ita Theologi communiter. Ratio est: quia juxta Concilium Tridentinum soli actus pœnitentis sunt quasi materia Sacramenti Pœnitentiæ: ergo debet satisfactio fieri per ipsummet pœnitentem. Concordat textus *c. cap. Omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* Et hinc merito Alexander VII. sequentem, ordine 15. Propositionem damnavit: *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.*

16. CONCL. VIII. Quamvis pœnitens non possit pœnitentiam Sacramentalem sibi impositam propria auctoritate commutare in aliud opus, etiam evidenter melius: potest tamen pœnitentia a Confessario imposita, ab alio ex rationabili causa commutari in aliam pœnitentiam, non solum æqualem, aut meliorem, sed & in minorem. Ita Doctores communiter, ac præsertim Herincx *c. disp.* 4. *num.* 31. Sannig *loc. cit. q.* 3. hoc extendentes ad quemlibet Confessarium, etiam altero inferiorem (dummodo pœnitentia non fuerit a Superiore imposita pro casu reservato) quia idem est Tribunal, atque Judicium ejusdem potestatis in utroque.

17. Utrum autem ad hoc, ut posterior Confessarius possit commutare pœnitentiam prius ab alio impositam, necesse sit, quod ipsi rursus explicentur a pœnitente peccata illa pro quibus prior pœnitentia fuit imposita, variant Doctores. Et quidem probabiliter, ac fecutior est opinio Suarezii, & plurium aliorum Doctorum asserentium, id fieri debere: oppositum tamen, sive hoc non esse necesse, est etiam probabile, ac docetur a Navarro *c.* 26. *Manual. n.* 22. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *c.* 15. *n.* 16. Toleto, Diana, & pluribus aliis. Caterum in praxi optimum erit consilium interrogare pœnitentem vel de peccatis gravioribus, propter quæ altera pœnitentia prius ipsi fuit imposita; vel saltem, an prius habuerit similia peccata ista, de quibus nunc se accusavit: sic enim saltem aliqualiter cognoscetur status pœnitentis, ac proinde poterit alia convenientior pœnitentia eidem imponi.

QUÆSTIO II.

Quænam opera pro Pœnitentia Sacramentali injungenda sint?

SUMMARIUM.

18 *Doctrina Concilii Trident. circa injunctionem pœnitentiæ Sacramentalis.*
19 *Generatim, qua opera possint injungi?*
Omnia bona opera reducuntur ad Orationem, Jejunium, & Eleemosynam.
20 *Confessarius pœnitentiam designaturus, ad quæ debeat attendere?*
21 *Peccatis, quæ generatim coerceandæ pœnitentia.*
22 *Regæ ille in casibus particularibus nequit semper observari.*
23 *Declaratur hoc exemplis.*
24 *In determinanda pœnitentia vitandus est defectus, & multo magis excessus; cur?*
25 *In praxi circa imponendam pœnitentiam, quid observandum?*
26 *Declaratur hoc ulterius.*
(c) Ut jam dictum n. 23.
27 *Alia circa hoc notanda.*
28 *Possunt pro pœnitentia injungi opera aliunde præcepta.*
29 *Sed communiter injungenda sunt opera non præcepta.*
Corollarium.
30 *Potest injungi oratio pro Defunctis.*
31 *Solvitur instantia.*
32 *Modus satisfactionis Sacramentalis, juxta Catechismum Romanum.*

18. PRæmittenda cum primis est salubernima Concilii Tridentini doctrina, quam *sect.* 14. *c.* 8. His verbis proponit: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutares, & convenientes pœnitentias injungere: ne, si forte peccata connivent, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, aliorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præcipue, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.* Hactenus Concilium, cujus verba, utpote veram Catholicam doctrinam continentia, sunt optime notanda: quibus suppositis, sit

19. CONCL. I. Opera, quæ pro satisfactione sacramentali injungenda sunt, debent esse honesta, & moraliter bona, qualia generatim sunt tria, videlicet Oratio, Jejunium, & Eleemosyna. Ita unanimis Theologorum. Omnia enim reliqua bona opera, quæ ex fide viva, atque per Charitatem operantem proficiscuntur, ad hæc tria, veluti tres Justitiæ Christianæ fontes, facile reducuntur, juxta illud Raphaelis Archangeli *Tobiæ* 12. *Bona est Oratio cum Jejunio & Eleemosyna, magis quam thesauros abscondere*, & alibi. Id ipsum patet inductione: siquidem sub oratione comprehenduntur omnes actus religiosi, qui ad DEUM referuntur ut actus, Theologici, Fidei, Spei, & Charitatis; item actus Laudis, Adorationis, Gratiarum actionis, Glorificationis Dei; insuper genuflexiones, Ecclesiarum visitationes, ac hujusmodi. Sub Jejunio comprehenduntur omnes castigationes corporales, cilicia, disciplinæ, vigiliæ, humiliationes, mortificationes. Tandem sub Eleemosyna continentur omnia opera Misericordiæ tam corporalia, quam spiritualia, & alia opera Charitatis erga Proximum.

20. CONCL. II. Confessarius pœnitentiam designaturus ad duo attendere debet, nempe ad magnitudinem qualitatemque peccatorum, & ad pœnitentis dispositionem. Ita Concilium Trid. *n.* 18. relatum, & communiter Doctores, ac præsertim Scotus 4. *dist.* 15. *q.* 1. Ratio est: quia quantum commode fieri potest, patiturque pœnitentis dispositio, debet esse correspondentia aliqua pœnæ ad culpam; juxta illud *Sapientiæ* 11. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*. Et *Deut.* 25. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus.*

21. Quia igitur Peccatum in genere distinguitur in tria membra, scilicet in peccatum seu concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ 1. *Joan.* 2. Hinc observat Doctor noster *cit. q.* 1. quod singula peccatis sic in genere distinctis, correspondeant de congruo propriæ satisfactiones in genere, licet peccato carnis Jejunium, comprehendendo sub hoc quascunque carnis macerationes? peccato superbiæ, & cæteris spiritualibus, Oratio, quæ humiliat spiritum DEO, & roborat contra peccata: peccatis autem circa temporalia, nimirum avaritiæ, & hujusmodi, magis appropriate correspondet Eleemosyna. Idipsum habet Rituale Romanum *cit. de Sacramento Pœnitentiæ*, ibi: *Quarentes* (Minister) *quantum fieri potest, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat: veluti avaris Eleemosynas, luxuriosis jejunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia &c.*

22. Dicitur notanter, *quantum fieri potest*: siquidem locus dicendum, quando speciales circumstantiæ hunc rigorem servare non permittunt. Hinc Doctor Subtilis *loc. citat.* recte subjungit, quod, quamvis hæc sit correspondentia in generali, & de congruo; ea tamen in casibus particularibus non

nec necessario, nec congruenter debeat semper observari, eo quod in casibus spectatis satis frequenter non conveniat facultati pœnitentis pœnitentia illa, quæ correspondet peccatis suis in generali. Unde optime monet, requiri circa hoc discretionem Sacerdotis, qui, ut loquitur Tridentinum, *pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutari, & convenientes pœnitentias injungat.*

23. Declaratur eadem Doctrina exemplis ibidem a Scoto relatis, & inter Theologos communiter receptis. Sic quippe pauperi, qui Eleemosynam dare nequit, non sunt injungendæ Eleemosynæ, etiamsi peccata committa, v. g. furta, secundum congruentiam generalem exigerent Eleemosynam; cum tamen tales non amplius habeant, unde injuste ablatum restituant. Item homini, qui ob continuum laborem jejunare nequit, non sunt imponenda jejunia, quamvis cæteroquin tanta suis peccatis correspondeant, sed potius inducendus est, ut una cum alia pœnitentia sibi convenienti suum continuum laboretn subeat, Denique offerat in remissionem suorum peccatorum. Similiter dives, qui lapsus fuit in peccatum carnis, si est adeo delicatus, quod non velit jejunare, nec alvum macerationem notabilem subire, vel præsumitur, quod si sibi imponeretur, cito abjiceret, & sic peccaret novo peccato; inducendus est ad Orationem, & Eleemosynam, illudque ipsi imponendum, quod libentius recipit, & quod creditur perseverantius adimplere.

24. Interim tenendum est, quod paxin non modicam esse difficultatem in quantitate pœnitentiæ taxanda, magnaque in ea determinanda opus esse discretione. Siquidem ex una parte vitandus est defectus, *ne si forte peccata crescant, & indulgentias cum pœnitentibus agat, levissima quadam opera pro gravissimis delictis injungenda.* Confessarii *aliorum peccatorum participes efficiantur*, prout moner Concilium Trid. c. 8. dum tales non tam inducunt pœnitentes in odium criminum, quam in vilipensionem eorundem, ob levitatem pœnitentiæ injunctæ: nam ut ait S. Ambrosius *Serm. 8. in Psalm. 118. Facilitas venia, incentivum tribuit delinquendi.* Ex altera vero parte multo magis cavendus est excessus, ne vel fideles gravioribus injunctis pœnitentiis scandalizentur, atque ab hoc salutherrimo animarum fuarum remedio deterreantur; vel novi eis laquei injciantur, per neglectum ejusmodi indiscretarum pœnitentiarum denuo peccandi. Pulchre, quantum ad propositum, loquitur S. Chrysostomus, relatus *Can. Alligant. 26. q. 7.* & tandem subjungit: *Est enim extremus medietam pœnitentiam imponentes, nonne melius est, propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Ubi enim Paterfamilias largus est, Dispensator non debet esse tenax. Si DEUS benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? vis apparere sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus.*

25. Verum, quia Sacramentum Pœnitentiæ a Christo per se, ac principaliter institutum fuit in bonum pœnitentis, atque ut animæ ejus vulnera curentur, sequitur imprimis, quod Sacerdos nunquam debeat talem pœnitentiam imponere, quam omnino credit pœnitentem ex imbecillitate, vel alia causa, non impleturum: nam ea hoc ipso non esset *pœnitentia salutaris*, qualem imponendam censet Concilium Tridentinum. Hinc, ut loquitur Joannes Gerson *part. 2. Operum; Tutius est, cum parva pœnitentia, qua sponte suscipitur, & verisimiliter adimpletur, antere confessos ad Purgatorium, quam cum magna non implenda præcipitare in infernum.* Ne tamen confitens ob pœnitentiæ levitatem peccata sua minus æstimet, suaviter monendus erit a Confessario, pœnitentiam impositam non esse commensuratam suis delictis; quare ipsemet sponte exercere studeat alia opera bona in satisfactionem suorum peccatorum.

26. Deinde notandum ex Rituali Romano, pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, non esse injungendam pœnitentiam publicam, utpote infamativam. Item nec talem, unde domestici possint devenire in cognitionem gravioris criminis: uti sunt jejunia extraordinaria, disciplinæ, ac hujusmodi, nisi habeatur occasio similes pœnitentias secreto peragendi, vel saltem sic, ut alii non advertant, ipsas ratione Confessionis injunctas fuisse; nam urget eadem ratio. Rursum sc non expedit pauperibus pro pœnitentia imponere Eleemosynas, neque agrariis vel debilibus jejunia, aut mulieribus longas peregrinationes, nec valde occupatis multas preces, insuper tempore Jubilæi, vel alterius Indulgentiæ plenariæ, levior pœnitentia injungi potest, cum illius defectum suppleat lucratio Indulgentiæ.

27. Quod si vero peccata pœnitentis graviorem exposcant pœnitentiam, is primum leniter disponendus erit ad agnoscendam suo-

orum criminum gravitatem, & quantam pro eis pœnitentiam promeritus fuisset; & postmodum eidem proponi poterunt variæ pœnitentiæ, ipsique relinqui delectus, cum hac admonitione, ut altero, & ipsorte sua, quædam alia pia opera adjungat. Etsi enim regulariter loquendo debeat Sacerdos imponere pœnitentiam sub præcepto, nihil tamen obstat, quin etiam possit quædam opera satisfactoria consulere: hocque aliquando, spectata fragili conditione pœnitentis, quandam pœnitentiæ partem sub consilio injungere. Quinimo Suarez *disp. 38 sect. 6. n. 6.* citans D. Thomam, Navarrus *cap. 26. Manual. n. 23.* Bonacina *disp. 5. de Pœnit. qu. 5. sect. 3. punct. 2. nn. 13.* aliique plures, probabile censent (quamvis contradicant Vasquez, & Lugo *disp. 25. de Pœnit. num. 57.*) per illa verba Sacerdotis, post absolutionem adjunci solita: *Quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum &c.* posse ejusmodi opera in genere injungi pro Pœnitentia, & sic elevari ad Satisfactionem pro peccatis tunc confessis ex opere operato exhibendam. Tandem juvabit injungere frequentiorem Confessionem, præsertim recidivis; atque etiam, ut monet Catechismus Romanus *n. 32.* citandus, ut certis aliquot & definitis diebus orationi vacent, prout Spiritus & prudentia suggesserit.

28. CONCL. III. Possunt pro Pœnitentia Sacramentali injungi non solum opera supererogatoria, seu aliunde indebita, sed etiam opera aliquin præcepta. Ita communis, paucis exceptis. Ratio est; quia, hujusmodi opera, non obstante priori Præcepto adhuc sunt libera, & meritoria, & consequenter satisfactoria.

29. Notant tamen Doctores, communiter loquendo, ac cessante justa causa, non esse imponenda opera aliunde jam præcepta, sed opera supererogatoria. Unde infertur, si confessarius aliud non exprimat, aut ex verbis ipsius, vel aliis circumstantiis oppositum non appareat, censeri, eum velle injungere pro pœnitentia opus aliunde non præceptum: v.g. si injungat, ut die Festo Missam audiat, censetur velle injungere Missam aliam præter eam, quam alioquin pœnitens tenetur die Festo audire. Quod si vero dicat pœnitenti, ut duas Missas audiat die Festo, censetur ex hoc loquendi modo comprehendere etiam Missam alias jam præceptam; & sic de aliis similibus.

30. CONCL. IV. Potest pro Pœnitentia Sacramentali injungi oratio applicanda pro Fidelibus defunctis. Ita Lugo *disp. 25. de Pœnit. sect. 4. n. 62.* cum communiori, quamvis nonnulli oppositum teneant. Ratio est: quia Oratio pro defunctis est acceptissima DEO Eleemosyna, utpote per quam subvenitur animabus Defunctorum summe indigentibus; ergo cum Eleemosyna, sub qua continentur quælibet opera Misericordiæ tam corporalia, quam spiritualia, pro pœnitentia possit imponi, cur non etiam Oratio pro Defunctis?

31. Dices: Oratio, vel aliud opus bonum pro Defunctis applicatum, non prodest pœnitenti ad satisfaciendum pro se ipso; ergo non videtur posse imponi pro satisfactione Sacramentali. Resp. negando antecedens: licet enim satisfactio operis Præcepti applicetur Defunctis, adhuc tamen satisfactio correspondens illi bonæ voluntati, & actui Charitatis Proximi, atque Misericordiæ spiritualis, quo pœnitens ob præceptum confessarii vult orare, & orat pro Defunctis, remanet ipsi pœnitenti, qui proinde non destituitur omni fructu satisfactionis, proveniente ex tali pœnitentia.

32. Confirmatur hæc sententia authoritate Catechismi Romani, jussu S. Pii Papæ V. editi, in quo, agendo de satisfactione, circa finem, præsens Conclusio approbatur, simulque generalis modus satisfactionis Sacramentalis imponendæ assignatur, sequentibus verbis plurimum ponderandis. *Igitur universa satisfactionis modum, culpæ ratio temperabit. Sed ex omni satisfactionum genere maxime convenit pœnitentiam præscribere, ut certis aliquot & definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus, præsertim pro iis, qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces Deo faciant. Hortari vero etiam eos oportet, ut sæpe eadem satisfactionis opera a Sacerdote indicta, ultro suscipiant, ac repetant.*

DI-

DISTINCTIO XI.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

QUÆSTIO I.

Quæ sit materia, & forma Sacramenti Extremæ Unctionis.

SUMMARIUM.

1 *Extrema unctio est pœnitentiæ consummativum. Et Sacramentum exeuntium.*
2 *Est verum novæ Legis Sacramentum, a Christo institutum.*
3 *Extrema Unctio, quid?*
4 *Materia ejus remota, & proxima quæ?*
5 *Oleum quinam sit & esse debeat?*
6 *Quid, si ei admixtum balsamum?*
7 *Oleum illud debet ejus benedictum ab Episcopo.*
8 *Forma Sacramenti Extremæ Unctionis, quæ?*
9 *In quibus corporis partibus sit facienda Unctio?*
10 *Ritualis Unctio in semino semper omittenda: & quando in viris?*
11 *Quid, si quis careat manu, pede &c.*
12 *Manus Presbyteris quando ungenda?*
13 *An in casu necessitatis sufficiat unica Unctio?*
14 *Solvitur instantia.*
15 *Praxis agendum Diœcesium temperepensis.*

1. EXtrema Unctio est ultimum ex illis Sacramentis, quæ vitam Spiritualem cujuslibet Fidelis quoad se promovent: simulque *non modo pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus*, ut loquitur Concilium Tridentinum *sess. 14. in Doctrina de Extrema Unctione*. Et quia nonnisi in mortis articulo recipi potest, hinc & *Sacramentum exeuntium* nuncupatur, juxta citatum Concilium *cap. 3.* De quo loquendo, sit

2. CONCL. I. De Fide certum est, Extremam Unctionem esse verum, & proprie dictum Sacramentum novæ Legis, a Christo Domino institutum. Ita præter perpetuum sensum Ecclesiæ Catholicæ, docet Concilium tum Florentinum in Decreto Unionis, tum Tridentinum *sess. 14. de Extrema Unctione, cap. 1.* ubi sic loquitur: *Instituta est autem sacra hac Unctio infirmorum, tanquam vere & proprie Sacramentum novæ Testamenti, a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem (cap. 6.) insinuatum, per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem, fidelibus commendatum, ac promulgatum* (Jacobi 5.) *Infirmatur, inquit, quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Et ibidem *Can. 1.* sic definit Concilium contra Hæreticos: *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere, & proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, & a Beato Jacobo Apostolo promulgatum &c. Anathema sit.*

3. CONCL. II. Sacramentum Extremæ Unctionis, est *Unctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis partibus corporis cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata a Sacerdote, simul verba certa cum intentione debita proferente, ex institutione divina efficaciter significans curationem spiritualem vitalium.* Ita Doctor Subtilis 4. *dist. 23. quæst. un.* per hæc verba apte declarans naturam hujus Sacramenti quoad singulas partes; prout ex progressu patebit.

4. CONCL. III. Materia remota Extremæ Unctionis est Oleum olivarum ab Episcopo benedictum: Proxima vero est ipsamet Unctio facta hoc oleo. Ita certa, & communis, & constat tum ex Concilio Florentino *loc. cit.* ubi ait, quod Extremæ Unctionis *materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum*; & Tridentino *cit. cap. 2.* ibi: *Intellexit enim Ecclesia, materiam* (Extremæ Unctionis) *esse oleum ab Episcopo benedictum*: tum ex illis verbis Apostoli Jacobi: *Ungentes eum oleo in nomine Domini*.

5. Ex quibus sequitur I. Oleum istud debere esse simplex, ac sine admixtione alterius liquoris: quale est oleum olivarum commune, ac usuale, eo quod tale absolute dicatur oleum.

6. Quod si huic oleo admisceatur balsamum (prout fit in confectione Chrysmatis) re-

tenent equidem nonnulli Doctores, per hoc impediri validitatem hujus Sacramenti: probabilius tamen est, oleum etiam balsamo mixtum esse validam materiam hujus Sacramenti, prout docet Suarez *part. 3. t. 4. disp. 40. sect. 1.* Poncius, Mastrius, aliique plures. Ratio est: quia mixtio balsami, cum sit modica (uti supponitur, ac fieri solet in confectione Chrysmatis) non destruit naturam olei; ergo in substantia remanebit verum oleum ab Episcopo benedictum. Et licet extra casum necessitatis, ob admixtionem balsami, eo uti non liceat, si tamen per errorem, aut alias adhibeatur, Sacramentum valide administrabitur.

7. Sequitur II. Oleum hoc debere ab Episcopo esse benedictum, prout expresse docet Concilium tum Florentinum, tum Tridentinum *l. c.* Et quidem communior Doctorum sententia vult, quod benedictio Episcopi essentialiter requiratur ad valorem Sacramenti Extremæ Unctionis, ita ut adhibito oleo non benedicto ab Episcopo, nullum fiat Sacramentum.

8. CONCL. IV. Forma Sacramenti Extremæ Unctionis est solemnis illa precatio, quam Sacerdos ad singulas unctiones adhibet, cum ait: *Per istam sanctam Unctionem, & suam pissimam Misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum* (auditum, odoratum &c.) *deliquisti*. Ita Concilium Florentinum *l. c.* una cum Concilio Tridentino, ac Rituali Romano Pauli V. Et quamvis hæc forma, sub his ipsis verbis præcise non habeatur ex S. Scriptura, constat tamen tum ex traditione Ecclesiæ, tum insinuatur ab Apostolo Jacobo *cap. 5.* ubi ait. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini*. Nam ly *orent super eum* satis indicat, formam hujus Sacramenti debere esse deprecatoriam.

9. CONCL. V. In septem corporis partibus infirmus communiter est ungendus, nimirum in oculis, propter visum; in auribus propter auditum; in naribus, propter odoratum; in ore, propter gustum, & locutionem; in manibus, propter tactum; in pedibus, propter gressum; & in renibus, propter delectationem ibidem vigentem. Ita expresse Concilium Florentinum, ac Rituale Romanum Pauli V.

10. Dicitur, *communiter est ungendus*. Siquidem circa hoc notat citatum Rituale Romanum, quamvis præter illas corporis partes, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit, nempe oculos, aures, nares, os, & manus, etiam pedes ac renes ungendi sint; attamen renum unctionem mulieribus, honestatis gratia, semper omitti (notandum ly *semper*) atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest: neque tunc sive in mulieribus, sive in viris aliam corporis partem pro renibus ungendam esse.

11. Notat ulterius idem Rituale Romanum, si quis aliquo dictorum membro mutilatus existat, v. g. careat manu, vel pede, quod pars illi loco proxima sit ungenda, servata eadem verborum forma.

12. Notat tertio idem Rituale, quod manus, quæ reliquis infirmis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur. Rationem hujus assignant Doctores: quia Sacerdos in sua Ordinatione jam fuit unctus oleo sacro in parte interiori manuum, id est, in palmis: ac ob id congruum magis censetur, ut postea in exteriori potius manuum parte inungatur, quam in interiori. Cæterum loquendo de valore Sacramenti, nihil refert, Sacerdotem etiam in ipsis palmis inungi; cum hæc Unctio sit diversa ab illa, quam accepit in ordinatione sua. Est tamen hac in re standum consuetudini cujuslibet Diœcesis, ac præsertim ordinationi Ritualis Romani.

13. CONCL. VI. Quamvis multi Doctores velint, ad validitatem hujus Sacramenti necessarias esse ad minimum quinque unctiones in quinque corporis sensibus, cum quinque partialibus formis, quæ correspondent singulis unctionibus: probabile tamen est in casu necessitatis unicam sufficere unctionem, in quacunque corporis parte fiat, cum unica tantum forma, omnes tamen corporis sensus exprimente, talnter: *Per istam sanctam unctionem, & suam pissimam Misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, &c.* Ita Mastrius *disp. 22. Th. Mor. num. 38.* post Suarezium, Coninch, Layman, Poncium, aliosque. Ratio est, quia per unius organi unctionem, factam cum expressione quinque sensuum corporis infirmi, salvatur totum id, quod ad hoc Sacramentum requiritur a S. Jacobo Apostolo; simulque illa unica unctio sufficienter significat effectum hujus Sacramenti: ergo etiam sufficit ad valorem ejus.

14. Nec obstat Concilium Florentinum, ac Rituale Romanum, quæ exigunt septem, vel saltem quinque præcipuarum partium unctiones. Nam hæc loquuntur de eo,

80, quod fieri debet extra casum necessitatis: non autem per hoc intendont definire, omnium harum partium unctionem essentialiter requiri ad valorem Sacramenti.

15. Unde haec sententia non solum a tota Universitate Lovaniensi approbata fuit, ut refert Diana *part. 3. tract. 4. resolut. 468.* sed etiam praescripta in diversis Ritualibus Dioecesanis, ut Mechlinensi, & Passaviensi, pro tempore pestis graffantis, nec non & in Rituali Dioecesano Frisingensi; ubi *c. 6. De Sacramento Extremae Unctionis membratim circa finem*, sic habetur: *In morbis contagiosis, peste graffante, ut periculum vitetur, sufficit tangi sensus organum magis ad Unctionem expositum, ac detectum, ducendo: Per istam sanctam unctionem & suam pissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, lumbos (si tangendi fuerint) & gressum. Et tum preces, qua praemittenda, & subjungenda forent, poterunt privatim dici.*

QUAESTIO II.

De Effectibus, Subjecto, & Iterabilitate Sacramenti Extremae Unctionis.

SUMMARIUM.

16 *Effectus Sacramenti Extremae Unctionis.*
17 *I. Praeter gratiam sanctificantem, remissio peccatorum.*
18 *Effectus remissionis peccatorum, quomodo intelligendus?*
(a) Tract. 14. Dist. 2. num. 23. & 24.
19 *II. Allevatio infirmi, & quomodo?*
20 *Peccatorum reliquiae, quas abstergit hoc Sacramentum, quae?*
21 *III. Liberatio ab infirmitate corporali, quando expedit &c.*
22 *Subjectum Extremae Unctionis capax, quod?*
23 *Nequit ministrari sanis, etiam damnatis ad mortem.*
24 *Quid de pede laborantibus, vulnerato, sanibus?*
25 *Infantibus, ac perpetuo amentibus?*
26 *Vel adultis lapsis in phrenesin, aut amentiam?*
27 *Disparitas inter Sacramentum Poenitentiae, & Extremae Unctionis.*

(b) De hoc videatur supra Dist. 7. q. 4. per totum.
28 *In quo periculo, & statu infirmi, hoc Sacramentum ministrandum?*
29 *Sacramentum hoc est iterabile, & an in eodem morbo?*
30 *Declaratur hoc amplius.*
31 *Sacramentum hoc an sit necessarium ad salutem?*

16. EFfectus Sacramenti Extremae Unctionis paucis verbis a S. Jacobo *in sua Canonica cap. 5.* sequentibus verbis indicantur. *Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Hinc sit

17. CONCL. I. Ultra gratiam habitualem, seu sanctificantem, quae ex opere operato causatur ab omnibus Sacramentis novae Legis, specialis effectus Sacramenti Extremae Unctionis est remissio peccatorum. Patet hoc ex citatis verbis Apostoli Jacobi: *Et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Super quae verba Concilium Trid. *loc. cit. can. 2.* explicans rem, seu effectum hujus Sacramenti, sic ait: *Res etenim haec gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.*

18. Porro effectus iste remissionis peccatorum, intelligendus in primis est de peccatis venialibus, quae si homini per alia Sacramenta, ac remedia, seu opera bona, remissa necdum sunt, virtute hujus Sacramenti remittuntur, si caeteroquin homo sit dispositus. Intelligendus deinde est de remissione poenarum peccatis debitarum, non quidem semper omnium, sed plurium vel pauciorum, juxta dispositionem suscipientis. Quinimo per accidens fieri potest, ut etiam primam gratiam conferat sacramentum illud & peccatum mortale remittat, homini bona fide existimanti, se esse in statu gratiae, illudque cum sola attritione suscipienti; prout jam supra (a) dictum est.

19. CONCL. II. Secundus hujus Sacramenti effectus est, alleviare infirmum, juxta citatum illud D. Jacobi; *Et alleviabit eum Dominus.* Dicitur autem hoc Sacramentum alleviare infirmum, in quantum (ut ait Concilium Trid. *sess. 14. c. 2.*) *agroti animam alleviet, & confirmet, magnam in eo Divinae Misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatur, & morbi incommoda ac labores leviùs ferat, & tentationibus daemonis, calcaneo insidiantis, facilius resistat.*

20. Huc reduci potest alius effectus hujus Sacramenti ibidem a Concilio Tridentino, & communi Theologorum assignatus, qui est *peccatorum reliquias abstergere.* Ubi per *peccatorum reliquias* intelligitur animi languor, & torpor, moeror, tristitia, fastidium & anxietas, & aliae hujusmodi pravae affectiones, quae peccatis praeteritis, eorumque recordatione oriri solent, ac peccatorem in desperationem inducere: & in ordine ad quas removendas proinde plurimum conducit digna hujus Sacramenti susceptio.

21. CONCL. III. Tertius Extremae Unctionis effectus est, liberare infirmum ab infirmitate sua corporali, ubi saluti animae id expedierit; juxta illud cit. Apostoli: & *Oratio fidei salvabit infirmum.* Hunc tamen effectum sanitatis corporalis non semper, ac infallibiliter praestat hoc Sacramentum, ut patet, sed tunc solum, ubi saluti animae infirmi expedierit: prout notat Concilium Trid. *loc. cit. c. 2.* dicens quod infirmus virtute hujus Sacramenti *sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, recuperat.* Et ratio est: quia Sacramenta nullum ex Christi institutione conferunt effectum, nisi in ordine ad spiritualem animae profectum, ac vitam aeternam consequendam.

22. CONCL. IV. Subjectum capax Extremae Unctionis est solus homo baptizatus, rationis compos, & periculose infirmus, ita quod probabiliter mors immineat. Ita communis; & patet tum ex citatis S. Jacobi verbis: *Infirmatur quisquis vobis?* tum ex Concilio Trident. *loc. cit. c. 3.* ubi ait: *Declaratur etiam, esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculoso decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur; unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.*

23. Infertur proinde cum communi, non posse hoc Sacramentum ministrari sanis, neque iis, qui sunt constituti in mortis articulo ob extrinsecam duntaxat violentiam, v. g. damnatis ad mortem, hominibus in naufragio constitutis, militibus ad praelium euntis, & hujusmodi. Ratio est: quia Christi institutione solus homo infirmus est capax hujus Sacramenti, tales autem homines non sunt infirmi, ut patet.

24. Aliud est dicendum de eo, qui pestem contraxit, qui venenum vel vulnus lethale accepit &c. propter quod est in periculo mortis. Talis enim post ejusmodi casum vere jam aegrotat, licet causa illius aegritudinis fuerit extrinseca, & violenta: atque ideo communiter hujusmodi homines censentur esse capaces extremae Unctionis. Idem dicendum de eo, qui ob nimiam senectutem, deficientibus viribus, est constitutus in periculo mortis: etenim & iste vere infirmatur; nam, ut habet vulgatum illud, *senectus ipsa est morbus.*

25. Infertur ulterius, quod infantibus, ac etiam illis, qui perpetuo amentes fuerunt, Extrema Unctio ministranda non sit; uti notat Scotus *4. d. 23. §. De secunda*, cum communi. Ratio est: quia tales non possunt esse poenitentes, id est, non sunt capaces Sacramenti Poenitentiae; ergo nequit Extremae Unctionis, eo quod hoc Sacramentum illius *complementum* existimetur, ut loquitur Concilium Trid. *n. 1.* relatum.

26. Loquendo tamen de adultis, & qui rationis usum habuerunt, tametsi decet, idque curandum sit, ut hoc Sacramentum conferatur infirmis, dum adhuc rationis compotes sunt (sic enim majori cum reverentia suscipietur) attamen non debet denegari morituris, in phrenesin, aut amentiam lapsis, sed est eisdem dandum, dummodo antea Christiane vixerint, atque salutis suae memores fuerint; quod quidem praesumendum est, nisi de contrario constet. Layman *c. 4. n. 3.* & communis,

27. Nec obstat, quod loquendo de Sacramento Poenitentiae (b) Doctores vel oppositum teneant, vel dubitent, an in tali casu sit conferendum illud Sacramentum etiam sub conditione. Resp. enim, disparitatem esse: quia ad Sacramentum Poenitentiae, quod a Christo Domino institutum fuit per modum Judicii, requiritur Confessio sensibilis, qualem tunc adesse dubitatur: haec autem non requiritur ad Extremam Unctionem.

28. Quinimo ad conferendum Sacramentum Extremae Unctionis non est expectandum, donec infirmus omni prorsus sensu careat, aut penitus sit desperata salus ejus; sed sufficit, quod infirmus judicio Medicorum, aut peritorum, periclitetur de vita, sive probabile periculum subsit, ne si diutius differatur illud Sacramentum, mors vel defectio sensuum subito superveniat. Expedit enim, ut ab infirmo periculose aegrotante hoc Sacramentum (si fieri potest) dum adhuc viget integra mens & ratio, recipiatur, sicque is ad ulteriorem illius fructum, gratiamque percipiendam, sua fide, pia-que animi voluntate, se disponere valeat.

He-

Herincx *disp.* 11. *de Extrema Unctione*, *q.* 5. *n.* 41. post Catechismum Romanum, Barbosa *de offic. Parochi c.* 22. *n.* 19. Layman *n.* 4. & alii.

29. CONCL. V. Quamvis hoc Sacramentum simpliciter sit iterabile, si numerum homo in pluribus morbis cum probabili vitæ periculo successive sit constitutus; nihilominus durante eadem necessitate, statuque morbi, Sacramentum istud iterari non potest: quod, si tamen variatur morbi status, & infirmus, postquam reconvaluisse videbatur, denuo in periculum mortis incidat, iterum conferri poterit. Ita certa, & communis Doctorum, atque habetur in Concilio Trident. *l. c. c.* 3. Accidit ratio: quia hoc Sacramentum non imprimit Characterem: ergo est iterabile, superveniente tamen novo vitæ discrimine.

30. Porro illa temporis distantia, morbique varietas, prudenti judicio relinquitur designanda; ita tamen, ut considerata diuturnitate ægritudinis, ac variatione status ejus, censeatur esse novus morbus (id est constituens hominem in novo mortis periculo) ac proinde nova necessitas; & sic primum poterit iterari Sacramentum istud.

31. Posset hic ulterius quæri de necessitate hujus Sacramenti ad salutem. Verum de hoc jam dictum fuit supra *dist.* 2. *n.* 68. & *seqq.* Quamvis enim Fideles ad receptionem Extremæ Unctionis nulla præcepti districtione, per se loquendo, teneantur; tamen (ut loquitur Concilium Tridentinum *cit. cap.* 3.) *nec tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, & ipsius Spiritus sancti injuria esse posset.*

DISTINCTIO XII.

De Sacramento Ordinis.

QUÆSTIO I.

Quid, & quot sint Ordines? Ubi & de prima Tonsura.

SUMMARIUM.

1 *Ratio Ordinis inter Sacramenta.*
2 *Ordo varie sumitur.*
3 *Ordo sumitur & pro præeminenti gradu in Ecclesia, & pro actuali Ordinatione.*
4 *Presbyteratus est Sacramentum, quomodo?*
5 *Declaratur hoc amplius.*
6 *Sacramentum Ordinis, quid?*
7 *Ostiariatus &c. Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, quid?*
8 *Sacerdos &c. quis?*
9 *Ordines sunt septem.*
10 *Prima Tonsura non est Ordo, sed dispositio ad Ordines.*
11 *Effectus primæ Tonsuræ, qui? Privilegium Fori.*
12 *Privilegium Canonis.*
(a) Tr. 13. Dist. 2. nu. 58. & seqq.
Alii effectus primæ Tonsuræ.
13 *Episcopatus, an sit Ordo?*
14 *Comprehenditur sub sacerdotio ample sumpto.*
15 *Omnes, & singuli Ordines, sunt verum Sacramentum. Et causant specialem Characterem.*
16 *Constituunt omnes unum Sacramentum, quomodo?*
(b) Tr. 14. Dist. 1. n. 10. *Quid de Charactere?*

1. ABsolutis Sacramentis, quæ vitam spiritualem cujuslibet fidelis quoad se promovent, recepta Theologorum methodo tractatur de Sacramentis illis novæ Legis, quæ respiciunt totam Communitatem populi Christiani: qualia sunt Sacramentum ordinis, & Matrimonii. Siquidem mediante illo in Ecclesia Catholica constituuntur legitimi Sacerdotes, ac Ministri Ecclesiastici, qui præsint ac legitime gubernare noverint totum Populum Christianum. Post quod sequitur Sacramentum Matrimonii, quo generis humani propagatio ad conservationem Reipublicæ Christianæ requisita perennatur, atque ut honeste ac decenter fiat, specialibus gratiis & auxiliis Divinis roboratur. Et quidem loquendo nunc de Sacramento Ordinis

2. Advertendum est primo, quod nomen Ordinis diversas habet significationes. Nam quandoque sumitur Ordo pro congrua quorumlam inter se dispositione, ut si dicatur: *Exercitus conservat ordinem bonum. Inter*

hæc reperitur nullus ordo. Quandoque pro gradu præeminenti in aliqua Republica: sic dicitur *Ordo Equestris, Ordo Senatorius, Ordo Clericalis &c.* ut taceantur aliæ ejus acceptiones.

3. Advertendum ulterius, quod, quantum attinet ad propositum, ordo dupliciter sumatur: primo pro gradu præeminenti in Ecclesia DEI, id est pro dignitate Ecclesiastica quibusdam personis collata vi Sacramenti ordinis recepti. Secundo sumitur ordo pro ipsa actuali ordinatione, seu institutione alicujus in gradu præeminenti Ecclesiæ: & hoc posteriori modo acceptus ordo, est unum ex septem novæ Legis sacramentis, non item in priore acceptione. Sic v. g. Presbyteratus potest sumi vel pro ipsa actuali ordinatione alicujus in Presbyterum, & sic est sacramentum: vel pro dignitate, seu potestate Sacerdotali, quam quis acquisivit vi ordinationis factæ in Presbyterum, & ratione cujus potest valide consecrare, & absolvere: & hoc modo presbyteratus non est sacramentum, sed potius aliquid consequens ad sacramentum ordinis Presbyteratus jam peractum, sibique collatum. Et quod dicitur hic de Presbyteratu, idem servata proportione dicendum est de Diaconatu, Subdiaconatu, & quatuor ordinibus minoribus.

4. Hinc si quis dicat: Presbyteratus est sacramentum novæ Legis: atqui Petrus, ante unum ordinatus, habet Presbyteratum; ergo Petrus habet Sacramentum ordinis, & quidem adhuc hodie, cum etiam tunc habeat presbyteratum. Resp. distinguendo majorem: Presbyteratus est Sacramentum, sumendo Presbyteratum pro actuali ordinatione alicujus in Presbyterum, conceditur: sumendo presbyteratum pro dignitate, seu potestate sacerdotali permanente, negatur major: & sic distincta minore negatur consequentia.

5. Ratio hujus doctrinæ est: quia ordo est sacramentum consistens in fieri, non autem in facto esse: unde nequit consistere in ipsa dignitate, potestate, & gradu sacerdotali, qui semper permanet, sed tantum in actuali ordinatione, id est, in illa sensibili actione mox transeunte, qua præbetur Clericis illicta potestas, & gradus sacerdotalis. Unde ad hoc indicandum, & vitandum omnem ambiguitatem, atque æquivocationem, Concilium Tridentinum *Sess.* 23. *can.* 3. notanter sic inquit: *Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram ordinationem non esse vere ac proprie sacramentum &c. anathema sit;* per addi-

tum ly *sacram ordinationem*, explicans, quid intelligatur per ly *ordo*, dum dicitur esse sacramentum novæ Legis. His prænotatis, sit

5. CONCL. I. *Sacramentum ordinis* bene definitur dicendo: Ordo est sacramentum novæ Legis, quo spiritualis potestas traditur ordinato ad aliquod Ministerium circa Eucharistiam digne exhibendum. Ita in re communis; potestque hæc definitio sacramenti ordinis in genere, facile cuilibet ordini in particulari applicari, definiendo eosdem per officia singulis propria.

7. Sic *Ostiariatus* est ordo seu Sacramentum novæ Legis, quo traditur ordinato potestas aperiendi, & claudendi januas Ecclesiæ &c. Similiter *Subdiaconatus* est ordo, quo traditur ordinato potestas solemniter cantandi Evangelium, ac proxime ministrandi Sacerdoti circa consecrationem Eucharistiæ. *Presbyteratus* est ordo, seu sacramentum novæ Legis, quo datur ordinato potestas consecrandi Corpus & Sanguinem Christi, atque Fideles confitentes a peccatis absolvendi.

8. Unde *sacerdos* bene describi potest, quod sit vir in præeminenti gradu Ecclesiæ constitutus, habens potestatem consecrandi Corpus & Sanguinem Christi &c. Quomodo (servata tamen proportione) etiam Diaconus, & alius in Ordinibus constitutus, apte poterit describi per officium sibi competens.

9. CONCL. II. Septem sunt ordines in Ecclesia DEI, videlicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, ac Presbyteratus seu sacerdotium. Ita Concilium Trident. *Sess.* 23. *c.* 2. asserens, *ab ipso Ecclesiæ initio distinctum Ordinum numerum, atque unicuique eorum ministeria in usu fuisse.*

10. CONCL. III. Prima Tonsura non est ordo, neque sacramentum, sed mera dispositio ad ordines: ita Theologi communiter, contra plerosque Canonistas, volentes, etiam primam Tonsuram esse ordinem proprie dictum; quorum tententiam ex professo, ac fusissime propugnat Fagnanus in *c. cum contingat n.* 44. & *seqq. de ætate & qual. præficiendorum.* Ratio Conclusionis definitur in primis ex Decreto S. Cæi Papæ & Martyris, qui (ut refertur in Brevario Romano, die 22. Apr.) *constituit, ut his ordinum & lo-*

rum gradibus in Ecclesia ad Episcopatum ascenderetur: Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri: ergo, cum inter hos ordinum gradus non connumeretur prima Tonsura, dicendum, quod ipsa non sit Ordo. Idem probatur ex cit. Conc. Trid. *sess.* 23. *c.* 2. ubi referens nomina ordinum, ab ipso Ecclesiæ initio in usu existentium, pariter tacet primam Tonsuram: quinimo eam satis aperte ab ordinibus secernit, dum ait, quod ordines in Ecclesia *ita sint distributi, ut qui jam Clericali Tonsura insigniti sunt, per minores ad majores ascenderent.* Unde merito ii fere licet, quod prima Tonsura potius sit dispositio ad ordines recipiendos, in quantum per eam patet ascensus ad ordines tum minores, tum majores: simulque per ipsam quis sit Clericus ac de Foro Ecclesiastico, & particeps Privilegiorum Clericalium: Occasione cujus

11. Quæres: qui sunt effectus primæ Tonsuræ? Resp. cum communi, eos esse multiplices, quos enumerat cit. Fagnan. *n.* 112. In primis enim per eam Christiani a Statu Laicali transferuntur ad Clericalem, & de sorte Domini efficiuntur, *arg. can. Duo sunt* 12. *quæst.* 1. & *canon. Cleros dist.* 21. Deinde Tonsurati acquirunt *Privilegium Fori*: hoc est, eximuntur ab omni Potestate, seu Jurisdictione Laicali, *can. Si Imperator dist.* 96. ac proinde non possunt amplius a Judice Laicali in Judicium trahi, incarcerari, vel puniri, sed duntaxat ab Ecclesiastico. Verumtamen novo Jure Conc. Tridentin. *Sess.* 23. *de Reform. cap.* 6. ad hoc, ut prima Tonsura initiatus gaudeat dicto Privilegio Fori, requiritur, quod is vel *Beneficium Ecclesiasticum habeat; aut Clericalem habitum, & Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat; vel in Seminario Clericorum, vel in aliqua Schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur.* Ita Concilium: quod, cum sub disjunctione *aut vel*, loquatur, sufficit quælibet harum trium conditio, ut is Privilegio Fori gaudeat.

12. Rursus prima Tonsura initiatus acquirit *Privilegium Canonis*; ac proinde ipsum injuriose percutiens, incidit ipso facto in excommunicationem, latam *can. Si quis suadente* 17. *q.* 4. de qua jam superius. (a) Item talis potest obtinere beneficium Ecclesiasticum, ut innuit Conc. Trid. *cit. cap.* 6. Est etiam capax omnis Jurisdictionis Ecclesiasticæ, tam ordinariæ, quam delegatæ, cujus merus Laicus est incapax: hinc initiatus prima Tonsura, est capax potestatis excommunicandi, Beneficia conferendi, Causas spirituales cognoscendi, &c. Et tandem gaudet omnibus Privilegiis Clericorum.

13. CONCL. IV. Episcopatus est quidem proprie dictus ordo, tamen commode refertur ad ordinem Sacerdotii: atque ideo simpliciter dicendum est, in Ecclesia DEI esse tantum septem ordines. Ita Theologi passim, contra Canonistas quoad secundam partem. Prior pars defacto est certa, adeo ut oppositum tenere sit periculosum: Siquidem Concilium Tridentinum *sess.* 23. *c.* 4. Episcopatum expresse inter ordines connumerat, dum ait: *Docet insuper Sacrosancta Synodus, in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum ordinum, &c.* Accedit ratio: quia Episcopo competit quædam specialis potestas ordinis, in quantum Episcopo; nimirum potestas conferendi Sacramentum Confirmationis, & ordinationis, simulque consecratio Episcopi amplius tollit, aut dicta potestas valide conficiendi illa Sacramenta, ulterius auferri non potest.

14. Ultima vero pars ex eo suadetur: quia, licet Episcopatus sit ordo a simplici Sacerdotio distinctus, ut docet Concilium Tridentinum *sess.* 23. *can.* 7. tamen & ipse sub generali ratione Sacerdotii comprehenditur, nimirum nempe Sacerdotium ample pro potestate non solum consecrandi, sed etiam valide conferendi omnia alia Sacramenta, quæ requirunt Ministrum consecratum. Quomodo sumendo Sacerdotium, illud postea subdividitur in Presbyteratum, cui competit administratio Eucharistiæ, Pœnitentiæ, ac Extremæ Unctionis; & in Episcopatum, cui insuper convenit potestas conferendi Jure ordinario Confirmationem, & ordinem. Hinc S. Anacletus Papa in *Epistola* 3. *cap.* 1. ait, ordinem Sacerdotum bipartitum esse, scilicet Episcoporum & Presbyterorum.

15. CONCL. V. Omnes, & singuli prædicti ordines, sunt verum ac proprie dictum Sacramentum. Ita communis. Et quidem, quod Sacerdotium sit Sacramentum, est de Fide. Quod autem etiam cæteri ordines inferiores habeant veram rationem Sacramenti, colligitur ex Concilio Florentino, in Decreto Unionis, ac Tridentino *sess.* 23. *cap.* 2. & *can.* 3. ubi absolute, & absque ulla limitatione definitur, ordinem seu sacram ordinationem esse Sacramentum; simulque dicitur, esse septem ordines in Ecclesia

clesia DEI. Accedit, quod omnes & singuli ordines habeant suam determinatam materiam & formam, propriamque significationem, uti patebit ex dicendis *quæst. seqq.* Insuper singuli ordines imprimunt specialem Characterem, ac diversum ab aliis, secundum quod diversæ sunt potestates ministrandi: ut docet D. Bonaventura 4. *dist.* 14. *p.* 2. *art.* 1. *q.* 2. cum communi, ac patet ex eo, quod omnes sint irreiterabiles: atqui Character est effectus proprius Sacramenti, ergo.

16. Cæterum his non obstantibus, omnes dicti septem ordines constituunt in simul unum duntaxat Sacramentum ordinis. Idque sit tum unitate ordinationis, seu finis, in quantum omnes ordinantur ad unum Sacerdotium, ac ratione hujus recipiuntur: tum unitate generis proximi, quatenus omnes & singuli ordines in particulari conveniunt in ratione Sacramenti ordinis ut sic, tanquam in genere proximo. Ac proinde merito a Conc. Tridentino *l. c.* comprehenduntur omnes sub uno nomine Sacramenti ordinis, prout jam superius (b) dictum fuit. Et hac eadem ratione Characteres particulares singulorum ordinum, in simul constituunt unum Characterem totalem & completum ordinis.

QUÆSTIO II.

De Materia, Forma, & Officiis singulorum ordinum.

SUMMARIUM.

17 *Materia, & Forma ordinum generatim, quæ?*
(c) Videatur Tr. 14. Dist. 1. n. 18. & seqq.
18 *Materia Ostiariatus, & forma, quæ? Officium Ostiarii, quod?*
19 *Lectoratus materia, & forma. Officium Lectoris.*
20 *Exorcistatus materia, & forma. Officium Exorcistæ.*
21 *In reliquis Ordinibus datur duplex materia, & forma partialis.*
22 *Acolythatus materia, & forma, duplex, quæ? Officium Acholitorum.*
23 *Objectio, ejusque solutio notabilis.*
24 *Subdiaconatus materia, & forma.*
25 *Subdiaconi officium, quale?*
(d) Ut dictum Tr. 13. Dist. 3. n. 13.
26 *Subdiaconi obligationes speciales, quæ?*
(e) Tr. Dist. 1. n. 12. & 13.
27 *Clerici in Sacris, quo Jure teneantur ad perpetuam continentiam?*
28 *An 'si voti sacris ordinibus annexi?*
29 *Instantia ex Scoto refellitur.*
30 *Diaconatus materia, & forma.*
31 *Officium Diaconi; quod?*
32 *Presbyteratus materia, & forma.*
33 *Officium sacerdotis.*
(f) Ut dictum Dist. 8. n. 7.
34 *Objectio ex Concilio Florentino. Ejusque solutio.*
35 *Quid de Libro Epistolarum respectu Subdiaconatus?*
36 *Alia notabilis objectio.*
37 *Ejusque solutio.*
(g) Tr. 14. Dist. 1. n. 20. & 21.
38 *Uniformitas in materia & forma sacramentorum quomodo detur?*

17. ADvertendum, quod loquendo de materia, & forma ordinum in genere, materia cujuslibet ordinis duplex sit, remota scilicet & proxima. *Materia remota* cujuslibet ordinis est illa res, quæ traditur ab Episcopo suscipienti aliquem ordinem. *Materia proxima* est ipsamet traditio illius rei. Porro forma cujuslibet ordinis in genere sunt verba illa, quæ in collatione singulorum ordinum, ac sub traditione debitæ materiæ proferuntur ab Episcopo, utpote ordinario Ministro Sacramenti ordinis. (c)

18. Verum loquendo de singulis ordinibus in particulari: *Materia ostiariatus* est traditio Clavium Ecclesiæ per manus Episcopi. *Forma*, sunt verba illa ab Episcopo sub porrectione dictarum Clavium Ecclesiæ prolata, videlicet: *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his Clavibus recluduntur.* Porro *Officium Ostiarii* est Templi claves custodire, ejus januam claudere, cymbalum & campanam pulsare. Ita Pontificale Roman. & Catechismus Romanus.

19. *Lectoratus materia*, est traditio Libri Prophetiarum. *Forma* vero talis: *Accipite, & estote verbi Dei relatores; habituri, si fideliter & utiliter impleveritis officium verum, partem cum iis, qui verbum Dei bene ministraverint ab initio.* Porro *Officium Lectoris* est, Lectionem Prophetiarum in Ecclesia pronuntiare, sive canendo, sive solum legendo: item Cathecumenos docere Rudimenta Fidei.

20. *Exorcistatus materia*, est traditio Libri Exorcismorum. *Forma* vero hæc: *Accipite, & commendate memoriæ, habere potestatem imponendi manus super energumenos, sive*

baptizatos, sive catechumenos. Officium Exorcistæ est, imponere manus super energumenos (hoc est, obsessos a dæmonibus) & adjurandos dæmones super eos invocare Nomen Domini, legereque Exorcismos Ecclesiæ, ac ipsos ita præparare, ut Sacris interesse possint.

21. Quantum ad sequentes Ordines attinet, notandum, quod in reliquis Ordinibus duplex reperiatur materia, constituens unam adæquatam, cum duplici forma sibi correspondente, & similiter unam adæquatam formam constituente: qualis in Acolythatu est traditio Cerei extincti, & Urceoli vacui: in Subdiaconatu est traditio Calicis vacui una cum Patena vacua, ac Libri Epistolarum: in Diaconatu impositio manuum Episcopi, atque traditio Libri Evangeliorum: in Presbyteratu traditio Calicis cum vino & patenæ cum hostia superpositæ, ac impositio manuum Episcopi. Itaque

22. Acolythatus una materia, est traditio Candelabri unà cum cereo extincto, cum tali forma: *Accipite Candelabrum cum cereo, & sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipatos, in Nomine Domini.* Altera partialis materia, est traditio Urceoli vacui, cum hac forma: *Accipite Urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in Nomine Domini.* Porro *Officium Acolythorum* est, luminaria Ecclesiæ accendere, atque præparare ad Sacrificium; & portare Cereum accensum ad Altare, præcipue dum Evangelium sub Missa canitur; itemque ampullas vini & aquæ ad Missæ Sacrificium præparare, & ministrare.

23. Nec dicas: Possunt hujusmodi officia pleraque peragi sine dictis ordinibus; ergo frustra ponuntur hi ordines. Resp. enim negando consequentiam. Tum quia per dictos ordines confertur quis in tali gradu Ecclesiæ, ut ejusmodi officia possit solemniter & auctoritative peragere; quod aliis non competit. Tum quia etiam per quatuor ordines minores confertur ordinatis ex opere operato gratia specialis ad ejusmodi officia digniùs peragenda, ut proinde dicti ordines neutiquam sint frustranei.

24. *Subdiaconatus materia* una, est traditio Calicis vacui cum Patena vacua. *Forma* autem talis: *videte, cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut DEO placere possitis.* Altera ejus materia partialis, est traditio libri Epistolarum, cum tali verborum forma: *Accipite Librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia Sanctis DEI, tam pro vivis, quam pro defunctis &c.* Et nota, usque ad Subdiaconatum formas positas esse in plurali, eo quod usque ad Subdiaconatum regulariter loquendo plures soleant simul ordinari, fi additione, quod si vero unus solus ordinatur, tunc dictæ formæ proferuntur in singulari.

25. Porro *Subdiaconi officium* est, Vasa sacra, videlicet Calicem ac Patenam ad usum Sacrificii præparare, atque ad Altare deferre, & Diacono in Altaris ministerio inservire; in Missi Epistolam cum Manipulo solemniter cantare; sine Manipulo enim liceret etiam non Subdiacono cantare Epistolam (d) item Pallas Altaris, Corporalia, Calices & Patenas abluere, ipsamque lotionis aquam in Sacrarium fundere, aliaque juxta Rubricas Missalis in Missæ Sacrificio peragere. Verum occasione horum

26. Quæres I. Quæ sint speciales obligationes Subdiaconi? Resp. cum communi, esse sequentes. I. Subdiaconi, aliique in ordinibus majoribus constituti, tenentur servare perpetuam Castitatem; prout liquet ex *c. Presbyteri dist. 25. & c. a multis de vitæ & honest. cleric. &c. Ut Clericorum de vita & honest. Clericor.* ac alibi. II. Subdiaconi tenentur ad quotidianam recitationem Horarum Canonicarum, prout jam superius (e) dictum est. III. Subdiaconi, aliique in Sacris ordinibus, tenentur deferre Habitum, & Tonsuram Clericalem, *c. si quis ex clericis & c. Clerici de vita & honest. Clericor.*

27. Quæres II. Quo jure teneantur Clerici in Sacris constituti ad servandam perpetuo Continentiam? Resp. I. Initiati sacro ordini non tenentur ad Continentiam ex Jure Divino, sed duntaxat Ecclesiastico. Ita Scotus 4. *dist. 37.* cum communi. Nullibi enim extat tale præceptum Divinum; quinimo Græci in minoribus ordinibus contrahunt, & in superioribus utuntur Matrimonio jam contracto, neque in hoc reprehenduntur ab Ecclesia, *c. cum olim de Clericis conjugat.* prout fieri oporteret, si dicta obligatio descenderet ex Lege Divina.

28. Remanet proinde, quod Clerici in Sacris teneantur ad perpetuam Continentiam jure duntaxat Ecclesiastico, in quantum ordinibus sacris ex generali statuto Ecclesiæ (per textus n. 26. citatos) annexum est Votum perpetuæ Castitatis; prout inter alios tradit Scotus 4. *d. 25. q. 1. §. Hic breviter*, inquiens: *Quia susceptioni ordinis sacri annexum est votum continentiæ, ut habetur extra c. quamvis de vitæ & qual.* Istiusmodi tenet communior Doctorum, atque desumitur ex *cit. c. Cum olim de Cler. conjugat.* ubi Pontifex ait: *Non attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit.* Ex quo Glossa ibidem, argumento a sensu contrario deducto, infert, quod Occidentales sive Latini Clerici, ex voto ad continentiam teneantur: eo enim ipso (inquit) quod quis promovetur ad sacrum Ordinem, cui ex constitutione Ecclesiæ annexum est votum continentiæ, intelligitur tacite vovere continentiam, licet nullam de hoc mentionem faciat. Et hinc *c. nn. de voto in 6.* illud appellatur *Votum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis.*

29. Nec obstat Scotus 4. *dist. 37. q. un.* ex quo loco is passim citatur in oppositum. Resp. enim, Doctorem ibidem solum dicere, quod Ordo sacer non dirimat Matrimonium propter votum continentiæ, sive proprie, sive ex præcepto Ecclesiæ annexum; sed ex hoc solum, quod Ecclesia talem personam faciat simpliciter illegitimam, sive inhabilem ad contrahendum: & hoc est certum, atque patet ex *cit. can. nn. de Voto in 6.* Non tamen Doctor Subtilis ibidem negat, Ordini sacro esse annexum Votum continentiæ, imo hoc ipsum supponit, atque antea, seu *dist. 25. quæst. 2.* jam citata, expresse docet.

30. *Diaconatus materia* etiam duplex est; una impositio manus dextræ Episcopi cum tali verborum forma: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo & tentationibus ejus, in Nomine Domini.* Altera est traditio Libri Evangeliorum, cum hac forma: *Accipe* (aut, si plures simul ordinentur: *Accipite*) *potestatem legendi Evangelium in Ecclesia DEI, tam pro vivis, quam pro defunctis, in Nomine Domini.*

31. Porro *Officium Diaconi* est, Sacerdoti in Missæ Sacrificio immediate assistere, eique ministrare panem & vinum ad consiciendum Eucharistiam, atque Evangelium cum Stola solemniter cantare, aliaque juxta Rubricas Missalis præstare. Tacentur cætera ejus officia; qualia sunt, Sacerdote impedito Verbum DEI ex facultate Episcopi prædicare, & de parochi licentia solemniter baptizare, & hujusmodi.

32. *Presbyteratus* duplex est *materia*, scilicet traditio Calicis cum vino, & Patenæ una cum Hostia superpositæ, cum hac verborum forma: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium DEO, Missasque celebrandi, tam pro vivis, quam pro defunctis, in Nomine Domini.* Altera materia Presbyteratus, est impositio manuum Episcopi super caput ordinandi, cum hac verborum forma: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis; quorum retinueris, retenta sunt.*

33. Porro *Officium Sacerdotis* præcipuum est, consecrare Corpus & Sanguinem D.N. JESU Christi, quæ potestas traditur per traditionem Calicis cum vino, & Patenæ cum Hostia superpositæ; idque fieri solet ante Offertorium, nempe circa finem Tractus, Sequentiæ, vel Alleluja, Evangelium præcedentis. Alterum ejus officium est, absolvere pœnitentes a peccatis, accedente tamen legitima jurisdictione; quæ potestas eidem traditur per manuum Episcopi impositionem, cum debita verborum forma; solentque fieri peracta Communione. (f) Insuper ad Officium Sacerdotis pertinet, alia Ecclesiæ Sacramenta dignis administrare, excepto Sacramento Confirmationis, ac Ordinis, quorum administratio spectat ad Episcopum, veluti ordinarium Ministrum. Item Sacerdotis est, benedicere, baptizare, ac populum DEI opere, doctrina, & exemplo pascere; atque ejusdem necessitatis fervent bus precibus DEO recommendare, aliaque pietatis opera impensius exercere.

34. Objicies contra hactenus dicta: In Concilio Florentino in Decreto Unionis, unica materia assignatur pro Ordine Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus; ergo male assignatur duplex materia horum Ordinum. Antecedens patet. Sic enim loquitur cit. Concilium. *Septum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo: sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino & Patenæ cum pane porrectionem, Diaconatus vero per Evangeliorum dationem. Subdiaconatus per Calicis vacui cum Patena vacua, sistem positæ traditionem.* Resp. negando consequentiam: qua, ut notat Hennex *disp. 10. de Sacramento Ordinis num. 37. & 46.* Concilium Florentinum non intendit assignare adæquatam materiam dictorum Ordinum, sed solum tradere exempla doctrinæ generalis a se præmissæ, nempe materiam cujuslibet Ordinis esse illud, cujus traditione confertur ordo. Unde alteram materiam, ex usu Ecclesiæ jam claram, atque perspectam, non excludit.

35. Fatendum tamen, quod loquendo de

de Ordine Subdiaconatus, plerique Scholastici negent, Librum Epistolarum spectare essentialiter ad materiam hujus Ordinis; alii vero, & quidem melius asserant, traditionem Libri Epistolarum esse partem materiæ hujus Ordinis saltem minus principalem. Gobat. *tr.* 8. *Theol. Exper. n.* 49. & Herincx *l. c. n.* 46.

36. Objicies ulterius. Tempore Apostolorum Diaconi sunt ordinati sine traditione Libri Evangeliorum, utpote qui tunc necdum conscriptus erat; ergo traditio Libri Evangeliorum non est de essentia Sacramenti Diaconatus. Confirmatur. De facto in tota Ecclesia Græca conferuntur Ordines absque omni instrumentorum traditione, per solam manuum impositionem, cum certis verbis singulos Ordines exprimentibus ab Episcopo factam. Atqui ordinatio Græcorum est valida, quia viget non tantum apud Schismaticos Græcos (quos tamen revertentes ad Catholicam Ecclesiam, ipsa recipit in suis Ordinibus) sed etiam apud Catholicos, & illos ipsos, qui Romæ degunt, ibique more suo ordinantur consentiente Papa, ut testatur Herincx *l. c. n.* 51. & Gobat. *l. c. n.* 95. ergo.

37. Resp. cum D. Bonaventura 4. *d.* 24. *p.* 2. *art.* 1. *q.* 4. Bellarmino *lib. un. de Ordine cap.* 9. Lugone *disp.* 2. *de Sacramentis sect.* 5. Marchantio, & aliis Theologis, Christum Dominum non determinasse in particulari, seu specie ultima materiam singulorum Ordinum, sed tantum in genere, nimirum, ut conferrentur per signa sensibilia & verba, quæ sufficienter significarent collationem potestatis talium Ordinum, relinquendo interim Ecclesiæ magis specificam, ac veluti materialem instrumentorum porrigendorum, & verborum determinationem, prout jam superius (g) dictum est. Unde in forma respondendo, negatur consequentia.

38. Instabis. Ergo non est in tota Ecclesia Christi uniformitas quoad materiam, & formam, Sacramenti Ordinis. Resp. distinguendo sequelam: ergo non est uniformitas, quatenus non est ubique eadem materia & forma physice, conceditur; moraliter, & saltem in genere, negatur. Vel (ut alii loquuntur) non est ubique uniformitas, materialiter loquendo, conceditur; formaliter, negatur. Quia semper & ubique juxta Christi institutionem, ac determinationem Ecclesiæ, adhibebatur, & adhibetur talis materia & forma verborum, quæ sufficienter significat collationem potestatis cujuslibet Ordinis.

QUÆSTIO III.

De Ætate, & Qualitatibus Ordinandorum.

SUMMARIUM.

39 *Ordines sacri, seu majores, qui, & cur sic dicantur?*
40 *Ordines minores, seu non sacri, qui?*
41 *Soli masculi sunt capaces Ordinis, non fœminæ.*
42 *In masculis ut ordinari possint, plura requiruntur.*
43 *Sine Baptismo non recipitur Sacramentum Ordinis.*
44 *Ordo potest recipi & valide, & licite.*
45 *Infans, an possit ordinari?*
(h) Vide Tr. 14. Dist. 1. n. 39.
46 *Infans ordinatus, an teneatur servare Continentiam, vel recitare Breviarium?*
47 *Ad Ordines, an requiratur Confirmatio?*
(i) Vide Tr. 14. Dist. 3. n. 48. & 49.
48 *In ordinandis requiritur debita scientia, & qualis?*
49 *Item probitas vitæ, & morum.*
50 *De ætate legitima, & qualis?*
51 *Quid de prima Tonsura, & Ordinibus minoribus?*
52 *Quid juris, si quis ordinetur ante legitimam ætatem?*
53 *Præsertim bona fide?*

39. ADvertendum, quod ex prædictis Ordinibus alii dicantur Ordines majores, seu Sacri; alii Ordines minores. *Ordines sacri, seu majores* sunt tres, videlicet Subdiaconatus, Diaconatus, ac Presbyteratus; & hi quidem ex eo dicuntur *Ordines sacri*, quia habent annexum Votum perpetuæ Castitatis, nec non & obligationem recitandi Breviarium, quibus homines specialiter quasi DEO consecrantur. Dicuntur etiam *Ordines majores*, eo quod per eos ordinati ad majus officium circa Eucharistiam exercendum deputentur: Sacerdos scilicet ad consecrandum; Diaconus vero, ac Subdiaconus, ad proxime assistendum, & ministrandum solemniter Sacerdoti ad altare. Fatendum quidem est, quod Subdiaconatus in primitiva Ecclesia non fuerit connumeratus inter Ordines Sacros, uti patet ex *c. Nullus in Episcopum dist.* 60. de facto tamen Subdiaconatum inter sacros Ordines computari certum est, atque decisum habetur *c. Analtis De ætate & qualit. præsir.*

40. Porro *Ordines minores* sunt alii quatuor, videlicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus. Et dicuntur *minores*, ob minus officium, ad quod ordinantur. Dicuntur etiam quandoque *Ordines non sacri*, non quidem in eo sensu, quasi nihil sacrum sint, aut continent (sunt enim & ipsi verum Sacramentum, juxta dicta *num.* 15.) sed ad differentiam Ordinum majorum, quia per excellentiam, ob rationes jam allatas, appellantur *sacri*, cum econtra Ordines minores nec habeant annexam obligationem recitandi Breviarium, neque Votum perpetuæ Castitatis; ut proinde hisce duntaxat Ordinibus initiati, licite possint contrahere Matrimonium, si velint. Hoc prænotato, sit

41. CONCL. I. Soli masculi sunt capaces Sacramenti Ordinis, non fœminæ. Ita Scotus 4. *dist.* 25. *qu.* 2. ubi hoc refundit in Legem Divinam, atque ordinationem Christi. Idipsum patet tum ex perpetua traditione Ecclesiæ: tum ex eo, quia ne ipse B. Virgo Maria hanc potestatem Ordinis a Christo Filio suo accepit, non obstante, quod fuerit dignior ac excellentior universis Apostolis.

42. CONCL. II. Etsi in masculis, ad hoc, ut quis valide ordinetur, post susceptum Baptismi Sacramentum aliud non requiratur præter debitam materiam & formam, ac intentionem Ministri, atque suscipientis, si is sit adultus; tamen, ut quis licite & absque ullo peccato possit ordinari, plura alia requiruntur. Ita certa, & communis.

43. Notanter tamen additur, *post susceptum Baptismum*. Nam, cum Baptismus sit janua omnium Sacramentorum novæ Legis, sine ipso Sacramentum Ordinis valide non potest recipi. Unde *capit.* 1. *de Presbytero non baptizato*, dicitur: *Si quis Presbyter ordinatus, deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur.*

44. Cæterum, ut data Conclusio melius intelligatur, sciendum, quod dupliciter intelligi possit ordines recipi, valide nimirum, ac licite. *Valide* tunc intelligitur Sacramentum Ordinis recipi (idem dicendum de aliis Sacramentis) quando ipsum ita recipitur, ut valeat, & subsistat Ordo receptus. Quod quidem fieri potest, etiamsi quis recipiat Ordinem in peccato mortali, aut per ejus receptionem actu peccet, dummodo nihil desit de essentialiter requisitis ad ipsius validitatem. *Licite* tunc intelligitur recipi ordo, quando non solum valet Ordo receptus, sed insuper receptio ipsius sit licite, seu absque peccato: & quidem ut hoc posteriori modo recipiantur Ordines, præter sexum masculinum, ac receptionem Baptismi, plura alia requiri, patebit ex sequentibus Conclusionibus.

45. CONCL. III. Parvulis masculis ante usum rationis valide quidem, sed non licite, Sacramentum Ordinis ministratur. Ita Scotus 4. *dist.* 25. *qu.* 2. est que communis Doctorum. Ratio est: quia infans similiter capax est aliorum Sacramentorum, ut Baptismi (h) & Confirmationis; quæ non requirunt in suscipiente proprium consensum, si is nunquam habuit usum rationis. Quod autem talibus Sacramentum hoc licite non conferatur, patet ex eo: quia præter plura alia, quæ in parvulis non reperiuntur, requiritur legitima ætas in ordinandis, ut dicetur in progressu.

46. Cæterum hic notandum, quod, licet Ordo sacer ante usum rationis valide cuiquam conferatur, tamen ordinatus ad servandam Continentiam, vel recitandas Horas Canonicas non astringatur, nisi post adeptos annos pubertatis ratificet: idque verbo, vel facto, nimirum utendo Ordine sacro. Sed semel facta scienter hujusmodi ratificatione post legitimam ætatem, jam non erit ipsi integrum resilire. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 30. cum communi.

47. CONCL. IV. Ut quis licite ordinetur, imo & prima Tonsura initietur, requiritur, quod sit confirmatus. Patet ex Concilio Trid. *Sess.* 23. *c.* 4. *de Reform.* ubi dicitur: *Prima Tonsura non initietur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperit etc.* Quod, si tamen secus fiat, valebit quidem ordinatio, sed scienter sic ordinans, imo & ordinatus peccabit. (i)

48. CONCL. V. Insuper requiritur debita scientia in ordinandis. Ita certa omnium. Requiritur autem Concilium Trid. *cit. Sess.* 23. *cap.* 4. *de Reform.* ad primam Tonsuram, ut intelligas sit Fidei Rudimenta edoctus, & sciat legere & scribere. Ad quatuor Ordines minores requiritur, juxta cit. Concil. Trid. *c.* 11. ut ordinandi saltem Linguam Latinam intelligant. Ad Subdiaconatum, & Diaconatum postulat idem

Concilium *cap.* 13. quod ordinandi sint instructi litteris, & iis, quæ ad Ordinem suum exercendum pertinent. Et eandem ad Sacerdotium exigit in ordinandis tantam scientiam, ut possint populum docere ea, quæ scire omnibus ad salutem necessarium est; simulque ministrare Sacramenta.

49. CONCL. VI. Insuper requiritur ætas, & morum probitas in ordinandis. Patet hoc tum ex ipsa ratione Sacramenti, & Concilio Tridentino *c.* 1. & alibi: tum ex illo Apostoli 1. *Thimoth.* 5. *Manus cito nemini imposueris.*

50. CONCL. VII. Requiritur ulterius ut promovendus ad Sacros Ordines ætas legitima, & a jure præscripta. Est certum, Intelligi, nisi cum aliquo sit legitime dispensatum. Etsi autem antiquitus minor ætas sufficerit, Jure tamen novo Concilii Trid. *sess.* 23. *cap.* 12. *decrevit*, nullus impositarum ad Subdiaconatus Ordinem licite promovetur ante vigesimum secundum, ad Diaconatum ante vigesimum tertium, & ad Presbyteratum ante vigesimum quintum ætatis suæ annum. Sufficit autem annus incipiendi saltem inchoatus; etsi tantum per medium diem aut unicam horam sit inchoatus; prout ex communi docet Hermez *disp.* 10. *de Sacramentis Ordinis, q.* 7. *num.* 72. idque patet ex praxi Ecclesiæ, quæ sic etiam Decretum Tridentinum semper intellexit.

51. Dicitur, *in promovendis ad Sacros Ordines*. Siquidem ad primam Tonsuram & quatuor Ordines minores licite suscipiendos, non requiritur determinata ætas, dummodo adsit sufficiens scientia una cum aliis requisitis: quamvis ante annum decimum quartum (saltem inceptum) talis non possint obtinere Beneficium Ecclesiasticum, prout decrevit Concilium Trident. *citat. sess.* 23. *cap.* 6. *de Reform.* & notat Barbosa *ibid. n.* 2. cum aliis.

52. CONCL. VIII. Ordinatus Ordinibus majoribus ante legitimam ætatem, valide quidem ordinatur, atque recipit Ordinis Characterem; talis tamen ipso Jure est suspensus, & si in tali suspensione ministraverit, efficitur irregularis. Ita de facto communis Doctorum, atque decisum per Bullam Pii II. quæ incipit: *Cum ex sacrorum*, & habetur *tom.* 1. *Bullarii Romani Const. dicti Pontificii.*

53. Hoc tamen intelligendum de eo, qui scienter ante legitimam ætatem permisit se ordinari. Siquidem ordinatus bona fide, & qui post diligentem inquisitionem credidit se ætatem legitimam habere, non incurrit Suspensionem: loquitur enim Constitutio Pii II. de iis, *qui præsumunt* ante legitimam ætatem ordinari; id est, qui scienter ac deliberate, non obstante constitutione Canonum, id agunt. Quamdiu tamen ordinatus ad legitimam ætatem non pervenit, non est licitum eidem ministrare in suscepto Ordine, ne quidem cum licentia Episcopi; cum hic non possit dispensare super ætate contra Sacros Canones.

APPENDIX.

QUæres: quomodo in defectu ætatis quoad annos Sacerdotii præctice impetretur dispensatio?

Resp. I. Si adsit penuria Sacerdotum, in Germania, de speciali Privilegio ad præviam supplicationem ordinarie obtineri solito, possunt dispensare ipsimet Episcopi, nec est necessaria certa formula petendi, modo ceteroquin sufficienter constet de penuria Sacerdotum. Ita patet ex facultatibus ordinarie concessis Germaniæ Episcopis, quarum una ficonat: *Dispensandi super defectu ætatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint.*

Resp. II. Si petatur Dispensatio in ætate tredecim Mensium, vel alias extra penuriam Sacerdotum, recurrendum erit ad Curiam Romanam, ubi non solum ob penuriam Sacerdotum, sed etiam ob solatium Parentum saltem alterutrius viventis, item ob arctationem Beneficii actualis, aut ob Doctoratum Theologiæ, aut Philosophiæ Magistratum &c. dispensatur, & Taxa pecuniaria exurrit ad undecim, vel duodecim Scuta, idest in Moneta nostra ad viginti quatuor circiter florenos. Modus autem petendi esse poterit talis:

Petitur humillime Dispensatio in ætate tredecim Mensium pro N. Diœcesis N. ad effectum recipiendi S. Ordinem Presbyteratus in solatium Patris senio confecti.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De Ministro Sacramenti Ordinis.

SUMMARIUM.

54 *Ordinarius Minister Ordinis, est Episcopus.*
55 *Potestas conferendi Ordines minores, an possit concedi simplici Sacerdoti? Quid de Abbatibus Insulatis?*
56 *Episcopus sine Dimissoriis licite non ordinat alienum subditum.*
57 *Subditus Episcopi, quibus modis quis efficiatur?*

54. CONCL. I. Episcopus est ordinarius Minister Sacramenti Ordinis. Ita definitum est in Concilio Trident. *sess.* 23. *can.* 7. & patet tum ex perpetua praxi, & sensu Ecclesiæ; tum ex S. Scriptura *Actorum* 6. & 2. *Thimoth.* 1. & alibi, quibus in locis non nisi Apostolis, quibus in Ecclesia DEI succedunt Episcopi, legimus aliquos ordinatos esse.

55. Dicitur, *ordinarius Minister*. Siquidem, ut notat Ascanius Tamburinus *de Jure Abbatum tom.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 1. *n.* 3. potestas ordines minores conferendi potest etiam simplici Sacerdoti a Summo Pontifice committi. Unde Abbates Presbyteri, & usum Mitræ ac Baculi habentes, possunt Ordines minores suis subditis conferre: idque ex concessione Sedis Apostolicæ: prout liquet ex *c. Quoniam videmus disp.* 69. & *cap. Cum contingat de Æt. & qual. præsc.* Imo de speciali assensu Episcopi posse Abbates etiam Seculares suis non sibi subditis, ac Regularibus habentibus speciales Dimissorias suiorum Superiorum, conferre primam Tonsuram, & ordines minores, docet citatus Tamburinus, *quæst.* 7. cum pluribus aliis Doctoribus.

56. CONCL. II. Episcopus alienum subditum sine Litteris Dimissoriis licite non ordinat; alioquin scienter talem ordinare præsumens, suspenditur a collatione ordinum per annum, & sic ordinatus ab executione ordinum suscepturum. Ita Concil. Trid. *sess.* 23. *c.* 8. *de Reform.* ubi ait: *Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur &c. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, & ordinatus a susceptorum ordinum executione, quandiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

57. Porro quatuor modis cessatur quis subditus Episcopi, quantum sufficit ad ordines recipiendos. I. Ratione originis: unde potest quisque ordinari in loco, ubi natus sit, licet postmodum alibi domicilium, aut Beneficium possederit, dummodo parentes tempore nativitatis suæ ibidem domicilium habuerint. II. Ratione domicilii. Sic recipiuntur ordines ab Episcopo, in cujus Diœcesi ordinandus habitationem perpetuam constituit. Dicitur notanter, *perpetuam*: nam non sufficit habitatio tantum temporalis in tali loco, v. g. Studiorum causa, aut hujusmodi. III. Ratione Beneficii. Et hinc ordinari quis potest ab Episcopo, in cujus Diœcesi Beneficium possidet, ut dicitur *c. Cum nullus de Tempor. ordinat. in* 6. IV. Ratione triennalis familiaritatis, seu commensalitatis cum Episcopo. Proinde poterit Episcopus ordinare sibi alias non subditum, qui per triennium in ipsius familia, sive servitio, sumptibus ipsius, & ita quasi commensalis fuit, dummodo statim re ipsa Beneficium illi conferat; prout habetur in Conc. Trid. *sess.* 23. *c.* 9. *de Reform.*

QUÆSTIO V.

Solvuntur varia Quæsita circa Sacramentum Ordinis.

SUMMARIUM.

58 *Ordines, quo tempore sint conferendi?*
59 *Præsertim Sacri?*
60 *Quid de Ordinibus minoribus?*
61 *An ordines minores possint eodem die recipi?*
62 *Quid de majoribus?*
63 *Ordines minores, an recipi possint cum Subdiaconatu?*
64 *Sine titulo, ac posse quis ordinari? Titulus, quid?*
65 *Quid de ordinibus minoribus?*
66 *Ejusmodi titulus, quotuplex?*
67 *An requiratur contactus physicus materiæ ordines?*
(k) Ut dictum Tr. 1. Dist. 3. num. 57. & 58.
68 *Præsertim ad valorem Sacramenti Ordinis.*
69 *Declaratur hoc amplius.*

58. QUæritur I. Quo tempore sint conferendi ordines? Resp. I. Circa hoc Concilium Trid. *loc. cit. c.* 6. sic statuit:

tuit: *Ordinationes Sacrorum Ordinum statutis a Jure temporibus publice celebrentur.* Hæc ibi.

59. Resp. II. Sacri Ordines in Sabbatis quatuor Temporum, & in Sabbato præcedente Dominicam Palmarum, & Sabbato Sancto conferri debent. Intelligas nisi specialim Summus Pontifex licentiam concesserit, ut sacri ordines quibusdam extra prædicta tempora conferri possint.

60. Resp. III. Ordines minores possunt conferri non solum in supra dictis Sabbatis Ordinationum, sed etiam singulis Dominicis, festivisque diebus. Ita habetur *c. De eo autem de Temp. Ordinat.* ac in Pontificali Romano.

61. Quæritur II. An possint plures Ordines eodem die suscipi? Resp. I. Quamvis Concilium Trid. *loc. cit. cap.* 13. velit, *Ordines minores per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videatur, conferri debere;* consuetudine tamen in pluribus locis receptum est, ut eodem die, ac eadem Ordinatione quatuor Ordines minores simul conferantur. Nam & hoc, præsertim in Diœcesibus ampioribus, magis expedire visum est.

62. Resp. II. Duo sacri Ordines eodem die nulli sunt conferendi, ne quidem Regularibus. Ita Concilium Trid. *loc. cit. c.* 13. Quod rursus intelligendum, nisi id fiat de speciali licentia Summi Pontificis.

63. Resp. III. Stando Juri communi, non possunt quatuor Ordines minores simul cum Subdiaconatu recipi. Patet hoc ex *c. Litterar. & c. Illectus de tempor. Ordinat.* juncto Concilio Trid. *sess.* 23. *c.* 11. *de Reform.* Dicitur, *Stando Juri communi:* siquidem consuetudinem illam, qua in quibusdam locis eodem die cuipiam quatuor Ordines minores una cum Subdiaconatu conferuntur, recte admittunt Navarrus *cap.* 25. *Manual. numer.* 71. Engel *tit. de Tempor. Ordination. num.* 19. & alii.

64. Quæritur III. An sine Titulo possit quis ordinari, & quotuplex sit Titulus? Resp. I. Per *Titulum* in proposito intelligitur Beneficium Ecclesiasticum, vel aliud medium sese honeste sustentandi. Cum enim non deceat, ut Clerici Divinis Officiis specialiter adscripti, cum Ordinis dedecore mendicent, aut sordidum aliquem quæstum exerceant; ideo nemo ad sacros Ordines admittendus est, nisi ejusmodi Titulum seu medium sese honeste alendi, possit ostendere: prout tum *cap. Nemines, & cap. Sanctorum dist.* 70. ac alib., tum in concilio Tridentino *sess.* 21. *cap.* 2. *de Reformat.* expresse habetur.

65. Dicitur, *ad Sacros Ordines*; nam ad Ordines minores non requiri Titulum, tenet communis Doctorum, ac praxis Ecclesiæ. Ratio est: quia Clerici in Minoribus constituti, si se Clericaliter sustentare nequeant, libere possunt nubere, aliasque negocia secularia exercere. Et hinc Concilium Tridentin. *loc. cit.* notanter prohibet solum, ne quis sine Titulo *ad sacros Ordines promoveatur.*

66. Resp. II. Cum Bonacina *disp.* 8. *de Sacram. Ordinis quæst. un. punct.* 5. *num.* 31. & aliis, ejusmodi Titulum esse triplicem. Primus, est Beneficii Ecclesiastici, dum tale quis pacifice possidet. Secundus Titulus, est Patrimonii, vel Pensionis: ut tamen ad hunc Titulum Patrimonii, vel Pensionis, quis ordinari possit, requiritur insuper, quod Episcopus judicet, talem pro utilitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum esse assumendum, illudque Patrimonium, vel Pensionem, & ad victum sustentandum sufficiens esse, & vere ab ipso obtineri; ut statuit Concilium Trid. *loc. cit.* Tertius Titulus, est Paupertatis, seu professionis Religiosæ; Siquidem Religiosi Professi, utpote propter Christum omnia sua reliquentes, nihilque proprium in hoc Mundo possidentes, ordinantur ad Titulum Paupertatis, juxta Pontificale Romanum: § *De Ordinatione Subdiaconi*, His juxta praxim, atque antiquam consuetudinem Germaniæ, & quarundam aliarum Regionum, addi potest Titulus Mensæ. Sed de hoc, utpote consuetudine solum introducto, Jura mentionem non faciunt; suffius tamen de ipso disserit Ludov. Engel *in Collegio Juris Canonici lib.* 1. *tit.* 14. *n.* 14. *et seqq.*

67. Quæritur IV. An per susceptionem Ordinum sufficiat contactus moralis materiæ sibi per Episcopum porrectæ, dum quis v. g. solam manum Episcopi, vel alterius simul ordinati tangit, non vero ipsam materiam; vel an requiratur etiam contactus physicus, seu immediatus ipsius materiæ. Resp. I. Quantum est de necessitate præcepti, ac in praxi, diligenter curandum est, ne ipsamet materia Ordinis, v. g. Liber Evangeliorum, Calix cum Patena &c. ab ordinandis physice, ac realiter attingatur. Ratio: tum quia Rubricæ Pontificalis hoc præscribunt, quæ proinde sunt observandæ: tum quia in Sacramentis tutior pars, quantum fieri potest, est eligenda: (k) multi autem Doctores, ut D. Thomas, Cajetanus, Paludanus, aliique plures, quos citat Layman *l.* 5. *tract.* 9. *c.* 5. *n.* 8. existimant contactum physicum ac realem materiæ requiri ad substantiam & valorem Sacramenti Ordinis.

68. Resp. II. Nihilominus probabilius est, ad valorem Sacramenti Ordinis sufficere solum contactum moralem materiæ remotæ Ordinationis. Ita Layman *l. c.* Gobat *tr.* 8. *Theol. Exper. n.* 77. estque communior Doctorum. Ratio est: quia per solum contactum moralem jam verificatur verbum illud formæ, *Accipe potestatem &c.* ab Episcopo prolatum. Deinde tam stricta necessitas contactus physici materiæ ad validitatem Ordinis, ex nulla Lege, vel claro textu constat; ergo non est asserenda.

69. Addit tamen non immerito Mastrius *disp.* 19. *Theol. Moral. num.* 26. hoc intelligendum esse de tali contactu morali, quo quis saltem mediate tangit materiam Ordinis, tangendo v. g. manum Episcopi materiam porrigentis: nam sola ostensio, seu porrectio materiæ, absque ullo contactu physico, saltem mediato, non videtur sufficere. Unde & Clemens VIII. aliquos sic ordinatos, sub conditione reordinari præcepit, prout citatus Mastrius refert.

DISTINCTIO XIII.

De Sacramento Matrimonii.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Matrimonium, & quæ bona ipsius?

SUMMARIUM.

1 *Matrimonium dicitur* magnum Sacramentum, *cur? Unde derivetur?*
2 *Appellatur Conjugium, Connubium, Nuptia; & hæ propriæ quid? Ac sponsalia de præsenti.*
3 *Hæc tria, Matrimonium, Contractus Matrimonii, & Sacramentum Matrimonii, distinguuntur.*
4 *Matrimonium, quid?*
(a) De hoc infra Quæst. V. per totum.
5 *Matrimonium dividitur in Legitimum.*
6 *Ratum, &*
7 *Consummatum, & quid?*
8 *Matrimonium, est Sacramentum novæ Legis.*
9 *Quando id a Christo institutum sit?*
10 *Qua ratione jam antea fuerit institutum?*
11 *Olim non fuit Sacramentum, neque de facto est inter Infideles.*
12 *Bona Matrimonii, quæ?*
13 *Alia ejus bona seu effectus.*
(b) Ut dictum Tr. 14. Dist. 2. n. 5. & seqq. ac n. 15.

1. MAtrimonium, quod communiter postremo inter novæ Legis Sacramenta loco tractatur, a D. Apostolo, *ad Ephes.* 5. *Magnum Sacramentum* appellatur. Non quidem in eo sensu, quasi sit omnibus aliis novæ Legis Sacramentis præstantius: sed dicitur *Magnum Sacramentum* ratione suæ significationis, eo quod significet conjunctionem Christi cum Ecclesia: prout idem Apostolus *l. c.* exponit, de Matrimonio Fidelium sic loquens: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Porro *Matrimonium*, juxta nominis ethymologiam, derivatur a ly *matris*, & *munium*, id est, officium: quasi diceretur *matris munium*, eo quod matri maxime incumbat officium nutriendæ prolis, quæ est finis primarius Matrimonii.

2. Matrimonii variæ sunt nomina: quandoque enim dicitur *Conjugium*, eo quod virum ac mulierem subjugo, eodemque quasi mutuo jugo ad servandam fidem, & onera matrimonii sustinenda constituat. Insuper appellatur *Connubium*, & quandoque *Nuptiæ*; eo quod antiquitus pudoris gratia fœmellæ obnuberent, seu faciem velarent, dum viris dabantur; exemplo Rebeccæ, de qua idipsum legitur *Gen.* 24. & notatur *cap. Nec illud* 30. *quæst.* 5. Hodie tamen per *Nuptias* proprie intelligitur ipsamet solemnitas, seu pompa exterior, quæ in contractu matrimoniali communiter adhiberi solet. Et hinc tempore Adventus, & Quadragesimæ, prohibentur celebrari Nuptiæ, hoc est (ut loquitur Concilium Trident. *sess.* 24. *Can.* 11.) *Solemnitas Nuptiarum*; quamvis quo-

quocunque tempore Matrimonium contrahatur, c. *Capellanus*, *de Feriis*. Tandem Matrimonium solet nonnunquam dici *sponsalia de præsenti*: Verumtamen sub his potius intelligitur ipse contractus matrimonialis, per verba præsentis temporis initus. Quod ut melius intelligatur

3. Advertendum cum Doctore Subtili 4. *dist.* 29. *quæst. un.* §. *de quinto*, tria in Matrimonio distingui debere: siquidem aliud est Matrimonium, & aliud contractus Matrimonii, & aliud Sacramentum Matrimonii. *Matrimonium* est ille coniunctio mutua, seu vinculum illud, quo conjuges inter se mutuo indissolubiliter obligati permanent: & sic sumitur communiter Matrimonium absolute prolatum. *Contrahi Matrimonii* est ille mutuus actus voluntatum, signis exterioribus sufficienter declaratus, quo conjuges contrahunt Sponsalia de præsenti. Et iste contractus Matrimonii habet se in ordine ad Matrimonium priori modo sumptum, sicut causa ad effectum; siquidem vinculum Matrimonii causatur, & oritur ex contractu ipso Matrimonii. Tandem *Sacramentum Matrimonii* aliud non est, quam ipsum septimum novæ Legis Sacramentum, seu signum sensibile, ex Christi institutione in digne contrahentibus causans gratiam ex opere operato, illis præmotatis, sit

4. CONCL. I. *Matrimonium* est legitima maris ac fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens. Ita communis: & habetur tum *c. Illud* §. *fin. de Præsumpt. tum* §. 1. *Instit. de Patria potestate*. Siquidem Matrimonium non ad tempus duntaxat, sed quantum est ex natura contractus, & quoad propositum seu intentionem contrahentium, debet contrahi in perpetuum, sive prototo vitæ tempore, quidquid sit, an in certis casibus, atque authoritate Divina denuo possit dissolvi, nec ne. (a)

5. CONCL. II. Matrimonium recte dividitur in legitimum, ratum, & consummatum. Ita communis. *Matrimonium legitimum* dicitur illud, quod legitimo consensu inter personas habiles, seu jure non impeditas, constitutum est. Et dicitur, *legitimum*, quia juxta Leges factum est. Et tale Matrimonium datur non solum inter Fideles baptizatos, sed etiam fuit olim ante Christi adventum, daturque de facto inter Infideles, qui legitime, ideft, absque ullo impedimento dirimente, Matrimonium contrahunt.

6. Matrimonium ratum in se includit legitimum, addit vero rationem Sacramenti, per quod majorem firmitatem acquirit: unde illud dicitur *Matrimonium ratum*, quod non solum legitimo modo est contractum, sed insuper est Sacramentum, nondum tamen consummatum. Et tale Matrimonium ratum datur duntaxat inter Fideles baptizatos, non vero inter Infideles; sicut habetur. *c. Quanto de Divortiis*, ibi: *Etsi Matrimonium verum inter Infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum, & ratum existit.*

7. Tandem *Matrimonium consummatum* dicitur, quod accedente reali corporis usu, seu copula carnali inter conjuges est completum, & consummatum.

8. CONCL. III. Matrimonium inter Fideles baptizatos contractum, est unum ex septem novæ Legis Sacramentis, a Christo Domino institutum. Ita Fides Catholica, estque definitum non solum in Concilio Florentino, sed etiam Trid. *sess.* 24. *Canon.* 1. ibi: *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere & proprie unum ex septem novæ Legis Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre: anathema sit.* Idem probatur ex perpetua traditione ac sensu Ecclesiæ.

9. Quæres: quo tempore Christus instituerit hoc Sacramentum? Resp. cum Scoto 4. *dist.* 26. §. *de primo* Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 4. *num.* 5. & aliis verisimilius id contigisse tunc, quando Christus *Matth. c.* 19. approbavit contractum matrimonii, eo modo, quo primitus a DEO institutus fuerit *Genes. c.* 2. & subjunxit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. His siquidem verbis Christus Dominus, ut Auctor Legis Evangelicæ, videtur elevasse contractum matrimonialem ad rationem Sacramenti: ita ut by *Quod Deus conjunxit*, denotet, Deum non præcise instituisse contractum matrimonialem, sed conjunxisse ex tunc gratiose per institutionem Sacramenti, concomitantis illum contractum matrimonialem: nam alibi planius non invenitur institutio hujus Sacramenti.

10. Dices: Matrimonium a Deo fuit institutum jam ab initio Mundi, & in statu Innocentiæ, *Genes. c.* 2. ergo non primum post Adventum Christi Domini in carne passibili. Resp. distinguendo antecedens: Matrimonium fuit institutum jam ab initio Mundi, in ratione contractus indissolubilis, atque in ordine ad officium naturæ, & legitimam propagationem generis humani, conceditur: in ratione sacramenti, hoc est, signi efficacis digne recipientibus conferentis gratiam ex opere operato, negatur antecedens; & eodem modo distinguitur consequens.

11. CONCL. IV. Matrimonium in lege veteri, sicut & Matrimonium inter Infideles de facto contractum, non obstante quod sit legitimum, atque validum in ratione contractus, nihilominus non fuit, neque est sacramentum. Ita communis: tum quia Matrimonium est unum ex septem novæ Legis sacramentis, a Christo Domino institutum, uti definivit Concilium Florentinum in decreto Unionis, ac Tridentinum *sess.* 7. *can.* & *sess.* 24. *can.* 1. tum quia Baptismus est janua omnium sacramentorum Legis Evangelicæ; & consequenter, quotquot nec dum fuerunt baptizati, existunt incapaces iplorum.

12. Quæres, quæ sint Bona Matrimonii? Resp. breviter cum Magistro Sententiarum 4. *d.* 31. & communi Theologorum. Tria principaliter sunt Bona Matrimonii, videlicet Fides, Proles, Sacramentum. In Fide attenditur, ne post vinculum conjugale cum alio, vel alia coeatur. In Prole, ut amanter suscipiatur, & religiose educetur. In Sacramento, ut conjugium non separetur; & dimissus, vel dimissa, nec causa prolis alteri conjungatur. Concordat Concilium Florentinum *loc. cit.* ubi ait: *Tria sunt bona Matrimonii. Primum, proles suscipienda, & educanda ad Cultum DEI. Secundum, fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium, indivisibilitas matrimonii, propter hoc, quod significet indivisibilem conjunctionem Christi & Ecclesiæ.*

13. Et hæc intelligenda sunt de tribus peculiaribus, & principalibus bonis, sive effectibus Matrimonii. Tum quia illud habet alios quoddam effectus minus principales, ut puta remedium vitandæ incontinentiæ post lapsum, juxta illud Apost. 1. *Corinth.* 7. *Melius est enim nubere, quam uri*, & hujusmodi. Tum quia Matrimonium ut Sacramentum confert gratiam ex opere operato (b) quamvis hic effectus sit communis omnium Sacramentorum, & non peculiaris soli Matrimonio.

QUÆSTIO II.

De Materia, Forma & Ministro Sacramenti Matrimonii.

SUMMARIUM.

14 *Materia remota, & proxima sacramenti matrimonii.*
15 *Forma sacramenti matrimonii, qua?*
16 *An id mutus, & surdus, contrahere valeat?*
17 *Nutus, & signa, eue pro forma sufficiant in hac sacramento, & non in aliis?*
18 *Minister ejus, sunt ipsi contrahentes.*
19 *Solvitur instantia.*
20 *An contrahentes in statu malo, committant duplex peccatum mortale?*
(c) Concordant Tr. 14. Dist. 1. nu. 45.
21 *Parochus assistens matrimonio, proprie non est ejus minister,*
22 *Assistit solum ut Testis authorizabilis.*
(d) Plura de hoc infra Dist. 14. n. 134. 136. & seqq.
23 *Quomodo proferat certa verba?*
24 *Hæc non requiruntur ad valorem sacramenti.*
(e) Ut dicetur Dist. 14. n. 137.
Parochus assistens, an possit dici Minister secundarius?
25 *An peccet mortaliter assistens in statu malo?*
26 *Matrimonium, an possit contrahi per Procuratorem?*

14. CONCL. I. *Materia remota* Sacramenti Matrimonii, sunt corpora habilia contrahentium: *materia proxima* vero, est ipsamet legitima traditio mutua corporum in ordine ad generationem prolis. Scotus 4. *dist.* 26. Martius *disp.* 20. *Tho. Mor. n.* 6. & alii passim. Ratio est: quia Christus instituens hoc Sacramentum, in nullo penitus immutavit naturam contractus matrimonii, sed eum duntaxat ad statum Sacramenti evexit: ergo eadem est materia Sacramenti, quæ contractus: atqui materia contractus matrimonialis, sunt corpora contrahentium, generaliter enim materia cujusliber contractus est res illa, de qua contrahitur: ergo. Cæterum, quod traditio legitima corporum sit materia proxima hujus Sacramenti, probatur a simili; sic quippe etiam in Sacramento Ordi-

quocunque tempore Matrimonium contrahatur, c. *Capellanus*, *de Feriis*. Tandem Matrimonium solet nonnunquam dici *sponsalia de præsenti*: Verumtamen sub his potius intelligitur ipse contractus matrimonialis, per verba præsentis temporis initus. Quod ut melius intelligatur

3. Advertendum cum Doctore Subtili 4. *dist.* 29. *quæst. un.* §. *de quinto*, tria in Matrimonio distingui debere: siquidem aliud est Matrimonium, & aliud contractus Matrimonii, & aliud Sacramentum Matrimonii. *Matrimonium* est ille coniunctio mutua, seu vinculum illud, quo conjuges inter se mutuo indissolubiliter obligati permanent: & sic sumitur communiter Matrimonium absolute prolatum. *Contrahi Matrimonii* est ille mutuus actus voluntatum, signis exterioribus sufficienter declaratus, quo conjuges contrahunt Sponsalia de præsenti. Et iste contractus Matrimonii habet se in ordine ad Matrimonium priori modo sumptum, sicut causa ad effectum; siquidem vinculum Matrimonii causatur, & oritur ex contractu ipso Matrimonii. Tandem *Sacramentum Matrimonii* aliud non est, quam ipsum septimum novæ Legis Sacramentum, seu signum sensibile, ex Christi institutione in digne contrahentibus causans gratiam ex opere operato, illis præmotatis, sit

4. CONCL. I. *Matrimonium* est legitima maris ac fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens. Ita communis: & habetur tum *c. Illud* §. *fin. de Præsumpt. tum* §. 1. *Instit. de Patria potestate*. Siquidem Matrimonium non ad tempus duntaxat, sed quantum est ex natura contractus, & quoad propositum seu intentionem contrahentium, debet contrahi in perpetuum, sive prototo vitæ tempore, quidquid sit, an in certis casibus, atque authoritate Divina denuo possit dissolvi, nec ne. (a)

5. CONCL. II. Matrimonium recte dividitur in legitimum, ratum, & consummatum. Ita communis. *Matrimonium legitimum* dicitur illud, quod legitimo consensu inter personas habiles, seu jure non impeditas, constitutum est. Et dicitur, *legitimum*, quia juxta Leges factum est. Et tale Matrimonium datur non solum inter Fideles baptizatos, sed etiam fuit olim ante Christi adventum, daturque de facto inter Infideles, qui legitime, ideft, absque ullo impedimento dirimente, Matrimonium contrahunt.

6. Matrimonium ratum in se includit legitimum, addit vero rationem Sacramenti, per quod majorem firmitatem acquirit: unde illud dicitur *Matrimonium ratum*, quod non solum legitimo modo est contractum, sed insuper est Sacramentum, nondum tamen consummatum. Et tale Matrimonium ratum datur duntaxat inter Fideles baptizatos, non vero inter Infideles; sicut habetur. *c. Quanto de Divortiis*, ibi: *Etsi Matrimonium verum inter Infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum, & ratum existit.*

7. Tandem *Matrimonium consummatum* dicitur, quod accedente reali corporis usu, seu copula carnali inter conjuges est completum, & consummatum.

8. CONCL. III. Matrimonium inter Fideles baptizatos contractum, est unum ex septem novæ Legis Sacramentis, a Christo Domino institutum. Ita Fides Catholica, estque definitum non solum in Concilio Florentino, sed etiam Trid. *sess.* 24. *Canon.* 1. ibi: *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere & proprie unum ex septem novæ Legis Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre: anathema sit.* Idem probatur ex perpetua traditione ac sensu Ecclesiæ.

9. Quæres: quo tempore Christus instituerit hoc Sacramentum? Resp. cum Scoto 4. *dist.* 26. §. *de primo* Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 4. *num.* 5. & aliis verisimilius id contigisse tunc, quando Christus *Matth. c.* 19. approbavit contractum matrimonii, eo modo, quo primitus a DEO institutus fuerit *Genes. c.* 2. & subjunxit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. His siquidem verbis Christus Dominus, ut Auctor Legis Evangelicæ, videtur elevasse contractum matrimonialem ad rationem Sacramenti: ita ut by *Quod Deus conjunxit*, denotet, Deum non præcise instituisse contractum matrimonialem, sed conjunxisse ex tunc gratiose per institutionem Sacramenti, concomitantis illum contractum matrimonialem: nam alibi planius non invenitur institutio hujus Sacramenti.

10. Dices: Matrimonium a Deo fuit institutum jam ab initio Mundi, & in statu Innocentiæ, *Genes. c.* 2. ergo non primum post Adventum Christi Domini in carne passibili. Resp. distinguendo antecedens: Matrimonium fuit institutum jam ab initio Mundi, in ratione contractus indissolubilis, atque in ordine ad officium naturæ, & legitimam propagationem generis humani, conceditur: in ratione sacramenti, hoc est, signi efficacis digne recipientibus conferentis gratiam ex opere operato, negatur antecedens; & eodem modo distinguitur consequens.

11. CONCL. IV. Matrimonium in lege veteri, sicut & Matrimonium inter Infideles de facto contractum, non obstante quod sit legitimum, atque validum in ratione contractus, nihilominus non fuit, neque est sacramentum. Ita communis: tum quia Matrimonium est unum ex septem novæ Legis sacramentis, a Christo Domino institutum, uti definivit Concilium Florentinum in decreto Unionis, ac Tridentinum *sess.* 7. *can.* & *sess.* 24. *can.* 1. tum quia Baptismus est janua omnium sacramentorum Legis Evangelicæ; & consequenter, quotquot nec dum fuerunt baptizati, existunt incapaces iplorum.

12. Quæres, quæ sint Bona Matrimonii? Resp. breviter cum Magistro Sententiarum 4. *d.* 31. & communi Theologorum. Tria principaliter sunt Bona Matrimonii, videlicet Fides, Proles, Sacramentum. In Fide attenditur, ne post vinculum conjugale cum alio, vel alia coeatur. In Prole, ut amanter suscipiatur, & religiose educetur. In Sacramento, ut conjugium non separetur; & dimissus, vel dimissa, nec causa prolis alteri conjungatur. Concordat Concilium Florentinum *loc. cit.* ubi ait: *Tria sunt bona Matrimonii. Primum, proles suscipienda, & educanda ad Cultum DEI. Secundum, fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium, indivisibilitas matrimonii, propter hoc, quod significet indivisibilem conjunctionem Christi & Ecclesiæ.*

13. Et hæc intelligenda sunt de tribus peculiaribus, & principalibus bonis, sive effectibus Matrimonii. Tum quia illud habet alios quoddam effectus minus principales, ut puta remedium vitandæ incontinentiæ post lapsum, juxta illud Apost. 1. *Corinth.* 7. *Melius est enim nubere, quam uri*, & hujusmodi. Tum quia Matrimonium ut Sacramentum confert gratiam ex opere operato (b) quamvis hic effectus sit communis omnium Sacramentorum, & non peculiaris soli Matrimonio.

QUÆSTIO II.

De Materia, Forma & Ministro Sacramenti Matrimonii.

SUMMARIUM.

14 *Materia remota, & proxima sacramenti matrimonii.*
15 *Forma sacramenti matrimonii, qua?*
16 *An id mutus, & surdus, contrahere valeat?*
17 *Nutus, & signa, eue pro forma sufficiant in hac sacramento, & non in aliis?*
18 *Minister ejus, sunt ipsi contrahentes.*
19 *Solvitur instantia.*
20 *An contrahentes in statu malo, committant duplex peccatum mortale?*
(c) Concordant Tr. 14. Dist. 1. nu. 45.
21 *Parochus assistens matrimonio, proprie non est ejus minister,*
22 *Assistit solum ut Testis authorizabilis.*
(d) Plura de hoc infra Dist. 14. n. 134. 136. & seqq.
23 *Quomodo proferat certa verba?*
24 *Hæc non requiruntur ad valorem sacramenti.*
(e) Ut dicetur Dist. 14. n. 137.
Parochus assistens, an possit dici Minister secundarius?
25 *An peccet mortaliter assistens in statu malo?*
26 *Matrimonium, an possit contrahi per Procuratorem?*

14. CONCL. I. *Materia remota* Sacramenti Matrimonii, sunt corpora habilia contrahentium: *materia proxima* vero, est ipsamet legitima traditio mutua corporum in ordine ad generationem prolis. Scotus 4. *dist.* 26. Martius *disp.* 20. *Tho. Mor. n.* 6. & alii passim. Ratio est: quia Christus instituens hoc Sacramentum, in nullo penitus immutavit naturam contractus matrimonii, sed eum duntaxat ad statum Sacramenti evexit: ergo eadem est materia Sacramenti, quæ contractus: atqui materia contractus matrimonialis, sunt corpora contrahentium, generaliter enim materia cujusliber contractus est res illa, de qua contrahitur: ergo. Cæterum, quod traditio legitima corporum sit materia proxima hujus Sacramenti, probatur a simili; sic quippe etiam in Sacramento Ordi-

Ordinis, traditio materiæ remotæ censetur esse materia proxima ipsius; ergo idem dicendum in proposito.

15. CONCL. II. Forma Sacramenti matrimonii sunt ipsorum contrahentium verba, vel alia signa externa verbis æquivalentia, & mutuum consensum internum, atque traditionem illam corporum sufficienter exprimentia. Ita communis. Tum quia & in cæteris Sacramentis forma consistit in verbis. Tum quia generatim forma contractuum solent esse verba, vel alia signa verbis æquivalentia, quæ sufficienter exprimunt internum consensum contrahentium.

16. Additur, *vel alia signa verbis æquivalentia*. Quia mutus, etsi loqui non valeat, nihilominus Matrimonium contrahere potest: *Cum, quod verbis non potest, signis valeat declarare*, ut dicitur *cap. Cum apud de sponsalibus*. Ubi Pontifex hoc ipsum admittit de muto & surdo, dummodo hic sit compos rationis, & sufficienter intelligat quid agatur.

17. Nec obstat, quod in Baptismo, & aliis Sacramentis novæ Legis, pro forma requirantur verba propriè dicta, neque sufficiant nutus, aut alia signa verbis æquivalentia. Disparitas enim est: quia Sacramentum Matrimonii est institutum a Christo per modum contractus, quinno ipsemet legitimus contractus matrimonialis ad statum Sacramenti elevatus; ergo, cum cæteroquin ad contractum hujusmodi sufficiant signa verbis æquivalentia, non mirum, quod hæc etiam sufficiant ad Sacramentum Matrimonii. Secus fit in aliis Sacramentis, utpote quæ non fuerunt instituta a Christo per modum contractus.

18. CONCL. III. Minister Sacramenti Matrimonii, proprie sunt ipsimet contrahentes; ambo quidem adæquate, singuli autem inadæquate. Ita communis, ac præsertim Scotus 4. *dist. 26. §. ex Ministro*, ubi ait, quod ipsimet contrahentes ministrant sibi hoc Sacramentum, vel mutuo, vel utercque sibi; integrant tamen unum ministrum, sicut idem prius dixerat de forma. Ratio est: quia ille est minister hujus Sacramenti, qui est minister contractus matrimonialis, utpote quem Christus elevavit ad rationem supernaturalem Sacramenti: atqui minister illius contractus, sunt ambo contrahentes; ipsi enim per mutuum consensum faciunt contractum; ergo.

19. Dices: Laicis, ac præsertim fœminis, non competit administratio Sacramentorum; ergo non videtur, quod contrahentes sint minister hujus Sacramenti. Resp. antecedens esse verum duntaxat de illis Sacramentis, quæ requirunt ministrum consecratum, non autem de Matrimonio, utpote quod non requirit ministrum consecratum. Accedit, quod in casu necessitatis possit fœmina baptizare: unde patet, non omnia Sacramenta requirere Ministrum consecratum, quamvis reliqua quinque talem requirant.

20. Urgebis: Si contrahentes sunt minister hujus Sacramenti, ergo ipsi, si in statu peccati mortalis contrahant, duplex committent peccatum mortale; unum quidem, quatenus indigne recipiunt hoc Sacramentum, ut omnes fatentur; & alterum, quatenus indigne ministrant sibi ipsis hoc sacramentum: consequens videtur absurdum, & contra communem sensum hominum; ergo. Respondent non pauci, concessa sequela, ob rationes allatas, negando minorem. Sed iis non obstantibus, Sanchez *l. 2. de Matrim. disput. 6. num. 4.* verius esse censet, tales non committere duplex peccatum mortale, sed duntaxat unum, in quantum videlicet hoc Sacramentum indigne suscipiunt; non autem quatenus illud indigne ministrant; cum non sint ministri ad id munus specialiter consecrati, sed potius illud sibi invicem ministrent ex necessitate quadam, eo quod non nisi per mutuum contrahentium consensum perfici queat. (c)

21. CONCL. IV. Parochus, vel alius sacerdos de ejusdem licentia, juxta præscriptum Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 1. de Reform. matrim.* assistens Matrimonio, illudque benedicens, proprie non est minister hujus sacramenti, sed potius assistit ut Testis authorizabilis. Ita Fagnanus *cap. Quod nobis num. 54. de Clandestin. de sponsat.* & alii. Ratio est: quia Matrimonium clandestinum, aut celebratum sine præsentia Parochi, olim erat validum, & ratum, atque de facto est tale in locis, ubi citatum Decretum Concilii Tridentini nunquam fuit publicatum, aut receptum; ergo hoc ipso Parochus non est minister: nam sine ministro Sacramentum confici nequit.

22. Sequitur proinde, quod Parochus vel alius sacerdos de ejus licentia assistens Matrimonio, proprie non sit minister hujus sacramenti, sed duntaxat Testis authorizabilis illius: hoc est, talis, qui nomine, atque authoritate Ecclesiæ assistere, & cæteroquin in contrahentes habere debet jurisdictionem

nem specialem, vel ab saltem habente istam receptæ licentiam assistendi, ut si secus fieri contingeret, contrahentes per Concilium Tridentinum reddi fuerint omnino inhabiles ad sic contrahendum. (d)

23. Dices: Parochus, aut ille alius Sacerdos, juxta præscriptum Concilii Trid. *loc. cit.* dicit ad virum & mulierem, mutuo eorum consensu intellecto: *Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti*: vel saltem aliis utitur verbis, juxta receptum cujuslibet Provinciæ Ritum; ergo est minister, utpote proferens hujusmodi formam. Resp. negando consequentiam: nam verba ista non proferuntur a Sacerdote per modum formæ (hæc enim sunt verba, vel signa verbis æquivalentia, ipsorum contrahentium) sed adhibentur solum per modum cujusdam precationis, ac Cæremoniæ Ecclesiasticæ, qua confirmatur, approbatur, atque in facie Ecclesiæ rata habetur illa mutua traditio, & acceptatio corporum.

24. Interim hujusmodi verba non necessario requiruntur ad valorem Sacramenti: subsistiret enim Sacramentum, licet Sacerdos assistens nullum proferret verbum, imo etiam positive contradiceret, (e) ac proinde is proprie non est Minister hujus Sacramenti. Dicitur *proprie*. Nam, si quis cum Gobat. *tract. 10. Theol. Exper. n. 396.* & quibusdam aliis, velit dicere, quod Sacerdos utpote ex officio assistens, atque ratificans dictum contractum matrimonialem, sit Minister accidentalis, sive secundarius hujus Sacramenti, non est de verbis litigandum, cum constet de re ipsa.

25. Infertur proinde cum Sanchez *citat. disp. 6. n. 5.* & aliis, quod Sacerdos in statu peccati mortalis assistens Matrimonio, vel Nuptias benedicens, non peccet de novo mortaliter. Neque enim Sacerdos est minister conficiens hoc Sacramentum; simulque benedictio illa non est Sacramentum, sed duntaxat quid Sacramentale.

26. Quæres: an Matrimonium possit contrahi per Procuratorem? Resp. Affirmative, adeo quidem, quod Matrimonium per Procuratorem, ad hoc speciale mandatum habentem, contractum inter Fideles, habeat veram rationem Sacramenti. Ita Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 11.* cum aliis passim. Idque patet ex *c. ult. de Procuratoribus in 6.* ubi approbatur Matrimonium celebratum per Procuratorem, ad hoc speciale mandatum habentem (nam generale non sufficit) dummodo is antea non fuerit revocatus, ne quidem ignoranter. Cum igitur Concilium Tridentinum circa hoc nihil immutaverit, idipsum valebit etiam hoc tempore, & quidem non solum in ratione contractus, sed etiam in ratione Sacramenti, eo quod Christus contractum matrimonialem legitimum inter Fideles elevaverit ad rationem Sacramenti. Accedit praxis, ac sensus Ecclesiæ, quæ defacto permittit publice celebrari Matrimonia per Procuratores, ad hoc habentes speciale mandatum, præsertim inter Magnates.

QUÆSTIO III.

An, & qualis consensus requiratur ad valorem Matrimonii.

SUMMARIUM.

27 *Ad valorem matrimonii requiritur liber ac mutuus consensus.*

28 *Qualis simul ac mutui consensus contrahentium sufficiat?*

29 *Matrimonium ex metu gravi, ac injuste incusso contractum ipso jure nullum est.*

30 *Idem dicendum de sponsalibus.*

31 Coacta voluntas est voluntas, *quomodo intelligendum?*
(f) Vide Tract. 1. Dist. 1. n. 29. & Tr. 8. Dist. 1. n. 18. & seqq.

32 *Quid de metu levi, aut juste incusso?*

33 *Metus reverentialis, an irritet matrimonium?*

34 *Metus reverentialis, quis?*
Adeum quandoque accedunt impertuna preces, minæ, aut sævitia parentum.

35 *Ratio Conclusionis.*

36 *Consensus parentum non requiritur ad valorem Matrimonii.*

37 *Dicet tamen, eundem requirere, ac obtinere: Alioquin peccatur:*

38 *Nisi justa causa excusset.*

27. CONCL. I. Ad valorem Matrimonii omnino requiritur liber ac mutuus consensus contrahentium, verbis aut aliis signis exterioribus sufficienter expressus. Ita unanimis Doctorum; atque habetur *cap. Tua nos de sponsal.* ubi ob defectum consensus ex parte alterius, matrimonium declaratur esse nullum. Quia (inquit Pontifex) *sine consensu cætera nequiunt fœdus perficere conjugale.*

28. CONCL. II. Etsi ad validitatem Ma-

Matrimonii requiratur aliqua simultas mutui consensus de præsenti ex parte contrahentium, ea tamen non necessario debet esse physica, sed sufficit moralis, qualis sufficere solet ad contractum legitimum. Ita Scotus 4. *dist.* 26. Mastrius *eis. disp.* 20. *numer.* 31. & alii; atque concordant dicta superius *Disputat. 1. num.* 26. & 30. Hinc quippe Matrimonium potest contrahi per Procuratorem, imo & per litteras; & consequenter non necessario requiritur simultas physica consensuum, sed sufficit moralis: Cessetur autem consensus tandiu moraliter perseverare, donec expresse, vel saltem implicite revocetur: quod tum ex intentione ac dispositione contrahentis, tum ex modo consentiendi, ac variis circumstantiis discerni debet.

29. CONCL. III. Consensus metu gravi, atque injuste incusso extortus, non sufficit ad valorem Matrimonii: quinimo istud ex tali metu contractum est ipso jure nullum tam in Foro externo, quam conscientiæ. Ita Scotus 4. *dist.* 29. Sanchez *lib.* 4. *dist.* 12. & communis. Idque patet ex *c. Veniens il 2.* & *c. Cum locum de spons.* ubi Pontifex hujus rationem reddit: quia (inquit) *locum non habet consensus, ubi metus, vel coactio intercessit*: atqui Matrimonium solo consensu contrahitur; ergo.

30. Hic hoc ipsum communiter, & probabilior Doctorum, quos citat, & sequitur Sanchez *cit. lib.* 4. *disp.* 14. extendit ad sponsalia de futuro ex metu injusto, & cadente in virum constantem contracta; quod nimirum & ipsa irrita sint ipso jure, sicque non induxant impedimentum Justitiæ publicæ honestatis. Tum quia *connexorum idem est judicium arg. c. Translato de Constitut.* Tum quia sponsalia metu contracta, si semel valeant, non posset amplius per sententiam Judicis ex toto, & quoad omnem suum effectum rescindi, cum semper remaneret impedimentum Justitiæ publicæ honestatis; unde cessat hic ratio, quæ militat de aliis contractibus. Accedit textus *c. Ex litteris de Despons. impuber.* ubi sponsalia impuberum de præsenti (qualia olim habebant vim sponsalium de futuro) censentur irrita, & nullius obligationis, eo quod fuerint contra ita ex gravi metu, atque a puella invita, & minis parentum impulsa.

31. Nec obstat illud vulgatum Juris Consultorum: *Coacta voluntas est voluntas*. Resp. enim, id procedere regulariter loquendo, ac præsertim in Contractibus civilibus, ubi per rescissionem actus, sententia Judicis ea ctam, totum damnum facile recuperabile est. Secus dicendo in Matrimonio, ac sponsalibus, utpote, si semel valerent, perpetuo inducerent impedimentum justitiæ publicæ honestatis: item & in Professione Religiosa, ac nonnullis aliis (f) ubi ob speciales rationes requiritur omnimoda libertas, neque sufficit voluntas coacta. Idque vel Jure naturali (prout loquendo de Matrimonio, censent Doctor Subtilis 4. *d.* 29. *q. un.* §. *De secundo*. D. Thomas, D. Bonaventura, plurisque alii) vel saltem Jure Ecclesiastico, pronit volunt quidam alii apud Sanchez *loc. cit. disp.* 14.

32. Dicitur notanter *n.* 29. *consensus metu gravi*. Nam secus dicendum de metu levi; hic enim non sufficit ad invalidandum Matrimonium. Et additur, *atque injuste incusso*. Si enim metus cæteroquin gravis, juste incussus fuit, non obstat valori matrimonii: ut v. g. si Episcopus minatus Titio excommunicationem, nisi Bertham, cum qua prius habuit sponsalia, accipiat in uxorem; aut si Judex sub justis pœnis cogit aliquem ad discendam puellam, quam defloravit; vel si quis metu gehennæ, sive ob remorsum conscientiæ adigatur ducere quandam in uxorem, &c. Per hujusmodi enim metum, utpote juste incussum, non invalidatur Matrimonium. Sanchez *lib.* 4. *de Matrim. disp.* 13. cum communi. Tandem subditur, *extortus*. Nam dicta in conclusione non solum procedunt, quando revera tempore contractus deest consensus internus (tunc enim ob defectum interni consensus nullum foret matrimonium) sed etiam, quando is tunc adest, verum non nisi metu gravi, atque injuste incusso extortus.

33. CONCL. IV. Etsi non pauci probabile esse existiment, metum reverentialem sufficere ad irritandum Matrimonium, nihilominus probabilius est, solum revertiam ergo Majores, sive metum reverentialem, non sufficere ad reddendum Matrimonium irritum, nisi simul accesserint sævitia, vel graves minæ parentum, aut Majorum, vel preces importunæ. Ita Sanchez *cit. lib.* 4. *dis.* 6. & 7. Mastrius *disp.* 7. *n.* 123. *ac sequ.* & plures alii, quos citant.

34. Ubi notandum, quod per *Metum reverentialem* hoc loco non intelligatur metus ille, seu verecundia, quæ naturaliter inest filius respectu parentum, atque aliorum, quibus debetur reverentia: sed in proposito ille censetur *Metus reverentialis*, quando filius animo prorsus repugnante, & quasi coactus, consentit in Matrimonium sibi a patre oblatum, non audens præ pudore ac reverentia contradicere, timendo, ne patrem offendat, aut alium, cui debetur reverentia. Et ad hujusmodi Metum reverentialem quandoque accedunt frequentes, ac importunæ preces, vel blanditiæ parentum; ut si parentes assidue, atque importune sollicitent filium de tali incundo matrimonio, aut ad hoc obtinendum sæpe sæpius etiam blanditias adhibeant. Quandoque vero Metui reverentiali superveniunt graves minæ, vel etiam sævitia parentum: ut dum imperio parentis, aut Superioris, junguntur verbera, vel mala tractatio, asperitas vultus, graves minæ diminuendæ v. g. hæreditatis, quas ille crediturexecuturus: aut quando tunctur diu daturatra indignatio parentis, vel alterius personæ, a qua plurimum pendet fortuna filii. His præ notatis

35. Probatur Conclusio. Quia solus Metus reverentialis, nisi minæ, verbera, aut alia hujusmodi adjungantur, non cadit in constantem virum; ergo nec annullat contractum matrimonialem. Secus dicendum, si ad ejusmodi Metum reverentialem accedant sævitia, vel graves minæ parentum, aut Majorum: tunc enim merito censetur ejusmodi Metus esse cadens in virum constantem, eo quod ab his admodum pendeat fortuna filiorum, etiam per totum quandoque vitæ decursum. Et hoc idem dicendum de precibus importunis (per has intelligendo non quascumque preces, sed eas solum, quæ sunt instantissimæ, iæpiusque repetitæ, ac inculcatæ) si sunt conjunctæ Metui reverentiali. Siquidem ex una parte ejusmodi importunitas parentum, vel Majorum petentium, valde urget, vexat, quin & subjectos quandoque opprimit: ex altera vero parte reverentia eis petentibus debita, timorque ipsos offendendi, haud leviter instat. Ergo non immerito ambæ hujusmodi causæ in simul conjunctæ, censentur efficere Metum cadentem in virum constantem: nam, *quæ non prosunt singula, multa juvant, argum. l. Instrumenta Cod. de Probation.* juncta Glossa ibidem.

36. CONCL. V. Quamvis omnino decens sit, & conveniens reverentiæ parentibus debitæ, ut filii Matrimonium ineturi, consensum parentum reverentialiter requirant: nihilominus ad illius valorem consensus parentum, vel Curatorum, absolute loquendo non est necessarius. Conclusio quoad alteram partem desumitur ex Sacra Scriptura, *Tobiæ cap.* 7. ubi Tobias junior de consilio Angeli, sine parentum scitu, & assensu, legitimum Matrimonium contraxisse legitur. Concordat textus *cap. Sufficiat* 27. *q.* 2. ubi Glossa notat, quod in Matrimonio consensus parentum *requiritur ex honestate, non ex necessitate*. Idipsum novissime declaravit Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de Reformat. matrim. cap.* 1. ubi *eos anathemate damnat, qui falso affirmant; Matrimonia, a filisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.*

37. Cæterum prior pars, videlicet, quod filii Matrimonium celebraturi, parentum, aut (iis jam defunctis) Curatorum consensum, si fieri poterit, ex decentia, reverentia, & honestate requirere, atque obtinere debeant, est certa. Nam ipsamet ratio naturalis, & regula humani convictus plane demonstrant, quod proles inconsultis, aut rationabiliter invitis parentibus, rem adeo gravem, & unde totius vitæ institutum pendet, aggredi non debeant. Atque ideo proles sine consilio, ac consensu parentum contrahentes, nisi justa causa speciali excusentur, non carent omni culpa. Imo non pauci Doctores, quos citat, atque (loquendo de non adhibito parentum consilio) sequitur Sanchez *c. lib.* 4. *disp.* 23. *num.* 9. & 10. censent, id esse peccatum mortale; cum sit res gravis, & multis periculis exposita. Verum alii peccatum duntaxat veniale in hoc agnoscunt, eo quod filius, cæteroquin ingenuus, in electione status sit sui juris: dummodo non concurrant aliæ circumstantiæ, ob quas etiam moraliter in hoc deliqui possit; ut puta si ex talibus nuptiis essent oritura jurgia, dissensiones, scandala, &c. Herincx *disp.* 3. *de matr. n.* 8. citans alios.

38. Additur superius, *nisi justa causa excusentur*. Hæc enim existente nullum per hoc committeretur peccatum: ut puta si parentes (idem a potiori dicendum de Curatoribus) tentarent filium molesto, vel nimis difficili matrimonio copulare; tradendo v. g. sibi fœminam ægram, imprudentem, aut durioris cervicis, cum qua verisimiliter non esset pacem habiturus: aut si indiscrete vellent impedire matrimonium plane dignum, & utile: vel negligerent, sive nimium differrent ei de convenienti matrimonio providere. Nam tunc existente tali justa causa

fatentur omnes, filium non peccaturum, quamvis ineat Matrimonium, parentibus invitis: cum hi sint irrationabiliter invitî; simulque proles, cæteroquin ingenux, quoad electionem status existant sui juris.

QUÆSTIO IV.

Utrum sit licita Pluralitas Uxorum?

SUMMARIUM.

39 Unitas Matrimonii duplex, Polygamia, & Bigamia, Trigamia, &c. quid?
40 Polygamia, seu Pluralitas simultanea uxorum, est prohibita.
41 Solvitur instantia de Patriarchis veteris Testamenti.
42 Pluralitas successiva uxorum, est licita.
43 Quid de legibus Civilibus?
44 Secunda nuptia non ita probantur, sicut prima.
45 Uxor non certificata de morte viri, nequit contrahere cum alio.
46 Idem dicendum de viris.
47 Cautela rituales Ecclesiarum circa hoc.
48 Quid, si mulier deponat, maritum se videre obiisse?
49 Dubitans de morte conjugis, si contrahat, non potest petere debitum.
50 Cur possit reddere parti innocenti?
51 Quid si postea conjux superstes redeat? Num filii legitimi?

39. QUæstio præsens sub aliis terminis, videlicet, *de Unitate Matrimonii*, non raro proponi solet. Pro cujus resolutione secundum, quod Unitas matrimonii duplex considerari possit, videlicet vel respectu ejusdem temporis, vel in ordine ad diversa tempora. Priori unitati, juxta quam matrimonium ita debet esse unum, ut non possit idem vir habere simul plures uxores, neque eadem mulier plures viros, opponitur *Polygamia*, quæ est simultanea pluralitas uxorum. Posteriori modo opponitur unitati matrimonii *Bigamia*, *Trigamia*, &c. dum scilicet quis successive duas, tres, aut etiam plures accepit uxores, contrahendo secundas, tertias, aut ulteriores Nuptias.

40. CONCL. I. Polygamia, seu pluralitas simultanea uxorum, in Lege Evangelica Jure Divino est prohibita. Ita omnes Catholici; & habetur *c. Gaudemus de Divortiis.* est que novissime definitum in Concil. Trid. *Sess. 24. can. 2.* his verbis: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla Lege Divina esse prohibitum, anathema sit.* Idem probatur ex S. Scriptura, ut *Matth. 19. Marci 10. & Ephes. 4.* ubi de conjugato dicitur, atque retinetur illud præceptum *Gen. c. 2.* positum: *Adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Non dicit Textus ibidem non dixit: *Erunt tres, vel plures, sed duo*: nec dixit: *Adhærebit uxoribus, sed uxori*; ubi notat, atque argumenta tur Pontifex in *cit. c. Gaudemus de Divortiis.* Confirmatur Conclusio ex illis verbis Christi, *Luca 16. Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam a viro ducit, mœchatur.* Si ergo juxta Christi præceptum uxore dimissa duci alia de Jure non potest; ergo a fortiori, neque ipsa retenta: per quod evidenter apparet, pluralitatem simultaneam uxorum in Lege Evangelica reprobari.

41. Nec obstat, quod Abraham, Jacob, aliique sancti Patriarchæ, in veteri Testamento plures simul uxores habuisse legantur. Resp. enim conformiter *cit. c. Gaudemus* & communi Theologorum, illud Divina revelatione, atque dispensatione, Sanctis illis Patriarchis fuisse concessum. Et id quidem factum creditur ob pauciratem Fidelium, ut nimirum hoc modo vera Fides, & agnitio unius Dei, Cœli terræque Conditoris, quo ob graviamen tunc undequaque Idololatriam propemodum extinguebatur, saltem in posteris Abrahæ conservaretur.

42. CONCL. II. Pluralitas successiva uxorum post mortem prioris conjugis licita est inter Christianos, & valida. Patet hoc tum ex perpetuo sensu, & praxi Ecclesiæ; tum ex illo Apostoli, *1. Cor. 7. Mulier alligata est legi, quamdiu tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat, tantum in Domino.* Et hoc non solum de secundis, sed etiam de ulterioribus Nuptiis intelligendum est: unde nec Christus *Matth. 22.* damnavit mulierem, quod septem viros legitime habuisset; nec Samaritanam, quod quinque, *Joan. 4.*

43. Nec obstat, quod Legibus Civilibus secundæ Nuptiæ sint exosæ, & variis pœnis afficiantur; imo mulier nubens intra annum luctus (hoc est, infra annum a morte mariti) notetur Infamia *l. 1. & 2. C. de 2. Nuptiis*, & alibi. Resp. enim, hanc pœnam Infamiæ Jure Canonico esse sublatam *c. peo. & ult. de 2. Nuptiis*; eo quod mulier sic nubens concessa sibi ab Apostolo utatur potestate.

44. Verum quidem est, quod primæ Nuptiæ magis probentur, quam secundæ *c. Nuptiarum 27. q. 1. & c. quemadmodum 31. quæst. 1.* & alibi. Unde etiam secundæ Nuptiæ inducunt Bigamiam, *cap. 1. & segq. de Bigamis non ordinandis.* Neque secundæ Nuptiæ benedicuntur, *c. 1. & 3. de secund. Nuptiis*, cum concomitantia: cum enim alter contrahentium saltem in primis Nuptiis fuerit benedictus, eaque benedictio semper duret, non est iteranda. Intellige, nisi consuetudine contrarium alicubi sit introductum. Navarrus *c. 22. Manual. n. 83.*

45. CONCL. III. Uxor non certificata de morte viri prioris, & e contra, nequit contrahere cum alio, etiamsi facta diligenti inquisitione ignoret, quid contigerit circa maritum pluribus jam annis non comparentem. Ita habetur decisum *c. In presentia de Sponsal.* ubi Papa consultus, quid agendum fœminis adhuc viventibus, qui viros suos causa captivitatis, vel peregrinationis absentes, ultra septennium præstolatæ sunt: nec certificari possunt de vita, vel morte ipsorum, licet super hoc inquisitionem adhibuerint diligentem: Respondet, *quod quantocunque annorum numero remanent, viventibus viris suis non possunt ad alia vota conjugium canonice convolare: nec multitudine Ecclesiæ permitti contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.*

46. Et hoc ipsum in viris observandum esse, ablentibus uxoribus, declaratur *c. Dominus de secundis Nuptiis*, ibi: *Nullus omodo ad secundas Nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus.* Ratio est: quia stante dubio de morte conjugis, prius matrimonium stat in possessione. Accedunt plurima inconvenientia, quæ ex secundis Nuptiis, temere, seu non habita certa notitia de morte prioris conjugis haltis provenire solent.

47. Quinimo his de causis Rituales Diœcesani recte aliquibi monent Parochos, ne facile ad contrahendum matrimonium admittant vagos & peregrinos, & qui incertas sedes habent, non habita prius Ordinarii licentia. Neque item eos, qui antea conjugati fuerunt, ut sunt uxores militum, & captivorum, vel aliorum, præsertim peregrinantium, nisi habita certa notitia de morte prioris conjugis: aut in casu, quo non adsint indubitata talis mortis testimonia, causa ad Ordinarium deferatur, ejusque judicium & consensus requiratur; ne alioquin ex incentivo libidinis, ac postposito Dei timore, facilius contingat, secundas Nuptias inire non habita certa notitia de morte prioris conjugis.

48. Quæres: quid agendum, si quædam mulier deponat, aut etiam juramento firmare velit, conjugem suum, se vidente, atque præsente, tali tempore mortuum, atque sepultum fuisse? Resp. Eam absque aliis testimoniis, vel indiciis (secus, si talia præsertim gravia concurrant) non esse audiendam: quia *nullus idoneus testis in re sua intelligitur l. Nullus ff. de Testibus.* Accedit, quod juramentum suppletorium probationis neque deferendum, neque admittendum sit absque semiplena probatione: & alioquin, si præstaretur, nulla ejus habenda sit ratio. Gobat *tr. 9. Theol. Exper. n. 281.* ubi hoc declarat casu quodam Hungarico.

49. CONCL. IV. Si quis, vel aliqua, dubitans de morte prioris conjugis absentis, contrahere præsumpserit, et, quæ sibi nupsit, debitum conjugale reddere tenetur, id tamen exigere non potest. Ita habetur expresse *cit. cap. Dominus de secundis Nuptiis*; estque communis Doctorum. Ratio est: quia, cum alter conjux supponatur bona fide contraxisse (nam, si etiam ipse scivisset incertitudinem mortis prioris conjugis, neuter posset petere debitum) stante dubio non est privandus jure suo: cum sit in possessione juris conjugii, ac stante dubio melior sit conditio possidentis. Secus dicendum de eo, qui mala fide, seu dubitans de morte prioris conjugis, contraxit; nam semper in possessione stat prius Matrimonium contra ipsum: unde perseverante conscientia sua dubia, & nisi hæc per acquisitam certam notitiam de morte prioris conjugis deponatur, is peccaret petendo.

50. Dices: Ergo stante tali dubio neque poterit reddere alteri petenti. Resp. negando sequelam, Etenim, si revera conjux prior mortuus fuisset, matrimonium cum altera (servatis cæteroquin servandis) contractum, esset validum, non obstante alterius dubio: quia satis est, quod a parte rei conjux sit mortua, sicque matrimonium contrahi possit. Proinde parti innocenti, seu quæ bona fide contraxerat, jus suum, perseverante illo dubio, negandum non est.

51. Quod si vero ex postfacto, quocunque tandem tempore, vel casu, conjux ablens redierit, aut eum superstitem esse constiterit, omnino necesse est, ut, qui alterum matrimonium contraxerat, (quod non ob-

obstante bona fide, ipso jure irritum fuit) relictis adulterinis complexibus ad priorem conjugem revertatur; prout notatur *cit. c. Dominus de secund. Nupt.* cum concordantiis. Si tamen ejusmodi Matrimonium fuit contractum ex judicio & assensu Ecclesiæ, filii ex ipso nati reputantur legitimi, & admittendi ad hæreditatem, *arg. 6. Perlatum qui filii sint legitimi.*

QUÆSTIO V.

De Indissolubilitate Matrimonii.

SUMMARIUM.

52 *Matrimonium dupliciter potest intelligi indissolubile, quomodo?*

53 *Matrimonium omne est indissolubile propria contrahentium authoritate.*

54 *Etiam loquendo de Matrimonio Infidelium.*

55 Omnis res, per quæcumque causa nascitur, per eadem solvitur, *explicatur.*

56 *Libellus Repudii, an olim fuerit licitus Judæis.*

57 *Matrimonium Infidelium potest dissolvi altero ad fidem converso &c.*

58 *Matrimonium ratum fidelium dissolvitur quoad vinculum per Professionem Religionis.*

59 *Non vero per Votum Castitatis, sive solemnizatum per Ordinem Sacrum, sive simplex.*

Quo jure illud privilegium competat Professioni Religiosæ?

60 *Matrimonium ratum potest etiam dissolvi dispensatione SS. Pontificis.*

61 *Probatur Conclusio.*

62 *Matrimonium consummatum fidelium, quoad vinculum est indissolubile.*

63 *Probatur ulterius.*

64 *Disparitas inter matrimonium ratum, & consummatum.*

65 *Objectio Hæreticorum, ejusque solutio.*

(g) Ut dicetur n. 103. & seqq.

52. MAtrimonium dupliciter intelligi potest esse indissolubile, nimirum vel quoad vinculum, vel quoad thorum & cohabitationem. De indissolubilitate Matrimonii hoc posteriori modo accepta, dicetur ex professo *Quæst. VII.* per totum: de priori autem impræsentiarum agitur, investigando, an, & quomodo Matrimonium sit indissolubile quoad vinculum; adeo, ut illo semel legitime contracto, non liceat conjugibus ab eodem recedere, atque ad alias nuptias vivente adhuc priore conjuge transire. Hoc prænotato, sit

53. CONCL. I. Matrimonium omne est indissolubile ac perpetuum, adeo ut propria contrahentium authoritate dissolvi nequeat. Ita communis: & aperte traditur a Concilio Trident. *sess. 24. in principio*, ubi ait: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis Parens Divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Gen. 2.* Idem patet ex definitione Matrimonii *num. 4.* allata, ibi: *individuam vitæ consuetudinem continens.* Hinc *cap. ult. de Conditionibus appositis* dicitur, quod conditio de dissolubilitate Matrimonii apposita, sit contra substantiam conjugii. Accedit ratio: quia hujusmodi nexum indissolubilem Matrimonii exigit bonum prolis, cujus bonæ educationi plurimum obesset incertitudo, atque separatio parentum.

54. Et hæ quidem rationes procedunt de quocunque Matrimonio, etiam Infidelium: adeo, ut ipsi quoque Infideles nequeant Matrimonium pro libitu, & propria authoritate dissolvere: cum Lex Divina, ab origine Mundi lata, & per Protoplastes promulgata, obliget omnes.

55. Nec dicas: *Omnis res, per quæcunque causas nascitur, per eadem dissolvitur c. 1. de Reg. Juris*: atqui Matrimonium mutuo contrahentium consensu nascitur, ergo eodem pariter dissolvitur. Resp. enim, Regulam istam procedere potissimum de obligationibus & contractibus temporalibus, qui, cum solo mutuo consensu fiant, eodem etiam dissolvuntur: secus dicendum de spiritualibus obligationibus (sic enim obligatio, & Character Baptismi, vel Ordinis, nequit amplius mutuo consensu dissolvi) ac præsertim de Matrimonio, quod ex Divina institutione indissolubile est; & cujus dissolubilitas plurimum præjudicaret bono prolis. Et hæc quidem vera sunt, loquendo de dissolutione Matrimonii propria contrahentium authoritate facta: num autem illud, extra casum mortis alterius conjugum, in nonnullis casibus authoritate Divina aliquando fuerit, vel sit de facto dissolubile quoad vinculum, quæstio remanet.

56. CON-

56. CONCL. II. Olim in Lege veteri, seu Mosaica, licitum fuit Judæis Repudium uxoris; idque ob specialem dispensationem Divinam, qua DEUS per manum Moysis, propter duritiam Populi Judaici, & ad centanda uxoricidia, concessit ipsis *Deuter. 24.* scribere Libellum Repudii, ita ut Judæi hoc facientes non peccaverint. Ita Scotus 4. *dist. 33. q. 3.* & probabilior Doctorum, quamvis non desint oppositum tenentes. Ratio est: quia Moyses promulgavit Legem DEI; atque ideo, quos ille per Legem a se promulgatam separavit, seu separari permisit, etiam DEUS separavit, seu separari permisit. Unde juxta *cit. c. Deuter. 24.* licuit uxori sic dimissæ alterum maritum ducere, & consequenter per dationem Libelli Repudii, vere quoad vinculum fuit dissolutum prius Matrimonium in Lege veteri.

57. CONCL. III. Matrimonium inter Infideles contractum de facto dissolvi potest, quoad vinculum, si unus conjugum convertatur ad veram Christi Fidem, alter vero nolit converti, neque cohabitare converso sine injuria Creatoris, hunc videlicet blasphemando, aut sollicitando conversum ad Infidelitatem. Ita certa, & communis omnium Theologorum, & Canonistarum; atque habetur decisum *c. Si infidelis & cap. Quanto de Divortiis.* Idem deducitur ex illo *1. Corinth. 7. Si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror, in hujusmodi.* Unde patet, quod hæc facultas solvendi matrimonium, Fideli ad Fidem converso concessa fuerit a Christo sua suprema auctoritate, & ab Apostolo Paulo *loc. cit.* promulgata; prout Ecclesia Catholica hactenus semper intellexit, & intelligit.

58. CONCL. IV. Matrimonium ratum Fidelium, seu Christianorum, nondum tamen consummatum, dissolvitur quoad vinculum per ingressum alterius conjugis in Religionem: ita ut conjux in sæculo relicta, emissa per consortem Professione, licite possit transire ad alias nuptias. Ita communis Doctorum Catholicorum; & habetur non solum *c. Verum & c. Ex parte tua de Convers. conjug.* sed etiam novissime definitum fuit in Concilio Trid. *sess. 24. c. 6.* his verbis: *Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi: anathema sit.*

59. Secus est dicendum de Voto Castitatis solemnizato per susceptionem ordinis Sacri, ut puta Subdiaconatus, Diaconatus, &c. Quamvis enim hujusmodi Votum impedirat matrimonium contrahendum, & diremat postea contractum, tamen non sufficit ad dissolvendum matrimonium prius contractum, licet necdum consummatum: *Cum nec jure Divino, nec per sacros reperiatur Canones hoc statutum*; prout argumentatur atque declarat Joannes XXII. *in Extrav. Antiquæ de voto & voti redemptr.* Multo minus quoad vinculum dissolvitur Matrimonium antea contractum, & non consummatum, per Votum simplex Castitatis *text. clar. c. cap. Ex parte tua de Convers. conjugat.* Nam dictum privilegium est speciale professioni Religiosæ, sive Jure Divino, atque ex Christi institutione eidem concessum, uti cum suis censet Doctor Subtilis 4. *dist. 31. q. 1.* ac sequitur Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 19.* citans plures alios: eo quod mitium hujus privilegii non reperiatur in Jure Ecclesiastico, sed extet a primordiis Ecclesiæ; atque desumatur ex facto Christi, vocantis Joannem Apostolum, & Evangelistam, a nuptiis ad Apostolatum, *Joan. 1.* Sive saltem Jure Ecclesiastico, licet antiquissimo, prout vult Fagnanus *c. Ex parte n. 8. de Convers. conjug.* cum quibusdam aliis.

60. CONCL. V. Matrimonium ratum, non consummatum, extra casum Professionis Religiosæ potest etiam alia gravi, & justa de causa, dissolvi auctoritate seu dispensatione Summi Pontificis, ita ut ambo conjuges licite possint ad alia vota transire. Ita D. Antoninus, Cajetanus, Bellarminus, Bonacina, Navarrus, & plurimi alii, quos citat, & sequitur Sanchez *cit. lib. 2. disp. 14.* & Mastrius 4. *disp. num. 198.* asserens, hanc modo esse communem ac probabiliorem sententiam, magisque Pontificiæ Authoritati in re justa favorabilem.

61. Fundatur hæc Conclusio in illa generali potestate pascendi Oves, seu Fideles, a Christo domino concessa D. Petro, ejusque legitimis Successoribus, *Joan. 21. ibi: Pasce oves meas.* Quæ verba Christus, ad ostendendam dictæ potestatis amplitudinem trina vice repetere voluit: sicque, quia ad hoc, ut Oves concreditæ rite pascantur, multum juvat facultas dispensandi in Votis, Juramentis, matrimonio rato, ac hujusmodi, quando ad bonum Ecclesiæ regimen expedit, merito de talis quoque potestatis concessione intelligimtur. Unde quod Sum-

mi Pontifices aliquoties dispensaverint in Matrimonio rato, & nondum consummato Fidelium, plures referunt Authores, ac in specie id tradidit de Martino V. Eugenio IV. Paulo III. Pio IV. Imo Sanchez *loc. cit.* addit, Gregorium XIII. una die cuidam undecim dispensasse: non est autem credendum, tot Pontifices in facto tam gravi, atque conscientioso errasse. Accedit, quod in dubio standum sit judicio Superiorum, ac vel maxime Summi Pontificis, cui totius Ecclesiæ regimen incumbit, cuique Spiritus sanctus specialiter assistit.

62. CONCL. IV. Matrimonium valide inter Christianos contractum, & consummatum, quoad vinculum ita est indissolubile, ut extra mortem naturalem alterius conjugum nulla de causa, nisi immediate Divina authoritate, dissolvi valeat. Ita communis Catholicorum; estque contra Hæreticos, volentes, illud dissolvi posse propter supervenientem fornicationem alterius conjugum, & ob nonnullas alias causas, novissime definitum in Concilio Trid. *sess. 24. can. 5.* ubi: *Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum: anathema sit.* Et *c. 7. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium conjugis, matrimonii vinculum non posse dissolvi, &c. anathema sit.*

63. Idipsum constat tum ex perpetua traditione, ac sensu Ecclesiæ; tum ex illis verbis Christi, *Matth. 19.* ubi revocans Libellum Repudii, & elevans Matrimonium ad rationem Sacramenti, subjunxit: *Quod DEUS conjunxit, homo non separet.* Item ex illo *Rom. 7. Mulier vivente viro alligata est legi.* Et *1. Corinth. 7. His, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod, si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*, cum concordantiis. Quæ verba S. Mater Ecclesia de Matrimonio consummato inter Fideles contracto semper intellexit, ac proinde in eodem pro nullo prorsus casu dispensasse legitur.

64. Nec obstat, quod Matrimonium ratum Fidelium possit in aliquo casu dissolvi, ut dictum *n. 58. & 60.* Resp. enim, disparitatem esse: quia Matrimonium ratum significat duntaxat *Conjunctionem Christi cum anima fideli per gratiam*, sive Charitatem, quæ non est indissolubilis, imo perditur per quodcunque peccatum mortale: Matrimonium vero consummatum significat *Conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptam humanitatem*, quæ amplius est indissolubilis; prout notatur *c. Debitum de Bigamis non ordin.* Accedit, quod separatio Matrimonii consummati posset redundare in injuriam prolis: atque ideo (præter immediatam potestatem Divinam) ex Christi institutione in nullo casu illud est separabile quoad vinculum, nisi per mortem naturalem alterius conjugum.

65. Objicies cum Hæreticis. Christus *Matth. 19.* dixit: *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: ergo, cum exceptio sit regulam in oppositum, ob fornicationem ab ea factam, licitum est dimittere uxorem, & aliam ducere. Resp. negando consequentiam: nam ly *nisi ob fornicationem*, refertur solum ad prius, ac denotat, ob eam esse licitam dimissionem uxoris quoad thorum & cohabitationem; (g) non autem inde sequitur, esse licitam dissolutionem Matrimonii quoad vinculum ob causam fornicationis; prout semper intellexit, docuit, & docet S. Mater Ecclesia. Alioquin certe lata porta aperiretur adulteriis, ut sic conjuges, cæteroquin male cohabitantes, possent hoc titulo separari, atque aliis pro libitu nubere.

QUÆSTIO VI.

De Cohabitatione, & onere Debiti Conjugalis.

SUMMARIUM.

66 *Obligatio Conjugum, ad qua generatio se extendat?*
67 *Conjuges tenentur cohabitare in eadem domo, & mensa, & lecto.*
68 *Maritus, an possit abesse, & quando?*
69 *Uxor, an teneatur sequi virum, mutantem domicilium?*
70 *Et vir uxorem?*
Differentia inter virum, & uxorem, quoad hoc.
71 *Actus Conjugalis ex se licitus est, & honestus.*
72 *Dummodo sit vestitus debitis circumstantiis. Propositio damnata.*
73 *I. Finis actus conjugalis, est generatio prolis.*
74 *II. Satisfactio debiti conjugalis, & vitatio incontinentiæ alterius conjugis.*
75 *III. Vitatio propriæ incontinentiæ.*
76 *Solvitur instantia contra hoc.*
77 *An liceat causa salutis sanitatis?*
78 *Conjux tenetur alteri petenti reddere.*
79 *Alioquin peccat, & quomodo?*
80 *Nisi justa causa excusetur.*
81 *Varia causa excusantes a reddendo debito conjugali.*
82 *Decet, Temporibus sacris abstinere ab actu conjugali.*
83 *An sit peccatum, tunc petere? Quid de reddituma debiti?*
84 *Malo fide contrahens matrimonium, an possit petere, vel reddere?*
85 *Quid, si dubium de valore matrimonii supervenit?*
86 *Quid, si certo sciatur invaliditas matrimonii, sed non possit probari?*
(h) Vide dicta Tr. 14. Disp. 1. n. 39. & 40.
(i) De hoc Tract. 7. Disp. 1. n. 49. & seqq.
87 *Quid, si superveniat affinitas? Aut quis contraxerit cum Voto simplicis Castitatis?*
(k) Tr. 6. Disp. 3. n. 48.
88 *Conjuges, quomodo peccent indebite congrediendo?*
(l) Tr. 9. Disp. 4. n. 64.
(m) Ibidem n. 74.
89 *Actus conjugalis, an liceat, si conjux est gravida?*
90 *Puerpera? Menstruata? Vel lactans?*

66. CUm Matrimonium a DEO institutum fuerit ad legitimam generis humani conservationem, ipsiusque Ecclesiæ propagationem, ac proinde finis ejus principalior sit Bonum prolis: hinc generatim ad duo sese extendit obligatio conjugum, videlicet ad mutuam cohabitationem, & reddit ionem debiti conjugalis. Proinde, ut intelligatur, quæ, & quanta sit ejusmodi obligatio, sit

67. CONCL. I. Tenentur conjuges simul cohabitare in eadem domo, mensa, & lecto; quæ quidem obligatio defendit tum ex Jure Divino, tum ex natura contractus conjugalis. Hinc siquidem *Gen. 2.* dicitur: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una.* Idem patet ex definitione Matrimonii, ibi: *individuam vitæ consuetudinem retinens.* Proinde

68. Infertur I. Quamvis maritus ratione negotii gerendi possit modico tempore abesse, id tamen non esse licitum tempore longo: nisi accedat alia gravis, & justa causa, ut puta si teneatur Principem comitari in bellum; aut si hoc necessarium sit ad gubernationem Familiæ, vel conservandas res familiares. Sanchez *lib. 9. de matrimon. disp. 4. n. 12.* ac alii. Ratio est: quia conjuges Jure Divino tenentur cohabitare: unde *c. 1. de Conjugio leprosorum* inquit Pontifex: *Cum vir & uxor una caro sint, non debet alter sine altero esse diutius.* Verum cum hoc loco tempus absentiæ non definiatur, hinc Glossa ibidem, & Doctores censent, id arbitrio viri prudentis, pensatis absentiæ causis, ac periculo incontinentiæ, definiendum esse: alioquin post diuturnam moram Judex ab altero conjuge requisitus, vel si notorie constet, quod vivant incontinenter, etiam ex officio, potest eos cogere ad cohabitandum. Abbas ad *cit. c. 1. de Conjugio leprof.*

69. Infertur II. Uxorem teneri ad comitandum virum, si hic aliorsum mutaverit domicilium; idque ob rationem dictam. Secus, si vir efficiatur vagabundus, & ante contractum matrimonium non fuisset talis; tunc enim uxor ipsum hinc inde vagantem sequi non tenetur, utpote quod hoc foret gravissimum onus. Bene tamen, si vir more histrionum jam ante nuptias vagus extitisset: quia tunc ipsa censeretur approbasse mores suos. Abbas *loc. cit.* Fallit insuper allata doctrina, quando uxor absque gravi detrimento virum sequi non potest: tunc enim ipsum non tenetur sequi *arg. c. Si quis inevitabilis 34. q. 2.*

70. Infertur III. Quod, si uxor ex causa necessaria recedit a loco priori, & aliorsum transfert domicilium, etiam maritus sequi teneatur. Ita colligitur ex *cit. c. 1. de Conjug. leprof.* ac notat Glossa ibidem: quia quoad mutua obsequia conjugalia, vir & uxor pares sunt. Est tamen inter eos nonnulla differentia: nam quia vir est caput mulieris, atque ejus sit gubernare, hinc potest ad libitum eligere domicilium, tenenturque uxor ipsum sequi: uxor vero, cum sit subdita marito, domicilium pro libitu mutare, vel eligere nequit; si tamen necessitate cogente id faciat, vir ob tuenda jura Matrimonii tenebitur eam sequi. Sanchez *l. 1. disp. 41. n. 15. & 16.*

71. CONCL. II. Actus conjugalis ex se est licitus; & si fuerit vestitus debitis circumstantiis, honestus, ac meritorius. Ita

communis; idque potest ex eo: quia est medium ex natura rei ordinatum ad finem bonum, atque honestum, sive ad legitimam propagationem generis humani. Unde & DEUS Protoparentibus nostris præcepit actum conjugalem, *Gen.* 2. ibi: *Crescite, & multiplicamini*. Atqui blasphemum foret dicere, quod DEUS aliquid ex se malum præceperit. Hinc *ad Hebr. c.* 13. ait Apostolus: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*.

71. Additur notanter, *vestitus debitis circumstantiis*, nimirum ut non nisi loco, tempore, modo, fineque debito eliciatur; alioquin enim culpa non vacaret. Hinc Angelus Raphael Tobiæ, *c.* 6. dixit: *Qui conjugium ita suscipiunt, ut DEUM a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos*. Et conformiter huic effato Angelico, meritissime Innocentius XI. sequentem inter alias, ordine 9. Propositionem damnavit: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, & defectu veniali*.

73. Cæterum multiplex finis esse potest, licite ac honeste exercendi actum conjugalem. I. Ob generationem prolis: nam proles suscipienda, & religiose educanda ad Cultum Divinum, est finis primarius Matrimonii.

74. II. Ob satisfactionem debiti conjugalis, atque ad vitandam incontinentiam ex parte alterius conjugis. Siquidem uxori expresse, vel tacite petenti, tenetur vir, & e contra uxor viro, reddere debitum ex Justitia. Quando autem compartem advertit existere in periculo incontinentiæ, tunc opus conjugale erit actus Charitatis, utpote elicitus eb finem salutis spiritualis Proximi. Hoc inducitur ab Apostolo, 1 *Cor.* 7. illis verbis: *Uxori vir debitum reddat, similiter autem uxor viro: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, &c.* Et infra: *Iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram*.

75. III. Ob vitandam incontinentiam propriam. Etsi enim non pauci Doctores velint, actum conjugalem non vacare culpa veniali, si fiat ad vitandum periculum incontinentiæ in semiplo: quia (inquiunt) hic non est proprius finis Matrimonii, sed bonum prolis: communior tamen sententia nullam in hoc culpam agnoscit: siquidem, ut notat Doctor Subtilis 4. *dist.* 26. §. *per hoc patet*, institutio Matrimonii non solum facta est a DEO *in officium*, hoc est, ad propagationem generis humani, sed etiam *in remedium, videlicet virtutis incontinentiæ post lapsum*. Unde Apostolus: 1. *Cor.* 7. de nuptis ait: *Quod, si non se continent, nubant: melius est enim nubere, quam uri*.

76. Nec obstat ratio in oppositum. Resp. enim, quamvis bonum prolis sit finis primarius ac principalis Matrimonii, simul tamen finem ejus minus principalem esse vitationem propriæ incontinentiæ; quem proinde sufficit intendere. Alioquin certe contra communem Doctorum sequeretur, quod nec careat culpa veniali actus ille, si fiat ad vitandum in altero conjuge periculum incontinentiæ, cum & hic non sit finis primarius Matrimonii.

77. Num autem causa solius sanitatis propriæ tuendæ licite, atque sine culpa veniali, fiat actus conjugalis, variant Doctores. Et quidem multi culpam in hoc venialem agnoscunt; eo quod finis hic adversetur institutioni Matrimonii, quod ob bonum prolis, atque ad vitandam incontinentiam a Deo institutum fuit, juxta proxime dicta. Alii e contra id omni culpa vacare censent, præsertim si aliud aptum medium ad acquirendam, vel tuendam sanitatem non suppetat, prout limitat Sanchez *l.* 8. *disp.* 10. Nim in tali casu (inquiunt) etiam bonum prolis, saltem remote, includitur. Illud certum est, quod quamvis venialiter peccaret conjux petendo debitum causa solius sanitatis, crimen reddens nullatenus peccet.

78. CONCL. III. Tenetur conjux alteri explicite, sive implicite petenti, reddere debitum, nisi justa causa excusetur. Ita communis, & patet ex dictis, ac textibus S. Scripturæ *n.* 74. relatis.

79. Infertur proinde, quod conjux mortaliter peccet, si absolute neget debitum consorti, illud rationabiliter, serio ac sub obligatione exigenti: cum non uxor, sed vir habeat potestatem corporis sui; & alioquin in petente facile suboriatur periculum incontinentiæ. Secus esset, si confors non serio, neque sub obligatione, sed solum ex quadam benevolentia ad petat, aut si precibus recusantis facile acquiescat; dummodo in petente non subsit periculum incontinentiæ.

80. Additur tamen in Conclusione, *nisi justa causa excuset ur*. Nam ejusmodi obligatio non est tam stricta & gravis, quin occurrente rationabili causa liceat solutionem vel negare, vel saltem differre; *Quoniam* (ut inquit Pontifex) *Quoniam, Utilite non conse-*

stata) *in conjugio multi casus occurrunt, in quibus Conjuges sine culpa, sed non sine causa, continere cognoscunt*.

81. Sic excusatur conjux I. Si non possit reddere debitum sine notabili periculo salutis corporalis: ut si conjux sit vulneratus, laboret febri hectica, aut alio morbo, adeo ut actus conjugalis vehementer credatur nociturus. Imo, si nocumentum existeret grave, illicitum foret illud reddere. II. Quando conjux peteret in amentia, ebrietate, aut alias constitutus extra usum rationis: nam non peteret actu humano, & libero. III. Quando conjux immoderate, ac nimis frequenter petit: quia non videntur conjuges sese obligasse ad usum immoderatum: præsertim cum repugnet decentiæ, ipsique valetudini. IV. Cum conjux ante consummationem Matrimonii possit Religionem ingredi, non tenetur illud consummare reddendo debitum ante elapsos duos menses a contractu matrimoniali *arg. c. Ex publico de eo versione conjugat.* V. Si publice, seu coram aliis exigeretur. Sunt & aliæ nonnullæ causæ, de quibus fusissime Sanchez *l.* 9. *de Matr. disp.* 24. *& seqq.* & alii.

82. Quæres, an Tempore sacro, v. g. Diebus Solemnioribus, Festivis, aut Dominicis, item die, quo quis Sacram Synaxim sumpturus est, vel sumpsit, licitum sit exigere, vel saltem reddere debitum. Resp. I. Maxime decens est, atque a SS. Canonibus commendatum, quod conjuges ejusmodi Diebus sacris abstineant ab actu conjugali, ut sic juxta monitum Apostoli, 1. *Cor.* 7. expeditius vacent orationi; prout notatur *c. Proposuisti dist.* 82. & *c. Sciatis* & *c. Quotiescunque ac tribus seqq.* 33. *q.* 4. cum concordantiis.

83. Resp. II. Utrum autem ad hoc teneantur conjuges sub peccato, saltem veniali, variant Doctores. Et quidem non pauci arbitrantur, petere debitum ejusmodi Sacris Temporibus non vacare culpa, saltem veniali; idque ob Canones proxime citatos. Verum quia illi contrarium duntaxat consilium (sicut & verba Apostoli *loc. cit.*) non præceptum: hinc Sanchez *loc. citat. disp.* 12. cum quibusdam aliis censet, talem petitionem debiti non solum vacare culpa mortali, sed etiam venali. Illud certum est, quod nullum sit peccatum, illis diebus petenti reddere: quinimo quocunque tandem die, quantumvis solemni, debitum exigatur, tenetur alter reddere, nisi alia justa causa exculetur.

84. CONCL. IV. Petitio, ac redditio debiti conjugalis, redditur quandoque illicita, & mortifera. Ita communis, & probatur inductione. Sic in primis, qui mala fide, seu dubius de valore Matrimonii, contraxit, non potest stante illo dubio petere debitum; tenetur tamen illud reddere petenti comparti, si hæc bona fide contraxerat. Hujus ratio, & exemplum, habetur superius *n.* 49. & 50.

85. Quod, si dubium superveniat primum Matrimonio jam antehac bona fide contracto, talis non solum reddere, sed etiam petere potest, dummodo simul adhibeat debitam diligentiam acquirendi veritatem, nec tamen de invaliditate Matrimonii constet. Ratio est: quia talis existit in legitima possessione Matrimonii bona fide inchoati, sicque in jure petendi debitum; in dubio autem melior est conditio possidentis. Herinex *disp.* 7. *de matrimon. quæst.* 6. *num.* 32. Pirhing. *tit. de Sentent. excommun. num.* 108. solventes contraria, & alii. Et hoc ipsum a priori dicendum, si postea oriatur solummodo scrupulus, ex levi ac temeraria credulitate conceptus: nam potest is ad consilium proprii Pastoris deponi, ac debitum conjugale non solum licite reddi, sed etiam peti, *tex. clar. c. Inquisitioni de Sent. excomm.*

86. Si vero conjux pro certo cognoscat invaliditatem Matrimonii, eo quod inhabitanter sciat subesse impedimentum dirimens, quamvis hoc in facie Ecclesiæ probare nequeat; non solum non potest petere, sed nec reddere debitum: non obstante, quod per sententiam judicialem Ecclesiæ, (quæ de occultis non judicat) vel etiam excommunicationem ad id compellatur, aut aliunde periculum vitæ immineat. Ratio est: quia in nullo casu potest quis scienter fornicari, seu alteri carnaliter commiscere extra legitimum Matrimonium: hoc enim est intrinsece malum. Unde talis potius in foro externo debet humiliter sententiam excommunicationis sustinere, ut dicitur *cit. c. Inquisitionis de sent. excomm.* (h) Occilus autem ex hac causa, moreretur pro servanda virtute supernaturali Castitatis, & sic evaderet Martyr. (i)

87. Deinde, si quis durante Matrimonio contraxit affinitatem cum sua consorte, cognoscendo videlicet carnaliter ejus consanguineam, non potest petere debitum, licet reddere possit, ac teneatur. Ita habetur *cap. Discretionem* & *c. Tua fraternitatis*

De

De eo qui cognovit &c. Et hoc idem dicendum de illo, qui cum Voto simplici Castitatis contraxit Matrimonium. An autem Confessarii Mendicantium cum talibus dispensare possint in ordine ad petendum debitum conjugale, jam alibi (k) dictum fuit.

88. Rursus certum est, conjuges peccare congrediendo sodomitice, sive extra vas naturale; quia talis congressus repugnat ordini naturæ, finique Matrimonii. Quod, si vero conjuges sine justa causa non servent modum, sive situm naturalem, absque tamen periculo effusionis seminis; committitur peccatum duntaxat veniale; nullum, si justa causa intervenit. Quid autem sentiendum sit de eorum præpostero congressu in vase naturali (l) nec non & de actibus immodestis inter conjuges (m) superius jam dictum est.

89. Quæris, an sit licitus actus conjugalis mulieri existenti prægnanti, puerperæ, vel lactanti? Resp. I. Quando mulier est gravida, bene redditur, & petitur debitum (adeoque illicite negatur) dummodo absit periculum abortus. Ita communis; nam nullo jure hoc prohibitum legitur. Nec obstat textus *c. Non solum 32. q. 7. & cap. Si causa 8. c. Quinque 33. q. 4.* ubi videtur prohiberi accessus ad uxorem gravidam. Respondetur, hoc esse de consilio, non de præcepto, nisi in casu periculi abortus; unde per se id non est illicitum, quamvis per accidens quandoque non liceat, imo abstinendum sit, sive ob nimium uxoris debilitatem, sive quia abortus timetur.

90. Resp. II. Un Matrimonio statim post partum, durante adhuc naturali purgatione mulieris, per se loquendo non est quidem peccatum mortale, ut tenent plerique Doctores: nihilominus communiter peccatum veniale deesse non solet: idque ob nimiam intemperantiam, quæ in copula ista heditati junctæ intervenire solet. Ita Henricus *l. c. n.* 18. hoc ipsum *n.* 15. post Sanchez *lib. 9. de Matr. disp. 21. n. 7.* & alios, tradens de accessu viri ad menstruatam; quamvis quoad hoc ultimum D. Thomas, D. Bonaventura, & Scotus *4. dist. 32. q. un.* ac nonnulli alii, videantur esse rigidioris sententiæ, atque extra periculum incontinentiæ in alterutro conjugum existens, damnare peccati gravioris, accessum viri ad menstruatam. Porro non esse illicitum actum matrimonialem eo tempore, quo mulier est lactans, passim fatentur Doctores.

QUÆSTIO VII.

De Divortio.

SUMMARIUM.

91 *Divortium, quid?*
92 *Divortium dupliciter.*
(a) Quæst. 5. per totum.
93 *Divortium quoad thorum, & cohabitationem, potest fieri.*
94 *Idque generatim ex sex causis.*
95 *Diligentia inter adulterium, & aliæ causæ respectu Divortii.*
96 *Divortium fit I. Mutuo consensu.*
97 *II. Ob spiritualem fornicationem alterius conjugum.*
98 *III. Ob grave periculum spirituale, sive incitationem ad peccatum.*
99 *Et varia hujus exempla.*
100 *IV. Ob sævitiam Conjugis.*
101 *V. Ob Votum ultramarinum ad liberandam Terram sanctam.*
102 *Quam causam alia hoc loco ponant?*
103 *VI. Fornicatio alterius Conjugis.*
104 *Per fornicationem, quid hoc loco intelligatur?*
105 *An innocens possit ab adultero Conjuge propria authoritate se separare?*
106 *An se separans sit alteri restituenda?*
107 *Casus, in quibus non licet dimittere uxorem ratione adulterii.*
108 *I. Quando adulterium est materiale solum.*
109 *II. Si vir uxori fuit causa adulterii.*
110 *III. Si hoc ab utroque committitur.*
111 *Ampliatur illud.*
112 *IV. Quando injuria est remissa adultero.*
113 *Quomodo fiat ejusmodi remissio?*

91. *Divortium*, quantum ad propositum, est legitima separatio viri ab uxore, manente adhuc vinculo conjugali. Et dicitur, *legitima separatio*: quia sine lege, & legitima ratione fieri non potest, cum vi ipsius Matrimonii, cujus vinculum est indissolubile, teneantur conjuges ad individuam vitæ societatem mutuo retinendam. Et additur, *manente vinculo conjugali*, ad excludendam aliam Divortii acceptionem: siquidem

92. Divortium generatim accipitur dupliciter. I. Pro separatione conjugum dissoluto eorum matrimonio quoad vinculum: quo modo sæpius illud sumitur in Jure Ci-

Civili, & an fieri possit, superius (a) dictum est. II. Pro separatione conjugum quoad thorum duntaxat, vel etiam quoad cohabitationem. Quoad thorum quidem, sive debitum conjugale, justè illud alteri conjugi denegando: quoad cohabitationem vero, quatenus remanente vinculo Matrimonii non tenentur amplius conjuges simul cohabitare in eadem mensa, thoro, & lecto. Et de hoc loquendo, sit

93. CONCL. I. Certum est, Divortium quoad thorum, & cohabitationem ex legitima causa quandoque fieri posse. Patet hoc ex perpetua praxi Ecclesiæ; imo novissime definitum in Concilio Trid. *sess. 24. can. 8.* his verbis: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas Causas separationem inter Conjuges, quoad thorum, seu quoad Cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit: anathema sit.*

94. CONCL. II. Sex generatim sunt causæ, ob quas licitum est ejusmodi Divortium inter conjuges Christianos. I. Mutuus contrahentium consensus. II. Fornicatio spiritualis, seu lapsus in hæresin, aut Gentilismum. III. Incitatio ad peccatum, seu grave periculum salutis spiritualis. IV. Sævitia conjugis, aut aliud grave periculum salutis temporalis. V. Votum ultramarinum. VI. Adulterium, sive fornicatio carnalis voluntaria, & culpabilis alterius conjugum.

95. Nec obstat, quod Christus *Matt. 19.* non nisi fornicationem, ob quam liceat dimittere uxorem, assignaverit. Resp. enim cum Engel *tit. de Divortiis nu. 10.* & 11. ac aliis, id ex eo accidere, quia propter solam fornicationem carnalem, sive adulterium, licet dimittere uxorem in perpetuum, & etiam nolentem & invitam: aliæ vero causæ hic enumeratæ ex sua natura non sunt perpetuæ (nisi enim cessante hæresi, sævitia conjugis, aut incitatione ad peccatum, tenetur separata redire ad conjugem, eique eidem restituenda; non autem cessante adulterio) vel saltem requiritur mutuum utriusque conjugis consensum, prout fit in prima causa Divortii. Itaque

96. I. Divortium seu separatio conjugum, potest fieri mutuo consensu: ut si juxta monitum D. Apostoli *1. Cor. 7.* ad tempus sese separent conjuges, ut *vacent orationi*; vel si uterque mutuo consensu voveat perpetuam Castitatem, aut ad Religionem transeat, *arg. c. Cum sit, & seqq. de Conjugat.* Idipsum mutuo consensu fieri poterit alia honesta causa, v. g. ne proles multiplicetur altera suas facultates, &c. quamdiu periculum incontinentiæ alteri conjugi non imminet.

97. II. Divortium, seu dicta separatio fieri potest, si alter conjugum spiritualiter fornicatus fuerit; nempe si lapsus in hæresin, aut in Gentilismum. Veruntamen si talis ab errore sese revocaverit, tenetur conjux in fide stabilis ad alterum reverti, si propria authoritate, ac sine judicio Ecclesiæ ab ipso recessit, *cap. De illa, & c. Quanto 8. sim. de Divortiis*. Quod si vero conjux judicio Ecclesiæ fuit separata, non compellitur redire, sed potest Religionem ingredi *cit. cap. De illa eod.* junctis *capulit. de Convers. Conjugat.* Si vero Religionem ingredi noluerit, etiam hæc redire compellitur; ut notat Glossa *cit. cap. Quanto 8. Redire cogatur.*

98. III. Divortium fit propter grave periculum salutis spiritualis, seu propter incitationem ad peccatum mortale: ut si alter conjugum provocet alterum ad gravia crimina, & admonitus non desistat a provocatione, *arg. c. Quisquis. de Divort.* ibi: *Verum si Conjugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit, a viro poterit separari, ita quod ei nubere alii non licebit*. Concordat illud Salvatoris, *Matth. 5. Si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te*, &c.

99. Hinc, ut exemplificat Tannerus *tom. 4. disp. 8. quæst. 5. num. 84.* datur locus Divortio, si conjux inducat alterum in hæresin, apostasiam, peccatum Sodomiæ, veneficium, aut alia peccata mortalia: item si vir latro inducat uxorem, ut res furtivas, aut locios fures recipiat, nec possit illa scelus detegere, &c. Quamdiu enim tale periculum durat, non tenetur conjux innocens cum altero permanere, sed potest ab ipso discedere, ut evitet tam grave periculum salutis spiritualis.

100. IV. Divortium potest fieri ob sævitiam conjugis. Et quidem si tanta sit levitia, ut altera pars absque periculo gravis damni corporalis non possit sævienti cohabitare, poterit conjux propria authoritate ab altero divertere. Sanchez *lib. 10. disp. 18.* Et divertens non debet alteri petenti restitui, donec conjux sæviens sufficientem securitatis cautionem præstet: prout habetur *c. litteras*, & *c. ex transmissa, de Restit. spoliat.* & *cap. 1. Ut lite non contestata*. Quamvis enim cæteroquin spoliatus ante omnia sit restituendus, fallit tamen hoc, si conjux divertens opponat, simulque incontinenti

pro

probet adeo gravem sævitiam alterius, donec sufficiens securitatis cautio sibi præstetur, *per textus citatos*.

101. V. Votum ultramarinum ad liberandam Terram Sanctam, etiam invita uxore, vir emittere, atque implere potest, prout ob tantam Populi Christiani necessitatem, atque subsidium Terræ Sanctæ, decisum habetur *c. Ex multa. §. In tanta, de Voto*. Unde in præmisso casu datur Divortium ad tempus, donec sciliset vir redeat; ac proinde inter causas Divortii recte numeratur.

102. Fatendum quidem, plures Doctores aliam hoc quinto loco ponere causam Divortii, nempe vel morbum contagiosum, vel veneficium conjugis: siquidem venefici etiam conjunctissimis sæpe nocent, utpote qui dæmonis consilio pessima agunt. Verum quia hæc duo ad quartam causam, nempe *ad sævitiam Conjugis, vel aliud grave periculum salutis corporalis*, commode reducuntur; hinc melius cum Vallensi §. 2. *tit. de Divortiis*, ponitur hoc quinto loco Votum ultramarinum.

103. VI. Divortium est licitum, & quidem Jure Divino, atque in perpetuum (nam priores regulariter sunt solum causæ Divorti ad tempus, nempe quamdiu dictæ causæ durant, ut dictum *n.* 25. *& segg.*) si alter conjugum commiserit Fornicationem carnalem. Hoc quippe Christus Dominus concessit *Matth. c.* 19. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem*. Concordat *c. Significasti, & c. Ex litteris, de Divortiis*. Accedit illud vulgatum: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem*.

104. Porro nomine *Fornicationis* hoc loco intelligitur non solum Adulterium, sed etiam Sodomia, ipsaque Bestialitas. Secus dicendum de tactibus impudicis, voluntate fornicandi, aut peccato mollitiei: quia per hæc, licet cæteroquin gravia peccata, non perfecte & consummate læditur jus Matrimonii; cum non dividatur caro unius conjugis ab altero per concubitum in tertium. Sanchez *lib.* 10. *de Matrim. disp.* 4. Layman, & alii.

105. Et nota, quod innocens conjux, cognita ejusmodi Fornicatione alterius, possit etiam propria authoritate se a nocente separare quoad thorum; quoad cohabitationem vero solum post sententiam Judicis, nisi Fornicatio fuerit omnino publica, & notoria. Ratio est: quia separatio quoad cohabitationem est res publica, & quæ scandalo esse potest; ideoque nonnisi judicio Ecclesiæ fieri debet, *arg. c. Porro, de Divortiis*.

106. Additur tamen, *nisi fornicatio fuerit omnino publica*. Nam tunc non esset necesse, expectare sententiam Judicis, *arg. c. Significasti cod.* Alioquin vero, si fornicatio, sive adulterium sit occultum, & innocens pars propria authoritate divertat ab alio quoad cohabitationem, unox ipsa alteri petenti erit restituenda, *cit. c. Significasti, and. & c. Ex transmissa, de Restitut. spoliat.* donec probaverit adulterium alterius conjugis.

107. Quæres, utrum dentur aliqui casus, in quibus non liceat dimittere uxorem ratione adulterii? Resp. cum communi, plures dari ejusmodi casus, & sunt sequentes.

108. Primus est, quando adulterium est tantum materiale, sive sine culpa sua commissum: veluti si mulier vim passa sit, *arg. c. Itaque, & c. Proposite. 32. q. 5.* Vel si quis fraudulenter sub specie mariti aliquam cognoverit, *c. Dolium. 35. q. 1. & 3.* Quia, ubi non est culpa, nec pœna esse debet.

109. Secundus: Si vir fuit uxori causa adulterii: veluti si eam prostituat, vel adulterium consulat, aut in illud consentiat, *arg. c. Diversionem, De eo qui cognovit consanguin. & c.* ibi: *Cum vir adulterium ei non possit objicere, qui eam adulterandam tradidit*.

110. Tertius casus est, quando adulterium ab utroque conjuge fuit commissum, *arg. c. Significasti, de Divort.* & alibi. *Cum matrimonii jus in utroque læsum constitat, & patria delicta mutua compensatione tollantur*; ut dicitur *c. Intelleximus, de Adulteriis*.

111. Et hoc procedit, etiamsi unus conjux prius commisisset adulterium, ac proinde authoritate Judicis lata fit sententia Divortii; nam si postmodum etiam alter fornicetur, restituitur; prout desumitur ex cit. locis, ac fusius probat Glossa *in cap. ult. vers. Fornicationi, de Adulteriis*. Idem dicendum, quamvis adulteria numero & gravitate fuit imparia; ut si unus semel cum lenta, & alter decies cum ligata peccasset: adhuc enim jus Matrimonii in utroque læsum existit, & sic neuter ab altero divertere potest; cum paria delicta mutua compensatione tollantur.

112. Quartus casus est, quando injuria ab innocente jam fuit adultero remissa: tunc enim nequit amplius ab eo recedere, cum jam cesserit juri suo, Siquidem, *qui juri suo semel renuntiat, illud repetere non potest*, c. Quoniam periculosum 7. q. 1. juncta Glossa ibidem.

113. Cæterum hujusmodi remissio duplici est. I. Expressa, ut quando expressis verbis innocens condonat alteri injuriam. II. Tacita, quando nempe conjux innocens, post cognitum adulterium alterius, actum conjugalem cum eo habuit, *arg. l. Crimen C. ad Leg. Juliam de adulteriis*, ubi: *Crimen adulterii, maritum revocata in matrimonio uxore inferre non posse, nemini dubium est*. Sanchez *lib.* 10. *de matrim. disp.* 14. *n.* 6. qui plura de his, aliisque Divortium concernentibus, toto illo Libro fusissime tractat.

MONITUM.

Quæstio hæc Decima adnecti debet Tractatui de Contractibus.

QUÆSTIO X.

De Contractu Societatis.

SUMMARIUM.

122 *Societas quid?*
Est frequens in negotiationibus.
123 *Socii qui?*
124 *Societatis Contractus quomodo differat a mutuo?*
125 *Societas expressa, & tacita, qua?*
126 *Societas vitæ, &*
127 *Societas bonorum.*
Societas quæstuosa, quæ?
128 *Ad hanc requiruntur quinque conditiones.*
129 *Prima.*
130 *Secunda.*
131 *Tertia.*
132 *Quarta.*
133 & 134 *In Societate an sit licitum pactum de assecurazione sortis principalis?*
135 *Qualibet res domino suo perit, quomodo?*
136 *Instantia ex Bulla Sixti V. resolvitur.*
137 *Instantia alia solvitur.*
138 *Quinta Societatis conditio, quæ?*
139 *In contractu Societatis de qua culpa teneatur socius?*
140 *Corollarium.*
141 *Hujusque declaratio.*
142 *Expensa facta causa Societatis sunt solvenda ex communi.*
143 *Nisi secus fuerit conventum.*
144 *Idem dicendum de moderatis eleemosynis;*
145 *Et impensis a Socio in itinere factis;*
146 *Et damnis sine sua culpa ex causa Societatis incursis.*
147 *Secus si Socius ex sua culpa in damnum incidit.*
148 *Vel non ex causa Societatis.*
149 *Societas finitur pluribus modis. I. II. III.*
150 *IV. Morte naturali socii.*
151 *Item & morte civili ejusdem.*
152 *V. Interitu rei.*
153 *Et agestate socii.*
154 *Societate finita qualiter faciendæ sit divisio bonorum?*
155 *Societati suas operas locans, an eas etiam alteri locare possit?*
156 *Et quomodo secus?*

122. CONCL. I. *Societas* est honesta duorum pluriumve conventio, ad commune lucrum, secundum proportionem rerum contributarum inter eos æque distribuendum, suam pecuniam, industriam seu laborem conferentium. Ita desumitur *ex L. 1. & segg. ff. Pro socio*, estque in re communis. Et quidem contractus Societatis est frequentissimus in negotiationibus, præsertim copiosioribus, eo quod ad hasce exercendas sæpe facultates unius non sufficiant; vel saltem ob multa pericula, quæ terra marique oriri solent, non sit consultum, ut quis omnes suas facultates simul uni eidemque negotiationi impendat, sed commodius id fiat, si plurium opes atque industriæ cum æquali omnium lucro, & damno, in unum conferantur.

123. Porro qui contractum Societatis inter se ineunt, in Jure appellantur *Socii*; uti liquet ex toto *Tit. ff. Pro Socio*. Ubi *l.* 19. & 20. additur, quod si ego cum Titio ineo societatem, Titius possit quidem secum admittere alium socium, puta, Cajum; nihilominus per hoc Cajus non sit futurus meus socius (nam quia Societas consensu contrahitur, socius mihi esse non potest, quem ego socium habere nolo) sed is solius Titii, qui eum admisit, socius existat: unde *Socii mei socius, meus socius non est*, prout loquitur Ulpianus ibidem.

124. Differt autem contractus Societatis a con-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

a contractu Mutui, juxta D. Thom. 2. 2. *q. 78. art. 2. ad 5.* & alios; vel maxime ex eo, quod licet utrobique interveniat aliqua contributio pecuniæ, seu aliarum rerum, hæc tamen hat valde diverso modo. Siquidem in Mutuo dominium rei mutuatæ transfertur in Mutuatarium: unde ille, cui pecunia mutuatur, suo periculo tenetur eam restituere integre; ac proinde non potest plus exigere ille, qui mutuavit. Secus accidit in contractu Societatis: nam dominium rei in societatem collatæ remanet adhuc penes contrahentem, ita quod cum periculo ipsius mercator, seu socius de ea negotietur, vel artifex operetur; & ideo licite potest partem lucri inde provenientis expetere, tanquam de re sua.

125. CONCL. II. Societatis plures sunt species. In primis enim alia est expressa, alia tacita. *Societas expressa* est, quæ verbis seu litteris expressis, de rerum suarum communione inter duos, vel plures deliberate contrahitur: atque in hac oportet attendere specialia pacta contrahentium, contractui *Societatis* nonnunquam legitime opponi solita; siquidem *contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*, juxta Reg. 85. Juris in 6. cum similibus. *Societas tacita* est, quæ sine verbis, seu litteris, per actus speciales rebus ipsis contrahitur: uti contingit, si duo fratres ætate majores quidpiam in commune contulerint, atque ex eo negotiati sint. Atque in hac proceditur secundum ipsam naturam Societatis ut sic, eo quod nulla specialis conventio intervenerit.

126. Deinde Societas alia est vitæ, alia bonorum. *Societas vitæ* dicitur, quando duo vel plures conjunctim vivunt ad unum panem & vinum, seu (ut dici solet) ad eandem mensam. Et tales debent conferre suos reditus, seu proventus, usque ad necessitatem victus; ita tamen, ut si unus eorum in convictu ex laboribus suis, vel bonis adventitiis, plus contulerit præ alio, id repetere non possit: nam fructus consumpti, jure Societatis vitæ censentur invicem communicari. Reliqua tamen bona non rediguntur in commune, sed remanent singulorum propria. Franciscus Mantica *lib. 6. de Tacitis Conventionibus, tit. 2. nu. 5. & tit. 3. n. 12.*

127. *Societas bonorum* e contra dicitur, quæ initur in bonis. Atque hæc juxta diversitatem bonorum subdividitur in Societatem animalium, in Societatem officiorum, ac vectigalium; item in Societatem omnium bonorum, & in Societatem aliquorum bonorum, puta ratione negotiationis in unum collatorum, quæ dicitur *Societas quæstuosa, & lucrativa*. Et de hac posteriori præcipue nunc loquimur, quamvis illa, quæ de Societate quæstuosa in progressu dicuntur, etiam cæteris (servata tamen proportione) commode applicari possint.

128. CONCL. III. Ad Societatem quæstuosam, ut sit licita, quinque requiruntur conditiones, quarum una deficiente redditur illicita. Ita Reginaldus *in Praxi Fori Pœnitentialis, lib. 25. cap. 28. n. 38. & seqq.* Bonacina *tom. 2. disp. 3. de Contractibus quæst. 6. punct. 1. num. 3.* & alii.

129. Prima conditio est, ut Societas fundetur in negotiatione licita, & honesta hoc est, ut negotiatio illa, cui sortes conferuntur sit licita, nec in Jure prohibita. Unde iniqua & invalida est Societas, quæ initur ad exercendas usuras, aut committendas fraudulentas emptiones & venditiones, *l. Nec pervisitendum ff. Pro socio*. Sicut & ipso jure nullius est momenti Societas illa, quæ dolo malo, aut fraudandi causa inita fuit, uti contingit in latrociniis, & hujusmodi. *L. 3. §. fin. ff. eod.*

130. Secunda, Ut singuli Socii aliquid conferant in commune, sive dein contribuant pecuniam aut alia bona, sive operam seu industriam suam: nam pauperiores plerumque supplent opera, quod alii præstant pecunia, *l. Societas, 5. ff. Pro socio*. In tali enim communi collatione bonorum, seu laborum, consistit natura contractus Societatis: uti liquet ex ejus definitione, juncta *cit. l. 5. & seqq. ff. eod.*

131. Tertia, ut servetur æqualitas inter Socios tam quoad damna, quam quoad lucra; ita videlicet, ut pro rata collatæ sortis, aut industriæ, singuli æqualiter lucrentur: vel pereunte per casum fortuitum communi sorte, sive parte ipsius, omnes æqualiter damnum sustineant. Et notanter dicitur, *pro rata collata sortis &c.* Quia lucrum sicut damnum emergens, est computandum juxta proportionem quantitatis per singulos ad sortem principalem collatæ, vel impensæ industriæ: ut si Titius ad sortem principalem contulit 900. & Cajus 600. Mævius vero impendit operam suam æstimatam 100. ac de tractis omnibus expensis remaneat lucrum 630. florenorum: Tunc Titio ex hoc lucro, juxta pro-

portionem collatæ sortis principalis, debentur 360. Cajo 240. Mævio 40. floreni; prout facile deprehenditur per Arithmeticam mediante *Regula Aurea*, vulgo *De Tri.* appellata, seu specialius ad propositum loquendo, *per Regulam Societatis*.

132. Quarta conditio, ad justitiam quæstuosæ Societatis requisita, est, Ut sors principalis, seu pecunia per socium in commune collata, subjaceat periculo conferentis; ita ut si pereat absque culpa socii, pereat illi, qui eam in commune contulit. Nam quælibet res domino suo perit: atqui dominus pecuniæ in communem sortem collatæ, est ipsemet conferens, ut dictum *n. 124.* Navarrus *c. 17. Manual. n. 251.* & *seqq.* Covarruvias *lib. 3. Var. Resol. c. 2. concl. 1.* & *2.* Bonacina *cit. q. 6. punct. 1. n. 3.* cum aliis. Quinimo Sixtus V. in sua 45. Constitutione, quæ incipit, *Detestabilis avaritia* (& habetur *Tom. 2. Bullarii Romani*) ex professo damnat, & tanquam usurariam pravitatem sapientes reprobat omnes contractus, conventiones & pactiones, quibus cavetur, ut in singulos annos, aut menses per alterum socium, durante Societate certa lucri quantitas & summa; veluti tot pro quoliber centenario, solvatur, ac nihilominus sors ipsa principalis; etiamsi fortuito casu quamlibet jacturam vel amissionem ejus contigerit, semper alteri salva maneat, & integra a socio recipiente restituatur: talis enim pactio videtur sapere usuram palliatam.

133. Controvertunt nihilominus Doctores, utrum his non obstantibus in Societate licitum sit pactum de assecuratione sortis principalis, saltem sub præstatione justi pretii pro impositio assecurationis gravamine; vel ex lege, ut remisso in compensationem dicti gravaminis majori lucro incerto, velit quis esse contentus modico duntaxat lucro, certo tamen, puta quinque pro centum in annos singulos sibi præstandis? Negant non pauci licitum esse tale pactum assecurationis, idque ob rationes *n. præc.* allatas: ut Sotus *lib. 6. justit. qu. 6. art. 2.* Azorius *p. 3. lib. 9. cap. 3. quæst. 9.* & quidam alii, quos citat Lugo *disp. 30. de just. & jur. sect. 4. n. 89.*

134. Oppositam tamen, seu affirmativam sententiam esse jam satis communem, & veriorem, censet Lugo *loc. cit. num. 40. & seqq.* Lessius *lib. 2. de Just. & Jur. c. 25. dubit. 3. n. 23.* Navarrus *c. 17. Manual. n. 254.* Covarruvias *lib. 3. Var. Resol. cap. 2. Concl. 3.* Laymin *lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 20. nu. 2.* & *4.* Bonacina *cit. punct. 1. n. 3. vers. Dixi ius* Reginaldus *d. lib. 25. cap. 29. num. 396.* & *seqq.* cum pluribus aliis, quos citant. Fundamentum hujus sententiæ desumitur *ex l. Si non fuerint ff. Pro socio*: ubi dicitur: *Ita correi societatem posse, ut nullam partem damni aliter sentiat, lucrum vero commune sit si tanti sit opus, quanti damnum est*; hoc est periculum damni subeundi, ut explicat Glossa *ibid. V. Damnum est*. Accedit ratio: quia contractus assecurationis, seu suscipiendi periculum rei alienæ, est pretio æstimabilis, ac de jure licitus, *arg. l. In nave ff. Locati*: ergo potest conjungi contractui Societatis, cæteroquin pariter licito; nullo enim jure reperitur prohibitum, duos contractus cæteroquin licitos conjunctim fieri, & permisceri. Atqui ita fit in contractu illo Societatis, ubi periculum sortis amittendæ alter socius redimit præstito justo pretio, vel remittendo spem majoris lucri: ergo.

135. Nec obstat, quod quælibet res domino suo pereat. Nam hoc verum est regulariter loquendo, ac seclusis specialibus pactis, quo quis periculum rei alienæ sponte in se suscipit; alias secus. Sic quippe in simili Commodatarius, vel Depositarius, regulariter non tenetur de casu fortuito, quo res commodata, vel depositæ absque sua culpa perit; secus tamen, si præcessit pactum de præstando casu fortuito, *c. un. de Commodat. & c. de Locato* cum similibus.

136. Ad allegatam Sixti V. Constitutionem inquit Lugo *cit. disp. 30. sect. 4. num. 37.* allegatus plures alios, ipsummet Sixtum V. de sensu dictæ Bullæ interrogatum respondisse, se in ea solum voluisse prohibere injustos contractus, & conventiones solitas Societatibus apponi, quas Classici Doctores condemnarent; non autem eas, quas fidem approbarent, tamquam justas. Accedit Rota *in decis. Romana Societatis, die 3. Junii 1602. coram Coccin.*, ubi censuit, dictam Bullam comprehendere solum casus usurarios de Jure communi, additis tamen majoribus pœnis. Idipsum suadetur ex eo, quia post memoratam Bullam Sixtinam passim similes contractus celebrantur; ut de Lusitania, Belgio, aliisque Provinciis testantur Molina, Lessius, & alii. Quare dicendum, hanc fuisse mentem Pontificis, vel certe Bullam illam aliter non esse usu receptam. Ita discurrit Lugo, *ubi supra*.

137. Ad ultimum negatur Assumptum, Licet

Licet enim pactio illa fapiat uturam palliatam, quando ex vi ſolius Societatis fit pactum de aſſecuratione ſortis principalis: ſecus tamen eſt, quando expreſſe, vel tacite apponitur aliius contractus, quo redimitur periculum amittendæ ſortem principalem præſtando aliud juſtum pretium, vel in ejuſdem compenſationem remittendo ipſum majoris lucri incerti, ut dictum.

138. Quinta tandem conditio, ad Societatem requiſita, eſt, ut juſta pacta ab initio inter Socios inita ſerventur, vel ſaltem expreſſe conventum eſt, loci conſuetudo attendatur; ſimulque non immineatur fraus, dolus, five excepto aliqua, aut alia culpa ex parte ſociorum: alioquin ea hoc ipſo foret injuſta, & induceret obligationem reſtituendi damnum hoc ſecutum: etiam pro Foro conſcientiæ. Sic fieret, quando adminiſtrans communem pecuniam Societatis, inde clam fraudaret ſumptuoſo in ſuos privatos uſus; vel quando lucrum proveniens, non fideliter ex æquo diviſeretur inter ſocios pro rata contributæ ſortis principalis: item, quando ex culpa ſocii peteretur communis pecunia, vel lucrum, aut perſipitus. Quæ omnia ut clarius intelligantur, ſit

139. CONCL. IV. In contractu Societatis, ſi quid pereat caſu fortuito, & abſque culpa ſociorum, damnum cenſetur commune, juxta dicta *n.* 131. alioquin vero tenetur ſocius de dolo, culpa lata & levi, non autem de leviſſima. Ita cenſentur *ex l. Socius ſocio ff. Pro ſocio & §. ult. Inſtit. de Societate*, ac tradit Angelus *in ſumma*, *V. Societas 1. n. 16.* Leſſius *d. c. 25. n. 37.* Bonacina *de cont. q. 6. par. 1. n. 3. V. Dixit quarta*, & alii. Nam quia contractus Societatis celebratur in utilitatem utriuſque, conſequens eſt, quod præſtetur non ſolum dolus, & culpa lata, ſed etiam levis, non autem leviſſima, *arg. l. ſi ut certo §. Sane videndum eſt ff. Commodati*, cujus tam dictum ſupra *tr. 8. diſp. 1. n. 45.*

140. Inferitur primo, quod ſi aliquid damni accideret, ex culpa ſaltem levi ipſius ſocii, & ſi res communes furto fuerint ablatæ ex defectu debitæ cuſtodiæ, tale damnum non futurum ſit commune: quinimo locius ille, qui ejuſmodi culpam commiſit in non diligenter cuſtodiendo, tenetur cæteris ſocius ad reſtitutionem. Leſſius, Bonacina, *ubi ſupra*, & alii. Iisdemque dicendum de ſimilibus: quamvis loquendo pro Foro conſcientiæ, & ante ſententiam Judicis, hoc ipſum nonnihil limitetur ſupra *cit. diſp. 2. n. 46. & ſeqq.*

141. Solum adde, quod quando unus ſocius ab aliis conventur propter ea, quæ ratione Societatis debet, is non ſit condemnandus in plus, quam commode facere poteſt, ita ut non egeat. Textuseſt *in l. Verum eſt*, §. 2. *ff. Pro ſuis*, addita illa congruentiæ ratione. *Hic enim ſummam rationem habet; cum Societas jus quodammodo fraternitatis in ſe habeat.* Quamquam illud intelligendum ſit, cummodo locius dolo non fecerit, quo minus integre ſatisfacere poſſet, *cit. l. Verum eſt §. Tempus autem*. Simulque cautionem præſtet de integre ſatisfaciendo, ſi pervenerit ad meliorem fortunam, *d. l. Verum eſt §. Id quod facere*. Layman *lib. 3. ſect. 5. tr. 1. cap. 20. n. 6.*

142. CONCL. V. Expenſæ non ſuperfluæ cauſa Societatis factæ a ſocio apponente induſtriam tum communes, ac ſolvendæ ex communi pecunia Societatis: niſi aliter conventum ſit inter ſocios, vel conſuetudine receptum. Ita Angelus *V. Societas 1. n. 12.* Regnaldus *l. 25. n. 395.* Bonacina *cit. diſp. 3. de Contractibus, q. 6. punct. 4. n. 3.* & alii. Ratio eſt; quia lucrum, inter ſocios dividendum, non intelligitur, niſi deductis neceſſariis expenſis, *l. Mutius, ff. Pro ſocio*, ſicut & fructus ſolum intelliguntur deducti neceſſariis impenſis, *l. Fructus ff. de Operis ſervor.* cum ſimilibus. Et hinc juxta Doctores paſſim, neceſſariæ illæ expenſæ, quas facit ſocius in tranſportandis vel conſervandis mercibus, & aliæ hujuſmodi, ſolvi debent ex communi pecunia Societatis.

143. Intellige, niſi antea conventum fuerit inter ſocios, ut is ex propriis pecuniis neceſſarias expenſas ſolveret, quas poſſimodum recuperet a cæteris ſociis. Aut niſi hoc ipſum conſuetudine receptum ſit: prout accidit, quando pro conſervatione mercium, vel pro acquiſitione deſideravi lucri, expenſæ quædam neceſſario ſunt faciendæ, nec amplius ſuppetit pecunia, quæ extrahatur ex communibus bonis Societatis: tunc enim ſocius negotiator non ſolum ex præcepto Charitatis, ſed etiam ex lege Juſtitiæ, tenetur dictas expenſas facere ex propriis bonis, poſtea ſuo tempore eas recepturus a ſociis, vel, ſi non habet propias pecunias, debet has mutuo petere ab aliis. Ita Leſſius *cit. c. 25. num. 3.* Bonacina *d. punct. 4. n. 5.* Layman *cit. c. 20. n. 5.* & alii. Siquidem ſocius negotiator ratione contractus Societatis (& conſequenter etiam ex juſtitia) tenetur adhibere pro conſervandis bonis communibus eam diligentiam, quam quiſque diligens adhibere ſolet circa res proprias; alioquin is committeret culpam, ſaltem levem: atqui in dicto caſu quiſque diligens impenderet ſuas pecunias, vel ſi non haberet, mutuo acciperet alienas, ne majus damnum incurreret: ergo ad hoc ipſum tenetur ſocius, & quidem ex juſtitia.

144. Ampliatur Concluſio ad moderatas eleemoſynas, quales ſocius ponens induſtriam facere poteſt ad invocandum divinum auxilium pro felici ſucceſſu Societatis: nam etiam iſtæ ex communibus bonis ſolvendæ ſunt. Layman *d. c. 20. n. 5.* Bonacina *loc. cit. punct. 4. n. 3. & 4.* allegans alios.

145. Ampliatur ulterius Concluſio ad integras expenſas, quas facit ſocius in itinere cauſa Societatis ſuſcepto? Licet enim Sylveſter *V. Societas, 1. queſt. 12.* Angelus *cit. nn. 12.* & nonnulli alii exiſtiment, hinc deducendas eſſe illas impenſas, quas ſocius ille domi feciſſet: nihilominus magis accomodate ad Jura, & praxin, videtur dicendum, integra impendia itineris ex communi ſorte eſſe præſtanda, *arg. leg. ſi fratres. §. Si quis ex ſocis, ff. Pro ſocio.* Hinc quippe ſocio propter Societatem proficiſcenti (veluti ad merces emendas) viatica indiſtincte concedunter ex bonis Societatis. Navarrus *cap. 17. Manual. n. 285.* iſtud intelligens, niſi pactum in contrarium intervenifſet. Leſſius *cit. cap 25. num. 35.* Layman, *ubi ſupra, num. 5.* Bonacina *d. punct. 4. num. 3.* cum aliis.

146. Ampliatur tertio, quod ſi ſocius abſque culpa ſua, etiam levi, ex cauſa Societatis damnum incurrit (ut puta, quia reſiſtendo prædonibus volentibus auferre bona Societatis, vulneratus eſt, multaſque poſtea expenſas fecit ad ſe curandum) etiam tales expenſæ ſint communiter faciendæ. Textus eſt *in l. cum duobus. §. Quidam & l. Secundum Julianum ff. Pro ſocio*; ac tradit Angelus *V. Societas 1. nn. 13.* Layman *cit. cap. 20. num. 4.* Bonacina *d. punct. 4. n. 1.* & communis aliorum.

147. Additur notanter, *ſi ſocius abſque culpa ſua, etiam levi &c.* Nam ſecus dicendum, ſi ſocius ex ſua culpa in tale damnum incurrit, v. g. provocando aliumad rixas, in quibus poſtea ſaucietur. Tum quia is tenetur de culpa, etiam levi, ut dictum *n. 139. & ſeqq.* Tum quia æquum non eſt, ut Societas damnum patiatur ex culpa alicujus ſocii, cum peccata ſuos authores tenere debeant, *c. de his qua fiunt a major. part. Capit.* Simulque non debeat alteri per alterum iniqua conditio inferri, *l. Non debet ff. de Reg. Jur.* cum ſimilibus.

148. Additur ulterius, *ex cauſa ſocietatis.* Nam damna propria, quæ ſocius aliunde incurrit, puta ſi ob privatas inimicitias ab aliquo vulneratus ſit, aut aliquid ipſi ex propris rebus furto ablatum fuerit, non debent eſſe communia. Talia enim non veneruntin Societatem, *c. ſocium qui §. fin. ff. Pro ſocio*, & quia nec proveniunt ex cauſa ſocietatis, nulla ſubeſt ratio obligans cæteros ſocios ad reſarcienda hujuſmodi damna. Accedit, quod etiam lucra, quæ non ex cauſa Societatis, ſed aliunde v. g. ex paterna hæreditate proveniunt, neutiquam ſint communia: idem ergo dicendum de damnis aliunde ſocio obvenientibus. Bonacina *l. c.* & alii.

149. CONCL. VI. Societas pluribus modis finitur, qui recenſentur *in l. Verum eſt 64. & l. Actione, 66. ff. Pro ſocio.* Et quidem I. Finitur Societas finito tempore ad Societatem conſtituto, *cit. l. Actione, §. Item qui ſocietatem.* II. Finita negotiatione, *d. l. Actione, c. Item ſi alicujus.* III. Per renunciationem, ſeu conſenſum mutuum omnium ſociorum: alias vero, ſi unus duntaxat renunciet, ipſe quidem a ſe liberabit ſocios ſuos, ſe vero non liberabit ab ipſis, quando ſocietatis interfuit non dirimi tunc ſocietatem; prout amplius declaratur *in d. l. Actione, §. Diximus.*

150. IV. Finitur Societas morte naturali unius ſocii, etiamſi Societas cum pluribus contracta fuerit, & plures ſuperſint, *cit. l. Actione §. Morte unius & l. Verum §. Societas ſolvitur, ff. Pro ſocio.* Etenim in Societate eligitur induſtria perſonæ, qualis expirat ſuperveniente morte naturali ſocii, ignoratur enim, qualis futura ſit induſtria hæredis; atque ideo hæres defuncti ſocii non ſuccedit in locum ejus, niſi novo conſenſu initur ſocietas, *l. Nemo poteſt. & l. Plane ſi hi ff. eod.*

151. Atque iſtud extenditur ad mortem etiam civilem cujuſpiam ſocierum, *cit. l. Verum, §. Societas ſolvitur*: qualis cenſetur incurri per exilium, immo & per Profeſſionem Religioſam. Bonacina, *diſp. 3. q. 6. punct. ult. na. 4.* Reginaldus *lib. 25. n. 375.* & alii.

152. V. Solvitur Societas interitu rei: hoc eſt, quando vel ſors capitalis periit in totum, vel conditionem ita mutavit, ut non amplius ſit in commercio hominum, puta, quia facta eſt religioſa, Deoque conſecra-

ta, *cit. §. Societas solvitur*. Addit Bonacina *loc. cit. n. 5.* post Sylvestrum *V. Societas, 1. quæst. 14.* & alios, Societatem finiri non solum, quando tota pecunia capitalis interiit, sed etiam, quando modica & exigua duntaxat remansit: quia non censetur alter socius in tali casu se voluisse obligare ad præstandam operam suam, quæ est longe majoris valoris.

153. Tandem Societas finitur egestate alterius socii: ut quando ejus bona publicantur, aut pressus ære alieno cecidit bonis suis, *cit. l. Actione §. Publicatione, ff. Pro socio*. Idemque dicendum, quando alter socius jam depauperatus non potest contribuere promissam pecuniam: vel quando is promisit operam suam, sed hanc ob supervenientem infirmitatem præstare nequit. Bonacina *cit. n. 5.* cum aliis.

154. CONCL. VII. Finita Societate divisio bonorum, seu lucri provenientis, facienda est inter socios ad æqualitatem, juxta proportionem alius, quod quisque contulit in societatem: ita ut qui æqualiter contulerunt pecuniam vel industriam, æque lucrum recipiant: inæquale vero, qui inæqualiter contulerunt. Ita communis; & ratio est: quia hujusmodi divisionem æqualem lucri inter socios exigit naturalis æquitas & virtus justitiæ; sic enim unicuique datur, quod ipsi debetur. His accedunt dicta *n. 131.*

155. Quæres, utrum is, qui Societatem quandam iniens operas suas ad eius expectationem obligavit, licite possit aliam adhuc Societatem inire, finalque operas eidem impendere? Resp. Licite hoc fieri, quoties illud quis præstare potest absque præjudicio prioris Societatis: alias secus. Ita Bonacina, *ubi supra, punct. 1. n. 4.* post Molinam *disp. 419.* Rebellum *lib. 10. q. 2. num. 8.* & alios communiter. Ratio prioris partis est: quia tunc nullam facit injuriam sociis prioris Societatis, neque violat pactum cum eisdem initum; censetur enim solum se priori Societate obligasse, quatenus opus est, ne Societas, damnum patiatur; alioquin, si ultra nihil agere liceret, potius preberetur causa otiandi.

156. Altera pars de se patet. Quia iniens secundam Societatem cum præjudicio prioris, ageret contra justum Societatis contractum cum priori jam initum: unde non solum peccaret, sed etiam teneretur ad restitutionem omnium damnorum, si quæ exinde sociis prioris Societatis obveniant: faceret enim contra justitiam, non servando pacta ipsis promissa cum eorundem præjudicio. Sicut a pari famulus, qui ab uno domino conductus fuit, alterius domini negotiis sese immiscere non potest cum præjudicio prioris; alioquin teneretur huic ad restitutionem damni illati, cum ex vi contractus conductionis teneatur huic fideliter deservire, omnesque damnum ipsius, quantum potest, avertere.

DISTINCTIO XIV.

De Impedimentis Matrimonii.

QUÆSTIO I.

A quo possint statui Impedimenta Matrimonii.

SUMMARIUM.

1 *Impedimenta matrimonii alia impedientia, alia dirimentia.*
2 *Datur in Ecclesia potestas, eadem constituendi.*
3 *Cui eadem potestas competat?*
4 *An etiam Episcopis?*
5 *Principes seculares, an possint statuere impedimenta dirimentia matrimonii pro subditis fidelibus?*
6 *Et cur non?*
7 *Quid respectu subditorum infidelium?*

1. *Impedimenta Matrimonii* generatim sunt illa, quæ obstant, seu impediunt, ne matrimonium rite celebretur. Horum duo sunt genera, alia mere impedientia, alia dirimentia. *Impedimenta mere impedientia* dicuntur illa, quæ quidem matrimonium cum ipsis contractum non reddunt irritum ac nullum, prohibent tamen contrahendum. Unde stante tali impedimento matrimonium licite, & absque peccato non potest contrahi, bene tamen valide. *Impedimenta dirimentia* sunt, quæ non solum obstant, ne licite contrahatur matrimonium,

nium, sed etiamne, valide: atque ideo matrimonium cum hujusmodi impedimento contractum, est omnino nullum, ac irritum.

2. CONCL. I. Datur in Ecclesia DEI potestas constituendi impedimenta, sive impedientia, sive etiam dirimentia matrimonii. Ita omnes Catholici; estque definitum nov fiime in Concilio Trid. *Sess. 24 can. 4.* ibi: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Idem patet ex perpetua praxi, ac usu Ecclesiæ, quamvis ad hoc, ut Ecclesia statuat novum impedimentum matrimonii, requiratur gravis & justa causa, qualis jam reperitur in omnibus iis, quæ de facto sunt constituta.

3. CONCL. II. Hæc potestas statuendi impedimenta matrimonii convenit non solum legitimo Concilio Generali, quod Ecclesiam universalem in suis Capitibus congregatam repræsentat: sed etiam summo Pontifici, ut pote qui est Caput visibile totius Ecclesiæ Militantis, habetque ex speciali privilegio Christi potestatem ligandi, atque solvendi super terram, *Matth. 16.*

4. CONCL. III. Episcopi non possunt de facto in suis Diœcesibus statuere impedimenta dirimentia matrimonii. Ita Sanchez *l. 7. de Matrim. disp. 1. n. 9.* cum aliis. Patet id ex generali Ecclesiæ consuetudine, qua hæc potestas Summo Pontifici est reservata.

5. CONCL. IV. De facto nullus Princeps sæcularis fidelis potest suis subditis fidelibus ejusmodi impedimenta matrimonii statuere. Ita certa, & communis. Ratio est: quia quamvis id posset Princeps sæcularis facere respectu suorum subditorum, quantum est vi sui officii; de facto tamen hanc potestatem, utpote materiam spiritualem Sacramentorum concernentem, Ecclesia & Papa sibi reservavit. Quamvis Concilium Trid. *sess. 24. can. 12.* generaliter definivit, causas matrimoniales (ad quas utique pertinent impedimenta matrimonii, eorumque constitutio) spectare ad forum Ecclesiæ, his verbis: *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit.*

6. Porro hæc reservatio satis congruenter, & rationabiliter est facta per Ecclesiam, eo quod contractus matrimonialis Fidelium sit a Christo elevatus ad esse supernaturale Sacramenti; ac proinde videretur, ut tanti Sacramenti dispositio, ac Judicium circa illud ad Principes sæculares pertineat. Hi siquidem non receperunt a Christo potestatem Ecclesiasticam, ac spiritualem circa Sacramenta, aliasque res Ecclesiasticas; sed solus Petrus, ejusque legitimi Successores, juxta illud *Matth. 16. Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Et *Joan. 21. Pasce oves meas.*

7. Dicitur notanter in Conclusione, *nullus Princeps secularis fidelis potest suis subditis fidelibus.* Quia certum est, & communiter a Doctoribus concessum, posse de facto Principes seculares statuere impedimenta matrimonii respectu subditorum infidelium, v. g. Judæorum, in eorum Ditionibus commorantium. Ratio est: quia reservatio Pontificis non est respectu Infidelium, cum hi sint extra Ecclesiam, simulque respectu horum cessat ratio reservationis; cum matrimonia Infidelium non sint Sacramentum, seu legitimus duntaxat contractus.

QUÆSTIO II.

Quæ sint Impedimenta mere Impedientia Matrimonium.

SUMMARIUM.

8 *Impedimenta mere impedientia matrimonii de Jure antiquo, quæ?*
9 *Catechismus, quid? Non amplius urget hoc impedimentum.*
10 *Crimina, quæ olim impedibant matrimonium contrahendum?*
11 *Ea non amplius impediunt. Quæ impedimenta mere impedientia nunc sint in usu?*
12 *I. Tempus sacratum, & quale hoc sit? An tunc liceat contrahere absque solemnitatibus?*
(a) Dist. 13. n. 2.
13 *II. Ecclesiæ vetitum, & quod?*
14 *III. Sponsalia.*
15 *IV. Votum, & quale.*
16 *Votum solemne est impedimentum dirimens.*
17 *Contrahens cum voto simplici Castitatis, an peccet, ac petere possit debitum?*
18 *Quid, si cum ipso dispensetur?*
(b) De hoc Tr. 6. Dist. 3. n. 48.
19 *An peccet reddendo?*
20 *Præsertim prima vice.*
21 *Quid de vovente non nubere, vel SS. Ordines suscipere? Aut ingredi Religionem?*

8. IMpedimenta Matrimonii non dirimentia, sed mere impedientia, spectato

Jure antiquo plura fuerunt, sequentibus versiculis communiter comprehensa:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, Crimen, Sponsalia, Votum
Impedunt fieri, permittunt juncta teneri.

9. Per *Catechismum* intelligitur cognatio quædam spiritualis imperfecta, olim ex eo orta, quod quamvis quis prolem jam antea privatim baptizatam de sacro Fonte non levarit, tamen Catechismo per quasdam interrogationes Sacerdotis baptizantis, ac responsiones Patrini fieri solito, & aliis conjunctis solemnis Baptismi cæremoniis singulariter assistebat. Veram hujusmodi Impedimentum, quondam inter certas personas impediens Matrimonium contrahendum, sed non dirimens contractum (*arg. c. Conquestus, de Cognat. spirit. & c. Per Catechismum, eod. in 6.*) non amplius viget; sed fuit sublatum per Concilium Trid. *sess. 24. cap. 2. de Reform. Matr.* ac notat Sanchez *l. 7. de Matr. disp. 10. num. 12.* citans communem.

10. Cæterum per ly *Crimen*, intelliguntur varia crimina, quorum Authoribus de Jure Canonico antiquitus in pœnam commissi celeris injunctum fuit, ut absque spe matrimonii remanerent; sicque crimina illa erant Impedimenta impedientia matrimonii. Et hæc a Glossa *c. 2. de pœn. & remiss.* comprehenduntur illis vulgatis versiculis:

Incestus; Raptus sponsatæ; Mors insidiosa:
Susceptor propriæ prolis: Mors Presbyteralis:
Vel si pœnitens solemniter: aut Monialem
Accipiat: prohibent hæc conjugium sociandum.

11. Nunc tamen hæc criminum impedimenta per consuetudinem contrariam, & longævam, videntur sublata, nec amplius, esse in usu: unde cum & impedimentum Catechismi ulterius non subsistat, omnia impedimenta moderno adhuc tempore impedientia Matrimonium, apte hoc unico versiculo concluduntur.

Sacratum Tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum.

12. Primum igitur Impedimentum mere impediens Matrimonii, est *Tempus sacratum*, seu *feriatum*; quale juxta antiquos Canones longius erat, sed juxta Jus novum, & præscriptum Concilii Trid. *sess. 24. c. 10. de Reform. Matrim.* est ab Adventusque ad diem Epiphaniæ, & a Feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive. Veruntamen sciendum, hoc præceptum solum prohiberi solemnitates nuptiarum, id est, solemnem earum Benedictionem; item & solemnem traductionem sponsæ in domum sponsi, qualis fieri solet per convivia, & alia vanæ lætitiæ signa. Potro dictarum Feriarum tempore licitum esse Matrimonium contrahere coram Parocho, ac testibus, absque prædictis solemnitatibus superius, (a) jam dictum est, & latius probat Sanchez *loc. 7. disp. 7.* citans alios.

13. Secundum Impedimentum Matrimonii mere impediens, est *Ecclesiæ vetitum*. Et per hoc intelligitur generalis, vel particularis prohibitio Ecclesiæ, aut Episcopi, vel Parochi matrimonium prohibentis facta ex justa & rationabili causa: v.g. ut non contrahatur Matrimonium ante præmissas trinas denuntiationes, vel ut certæ personæ non contrahant, donec constet, nullum inter eas intercedere impedimentum; aut si prohibetur contrahi Matrimonium tali die, ob alicujus Festi venerationem, vel hujusmodi.

14. Tertium Impedimentum mere impediens Matrimonium contrahendum, sunt *Sponsalia* priusquam alia persona valide contracta. Qui enim sponsalia cum aliqua persona valide contraxit, tenetur sub mortali (nisi justa causa subsit diffolvendi sponsalia) eandem ducere; quamvis si aliam ducat, ipsum Matrimonium sic contractum sit validum. Sed de Sponsalibus plura *quæst. seq.*

15. Quartum Impedimentum mere impediens, est *Votum*. Potro nomine Voti in proposito intelligitur Votum simplex Castitatis, item Votum simplex ingrediendæ Religionis, assumendi Ordinem sacrum, non ineundi conjugium; item & Juramentum de his rebus factum. Ratio est: quia hujusmodi Vota simplicia, vel Juramenta sunt observanda: unde quia directe adversantur statui Matrimonii, id impediunt contrahendum: non tamen dirimunt contractum, cum hoc nullo Jure expressum reperiatur. Hinc cum tali Voto simplici valide quidem contrahitur matrimonium, sed non licite.

16. Notanter additur, *Votum simplex*. Siquidem Votum solemne Castitatis, idest, illud, quod solemnizatur per susceptionem Ordinis sacri, aut Professionem cuiusvis Religionis ab Ecclesia approbatæ, est Impedimentum dirimens Matrimonii, ut dicetur infertius *Quæst. IV. §. VII.*

17. Quæres I. An cum Voto simplici Castitatis contrahens Matrimonium possit petere, vel reddere debitum conjugale? Resp. I. Qui Voto simplici Castitatis perpetuæ obstrictus (idem de tali Juramento) Matrimonium contrahit, non solum peccat mortaliter contrahendo cum intentione illud consummandi, sed etiam privatus existit jure petendi debitum: adeo quidem, ut toties peccet mortaliter agendo contra suum Votum, quoties illud petit, donec cum eo legitime dispensatum fuerit. Ita Scotus 4. *dist. 38. §. Consimiliter* Sanchez *l. 9. disp. 33. numer. 5.* & alii. Ratio est; quia talis agit contra Votum, tum contrahendo cum dicta intentione consummandi (secus, si antea velit ingredi Religionem) tum petendo: cum propter Votum teneatur abstinere ab omni actu venereo, neque ad petendum debitum astringatur ullo vinculo fortiori, imo per Votum sponte renuntiaverit Juri petendi.

18. Additur vero, *donec cum eo legitime dispensatum fuerit*; sive a Summo Pontifice, vel ex ejusdem commissione a Sac. Pœnitentiaria, aut Episcopo, vel Confessario habente ad hoc specialem facultatem. (b) Nam tunc secus erit dicendum, & licite talis poterit petere debitum.

19. Resp. II. Nihilominus Voto simplici Castitatis adstrictus, post contractum, simulque consummatum Matrimonium, licite potest, imo & tenetur, alteri conjugi petenti reddere debitum. Ita communis. Ratio est: quia ad hoc jam est obligatus vinculo majori: majus liquidem vinculum est obligatio Matrimonii, per quod fit traditio corporum, quam Voti simplicis, quod meram promissionem importat: simulque per votum non potuit quis jure alterius præjudicare.

20. Dicitur notanter, *simulque consummatum*. Utrum enim talis peccet prima vice reddendo debitum, variant Doctores, atque melius respondetur sub distinctione. Et quidem loquendo de primo bimestri, dicendum, talem peccare reddendo pro prima vice: quia cum tunc non sit adstrictus ad reddendum debitum conjugale, imo possit adhuc Religionem ingredi, absque urgente causa ageret contra Votum Continentiæ. Verum elapso dicto bimestri negat Sanchez *loc. cit. disp. 34. n. 3.* talem peccare pro prima vice reddendo: quia tunc jam urget obligatio reddendi.

21. Resp. III. Qui solummodo vovit non nubere, etsi peccarit nubendo, tamen post matrimonium contractum non prohibetur debitum petere, vel reddere; cum ad hoc non se extenderit suum votum. Et hoc idem dicendum de Voto suscipiendi Sacros Ordines. Qui vero vovit ingredi Religionem, manet quidem obligatus usque ad consummationem matrimonii, neque potest sub mortali illud consummare, sive petendo, sive reddendo (aliequin enim faceret sibi Votum suum observatu impossibile, cujus observandi liberam antea potestatem habuerat) posita tamen semel consummatione ipsius matrimonii, licet culpabili, potest exinde & reddere, & petere debitum: donec vel conjuge moriente, vel consentiente, aut adulterante, possit Religionem libere ingredi, sicque suum Votum adimplere. Herincx *disp. 6. de Matr. n. 17.* & alii.

QUÆSTIO III.

De Sponsalibus, eorumque Obligatione, & Dissolutione.

SUMMARIUM.

22 *Sponsalia, unde sic dicta?*
Sumuntur improprie, & proprie, quomodo?
23 *Sponsalia quid?*
24 *Declaratur eorum definitio.*
25 *Quid de promissione matrimonii non mutua?*
26 *Quatuor conditiones Sponsaliorum.*
I. II. III.
(c) Juxta dicta Tr. 8. Dist. 1. n. 13.
27 *Habens votum simplex Castitatis, vel sponsalia priora, an valide contrahat sponsalia?*
28 *Quid de habente impedimentum temporale?*
29 *IV. Conditio Sponsaliorum.*
(d) Juxta dicta Tract. 8. Dist. 1. n. 6. 7. & 13.
30 *An ad valorem sponsaliorum requiratur præsentia Parochi, & testium?*
31 *Disparitas inter matrimonium clandestinum, & Sponsalia.*
32 *Sponsalia justis de causis possunt dissolvi.*
33 *I. Mutuo contrahentium consensu.*
34 *II. Per ingressum Religionis.*
35 *Et quid, si Professio non sequatur?*
36 *Per votum simplex Castitatis, vel suscipiendi*

Jure antiquo plura fuerunt, sequentibus versiculis communiter comprehensa:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, Crimen, Sponsalia, Votum
Impedunt fieri, permittunt juncta teneri.

9. Per *Catechismum* intelligitur cognatio quædam spiritualis imperfecta, olim ex eo orta, quod quamvis quis prolem jam antea privatim baptizatam de sacro Fonte non levarit, tamen Catechismo per quasdam interrogationes Sacerdotis baptizantis, ac responsiones Patrini fieri solito, & aliis conjunctis solemnis Baptismi cæremoniis singulariter assistebat. Veram hujusmodi Impedimentum, quondam inter certas personas impediens Matrimonium contrahendum, sed non dirimens contractum (*arg. c. Conquestus, de Cognat. spirit. & c. Per Catechismum, eod. in 6.*) non amplius viget; sed fuit sublatum per Concilium Trid. *sess. 24. cap. 2. de Reform. Matr.* ac notat Sanchez *l. 7. de Matr. disp. 10. num. 12.* citans communem.

10. Cæterum per ly *Crimen*, intelliguntur varia crimina, quorum Authoribus de Jure Canonico antiquitus in pœnam commissi celeris injunctum fuit, ut absque spe matrimonii remanerent; sicque crimina illa erant Impedimenta impedientia matrimonii. Et hæc a Glossa *c. 2. de pœn. & remiss.* comprehenduntur illis vulgatis versiculis:

Incestus; Raptus sponsatæ; Mors insidiosa:
Susceptor propriæ prolis: Mors Presbyteralis:
Vel si pœnitens solemniter: aut Monialem
Accipiat: prohibent hæc conjugium sociandum.

11. Nunc tamen hæc criminum impedimenta per consuetudinem contrariam, & longævam, videntur sublata, nec amplius, esse in usu: unde cum & impedimentum Catechismi ulterius non subsistat, omnia impedimenta moderno adhuc tempore impedientia Matrimonium, apte hoc unico versiculo concluduntur.

Sacratum Tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum.

12. Primum igitur Impedimentum mere impediens Matrimonii, est *Tempus sacratum*, seu *feriatum*; quale juxta antiquos Canones longius erat, sed juxta Jus novum, & præscriptum Concilii Trid. *sess. 24. c. 10. de Reform. Matrim.* est ab Adventusque ad diem Epiphaniæ, & a Feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive. Veruntamen sciendum, hoc præceptum solum prohiberi solemnitates nuptiarum, id est, solemnem earum Benedictionem; item & solemnem traductionem sponsæ in domum sponsi, qualis fieri solet per convivia, & alia vanæ lætitiæ signa. Potro dictarum Feriarum tempore licitum esse Matrimonium contrahere coram Parocho, ac testibus, absque prædictis solemnitatibus superius, (a) jam dictum est, & latius probat Sanchez *loc. 7. disp. 7.* citans alios.

13. Secundum Impedimentum Matrimonii mere impediens, est *Ecclesiæ vetitum*. Et per hoc intelligitur generalis, vel particularis prohibitio Ecclesiæ, aut Episcopi, vel Parochi matrimonium prohibentis facta ex justa & rationabili causa: v.g. ut non contrahatur Matrimonium ante præmissas trinas denuntiationes, vel ut certæ personæ non contrahant, donec constet, nullum inter eas intercedere impedimentum; aut si prohibetur contrahi Matrimonium tali die, ob alicujus Festi venerationem, vel hujusmodi.

14. Tertium Impedimentum mere impediens Matrimonium contrahendum, sunt *Sponsalia* priusquam alia persona valide contracta. Qui enim sponsalia cum aliqua persona valide contraxit, tenetur sub mortali (nisi justa causa subsit diffolvendi sponsalia) eandem ducere; quamvis si aliam ducat, ipsum Matrimonium sic contractum sit validum. Sed de Sponsalibus plura *quæst. seq.*

15. Quartum Impedimentum mere impediens, est *Votum*. Potro nomine Voti in proposito intelligitur Votum simplex Castitatis, item Votum simplex ingrediendæ Religionis, assumendi Ordinem sacrum, non ineundi conjugium; item & Juramentum de his rebus factum. Ratio est: quia hujusmodi Vota simplicia, vel Juramenta sunt observanda: unde quia directe adversantur statui Matrimonii, id impediunt contrahendum: non tamen dirimunt contractum, cum hoc nullo Jure expressum reperiatur. Hinc cum tali Voto simplici valide quidem contrahitur matrimonium, sed non licite.

16. Notanter additur, *Votum simplex*. Siquidem Votum solemne Castitatis, idest, illud, quod solemnizatur per susceptionem Ordinis sacri, aut Professionem cuiusvis Religionis ab Ecclesia approbatæ, est Impedimentum dirimens Matrimonii, ut dicetur infertius *Quæst. IV. §. VII.*

17. Quæres I. An cum Voto simplici Castitatis contrahens Matrimonium possit petere, vel reddere debitum conjugale? Resp. I. Qui Voto simplici Castitatis perpetuæ obstrictus (idem de tali Juramento) Matrimonium contrahit, non solum peccat mortaliter contrahendo cum intentione illud consummandi, sed etiam privatus existit jure petendi debitum: adeo quidem, ut toties peccet mortaliter agendo contra suum Votum, quoties illud petit, donec cum eo legitime dispensatum fuerit. Ita Scotus 4. *dist. 38. §. Consimiliter* Sanchez *l. 9. disp. 33. numer. 5.* & alii. Ratio est; quia talis agit contra Votum, tum contrahendo cum dicta intentione consummandi (secus, si antea velit ingredi Religionem) tum petendo: cum propter Votum teneatur abstinere ab omni actu venereo, neque ad petendum debitum astringatur ullo vinculo fortiori, imo per Votum sponte renuntiaverit Juri petendi.

18. Additur vero, *donec cum eo legitime dispensatum fuerit*; sive a Summo Pontifice, vel ex ejusdem commissione a Sac. Pœnitentiaria, aut Episcopo, vel Confessario habente ad hoc specialem facultatem. (b) Nam tunc secus erit dicendum, & licite talis poterit petere debitum.

19. Resp. II. Nihilominus Voto simplici Castitatis adstrictus, post contractum, simulque consummatum Matrimonium, licite potest, imo & tenetur, alteri conjugi petenti reddere debitum. Ita communis. Ratio est: quia ad hoc jam est obligatus vinculo majori: majus liquidem vinculum est obligatio Matrimonii, per quod fit traditio corporum, quam Voti simplicis, quod meram promissionem importat: simulque per votum non potuit quis jure alterius præjudicare.

20. Dicitur notanter, *simulque consummatum*. Utrum enim talis peccet prima vice reddendo debitum, variant Doctores, atque melius respondetur sub distinctione. Et quidem loquendo de primo bimestri, dicendum, talem peccare reddendo pro prima vice: quia cum tunc non sit adstrictus ad reddendum debitum conjugale, imo possit adhuc Religionem ingredi, absque urgente causa ageret contra Votum Continentiæ. Verum elapso dicto bimestri negat Sanchez *loc. cit. disp. 34. n. 3.* talem peccare pro prima vice reddendo: quia tunc jam urget obligatio reddendi.

21. Resp. III. Qui solummodo vovit non nubere, etsi peccarit nubendo, tamen post matrimonium contractum non prohibetur debitum petere, vel reddere; cum ad hoc non se extenderit suum votum. Et hoc idem dicendum de Voto suscipiendi Sacros Ordines. Qui vero vovit ingredi Religionem, manet quidem obligatus usque ad consummationem matrimonii, neque potest sub mortali illud consummare, sive petendo, sive reddendo (aliequin enim faceret sibi Votum suum observatu impossibile, cujus observandi liberam antea potestatem habuerat) posita tamen semel consummatione ipsius matrimonii, licet culpabili, potest exinde & reddere, & petere debitum: donec vel conjuge moriente, vel consentiente, aut adulterante, possit Religionem libere ingredi, sicque suum Votum adimplere. Herincx *disp. 6. de Matr. n. 17.* & alii.

QUÆSTIO III.

De Sponsalibus, eorumque Obligatione, & Dissolutione.

SUMMARIUM.

22 *Sponsalia, unde sic dicta?*
Sumuntur improprie, & proprie, quomodo?
23 *Sponsalia quid?*
24 *Declaratur eorum definitio.*
25 *Quid de promissione matrimonii non mutua?*
26 *Quatuor conditiones Sponsaliorum.*
I. II. III.
(c) Juxta dicta Tr. 8. Dist. 1. n. 13.
27 *Habens votum simplex Castitatis, vel sponsalia priora, an valide contrahat sponsalia?*
28 *Quid de habente impedimentum temporale?*
29 *IV. Conditio Sponsaliorum.*
(d) Juxta dicta Tract. 8. Dist. 1. n. 6. 7. & 13.
30 *An ad valorem sponsaliorum requiratur præsentia Parochi, & testium?*
31 *Disparitas inter matrimonium clandestinum, & Sponsalia.*
32 *Sponsalia justis de causis possunt dissolvi.*
33 *I. Mutuo contrahentium consensu.*
34 *II. Per ingressum Religionis.*
35 *Et quid, si Professio non sequatur?*
36 *Per votum simplex Castitatis, vel suscipiendi*

pindi SS. Ordines, an dissolvantur sponsalia?

(e) Dist. 13. Quæst. 5. n. 59.

37 *III. Per Matrimonium cum alia.*

38 *Et quid, si tale matrimonium dissolvitur, per mortem conjugis?*

39 *Sponsalia, an dissolvantur per posteriora sponsalia?*

40 *IV. Per subsequutum alterius fornicationem.*

41 *V. Per notabilem fœditatem superveniens.*

(f) Ut dictum Tr. 6. Dist. 2. n. 23.

42 *Generalis doctrina circa præmissa.*

43 *VI. Propter morum asperitatem, vel sævitiam.*

44 *VII. Ob pauperiatem alteri superveniens.*

45 *VIII. Ob discessum sponsi &c.*

46 *Alia causa dissolvendi sponsalia, Remissio.*

47 *Pater, an possit impedire sponsalia filii?*

48 *Ad solvenda sponsalia an requiratur sententia Judicis?*

22. ORdiendo a nominis ethymologia dicuntur *Sponsalia a spondendo; nam moris fuit veteribus stipulari, & spondere sibi uxores futuras; unde & sponsi, sponsæque appellatio nata est*: uti notatur *L. 2. & 3. ff. de Sponsalibus*. Porro hæc vox *Sponsalia*, nonnunquam sumitur pro Matrimonio rato nondum consummato, vel potius pro ipso contractu matrimoniali: verum hæc acceptio est duntaxat impropria, atque ad evitandam terminorum æquivocationem addi solet ly *Sponsalia de præsenti*. Igitur proprie loquendo Sponsalia significant sponsionem, sive promissionem matrimonii de futuro ineundi: & in hoc sensu de Sponsalibus loquendo, fit

23. CONCL. I. *Sponsalia futurarum sunt nuptiarum promissa*. Ita habetur *c. Nostrates, 30. q. 5.* & concordat textus *L. 1. ff. de Sponsal.* ibi: *Sponsalia sunt mentio, & repromissio futurarum nuptiarum*. Vel clarius sic definiri poterunt: *Sponsalia* sunt futurarum nuptiarum mutua promissio inter personas ad contrahendum habiles externis signis sufficienter expressa.

24. Dicitur, *futurarum nuptiarum*, tum ad excludenda Sponsalia de præsenti, tum ad promissiones aliarum rerum. Et additur *mutua promissio* &c. Nam Sponsalia sunt contractus aliquis onerosus, ultro citroque obligationem inducens; sicque requirit mutuam hinc inde promissionem ineundi matrimonii.

25. Unde si promissio matrimonii ab una persona fieret alteri mere gratuita, & sine conditione repromissionis (ut si dives quispiam fœminæ, in gravi morbo sibi fideliter servienti, pro remuneratione promittat matrimonium, & fœmina promissionem non respuat, sed saltem tacendo acceptet) vir taliter promittens tenebitur quidem stare promissis; tamen fœmina, si postea contrahere voluerit, non obligatur ipsum ducere: quia ex quo nihil repromisit, habebit quidem virum promissorem sibi obligatum, ipsa tamen non erit obligata, idque ob defectum repromissionis. Insuper hæc eadem de causa talis promissio gratuita matrimonii, non habebit vim, & effectum Sponsaliorum; ac proinde nec inde nasceretur Impedimentum Justitiæ publicæ honestatis. Sanchez *lib. 1. de Matr. disp. 5.* cum aliis.

26. CONCL. II. Ad valorem Sponsaliorum plures requiruntur conditiones. I. Ut adsit vera promissio: nam ficta non sufficit, quamvis ficte promittens teneatur ad restarciendum damnum, si quod inde alteri evenerit. (e) II. Ut promissio illa sit mutua, ob dicta *nu. prec.* III. Ut hæc fiat inter personas ad contrahendum habiles, hoc est, nullo perpetuo Impedimento, sive dirimente, sive solum impediente affectas: alioquin enim Sponsalia forent nulla, & irrita, nullamque inducerent obligationem. Generaliter enim promissio rei illicitæ non valet; neque obligat, etiamsi juramento firmata foret; quia juxta *Reg. 58. Juris in 6. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*. Sanchez *l. 1. disp. 15.* cum communi.

27. Hinc Sponsalia, ab habente Votum simplex perpetuæ Castitatis facta, sunt invalida, & neque obligant ad tui observantiam, neque de facto inducunt Impedimentum Justitiæ publicæ honestatis. Similiter si quis cum una persona valide contraxit Sponsalia, & postea prioribus nondum legitime dissolutis de novo contrahat Sponsalia cum alia, hæc posteriora erunt nullius roboris, neque inde consurget Impedimentum Justitiæ publicæ honestatis.

28. Additur n. 26. *Nullo Impedimento perpetuo affectas*. Nam Impedimentum duntaxat temporale non impedit valorem Sponsaliorum. Sic enim impuberes valide possunt contrahere Sponsalia, quamvis pro ea ætate non possint contrahere matrimonium.

St

Similiter, qui vovit Castitatem ad tempus, v. g. ad biennium, licet pro eo tempore non possit licite inire matrimonium, potest tamen contrahere Sponsalia de matrimonio post elapsum voti tempus celebrando.

29. IV. Ad Sponsalia requiritur, ut verbis, vel aliis externis signis, mutua illa promissio sufficienter exprimatur. Hinc ad Sponsalia non sufficit promissio mere interna, & solamente concepta: sed debet hæc verbis, vel aliis signis sensibilibus sufficienter exterius manifestari. Quia Sponsalia sunt contractus quidam inter homines initus; homines autem non possunt judicare de mere internis. (d)

30. CONCL. III. Ad valorem Sponsaliorum non est necessaria præsentia Parochi, aut testium: unde Sponsalia clandestina, seu clam contracta nemine alio præsente, de facto valida existunt. Ita communis: siquidem hujusmodi Sponsalia clandestina nulla Lege sunt annullata, vel irritata.

31. Nec dicas: Juxta Concilium Trid. *sess. 24. de Reform. Matr. c. 1.* de facto non valet Matrimonium clandestinum, id est, sine Parocho, & duobus testibus celebratum; ergo neque valent Sponsalia clandestina. Negatur enim consequentia: quia Concilium Trid. *loc. cit.* ob gravissimas causas, & ad præcavenda irremediabilia mala perpetuo concubinatus, & adulterii aliquorum, qui prius clandestine cum una, & postea in facie Ecclesiæ cum altera contraxerant, irritavit quidem Matrimonium clandestinum, non vero Sponsalia clandestina; utpote de quibus neque urget allata ratio, neque ullum Concilium fecit mentionem.

32. CONCL. IV. Sponsalia semel valide contracta justis de causis possunt denuo dissolvi; adeo, ut contrahentes possint ab ipsis resilire, & si voluerint licite alteri nubere. Ita communis, & probatur inductione assignando præcipuas illas causas, ob quas possunt dissolvi Sponsalia. Et quidem

33. I. Sponsalia puberum (secus de impuberibus, ante adeptam pubertatem) possunt mutuo eorum consensu dissolvi: nam *omnia res, per quas cuncta nascitur, per eadem dissolvitur, c. 1. de Reg. Juris*. Et hoc intelligo, etiamsi Sponsalia fuerint juramento firmata, *arg. c. Petrarca de Sponsal.* juncta Glossa ibidem: quia potest quilibet Juri suo, quod per Sponsalia acquisivit, cedere, illudque alteri remittere. Quod si unus tantum a-

Sponsalibus resiliat, ipso quidem per hoc ab obligatione immunis non fit (nisi alter postea consentiat) nihilominus alter illico redditur immunis; quia hoc ipso, quod prior Sponsalibus renuntiet, censetur cedere juri suo.

34. II. Sponsalia dissolvuntur per ingressum Religionis: nam quia per hunc secuta Professione dissolvitur Matrimonium ratum, quanto magis Sponsalia? Et quidem per solum ingressum jam ante Professionem dirimi Sponsalia ex parte remanentis in sæculo, communiter fatentur Doctores: quia ingrediens Religionem, hoc ipso censetur renuntiasse juri sibi ex Sponsalibus acquisito; sicque alter ab eorum obligatione liber existit.

35. Utrum autem ex per solum ingressum Religionis, etiam Professione non secuta, dissolvantur ex parte utriusque, major difficultas est. Affirmant Bonacina *quæst. 1. de Sponsalibus punct. 5. num. 3.* Sanchez *l. 1. de Matr. disp. 41. n. 5.* & quidam alii, dummodo quis bona fide ingressus fuerit. Oppositum tenet Engel *tit. de Sponsal. §. 3. nu. 7.* asserens, quod ingressus Religionem, & eursum egrediens, teneatur stare Sponsalibus, si remanens in sæculo velit ultra expectare, eumque recipere: quia ingrediens Religionem non potuit jus alteri quæsitum per suum factum auferre, nisi Professione secuta. Et hanc posteriorem sententiam tenent multi Doctores, eamque Sanchez *l. c. n. 4.* appellat probabilissimam.

36. Porro per Votum simplex Castitatis, aut Votum suscipiendi sacros Ordines post Sponsalia editum, non videntur hæc dissolvi. Tum quia privilegium dissolvendi Matrimonium ratum, & Professioni Religiosæ concessum, non extenditur ad Votum simplex Castitatis, aut ad susceptionis sacrorum Ordinum, ut dictum fuerunt; (e) imo tale Votum videtur illicite factum, cum tendat in præjudicium tertii, seu sponsæ. Tum quia *cap. 2. de Obligatis ad ratiocinia &c.* generaliter prohibetur, ne quis in præjudicium alterius ordietur. Engel *l. c. n. 8.* Sanchez *disp. 46.* & probabiliter aliorum, quamvis non desint oppositum tenentes.

37. III. Sponsalia omnino dirimuntur per Matrimonium subsequens, valide, quamvis illicite, contractum de præsenti cum alia persona. Ita certa, & communis; atque ita habetur expresse *c. si inter de Sponsal.* Ubi hoc ipsum extenditur ad casum, quo prior,

Sponsalia fuerunt jurata. Ratio est: quia res uni tradita per contractum indissolubilem non potest amplius tradi alteri, cui tantum est promissa: atqui per Matrimonium fit mutua traditio corporum, & per sponsalia solum promissio eorum; ergo.

38. Et hoc adeo verum est, ut probabilior Doctorum asserat, talia Sponsalia, etiam dissoluto per mortem conjugis matrimonio, non amplius obligare ad sui impletionem; eo quod obligatio semel extincta, non amplius reviviscat: quamvis loquendo de Sponsalibus juratis, oppositum teneant Bonacina *pun. 7. de sponsalib. n. 3.* & quidam alii. Interim certum est, quod si ob violationem sponsalium primæ sponsæ quidpiam mali contigerit, illud in conscientia sit resarciendum: cum damnum ejusmodi acciderit ex culpa violatoris.

39. Verum loquendo de Sponsalibus, prior Sponsalia non dirimuntur per posteriora ex parte contrahentis ea; quamvis posteriora sunt irrita, ac invalida. Nihilominus ex parte alterius possunt dissolvi Sponsalia; adeo ut si ipsa velit, possit licite alteri nubere: nam alius, qui posteriora sponsalia contraxit, hoc ipso renuntiasse censetur prioribus.

40. IV. Sponsalia, etiam juramento firmata, dissolvuntur ex parte innocentis per sequentem alterius fornicationem: ita ut si innocens velit, sit liber a Sponsalibus. Ita habetur *c. quemadmodum de Jurejurando*; estque communis. Nam propter fornicationem supervenientem potest vir licite dimittere uxorem a sua cohabitatione; ergo longe magis sponsam de futuro ad eam non admittere. Accedit, quod in contractu sponsalitio tacite subintelligatur ista conditio: *Si illa contra regulam desponsationis non venerit*; prout notat Pontifex *cit. c. quemadmodum*.

41. V. Sponsalia, etiam juramento firmata dissolvuntur fœditate notabili superveniente, aut oculorum, vel nasi amissione, aut paralysi, vel lepra. Ita habetur *cit. c. quemadmodum, de Jurejurando*. Et ratio est: quia promissio sponsalitia, quin & juramentum, intelligitur rebus in eodem statu permanentibus. (f) Qua de causa Sanchez *lib. 1. de Matr. disp. 67. nu. 2.* præsentem materiam amplius declarans, infert cum aliis, hoc idem esse dicendum de morbo gallico, aut alia gravi infirmitate incurabili superveniente, v.g. epilepsia: item de eo, cui os male olet, nec arte medica curari potest: & præsertim, si animi, aut existimationis, notabilis deformitas superveniat; ut si sponsus furti, aut alterius turpis criminis damnetur, cum major sit morum, & famæ, quam corporis habenda ratio.

42. Cæterum prædicta intelligenda sunt ex parte illius, qui innocens, aut illæsus est. Eo enim volente, solvuntur sponsalia; si vero nolit eadem solvi, manebunt: quia in favorem ipsius innocentis, seu illæsi, hoc statutum est. Insuper dicta procedunt de ejusmodi morbo, aut defectu præcedente quidem Sponsalia, sed ignorato ab altera parte: nam si postea talis defectus primum deprehendatur, potest pars illæsa resilire, si vult: Secus si prius noverat illum defectum, & nihilominus libere contraxit Sponsalia: nam censetur in hæc consensisse, non obstante illo defectu.

43. VI. Sponsalia dissolvuntur propter morum asperitatem, vel sævitiam notabilem alterius conjugis ex post facto cognitam: item ob graves, & capitales inimicitias inter sponsos subortas. Ratio est: tum ne alioquin Matrimonium infelices exitus habeat: tum quia hæc est notabilis mutatio rerum, & gravis causa superveniens, aut falsum postea primum cognita. Sanchez *lib. 1. disp. 50.* cum communi.

44. VII. Sponsalia dissolvuntur ob paupertatem alteri supervenientem: ut si sponsa, quæ dives fuerat, ad paupertatem redacta fuerit. Ratio est: quia adest notabilissima mutatio, quæ a principio existens, vel cognita, sponsalitiorum contractum impedivisset. Et hoc idem dicendum, si paupertas jam præcesserit, fuit tamen ignorata, & sponsa dives credita.

45. VIII. Insuper sponsalia dissolvuntur propter alterius sponsi discessum in longinquam regionem absque licentia sponsæ, nec sit certa spes cito redeundi: tunc enim in Foro conscientiæ licitum est relictæ sponsæ ad alias nuptias transire. Ratio est: quia alter sic clam discedens, censetur renuntiasse juri suo.

46. Sunt quidem nonnullæ aliæ causæ dissolvendi sponsalia, de quibus fusissime Doctores, ac præsertim Sanchez *cit. lib. 1.* per plures Disputationes. Verum præmissæ sunt principaliores.

47. Quæres, an pater possit impedire sponsalia filii contra ejus voluntatem inita? Resp. Id fieri non posse, nisi scandalum magnum ex tali matrimonio probabiliter timeatur. Alias enim, cum filius teneatur servare fidem,

fidem, & Sponsalia promissa sub gravi culpa (nisi una prædictarum causarum excuset) obligent promittentem, non poterit pater tuta conscientia impedire, ne filius suam obligationem exequatur. Sanchez *loc. cit. disp. 14.* & alii.

48. Quæres ulterius, an ad solvenda Sponsalia ob supra dictas causas, opus sit authoritate, & sententia Judicis Ecclesiastici, nec ne? Resp. cum Tannero *tom. 4. disp. 8. q. 1. dub. 4. n. 72.* & aliis. Quando Sponsalia sunt clandestina, aut quando causa dissolvens Sponsalia, ejusque justitia est manifesta, non est opus authoritate Judicis ad solvenda Sponsalia, ex supradictis causis: secus vero, si Sponsalia sunt manifesta, causa vero dissolutionis incognita, vel dubia. Quod si alicubi Ritualia Dioecesana præcipiant, Sponsalia publica non nisi cum præscitu Ordinarii dissolvenda esse, licet interveniret mutuus contrahentium consensus, aut alia causa publica, eorum ordinationi in tali Dioecesi standum erit.

QUÆSTIO IV.

De Impedimentis dirimentibus Matrimonii.

SUMMARIUM.

49 *Impedimenta dirimentia Matrimonii, Quæ? Et quæ?*

50 *Ætates an ponenda pro distincte impedimento?*

49. IMpedimenta dirimentia Matrimonii antiquo jure tantum duodecim fuerunt, iis tamen per Concil. Trid. duo sunt adjecta, scilicet Absentia Parochi aut dnorum testium, & Raptus mulieris, nisi hæc post raptum denuo fuerit collocata in loco securo. Porro omnia hæc Impedimenta sequentibus versiculis apte comprehenduntur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas:
Si sis affinis, si forte eire nequibis:
Si Parochi, aut duplicis desit præsentia testis;
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

50. Sunt quidem nonnulli, qui pro distincto Impedimento addunt *ætatem* impuberum, ac proinde allegatum tertium versiculum sic legunt: *Ætas, Affinis*, &c. Verum istud impedimentum ætatis, utpote quam malitia potest supplere, commode reducitur ad impotentiam, de qua inferius §. *IV.* Hinc retentis prioribus versiculis, quos tum D. Thom. *p. 3. q. 50. Supplem. ar. 1.* tum Scotus *4. dist. 42.* aliique referunt: breviter dicta impedimenta in hac Quæstione declarantur, majoris tamen claritatis gratia de singulis speciales Paragraphos instituendo.

§. I.

De Impedimento Erroris.

SUMMARIUM.

51 *Error personæ dirimit matrimonium.*

52 *Error fortunæ, & qualitatis, quis, & an matrimonium dirimat?*

(g) Adde dicta Tr. 8. Dist. 1. n. 14. & 15.

53 *Error conditionis, quis?*

51. ERror quantum ad propositum, quadruplex intelligi potest, scilicet personæ, fortunæ, conditionis, aut qualitatis. *Error personæ* est, quando erratur circa personam, putando, se contrahere cum tali persona, & est alia: prout contigit Jacob Patriarchæ, cui putanti se contrahere cum Rachele, loco hujus fuit supposita soror ejus, *Genes. 29.* Et hic error personæ, juxta omnes Doctores, dirimit matrimonium; idque non solum Jure Ecclesiastico, sed etiam Jure naturæ: quia aufert consensum ad substantiam matrimonii requisitum, utpote cum quis velit cum tali determinata persona contrahere, & non cum alia. Unde matrimonium Jacob cum Lia, a principio fuit nullum; quamvis postea accedente novo ipsius Jacob consensu, fuerit convalidatum. Et de hoc errore personæ loquitur præsens impedimentum.

52. *Error fortunæ est*, quando quis putatur esse dives, qui est pauper. *Error qualitatis* est, quando contingit errari circa qualitates alicujus personæ: ut dum quis putatur esse bonus, vel pulcher, qui malus est, aut deformis; vel virgo, aut hujusmodi, & non est. Et istum duplicem errorem, qualitatis scilicet, ac fortunæ (dummodo addit absolutus consensus, neque ejusmodi qualitas deducatur

in

in conditionem contractus, neque error ille qualitatis involvat errorem circa ipsam substantiam personæ) nullatenus dirimere matrimonium, consentiunt Doctores. Ratio est: quia error iste non contingit circa substantiam matrimonii, sed solum circa ejus accidentia; ac proinde est solum accidentalis. (g)

52. Tandem *Error conditionis* est, quando quis putatur esse liber, qui est servus. Et de hoc Errore agetur ex professo in *sequenti Paragrapho*: hinc sit

§. II.

De Impedimento Conditionis.

SUMMARIUM.

54 *Impedimentum conditionis, quod?*
55 *Conditio servilis dirimit matrimonium, quando?*
56 *Et quo jure?*
57 *Matrimonium servorum inter se, an sit validum?*
58 *Quid, si liber contrahat scienter cum serva?*
59 *Aut servitus non sit propriè dicta?*
60 *Triplex genus Servorum, nimirum Mancipia, Servi adscripticii, & Originarii.*
61 *Hi omnes prohibentur ad SS. Ordines promoveri.*

54. ET si nomen *conditionis* satis amplum sit ad plura significanda, in proposito tamen ex communi usu loquendi denotat statum servilem, seu Servitutem propriè dictam, qualis olim plurimum fuit in usu. Unde per *impedimentum conditionis* intelligitur Error conditionis (de quo *num. prac.*) & tunc accidit, quando quis putatur esse liber, qui est servus propriè dictus. Et talis vulgò dicitur *Mancipium*: quale ita est Dominio sui, ut illud Dominus possit ad libitum venumdare. Hoc præmotato, sit

55. CONCL. I. Conditio servilis, sive Servitus propriè dicta, est impedimentum dirimens matrimonii, quando liber contrahit cum serva, vel libera cum servo, ignorata ejus conditione servili. Ita communis; & habetur decisum *c. Si quis ingenuus 29. q. 2. & c. Ad nostram de Conjugio servorum.*

56. Existimant equidem plures Doctores, Conditionem servilem ignoratam dirimere matrimonium inter servum & liberam Jure duntaxat Ecclesiastico; prout tenet Sanchez *lib. 7. de Matr. disp. 19. num. 16.* citans pro hac sententia multos Doctores. Verum sententia asserens, Conditionem servilem de Jure naturali irritare matrimonium, satis probabilis est, aut etiam probabilior; siquidem Error conditionis evacuat consensum, prout notat Magister Sententiarum *4. dist. 30.* atqui sine consensu matrimonium Jure naturæ est nullum. Accedit, quod in toto Jure non reperiatur textus irritans, sed potius irritatio, seu nullitas talis matrimonii supponatur. Insuper in matrimonio fit permutatio corporum quoad usum matrimonialem: atqui servus proprie dictus non habet liberum usum sui corporis, sicuti liber; ergo liber ignorans ejus servitutem non censetur consentire in ipsum, neque potestatem corporis sui velle commutare cum potestate corporis servi, utpote quam ipse non habet; prout argumentatur Doctor Subtilis *4. dist. 30. q. 1.*

57. CONCL. II. Nihilominus validum est matrimonium servorum inter se, licet ineatur domino contradicente; quamvis per hoc non liberentur a consuetis servitiis domino suo præstandis. Ita habetur *cap. 1. de Conjugio servorum*. Et hoc extendunt Doctores communiter ad eum casum, quo servus putans, se contrahere cum libera, contraxit cum serva: nam tunc non militat ratio *num. prac.* allata, cum quælibet pars æqualem sui ipsius potestatem transferat in aliam; neque error iste reddat conditionem contrahentis deteriorem. Et hinc SS. Canones duntaxat loquuntur de matrimonio liberi cum serva, vel e contra, ignorata ejus conditione servili, contracto, dum illud declarant esse invalidum.

58. CONCL. III. Si liber contrahit cum serva scienter, aut e contra, validum est matrimonium: idemque dicendum, si prius quidem ignorata ejus conditione servili contraxit, postea tamen cognita rei veritate in matrimonium consensit, aut servam carnaliter cognovit. Ita communis; habeturque decisum *c. Proposuit & c. ult. de Conjug. serv.* Accedit ratio: quia quilibet potest cedere juri suo.

59. CONCL. IV. Quando servitus non est vera & propriè dicta, sed adscripticia solum, aut originaria, ejus error non dirimit matrimonium. Ita Sanchez *cit. disp. 19. n. 9.* cum communi: Ratio est; quia hæc servitus non ita obstitit effectibus matrimonii, sicuti prior; unde nec ejus ignorantia cen-

ceatur tollere sufficientem consensum pro matrimonio. Hinc Ecclesia nunquam legitur irritasse, vel irrita declarasse matrimonia cum talibus servis ignoranter inita.

60. Ubi notandum, quod communiter triplex assignatur genus Servorum. Primo enim aliqui sunt *Servi propriè dicti*, qui ita sunt juris domini sui, ut eos venumdare possit: & tales dicuntur *Mancipia*, de quibus loquitur præsens Impedimentum Conditionis. Secundo, alii dicuntur *Servi adscripticii*, & sunt illi, qui glebæ, seu prædio cuipiam colendo, sunt perpetuo addicti. Tertio, alii sunt *Servi originarii*; & sunt illi, qui ex adscripticiis nati sunt.

61. Porro, quamvis hæc utraque posterior Servitus, licet antea ignorata, non sit impedimentum dirimens matrimonii, ut dictum: nihilominus de Jure Canonico Servi tum adscripticii, tum originarii, prohibentur ad Sacros Ordines promoveri invitis suis dominis, & ante manumissionem in scriptis Episcopo exhibendam; ut habetur *cap. Generali & c. Admittuntur dist. 54.*

§. III.

De Impedimento Violentiæ.

SUMMARIUM.

62 *Violentia, quid?*
(h) Dist. 13. Quæst. 3. num. 29. & seqq.

62. PEr vim, seu *Violentiam*, prout est unum ex Impedimentis dirimentibus matrimonii, aliud non intelligitur, quam metus gravis, atque injuste incussus, inducens hominem ad contrahendum matrimonium; quod alioquin nullo modo contrassiset, nisi ad id metu illo, seu violentia, fuisset compulsus. Et matrimonium ex tali metu gravi, atque injuste incusso, contractum, ipso jure nullum est, ac irritum; prout superius (h) jam dictum.

§. IV.

De Impedimento Impotentiæ.

SUMMARIUM.

63 *Impedimentum Impotentiæ, quid?*
64 *Dirimit matrimonium, si est perpetua impotentia.*
65 *Quid de temporali?*
66 *Aut si Impotentia supervenit matrimonio jam contracto?*
Corollarium.
67 *In dubio, an impotentia censeatur id præcessisse?*
68 *Quid juris, si dubitetur, an ita sit perpetua?*
69 *Castratio est impedimentum dirimens matrimonii.*
70 *Non vero sola sterilitas.*
71 *Impuberes invalidè contrahunt, nisi malitia suppleat ætatem.*
72 *Idque ex Jure Ecclesiastico.*
Corollarium.

63. PEr *Impedimentum Impotentiæ* hoc loco intelligitur impotentia coeundi, seu inhabilitas ad habendam perfectam copulam conjugalem. Et de tali loquendo, sit

64. CONCL. I. Impotentia, si est perpetua, cui per naturam vel artem subveniri non potest, simulque præcessit contractum matrimonialem, simpliciter impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, respectu cujuscunque est tale impedimentum. Ita communis, & habetur *c. Ex litteris & c. Fraternitatis de Frigidis & maleficiatis.*

65. Dicitur, *si est perpetua*. Nam temporalis v.g. propter febrem, aut aliam infirmitatem accidens, non dirimit Matrimonium. Quinimo valet Matrimonium in mortis articulo contractum cum concubina ad legitimandam prolem; prout tenet communis Doctorum, & praxis Ecclesiæ. Siquidem infirmi de se non habent impotentiam perpetuam, sed temporalem: & per accidens est, quod quandoque hic & nunc moriantur, sicque impotentia illa fiat perpetua.

66. Additur etiam, *simulque præcessit contractum matrimonialem*. Nam, si ejusmodi impotentia sive propter viri frigiditatem, sive ob maleficium, matrimonio jam contracto primum supervenit, certum est,

Ma-

Matrimonium non dirimi. Infertur proinde, quod talibus, utpote veris conjugibus, liceant tactus, & oscula ad ostendendum affectum conjugalem, dummodo absit periculum pollutionis. Infertur ulterius, quod talibus etiam licitum sit, conari ad actum conjugalem, quamdiu spes probabilis superest, ipsum perficiendi intra vas naturale, licet aliquando præter intentionem pollutio contingat. Additur notanter, *quamdiu spes probabilis superest &c.* Nam si de consummatione ejus realiter sit desperatum, tunc illis illicitus est accessus conjugalis. Sanchez *l. 9. disp. 17. n. 18.* Layman *l. 5. tract. 10. p. 4. c. 12.* & alii.

67. Porro in dubio, an impotentia præcesserit Matrimonium, vel primum postea supervenerit, præsumendum est eam præcessisse. Abbas *tr. Frigiditatis de Frigid. & malef.* Engel *tod. n. 10.* & alii.

68. In dubio autem, num impotentia sit perpetua, vel temporalis, tunc ad experiendum conceditur conjugibus spatium trium annorum. *c. Laudabilem eod.* Dicitur, *in dubio*. Nam, si de impotentia perpetua constet, statim separatur matrimonium: quia dum constat de veritate, frustra adhibetur ulterior experientia. Poterunt tamen tales, si voluerint, cohabitare ut frater & soror, caste videlicet vivendo, & abstinendo ab omni commercio carnali: *arg. c. Consultationi eod.*

69. CONCL. II. Castratio est impedimentum dirimens Matrimonii: & hinc perfecte Eunuchi (hoc est, utroque testiculo carentes) non sunt habiles ad illud contrahendum. Ita communis: & patet ex Bulla Sixti V. *Cum frequenter* (& habetur *tom. 2. Bullarii Romani Constit. 59. dicti Pont.*) in qua declaratur, perfecte Eunuchos esse ad contrahendum inhabiles, eosque, qui jam contraxerant, iterum separandos. Ratio est: quia, licet tales possint uti congressu, destituuntur tamen vero semine: ac proinde per se loquendo sunt inepti ad habendum bonum prolis, qui est finis primarius Matrimonii.

70. CONCL. III. Nihilominus sola sterilitas non est impedimentum dirimens matrimonii. Ita communis. Ratio est: tum quia steriles possunt uti naturali copula, quæ per accidens tantum inepta est ad generandum, imo quandoque præter spem deservit ad generationem prolis: uti patet in Anna, matre Samuelis; Sancta Elisabeth, matre S. Joannis Baptistæ, & pluribus aliis: Tum quia matrimonium non solum propter bonum prolis, sed etiam in remedium concupiscentiæ fomitis fuit, atque institutum est.

71. Quæres: an impuberes (id est, masculi ante decimum quartum, & fœminæ ante duodecimum ætatis annum completum) valide possint contrahere Matrimonium? Resp. Negative, nisi in eis malitia suppleat ætatem; prout liquet ex *c. Puberes & cap. ult. de Desponsat. impuber.* cum concordantiis. Ratio est: quia Ecclesia speciali jure disposuit, ut ejusmodi Matrimonia sint irrita; uti patet tum per Tuam allegata, tum ex *c. Attestationi eod.* ubi impuberes contrahentes jubentur separari, nisi malitia suppleat ætatem; id est, nisi citius sint doli capaces, simulque potentes ad actum conjugalem.

72. Dices: Impotentia temporalis non dirimit Matrimonium, ut dictum *n. 65.* atqui in impuberibus adest sola impotentia temporalis; ergo. Resp. Majorem esse veram, quantum est ex natura rei: secus accedente Jure Ecclesiastico, quo impuberes, in quibus malitia non suppleat ætatem, reddantur inhabiles ad contrahendum Matrimonium de præsenti. Nam, ut notat Sanchez *l. 7. de Matr. disp. 104. n. 9.* Henrez *disp. 6. de Matr. num. 85.* & alii, quamvis impuberes cæteroquin doli capaces, non obstante impotentia temporali ad actum conjugalem, spectato Jure naturæ, possent valide contrahere Matrimonium (prout & puberes effecti, valide contrahunt, non obstante aliqua impotentia temporali, vel superveniente, vel adhuc ob complexionem tenellam durante) nihilominus impuberes Jure Ecclesiastico redduntur inhabiles ad contrahendum, nisi malitia supplente ætatem sint potentes ad actum conjugalem. Ex quo ultimo infert Fagnanus *c. De illis num. 38. de Desponsat. impub.* quod illud impedimentum ætatis, a SS. Canonibus præfinitæ, non sit absolutum, sed conditionale, nisi videlicet malitia suppleat ætatem: quamvis ante eam ætatem afferenti hanc aptitudinem, incumbat onus ipsam probandi, utpote qui præsumptionem Juris contra se habet: nam Jus, adepta pubertate, & non ante, præsumit homines habiles ad actum matrimonialem.

§. V.

§. V.

De Impedimento Ligaminis.

SUMMARIUM.

73 *Impedimentum Ligaminis, quid?*

73. PEr *Impedimentum Ligaminis* intelligitur vinculum prioris Matrimonii, quo durante posterius est nullum, & irritum. Verum de hoc ex professo dictum superius *Difficult. præced. Quæst. 4.* per totum: ibi videatur.

§. VI.

De Impedimento Ordinis.

SUMMARIUM.

74 *Impedimentum Ordinis, quid?*
75 *Oritur ex Jure Ecclesiastico.*

74. PEr *Impedimentum Ordinis* illud intelligitur, quo Clerici in Sacris Ordinibus constituti, idest, Subdiacon, Diacon, ac Presbyteri, fuerunt ab Ecclesia inhabiles redditi ad valide contrahendum Matrimonium: ut patet ex *c. Presbyteris, dist. 27.* cum concordantiis, estque novissime definitum in Concilio Trid. *Sess. 24. can. 9.* ibi: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares Castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel voto &c. anathema sit.*

75. Ex quibus verbis simul liquet, ac jam antea notavit Scotus *4. dist. 37.* illud impedimentum Ordinis oriri ex Jure duntaxat Ecclesiastico; quo tales ad contrahendum valide matrimonium redduntur inhabiles. Quinimo Clerici in Sacris constituti, si Matrimonium contrahere præsumant, præterquam quod nulliter ac invalide contrahant, excommunicationis sententiam ipso facto incurrunt, juxta *Clem. Eos qui de consang. & affinit.*

§. III.

De Impedimento Voti.

SUMMARIUM.

(1) Ut dictum Tract. 6. Dist. 3. n. 8. & 9.
76 Votum solemne Castitatis dirimit matrimonium, non simplex: cur?
77 Quid de votis simplicibus Societatis JESU?

76. CUm Votum Castitatis aliud sit simplex, aliud solemne, (1) conveniunt Doctores, solum Votum solemne Castitatis dirimere Matrimonium, de quo proinde præsens Impedimentum intelligendum est: Votum autem simplex Castitatis non *dirimit Contractum*, sed solum *impedit contrahendum*, prout patet ex *cap. un. de Voto in 6.* Rationem hujus assignat Doctor Subtilis *4. dist. 38. circa finem*: quia Ecclesia habentes Votum solemne Castitatis illegitimavit ad contrahendum Matrimonium, non autem habentes Votum duntaxat simplex. Et hoc rationabiliter factum fuit: quia ille se posuit in potestate Ecclesiæ quantum ad oppositum ejus, ad quod est contractus Matrimonii, non vero iste habens duntaxat votum simplex Castitatis; & hinc noluit Ecclesia hunc illegitimare ad contrahendum Matrimonium, sed eum reliquit Judicio Divino.

77. Cæterum ab hac generali doctrina excipi debent vota simplicia, in Societate JESU post absolutum biennium Novitiatus emitti solita: nam ejusmodi Votum simplex Castitatis, ante legitimam e Societate dimissionem, non solum impedit Matrimonium contrahendum, sed etiam dirimit contractum; prout constat ex Bulla Gregorii XIII. *Ascendente Domino* (& habetur *tom. 2. Bullarii Romani constit. 89. dicti Pontif.*) ubi §. 22. omnes ad sic contrahendum inhabiles declarantur, ipsique contractus annullantur. Et merito: nam etiam tales Professi specialiter quoad hoc fe posuerunt in potestate Ecclesiæ.

§. VIII.

De Impedimento Disparitatis cultus.

SUMMARIUM.

78 *Impedimentum Disparitatis Cultus, quod.*
79 *Solvitur instantia.*
80 *Alia Cultus Disparitas, quæ est inter Catholicos, & Hæreticos. Hæc impedit matrimonium.*
81 *Quod limitatur.*
82 *Pacta de parte liberorum in hæresi educanda, sunt impia.*
83 *Cautela circa matrimonia Catholicorum cum Hæreticis.*

78. PER *Impedimentum Disparitatis Cultus*, seu *Disparis Cultus*, aliud non intelligitur, quam illud, quod oritur ex disparitate in Fide: qualis Disparitas in Cultu, seu Fide, datur inter eas personas, quarum una est fidelis seu baptizata, altera vero infidelis & non baptizata. Et talis Cultus Disparitas est Impedimentum dirimens Matrimonii, ita ut de facto persona fidelis cum infideli valide contrahere non possit.

79. Nec obstat, quod S. Monica nupserit Patritio cuidam genti, & S. Clotildis Clodoveo Francorum Regi adhuc gentili. Resp. enim, id tunc valide factum, eo quod vel illo tempore necdum ab Ecclesia fuerint annullata & irritata talia matrimonia, quæ fuerunt contracta inter fidelem & infidelem; vel certe ob rationabilem causam tunc prædictæ personæ obtinuerint legitimam dispensationem. Siquidem hanc Cultus disparitatem solo Jure Ecclesiastico irritare matrimonium, eo quod Ecclesia illegitimaverit fidelem respectu Infidelis, notat Scotus 4. *dist.* 39. 3. *De secundo*, estque communis.

80. Præter hanc cultus Disparitatem, quæ intercedit inter Fidelem ac Infidelem, datur adhuc alius Disparis Cultus, qui reperitur inter eas personas, quarum utraque est baptizata; una tamen est Catholica, altera vero hæretica, vel Apostata a Fide: nam etiam tales personæ habent disparem cultum, seu Fidem. Cæterum hæc Fidei, seu Cultus Disparitas non *dirimit* matrimonium, quamvis illud contrahendum *impediat* ac proinde persona Catholica valide quidem potest contrahere Matrimonium cum hæretica, non tamen licite: cum talia Matrimonia prohibeantur *cap. Cave & cap. Non oportet 28. quæst. 1.* Sanchez *lib. 7. disp. 72.* cum communi.

81. Excipe tamen cum eodem Sanchez loca illa, in quibus Hæretici cum Catholicis permixti vivunt, ut in Germania, Gallia, Polonia: in his enim ex consuetudine recepta, & tolerata, licent conjugia personæ Catholicæ cum hæretica, dummodo Catholica libere, & absque subversionis periculo, permittatur in Fide permanere.

82. Pacta vero, quæ quandoque in talibus conjugiis ineuntur, ut quidam ex liberis nasciturus Catholicæ fidei, alii vero hæresi adhæreant, sunt prorsus impia & irrita: cum pugnent contra Jus naturale, & Divinum, quo tenentur parentes prolem in vera Fide educare, eique media ad salutem consequendam necessaria subministrare.

83. Quia insuper ex matrimoniis Catholicorum cum Hæreticis communiter majora eveniunt mala, quam bona, ut puta pertractio conjugis Catholicæ ad hæresin, vel saltem violationem Legum Ecclesiasticarum; rixæ, & dissensiones inter ipsosmet conjuges; periculum manifestum perversionis liberorum nascicturorum, ac hujusmodi; hinc præter ritualia Diœcesana, strictæ circa hoc observanda, merito notant Doctores, Parochis esse attendendum, ut, quoad possunt, sese opponant talibus conjugiis, neque ipsis assistant, nisi ineantur ex justa causa, & sine morali periculo subversionis: nunquam autem iis, quorum Sponsi paciscuntur de parte liberorum educanda in hæresi; ne quoquo modo videantur consentire in pacta illicita, Jurique naturali ac Divino de legitima prolium educatione, atque instructione in vera Fide, repugnantia. Gobat. *tract. 9. Theol. Experim. n. 120.* & alii.

§. IX.

De Impedimento Criminis.

SUMMARIUM.

84 *Impedimentum Criminis, quid, & unde oriatur?*
85 *Machinatio in mortem conjugis dirimit matrimonium, quando sit pari consensu.*
86 *Vel conjungitur cum adulterio.*
87 *Adulterium, in quibus casibus dirimat matrimonium?*

88 *Quæ-*

88 *Quatuor conditiones, ut uxoricidium dirimat matrimonium. 88. 1. 89. 11. 90. III. 91. IV.*
92 *An hoc impedimentum oriatur, si uxor occidat virum?*
93 *Quæ requirantur, ut adulterium dirimat matrimonium?*

84. PER *Impedimentum criminis*, intelligitur Impedimentum dirimens matrimonii, quod ex aliquo gravi crimine ortum habet. Et quidem spectato Jure communi antiquo (nam Concil. Trid. *Sess. 24. de Reform. matr. c. 6.* addidit Impedimentum ex Raptu proveniens) duplex est hujusmodi crimen, videlicet Machinatio in mortem conjugis, & Adulterium: quamvis hæc non semper dirimant matrimonium, sed in sequentibus dumtaxat casibus.

85. Itaque Machinatio in mortem conjugis tunc dirimit matrimonium, quando vel pari consensu viri & mulieris committitur uxoricidium effectu secuto; vel quando uxoricidium conjungitur cum adulterio. Ita communis. Prima pars patet ex *c. Laudabilem de convers. Infid.* ubi dicitur, quod Saraceni, *qui quarundam Christianarum viros earum insidiis, & machinationibus occiderant*, postea conversi ad fidem non possint hasce mulieres Christianas habere in conjuges. Concordat *c. Si quis vivente 31. q. 3.*

86. Altera vero pars habetur *c. Super hoc Significasti, De eo qui duxit in matrim.* &c. Et quidem in tali casu, quando adulterium jungitur uxoricidio, sufficit ad illud impedimentum incurrendum, quod alterutra pars, nimirum vel adulter, vel adultera, fuerit machinata in mortem conjugis, effectu tamen secuto: sive deinde fidem dederint, quod conjuge defuncta velint invicem nubere, sive non. Patet hoc ex *c. c. Super hoc cod.* ubi: *Si adultera est in mortem viri aliquid machinata, sive fidem dederit, sive non, quod ea defuncta bene esse debuerit, secundum Canones ab ejus consortio prohibetur: & hæc prohibitio perpetuo servanda est.* Ita videlicet perpetuo, ut nedum impediat matrimonium contrahendum, sed etiam dirimat jam contractum; prout explicat Abbas ibidem, & sequuntur alii.

87. Quantum attinet adulterium crimen, tunc adulterium impedit matrimonium contrahendum, ac dirimit contractum inter adulterum & adulteram, quando vel cum adulterio concurrit machinatio in mortem conjugis, ut proxime dictum; vel quando una cum adulterio intervenit fidei datio mutua de contrahendo inter se matrimonio post mortem conjugis, *arg. cap. Significasti cod.* junctio *c. Relatum 31. q. 1.* vel quando contractus matrimonii de facto (nam de jure non valet) cum adultera initus est, vivente adhuc priore conjuge: prout liquet ex *c. Significavit & c. Ex litterarum, De eo qui duxit in matrimonium &c.* Verum pro clariori dictorum intelligentia

88. Quæritur I. Quæ conditiones requirantur ad hoc, ut crimen uxoricidii inducat dictum impedimentum? Resp. Quatuor ad hoc debere concurrere. I. Ut unus conjugum vere, physice, vel moraliter, exiterit causa necis consorti illatæ. Et hinc sola ratihabitio ejus non sufficit: nam hæc non est causa occisionis, neque influit in eam, sed hanc supponit. Sanchez *l. 7. de matr. disp. 78. n. 6.* Hermex *disp. 6. n. 73.* Bonacina, & alii.

89. II. Ut vel occisioni conjugis accedat adulterium, licet non interveniat mutua conspiratio, vel si adulterium desit, ambo, qui contrahere volunt, conspirarint in necem alterius conjugis.

90. III. Ut mors realiter sequatur, & ex vi actionis illarum: nam in materia poenali, & odiosa, verba cum effectu accipienda sunt, *c. Hæc autem verba, De pæn. dist.* Unde si machinatio in mortem conjugis caruit effectu, vel mors ejusdem aliunde consequatur, v. g. ex incursu Medici, vel Chyrurgi, non consurgit istud impedimentum.

91. IV. Ut vir & fœmina ad finem contrahendi machinentur, atque inierant mortem: etsi enim hæc conditio nullo claro textu habeatur expressa, colligitur tamen tum ex *cap. Si quis vivente 31. q. 1.* tum ex fine hujus impedimenti, quod inductum fuit, ne conjunx conjugem occidere præsumat, ut soluto priori Matrimonio possit Matrimonium inire cum alia persona, quam deamat. Sanchez *c. disp. 88. nn. 15.* Bonacina, Hermex, Mastrius, Sannig, & alii; quamvis non desint, qui negant, hanc conditionem requiri.

92. Quæritur II. Utrum ad incurrendum hoc impedimentum requiratur, ut occisio sit uxoris; ne proinde illud non surgat, si uxor virum suum occidat ad contrahendum cum adultero? Affirmant nonnulli, eo quod *cit. c. Significasti, De eo, qui duxit in matr. &c.* de solo uxoricidio, seu machinatione in mortem uxoris, fiat mentio. Dicendum tamen est cum Sanchez *lib. 7. disp. 78. nn. 8.*

n. 3. & communi aliorum, hoc impedimentum consurgere etiam, si uxor virum occidat, *arg. c. Laudabilem de Convers. Infidel.* ubi dicitur, hoc impedimentum contraxisse mulieres, quæ viros suos occiderunt. Concordat *c. S. quis vivente 31. q. 1.* ibi: *Nisi forte vir, aut mulier virum, qui mortuum fingrat, occidisse noscitur.* Accedit, quod de correlativis idem sit judicium; ut notat Layman *cap. Translat. n. 5. & 6. de Constitution.*

93. Quæritur III. Quæ conditiones requirantur ad hoc, ut crimen adulterii inducat impedimentum dirimens. Resp. Si adulterium contingat absque machinatione in mortem conjugis, requiri sequentia. I. Ut cum adulterio interveniat promissio de ineundo matrimonio post mortem conjugis, vel contractus ejus de præsenti; quamvis nihil referat, sive talis mutua fidei datio præcesserit adulterium, sive hoc illam antecesserit, dummodo concurrant ambo durante priori matrimonio. II. Ut promissio illa sit facta serio: ficta enim promissio non sufficit, cum revera nulla sit. III. Ut copula fuerit perfecta, sive sufficiens ad generationem: nam sola pollutio, aut emissio seminis extra vas, non sufficit: siquidem materia ista est pœnalis, ac proinde requirit adulterium perfectum. IV. Ut utraque pars formale adulterium commiserit: unde si adultera ignorat, compartem esse matrimonio ligatam, hujusmodi impedimentum non incurritur, Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 79.* Herincx, Sannig, & alii.

§. X.

De Impedimento Cognationis, tum Carnalis, tum Spiritualis, ac Legalis.

SUMMARIUM.

94 *Cognatio carnalis, quid?*
95 *Stipes, Linea Consanguinitatis, quid?*
96 *Linea recta, Descendens, & Ascendens; &*
97 *Linea transversalis seu collateralis, qua?*
98 *Gradus Consanguinitatis, quid?*
99 *Quousque olim impediverint, & de facto impediant matrimonium?*
100 *Arbor consanguinitatis.*
101 *Modus intelligendi Arborem Consanguinitatis.*
102 *Regula tres ad cognoscendum distantiam Graduum Consanguinitatis.*
103 *I. Pro Linea recta.*
104 *II. Pro Linea collaterali æquali.*
105 *III. Pro Linea collaterali inæquali.*
106 *Ha Regula procedunt secundum Canones quid de Jure Civili?*
107 *In primo gradu consanguinitatis Linea rectæ dirimitur Matrimonium Jure naturæ.*
Quid de aliis gradibus Linea rectæ?
108 *Quid de secundo, & ulteriori gradu Linea collateralis?*
109 *In primo hujus gradu dirimitur Matrimonium Jure naturæ.*
110 *Solvitur instantia de Cain.*
111 *Sarai, quomodo facta soror Abrahæ?*
Consanguinei quando dicuntur Fratres, & sorores? Fratres dicuntur quatuor modis.
112 *Cognatio Spiritualis, qua?*
113 *Ad quas personas extendatur ex Sacramento Baptismi?*
114 *Et Confirmationis?*
115 *Cognatio Legalis, quid?*
Et inter quas personas inducat impedimentum dirimens matrimonium?

94. *Cognatio Carnalis* est conjunctio personarum ex eo proveniens, quod una per carnalem propagationem descendat ab altera, vel ambæ ab eadem tertia. Et dicitur alio nomine *Consanguinitas*, quasi *sanguinis unitas*, a ly *con* & *sanguine*: eo quod ejusmodi personæ descendant ab uno communi sanguine.

95. Cæterum persona, a qua plures carnali propagatione descendunt, vocatur *Stipes*. Deinde *Linea consanguinitatis* aliud non est, quam ordo, sive collectio personarum inter se consanguinitate junctarum. Et hæc postmodum dividitur in Lineam rectam, & Lineam transversalem, seu collateralem.

96. *Linea recta* consanguinitatis est ordo personarum consanguinitate junctarum, quarum una descendit ab altera. Et hæc subdividitur in *Lineam descendentem*, quæ est a persona propagante ad propagatam, v.g. a patre ad filium, ac nepotes suos: atque in *Ascendentem*, quæ est vicissim a persona propagata ad propagantem, v.g. a filio ad patrem, a nepote ad Avum, Proavum, Abavum, Atavum, Tritavum, & sic deinceps ascendendo usque ad Adam.

97. Porro *Linea transversalis*, seu collateralis consanguinitatis, est ordo, seu collectio personarum sanguine junctarum, quarum una non descendit ab altera, sed ambæ ab eadem tertia: ut frater & soror ab eodem patre, duo patrueles ab eodem Avo, &c.

98. Ulterius in hisce Lineis dantur diversi Gradus consanguinitatis: ubi per *Gradus consanguinitatis* intelligitur determinata propinquitas personæ ad personam secundum consanguinitatem.

99. Quamvis autem olim Consanguinitatis in Linea transversali usque ad septimum gradum impediverit Matrimonium contrahendum, & contractum irritaverit, ut constat ex *c. De affinitate & cap. Nullum, & cap. Progeniem 35. quæst. 3.* cum concordantiis; postmodum tamen hæc prohibitio modificata fuit, atque reducta usque ad quartum Gradum consanguinitatis inclusive, ut habetur *c. Non debet de consanguin. & affinit.*

100. Ut autem facilius intelligatur, inter quas personas de facto Consanguinitas impediat Matrimonium contrahendum, ac dirimat contractum, ponitur in Jure Canonico post Librum VI. Decretalium, *Arbor consanguinitatis* in hunc modum.

Non gignunt dextros, qui stant in parte sinistra.
Læva dat uxores, dat tibi dextra mares.



HÆC EST ARBOR CONSANGUINITATIS.

HIC

HIC INSERATUR ARBOR CONSANGUINITATIS.

401. PRo hujus Arboris intelligentia sciendum est, quod ad investigandum inter duas personas consanguinitatis gradum, semper alterutra ponatur in cellula illa vacua, quæ habetur circa medium, & postmodum investigetur altera persona, utrum ad unam cæterarum cellularum pertineat, necne. Siquidem persona illa, quæ ponitur in cellula vacua (quam claritatis gratia placet appellare *Petrucium*) cum omnibus illis personis, quæ cernuntur in hac Arbore, habet impedimentum consanguinitatis de facto dirimens Matrimonium, & cum nulla alia, quæ non reperiatur in hac Arbore: dummodo excipias Lineam rectam, in qua est impedimentum dirimens etiam ascendendo usque ad Adamum, ut infra *n.* 107. dicetur.

102. Cæterum ad magis cognoscendam distantiam Graduum consanguinitatis, a Glosis ad dictam Arborem consanguinitatis, & Theologis communiter, ponuntur tres Regulæ, quarum prima deservit pro Linea recta, reliquæ duæ pro Linea collaterali, seu transversali.

103. I. Regula pro Linea recta hæc est: *Ascendentium & descendentium, quot sunt personæ, de quibus quæritur, computatis intermediis una dempta, tot sunt gradus inter eas.* Si igitur vis scire, quantum distet Abavus a Petrucio, utroque computato ac intermediis, inveniuntur quinque personæ: deme unam, utpote Stipitem, & quatuor sunt gradus, qui etiam per appositum in Arbore consanguinitatis numerum indicantur. Et idem fit in aliis.

104. II. Regula pro Linea collaterali æquali, hæc est: *Collateralium, in Linea æquali, quoto gradu quis distat a communi stipite, toto gradu distant inter se*, secundum computationem Juris Canonici. Sic v.g. Petrucius & Pronepos Propatrui, cum æqualiter distent quatuor gradibus ab Abavo, qui est utriusque Stipes, etiam inter se distant quatuor gradibus; uti denotat numerus Latinus appositus a parte superiori cellulæ.

105. III. Regula pro Linea collaterali inæquali, hæc est: *Collateralium in linea inæquali, quoto gradu remotior distat a communi stipite, tot distant inter se.* Sic Petracius, & Neptis fratris sui, distant inter se tribus gradibus: nam quamvis a Patre suo, qui est Stipes utriusque, Petrucius solum uno gradu distet, tamen Neptis fratris sui distat ab hoc Stipite tribus gradibus: adeoque inter ipsam & Petrucium erunt tres gradus consanguinitatis, secundum Canones; prout designat superior cellulæ numerus in Arbore Consanguinitatis appositus.

106. Dicitur, *secundum Canones*. Nam dictæ tres Regulæ solum valent secundum computationem Juris Canonici in ordine ad investigandum impedimenta matrimonii, cæterum secundum Leges Civiles, quæ pro fine habent distributionem hæreditatis inter amicos defunctorum, aliter computantur Gradus consanguinitatis. Siquidem secundum Jus Civile, sive in linea recta, sive in collaterali, quot sunt personæ, de quibus quæritur, computatis intermediis, una dempta, tot sunt gradus inter eas. Hinc inter Petrucium ac Pronepotem Propatrui sui, secundum Jus Civile, sunt octo gradus, quamvis secundum Canones sint solum quatuor; prout hanc distantiam graduum secundum computationem Juris Civilis denotat numerus inferior, in prælegata Arbore Consanguinitatis cipharis Germanicis expressus: ubi distantiam graduum consanguinitatis secundum Jus Canonicum denotat numerus superior, sive Latinus.

107. Quæres autem, quo jure gradus consanguinitatis dirimant matrimonium? Respond. I. Certum est, in primo gradu Lineæ rectæ, id est, inter parentes & liberos, Jure naturæ dirimi matrimonium. Hinc non solum omnes Gentes bene instructæ ex naturali lumine hujusmodi nuptias detestatæ sunt; sed etiam Adamus, afflatu Spiritus Sancti, excludit parentes a conjugiis liberorum, *Genes.* 2. dicens: *Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Quinimo Doctor Subtilis 3. *dist.* 40. §. *De secundo* & plurimi alii, extendunt hanc prohibitionem, ac irritationem matrimonii Jure naturæ, ad quemcumque graduum Lineæ rectæ in infinitum, adeo, ut si hodie viveret Adam, non posset cum aliqua, præter solam Hevam,

Non gignunt dextros, qui stant in parte sinistra.
Læva dat uxores, dat tibi dextra mares.



HÆC EST ARBOR CONSANGUINITATIS.

HIC

HIC INSERATUR ARBOR CONSANGUINITATIS.

401. PRo hujus Arboris intelligentia sciendum est, quod ad investigandum inter duas personas consanguinitatis gradum, semper alterutra ponatur in cellula illa vacua, quæ habetur circa medium, & postmodum investigetur altera persona, utrum ad unam cæterarum cellularum pertineat, necne. Siquidem persona illa, quæ ponitur in cellula vacua (quam claritatis gratia placet appellare *Petrucium*) cum omnibus illis personis, quæ cernuntur in hac Arbore, habet impedimentum consanguinitatis de facto dirimens Matrimonium, & cum nulla alia, quæ non reperiatur in hac Arbore: dummodo excipias Lineam rectam, in qua est impedimentum dirimens etiam ascendendo usque ad Adamum, ut infra *n.* 107. dicetur.

102. Cæterum ad magis cognoscendam distantiam Graduum consanguinitatis, a Glosis ad dictam Arborem consanguinitatis, & Theologis communiter, ponuntur tres Regulæ, quarum prima deservit pro Linea recta, reliquæ duæ pro Linea collaterali, seu transversali.

103. I. Regula pro Linea recta hæc est: *Ascendentium & descendentium, quot sunt personæ, de quibus quæritur, computatis intermediis una dempta, tot sunt gradus inter eas.* Si igitur vis scire, quantum distet Abavus a Petrucio, utroque computato ac intermediis, inveniuntur quinque personæ: deme unam, utpote Stipitem, & quatuor sunt gradus, qui etiam per appositum in Arbore consanguinitatis numerum indicantur. Et idem fit in aliis.

104. II. Regula pro Linea collaterali æquali, hæc est: *Collateralium, in Linea æquali, quoto gradu quis distat a communi stipite, toto gradu distant inter se*, secundum computationem Juris Canonici. Sic v.g. Petrucius & Pronepos Propatrui, cum æqualiter distent quatuor gradibus ab Abavo, qui est utriusque Stipes, etiam inter se distant quatuor gradibus; uti denotat numerus Latinus appositus a parte superiori cellulæ.

105. III. Regula pro Linea collaterali inæquali, hæc est: *Collateralium in linea inæquali, quoto gradu remotior distat a communi stipite, tot distant inter se.* Sic Petracius, & Neptis fratris sui, distant inter se tribus gradibus: nam quamvis a Patre suo, qui est Stipes utriusque, Petrucius solum uno gradu distet, tamen Neptis fratris sui distat ab hoc Stipite tribus gradibus: adeoque inter ipsam & Petrucium erunt tres gradus consanguinitatis, secundum Canones; prout designat superior cellulæ numerus in Arbore Consanguinitatis appositus.

106. Dicitur, *secundum Canones*. Nam dictæ tres Regulæ solum valent secundum computationem Juris Canonici in ordine ad investigandum impedimenta matrimonii, cæterum secundum Leges Civiles, quæ pro fine habent distributionem hæreditatis inter amicos defunctorum, aliter computantur Gradus consanguinitatis. Siquidem secundum Jus Civile, sive in linea recta, sive in collaterali, quot sunt personæ, de quibus quæritur, computatis intermediis, una dempta, tot sunt gradus inter eas. Hinc inter Petrucium ac Pronepotem Propatrui sui, secundum Jus Civile, sunt octo gradus, quamvis secundum Canones sint solum quatuor; prout hanc distantiam graduum secundum computationem Juris Civilis denotat numerus inferior, in prælegata Arbore Consanguinitatis cipharis Germanicis expressus: ubi distantiam graduum consanguinitatis secundum Jus Canonicum denotat numerus superior, sive Latinus.

107. Quæres autem, quo jure gradus consanguinitatis dirimant matrimonium? Respond. I. Certum est, in primo gradu Lineæ rectæ, id est, inter parentes & liberos, Jure naturæ dirimi matrimonium. Hinc non solum omnes Gentes bene instructæ ex naturali lumine hujusmodi nuptias detestatæ sunt; sed etiam Adamus, afflatu Spiritus Sancti, excludit parentes a conjugiis liberorum, *Genes.* 2. dicens: *Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Quinimo Doctor Subtilis 3. *dist.* 40. §. *De secundo* & plurimi alii, extendunt hanc prohibitionem, ac irritationem matrimonii Jure naturæ, ad quemcumque graduum Lineæ rectæ in infinitum, adeo, ut si hodie viveret Adam, non posset cum aliqua, præter solam Hevam,

matrimonium contrahere; siquidem omnes ascendentes habent rationem principii, ac genitoris respectu descendentium. Sunt quidem nonnulli contrarium tenentes: sed eorum sententia, ob brevitatem vitæ humanæ, in praxi locum habere non videtur.

108. Resp. II. Consanguinitas in secundo, tertio, & ulteriori gradu Lineæ collateralis, Jure duntaxat Ecclesiastico dirimit matrimonium. Ita certa, & communis. Hinc *c. Gaudemus de Divortiis*, decimum habetur, quod Infideles in secundo, vel ulteriori gradu conjuncti, cum constitutionibus Canonicis non arctentur, matrimonialiter copulari libere possint, neque separandi sint, si postmodum ad Fidem convertantur. Insuper Concilium Trid. *sess. 24. c. 5. de Reform. Matrim.* concedit inter magnos Principes, & ob publicam causam, in secundo consanguinitatis gradu dispensari posse: & consequenter is Jure naturæ non impedit matrimonium, cum in eo Pontifex dispensare non valeat.

109. Resp. III. In solo primo gradu consanguinitatis Lineæ collateralis, nempe inter fratres & sorores, est interdictum, ac irritum Jure naturæ matrimonium. Ita innuit Scotus *4. dist. 40. q. un.* dum solvit rationes oppositæ sententiæ: Sanchez *l. 7. de matr. disp. 52. n. 12.* & alii. Ratio est: quia inter fratres & sorores est innatus quidam pudor, ac naturalis reverentia, cui valde adversatur actus conjugalis. Et hinc omnes nationes bene instructæ, solo lumine naturali ductæ, ab hujusmodi matrimoniis abstinent, & quæ talia quondam permittebant, reputabantur barbaræ.

110. Nec obstat, quod Cain ab initio Mundi duxerit suam sororem. Resp. enim cum Doctore nostro *loc. cit.* illud fuisse necessitatis a principio mundi; quia non erant aliæ fœminæ, nisi sorores.

111. Quod si urgeas: Multiplicato jam genere humano Abraham, vir sanctissimus, duxit Sarai sororem suam; prout ipsemet fatetur *Genes. 20.* De Sarai dicens: *Vere soror mea est, Filia Patris mei, & non filia matris meæ.* Resp. hoc dici, quia Sarai fuerat consanguinea Abrahæ: nam, ut inquit D. Augustinus, relatus *c. Quæritur 22. quæst. 5.* Sarai Abrahæ *soror dicitur, quia filia fratris erat*, id est, genita ex Aran fratre ejus. Siquidem in S. Scriptura etiam Consanguinei dicuntur quandoque fratres, & sorores; juxta quod nonnulli ad Christum dixerunt, *Zach. c. 3. Ecce mater tua & fratres tui* (id est Consanguinei) *foris quærunt te*. Et Tobias junior vocat Saram conjugem, sororem suam, *Tob. ca. 8.* quæ tamen fuit solum consanguinea ipsius, ut patet ex *capite 7.* Quinimo observat D. Thomas *part. 3. q. 28. art. 3. ad 5.* quod in S. Scriptura dicantur Fratres quatuor modis, videlicet natura, genere, cognatione & affectu.

De Cognatione Spirituali.

112. Cognatio Spiritualis, prout est impedimentum dirimens Matrimonii, est vinculum contractum ex dispensatione Sacramenti Baptismi, & Confirmationis. Et notanter tantummodo hæc duo Sacramenta exprimuntur; quia, ut dicitur *cap. Sicambris de Cognat. Spir.* ex datione aliorum Sacramentorum præter Baptismum, & Confirmationem, Cognatio Spiritualis nequaquam oritur, quæ Matrimonium impedat, aut dissolvat.

113. Licet vero olim Cognatio Spiritualis ad plures personas fuerit extensa, de facto tamen propter novam Constitutionem Concilii Trident. *Sess. 24. de Reform. matr. c. 2.* ex Sacramento Baptismi solum oritur inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem & matrem; & rursus inter tenentem ac baptizatum, baptizatique patrem & matrem, & inter nullas alias personas. Porro tenens alio nomine dicitur *Patrinus*, vel *Matrina*.

114. Similiter ex Sacramento Confirmationis solum oritur Cognatio Spiritualis inter confirmantem & confirmatum, confirmatique patrem & matrem; ac inter tenentem & confirmatum, confirmatique patrem & matrem, & inter nullas alias personas. Ita Concilium Trid. *l. c.*

De Cognatione Legali.

115. Quantum attinet ad Cognationem Legalem, ea oritur inter certas personas ex adoptione alicujus in filium, vel filiam; quæ tamen de facto rarius accidit. Et quidem ex ista Cognatione Legali contrahitur impedimentum dirimens Matrimonium inter sequentes personas. I. Inter adoptantem, & adoptatum, hujusque filios & filias. II. Inter adoptantem, & uxorem adoptati, & vicissim inter adoptatum, uxoremque adoptantis. III. Inter personam adoptatam ac prolem naturalem adoptantis, datur impe-

dimentum dirimens Matrimonium, quamdiu durat adoptatio; quod si cesset adoptatio, etiam cessat impedimentum hoc inter personam adoptatam, ac prolem adoptantis. Sanchez *l. 7. de matr. disp. 63.* & alii; atque desumitur ex *c. Ita diligere 30. q. 1.* cum concordantiis.

§. XI.

De Impedimento Affinitatis.

SUMMARIUM.

116 *Affinitas, quid?*
Ejus olim tria fuerunt genera.
117 *Unde oriatur?*
118 *Et inter quas personas?*
119 *Corollarium notabile.*
120 *Gradus Affinitatis mensurantur juxta gradus consanguinitatis, quomodo?*
121 *Affinitas, in quoto gradu dirimat matrimonium?*
122 *Et quo jure?*
123 *Affinitas ex copula conjugali est vinculum naturale.*
124 *An in Linea collaterali Jure naturæ dirimat matrimonium?*
125 *Vel saltem in Linea recta?*

116. Affinitas bene definitur a Doctore Subtili *4. dist. 41. quæst. un.* quod sit vinculum quoddam personæ ad personam, ex copula carnali cum persona alteri consanguinea contractum. Porro antiquitus tria fuerunt genera Affinitatis, de quibus sit mentio in *c. non debet, de Consang. & affinit.* atque amplius declaratur per Glossam, quæ habetur *cap. Primo gradu 35. q. 5. in Arbore Affinitatis, §. Genus Affinitatis*, ubi ait: Si is, qui est mihi conjunctus in secundo gradu consanguinitatis, cognoscit mulierem, illa est mihi connuncta in secundo gradu affinitatis, & primo genere: Si alius eandem cognoscit, ille (juxta jura antiqua) attinet mihi secundo genere affinitatis, & secundo gradu: Si iste aliam adiuc mulierem cognoscit, illa attinet mihi tertio genere affinitatis, & secundo gradu. Quia tamen de facto viget primum duntaxat genus Affinitatis (nam secundum, & tertium Affinitatis genus, ob magnas inde subortas difficultates, sublatum fuit in Concilio Generali, sive Lateranensi, celebrato sub Innocentio III. prout habetur *cit. c. Non debet, de Consang. & affinitat.*) hinc impræsentiarum sermo erit de solo primo genere affinitatis.

117. Porro hoc vinculum, ac impedimentum Affinitatis, non solum consurgit ex actu matrimoniali perfecto & completo, per quem vir & femina fiunt una caro, sed etiam ex actu fornicationis perfecto; juxta illud D. Apostoli *1. Corinth. 6. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur?* Quod, ut melius intelligatur, sit

118. CONCL. I. Affinitas oritur solum inter virum, & consanguineos mulieris a se carnaliter cognitæ, ac e contra inter hanc mulierem, & consanguineos illius viri: nulla vero oritur affinitas inter consanguineos viri, & consanguineos mulieris. Ita communis; & habetur clare, *cap. quod super his, de Consang. & affinit.*

119. Unde sequitur, atque habetur *cit. c. quod super his eod.* quod pater & filius ex una parte possint contrahere matrimonium cum matre & filia ex altera parte: item possunt duo fratres contrahere cum duabus sororibus. E contra vero vir, mortua sua conjuge, nullam potest ducere ex consanguineis suæ conjugis delunctæ intra gradus a Jure prohibitos; nam Impedimentum Affinitatis est perpetuum, nec tollitur per mortem conjugis.

120. CONCL. II. Gradus Affinitatis mensurantur juxta gradus Consanguinitatis, ita ut quoto gradu consanguinitatis est quis conjunctus personæ carnaliter cognitæ, toto gradu affinitatis is sit conjunctus alteri personæ, quæ eam cognovit; & e converso. Ita communis. Hinc Petrus sit affinis omnibus consanguineis Annæ a se carnaliter cognitæ, & quidem in eodem gradu affinitatis, in quo hi sunt Petro consanguinitate juncti. Unde facile hoc intelligi poterit ex Arbore consanguinitatis supra apposita, si ambæ personæ carnaliter cognitæ, ac proinde factæ una caro, ponantur in cellula vacua, & postmodum una pars investiget consanguineos alterius partis una cum gradu Consanguinitatis & e contra.

121. CONCL. III. Affinitas dirimit matrimonium, sive oriatur ex copula licita seu conjugali, sive ex illicita seu fornicaria cum hoc tamen discrimine, quod affinitas orta ex actu conjugali seu licito, sit impedi-

dimentum Matrimonii usque ad quartum gradum inclusive: orta vero ex actu fornicario, seu illicito, de facto sic impedimentum dirimens Matrimonii tantum usque ad secundum gradum affinitatis inclusive. Ita communis. Et quidem prima pars habetur clarissime *c. Non debet, de consang. & affinit.* Altera vero pars, loquens de impedimento affinitatis ex fornicatione contractæ, patet ex Concilio Trid. *sess. 24. de reform. matr. c.* 4. Verum occasione horum

122. Quæres, quo jure affinitas oriatur, & dirimat Matrimonium? Ubi sciendum, quod aliud sit quærere, an affinitas oriatur Jure naturali sit sive vinculum naturale; & aliud, an Jure naturæ dirimat Matrimonium: nam etiam consanguinitas in secundo, vel ulterioribus gradibus, consurgit Jure naturæ, nec tamen jure naturæ dirimit Matrimonium. Unde Infidelis valide contrahit matrimonium in secundo Consanguinitatis gradu: sed si id iniret post susceptum Baptismum, invalide contraheret, non obstante, quod consanguinei jam ante conversionem ejus nati fuissent. Hoc prænotato

123. Resp. I. Affinitas ex copula conjugali, est vinculum naturale, atque oritur ex Jure naturæ, & non mero Jure Ecclesiastico. Ita Sanchez *l. 7. de Matrimon. disp. 66. n.* 4. & alii communiter. Probatur hoc ex illo Protoparentis nostri, *Genes. cap. 2. Et Erunt duo in carne una*. Atque, ut infert S. Gregorius Papa, relatus *c. Fraternitatis 32. quæst. 10. Si non raro fiunt, quomodo potest aliquis eorum propinquus pertinere uni, nisi pertineat alteri? Hoc minime posse fieri credendum est*. Accedit sensus communis, & praxis omnium Nationum, quæ idcirco, ad indicandum istud naturale vinculum Affinitatis, utuntur propriis nominibus, ut *Socer, Socrus, Gener, Nurus, Vitricus, Noverca, Privignus, Privigna, &c.*

124. Resp. II. Nullus gradus Affinitatis in Linea collaterali, Jure naturæ dirimit Matrimonium; quamvis aliquam præseferat indecentiam naturalem, nisi justa causa cohonestetur. Ita desumitur ex *cap. ult. de Divortiis*, ubi ex dispensatione Ecclesiæ permittitur, *ut conversi ad fidem Catholicam, matrimonii contractis cum relictis fratrum ut antea*. Accedit, quod Jacob Patriarcha Sanctissimus duxerit Rachel, & Liam, sorores, *Genes. 29.* Et Lex Mosaica, *Deuter. 27.* jusserit, ut frater duceret uxorem fratris sine liberis defuncti, eique susciteret semen. Atqui hæc omnia fieri nequiret, si affinitas in primo gradu Lineæ collateralis Jure naturæ dirimeret matrimonium; ergo non sic dirimit.

125. Resp. III. An Affinitas in Linea recta dirimat matrimonium Jure naturæ, variant Doctores. Et quidem Sanchez *l. c. n.* 7. cum multis aliis, negative respondet. Verùm sententia affirmativa videtur tenenda: tum quia 1. *Corinth.* 5. Apostolus hoc, quod uxorem patris suis aliquis habeat, appellat fornicationem, qualis nec inter Gentes auditur: tum quia *can. si vir 35. quæst.* 3. ex S. Augustino refertur: *Si vir & uxor non jam duo, sed una caro sunt, non aliter est nurus reputanda quam filia*. Atqui inter filium Jure naturæ irritum est matrimonium; ergo.

§. XII.

De Impedimento Justitiæ publicæ Honestatis.

SUMMARIUM.

126 *Impedimentum Justitiæ publicæ Honestatis, quid?*
127 *Ad quot gradus olim extendebatur?*
128 *Et ad quos de facto?*
129 *Corollarium notabile.*
130 *Aliud Corollarium.*

126. PEr *Impedimentum Justitiæ publicæ Honestatis*, intelligitur Impedimentum Jure Ecclesiastico dirimens matrimonium, ex sponsalibus proveniens. Et dicitur *publicæ honestatis*: quia ob naturalem quandam honestatem id ab Ecclesia introductum fuit, eo quod per sponsalia, sive de futuro, sive de præsenti (hoc est, matrimonio rato non consummato) jam oriatur conjunctio animorum: ac proinde honestum sit, ut consanguineis unius sponsi interdicatur matrimonium cum altero sponso.

127. Et quidem Jure antiquo extendebatur hoc Impedimentum ad consanguineos sponsi respectu sponsæ, & vicissim ad consanguineos sponsæ respectu sponsi, usque ad quartum gradum, *arg. ex Sponsam de sponsalib.* Simulque oriebatur ex quibuslibet sponsalibus puris, & certis, etiamsi fuissent invalida, dummodo non essent invalida ex defectu consensus; prout habetur *cap. un. de sponsalib. in 6.*

128. Verum rigor iste Juris antiqui, ob plu-

rimos emergentes casus, atque difficultates, novissime correctus, atque temperatus est in Concilio Tridentino *sess. 24. c. 3. de reform. matr.* ubi sic statuitur: *Sublatis publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit: ubi autem valida fuerint primum gradum non excedant: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari*. Hæc Concilium.

129. Sequitur proinde, quod si Titius contrahat valide sponsalia de futuro cum Bertha, habente plures sorores, dissolutis illis sponsalibus sive mutuo consensu (nam per hunc non tollitur dictum impedimentum, prout declaravit Sacra Congregatio Concilii, die 6. Julii 1658. ac refert Fagnanus *c. Ad audientiam n. 29. de sponsal.* quidquid olim nonnulli in contrarium docuerint) sive etiam per mortem Berthæ, non possit Titius uxorem e sororibus Berthæ ducere in uxorem: quia obstat impedimentum Justitiæ publicæ Honestatis.

130. Quod si postea Titius actu consummato carnaliter cognoscat unam e sororibus dictæ Berthæ, tunc neutram earum habere poterit in uxorem: non Bertham, ob impedimentum contractæ Affinitatis: non ejus sororem, ob impedimentum Justitiæ publicæ Honestatis. Si vero fornicatio ejusmodi accidisset ante sponsalia cum Bertha celebrata, posset Titius illam ducere, quam carnaliter cognovit: nam sponsalia cum Bertha forent de jure invalida, ob impedimentum contractæ Affinitatis; sicque, juxta novum Decretum Concilii Trident. non inducerent impedimentum Justitiæ publicæ Honestatis.

§. VIII.

De Præsentia Parochi, ac duorum Testium.

SUMMARIUM.

131 *Ratio Ordinis.*
Matrimonium clandestinum, quid?
132 *Denunciationes trinæ matrimonio celebrando præmittendæ.*
133 *Matrimonia clandestina olim valida, sed illicita.*
Malaque tremendabilia ex ipsis orta.
134 *Verba Concilii Tridentini, quibus annullat matrimonia clandestina.*
Quo tempore Decretum ipsius obligare incipiat?
135 *Ecclesia quomodo potuerit irritare matrimonium clandestinum, etiam ut Sacramentum?*
136 *Qualis Præsentia Parochi juxta Concilium Trid. requiratur ad valorem matrimonii?*
137 *An sufficiat præsentia Parochi vi detenti, aut inviti & contradicentis?*
138 *Requiritur præsentia proprii Parochi contrahentium.*
139 *Quid, si sponsus, & sponsa sint diversarum Parochiarum?*
140 *Quot testes requirantur, & qualis eorum præsentia?*
141 *Quales Testes sufficiant?*

131. ABsoluto illis impedimentis, quæ vel Jure naturali, vel saltem Jure Ecclesiastico antiquo annullant Matrimonium, superest, ut explicentur duo impedimenta Jure novissimo Concilii Tridentini adjecta, & continentur versiculis illis *n. 49.* relatis.

Si Parochi, aut duplicis desit præsentia Testis:
Raptave sit mulier, nec parti reddita tuta.

Porro Matrimonium illud, in quo deest præsentia Parochi, aut duorum Testium, de facto communiter appellatur *Matrimonium clandestinum*: quamvis olim etiam illud dicebatur Matrimonium clandestinum, quod fiebat non præmissis denunciationibus: uti patet ex *c. Cum inhibitio, de clandestina Desponsat.* Ibi siquidem in Concilio Generali (scilicet Lateranensi, sub Innocentio III. celebrato) statutum fuit sub gravibus pœnis ibidem expressis, ut cum matrimonia fierent celebranda, ea in Ecclesia per Presbyteros publice proponantur, sive denuncientur, competenti termino præfixo: ut infra illum, qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat; atque ipsi Presbyteri interim pariter investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat.

132. Et hinc illuberrimo Decreto inhærens Sac. Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 1. de reformat. matrimon.* ulterius decrevit, *ut imposterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus Festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit*

contrahendum -- Nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut predicta Denunciationes remittantur: quod ipsius prudentiæ, & judicio Sanctæ Synodus relinquit. Quinimo, ut pia Sanctæ Matris Ecclesiæ intentio, in dictis Generalibus Conciliis abunde manifestata, perfectius adimpleatur, solent Ritualia Diœcesana exigere, *ut si vir & mulier, inter quos Matrimonium est celebrandum, diversæ sint Parochiæ, in utraque Parochia fiant ternæ illæ Denunciationes*: adjectis insuper optimis cautelis, in praxi merito observandis, quas in proprio singularum Diœcesium Rituali videre licebit. Cæterum impræsentiarum per *Matrimonia clandestina* intelliguntur illa, in quibus deest præsentia Parochi, & duorum Testium, jure noviſſimo Concilii Tridentini ad valorem Matrimonii requisita, ut mox amplius dicetur.

133. Et quidem ejusmodi Matrimonia clandestina justissimis de causis Sancta DEI Ecclesia semper detestata fuit, atque prohibuit; nihilominus tamen eadem, libero contrahentium consensu facta, ante Decretum Concilii Tridentini mox allegandum, rata, & valida fuerunt. Quia vero solæ prohibitiones Matrimonii clandestini propter hominum inobedientiam jam non proderant, & gravia peccata ac mala, per auctoritatem Ecclesiæ amplius irremediabilia, ex ejusmodi Matrimoniis oriebantur, dum quidam priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, posteà cum alia palam contrahebant; sicque in statu damnationis, ac perpetuo adulterio remanserant; imo & lite deluper mota per sententiam Ecclesiæ, cui de priori Matrimonio constare non poterat, remanere compellebantur: huic malo Sancta Mater Ecclesia haud amplius efficax remedium adhibere potuit, nisi ejusmodi clandestina Matrimonia prorsus irritando, & cassando.

135. Quare Concilium Trident. *sess. 24. c. 1. de refor. matrim.* inter alia provide sic decrevit: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit; & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.* Hæc Concilium, varias pœnas in transgressores statuens, & infra subjungens: *Decernit insuper, ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis, in eadem Parochia facta, numerandos.* Occasione quorum

136. Quæritur I. Quomodo Ecclesia potuerit irritare Matrimonium contractum clandestine, hoc est, sine Parocho, & testibus? Resp. cum Pirhing *tit. de Clandestina desponsat. num. 4.* & aliis, Ecclesiam potuisse irritare, & de facto irritasse tale matrimonium, etiam ut Sacramentum est: non quidem per se ac directe, seu immediate ut Sacramentum; sed per accidens, ac mediate, annullando videlicet ipsum contractum Matrimonii humanum, seu civilem, unde consequenter irritum redditur ipsum Sacramentum. Desumitur hoc ex verbis citati Concilii Tridentini ibi: *Eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & ejusmodi contractus irritos & nullos esse decernit.* Confirmatur: quia hac ratione etiam invalidum est Matrimonium inter consanguineos, vel a persona Ecclesiastica contractum, eo quod tales personæ sint inhabilitatæ ad sic contrahendum, ipsique contractus auctoritate Ecclesiæ fuerint irritati & annullati.

136. Quæritur II. Qualis præsentia Parochi juxta Concilium Tridentinum requiratur ad valorem matrimonii? Resp. I. Præsentia Parochi in Matrimonis necessaria, non tantum requiritur corporea, sed etiam moralis, seu habita cum intelligentia & advertentia actus. Ita Barbosa *part. 2. de offic. & potest. Episcop. allegat. 32. num. 78.* Sanchez *l. 3. de matrim. disp. 39. num. 1.* & communis. Ratio est: quia non intelligens, nequit dici præsens, *argum. l. coram ff. de verb. signific.* ibi: *Coram Titio aliquid facere jussus, non dicitur præsente eo fecisse, nisi is intelligat.* Atqui Concilium Tridentinum irritavit eorum contractum matrimonialem, qui aliter quam præsente Parocho, & duobus vel tribus Testibus matrimonium contrahere attentabunt; ergo requiritur Parochi præsentia, non tantum physica, sed & moralis, sive humana, ita ut intelligat, quid agatur. Unde si Parochus esset ebrius, vel dormiens, non valeret matrimonium coram eo celebratum: nam dicta præsentia ejus exigitur pro forma actus.

137. Resp. II. Sufficit tamen hujusmodi præsentia Parochi & Testium, quamvis vi detenti, aut dolose illuc adducti interfint, dummodo probe intelligant verba, & consensum contrahentium; quinimo etiam validum est Matrimonium coram Parocho invito, & contradicente contractum, quamvis tunc peccent contrahentes. Ita citati Doctores, & Fagnanus *in c. Quastitum n. 7. de Præsc. & remiss.* qui adducit etiam Declarationem Card. nalium ita sentientium. Et merito hoc dicitur: quia Parochus assistens Matrimonio, proprie non exercet jurisdictionem, sed ut Testis authorizabilis audam exhibet præsentiam, quæ etiam exhibetur ab invito. Fagnanus *c. Quod nobis num. 54. de Clandest. desponſ.*

138. Quæritur III. Cujus Parochi præsentia requiratur ad validitatem Matrimonii? Resp. I. Certum est, vi Concilii Tridentini, ubi illud receptum est, requiri præsentiam proprii Parochi contrahentium, vel alterius Sacerdotis, de ipsius, seu Ordinarii licentia assistentis; ut patet ex verbis citati Concilii, 134. relatis.

139. Resp. II. Quando sponsus & sponsa sunt diverlarum Parochiarum, sufficit assistentia alterutrius proprii illorum Parochi, vel licentia ab eo alteri Sacerdoti concessa. Ita Barbosa *l. c. n. 98.* cum pluribus aliis, atque decisum a S. Congregatione testatur Fagnanus *cit. c. quod nobis, n. 33. & seqq. de Clandest. disp.* In praxi tamen observetur ordinatio proprii Ritualis Diœcesani.

140. Quæritur IV. Quot, & quales Testes, præter proprium Parochum, requirantur ad valorem Matrimonii jure novo Concilii Tridentini? Resp. I. Certum est, requiri saltem duos aut tres Testes, prout exprimit idem Concilium *loc. cit.* ibi: *Et duobus vel tribus testibus.* Et quidem iii Testes simul cum Parocho debent adesse, neque sufficit successiva eorum præsentia, prout notat Barbosa *l. c. n. 220.* cum aliis. Debent insuper iidem esse præsentes non tantum physice, sive corpore, sed etiam moraliter, seu cum advertentia ac usu rationis, ita ut intelligant, quid agatur, prout in simili supra *n.* 136. dictum est de præsentia Parochi.

141. Resp. II. Testes quicunque rationis compotes, quamvis impuberes, consanguinei, domestici, Religiosi, fœminæ, vel infames sufficiunt ad valorem Matrimonii. Ita Barbosa *l. c.* cum aliis. Ratio est: quia Concilium simpliciter requirit duos Testes, neque exigit in ipsis specialem aliquam qualitatem; ergo nulla alia requiritur præter eam, quæ jure naturæ est necessaria ad testificandum, nempe ut qui sit compos rationis. Accedit, quod Decretum Concilii Tridentini sit correctorium juris communis; ergo non est extendendum, sed quantum patitur verborum proprietas, restringendum; eo præsertim, quod sit irritans Matrimonium, cujus causa est favorabilis, *c. utr. de sent. & re judic.*

§. XIV.

Solvuntur varia Dubia circa præsentiam Parochi, ac Testium.

SUMMARIUM.

142 *In loco non recepti Concilii Trid. valide contrahunt incolæ inter se, & cum aliis sine solemnitatibus ejusdem.*
143 *Idem est, si sponsus & sponsa illuc veniant animo transferendi domicilium;*
144 *Vel ibidem fixendi quasi domicilium.*
145 *Quid si illuc pergant solo animo contrahendi sine Parocho & Testibus? Rationes dubitandi.*
146 *Non est validum tale matrimonium, si habitatio non mutetur.*
147 *Solvuntur rationes in contrarium.*
148 *Valet autem, si transferatur domicilium.*
149 *Valent matrimonia Hæreticorum, si apud ipsos Tridentinum non est promulgatum.*
150 *Corollarium.*
151 *Quid juris, si Catholici & Hæretici eodem Templo utantur?*
Sententia stans pro valore matrimonii.
Sententia negativa.
152 *Quid, si Parochus, motu Infidelium absit? Vel Excat?*

142. Quæritur I. Quid sentiendum sit de Matrimonio contracto in loco, ubi Concilium Tridentinum in puncto Reformationis matrimonii non est receptum? Resp. I. Non tantum a duobus incolis talis loci, sed etiam, si quis e loco recepti Concilii excurrens ad locum non recepti Concilii, ibidem contrahat cum incola illius loci non servata forma Decreti Tridentini, valide a talibus ibi contrahitur Matrimonium. Ita communis Doctorum. Ratio primæ partis habetur ex verbis Concilii Tridentini *n. 134.* relatis: quibus declaravit, Decretum suum non obligare, nisi post triginta dies a publicatione ejus facta in Parochia, & consequenter, ubi talis publicatio non est facta, valet adhuc Matrimonium clandestinum inter in-

incolas illius loci, sicut olim valuerat. Altera pars probatur ex eo: quia contractus matrimoniales est individuus; ergo, cum incola illius loci valide contrahat sine dictis solemnitatibus, etiam vicissim advena cum ipso ibidem contrahens valide contrahit: siquidem contractus matrimonii non potest claudicare, sive valere ex parte unius, & non alterius.

143. Resp. II. Si etiam utraque pars, id est, tam sponsus quam sponsa, eloco recepti Concilii emigraverint ad locum non recepti Concilii ex causa transferendi verum domicilium, & ibidem contrahant, valebit matrimonium sine dictis solemnitatibus. Ita rursum communis. Ratio est: quia tales hoc ipso, quod illuc veniant animo figendi verum domicilium, ibidemque perpetuo manendi, eum fiunt incolæ loci illius, eisque legibus obstringuntur; ergo valide contrahunt juxta morem illius loci, neque amplius astringuntur legibus prioris domicilii, ubi Decretum Tridentinum viget, cum inde recesserint.

144. Resp. III. Insuper valide contrahitur matrimonium sine dictis solemnitatibus, si qui sese conferant ad locum non recepti Concilii animo ibidem figendi duntaxat quasi domicilium. Ita rursum Doctores communiter. Ratio est: quia Decretum Tridentinum non obligat in Parochia, in qua non est promulgatum: atqui per solam translationem quasi domicilii efficitur quis Parochianus alicujus loci, ita ut ab Ecclesiæ illius Parocho possit recipere Sacramenta, *arg. capit. Significavit de Parochiis*, juncta Glossa *in Clement. 2. de Privilegiis*; ergo. Et sic v.g. Matrimonia Christianorum apud Turcas captivorum, vel commercii causa ibi degentium, sunt valida, quamvis contrahant non servata forma Tridentini, supposito, quod hoc ibi non fuerit promulgatum.

145. Quæritur II. An si incolæ loci, in quo Tridentinum Concilium in puncto Reformationis Matrimonii est promulgatum, se conferant ad locum non recepti Tridentini solo animo ibidem sine Parocho, & Testibus contrahendi, valide contrahant matrimonium? Ratio dubitandi, & affirmativam tenendi est: quia *ratione contractus fortitur quis regulariter Forum*, ut habetur *capit. ult. de Foro competent.* & consequenter valide contrahit secundum leges illius loci, v. g. Matrimonium sine Parocho & Testibus. Accedit, quod talis videatur uti jure suo: atqui *nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur*. L. Nullus, ff. de Reg. juris; ergo. Tandem, quamvis hujusmodi intentio reddat actum illicitum, non tamen statim sequitur, eum esse invalidum: nam *multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem, arg. c. Ad Apostolicam, de Regularibus*. Et ob has, atque alias hujusmodi rationes, non desunt, qui absolute censent cum Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 28. n. 29.* tale Matrimonium valere. Nihilominus

146. Resp. I. Præfati incolæ, si cum fraude, ac solo animo sine Parocho & Testibus contrahendi, illuc se transferant, habitationem vero non mutent, invalide contrahunt Matrimonium. Ita a S. Congregatione Cardinalium Concilii Trid. Interpretum fuisse responsum, dictamque responsionem ab Urbano VIII. anno 1627. confirmatam, refert Lugo *lib. 1. Resp. Moral. Dubio 36.* Engel *tit. de Clandest. desponsat. n. 10.* & Barbosa *cap. 21. de Offic. Parochi, nn. 93.* citans alias Declarationes S. Congregationis, & plures Doctores. Ratio est: quia *fraus, & dolus... alicui patrocinari non debent, c. Sedes de Rescriptis*. Deinde, cum tales non intendant alibi habitare, censentur Parochiani prioris loci, *arg. c. Si qui, de Sepult. in 6.* ubi hoc in simili casu decernitur; & consequenter tenentur observare solemnitates Concilii Tridentini, utpote in sua Parochia recepti, & quidem sub nullitate actus. Adde quod Concilium Tridentinum tales personas *ad se contrahendum omnino inhabiles reddat*; & consequenter, quamdiu manent Parochiani prioris loci, neque mutarunt habitationem, ubicunque reperiantur, nulliter sic contrahunt: nam inhabilitatio personæ comitatur ipsam personam, sicut umbra corpus.

147. Nec urgent rationes in oppositum *n. 145.* allatæ. Nam *c. ult. de Foro compet.* procedit *regulariter*: fallit autem inter alia, quando persona est inhabilitata ad sic contrahendum. Ad alterum respondet Barbosa ibidem, ly *Nullus videtur* indicare, quod lex illa loquatur stante dubio: quia tunc juris præsumptione nemo censetur quid in fraudem, sive dolo facere. Ad ultimum dicitur, Regulam illam non semper procedere: ac præsertim tunc non habere locum, quando aliquid est exceptum tanquam pertinens ad formam actus.

148. Resp. II. Si vero incolæ tales transferant suam habitationem, seu domicilium, eo solo animo, ut ibi absque Parocho & Testibus contrahant, valet Matrimonium sic contractum. Ita subditur in citata a Lugone Cardinalium responsione. Ratio est: quia per talem translationem habitationis, censetur quis fieri Parochianus alterius loci in ordine ad Sacramenta recipienda.

149. Quæritur III. Quid dicendum de Matrimoniis Hæreticorum? Resp. I. Certum est, Matrimonia Hæreticorum esse valida, si in ipsorum Parochia Concilium Tridentinum nunquam fuit promulgatum. Ratio patet ex verbis Concilii Trid. relatis *n. 134.* utpote, quod ad obligationem & robur sui Decreti requirit publicationem in unaquaque Parochia faciendam, simulque addit, ante lapsum triginta dierum a die primæ publicationis in Parochia factæ, dictum Decretum non obligare: & consequenter ibidem Jure antiquo valide contrahitur Matrimonium, etiam sine præsentia Parochi, ab incolis illius loci.

150. Infertur proinde cum Gobat *tr. 9. Theol. Experim. n. 458.* & aliis, quod valeant pleraque Matrimonia Hæreticorum, si aliud non desit, quam præsentia Parochi. Etenim in plerisque Parochiis, omni ex parte hæreticis, non fuit ulla facta publicatio illius Decreti: quia pleraque illa loca jam defecerant ab Ecclesia, & Romano Pontifice, priusquam lucem afpiceret illa Constitutio Tridentina.

151. Resp. II. Utrum in locis, & Parochiis, in quibus inter Catholicos & hæreticos, eodem Templo utentes, datur *simultaneum* (ut vocant) est quæ a Catholicis promulgatum, atque receptum Decretum Concilii Tridentini, valide contrahant Matrimonium Hæretici coram suo Pseudo Pastore, variant Theologi. Et quidem valere hujusmodi Matrimonia, sustinent Tanerus *t. 4. disp. 8. q. 3. n. 122.* Layman *lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. n. 7.* Decastillo, & alii. Tum quia *error communis jus facit, arg. l. Barbarius, ff. de Offic. Prætor.* Tum quia ad validitatem Matrimonii juxta formam Concilii Tridentini sufficit assistentia Parochi, etiam putativi. Tum tandem, quia in dicto casu videntur quoad effectum esse duæ Parochiæ, una Catholicorum, sub proprio Parocho Catholico viventium, altera hæreticorum, in qua non fuit promulgatum, neque receptum Decretum Concilii Tridentini.

E contra sententiam negativam tenent multi alii Doctores. Si quidem certum est, Hæreticos, velint, nolint, Legibus Ecclesiasticis de jure obligari, quamvis de facto resistant. Deinde, ut taceantur aliæ rationes, Saera Congregatio Concilii, prout refert Gobat *l. c. n. 464.* Nuntio Apostolico in Belgio respondit, *Hæreticos quoque, ubi Decretum cap. 1. Concilii Trid. est publicatum, teneri talem formam observare: & propterea etiam ipsorum Matrimonia, absque forma Concilii, quamvis coram Ministro hæretico, vel Magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse.*

152. Pro coronide hujus materiæ de præsentia Parochi, & Testium, restat notandum pro illis locis, seu Parochiis, in quibus Decretum Concilii Trident. *sess. 24. c. 1. de refor. matr.* aliquando fuit receptum, & publicatum, postea vero per potentiam Hæreticorum, aliorumve Infidelium, expulsis Catholicis Sacerdotibus amplius observari non potest. Tunc enim, quando talis locus, seu Parochia Episcopo, & Parocho caret, aut saltem utroque horum, nullo constituto Vicario, ob metum Hæreticorum latet, ita ut tuto adiri non possit, si alius Parochus, vel Sacerdos in loco propinquo existat, coram isto, & testibus contrahatur Matrimonium. Quod si etiam hoc commode fieri nequeat, contrahatur coram duobus Testibus, & si fieri potest, coram Notario, servatis cæteroquin de jure servandis; fique validum erit Matrimonium. Et ita respondisse Summum Pontificem ad relationem S. Congregationis Concilii, refert Fagnanus *in c. Si Clericus n. 58. de Foro compet.* & concordat Declaratio ejusdem S. Congregationis, *de die 19. Januarii 1605.* cujus verba allegat Diana *part. 11. tract. 6. resol. 1.*

§. XV.

De Impedimento Raptus.

SUMMARIUM.

153 *Raptus, quid?*
154 *Raptus est impedimentum dirimens matrimonium.*
155 *Et quandiu?*
Quid, si fœmina rapiat virum?

153. PEr *raptum* hoc loco intelligitur violenta puellæ extractio e domo parentum, & potestate, in ordine ad matrimonium contrahendum. Dicitur, *violenta puella extractio*: quia ad Raptum requiritur violentia, vel physica per manuum injectionem

nem, vel saltem moralis per minas, aut metum gravem illata: unde non sufficiunt solæ blanditiæ, vel preces, quibus puella educitur e domo paterna. Et additur, *ad matrimonium contrahendum*: quia si ob alium finem quis violenter abduceret puellam, non fieret talis Raptus, qui est impedimentum dirimens matrimonium inter raptorem & raptam.

154. Porro Raptus sic commissus non solum tunc est impedimentum dirimens matrimonii inter raptorem & raptam, quando puella per vim abducta revera non consentit in Matrimonium (licenim Jure naturæ Matrimonium foret nullum, defecta consensus ad ejus valorem necessario requisiti) sed etiam tunc, quando puella postmodum quidem vere ac libere consentit, adhuc tamen manet in potestate raptoris. Ratio est; quia notissime in Concilio Tridentino *sess. 24. c. 6. de reform. matrim.* decretum fuit, inter raptorem & raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris permanserit, nullum posse consistere matrimonium.

155. Dicitur notanter, *quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit*. Nam si post raptum commissum, puella rapta iterum separata fuerit a raptore, & in loco tuto ac libero constituta, ac postmodum raptorem in virum habere consenserit, posse inter eam & raptorem consistere Matrimonium, docet ibidem citatum Concilium. Insuper, si fœmina rapiat virum in ordine ad Matrimonium secum incundum, non oritur inde Impedimentum dirimens Matrimonii, si postea vir consentire voluerit; quia Concilium Trid. *l. c.* loquitur solum de raptore & rapta; ac pro inde Decretum ipsius, utpote correctorium Juris antiqui, simulque pœnale, non est extendendum ad fœminam rapitricem viri. Sanchez *l. 7. disp. 13. n. 16.*

QUÆSTIO V.

De Dispensatione Impedimentorum Matrimonii.

SUMMARIUM.

156 *Dispensatio, quid?*
(k) Videatur Tract. 2. Dist. 4. n. 12. & seqq.
157 *Papa, in quibus impedimentis possit dispensare?*
158 *An Episcopi possit aliquando dispensare in impedimentis matrimonii?*
159 *Quibus stantibus conditionibus id fieri valeat?*
160 *Fundamentum dictæ assertionis.*
161 *An etiam quoad Matrimonium contrahendum dicta procedant?*
162 *Quid observandum sit in procuranda dispensatione impedimentorum matrimonii?*
163 *I. Proponatur impedimentum vite in sua specie.*
164 *An exprimendum nomen ejus, pro quo petitur dispensatio?*
165 *II. Si plura concurrant impedimenta, omnia exponantur.*
166 *III. Impedimenta Cognationis, Affinitatis &c. explicentur in proprio gradu.*
167 *IV. Et unde sit contracta Affinitas &c.*
168 *V. Qua alia sint aperienda?*
(l) Supra n. 159. citati.
169 *Quid consilii cum iis, qui post matrimonium contractum sibi conscii sunt alicujus impedimenti?*
(m) Adde dicta, dist. 13. n. 3.
170 *Dispensatio, per quem petenda?*
171 *Et a quo, & quomodo?*
172 *An obtenta dispensatione matrimonium coram Parocho & Testibus renovandum sit?*
173 *An ambo conjuges debeant scire nullitatem matrimonii, ut renovent consensum?*
174 *An aliquando sufficere possit consensus sub conditione?*

156. *Dispensatio* proprie dicta, est juris communis relaxatio, facta cum causæ cognitione ab habente legitimam potestatem. (k) Dicitur *ab habente legitimam potestatem*: quia dispensatio est actus jurisdictionis, ad quam requiritur legitima potestas. In proposito igitur nomine *Dispensationis*, intelligitur ablatio Impedimenti Matrimonii, seu relaxatio legis illud imponentis, facta pro certis personis & casibus in particulari: de qua loquendo sit

157. CONCL. I. Papa nequit dispensare in impedimentis Jure naturali, ac Divino, Matrimonium dirimentibus: potest tamen dispensare in omnibus Impedimentis solo Jure Ecclesiastico illud dirimentibus. Ita omnes Doctores Catholici. Ratio primæ partis est: quia Papa non habet potestatem relaxandi Jus naturale, aut Divinum, cum inferior non possit dispensare in lege Superioris. Ratio secundæ partis est: quia ut habetur *cap. Propositum, de Convers. Prælatorum*. Papa *secundum plenitudinem potestatis de jure potest supra jus dispensare.*

158. CONCL. II. Quamvis jure ordinario non possit Episcopus dispensare in impedimentis Jure Ecclesiastico dirimentibus Matrimonium; tamen in casu magnæ necessitatis, & concurrentibus certis conditionibus, potest in ipsis etiam Episcopus pro in Foro conscientiæ dispensare. Ita Sanch. *l. 2. de Matr. disp. 40. n. 3.* Fagnanus *in c. Nimis nn. 33. & seqq. de filiis Presbyt.* Gobat *tract. 9. Theol. Experim. nn. 576.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg. 35. n. 7. & seqq.* Perez *disp. 44. de Matrimonio sect. 6.* Engel *tit. de Matrimonio contra interdictum &c. §. 3. n. 11. &* alii communiter.

159. Porro conditiones illæ, quæ requiruntur ad hoc, ut Episcopus seclusa speciali privilegio possit dispensare, saltem pro Foro conscientiæ, in impedimentis Matrimonii duntaxat Jure Ecclesiastico dirimentibus, & cæteroquin dispensari solitis, sunt sequentes. I. Ut impedimentum sit occultum. I. Ut matrimonium jam sit contractum publice, sive in facie Ecclesiæ, simulque præmissis denuntiationibus. III. Ut sit contractum bona fide; id est, absque scientia impedimenti, & hoc propter Concilium Trid. *sess. 24. de Reform. Matr. c. 5.* quod contrahentes scienter inter gradus prohibitos vult separari, & spe dispensationis consequendæ carere; sufficit tamen, si unus ex conjugibus in bona fide fuerit. IV. Ut subsit gravis causa dispensandi, sive urgens necessitas: ut puta, quod neque conjuges separari possint absque scandalo, neque propter paupertatem, aut distantiam loci, & magnum periculum incontinentiæ, pateat recursus ad Summum Pontificem.

160. Et quidem stantibus præfatis conditionibus posse Episcopum dispensare pro foro conscientiæ, est communis, & propemodum certa sententia. Ratio est: quia hoc videtur exigere Pastoralis Officium Episcoporum, ne alioquin oves subjectæ destituantur necessariis remediis, si Episcopus in casu tantæ necessitatis, & concurrentibus dictis conditionibus, non posset eisdem opportune subvenire, & dispensare saltem pro Foro conscientiæ. Unde tum Summus Pontifex præsumitur ejusmodi potestatem Episcopis tacite concedere, idque ad evitandum manifestum periculum animarum:

tum etiam hoc ipsum comprobare censetur ipsamet consuetudo, quæ est optima legum interpres, ac sufficit ad acquirendam jurisdictionem.

161. Quinimo in casu urgentissimæ necessitatis posset Episcopus, quando adessent reliquæ tres præcedentes conditiones, jure ordinario, seu extra novam specialem facultatem, ac pro solo Foro interno, dispensare in impedimentis non solum quoad matrimonium jam contractum, verum etiam quoad contrahendum; uti cum aliis docent Basilius Pontius *lib. 9. de matr. c. 13. nn. 6.* & Palao *part. 5. tract. 28. disp. 4. punct. ult. §. 1. n. 9.* Non enim est credendum, Conditorem Canonum fuisse adeo strictum, ut urgentissimæ simili necessitati noluerit per tale medium succurrere. Sic fieri posse videtur, quando quis morti proximus ad legitimandos liberos, &c. cito deberet contrahere, & obstaret impedimentum occultum. Item, quando quis mane confitens reperitur habere occultum impedimentum, cujus manifestatio infamiam pariat, & cæteroquin jam omnia sunt parata ad nuptias, sine gravi diffamationis periculo haud differendas, &c.

162. Quæres I. Quid observandum sit in procuranda dispensatione impedimentorum Matrimonii? Resp. Petens dispensationem impedimentorum Matrimonii, ante omnia attendat, ne in sua Supplicatione exprimat falsum, aut occultet verum, quod in Jure præcipitur exprimi. Ratio est: quia alioquin dispensatio taliter obtenta, foret nulla ac subreptitia. Ne autem talis error committatur, erunt cum primis sequentia observanda.

163. I. Impedimentum, de quo petitur dispensatio, proponatur in sua specie: nam, si unum exprimeretur pro alio, nulla foret dispensatio, v.g. si impedimentum Affinitatis ponatur pro impedimento Consanguinitatis, aut e contra, non valebit dispensatio desuper obtenta.

164. Petatur autem ejusmodi dispensatio tacito nomine ejus, pro quo petitur, si hæc pro solo Foro conscientiæ petatur. Quod si vero postuletur dispensatio pro Foro externo, necesse erit exprimere & nomen, & cognomen, & Diœcesis, imo plerumque & Parochiam, conditionemque petentium.

165. II. Si plura simul impedimenta concurrant, omnia sunt in specie exponenda: quia, si unum solum impedimentum, quamvis fortius, exponatur, vel de nullo (ut vult Sanchez *l. 8. disp. 23. n. 14.* citans alios) vel ad summum de solo expresso habebitur

bitur dispensatio, non de altero. Et hoc intellige, etiam si plura illa impedimenta sint ejusdem speciei; unde quando quis est affinis alteri ex duplici capite, ut puta quia cognovit duas ejus consanguineas, debet utraque affinitas explicari. Sanchez *Lc. disp.* 24. *n.* 5.

166. III. Impedimenta Cognationis, Affinitatis, ac publicæ Honestatis, debent explicari in proprio gradu, id est, num petentes dispensationem sint conjuncti in primo, secundo, tertio aut quarto gradu: item an Conjunctio Consanguinitatis, seu Affinitatis, sit in Linea recta, vel transversali; & si in transversali, an sit in gradu æquali, vel inæquali: hæc enim omnia reddunt dispensationem magis vel minus facilem, ac pro ipsa obtienda requiritur major vel minor causa.

167. IV. Exprimatur, utrum Affinitas sit contracta ex copula conjugali, vel fornicaria: item, an publica honestas orta fuerit ex sponsalibus de futuro, vel ex Matrimonio rato.

168. V. Si petitur dispensatio impedimenti post Matrimonium jam contractum, est advertendum, ac explicandum, an Matrimonium illud fuerit scienter contractum cum impedimento dirimente, vel cum specie facilius impetrandæ dispensationis, aut non servatis trinis denunciationibus, nec ne. Et hoc ratione Decreti Concilii Trid. *sess.* 24. *de Refor. matr. c.* 5. (l) Insuper, si in casu urgentis necessitatis petatur dispensatio ab Ordinario loci, addendum est, atque ostendendum, hic revera adesse urgentem necessitatem, & alias conditiones superius recensitas, ut sic eidem constet, ie hic & nunc dispensare posse pro Foro conscientiæ.

169. Quæres II. Quid consilii sit cum iis, qui post Matrimonium jam publice contractum sunt sibi conscii alicujus impedimenti dirimentis? Resp. I. Si Impedimentum dispensabile est, petendam esse dispensationem vel a Papa, si ad ipsum patet aditus; vel ab Episcopo sive Ordinario loci, si is vel ex speciali privilegio Apostolico facultatem dispensandi obtinuerit, vel saltem hanc habeat pro Foro conscientiæ in casu urgentis necessitatis, atque periculo incontinentiæ. Interea putat vi conjuges, & conscii talis impedimenti, tenentur abstinere ab omni actu conjugali; utpote cum alioquin ob nullitatem Matrimonii committerent grave peccatum fornicationis. (m) Proinde interim vel debent cohabitare; & vivere tanquam frater & soror in vera continentia, vel (ob periculum incontinentiæ) sub specie cujusdam peregrinationis, aut alterius negotii peragendi, ab invicem sequestrari, donec obtenta sit dispensatio.

170. Resp. II. Quando impedimentum est occultum, ac præsertim, si oriatur ex alio crimine, petiturque dispensatio pro Foro conscientiæ, ordinarie consultum est, ut ipsemet Parochus, vel Confessarius, de licentia pœnitentis, ejusdemque expensis mittendo nuntio faciendis, hujusmodi dispensationem procuret: tacito tamen nomine eorum, qui tali impedimento laborant, vel fingendo aliud nomen, v.g. Stephii, Berthæ, aut litterarum *A. Vir. B. Fœmina*. Sic enim non periclitabitur bona fama indigentium dispensatione.

171. Resp. III. Quando est dispensatio pro Foro conscientiæ petenda a SS. Pontifice, non est necesse litteras inscribere ipsi Summo Pontifici, sed (nisi habeatur qualificata persona intermedia, v.g. Procurator Generalis Ordinis, vel Agens Romæ causas sui Ordinarii, per quem melius possit negotium expediri) sufficit eas dirigere ad Majorem Pœnitentiarium, in hunc modum: *Eminentissimo & Reverendissimo Domino, Domino S. R. E. Cardinali Majori Pœnitentiario Romano.* Is enim pro sua humanitate, charitateque, libenter omnes audiet, & litteras jubebit expedire, dummodo in ipsis litteris rite apponatur locus, in quem sint remittendæ litteræ, v. g. in hæc verba: *Dignetur Eminentia Vestra referre nobis N. N. per Mantuam, Ratisbonam, & de hinc in Oppidum N.* Et specificetur locus ultimatus bene. Quod si vero pro Foro conscientiæ sit petenda dispensatio ab Episcopo loci, ordinarie litteræ dirigendæ sunt ad Reverendissimum Dominum Vicarium Generalem, sive Officialem, p. t. existentem, qui earumdem expeditionem postmodum jam rite ordinabit, dummodo & ipse moneatur in litteris de loco, quorsum, & ad quem responsio sit dirigenda.

172. Resp. IV. Quamvis Matrimonium antea ratione occulti impedimenti nulliter contractum, a conjugibus per novum mutuum consensum, post impetratam dispensationem habendum, necessario sit renovandum, tamen quando illud coram Parocho, ac duobus Testibus, jam semel est initum, non obstante, quod fuerit invalidum ob occultum impedimentum, ejusmodi Matrimonium ablato postmodum impedimento per legiti-

mam

mam dispensationem non est iterum in facie Ecclesiæ, seu coram Parocho ac duobus Testibus, necessario celebrandum. Ita cum aliis Sanchez *lib.* 2. *de Matr. disp.* 37. ubi etiam ex Navarro refert, ita declarasse S. Pium V. Et merito: nam tale Matrimonium revera non est clandestinum; hoc ipso enim quod Parochus & testes ignorent ejusmodi impedimentum, utpote occultum, Matrimonium illud sufficienter probatur in facie Ecclesiæ, quamvis postea sublato per dispensationem impedimento clam revalidetur. Sufficit proinde, quod ambo putativi conjuges denuo renovent mutuo consensum suum Matrimonialem, etsi nemo alius adsit.

173. Dicitur notanter, *ambo conjuges*. Nam non sufficit consensus unius duntaxat partis, cum Matrimonium non nisi mutuo consensu contrahatur. Hinc, si illud fuit nullum ob occultum impedimentum, ordinarie oportet conjugem impedimenti ignarum reddere certiorem de nullitate prioris Matrimonii (etsi non sit necesse, causam hujus nullitatis manifestare) ut mutuus denuo consensus præstetur. Nam alioquin conjux ignara prioris nullitatis, non censetur per solam copulam & cohabitationem juxta vala probabilem sententiam renovare consensum pro convalidando Matrimonio, cum errantis nullus sit consensus, & persona ignara impedimenti faciat omnia in virtute prioris consensus, qui nullus fuit. Scotus 4. *dist.* 35. *q. un.* §. *Respondeo, primus consensus*, & alii.

174. Quod si hoc fieri nequeat, ratione scandali, vel infamiæ, ut quia alter conjux putativus, si foret conscius nullitatis Matrimonii, non amplius esset consensurus, aut gravem suspicionem de occulto alterius crimine conciperet: tunc sufficere poterit renovare mutuum consensum sub simili forma: *Volo tecum ex nunc ita contrahere, ut si jam non esset validum inter nos matrimonium, illud nunc inire velim*: Et altera pars respondeat: *Volo & ego similiter*. Sanchez *l.* 4. *disp.* 36. *n.* 5.

AP-

APPENDIX

Continens modum legendi, & scribendi Citationes utriusque Juris.

§. I.

De Jure Canonico.

SUMMARIUM.

Partes Juris Canonici sunt, Decretum Gratiani, & unde sic dictum.
Decretales Gregorii IX.
Liber sextus Decretalium.
Clementina Extravagantes Joannis XXII. & Extravagantes Communes.
Decretum Gratiani habet tres partes.
Prima pars, qua, & quomodo citetur?
Secunda pars, ejusque citatio.
Tractatus de Pœnitentia; & quomodo citetur?
Tertia Decreti pars, & quomodo citetur?
Quinque Libri Decretalium, & quomodo citentur?
Sextus Decretalium, & Clementina, ac quomodo dividantur, & citentur?
Extravagantes Joannis XXII. qua, & quomodo citentur?
Extravagantes Communes, earumque citatio.
Dicti modi citandi quandoque variantur.

CORpus totius Juris Canonici plures, ac universim sex continet partes. I. *Decretum Gratiani*, sic dictum, quod a Gratiano Monacho S. Felicis, Ordinis S. Benedicti (ut notatur in Monitione ad Lectorem, Decreto præfixa) ex diversis tum Summorum Pontificum, tum Sanctorum Patrum, atque Conciliorum dictis, decenti ordine in unum volumen, circa annum Domini 1151. sit compilatum.

II. *Decretales Gregorii PP. IX.* sic dictas, quia Gregorius Papa Nonus varias Constitutiones, seu Decretales Epistolas suorum Prædecessorum, per S. Raymundum de Pennafort, Ordin. FF. Prædicatorum (cujus Festum nunc celebratur die 23. Januarii) in unum volumen colligendas curavit, quibus idem Pontifex multas Constitutiones suas, ac Decretales Epistolas adjecit. III. In Corpore Juris Canonici cognoscitur *Liber sextus Decretalium*, sic dictus quod ipse authoritate Bonifacii Papæ Octavi compilatus, aliis quinque Decretalium Gregorii Noni Libris sit annexus, ac respectu eorum Sexti Decretalium Libri locum occupet, quamvis & ipse in quinque libros sit divisus. IV. *Clementina* (intelligo, *Constitutiones*) sic dictæ, quod a Clemente V. sint editæ. V. *Extravagantes* (intellige, *Constitutiones Joannis XXII.*) sic dictæ, quia *extravagantur*, seu vagantur extra sex Libros Decretalium: ob quam rationem etiam *Clementina* quandoque dicuntur *Extravagantes*. Additur, *Joan. XXII.* eo quod sint editæ a Joanne Papa XXII. simulque ad differentiam aliarum Extravagantium. Sextum, ac ultimum locum in Jure Canonico, obtinent *Extravagantes communes*, sic dictæ, quod a diversis Romanis Pontificibus post *Sextum* emanaverint. Ex his

Decretum Gratiani (quod in plerisque vetustis exemplaribus *Concordia Discordantium Canonum* inscribitur) in tres dividitur partes, quarum quælibet habet diversam rationem citandi suos textus. Prima pars continet centum & unam *Distinctiones*: & textus in hac prima Decreti parte contenti, citantur, ponendo numerum Distinctionis, & initium Canonis, sive (ut alii loquuntur) Capituli; v.g. taliter, *dist. 16. Placuit*. Lege: *Ut habetur Distinctione decima sexta Canone, qui incipit, Placuit*. Vel brevius, cæteris subintellectis *Distinctione decima sexta, Canone, Placuit*. Aut sic, *c. Indicatum dist. 89.* Lege: *Canone Indicatum dist. 89.*

Altera pars *Decreti* continet triginta sex *Causas*, quarum ferme quælibet plures continet Quæstiones, & quælibet Quæstio plures Canones. Modus citandi textus, in hac secunda Decreti parte contentos, talis est, ut exprimatur numerus Causæ sine ullo addito (nonnulli Recentiores addunt ly *caus.* majoris claritatis gratia) deinde numerus Quæstionis, & tandem initium Canonis (nisi

nisi talis textus habeatur in Tractatu de Pœnitentia) taliter *9. q. 3. Conquestus est*. Lege: *Ut habetur causa nona, quæst. 3. Canon. qui incipit, Conquestus est*. Aut sic, & quidem melius, ac magis usitate: *c. Si homicidium 24. q. 5.* Lege: *Canone, Si homicidium, Causa vigesima tertia, quæst. 5.*

Additur notanter, *nisi talis textus habeatur in Tract. de Pœnit.* Siquidem Causa trigesima tertia, Quæstione tertia inseritur *Tract. de Pœnitentia*, qui continet in se septem Distinctiones, quæ postmodum dividuntur per Canones. Porro textus in hoc Tractatu de Pœnitentia contenti solent sic citari; ut omisso numero causæ trigesimæ tertiæ, ponatur numerus Distinctionis de Pœnitentia (& nota, semper addi ly *De pœnit.* ad differentiam primæ & tertiæ partis Decreti, quarum quælibet etiam constat Distinctionibus.) Deinde addatur initium Canonis, vel saltem numerus ipsius, taliter: *de pœnit. dist. 3. In tantum*. Lege, *ut habetur de pœnit. dist. 3. Canone, qui incipit: In tantum*. Vel sic: *de pœnit. d. 3. can. 33.* Lege, *de pœnitentia, distinctione tertia, Canone trigesimo tertio.*

Tertia pars *Decreti* intitulatur *De Consecratione*: & dividitur in quinque *Distinctiones*, & hæ rursum in Canones. Modus citandi textus in ipsa contentos talis est, ut primo ponatur ly *de consecr.* & differentiam primæ & secundæ partis Decreti, deinde ponatur numerus Distinctionis: & tandem initium Canonis. Exemplum sit, *de consec. d. 1. Nolle sanctæ*. Lege: *De consecr. dist. 1. Canone, cujus initium est, Nolle sanctæ*. Vel sic: *c. Solet etiam de consec. dist. 4.* Lege *Canone, Solet etiam de consecr. dist. 4.* Sive enim prius ponatur initium Canonis, & postea numerus Distinctionis, sive e contra, nihil refert.

Decretales Gregorii Papa Noni continent quinque Libros, qui dividuntur ulterius in Titulos, Tituli vero in Capitula. Modus citandi textus in iis repertos talis est, ut primo ponatur initium Capituli, deinde Titulus hoc modo: *c. Damnamus de Summa Trin.* Lege *c. quod incipit: Damnamus. Titulo de Summa Trinitate*. Quandoque primo loco ponitur Titulus, & postea initium Capituli, sed est idem v.g. *de sent. excom. c. Nuper*. Lege: *Titulo, de Sententia excom. c. Nuper*. Sed prior citandi modus de facto magis est usitatus. Quandoque etiam præter inscriptionem Tituli, ac initium Capituli, solet apponi ly *extra*, aut, ly X. v.g. taliter: *prout habetur extra de restitut. spoliat. Cum venissent*. Vel sic

c. Publicato X. de electione. Sed idem est, ac prius: nam sive apponatur ly *extra*, aut signum X. (quod interdum apponitur ad significandum hujusmodi textus haberi *Extra*, id est, *Extra Decretum Gratiani*) sive non apponatur, ac fiat citatio solius Tituli, atque initii Capituli, & nulla alia particula addatur, signum erit textum illum haberi in quinque Libris Decretalium. Unde ex citationibus supra allegatis prior sic erit legenda, *prout habetur, extra* (subintellige, *Extra Decretum Gratiani*) *De restit. spoliat. cap. Cum venissent.* Altera vero sic legitur. *cap. Publicato, extra: Titulo De electione.*

Sextus Liber Decretalium dividitur in quinque Libros partiales (ac idem dic de *Clementinis*, quæ itidem in quinque Libros dividuntur) Libri vero subdividuntur in Titulos, & tituli in capitula. Citantur autem tum *Textus Decretalium*, tum *Clementina* Constitutiones, nulla facta mentione Libri, per Titulos ac initia Capitulorum, eo modo, quo quinque Libri Decretalium: hoc solum cum discrimine, quod in citatione Sexti Decretalium addatur ly *in 6.* taliter v. g. *Cum quis de sepult. in 6.* Vel sic: *c. Cum quidam de except. lib. 6.* Lege sic: *c. Cum quis, Titulo de Sepulturis, in 6.* Item: *cap. Cum quidam Tit. de Exceptionibus, libro sexto Decretalium.* In citatione vero *Clementinarum* apponitur ly *in Clem.* vel absolute ly *Clem.* v.g. hoc modo: *c. Sicut. de Appellat. in Clem.* Lege: *cap. quod incipit: Sicut, Titulo de Appellationibus, in Clementinis.* Vel sic *c. Plures Clem. de Jure patr.* Lege *ut. Plures, in Clem. Tit. de Jure patronatus*. Communius vero, simulque brevius, absolute ponitur ly *Clem.* una cum initio, vel numero Capituli, & citationis Tituli: v.g. taliter: *Clem. un. de Rerum permut.* vel *Clem. Quamvis rigor, de Appell.* Lege: *Ut habetur in Clementina unica* (sic dicitur, quia Titulus ille habet unicum capitulum) *Titulo de Rerum permutatione*. Vel *in Clementina, quæ incipit: Quamvis rigor, Titulo de Appellationibus*. Interdum etiam simpliciter ponitur ly *Clem.* una cum initio Capituli, sine mentione Tituli, quod præcipue fit, quando illud Capitulum est notius: v.g. taliter: *Clem. Exivi.* Lege: *ut habetur in Clementina, quæ incipit: Exivi.* Imo cum Constitutiones Clemen. V. quandoque appellentur *Extravagantes*, eo quod exirent, & quasi *vagentur extra* sex Libros Decretalium, solent ipsæ nonnunquam citari ad modum aliorum Extravagantium, taliter: *Ita Clemens V. in Extr. Exivi.* Lege: *Ita Clemens V. in Extrav. qua incipit: Exivi*

APPENDIX

Continens modum legendi, & scribendi Citationes utriusque Juris.

§. I.

De Jure Canonico.

SUMMARIUM.

Partes Juris Canonici sunt, Decretum Gratiani, & unde sic dictum.
Decretales Gregorii IX.
Liber sextus Decretalium.
Clementina Extravagantes Joannis XXII. & Extravagantes Communes.
Decretum Gratiani habet tres partes.
Prima pars, qua, & quomodo citetur?
Secunda pars, ejusque citatio.
Tractatus de Pœnitentia; & quomodo citetur?
Tertia Decreti pars, & quomodo citetur?
Quinque Libri Decretalium, & quomodo citentur?
Sextus Decretalium, & Clementina, ac quomodo dividantur, & citentur?
Extravagantes Joannis XXII. qua, & quomodo citentur?
Extravagantes Communes, earumque citatio.
Dicti modi citandi quandoque variantur.

CORpus totius Juris Canonici plures, ac universim sex continet partes. I. *Decretum Gratiani*, sic dictum, quod a Gratiano Monacho S. Felicis, Ordinis S. Benedicti (ut notatur in Monitione ad Lectorem, Decreto præfixa) ex diversis tum Summorum Pontificum, tum Sanctorum Patrum, atque Conciliorum dictis, decenti ordine in unum volumen, circa annum Domini 1151. sit compilatum.

II. *Decretales Gregorii PP. IX.* sic dictas, quia Gregorius Papa Nonus varias Constitutiones, seu Decretales Epistolas suorum Prædecessorum, per S. Raymundum de Pennafort, Ordin. FF. Prædicatorum (cujus Festum nunc celebratur die 23. Januarii) in unum volumen colligendas curavit, quibus idem Pontifex multas Constitutiones suas, ac Decretales Epistolas adjecit. III. In Corpore Juris Canonici cognoscitur *Liber sextus Decretalium*, sic dictus quod ipse authoritate Bonifacii Papæ Octavi compilatus, aliis quinque Decretalium Gregorii Noni Libris sit annexus, ac respectu eorum Sexti Decretalium Libri locum occupet, quamvis & ipse in quinque libros sit divisus. IV. *Clementina* (intelligo, *Constitutiones*) sic dictæ, quod a Clemente V. sint editæ. V. *Extravagantes* (intellige, *Constitutiones Joannis XXII.*) sic dictæ, quia *extravagantur*, seu vagantur extra sex Libros Decretalium: ob quam rationem etiam *Clementina* quandoque dicuntur *Extravagantes*. Additur, *Joan. XXII.* eo quod sint editæ a Joanne Papa XXII. simulque ad differentiam aliarum Extravagantium. Sextum, ac ultimum locum in Jure Canonico, obtinent *Extravagantes communes*, sic dictæ, quod a diversis Romanis Pontificibus post *Sextum* emanaverint. Ex his

Decretum Gratiani (quod in plerisque vetustis exemplaribus *Concordia Discordantium Canonum* inscribitur) in tres dividitur partes, quarum quælibet habet diversam rationem citandi suos textus. Prima pars continet centum & unam *Distinctiones*: & textus in hac prima Decreti parte contenti, citantur, ponendo numerum Distinctionis, & initium Canonis, sive (ut alii loquuntur) Capituli; v.g. taliter, *dist. 16. Placuit*. Lege: *Ut habetur Distinctione decima sexta Canone, qui incipit, Placuit*. Vel brevius, cæteris subintellectis *Distinctione decima sexta, Canone, Placuit*. Aut sic, *c. Indicatum dist. 89.* Lege: *Canone Indicatum dist. 89.*

Altera pars *Decreti* continet triginta sex *Causas*, quarum ferme quælibet plures continet Quæstiones, & quælibet Quæstio plures Canones. Modus citandi textus, in hac secunda Decreti parte contentos, talis est, ut exprimatur numerus Causæ sine ullo addito (nonnulli Recentiores addunt ly *caus.* majoris claritatis gratia) deinde numerus Quæstionis, & tandem initium Canonis (nisi

nisi talis textus habeatur in Tractatu de Pœnitentia) taliter *9. q. 3. Conquestus est*. Lege: *Ut habetur causa nona, quæst. 3. Canon. qui incipit, Conquestus est*. Aut sic, & quidem melius, ac magis usitate: *c. Si homicidium 24. q. 5.* Lege: *Canone, Si homicidium, Causa vigesima tertia, quæst. 5.*

Additur notanter, *nisi talis textus habeatur in Tract. de Pœnit.* Siquidem Causa trigesima tertia, Quæstione tertia inseritur *Tract. de Pœnitentia*, qui continet in se septem Distinctiones, quæ postmodum dividuntur per Canones. Porro textus in hoc Tractatu de Pœnitentia contenti solent sic citari; ut omisso numero causæ trigesimæ tertiæ, ponatur numerus Distinctionis de Pœnitentia (& nota, semper addi ly *De pœnit.* ad differentiam primæ & tertiæ partis Decreti, quarum quælibet etiam constat Distinctionibus.) Deinde addatur initium Canonis, vel saltem numerus ipsius, taliter: *de pœnit. dist. 3. In tantum*. Lege, *ut habetur de pœnit. dist. 3. Canone, qui incipit: In tantum*. Vel sic: *de pœnit. d. 3. can. 33.* Lege, *de pœnitentia, distinctione tertia, Canone trigesimo tertio.*

Tertia pars *Decreti* intitulatur *De Consecratione*: & dividitur in quinque *Distinctiones*, & hæ rursum in Canones. Modus citandi textus in ipsa contentos talis est, ut primo ponatur ly *de consecr.* & differentiam primæ & secundæ partis Decreti, deinde ponatur numerus Distinctionis: & tandem initium Canonis. Exemplum sit, *de consec. d. 1. Nolle sanctæ*. Lege: *De consecr. dist. 1. Canone, cujus initium est, Nolle sanctæ*. Vel sic: *c. Solet etiam de consec. dist. 4.* Lege *Canone, Solet etiam de consecr. dist. 4.* Sive enim prius ponatur initium Canonis, & postea numerus Distinctionis, sive e contra, nihil refert.

Decretales Gregorii Papa Noni continent quinque Libros, qui dividuntur ulterius in Titulos, Tituli vero in Capitula. Modus citandi textus in iis repertos talis est, ut primo ponatur initium Capituli, deinde Titulus hoc modo: *c. Damnamus de Summa Trin.* Lege *c. quod incipit: Damnamus. Titulo de Summa Trinitate*. Quandoque primo loco ponitur Titulus, & postea initium Capituli, sed est idem v.g. *de sent. excom. c. Nuper*. Lege: *Titulo, de Sententia excom. c. Nuper*. Sed prior citandi modus de facto magis est usitatus. Quandoque etiam præter inscriptionem Tituli, ac initium Capituli, solet apponi ly *extra*, aut, ly X. v.g. taliter: *prout habetur extra de restitut. spoliat. Cum venissent*. Vel sic

c. Publicato X. de electione. Sed idem est, ac prius: nam sive apponatur ly *extra*, aut signum X. (quod interdum apponitur ad significandum hujusmodi textus haberi *Extra*, id est, *Extra Decretum Gratiani*) sive non apponatur, ac fiat citatio solius Tituli, atque initii Capituli, & nulla alia particula addatur, signum erit textum illum haberi in quinque Libris Decretalium. Unde ex citationibus supra allegatis prior sic erit legenda, *prout habetur, extra* (subintellige, *Extra Decretum Gratiani*) *De restit. spoliat. cap. Cum venissent.* Altera vero sic legitur. *cap. Publicato, extra: Titulo De electione.*

Sextus Liber Decretalium dividitur in quinque Libros partiales (ac idem dic de *Clementinis*, quæ itidem in quinque Libros dividuntur) Libri vero subdividuntur in Titulos, & tituli in capitula. Citantur autem tum *Textus Decretalium*, tum *Clementina* Constitutiones, nulla facta mentione Libri, per Titulos ac initia Capitulorum, eo modo, quo quinque Libri Decretalium: hoc solum cum discrimine, quod in citatione Sexti Decretalium addatur ly *in 6.* taliter v. g. *Cum quis de sepult. in 6.* Vel sic: *c. Cum quidam de except. lib. 6.* Lege sic: *c. Cum quis, Titulo de Sepulturis, in 6.* Item: *cap. Cum quidam Tit. de Exceptionibus, libro sexto Decretalium.* In citatione vero *Clementinarum* apponitur ly *in Clem.* vel absolute ly *Clem.* v.g. hoc modo: *c. Sicut. de Appellat. in Clem.* Lege: *cap. quod incipit: Sicut, Titulo de Appellationibus, in Clementinis.* Vel sic *c. Plures Clem. de Jure patr.* Lege *ut. Plures, in Clem. Tit. de Jure patronatus*. Communius vero, simulque brevius, absolute ponitur ly *Clem.* una cum initio, vel numero Capituli, & citationis Tituli: v.g. taliter: *Clem. un. de Rerum permut.* vel *Clem. Quamvis rigor, de Appell.* Lege: *Ut habetur in Clementina unica* (sic dicitur, quia Titulus ille habet unicum capitulum) *Titulo de Rerum permutatione*. Vel *in Clementina, quæ incipit: Quamvis rigor, Titulo de Appellationibus*. Interdum etiam simpliciter ponitur ly *Clem.* una cum initio Capituli, sine mentione Tituli, quod præcipue fit, quando illud Capitulum est notius: v.g. taliter: *Clem. Exivi.* Lege: *ut habetur in Clementina, quæ incipit: Exivi.* Imo cum Constitutiones Clemen. V. quandoque appellentur *Extravagantes*, eo quod exirent, & quasi *vagentur extra* sex Libros Decretalium, solent ipsæ nonnunquam citari ad modum aliorum Extravagantium, taliter: *Ita Clemens V. in Extr. Exivi.* Lege: *Ita Clemens V. in Extrav. qua incipit: Exivi*

Extravagantes Joannis XXII. continent viginti constitutiones, seu Epistolas Decretales, in quatuordecim Titulos distributas: & solent citari ponendo nomen Papæ, nempe *Joannis* XXII. ad differentiam extravagantium Communium, & citando initium Constitutionis, una cum addito ly *Extrav.* vel *Extr.* Taliter v.g. *ut inquit Joan.* 22. *Extr. Quia quorundam*. Lege: *ut inquit Joan.* 22. *in Extravag. antiquo incipit: Quia quorundam*. Vel sic *Extr. Execrabilis Joan.* 22. Lege: *in Extravagantì Joan.* 22. *qui incipit: Execrabilis*.

Extravagantes Communes dividuntur in quinque Libros, libri in Titulos, Tituli in Capitula, quorum singula novam, & distinctam continent Constitutionem, vel Constitutiones, seu Extravagantes. Textus ex hisce Extravagantibus Communibus citantur eo modo, quo textus Decretalium: videlicet faciendo citationem Tituli, & ponendo initium Capituli, seu Extravagantis, addendo tamen ly *Extrav.* vel *Extr.* taliter: *Extr. Ungenitus. de Pœnit. & remiss.* Lege: *Extravaganti qui incipit: Unigenitus, Titulo. de Pœnitentiis & remissionibus*.

Fatendum tamen, hactenus explicatos modus citandi Jus Canonicum quandoque non nihil immutari; ita tamen id accidit, ut ex dictis facile possint ejusmodi citationes intelligi.

§. II.

De Jure Civili.

SUMMARIUM.

Corpus Juris Civilis, quas partes habeat?
Signa generalia citationum usitatarum.
Divisio generalis partium Juris Civilis.
Digestum, ejusque partes.
Et quo ratione citetur?
Codex, ejusque divisio, & modus citandi.
Quid de tribus postremis Libris Codicis?
Novellæ, seu Authenticæ Constitutiones, quomodo dividantur, & citentur?
Quid de Libris Feudorum?
Institutiones, quo ratione citentur?

TOtum *Corpus Juris Civilis* plures in se continet partes, videlicet *Digestum* seu *Pandectas*, *Codicem*, & *Institutiones* Justiniani, quibus accesserunt *Authenticæ*, seu Novellæ Constitutiones, necnon & Libri Feudorum. Nam de Legibus Longobardorum, ac Imperatoriis Constitutionibus, & nonnullis aliis, quorum notitia est minus necessaria, non est opus hic aliquid dicere: cum eorum citatio vix occurrat. Circa quod

Notandum I. Quod præfatæ Juris Civilis partes propria habeant signa distinctiva, suis citationibus apponi solita. Et quidem duplex ff. (aliqui utuntur Græco π. vel littera D) significat *Digestum*, seu *Libros Pandectarum*. Deinde majuscula littera C. *Codicem*; & ly *Instit.* denotat *Institutiones*. Rursus ly *Auth.* seu *Authent.* significat *Authenticas*; & ly *Novell. Novellas* (subintellige, Constitutiones) Ac tandem ly *Feud.* Libros *Feudorum*. Porro *L.* vel *l.* significat Legem. *tit.* Titulum. §. Paragraphum v. supra & infra. Et ly *eod.* idem est, ac *eodem Titulo*, hoc est, proxime citato.

Notandum II. Quod, sicut pleræque partes Juris Canonici dividuntur in Libros, Libri in Titulos, & Tituli in Capitula: ita & pleræque partes Juris Civilis dividantur in Libros, Libri in Titulos, Tituli vero non in capitula, sed in Leges, ac postmodum nonnullæ Leges in Paragraphos. Unde in citandis textibus juris civilis idem ferme servatur modus citandi, qui in decretalibus, excepto, quod loco Capituli ponatur initium Legis (addito quandoque, si Lex est longior, initio Paragraphi, aut ejusdem numero) & simul addatur proprium signum distinctivum, videlicet ly *ff.* (vel Græcum π. aut D.) ad denotandum Digestum vel ly C. ad indicandum Codicem: aut ly *Instit.* vel *Inst.* ad insinuandas Institutiones Justiniani: sive ly *Auth. Novell. Feud.* ad ostendendum, ejusmodi textum haberi in Authenticis, seu Novellis Constitutionibus, aut Libris Feudorum.

Digestum, quod alio nomine appellatur *Pandecta*, seu *Libri Pandectarum*, continet in se quinquaginta Libros: qui omnes dividi solent in tres Tomos. Primus appellatur *Digestum vetus*, & continet priores viginti quatuor Libros. Secundus dicitur *Infortiatum*, & continet sequentes quatuordecim Libros usque ad trigesimum octavum inclusive. Tertius tandem, ac ultimus Tomus, vocatur *Digestum novum*, & continet reliquos duodecim Libros: quamvis recentiores quædam Editiones non amplius observent hanc divisionem, sed totum Digestum in unicum Tomum constringant; quod tamen nihil refert. Porro Libri isti Pandectarum ulterius dividuntur in Titulos, Tituli in Leges, & Leges nonnunquam in Paragraphos. Et textus ex iis sic citari solent; ut primo ponatur Lex (id est, initium

tium, aut saltem numerus ipsius) deinde, si Lex forsan longior est, addatur paragraphus; postea duplex ff. (vel saltem Græcum π. aut littera D.) & tandem scribatur Titulus, v.g. taliter: *l. Si quis vi §. differentia ff. de Acquir. possess.* Lege: *ut habetur Lege, qua incipit, Si quis vi, Paragrapho, qui incipit, Differentia, in digestis, Titulo de acquirenda possessione*. Solet non raro, ac præsertim a Glossa, primo loco poni ly ff. deinde subjungi Titulus, & tandem initium Legis; v.g. taliter: *ff. de procur. l. mutus*. Id est *in Digestis, Titulo de Procurator. l. Mutui*. Sed prior modus citandi de facto est usitatior.

Codex Justiniani habet Libros duodecim, qui postmodum dividuntur in Titulos, Titulis in Leges, & Leges longiores in Paragraphos: In primis novem Codicis Libris (qui simul conjungi, & compingi solent) est eadem citationum scribendarum, & legendarum ratio, quæ in Digestis; nisi quod loco duplicis ff. pro signo distinctivo ponatur C. majusculum; v.g. taliter; *l. Intestamento, C. de testament.* Id est; *Lege, qua incipit: In testamento. in Codice tit. de testam.* Vel sic *l. un. §. ex hoc C. de Rei uxor. act.* Id est: *Lege unica §. Ex hoc, in Cod. tit. de Rei uxoria actione*. Ubi ly *l. un.* ideo ponitur, quia citatus Titulus non nisi unicam Legem habet. Aliud exemplum sit hoc: *de fidejuss. C. l. fin.* Id est: *tit. de Fidejussor. in Cod. Lege finali*. Quæ Lex ideo sic dicitur, quia est Lex finalis, sive ultima citati Tituli; siquidem ly *fin.* significat Legem, seu Capitulum ultimum, sive finale cujusdam Tituli. Multi tamen ly *fin.* applicant Paragraphis tantum; atque Capitulum, seu Legem ultimam Titulorum, denotant per ly *capit. ult.* aut *l. ult.* sed parum refert.

Porro in tribus postremis Libris Codicis, videlicet decimo, undecimo, & duodecimo, qui separatim a prioribus novem Libris collocantur, exprimitur etiam numerus Libri, v.g. *l. omnes profugi C. de Agricolis l.* 11. Id est: *Lege, Omnes profugi in C. libro undecimo, Titulo, de Agricolis*. Quod si numerus Libri non addatur, quærenda erit citatio in prioribus novem Libris Codicis.

Novellæ (subintellige, *Constitutiones*, ac alio nomine *Authenticæ* dicuntur) constant novem Authenticis Collationibus, quibus recens decima est adjecta: ex iis quælibet Collatio in plures Titulos, seu Novellas dividitur; ex Novellis vero quædam subdividuntur in plura Capitula. In earum citationibus hæc tenetur ratio, ut primo scribatur initium Capituli (si tamen aliquod habet) deinde numerus Novellæ, tum Titulus ejus, & tandem numerus Collationis: v.g. taliter: *c. Sed tamen Novell. 129. de famar. col. 9.* Lege sic: *capite, quod incipit, Sed tamen, Novella 129. tit. de Samaritis, Collatione nona*. Interdum vero Novella scribitur Authentica, & fit citatio ponendo Titulum, vel potius Rubricam ejus, & initium Paragraphi, v.g. *Auth. ut facta nova confirm. §. Sancimus*. Lege: *in auth. cujus titulus est, Ut facta nova Constitutiones &c. §. qui incipit, Sancimus*; & tunc in Indice Libri Auth. est quærendum ly *Ut facta nova Constitutiones &c.* sicque allata citatio facile invenietur; nam quando Authentica quædam citatur ex Codice, semper apponitur C. majus.

Libri Feudorum (qui alio nomine *Consuetudines Feudorum* appellantur) sunt duo partiales Libri, qui dividuntur in titulos, & Tituli in Paragraphos. In Feudorum citationibus, ponitur primo signum proprium *Feud.* sive ly *in lib. Feud.* postea Titulus, & tandem Paragraphus, v.g. *in lib. Feud. de prob. feud. alien. per Frid. §. calidis insuper*. Lege: *in Libris Feudorum, Titulo, de prohibita Feudi alienatione per Fridericum §. qui incipit: Calidis insuper*. Interdum Paragraphus ponitur primo loco: v. g. *§. Calidis insuper. Feud. de prohib. Feud. alien. per Frid.* Lege ut supra.

Institutiones tandem (intellige, *Justiniani*) dividuntur in quatuor Libros, Libri in Titulos, Tituli in Paragraphos; non autem in Capitula, vel Leges. Solent autem Institutiones citari nulla facta mentione Libri, taliter: ut primo ponatur initium Paragraphi, in quo textus citandus reperitur, deinde addatur signum distinctivum, *Instit.* & postmodum subjungatur Titulus, in quo Paragraphus ille continetur, v. g. sic: *§. Fere inst. de rer. divisi.* Legatur sic: *Paragrapho, qui incipit, Fere, in Institutionibus, Titulo, de Rerum divisione.*

COROLLARIUM

Ad discernendas, ac reperiendas Citationes utriusque Juris.

SUMMARIUM.

Regula generalis ad discernendas Citationes Juris Civilis.
Et Juris Canonici.
Modus reperiendi Citationes in Jure.

EX hactenus dictis colligitur Regula generalis, qua possint discerni citationes Juris Civilis a citationibus Textuum Juris Canonici. Si quidem in citationibus Juris Civilis semper exprimitur Volumen, seu pars illius per aliquod signum peculiare, ac distinctivum a cæteris omnibus: nimirum *Codex* per majus C. *Digestum* per cuplex *ff.* vel Græcum π. aut saltem per litteram majoris D. *Novella*, seu *Authentica* Constitutiones per ly *Novell.* vel ly *Authe.* Libri *Feudorum* per ly *feud.* Ac eadem *Institutiones* per ly *Inst.* sive *Iust.* Unde quotiescumque unum ex supra dictis signis citationi appositum reperitur, indicium certum est, dictam citationem desumi ex Jure Civili, non autem ex Canonico: utpote cum nullum tale signum apponatur citationibus Juris Canonici: ex quanam autem parte Juris civilis ea citatio sit desumpta, proprium cujuslibet signum demonstrabit.

Porro quomodo citationes partium Juris Canonici ab invicem sint dignoscendæ, liquet ex supra dictis. Nam ubicunque apponitur ly, *dist.* vel ly, *quæst.* aut q. signum est, eam citationem desumi ex Decreto Gratiani; utpote cum solum Decretum habeat Distinctiones, & quæstiones, aliæ quippe partes omnes Juris Canonicis habent Titulos. Ubicumque autem apponitur Titulus una cum initio, vel numero Capituli, absque alio signo addito (nisi forte addatur ly *Extra*, vel quod idem est ly X.) tunc signum est, citationem illam fieri ex quinque Libris Decretalium. Quando vero præter Titulum, ac initium Capituli, vel hujus numerum, apponitur aliud quidpiam, ut puta ly *in 6.* vel ly *Clem.* aut ly *extravag. Joan.* 22. vel absolute *extrav.* tunc citatio illa quærenda erit, juxta diversitatem appositi signi, vel in *Sexto Decretalium*, vel in *Clementinis*, vel in *Extravagantibus Joannis XXII.* vel in *Extravagantibus Communibus*.

Quod si igitur ex præmissis dignoscatur Pars illa Juris Canonici, aut Civilis, in qua Capitulum, seu Lex quæsita continetur, tunc ulterius ad reperiendum determinatum locum, ubi habetur, juvat quærere initium ejus in Indice Capitulorum, sive Legum, qui cuilibet Parti juris, vel generatim omnibus (juxta diversitatem Editionum) præfigi solet; atque appositus paginæ, vel alius competens numerus, dabit locum quæsiti Capituli, sive Legis. Sic quæsiturus *c. in Later. de Præb.* cum ex dictis intelligas reperiri in quinque Libris Decretalium, vide in Indice Capitulorum dictis quinque Libris Decretalium præfixo: & habebis annotatum numerum paginæ, in quo Capitulum illud existit. Quod si vero non habeatur appositus numerus paginæ (prout in nonnullis Editionibus contingit) illico quære in Indice Titulorum, sicque reperies, Titulum *de Præbendis* esse Titulum V. Libri III. Decretalium: quem per singula Capitulorum initia transcurrens, reperies dictum *c. In Lateranensi*, esse 31. Capitulum illius Tituli: & sic loquendo de aliis, prout amplius ipsa praxis docebit.

FINIS.

IN-

INDEX ALPHABETICUS

RERUM, ET VERBORUM.

A

Abates Infulati, an possint conferre Ordines minores? Tr. 14. d. 12. nu. 55. fol. 649. Abortus, quale peccatum? Tr. 9. d. 3. n. 33. fol. 324. Et an illum procurans, sit irregularis? n. 33. & 34 Contra procurantes abortum rigida Bulla Sixti V. nu. 35. Sed moderata per Gregorium XIII. & quomodo? ib. Pœna procurantium abortum fœtus animati, n. 36. fol. 325. Gemina Propositio circa materiam abortus damnata, n. 37. Abortum procurans, an committat homicidium proditorium, privetuque Immunitate? Tr. 12. dist. 2. num. 38. fol. 452

Abrogatio Legis, quid? Tract. 2. dist. 4. n. 27. fol. 68

Absolutionis forma in Sacramento Pœnitentiæ, quæ? Tract. 14. dist. 6. nu. 11. fol. 598. Quæ verba sint de ejus essentia? n. 12. & seqq. Absolutio in scripris, vel absenti data, non valet num. 26 fol. 592. & seqq. Disparitas inter absolutionem a peccatis, & censuris nu. 28. Forma absolutionis sub modo deprecativo non valet, num. 29. Quid de aliis formulis? num. 30. Ritus absolutionis Sacramentalis, n. 32. fol. 593. Sensus verborum formæ absolutionis, n. 34. & 35. An absolvendus sit moribundus, qui amplius confiteri non potest? Tr. 14. dist. 7. nu. 64. & seqq. fol. 608. Vide *V. Confessio.* Absolutio a casibus reservatis. Vide *V. Reservatio casuum.* Absolutio tempore Jubilæi. Vide *V. Jubilæum.*

Abstinentia, quid? Tr. 7. dist. 1. n. 23. f. 227

Acceptatio Populi, an requiratur ad obligationem legum? Tract. 2. dist. 1. n. 32. & seqq. fol. 43. & 44. Acceptatio donationis, an & quomodo pro alio fieri possit? Tract. 8. dist. 2. n. 19. & 20. fol. 272

Accessio, est modus acquirendi rerum dominium jure Gentium. Tr. 7. d. 5. n. 25. f. 286

Accidia, quid? Tr. 3. d. 3. n. 52. fol. 97. Sumitur dupliciter, n. 59. & 60. Accidia recte ponitur inter vitia capitalia, nu. 61. Ejus aliæ sex n. 62. & seqq.

Acolytatus materia, & forma, duplex. Tr. 14. d. 12. n. 22. f. 644. Acolytherum officium, ib.

Actio, quid? Tr. 7. d. 2. n. 26. fol. 237. Dividitur in actionem realem, & personalem, *Reiffenstuel Theol. Moral.* n. 27. Et quid utraque? n. 28. & 29. Minus est, habere actionem, quam rem, quomodo? Tract. 8. d. 4. n. 42. fol. 298

Actus humanus, & Actus hominis, differunt. Tract. 1. d. 2. n. 1. f. 11. & seqq. Actus humanus, seu moralis, quid? n. 2. & 3. Quomodo debeat fieri ad regulam nostrorum actuum? n. 4. Actus voluntatis eliciti, & imperati, nu. 6. f. 12. Unde desumat finem bonitatem, vel malitiam moralem? nu. 9. & seqq. f. 13. Quæ harum sit actus primaria, & essentialis? n. 10. & 11. Quomodo malitia, & præsertim bonitas, debeat ese voluntati, ut tam actus humanus desumat ex objecto, & circumstantiis? Tr. 1. d. 2. n. 18. & seqq. fol. 15. Actus interno voluntarius per se primo inest bonitas, vel malitia moralis, n. 8 fol. 17. An Actus externus addat proprium bonitatem, vel malitiam actui interno? n. 29 30. & seqq. Actus interior, & exterior, an sint duo peccata? num. 34. & 35. f. 18. Actus indifferens, quid? n. 36. An detur? n. 37. & 38. f. 19. An omnem actum teneatur homo dirigere in finem honestum? n. 30. Actus humani ut sint meritorii vitæ æternæ, quid requiratur? Tr. 1. d. 2. n. 42. fol. 21. & seqq. Actus interni an possint præcipi lege humana? Tr. 2. d. 1. nu. 46. fol. 45. Actus peccaminosi physice distincti, non semper distinguuntur moraliter. Tr. 3. dist. 1. n. 50. fol. 80. Actus voluntatis quomodo moraliter interrumpantur? n. 52. & seqq.

Actus Fidei, Spei, Charitatis. Vide *V. Fides. V. Spes. V. Charitas.*

Actus conjugalis. Vide *V. Debitum conjugale.*

Actus, si nunc viveres, an posset cum aliqua alia matrimonium contrahere præter Hæredem. Tr. 14. d. 14. n. 107. fol. 696

Adjutorio, quid? Tr. 5. d. 1. n. 20. fol. 157

Adolescentes quo tempore incipiant obligari ad jejunium Ecclesiasticum? Tr. 10. d. 2. n. 40. 41. & seqq. fol. 589

Adoratio, quid? Tr. 5. d. 1. num. 23. fol. 158. Alia mere civilis, seu politica, alia sacra, seu Religiosa, nu. 24. Adorationis sacræ tres species, videlicet Latria, Hyperdulia, & Dulia, n. 25. Adorationis objectum duplex, materiale, & formale, nu. 26. Deo debetur cultus Latriæ, nu. 27. Tres Personæ Divinæ sunt una adoratione adorandæ; quomodo? n.

28. Adoratio absoluta, & respectiva, quid? num. 31 fol. 159
Advertentia, qualis sufficiat ad peccatum? Tr. 3. d. 2. n. 7. 9. & seqq. fol. 84. Quæ censeatur perfecta advertentia, & sufficiens ad peccatum mortale? nu. 10. & 11. Signa quibus in dubio discerni possit consensus perfectus ab imperfecto, num. 12. fol. 84
Adulatio, quid. Tr. 7. d. 2. n. 12. fol. 234
Adulterium, quid, & quot modis contingat, Tr. 9. d. 4. nu. 16. fol. 330. Quanta ejus malitia, & pœna, nu. 17. Est gravius fornicatione, etiam consentiente altero conjuge. n. 18 f. 331. Obligatio restitutionis ratione adulterii, quæ, n. 28. & seqq. f. 332. Adulterium, in quibus casibus dirimat Matrimonium, Tr. 14. disp. 14. nu. 87. f. 687. Quæ requirantur, ut illud dirimat, n. 93. fol. 688
Advocatus, an possit sequi sententiam probabilem relictâ probabiliori, Tr. 1. d. 3. n. 63. fol. 34. Obligationes quæ sunt Advocatorum, nu. 64. Inter Advocatum, & Judicem, differentia, num. 67. fol. 37
Ædificatio, quomodo sit modus acquirendi rerum dominium? Tr. 7. disp. 5. n. 31. fol. 257. Ædificasse Ecclesiam, quis censeatur, Tr. 11. d. 3. num. 4. fol. 425
Ætates hominis, quæ, Tr. 8. d. 1. n. 21. f. 287. Ætas legitima pro Beneficiis Ecclesiasticis consequendis, quæ, Tr. 11. d. 1. n. 50. f. 413. Ætas, quæ requiratur pro singulis Ordinibus, Tr. 14. d. 12. nu. 50. & seqq. fol. 648. Ætas impuberum; an sit distinctum impedimentum dirimens matrimonii, Tr. 14. d. 14. n. 50. & 71. fol. 681 & 684
Affabilitas, quid, & quomodo differat ab amicitia, Tr. 7. d. 2. num. 12. fol. 234
Affinitas, quid, Tr. 14. d. 14. n. 116. fol. 693. Ejus olim erant tria genera. Ibid. Unde oriatur, & inter quas personas, n. 117. & 118. Corollarium notabile, n. 119. Affinitatis gradus nunc servantur juxta gradus Consanguinitatis; quomodo, nu. 120. Affinitas in quoto gradu dirimat matrimonium, n. 121. & quo jure, num. 122. & seqq. fol. 694
Agnus Dei, Cruces &c. gestare licitum est, Tr. 5. d. 2. num. 38. fol. 171
Alearum lusus, quis? Tr. 8. d. 4. n. 111. f. 308. Est jure prohibitus, num. 110. & 112.
Alluvio, quando sit modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium? Tract. 7. disp. 5. num. 23. fol. 256
Ambitio, quid, & quale peccatum? Tract. 3. d. 3. n. 9. fol. 90
Amicitia, quid, & quomodo differat ab Affabilitate? Tr. 7. d. 2. n. 12. fol. 234
Amor Dei, duplex, amicitiæ scilicet, & concupiscentiæ, Tr. 4. d. 5. nu. 7 f. 132. Hic est proprius spei, ille Charitatis Theologicæ. Ibid. Amor, & Charitas generatim, quid? Tr. 4. d. 6. nu. 1. f. 136. Deum amare super omnia intensive, & appretiative, quid? n. 6. fol. 137. Amor debetur parentibus, & qualis? Tr. 9. d. 2. nu. 6. & 7. fol. 317. Amor Dei appretiative, & intensive summus, quid? Tr. 14. d. 6. n. 40. fol. 594. Vide *V. Charitas*.
Anathema, an differat ab Excommunicatione? Tr. 12. d. 2. n. 2. fol. 495
Animal si damnum intulit, an teneatur dominus ejus ad restitutionem? Tract 9. d. 5. num. 80. fol. 355
Annus Jubilæus in lege veteri, quis, & unde sic dictus? Tr. 12. d. 3. n. 87 fol. 475. Annus Jubilæus in Ecclesia Catholica, quando celebretur? n. 88. fol. 476. Vocatur etiam *Annus Sanctus*. Ibid. In Anno Sancto suspendantur aliæ Indulgentiæ n. 89. Nonnullis tamen exceptis, & quibus? n. 95. 96. & seqq. fol. 477 Vide *V. Indulgentia, & V. Jubilæus*.
Antidoralis obligatio, an involvat pactum simoniacum? Tr. 5. d. 3. n. 42. fol. 182
Antichristus, quid? Tr. 8. d. 4. nu. 59. fol. 300. Pactum Antichristicos illicitum, nisi interveniat altus justus Titulus, n. 51. & 52.
Apostasia a Fide, quid? Tract. 4. disp. 4. n. 36. fol. 130. Apostasia a Religione, num. 37. A Conventu, vel Habitu. Ibid. Apostasia ab Ordine, quid? num. 38.
Appliciatio Missæ, an sufficiat habitualis? Tr. 14. d. 5. nu. 73. fol. 576. Praxis optima applicandi Missam. n. 77. & seqq. Intentio secunda in applicatione Missæ nu. 78. & 79. f. 577. Vide *V. Missa*.
Aqua est materia Sacramenti Baptismi, & quare? Tr. 14. d. 3 nu. 11. & 12. fol. 547. Aqua vino consecrando est miscenda, Tr. 14. d. 4. n. 29. fol. 557. Et rur? n. 30. & 31. Debet apponi modica, num. 32. An conveniatur in Sanguinem Christi? num. 33. & seqq. Quid agendum, si aqua pro vino infundatur? Tr. 14. disp. 5. num. 144. fol. 587. Quid, si error primum adverterur post Sumptionem? num. 145. Aut dum aqua habetur in ore? n. 146.
Arbor consanguinitatis, quæ? Tract 14. d. 14. num. 100. & seqq. fol. 689. Vide *V. Consanguinitas*.
Ars notoria, quid? Tract. 5. disp. 2. num. 32. fol. 170
Articulus mortis, quid? Tr. 14. d. 9. num. 13. fol. 626. An comprehendat peccatum mortis? ibid. Absolutus a Casu reservato in articulo mortis, an teneatur postea se sistere Superiori? n. 15. In mortis articulo, an quilibet Sacerdos possit absolvere ab hæresi, & aliis casibus? Tr. 4. d. 4. n. 32. & 33. fol. 129. & Tract. 14. disp. 9. num. 125. & 126. Vide *V. Reservatio casuum*.
Aspectus impudici. Vide *V. Impudicitia*.
Aspersione Aquæ Benedictæ, an remittantur peccata venialia? Tr. 3. d. 2. n. 35. fol. 89
Assistentium, quid? Tract. 12. disp. 2. num. 39. fol. 452. Rei hujus criminis non gaudent immunitate Ecclesiastica, n. 28. & 29. fol. 451
Astrologia judiciaria est species Divinationis, Tr. 5. d. 2. n. 19. fol. 168. Astrologia naturalis est licita. Ibid.
Asturia, quid? Tr. 7. d. 1. num. 12. fol. 226.
Asyli privilegium, an sit Juris Divini, Tr. 12. d. 2. nu. 2. & seqq. fol. 448. eo gaudent omnes Ecclesiæ, etiam interdictæ, pollutæ, &c. n. 5. fol. 449. Item Cœmeteria, turres, &c. nu. 6. & 7. An eo gaudeat tenens januam Ecclesiæ, vel parietem, nu. 8. Quid de spatio 30. vel 40. passuum circa Ecclesiæ, nu. 9. Monasteria, Hospitalia, an gaudeant immunitate? nu. 10. Rei ex potius confugiant ad Monasteria, quam alia Loca Sacra. n. 11. Confugiens ad Sacerdotem SS. Eucharistiam portantem, gaudet immunitate. nu. 12. & 13. f. 448. Quid de communicante, vel fugiente ad S. Oleum. n. 14. Qui rei gaudeant jure Asyli Ecclesiastici num. 15. 16. & seqq. An etiam debitores pecuniarii. num. 17. & 18. fol. 449. Clerici, & Religiosi. nu. 19. & 20. Judæi & Pagani. nu. 21. & 22. f. 450. Hæretici. nu. 23. & seqq. Quæ crimina non gaudeant Immunitate. nu. 26. & 27. f. 451. referuntur septem crimina excepta. nu. 28. & seqq. An præter homicidium, & mutilationem amittatur Immunitas ob alia crimina in Ecclesiis commissa. num. 35. fol. 452. Commoda Reorum ad Asyla fugientium. nu. 42. & seqq. f. 454. Quid si fictis pronuntiis inde educantur. nu. 43. Unde fatentari debeant. nu. 46. Immunitatis violatio, quale peccatum. n. 48. fol. 454. Quæ pœnæ eam violantium. n. 49. & 50. Observanda in extractione Reorum jure Asyli non gaudentium. num. 51. & seqq.
Attentio circa Orationem vocalem triplex, ad verba, ad sensum, & ad finem Orationis. Tr. 6. d. 1. nu. 39. fol. 194. Quælibet harum sufficit ad satisfaciendum præcepto recitandi Horas Canonicas. n. 42 f. 195. Voluntarie distractus absque ulla intentioni intentione, non videtur latisfacere. n. 43 & seqq.
Attritio, quid, & quomodo differat a Contritione. Tract. 14. d. 6. nu. 38. & 41. fol. 594. Vide *V. Contritio*.
Avaritia, quid. Tr. 3. d. 3. n. 12. f. 91. Et quale peccatum. nu. 13. Recte numerantur inter Peccata capitalia. n. 14. ejus filiæ, quæ. nu. 15. & 16. Avaritia computatur inter peccata spiritualia, cur. Tr. 3. d. 1. n. 8. & 9. fol. 73
Audacia, quid. Tr. 7. d. 1. n. 38. fol. 229
Augurium est species Divinationis. Tr. 5. d. 2. num. 24. fol. 169
Aurora, quid. Tr. 14 d. 5. n. 105. fol. 581. Quomodo considerandæ quoad celebrationem Missæ. n. 106.
Auxilia Dei actualia, quæ. Tr. 14. d. 2. num. 2. fol. 534. Præstantur specialia ad proprios fines consequendos per Sacramenta. nu. 8. & seqq. fol. 535.

B

Baptismi Sacramentum imprimit Characterem, Tr. 14. d. 2. n. 46. & seqq. f. 551. Baptismus per se confert primam gratiam. n. 19. f. 537. Baptismus fictæ suscepturus, recedente fictione confert effectum. nu. 54. f. 542. Quomodo sit necessarius ad salutem. n. 59. & 60. f. 543. Baptismus fluminis, fluminis, & sanguinis. nu. 61. & seqq. Martyrium supplet vicem Baptismi. n. 64 f. 544. Baptismus fluminis est janua Sacramentorum novæ Legis. Tr. 14. d. 3. n. 1. f. 545. Quid sit. n. 2. Fuit institutus a Christo ante suam Passionem. nu. 3. & 4. f. 546. Et quando. n. 5. & 6. Ad Baptismum suscipiendum tenentur omnes, etiam Judæi, ac Pagani. n. 7. An baptizari possint filii Infidelium invitis parentibus. n. 8. & seqq. Materia Baptismi remota, & proxima, quæ. n. 11. & 12. f. 547. Ad ejus valorem requiritur vera ablutio. n. 13. & seqq. Hæc potest fieri immersione, affusione, vel aspersione. n. 16. An trina affusio adhibenda. n. 17. In Baptismo, quæ pars corporis sit abluenda. n. 18. & seqq. f. 548. Quid agendum, si ablutio facta est in parte dubia. n. 20. Puer projectus de ponte in flumen cum intentione ipsum baptizandi, an baptizetur. num. 21. Forma Baptismi, quæ. n. 22. Quali utantur Græci, nu. 22. In forma Baptismi tria necessario exprimenda, quæ. n. 24. f. 549. & quomodo. n. 25. & seqq. Baptismus in Nomine Christi, defecto non valet. n. 27. An olim validus fuerit. n. 28. Quæ forma sit adhibenda in Baptismo dubio. nu. 29. Forma Baptismi, *in nomine Patria* &c. an sufficiat? n. 30.
Baptismi Minister, quis. Tr. 14. d. 3. nu. 31. & seqq. f. 550. In casu necessitatis, quid observandum. n. 32. An Diaconus vel Subdiaconus, possit solemniter baptizare. nu. 34. An valeat Baptismus, uno materiam, & altero formam adhibente. nu. 35. Observanda a Ministro Baptismi. nu. 36. Quid agendum de Monstris. nu. 37. Prænæ reiterantium Baptismum. nu. 38. & 39. f. 551. Patrini in Baptismo, qui. nu. 40. Hi contrahunt cognationem Spiritualem. Tr. 14. d. 14. n. 112. & 113. f. 692. Sine Baptismo non recipitur Ordo. Tr. 14. disp. 14. nu. 43. fol. 647.
Bellum, quid, & quomodo differat a Seditione, & Rixa. Tract. 4. d. 7. n. 40. fol. 152. Est ex natura sua licitum, si debitas habeat conditiones, nu. 41. Ad Bellum justum tres requiruntur conditiones, quæ. n. 42. Potest dari bellum ex utraque parte justum formaliter, non autem materialiter. nu. 43. In dubio de justitia belli, an liceat militare. n. 44. & seqq. In bello justo licite occidantur nocentes. n. 45. Quid de innocentibus. n. 48. Cui acquirantur bona hostium. nu. 49. & 50. fol. 153. In bello, qui fiant irregulares. Tr.

13. d. 3. n. 62. 63. & 66. f. 529. Bellum inferre, & litem judicialiter movere, differunt. Tr. 1. d. 3. n. 68. fol. 35
Beneficentia, est actus externus Charitatis. Tr. 5. d. 6. n. 27. fol. 241
Beneficiarii Clerici. Vide *V. Clerici*. Beneficiarii obligatio ad celebrandam Missam. Vide *V. Missam celebrandi obligatio*.
Beneficium generatim Tr. 11. dist. 1. nu. 2. fol. 405. beneficium Ecclesiasticum, quid. nu. 3. & seqq. f. 409. Ejus Laicus est incapax. n. 6. Quomodo detur constitut. n. 7. Beneficia Ecclesiastica majora, & minora n. 8. Regularia, & secularia. n. 9. Curata, & non Curata. nu. 10. Electiva, Patronata, & Collativa seu libera. nu. 11. Patrimonialia, & non Patrimonialia: nu. 12. Manualia, & non Manualia, quæ? n. 13. f. 407. Beneficia, quibus modis conferri soleant? n. 18. & 19. Quomodo acquirantur per electionem, nu. 20. & seqq. Per præsentationem, nu. 23. & seqq. f. 408. Et per liberam collationem, nu. 29. fol. 409. Quinam Beneficia libere conferre possint? nu. 30. & seqq. Vide *V. Papa* & *Episcopus*. Collatio Ecclesiarum, Parochialium per Concursum, quæ? n. 38. & 39. f. 410. In quibus Beneficiis preces primæ Imperatoris non habent locum? nu. 42. & 42. Quibus conferenda sint Beneficia? ubi & de conditionibus ex parte eorum requisitis nu. 43. & seqq. f. 411. Beneficia curata omissis dignis debent conferri dignioribus. n. 44. & seqq. Quid de Beneficiis simplicibus? n. 47. fol. 412. Patronis laicalibus, & Patronatis? n. 48. Dignus respectu Beneficii, & dignior, magis Ecclesiæ utilis, quis? nu. 49. & 50. Indignus, & quis? nu. 51. & seqq. Quæ conditiones requirantur, ut quis sit dignus ad Beneficium? n. 53. & seqq. f. 413. Beneficii Ecclesiastici incapax est excommunicatus. Tr. 13. d. 2. n. 27. f. 499. Beneficiorum simul retentorum pluralitas, quantorum malorum sit origo? Tr. 11. d. 2. n. 1. f. 416. Ex quandoque possunt abesse, dantur que Beneficia compatibilia, nu. 2. f. 417. Incompatibilitas beneficiorum ex duplici capite oritur, n. 3. & seqq. Quod Beneficium censeatur sufficiens ad congruam Clerici sustentationem? nu. 5. Beneficia de se compatibilia, quæ? nu. 6. & 8. f. 418. Beneficia simplicia ultra duo nequeunt haberi, n. 7. Beneficia de se incompatibilia, n. 9. Et Beneficia uniformia sub eodem tecto, quæ? n. 10. & 11. Beneficium simplex potest adjungi alteri tenui redditus habenti, n. 12. Beneficia incompatibilia simul plura obtinere illicitum est. nu. 13. f. 419. Idque etiam dispensationem Pontificiam. n. 14. Triplex causa dispensandi in pluralitate Beneficiorum. nu. 15. & seqq. Plura incompatibilia Beneficia recipiens, an ipso jure privatus sit priori? n. 19. & seqq. Quid si quis fructus secundi Beneficii necdum recipiat? nu. 22. Aut primum cum secundo retinere contendens? n. 26. f. 420. In quibus casibus plura simul Beneficia habere possint? n. 27. In Beneficiis Ecclesiasticis an possit aliquid dari ad redimendam insultum vexam? Tr. 5. d. 3. n. 32. f. 180. Beneficium simoniace recipiens, quid agendum? n. 50. f. 183. Dispensatio super Beneficio simoniace recepto, a quo possit dari, & qualiter sit obtinendi n. 51. Beneficii renunciatio. Vide *V. Renunciatio Beneficii*. Permutatio Beneficiorum. Vide *V. Permutatio*. Beneficium sine consensu Patroni conferri nequit. Tr. 11. dist. 3. nu. 45. & seqq. fol. 431. Vide *V. Patronus*.
Bestialitas quid? Tr. 9. d. 4. nu. 60. f. 338. An versetur specie ob diversitatem bestiarum, n. 61. Concubitus cum dæmone, an sit species bestialitatis? n. 62.
Bigamia triplex, vera, interpretativa, & similitudinaria. Tr. 13. d. 3. n. 42. & seqq. f. 517. Non oritur, si quis eum pluribus fornicetur. n. 43. Bigamia, Trigamia &c. quid: Tr. 14. d. 13. n. 39 fol. 638.
Blasphemia, quid? Tr. 5. d. 3. nu. 53. & 54. f. 184. Blasphemia in Deum, & Sanctos. n. 55. f. 185. Hæreticalis, & non hæreticalis. n. 56. Et quale peccatum? n. 57. & seqq. Ita ira dicere, *Corpus Dei, Chrisma, Sacramenta &c.* quale peccatum: n. 60. Quid de nonnullis aliis verbis? n. 61. fol. 186. An omnes blasphemiæ sint ejusdem speciei: n. 62. & seqq.
Bonitas naturalis, & moralis in actibus nostris: Tr. 1. d. 2. n. 7. fol. 11. Bonitas actus moralis inde desumatur: n. 9. & seqq. Bonitas finis non sufficit ad tollendam malitiam medii pravi. n. 12. Bonitas quomodo debeat esse vita, ut eam actus humanus desumat ex objecto, & circumstantiis? n. 20. & seqq. f. 15. An proprium bonitatem habeat actus externus? n. 29. & seqq. fol. 17.
Bonum triplex, delectabile, utile, & honestum. Tr. 1. d. 2. n. 8. f. 12. Bona superflua naturæ, & superflua flatus, quæ: Tr. 4. d. 6. n. 39. f. 142. Ex bonis superfluis quando sub præcepto sit danda eleemosyna? n. 36. & seqq. Bona per Orationem, quæ recte a Deo postulentur. Tr. 5. d. 1. n. 30. f. 165. Bona dotalia & paraphernalia uxoris, quæ? Tr. 9. d. 4. n. 14. f. 245. Bona Clericorum quotuplicia, scilicet Patrimonialia, quasi Patrimonialia, mere Ecclesiastica, & Patrimonialia. Tr. 7. d. 4. n. 20. & seqq. fol. 246. An istorum dominium habeant Clerici? nu. 25. & seqq. Bonorum Ecclesiasticorum divisio, quando sit facta? nu. 30. Bona Ecclesiastica, quomodo dicantur *Res Dei*, & *Patrimonia pauperum*. n. 41. & 42. f. 249. Bona incerta, quæ, & ad quid teneatur eorum inventor? Tr. 7. d. 5. n. 6. f. 252. An possint retineri post diligentem inquisitionem dominii? n. 8. Bona Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum personarum, sunt triplicis generis. Tr. 12.

d. 1. n. 24. & seqq. f. 444. An gaudeant immunitate a collectis, & jurisdictione fæculari? n. 37. f. 448. Quid de bonis fatalibus? num 38. Vide *V. Collecta*. Bona Matrimonii, quæ? Tr. 14. d. 13. n. 12. & 13. f. 652
Breviario, quo utendum in recitatione Horarum Canonicarum? Tr. 6. d. 1. n. 38. fol. 290. Recitans Horas ex Breviario alieno, an peccet mortaliter? n. 59.
Bullæ Pontificiæ eur multæ in variis Regionibus non obligent? Tr. 2. d. 1. nu. 40. f. 44. Bullæ Cœnæ Domini, quæ, Tr. 13. dist. 2. nu. 55. f. 504. Casus in eis contenti, breviter enumerantur nu. 56. Pœna absolventium a Casibus Bullæ Cœnæ. n. 57.

C

CAlendarium novum, & antiquum; differunt. Tr. 2. d. 3. n. 32. fol. 61
Cambium, quid? Tr. 8. dist. 4. n. 72. fol. 303. Et quomodo differat a mutuo? n. 73. Cambium reale, siccum, n. 75. Minutum, & locale seu per litteras, quid? n. 76. f. 304. In Cambio minuto licite aliquid accipitur, n. 77 & 78. Erium in Cambio locali licite emptor aliquid lucratur. n. 81. & seqq. Cambium siccum est illicitum, ac usurarium. n. 84. f. 305
Campsor, & Campsarius, quis? Tr. 8. d. 4. n. 74. f. 303.
Canonis privilegium Clericis concessum quod? Tr. 14. d. 12. n. 12. fol. 642
Canonizationis forma, quæ nunc est, olim non requirebatur. Tr. 5. d. 1. n. 42. fol. 169.
Castellanus extra Regnum Castellæ, an possit vesci die Sabbati extremitatibus animalium? Tr. 2. d. 3. n. 28. fol. 60. Quid de advenis illuc venientibus: n. 30.
Castitatis violatio in Religioso, vel Clerico, an continet duplicem speciem malitiam: Tr. 7. d. 1. n. 48. f. 80. Castitas: quid, & quotuplex? Tr. 7. d. 1. n. 24. f. 227. Ad castitatem ducitur Pudicitia, & Continentia. Ibid. Ob hanc defendendam an liceat invasorem occidere? Tr. 9. d. 7. n. 19. & 20. f. 323. Vel pugnis repercutere? n. 21. Castitas generatim, quid, & quotuplex? Tr. 9. d. 4. n. 2. & 3. fol. 328. Conjugalis, Vidualis, & Virginalis. n. 4. & 5. Hæc est ceteris præstitor: & quid importet? n. 5. & 6. f. 329. Votum simplex Castitatis impedit Matrimonium contrahendum. Tr. 14. d. 4. n. 15. f. 676. Et solemne dirimit contractum. n. 16 & 76. Vide *V. Votum*
Cattarro ex impedimentum dirimens Matrimonium: Tr. 14. d. 14. n. 69. fol. 684
Casus, quid? Tract. 8. d. 2. n. 35. f. 274. Casus reservatus. Vide *V. Reservatio, Casuum*.
Catechismus, quid, & an adhuc impediat Matrimonium: Tr. 14. d. 14. n. 9. fol. 676. Catechumeni, an obligentur Legibus Ecclesiasticis? Tr. 2. d. 3. n. 5. f. 56. An possint salvari? Tr. 4. dist. 3. n. 9. f. 113. An sint ex parvo Indulgentiarum? Tr. 12. d. 3. n. 39. & 40. fol. 561. & 562.
Caudam peccati tollere, quando quis teneatur. Tr. 1. d. 4. n. 16. f. 4. Causa peccati non est Deus, Tr. 3. d. 1. n. 23. & seqq. f. 75. Causa instrumentalis, & externa, quæ, n. 27. & 28. f. 76. Causarius, & Causalista, quis. Tr. 8. d. 4. n. 56. fol. 302
Census, quid. Tr. 8. d. 4. n. 55. fol. 301. Ejus divisiones. n. 57. & seqq. Census reservativus, quis, & an liceat, n. 58. Census constitutivus realis est licitus, n. 61. & 62. f. 302. Conditiones Jure naturæ requisitæ ad censum licitum, nu. 62. & seqq. Aliæ conditiones ad censum Jure Ecclesiastico requisitæ, n. 66. Quoad has attendenda locorum consuetudo, n. 67. Census personalis an licitus. 68. Inter censum, & mutuum, differentia multiplex, n. 69. & seqq. f. 303
Censura, generatim. Tr. 13. d. 1. n. 2. f. 486. Censura Ecclesiastica, quæ n. 3. & seqq. Ejus triplex, n. 7. f. 487. ob quam causam, sive peccatum, Censura ferri possit, n. 8. & seqq. Propria non infligitur ob peccatum mere præteritum, n. 17. f. 488. Ipso jure decreta non requirit alium monitionem; bene tamen, si ea feratur ab homine, n. 19 Censura, an possit infligi ob peccatum alterius, n. 20. & seqq. f. 489. An incurrenda Censura, quæ generatim excutiat, n. 27. f. 490. An ignorantia facti, n. 28. Et juris. n. 29. & seqq. An metus gravis n. 32. & 33. f. 491. Censura sit invalida ob defectum jurisdictionis, aut ea per appellationem suspensio. n. 35. & 36. Et ob defectum substantialis ordinis judicii, n. 37. Vel justæ causæ, & hoc triplicitet. n. 38 censura lata contra innocentem, qui in judicio probatur nocens, an sit servanda, n. 39. & 40. fol. 492. Forma absolvendi a Censura, n. 41. & 42. Absolutio a Censura, an possit dari extra Confessionem. aut absenti, n. 43. Censuræ violatio inducit irregularitatem. Tr. 13. d. 3. n. 12. fol. 513. Dummodo ministerium sit proprium Ordinis n. 13. Et non solius jurisdictionis, n. 14. Quid de Confessario innodato, & absolvente moribundum in articulo mortis. Tr. 14. d. 9. n. 14. fol. 628
Cessatio a Divinis, quid. Tr. 13. d. 2. n. 108. fol. 511. Quando possit indici, n. 109. Differt ab interdicto varie, n. 110.
Cessio bonorum, an excutiet a restitutione; & quid juris tribuat. Tr. 9. d. 5. n. 119. f. 360.
Character, quid. Tr. 14. d. 2. n. 45. f. 641. Quæ Sacramenta ipsum imprimant, n. 46. & seqq. Character nec in mare deletur, n. 50. Corollarium notabile erroris hoc. n. 51. Characteres singulorum Ordinum constituunt unum Characterem totalem, & complexum Ordinis. Tr. 14. d. 12. n. 15. & 16. fol. 643
Charitas amittitur per omne peccatum mortale. Tr. 14. d. 1. n. 14. fol. 101. In Beatis manet Charitas, non Fides, nec Spes n. 16. Charitas, & Amor, generatim. Tr. 4. d. 6. n. 1. f. 136. Charitas, ut virtus Theologica, quid,

&

& quod objectum ejus. n. 2. Deus, quomodo appelletur Charitas. n. 3. Præceptum de diligendo Deum super omnia, est partim affirmativum, partim negativum. n. 4. Et satisfit diligendo Deum super omnia apprietative. nu. 5. fol. 137. & seqq. Præceptum diligendi Deum obligat ad frequens exercitium. n. 8. Quo determinato tempore illud obliget? n. 9. Tres Propositiones quoad hoc damnatæ. Ibid. Ex Charitate generatim tria nobis sunt diligenda. n. 10. & seq. An etiam creaturæ rationales ex Charitate sint diligendæ. n. 14. fol. 138. Actus Charitatis plures sint, & qui. nu. 26. & seqq. fol. 141 Vide *V. Amor & V. Dilectio*.

Chiromantia, quid. Tr. 5. d. 2. n. 20. fol. 168.

Christus, quomodo existat in SS. Eucharistiæ Sacramento. Tr. 14. d. 4. n. 49. & seqq. f. 960. Quandiu hic præsens sub specibus conservatis. n. 55. f. 961. Christus est Hostia principalis in incruento Missæ Sacrificio. Tr. 14. d. 5. n. 20. f. 980. Quomodo in hoc Sacrificio offeratur. n. 22. & seqq. Christus in Missæ Sacrificio est offerens principalis. n. 29. & 30. f. 968. Vide *V. Missa*. Christus adoratur adoratione Latriæ. Tr. 5. d. 1. nu. 29. fol. 159.

Circumcisio, & alia Cæremonialia veteris Legis, an, & quando illicita esse cœperint? Tr. 2. d. 2. n. 6. & seqq. f. 47. Circumcisio an fuerit verum Sacramentum in Lege Mosaica? Tr. 14. d. 1. n. 12. & seqq. fol. 926. Quomodo dicatur non contulisse gratiam? n. 13.

Circumstantiæ, an, & qualem bonitatem, vel malitiam, trahant actus humanos? Tr. 1. d. 2. n. 9. & seqq. f. 13. Quomodo hæc debeat esse volita, ut desumatur ex circumstantiis? nu. 18. 22. & seqq. f. 15. Circumstantiæ speciem peccati mutantes, quæ? Tract. 14. disp. 7. n. 47. fol. 605. Sunt necessario confitendæ. n. 29. & 30. fol. 602. Circumstantiæ aggravantes, quæ? nu. 48. fol. 605. Aliæ sunt notabiliter aggravantes, aliæ non. Ibid. An teneantur confiteri circumstantias solum aggravantes? num. 49. & seqq.

Clandestinum Matrimonium Vide *V. Matrimonium Clandestinum*.

Clementia, quid, & quæ vitia eidem adversentur? Tr. 7. disp. 1. n. 27. fol. 227

Clerici, an teneantur Legibus Civilibus. Tr. 2. d. 3. n. 13. & seqq. f. 57. Clericorum nomine qui comprehendantur. Tr. 2. d. 4. n. 8. f. 65. Clerici in Steris tenentur recitare Horas Canonicas. Tr. 6. d. 1. n. 12. & seqq. f. 189. Idem dicendum de Clericis Beneficiatis, etiamsi nullo sacro Ordine sint insigniti. n. 25. f. 191. Et quo. n. 9. & 10. f. 189. Excipiuntur nonnulli. n. 26. f. 191. Clerici Beneficiati omittentes Horas Canonicas teneantur prorata omissionis ad restitutionem fructuum, & quomodo. n. 31. & 32. f. 193. Ratio neglecti officii, quomodo computanda. n. 32. & 33. Vitandæ quædam Propositiones circa hoc. n. 34.

An Clericus beneficiatus, supplens Horas omissas alio die, liberetur a bonore restituendi fructus. Tr. 6. disp. 1. n. 39. f. 203. Quid, si ille Beneficiatus sit pauper? n. 50. An ex justa causa non recitet? nu. 61.

Clericorum bona quadruplicia, Patrimonialia, quasi Patrimonialis seu indusrialia, mere Ecclesiastica, & Parsimonialia quæ. Tr. 7. d. 4. n. 20. & seqq. f. 246. Clerici sæculares Beneficiarii habent plenum dominium bonorum Patrimonialium. n. 25. Imo & quasi Patrimonialium. n. 26. & 27. f. 247. Ac Parsimonialium. n. 28. Bonorum mere Ecclesiasticorum acquirunt quidem dominium, sed cum onere, superflua in pias causas erogandi. nu. 29. & seqq. Quo jure Clerici Beneficiarii teneantur superflua in pias causas erogare. nu. 33. & 34. f. 248. Dicta obligatio est personalis Clericorum. n. 35. f. 249. Quantitas sufficiens ad peccatum mortale ratione bonorum Ecclesiasticorum male expensorum, quæ, & quomodo computanda. nu. 38. & 39. Objectiones notabiles contra præmissa, earumque solutio. n. 37. & 40. ac seqq. Clerici, in quo sensu dicantur Dispensatores bonorum Ecclesiasticorum. n. 43. f. 250. Clerici sæculares libere testantur de bonis patrimonialibus, indusrialibus, & parsimonialibus. Tr. 8. d. 3. n. 45. f. 285. An etiam de bonis mere Ecclesiasticis. n. 46. & seqq. Quid circa hoc valeat consuetudo. n. 49. & seqq. Clericorum consuetudo testandi, quæ. nu. 56. & 57. Clericorum bona an gaudeant immunitate a Collectis Laicorum? Tract. 12. d. 1. n. 27. & seqq. f. 444. Vide *V. Collectæ*.

Clericorum Beneficiariorum obligatio, multiplex. Tr. 11. d. 1. n. 65. & seqq. 314. An, & quomodo teneantur ad Residentiam personalem in loco Beneficii? num. 67. & seqq. Quibus de causis possint abesse a Beneficio. nu. 72. & seqq. f. 415. Clerici in Sacris, quo jure teneantur ad perpetuam continentiam. Tr. 14. d. 12. n. 27. fol. 644. Et an vi voti sacris Ordinibus annexi. n. 28. & 29. A quibus teneantur abstinere ratione voti Castitatis. Tr. 5. d. 3. n. 15. fol. 177. Quid juris de Clerico innocente, & secundum publicas probationes excommunicato. Tr. 13. d. 1. n. 39. & 40. fol. 492. Clericis an liceat pugnare in bello. Tract. 13. d. 3. nu. 62. fol. 520. & 67. fol. 521.

Codicillus, quid. Tr. 8. d. 3. n. 59. f. 287. Et quomodo heri possit. n. 60. Codicilli ad quid inserviant. num. 61. Clausula Codicillaris, quomodo apponatur. n. 62. Ejus multiplex effectus. num. 63.

Cæmeterium an polluatur pollura Ecclesiæ, & econtra. Tr. 14. d. 5. n. 120. f. 555. In Cæmeteriis prohibentur fieri contractus &c. Tr. 12. disp. 1. num. 14. & seqq. fol. 442. Vide *V. Immunitas*.

Cogitationis pœnam nemo patitur, quomodo

Tr. 9. d. 3. n. 8. f. 321. Cogitationis peccatum pertinet ad speciem, ad quam peccatum operis. Tr. 9. d. 7. n. 13. f. 373. An contrahant speciales malitias circumstantiarum actus externi. n. 14. & seqq.

Cognatio carnalis, quid. Tr. 14. d. 14. n. 94. f. 888. Vide *V. Consanguinitas*. Cognatio spiritualis quæ, & ad quas personas extendatur. n. 11. & seqq. f. 892. Cognatio Legalis, quæ; & inter quas personas inducat impedimentum dirimens Matrimonii. n. 115.

Collatio Beneficii, quid. Tr. 11. d. 1. n. 250. f. 409. Quot modis fiat. n. 18. & seqq. Collatio Beneficii ab Episcopo devolvitur ad Capitulum. num. 34. Collatio Ecclesiarum Parochialium per concursum, quæ. n. 38. f. 410. Vide *V. Beneficium*.

Collatio vesperting in die jejunii, an, & qualis permissa. Tr. 10. d. 2. n. 23. & seqq. f. 387. Collectæ novæ, an per Laicos possint imponi Ecclesiis & Clericis. Tr. 12. d. 1. n. 31. & 32. f. 445. An possint præstari absque ulla exactione Laicorum. n. 33. Quæ Conditiones requirantur, ut Ecclesiæ, & Clerici, in communibus necessitatibus contribuere teneantur. n. 43. Quid de oneribus antiquis. n. 49. & 40.

Commixtio, & Confusio, sunt modi acquirendi rerum dominium Jure Gentium, & quomodo differant. Tr. 7. d. 5. n. 26. f. 256. Regula pro confusione materiarum, & commixtione specierum, n. 27. & 28. Specialis Regula pro commixtione numorum, nu. 29. & 30. fol. 257

Commodatum, quid? Tr. 8. d. 2. n. 27. f. 273. & quomodo differat a Locatione, Pignore &c. n. 28. & 29. fol. 274

Commodatarius, an teneatur de casu fortuito? n. 37. 38. & seqq. f. 275. Aut de culpa levissima? n. 42. & seqq. fol. 276. Commodatarius an possit salvare eos proprium omissis alienis, si non potest utrasque? n. 50. & 51. fol. 277

Communio Paschalis, T. 10. d. 3. n. 27. & seqq. fol. 399. Vide *V. Eucharistiam tenentur*.

Communicatio bonorum operum inter Fideles datur, Tr. 12. d. 3. n. 133. fol. 483. Communio Fidelium triplex, pure interna, pure externa, & media, seu mixta, Tr. 13. d. 1. n. 19. & seqq. fol. 497. Quæ communione Fidelium Ecclesia priver excommunicatum? nu. 23. & seqq.

Communitas tota, an possit interdici? Tr. 13. d. 1. n. 20. fol. 489. Vel etiam excommunicari? n. 21. & seqq.

Compensatio occulta ut sit licita, quæ requirantur conditiones? Tr. 9. d. 5. n. 118. fol. 660

Complicis in nonitiam si veniat Confessarius, an peccatum sit confitendum? Tr. 14. disp. 7. n. 57. & seqq. fol. 607

Concubinatus, quid, & quanga ejus malitia, Tr. 9. d. 4. n. 13. fol. 330

Concupiscentia, an causet in voluntarium? T. 1. d. 1. n. 32. & seqq. fol. 8. Mala pravæ concupiscentiæ, Tr. 9. d. 7. n. 1. & seqq. fol. 331. Motus concupiscentiæ, quando sint peccatum? num. 5.

Concursus in collatione Ecclesiarum Parochialium, quomodo fiat? Tr. 12. d. 1. n. 38. & 39. fol. 310. Ab eo quæ Parochiæ sint exceptæ? Tr. 11. d. 3. n. 41. & 42. fol. 430

Conditiones, quæ tacite, seu de Jure insint, non faciunt actum conditionatum, Tr. 6. d. 2. num. 24. fol. 207

Conditio ter vilis, quæ, & qualiter dirimat Matrimonium? Tr. 14. d. 14. n. 54. 55. & seqq. fol. 682. Vide *V. Servus*.

Confessarius, an debeat se conformare opinioni pœnitentis probabili? Tr. 1. d. 3. n. 55. f. 32. Confessarii Mendicantium, an habeant potestatem dispensandi in votis? T. 6. d. 3. n. 44. & seqq. fol. 217. Quid de voto Castitatis non perpetuæ, vel non integræ, aut voto conditionato, & pœnali? num. 46. An possint dispensare ad perendum debitum cum conjugibus incestuosis, & contrahentibus cum voto Castitatis? n. 48. fol. 218. Et dispensare, vel commutare juramenta? n. 53. fol. 219. Confessarii quid indagandum, & observandum ad obtinendam & exequendam dispensationem in Votis, nu. 54. & seqq. Confessarius an sit credendum circa legata a defuncto relicta? Tr. 8. d. 3. n. 27. & seqq. fol. 382. Cautela Confessariorum circa hoc, nu. 28. & 29. Confessarius, qui ambo sunt in peccato mortali, & sibi mutuo confiteri volunt, quid agendum, Tr. 14. d. 1. n. 47. fol. 532. Confessiones plurium audiens in peccato mortali, an plura peccata numero distincta committat? n. 50. & 53. fol. 533. Confessarii copia, quando deesse censetur, ut qui contritus absque Confessione celebrare valeat? Tr. 13. d. 2. nu. 40. & 41. fol. 540

Confessarius, sive Minister Sacramenti Pœnitentiæ, est solus Sacerdos. Tr. 14. d. 8. n. 1. f. 611. Is debet habere legitimam jurisdictionem? n. 2. & seqq. Ante approbationem nu. 14. fol. 613. In Confessario requiritur prudentia, scientia, & prudentia n. 17. fol. 614. Debet esse Judex, Medicus, & Doctor. n. 18. Probitas, quæ in ipso requiratur? n. 19. & 20. Qualis scientia? n. 21. 22. & seqq. Quid, si Sacerdos sit dubius de sua sufficientia? n. 23. An teneatur judicare de gravitate peccatorum in individuo? n. 25. fol. 615. Et quomodo de gravitate culpæ? Tr. 14. d. 7. n. 50. fol. 606. Prudentia Confessario necessaria, T. 14. d. 8. n. 27. fol. 915. Hæc generatim debet exerceri circa propriam Confessarii personam, n. 28. Circa alliantes; num. 29. Et circa pœnitentem. 30. Confessarius an teneatur quandoque interrogare pœnitentes, & quomodo? n. 31. & seqq. fol. 616. Quid agendum, si pœnitens taceat peccatum, quod Confessarius scit, eum commisisse? n. 41. & seqq. fol. 618. Et quid circa confitentes in occasione proxima

percandi? nu. 44. & seqq. Quid circa recidivos? num. 48. & seqq. fol. 619. Et quid, si Confessarius advertat, pœnitentem habere ignorantiam circa aliquod peccatum? nu. 52. fol. 620. Confessarius quando censetur in Confessionali sollicitare pœnitentem? n. 61. & seqq. f. 622. Vide *V. Sollicitatio in Confessionali.* Confessarius quo jure teneatur cessare peccatum in Confessione audiunt? Tr. 14. d. 9. n. 13. fol. 627. Teneatur pœnitenti aliquam satisfactionem injungere. Tr. 14. d. 10. n. 4. & 5. f. 630. Designaturus pœnitentiam Sacramentalem, ad quæ attendere debeat? n. 20. f. 633. Vide *V. Sacerdos. V. Interrogatio. V. Occasio. V. Pœnitentia Sacramentalis. V. Sigillum.*

Confessio Sacramentalis, quid? Tract. 10. d. 3. num. 2. fol. 305. Est jure Divino necessaria lapsis in peccatum mortale post Baptismum, nu. 3. & 4. fol. 306. Confessionis præceptum, an statim obliget post mortale commissum? num. 5. & seqq. Obligat in morte articulo, vel periculo? num. 9. & 10. Ac etiam quandoque extra mortis articulum, nu. 11. Hanc Ecclesia merito præcepit Confessionem annuam numer. 12. fol. 397. Hoc præceptum quos obligat? numer. 13. Quid agendum habenti solo venialia, numer. 13. & 14. Confessio communiter fit in Pascha te, etsi sufficiat et semel in anno confiteri, numer. 15. & 16. In Pascha te non confessio, an teneatur confiteri per annum, n. 17. & seqq. fol. 398. Annus, quomodo sit computandus, nu. 19. Præceptio Ecclesiastico non satisfit per Confessionem scienter invalidam, nu. 20. Pueri quando teneantur ad Confessionem, & quid circa eo vider vanthum n. 21. & seqq. Confessio frequens, an sit nota Prædestinationis, n. 36. fol. 404. Confessio, an, & quando sit necessaria ad lucrandas Indulgentias, Tr. 12. disp. 3. numer. 48. & seqq. fol. 436. Quanto tempore possit eas præcedere, n. 52. fol. 464. Dolor de peccatis, an debeat præcedere Confessionem, Tr. 14. d. 6. nu. 38. 39. & 40. fol. 597. Quanto tempore possit eam præcedere, n. 61.

Confessio varie sumitur. Tr. 14. d. 7. n. 1. f. 598. Confessio Sacramentalis, quid, n. 2. Conditiones eidem desiderium, & an omnes necessarie, n. 3. & 4. & seqq. Confessio Sacramentalis debet esse dolorosa, n. 5. & seqq. f. 599. Et quomodo differat, n. 8. & 9. Debet esse vera, nu. 13. & seqq. Mentiri in Confessione, an sit peccatum mortale, num. 15. & seqq. fol. 600. Quid, si major numerus peccatorum exprimatur, nu. 16. Confessio debet esse integra, n. 19. & seqq. Actecrata, & quomodo, n. 21. & seqq. Si sint publica, an valeat, num. 42. Quid de Confessione per Interpretem, n. 23. fol. 601. Et facta tempore, v. gr. naufragii alta voce, n. 24. Debet esse vocalis, nu. 25. & seqq. Magna difficultas, aut verecundia, an excusat a Confessione oretenus faciendæ, nu. 27. Confessio formaliter, & materialiter integra, quæ, n. 28. fol. 602. Ea regulariter debet esse integra etiam materialiter, nu. 29. Omnia peccata mortalia quoad numerum speciei, ac circumstantias speciem mutantes, sunt confitenda, nu. 30. Quid de simplicioribus grossiori quodam modo confessis, n. 31. Quid si pœnitens ob malitiam aut in peccatorum nesciat numerum certum, n. 32. & seqq. Corollarium de reverentia, nu. 33. f. 603. Et possim concupiscente fœminas obvias, Confessarius, vel gravem vindictam cogitante, n. 34. Per accidens quandoque sufficit sola integritas formalis Confessionis, n. 35. Id generatim contingit ex tribus causis, & quibus? n. 36. & seqq. Quid agendum tempore naufragii, aut belli, instante conflictu, num. 40. Qo solum concursum pœnitentium non licet facere diminutam Confessionem, num. 41. fol. 604. Ratione gravis damni imminentis, quando pœnitens excusetur ab integritate materiali Confessionis, nu. 42. & 43. Quomodo in illis casibus, in quibus nequit fieri Confessio materialiter integra, remittantur peccata, n. 44. Peccata hinc non confessa debent imposterum confiteri, n. 45. Et an statim, ac habetur commoditas, num. 46. Circumstantiæ speciem peccati mutantes sunt necessario confitendæ, num. 47. fol. 605. Quid de circumstantiis solum aggravantibus, nu. 48. 49. & seqq. f. 605. Quid de confuetudine peccandi, n. 53. f. 606. Peccata dubia, an sint necessario confitenda, n. 54. & seqq. An possit, & debeat quis peccatum confiteri, quamvis Confessarius veniat in notitiam complicis, n. 57. fol. 607. Quid si adiri possit alius Confessarius, n. 59. Confessioni, an, & quale examen conscientiæ sit præmittendum, n. 60. & seqq. An absolvendus sit moribundus, qui ampius integre confiteri non potest, n. 64. & seqq. fol. 608. Præsertim, si subito omnibus sensibus destitutus signum certum pœnitentiæ Confessionis dare nequeat, n. 69. & seqq. f. 609. An in tali casu vita Christianæ peracta sit sufficiens confessio, n. 74. f. 610. Vel hic ob vitam Christianam ex signis exterioribus pie præsumi possit, n. 76. Confirmatio imprimit Characterem, Tr. 12. disp. 2. numer. 40. & seqq. fol. 541. An sit necessaria ad salutem, num. 62. & seqq. f. 544. Confirmationis Sacramentum, quid, Tr. 14. d. 3. n. 42. f. 551. Ejus materia, & forma, n. 43. Fuit a Christo institutum, n. 44. Ejus ordinarius minister est Episcopus, n. 45. An & simpler Sacerdos ex commissione Papæ id conferre possit, n. 46. f. 552. Quæ ætate hoc Sacramentum recipiendum, nu. 50. Qualis dispositio in adultis ad id requiratur, nu. 51. Nequit reiterari, sed reiteran non sit irregularis, n. 52. & 53. In confirmatione debet interveniré Patrinus, n. 54. Et alius a Patrino in baptismo, n. 55. f. 553. An esset præceptum de recipienda confirmatione, Tr. 14. d. 2. n. 68. & seqq. fol. 543. & d. 3. n. 47. fol. 552. Prima Tonsura initiandi, debent prius esse confirmati, n. 48. Quomodo peccetur, si secus fiat, n. 49. & Tr. 14. d. 12. n. 47. f. 647

Confusio. Vide *V. Commixtio.*

Conjugum obligatio ad cohabitandum, qualis, Tr. 14. d. 13. n. 66. & seqq. f. 662. Quomodo percent indebite congrediendo, n. 88. f. 715

Consanguinitas, quid, Tr. 14. d. 14. num. 54. f. 688. Lines consanguinitatis quæ, & quotuplex, n. 95. & seqq. Gradus consanguinitatis, qui, & quousque olim impediverint, & defacto impediant matrimonium, nu. 98. & 99. f. 189. Arbor Consanguinitatis, quæ, nu. 100. ib. & 101. f. 691. Tres Regulæ ad cognoscendam distantiam graduum consanguinitatis, n. 102. 103. & seq. Ex procedunt secundum Canones: & quid de Jure civili, n. 106. consanguinitas in primo gradu Lineæ rectæ dirimit matrimonium jure naturæ, n. 107. Quid de gradibus ulterioribus Lineæ rectæ, Quid de secundo, & ulteriori gradu Lineæ collateralis, nu. 108. fol. 692. In primo hujus gradu, nempe inter fratres & sorores, dirimitur matrimonium Jure naturæ n. 109. & seqq.

Consanguinei quandoque dicuntur fratres & sorores, num. 211.

Conscientia, unde dicta, Tr. 1. d. 3. n. 1. fol. 21. Remorsus conscientiæ, & Testimonium conscientiæ, Ibid.

Conscientia, quid, nu. 2. Dividitur in quinque membra, num. 3. fol. 22. Conscientia recta, num. 4. Alia practice, alia speculative recta, num. 6. Quomodo differat a probabili, nu. 7. Quanta sit obligatio ipsius, n. 8. conscientia erronea, quid, n. 9. Conscientia practice dunta xat recta, an sit erronea, n. 10. f. 23.

Conscientia erronea invincibilis, & vincibilis, quæ. nu. 11. Erronea quæcunque, quomodo obliget, n. 12. & seqq. Et quomodo sit deponenda, n. 21. fol. 25. Quid agendum, quando utraque contradictionis pars putatur esse peccatum, n. 23. Quid, si quis nesciat discernere, ubi sit minus malum, n. 24.

Conscientia dubia, quid, Tr. 1. d. 3. n. 25. fol. 26. Dividitur varie juxta variam dubii divisionem, n. 26. & seqq. Cum conscientia practice dubia illicitum est operari, n. 30. Operans cum ea peccat pto qualitate dubii n. 31. & 32. f. 27. Quid de conscientia solum speculative dubia, n. 33. & seqq. Conscientia probabilis quid, Tr. 1. d. 3. nu. 38. & seqq. fol. 28. An licitum sit, in rebus moralibus sese conformare conscientiæ vere probabili, num. 50. & seqq. f. 31. Etiam relicta probabiliore, nu. 53. & seqq. fol. 32. Ac quoad Propositiones de fide, n. 54. Quid in Quæstionibus circa materiam facti versantibus, nu. 56. & seqq. An liceat sequi sententiam minus probabilem in materia de valore Sacramentorum, nu. 57. & 58. An Medico, n. 59. & 60. An Judici in judicando, n. 61. & 62. fol. 34. An Advocato, n. 63. & seqq. Conscientia scrupulosa, quæ, n. 39. fol. 39. fol. 36. Ejus signa, n. 70. An sit licitum, agere contra conscientiam scrupulosam, n. 72. & seqq. Vide *V. Scrupulus.*

Consecratio Eucharistiæ. Vide *V. Eucharistia*; Et *V. Missa.*

Consensus, quid, & quando censeatur efficax. Tr. 9. d. 5. n. 48. & 49. fol. 350

Consilia Evangelica, an possint præcipi. Tr. 2. dist. 1. num. 43. fol. 48

Consuetudo sumitur dupliciter, Tr. 2. d. 4. n. 35. fol. 69. Consuetudo triplex, præter legem, secundum legem, & contra legem. Item, quandonam consuetudo præter legem censeatur introducta, n. 36. fol. 70. Consuetudo, quæ censeatur rationabilis, n. 38. Quomodo dicatur legitime præscripta, n. 40. An per eam possit tolli lex, n. 57. & seqq. Et quo tempore per eam abrogetur Lex civilis, nu. 41. Ac Ecclesiastica, num. 42. & seqq. Consuetudo peccandi, an fatenda Confessario interroganti, & cur. Tr. 14. d. 7. num. 53. fol. 606.

Consulens, quando teneatur ad restitutionem. Tr. 9. d. 5. n. 45. & seqq. fol. 350

Contemptus, quomodo peccatum venisle per accidens reddat mortale. Tr. 3. d. 2. n. 19. & 20. fol. 86. Ex contempta, quando hat transgressio legis. Ibid.

Contentio, quid, Tract. 4. d. 7. n. 30. fol. 150. Et quale peccatum, num. 31.

Contractus, unde sic dicti, Tr. 8. d. 1. n. 1. fol. 263. Contractus large, seu pactum, quid, n. 2. & 3. fol. 264. Requirit plurium consensum in idem, nu. 4. & seqq. Contractus proprie, nu. 2. & 8. Contractus explicitus, & implicitus, seu interpretativus, ac quasi contractus num. 10. Lucrativus seu gratuitus, & onerosus, n. 11. Absolutus, & conditionatus, quid, n. 12. fol. 265. Ad consensum pro valore contractuum requiruntur quatuor conditiones, quæ, nu. 13. Error circa substantiam reddit contractum nullum, n. 14. Quid de error circa qualitatem, n. 15. An metus gravis invalidet contractum, n. 16. 17. & seqq. fol. 266. Regula practica circa justitiam contractuum. Tr. 8. d. 4. nu. 48. fol. 299

Contritio generatim, quid? Tr. 14. d. 6. n. 37. fol. 594. Dividitur in perfectam, & imperfectam seu attritionem, n. 38. Contritio perfecta, n. 39. Et imperfecta, seu attritio, quid, & quomodo differant? nu. 41. Attritio mere naturalis non sufficit n. 42. fol. 595. Contritio aliqua est lapsis necessaria ad salutem pro quocunque statu, n. 43. & 44. A dus contritionis perfectæ sufficit ad justificationem, n. 45. Sed hæc defacto includit votum Sacramenti; & cujus; n. 46. Extra Sacramentum requiritur contritio; cum Sacramento sufficit attritio, etiam cognita, n. 48. Contritio debet esse universalis de moralibus, n. 50. f. 590. Et quid de venialibus? nu. 51. An sufficiat dolere, quod non doleas? n. 55. & 56. Dolor de moralibus debet esse summus appretiative; quomodo?

modo? n. 57. fol. 597. Et præcedere absolutionem, nu. 58. An etiam Confessionem? n. 59. & 60. Dolor de peccatis, quanto tempore possit præcedere Confessionem? nu. 61. An confitens peccata prius omissa, teneatur elicere novum dolorem? n. 62. Corollarium de moribundo, num. 63.

Contumacia, qualis requiratur, & sufficiat ad incurrendam Censuram, Tr. 13. d. 1. n. 15. f. 488. Quomodo non solum ob contumaciam, sed ob alias quoque causas quis excommunicari possit, num. 14.

Contumelia, quid, Tr. 9. d. 6 n. 20. fol. 564. Sit tribus modis, n. 21. Contumelia, quale peccatum, n. 22. & 23. An, & quomodo differat a convitio, n. 26. fol. 565

Convitium, quid, & quomodo differat a contumelia? Tr. 9. d. 6 n. 26. fol. 30. Leve convitium, an fieri possit sine omni peccato? n. 24. & 25. fol. 564

Correctio proximi duplex, judicialis, & fraterna, Tr. 4. d. 6. n. 45. f. 144. De correctione fraterna habetur speciale præceptum, n. 46. Quod ex genere suo obligat sub mortali, n. 47. Quatuor conditiones, ut hoc præceptum obliget, n. 48. Præceptum correctionis fraternæ magis obligat Superiores, quam subditos, n. 49. Et hi tantus contra illud peccant mortaliter n. 50. In correctione fraterna servandus est ordo a Christo præscriptus, num. 51. Casus in quibus non est necesse præmittere monitionem fecretam, n. 52. fol. 145. Aliter corripiendus inferior, aliter æqualis, aliter Superior, quomodo? num. 53. Prælati Ecclesiæ in Concionibus non tangendi, n. 54.

Creaturæ irrationales, an sint ex Charitate diligendæ, Tr. 4. d. 6. n. 14. fol. 38

Credere explicitè, & implicitè, quid? Tr. 4. d. 2. nu. 1. fol. 104. Necessitate explicitè credendi aliquos Articulos Fidei, quæ, nu. 15. seqq. fol. 105. Aliud est explicitè credere, aliud explicitè scire Articulos Fidei, nu. 21. f. 106. Quænam teneantur Fideles explicitè credere necessitate præcepti? num. 23. & 24. Vide *V. Fides*.

Credulitas de non relapsu, an requiratur ad propositum non peccandi de cætero? Tr. 14. d. 6. n. 52. & seqq. fol. 556

Crimen proximi manifestare absque vitio detractionis, an interdum liceat, & quando? Tr. 14. d. 6. num. 7. & seqq. fol. 562. Crimen falsum cuipiam imponere, semper est illicitum, n. 11. fol. 563. Crimen falsum fciantes imponens, aut verum occultum revelans, quomodo restituat? n 33. & 51. fol. 566. Vide *V. Restitutio*. Crimina, quæ olim impediverint matrimonium contrahendum? Tr. 14. d. 14. n. 10. fol. 676. Ea non ampliùs sunt in usu n. 11. Criminis impedimentum, quod; & in quibus casibus defacto oriatur? nu. 84. & seqq. fol. 632

Culpa aliter accipitur apud Juristas, quam Theologos, Tr. 8. d. 2. n. 34. f. 171. Culpa Juridica, seu Civilis n. 35. Culpa Juridica triplex, lata, levis, & levissima, nu. 3. Ex qua culpa oriatur obligatio restitutionis rationæ damni dati. Tr. 9. d. 5. n. 77. & seqq. f. 354. An inferens damnum extra officium, & contractum, teneatur ad restitutionem ex culpa Civili levi, aut levissima? n. 86. & seqq. f. 355. Quid, si intervenit culpa Theologica venialis? n. 87. fol. 356. Per culpam Theologicam quando censeatur damnum illatum? nu. 88. Quid, si ex culpa aliqua damnum datum fuit in officio, n. 93. & seqq. fol. 357. Aut in contractu? n. 96. & Tr. 8. d. 2. n. 41. & seqq. fol. 176. Culpa dimissa, non semper remittitur tota pœna peccatis debita. Tr. 14. d. 10. num. 2. fol. 630

Cultus, & honor, differunt; quomodo? Tr. 5. d. 1. n. 5. f. 155. Cultus Latriæ debetur Deo, n. 27. & seqq. fol. 158. Cultus Duliæ debetur Sanctis; & cultus Hyperduliæ B. V. Mariæ, n. 32. fol. 159. Vide *V. Adoratio*. Cultus publicus, & privatus, quis? n. 39. f. 191. Corollaria de cultu privato Sanctis necdum Canonizatis impertiendo n. 40. Quid de cultu publico? n. 41. & seqq. Superstitio ratione cultus incongrui, ejusque divisio. Tr. 5. d. 2. n. 6. f. 166. Cultus falsus, quis, & quomodo accidat? n. 7. Et quale peccatum? n. 8. Cultus superfluus, quis, & quale peccatum? n. 9. & 10. Cultus disparatus. Vide *V. Disparitas cultus*.

Curator, in quo differat a Tutore? Tr. 8. d. 1. n. 32. fol. 168. Vide *V. Minorennis*.

D

Damnati nihil amplius demerentur, Tr. 1. d. 2. nu. 44. f. 20. Nec sunt capaces Indulgentiarum. Tr. 12. d. 3. n. 36.

Damnificatio injusta dupliciter fit, Tr. 9. d. 5. n. 41. fol. 349. Novem genera cooperandi ad injustam damnificationem, nu. 42. & seqq.

Damnificatio, quid? n. 75. fol. 354. Ea variis modis accidere potest, n. 76. Ex qua culpa oriatur obligatio restitutionis ratione damni dati? n. 77. & seqq. Quid, si infans, aut furiosus, damnum intulit? n. 78. Vel animal? n. 80. f. 355. Quid, si aliquis impedivit alium a consecutione cujusnam boni? n. 82. 83. & seqq. An ex sola culpa civili levi, aut levissima, oriatur obligatio restituendi ratione damni dati? n. 89. f. 356. Vide plura *V. Restitutio*.

Dataria in quibus impedimentis Matrimonii dispenset, Tr. 14. d. 15. n. 5. & seqq. f. 750

Debitum conjugale, ejusque obligatio, qualis? Tr. 14. d. 13. n. 71. & 76. ac seqq. f. 663. & 664. variæ causæ excusantes a reddendo debito conjugali, nu. 81. Actus conjugalis ex se est licitus, ac honestus, n. 71. Dummodo sit vestitus debitis conditionibus n. 72. Ex quo fine habe i possit? n. 73. & seqq. An stante dubio de valore matrimonii liceat; n. 84. & 85. fol. 715.

715. Quid, si certo sciatur invaliditas matrimonii, sed non possit probari? n. 86. An liceat, dum conjux est gravida, puerpera, menstruata, vel lactans? nu. 89. & seqq. An tempore sacro? n. 82. & 83. In debito petendo, an Mendicantes cum incestuosis &c. dispensare possint? Tr. 6. d. 3. nu. 48. fol. 218

Debitum legale, & morale, quid? Tr. 7. d. 2. num. 4. & 5. fol. 253

Decalogi præcepta, quæ? Tr. 9. d. 1. n. 1. f. 311. Dividuntur in præcepta primæ, & secundæ Tabulæ. Ibid. Excellentia ipsorum n. 2. Ea sunt de Jure naturæ, n. 3. & seqq. Ad præcepta Decalogi reducuntur omnia præcepta Moralia, n. 8. & seqq. f. 312. Violatio præcepti naturæ Decalogi est ex genere suo mortalis n. 11. Inter ipsa præcepta Decalogi est notabilis differentia, n. 13. fol. 313. In præceptis Decalogi an possit Deus dispensare? num. 14. & seqq. Divisio præceptorum Decalogi, n. 17. & 18. fol. 314. Primum præceptum Decalogi, quale, n. 19. Et quæ præcipiat, vel prohibeat, n. 20. & 21. Secundum præceptum, quod, & quale, n. 22. & 23. Tertium præceptum Decalogi, nu. 24. Est partim morale, partim cæremoniale, n. 25. & 26. f. 315. Affirmativum, & negativum, n. 29. Quartum præceptum Decalogi, declaratur, Tract. 9. d. 2. nu. 1. & seqq. fol. 316 Quinto præcepto Decalogi, quæ prohibeantur, Tr. 9. d. 3. n. 1. & seqq. fol. 320. & n. 7. fol. 321. Sexto præcepto Decalogi, quæ prohibeantur, Tr. 9. d. 4. n. 1. fol. 328. Septimum præceptum Decalogi, quale, Tr. 9. d. 5. n. 1. fol. 344. Octavo præcepto Decalogi, quæ prohibeantur, Tr. 9. d. 5. n. 1. fol. 361. Nonum, & Decimum, præceptum Decalogi, quod, Tr. 9. dist. 7. n. 1. fol. 371. Quænam iisdem prohibeantur, num. 6. & 7. fol. 372

Decimæ, quid, Tr. 5. dist. 1. n. 19. fol. 157. & Tr. 11. d. 4. n. 1. fol. 433. Decimarum solutio est actus Religionis, & Justitiæ. Tr. 11. d. 4. n. 2. fol. 433. Qui fraudant eas, sunt excommunicandi, n. 3. & 4. Bona dantium, & mala non dantium Decimas, n. 5. Decimæ, quo Jure sint solvendæ, n. 14. & seqq. fol. 434. Ex quibus rebus debeantur? n. 18. & seqq. fol. 435. Decimæ prædiales, personales, & mixtæ, quæ? n. 20. & 21. Quomodo, & quibus solvendæ? n. 22. Decimæ prædiales spectant ad Ecclesiam Parochialem. nu. 25. Et habet super iis Parochus fundatam intentionem n. 26. fol. 436. Episcopo de Jure communi debetur quarta pars Decimarum. n. 27. Quid de Decimis nullius certæ Parochiæ? nu. 28. f. 437. Laici mere faculares sunt incapaces Juris Decimarum, nu. 30. Quid de Laicis Conversis, sive Regularibus? nu. 31. Laicis potest competere jus percipiendi fructus Decimarum, ut quid temporale sint, n. 32. & seqq. A præstatione Decimarum quibus modis aliquis eximi possit? n. 35. & seqq. f. 438. Quomodo jà fiat consuetudine, n. 37. & 38. Ac præscriptione? nu. 39. & seqq. Item compositione? n. 42. f. 439. An pauperitate? n. 43.

Defloratio Virginis. Vide *V. Stuprum*.

Defunctis quomodo applicentur Indulgentiæ? Tr. 12. d. 3. n. 41. & seqq. fol 462

Degradatio, quid? Tr. 13. d. 1. nu. 50. f. 493. Et quomodo privet Clericali munere, ac privilegio? n. 51. & 52. f. 494. Forma Degradationis, n. 54.

Delectatio morosa generatim, quid? Tr. 9. d. 7. n. 8. & 9. f. 372. Delectationes morosæ venereæ, quæ, & quale peccatum? n. 11. & 12. f. 373. An contrahant species malitiæ circumstantiarum actus externi, n. 13. & 17.

Denuntiationis obligatio, ad Confessarios (in Confessionali sollicitantes) Superioribus denuntiandos imposita, an ubique vigeat? Tr. 14. d. 8. nu. 67. fol. 623. Vide *V. Sollicitatio in Confessionali*.

Denuntiationes tres matrimonio celebrando præmittendæ, Tr. 14. d. 14. n. 131. & 132. f. 695

Depopulatores agrorum, quid? Tr. 12. d. 1. n. 31. f. 451. Non gaudent Immunitate, n. 28. & 31.

Depositio, quid? Tr. 13. d. 1. n. 49. f. 493. Quomodo privet Clericali munere? n. 51. Infligitur solum a Judice, n. 53. & 54. f. 494. Differt a suspensione. Tr. 13. d. 2. n. 77. f. 507

Depositum, quid. Tr. 8. d. 2. nu. 77. fol. 274. Quomodo differat a Commodato, n. 29. Depositarius re deposita utens, an peccet? n. 29. 32. & seqq. Depositarius non tenetur de casu fortuito, n. 37. & seqq. f. 275. An teneatur de culpa levissima, aut lata, nu. 42. & seqq. f. 276. An possit salvare res proprias omissis depositis, si non potest utraque, n. 50. & 51. fol. 277. Depositarius non possidet, cur? Tr. 7. dist. 3. n. 23. fol. 241

Derogatio Legis, qual. Tr. 2. d. 4. n. 27. f. 68

Desiderium illicitum, quid, & quomodo differat a delectatione morosa. Tr. 9. d. 7. n. 10. & 11. f. 372. Et quale peccatum, n. 12. f. 373. An contrahit speciales malitias circumstantiarum actus externi, n. 14. & seqq.

Desperatio opponitur Spei per defectum. Tr. 4. dist. 5. n. 12. f. 134. Quid sit, n. 17. f. 135. in quo consistit, n. 13. f. 134. Quale sit peccatum, num. 14. Quid agendum circa personas afflictas? nu. 15. Desperatio numerator inter peccata in Spiritum sanctum, n. 16. fol. 135. Desperatio potest consistere cum, & sine actu Infidelitatis, n. 17.

Detractio, quid. Tr. 9. d. 6. nu. 3. f. 362. Quibus modis fieri possit, n. 4. Ejus gravitas, n. 5. Detractio formalis, quid, & quale peccatum, n. 6. Casus, in quibus absque vitio detractionis liceat manifestare crimen, vel defectum proximi, n. 7. & seqq. Crimen falsum cuipiam imponere, semper est illicitum, nu. 11. f. 363. Audita referens absque assevratione, & sub dubio, an peccet mortaliter, nu. 13. & seqq. Qui detractorem audit, quomodo

modo peccet, nu. 16. Quid, si ei detractio non placeat, tamen non resistit, n. 17. & 18. f. 364. Detractori quomodo resistatur, n. 19.
Devotio, ut est specialis actus Religionis, quid? Tr. 5. d. 1. nu. 17. f. 156. Devotionis largior acceptio, n. 13. Devotionis causæ, n. 14.
Deus non est auctor peccati. Tr. 3. d. 1. nu. 23. & seqq. f. 75. Quomodo dicatur hominem indurare, excecare, &c. n. 25. & 26. f. 76. Deus, quomodo appelletur Charitas? Tr. 3. d. 6. n. 3. f. 136. Deum, an, & quomodo teneamur super omnia diligere? n. 4. & seqq. Deus secundum se nequit odio haberi. Tr. 4. d. 7. nu. 1. f. 146. Odium Dei, quale peccatum? nu. 3.
Deo debetur cultus Latriæ. Tr. 5. d. 1. n. 27. f. 158. Deus, an possit dispensare in præceptis Decalogi. Tr. 9. d. 1. n. 14. & seqq. f. 313
Diaconus ex commissione proprii Sacerdotis potest solemniter baptizare. Tr. 14. disp. 3. n. 34. fol. 550. Diaconatus Ordo, quid. Tr. 14. d. 12. nu. 7. f. 641. Ejus materia, & forma, n. 30. Officium Diaconi, n. 31.
Dies Dominicus est substituta pro Sabbato. Tr. 9. d. 1. n. 28. fol. 315
Dignitas, quid, & an differat a Personatu, & Officio. Tr. 11. d. 1. n. 14. & seqq. f. 407
Dignus respectu Beneficii, & dignior, quis, & unde desumenda major dignitas. Tr. 11. d. 1. nu. 39. 50. & seqq. f. 412. Magis dignum trahit ad se minus dignum. Tract. 11. disp. 3. n. 37. & 38. fol. 429
Dilectio sui ipsius, & proximi, est præcepta. Tr. 3. d. 6. n. 10. & seqq. f. 137. Præceptum diligendi proximum, quantum, & unde oriatur, nu. 11. f. 138. Et non tantùm per solos actus externos, n. 12. An debeamus diligere corpus nostrum, n. 13. Datur specialis præceptum de diligendis inimicis, n. 15. f. 130. Vi hujus tenemur inimicis exhibere generales signa dilectionis, num. 16. & 18. & seqq. An etiam inimicis sint exhibenda signa specialia dilectionis, nu. 21. & seqq. fol. 140. Dilectio est præceptus actus Charitatis internus, n. 27. fol. 141. Vide *V. Charitas*. Magis debet quis diligere se, quam proximum, quomodo. Tr. 9. disp. 5. n. 11. & 12. fol. 345
Discordia, quid. Tr. 4. d. 7. n. 29. f. 150
Disparitas cultus est impedimentum matrimonii dirimens, & quando. Tr. 14. d. 14. n. 78. & seqq. fol. 688. Quid de Disparitate cultus, quæ est inter Catholicos & Hæreticos, n. 80. & seqq.
Dispensatio, quid? Tr. 2. d. 4. nu. 12. fol. 66. A quo fieri possit? n. 13. & seqq. An sit valida si sit sine causa? nu. 18. & seqq. Dispensatio subreptitie obtenta non valet, nu. 23. f. 67. In ea subintelligitur clausula, *Si preces veritate nitantur*, nu. 24. In votis, juramentis, &c. quomodo Papa censeatur dispensare? n. 25. & 26. An dispensare possint Confessarii Mendicantium cum conjugibus incestuosis, aut contrahentibus cum voto simplici Castitatis, ad petendum debitum? Tr. 6. disp. 3. n. 48. f. 218. Quomodo practice impetrari possit dispensatio in votis, n. 54. & seqq. fol. 219. Quid Confessario, vel Executori indagandum, & observandum ante, & post adeptam dispensationem in votis, n. 55.
Dispensatio impedimentorum Matrimonii, quid? Tr. 14. n. 156. & seqq. fol. 700. Vide *V. Impedimenta Matrimonii*, & *Matrimonium*.
Dispensatio circa certa impedimenta matrimonii, quando ab Episcopis, pro foro tam interno, quam externo dari queat? Tr. 14. d. 15. n. 4. & seqq. f. 749. Vide *V. Episcopi quando*.
Dispensatio, quando a Sacr. Pœnitentiaria, & Dataria petenda, n. 5. f. 750. In quibus casibus Sac. Pœnitentiaria dispenset, n. 6. & seqq. Prævia observanda, antequam fiat Supplica, n. 9. & seqq. Dispensationis petendæ formula, n. 11. f. 751. Rescriptum ad talem formulam, n. 12. & seqq. Explanatio Breviaturarum, n. 14. Quotupliciter in Dataria obtineatur Dispensatio, nu. 15. & seqq. 754. Quomodo debeat instrui Supplica n. 17. Formula dispensationis ob angustiam loci, n. 18. & seqq. Forma Supplicæ ob contractum jam bona fide Matrimonium, n. 21. & seqq. Quomodo Supplica rite concepta dirigatur Romam, n. 24. Quid facere debeat ille, qui nescit Supplicam concipere juxta Stylum Curiæ n. 25. & seqq. fol. 757. Quid confulendum Oratori pauperi, qui nequit solvere taxam, n. 28. Ad quem recurrendum pro executione dispensationis, n. 29. Qualis Rescripea Dispensationis soleant expediri a Dataria ad executorem, n. 30. & seqq. fol. 758. Qualiter clausulæ Rescriptorum sint intelligendæ, num. 33.
Disputare de rebus Fidei, quando licitum? Tr. 4. d. 4. nu. 43. & seqq. f. 131. Laicis an sit prohibitum, sic disputare? nu. 44. Disputationes in Ecclesiis an habere liceat? Tr. 12. d. 1. n. 21. fol. 443
Distillatio, quomodo differat a pollutione. Tr. 9. d. 4. n. 58. & 59. fol. 337
Distinctio specifica, & numerica peccatorum. Vide *V. Peccatorum Distinctio*.
Divinatio, quid? Tr. 5. dist. 2. nu. 15. f. 167. Contingit vel per expressam dæmonis invocationem, vel per implicitam, n. 16. Utrisque Divinationis varii modi, ac species, n. 17. 18. & seqq. f. 168. Divinatio quale peccatum? n. 17. & 27. & 28. f. 169. Divinatio, quomodo distinguatur a vana Observantia? nu. 30. fol. 170. Et Observantia eventuum? num. 35. fol. 171
Divortium, quid? Tr. 14. d. 13. n. 91. f. 666. Sumitur dupliciter, n. 92. Divortium quoad thorum, & cohabitationem, potest fieri, n. 93. f. 667. Idque generatim ex sex causis, quibus? n. 94. & seqq. Differentia inter adulterium, & alias causas, respectu Divortii, n. 95.
Dolor de peccatis. Vide *V. Contritio*.

Dolus, quid? Tr. 3. d. 2. nu. 31. fol. 275. Dolo æquiparatur culpa lata, n. 36.
Dominium communitative, quid? Tr. 7. dist. 3. n. 2. f. 338. Dividitur in divinum, & humanum. Iisd. Dominium humanum a nul Jurisdictione, aliisd Proprietatis, nu. 3. Dominium Proprietatis pertinens, & impertinens, quid? n. 4. & 5. f. 239. Imperfectum subdivaltur in Dominium directum, & utile, nu. 5. Sub Dominium hominis, quæ cadant? Tr. 7. d. 4. n. 2. & seqq. f. 243. Dominium rerum, quibus modis generatim acquiratur? Tr. 7. d. 5. nu. 3. & 4. fol. 251. & 252. Quomodo acquiratur Nativitate, n. 22. f. 256. Alluvione, n. 23. Specificatione, n. 24. Accessione, n. 25. Confusione, & Commixtione, n. 26. & seqq. Ædificatione, n. 31. f. 257. Plantatione, nu. 32. Fructuum perceptione, n. 33. & Traditione? n. 34. & 35.
Donatio, quid? Tr. 8. d. 2. n. 15. f. 271. Dividitur in mere gratuitam, & remuneratoriam, n. 14. fol. 272. Donatio mortis causa, quæ? n. 15. Hæc potest semper revocari, n. 16. Donatio inter vivos, quæ, & an revocari possit? n. 17. Hæc ante acceptationem non obligat, nu. 18. Censetur acceptata si tacent & tacent, n. 19. An possit acceptari pro alio, aut pro determinata Ecclesia? & quando? n. 20. Donatio ante actualem in traditionem non dat jus ad re, n. 21. Donatio ultra quingentos Solidos, an valeat? n. 22. & seqq. f. 273. Dotis perpetuas, an maneat penes uxorem, Tr. 7. d. 4. n. 15. & seqq. f. 245
Dubitans de Fide, an peccet peccato hæresis, Tr. 4. d. 4. n. 20. & seqq. fol. 127. Et incurrat excommunicationem, nu. 23. Quid de natis inter Hæreticos, n. 21.
Dubitatio quid, & an differat a Judicio temerario, & suspitione? Tr. 5. d. 6. n. 56. f. 369. Dubia in meliorem partem sunt interpretanda, & qualiter, n. 66. & seqq. fol. 370
Dubium speculativum, & practicum, quid, & quotuplex? Tr. 1. d. 3. n. 26. 27. & seqq. f. 26. An iectum sit operari cum dubio, n. 30. & seq. In dubiis tutior pars est eligenda, quomodo, n. 35. & 36. f. 27. & 28. Dubitans de morte conjugis, si contrahat, an possit petere debitum, vel latinum reddere, Tr. 14. d. 13. n. 49. & seqq. fol. 653.
Duellum, quid, & quam graviter prohibitum? Tract. 9. disp. 5. nu. 42. & 45. fol. 326. An in aliquo casu possit acceptari, n. 43. & 44.
Dulia, quid, Tr. 5. d. 1. n. 25. f. 158. Cultus Duliæ honorantur Sancti in cœlis, n. 32. f. 159.

E

Ebrietas, quid? Tr. 5. d. 3. n. 45. f. 55. Et quale peccatum, nu. 47. Signa plenæ ebrietatis, quæ, nu. 48. Quando censeatur voluntaria, sitque peccatum mortale, n. 49. fol. 65. Inebriare se causa recuperandæ sanitatis, vel suendæ vitæ, an sit peccatum, numer. 50.

Differentia inter dormientem & ebrium, nu. 56.
Ecclesia, quid? Tr. 4. d. 3. n. 2. f. 112. Dividitur in Triumphantem, Purgantem, & Militantem, ib. Ecclesia militans sumitur dupliciter, n. 2. Vera Christi Ecclesia in terris est visibilis, nu. 3. & 4. Ejus caput invisibile est Christus, visibile Summus Pontifex, n. 3 & 5. f. 113. Nec tamen est biceps, n. 6. Vera Ecclesia Christi non potest errare in fide, neque minùs deficere, n. 7. Extra eam nemo salvatur, n. 8. & 9. Quænam sint notæ veræ Ecclesiæ Christi, n. 12. & seqq. f. 114. Quomodo hæc sit una, n. 12. & 13. Sancta, n. 14. f. 115. Catholica, n. 15. & Apostolica, n. 16. Soli Romanæ Ecclesiæ conveniunt hæ quatuor notæ, n. 17. & seqq. S. Augustini notabile dictum de Ecclesia Catholica, n. 20. fol. 119
Ecclesiæ Præcepta generalia quinque, Tr. 10. d. 1. nu. 2. f. 374. Tenor primi, & secundi, n. 2. & seqq. Ecclesiæ certum Præceptum declaratur, Tr. 10. d. 2. n. 1. & seqq. f. 383. Ecclesiæ quarum Præceptum, quod, Tr. 10. d. 3. n. 1. & seqq. f. 396. Ecclesiæ quintum Præceptum declaratur, n. 15. & seqq. fol. 399
Ecclesiarum bona sunt triplicis generis, Tr. 12. d. 1. n. 24. & seqq. f. 444. Et Ecclesia committens homicidium, vel alia crimina, an pati debeat immunitate, n. 31. & 35. f. 445. Ecclesiam non valens intrare, an foris lucretur Indulgentias, Tr. 12. d. 3. n. 61. f. 465. Præterea concessas visitantibus Altaria, n. 62. Ecclesia interdicta, quæ censeantur Interdicto subjacere, Tr. 13. d. 2. num. 64. fol. 505
Ecclesia polluitur quinque præcipue modis & quibus, Tr. 12. d. 5. n. 127. & seqq. fol. 584. Alii duo modi a nonnullis addiuntur, num. 128. fol. 585. In Ecclesia polluta non licet celebrare Missam, num. 129. fol. 584. Polluta Ecclesia an polluatur Cœmeterium, & contra, num. 130. fol. 584. quid si in dictis casibus delictum est occultum, n. 130. Ecclesia polluta quomodo sit reconcilianda, nu. 132. & seqq. f. 586. Ecclesia polluta, an reconcilietur per celebrationem Missæ, n. 135. fol. 586. Quid agendum, si duratæ Missæ violetur Ecclesia, nem. 136.
Effectus ut imputetur ad culpam, velet in esse, aut indirecte voluntarius, quæ requiratur, Tr. 1. d. 1. n. 9 & seqq. fol. 3. In dubio, num effectus ex causa vires causæ naturales, quid secundum, Tr. 5. d. 2. n. 40. & 41.
Electione quomodo acquirantur Beneficia Ecclesiastica, Tr. 11. d. 1. n. 20. f. 407. Electionum motus, & finis pars, quæ, n. 21. & 22. f. 408. Electio indigni ad Beneficium est ipso jure nulla, n. 63. f. 414. Valet tamen electio digni cum dispensatione, n. 64.
Eleemosyna, quid, Tr. 4. d. 6. nu. 34. f. 142. Est quandoque de præcepto, n. 35. Ad obligationem dandi eleemosynam duo concurrere debent: quæ, n. 36. & 37. Tempore necessi-

tatis extremæ proximi an eleemosyna sit danda sub præcepto de superfluis naturæ, n. 40. & 41. t. 143. De superfluis naturæ, & statui, danda est eleemosyna etiam gravem damnum necessitatem patientibus, nu. 42. An eleemosyna sit danda sub præcepto pauperibus, communem necessitatem patientibus, n. 43. & 44. Eleemosynæ largitione an remittantur peccata venialia, Tr. 3. d. 2. n. 38.

Emptio, & vendito, quid, Tr. 8. d. 4. n. 86. fol. 30. Vide *V. Venditio.*

Epicheja, quid, Tr. 2. d. 4. n. 9. f. 65. & Tr. 7. d. 1. nu. 9. f. 224. Quomodo differat ab interpretatione Legum, Tr. 2. d. 4. n. 10. fol. 65. Habet quandoque locum, n. 11.

Episcopatus est Ordo, Tr. 14. d. 22. n. 13. f. 632. comprehenditur sub Sacerdotio ample sumpto, nu. 14. Sex causæ resignandi Episcopatum, Tr. 14. d. 2. n. 35. f. 421

Episcopi, an possint absolvere ab hæresi, T. 4. d. 4 nu. 29. & seq. f. 128. Quid in Germania, n. 31. Episcopus habet laudatam ingenionem super collatione Beneficiorum suæ Diœcesis, Tr. 21. d. 1. nu. 37. f. 410. Collatio Beneficii ab Episcopo de Volvitur ad Capitulum, n. 54. f. 109. Episcopi quomodo, & quo jure teneantur ad residentiam personalem, Tr. 11. d. 1. n. 71. 72. & 73. f. 415. Episcopi soli antiquitus erant Parochi, Tr. 11. d. 4. num. 24. fol. 436. Episcopi, quas Indulgentias concedere valeant, Tr. 12. d. 3. n. 28. f. 662. In quibus irregularitatibus dispenset, T. 3. d. 3. n. 91. f. 322.

Error circa substantiam reddit consractum nullum, T. 8. d. 1. n. 14. f. 205. Et quid de errore circa qualitatem, n. 15. Error personæ dirimit matrimonium, Tr. 14. d. 14. n. 51. Error fortunæ, & qualitatis, quis, & an matrimonium dirimat, n. 52. Error conditionis, quis, num. 53. fol. 682

Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas, quomodo, Tr. 4. d. 2. n. 10. fol. 104

Eubulus, quid, Tr. 7. d. 1. n. 9. fol. 224

Eucharistiam tenentur Fideles Jure divino sumere, & quidem sæpius, Tr. 10. d. 3. n. 26. f. 300. Tempus hujus obligationis determinavit Ecclesia, præcipiendo Communionem Paschalem, n. 27. Huic præcepto non satisfit per Communionem sacrilegam, n. 28. & 29. Ad Sacram Communionem requiritur jejunium naturale, n. 30. & seqq. In articulo mortis potest sumi Sacra Eucharistia a non jejuno, n. 34. f. 400. Et quidem sæpius per modum Viatici, n. 35. An, qui mane communicavit sanus possit, vel teneatur infirmatus eodem die communicare per modum Viatici, n. 36. An qui communionem Paschalem non peregit, teneatur eam compensare, n. 37. & seqq. Ubi peragenda sit Communio Paschalis, n. 38. & seqq. Pueri, quando obligentur ad communionem Paschalem, n. 42. & 43. f. 401. Eucharistia an possit ministrari muris & surdis, n. 45. f. 402. Atque Energumenis, & Epilepticis, &c. n. 46. Quæ poenæ non communicantium in Pascha re, n. 47. An aliquando possit differri Communio ultra tempus Paschale num. 48. & 49. Non est præceptum Divinum sumendi Eucharistiam sub utraque specie, T. 14. d. 4. n. 56. & 57. f. 561. Ecclesia justè decrevit, ut Laici sub una tantum specie communicarent, nu. 58. & 59. f. 562. Sumens Eucharistiam sub una specie, nulla fraudatur gratia ad salutem necessaria, n. 60. Quid sentiendum de Communione frequenti, & quotidiana, T. 10. d. 3. n. 50. & seqq. f. 403. An ea Laicis negotiatoribus, & conjugatis permittenda, n. 54. Et quid de Monachis, n. 55. f. 404. Frequens Confessio, & Communio, an sit nota Prædestinationis, nu. 56. Communicans plures in statu malo, an plura numero distinctæ peccata committat, Tr. 14. d. 1. n. 49. & seqq. f. 532

Eucharistiæ Sacramentum est adorandum cultu Latriæ, Tr. 5. d. 2. n. 30. f. 170. Consistit in *facto esse*, Tr. 14. d. 1. n. 16. & 17. fol. 527. Ad dignam Eucharistiæ receptionem debet præmitti Confessio de peccato mortali, Tr. 14. d. 2. n. 30. f. 539. Textus notabilis Concilii Tridentini circa hoc, n. 31. Mandatum Tridentini, injunctum ex necessitate Celebrantibus cum contritione de peccato mortali, *confitendi quamprimum*, quid importet, nu. 32. & seqq. Ad quod tempus extendatur, n. 34. & 35. Et quid de triduo, Ibid. Dicto præcepto *confitendi quamprimum*, an teneatur Laicus, n. 40. f. 540. Vel Sacerdos indigne celebrans, n. 41. & quis jam confessus, oblitus suis peccati mortalis, an teneatur denuo confiteri, antequam communicet, vel celebret, n. 36. & seqq. f. 539. Copia Confessarii quando deesse censetur, n. 40. & 41. Eucharistiæ, quomodo necessaria, n. 67. fol. 544

Eucharistiæ vi nominis, quid Tr. 14. d. 4. nu. 1. f. 553. Eucharistiæ Sacramentum, quid, n. 3. Est institutum a Christo, n. 3. Est excellentissimum, & simpliciter unum Sacramentum, n. 4. & 5. Non quidem unum unitate indivisibilitatis, sed unitate integritatis, num. 6. Multiplicatur numero juxta multiplicationem specierum consecratarum, nu. 7. f. 554. Materia, & forma Eucharistiæ, quæ communiter dicatur, n. 8. f. 554. Explicatur communis ille modus loquendi, n. 9. Materis Consecrationis Eucharistiæ est panis triticeus, ac vinum de vite, n. 10. & seqq. Panis triticeus, quis? Et qualiter conficiendus, n. 11. & 15. f. 555. An requiratur azymus, vel fermentatus, n. 16. & 17. Panis sit filigine, an sufficiat ad Confectionem, n. 12. & 13. Quid de pane ex hordeo, avena, amygdalis, vel fæcibus, nu. 14. Vinum, ut sit materia Consecrationis, quale esse debeat, n. 18. f. 556. Quid de vino miraculoso, n. 22. Aut si vino admisceatur alius liquor, n. 23. Uva nequit consecrari, nu. 19. Neque vinum in pane imbibitum,

tum, nu. 24. Quid de vino congelato, n. 25. & seqq. Aqua vino consecrando est apponenda, n. 29. & seqq. f. 557. Hæc debet esse modica, n. 33. An convertatur in Sanguinem Christi, n. 33. & seqq. Forma Confectionis Eucharistiæ, T. 14. d. 4. n. 37. & seqq. f. 568. Quale peccatum, aliquid in ea omittere, n. 39. Quid in prasi circa eam observandum, n. 40. & 43. fol. 559. Quæ verba sint de essentia Consecrationis, nu. 41. & 42. Verba essentialia Consecrationis proferuntur tam recitative, quam significative, n. 44. & 48. f. 559. & 560. In Eucharistia quomodo Christus sit præsens, n. 49. & seqq. f. 690. Verba notabilia Concilii Trid. circa hoc, n. 51. In Consecratione fit transubstantiatio panis, & vini, in Corpus & Sanguinem Christi, n. 52. f. 561. Nihilominus substantia panis, & vini, proprie non annichilatur, n. 53. & 54. Quamdiu Christus sit præsens sub speciebus consecratis, n. 55. Eucharistia, quando producat effectum gratiæ sanctificantis, num 61. f. 562. Præter hunc causat Eucharistia alios effectus, & quos, n. 62. & seqq. Eucharistia accipi potest ut Sacramentum, & ut Sacrificium, Tr. 14. d. 5. n. 4. f. 563. Vide *V. Sacrificium V. Missa.*

Eunuchorum matrimonia sunt invalida, Tr. 2. d. 1. n. 21. f. 41. & Tr. 14. d. 14. n. 69. f. 684

Eutrapelus, quid, Tr. 7. d. 1. nu. 31. fol. 228

Examen conscientiæ, an, & quale præmittendum Confessioni, Tr. 14. d. 7. n. 60. & seqq. f. 607. Rustici non facile dimittendi pro faciendo meliori examine, num. 63.

Excommunicatio est una inter pœnas Hæreticorum. Tr. 4. d. 4. n. 24. f. 128. Ad eam incurrendam requiruntur quatuor conditiones, quæ, n. 25. & seqq. Excommunicatio minor potest ferri ob peccatum veniale, Tr. 13. d. 1. num. 9. f. 487. excommunicatio major fertur ob solum peccatum mortale, num. 8. Externum, ac ita suo genere completum, n. 11. & 12. f. 488. Et quod habet annexam contumaciam, n. 13. & 14. Quilis contumacia requiratur, & sufficiat, nu. 15. Excommunicatio est pœna gravissima, n. 22. f. 489. An possit infligi ob peccatum alterius, n. 20. 21. & seqq. An possit ferri in totam Communitatem, n. 28. 29. & seqq. Disparitas inter excommunicationem, & Interdictum, nu. 22. Excommunicatio ex triplici capite redditur invalida, n. 34. & seqq. f. 491. Vide *V. Censura.*

Excommunicatio vi nominis, quid, Tr. 13. d. 2. n. 1. f. 495. An differat ab Anathemate, nu. 2. Datur in Ecclesia potestas ferendi excommunicationem, nu. 3. Ex D. Paulus aliquoties usus fuit, num. 4. Excommunicatio, quid, n. 5. & seqq. f. 496. Absolute ponitur denotat majorem, nu. 6. Excommunicatio minor, quid; & quis ejus effectus, nu. 7. & 8. Excommunicatio major, quæ, n. 9. Qui sint effectus excommunicationis majoris, nu. 13. 15. & seqq. fol. 497. Quomodo privet communibus Ecclesiæ Suffragiis, n. 16. & 17. f. 498. Communione Sacramentorum, n. 18. & 19. Usu divinorum Officiorum, n. 20. Et sepultura Ecclesiastica, nu. 21. Quid jurii, si excommunicatus in loco sacro sepeliatur, nu. 22. f. 499. An privatio sepulturæ Ecclesiasticæ de facto habeat locum in omnibus excommunicatis, etiam non vitandis, nu. 23. & seqq. Alii effectus excommunicationis majoris, n. 25. & seqq. Excommunicationes latæ, & ferendæ sententiæ, quæ, n. 53. f. 504. Aliæ reservatæ, aliæ non reservatæ, n. 54. Excommunicationes in Bulla Cœnæ Domini contentæ breviter enumerantur, n. 56. f. 505. Excommunicatio in persultores Clericorum lata, declaratur, n. 58. & seqq. Eam incurrant mandantes, consulentes &c. n. 64. f. 505. Clerici & Monachi nomine, qui hic intelliguntur, n. 63. Canon. *Si quis suadente*, an sit favorabilis, necne, n. 68. f. 506. Ad hanc excommunicationem incurrendam qualis requiratur percussio Clerici, n. 68. & 70. An quis possit sæpius excommunicari, n. 72. & seqq. Excommunicatio minor, si violetur, non inducit irregularitatem, Tr. 13. d. 3. n. 16. f. 513

Excommunicato occulto quid liceat ad vitandam infamiam, Tr. 2. d. 2. nu. 28. f. 51. Excommunicati Clerici tenentur recitare Horas Canonicas, Tr. 6. d. 1. nu. 14. fol. 190. Non tamen debent dicere: *Dominus Vobiscum*, n. 15. Insordescens per annum in excommunicatione, sit suspectus de hæresi, Tr. 13. d. 2. n. 33. f. 506. excommunicati alii tolerati, alii vitandi, n. 35. Excommunicati, qui de facto sint vitandi, n. 36. Casus, in quibus non licet communicare excommunicatis vitandis, nu. 38. & seqq. f. 502. Communicans excommunicato vitando peccat, n. 44. Atque incurrit excommunicationem, & qualem, n. 45. & 46. Causæ ab hac censura excusantes eos, qui communicant cum excommunicato vitando, n. 47. & seqq. fol. 503

Executori dispensationis in Votis, quid observandum, Tr. 6. d. 3. n. 55. & seqq. f. 219

Exercitia spiritualia facientibus Religiosis, quæ Indulgentiæ concessæ, Tr. 12. d. 3. n. 71. fol. 468

Exorcismus materia, & forma, quæ, Tr. 14. dist. 12. nu. 20. fol. 643. Officium Exorcistæ, ibid.

Extrema Unctio, quid, Tr. 14. d. 11. n. 3. fol. 636. Est Pœnitentiæ consummativum, n. 1. Et Sacramentum novæ Legis, n. 2. Materia ejus remota, & proxima, quæ, nu. 4. & seqq. Quid si oleo fit admixtum balsamum, n. 6. Forma ipsius, quæ, n. 8. f. 637. In quibus corporis partibus fit facienda unctio, nu. 9. Renum unctio, quando omittenda, nu. 10. Quid, si quis careat manu, pede, &c. n. 11. Manus Presbyteri quomodo ungendæ, num. 12. An in casu necessitatis sufficiat unica unctio, numer. 13. & 14. Praxis quarundam

Diœcesium tempore pestis, num. 15. Effectus Sacramenti Extremæ Unctionis, qui, & quomodo intelligendi, n. 16. & seqq. Subjectum ejus capax, n. 22. fol. 639. Nequit ministrari sanis, etiam damnatis ad mortem, n. 23. Quid de pestis laborantibus, vulneratis, fenibus, n. 24. Infantibus, ac perpetuo amentibus, n. 25. Vel fidelibus in phrenesin, aut smeruntium, n. 26. Differtia inter Sacramentum Extremæ Unctionis, & Pœnitentiæ, n. 27. In quo periculo, & statu ministrari, hoc Sacramentum ministrandum, n. 28. Sacramentum hoc est irrepetibile: & an in eodem morbo, n. 29. & 30. f. 640. An sit necessarium ad salutem, n. 31. & Tr. 14. d. 2. n. 68. & seqq. fol. 544

F

FAlcidia, quid, & unde sic dicta, Tr. 8. d. 3. n. 77. fol. 299

Fama propriæ homo est dominus. Tr. 7. d. 4. n. 7. fol. 244. Non tamen sine causa potest eam prodigere, n. 8. Fama, & honor differunt: quomodo, Tr. 9. d. 6. n. 2. fol. 362. Fama injuste ablata quomodo restitui possit, ac debeat, n. 33. & seqq. fol. 366. Vide V. Restitutio.

Fera laqueo irretita, an sit eximenda, vel laqueum ponentis, Tr. 7. d. 5. n. 21. f. 255. Vide V. Venatio.

Festis certis aliquid faciendi, vel omittendi consuetudo, an damnanda, Tr. 3. d. 2. n. 56. f. 171. Præceptum de celebratione Festorum partim affirmativum, partim negativum, Tr. 10. d. 1. n. 3. fol. 374. Dies festi quando incheondi, n. 4. fol. 375. An in ipsis fidelis preter Missam teneantur ad alia pia opera, n. 5. Præsertim ad audiendam Concionem, n. 6. & 7. Festa ab Episcopis præcepta, eriam a Regularibus sunt servanda, n. 9. Opera diebus Festis prohibita, quæ, n. 12. & seqq. f. 376. Vide V. Opera. Dies Festi Christianorum non tam stricte obligans, ut olim Judæorum, n. 15. Quæ sit obligatio audiendi Missam diebus Festis, n. 36. & seqq. f. 380. Vide V. Missa.

Fictio, quid, Tr. 14. d. 2. n. 52. f. 542. Fictio negativa, & positiva, n. 53. Baptismus sine susceptus, recedente fictione confert suum effectum n. 54. Quid de aliis Sacramentis fictè susceptis, n. 55.

Fides quando amittatur, Tr. 4. d. 1. n. 14. & 15. f. 101. Non manet in Bestia, nu. 16. Fidei nomen varie accipitur, Tr. 4. d. 2. n. 1. & 2. fol. 102. Fides supernaturalis actualis, & habitualis, quid, nu. 3. & 4. Objectum materiale Fidei, quod, n. 5. fol. 103. Objectum ejus complexum, & incomplexum quod, n. 6. & 7. Objectum formale Fidei, n. 8. & seqq. *Evangelio non crederem nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret Authoritas* quomodo, n. 10. fol. 104. Fides explicita, quæ, num. 11. Fides quomodo necessaria ad salutem, n. 13. & seqq. fol. 105. An requiratur necessitate medii Fides explicita de existentia Dei, & ut Remuneratoris n. 16. Quid de Mysterio SS. Trinitatis, & Incarnationis Verbi, n. 17. & seqq. Fides ex puris naturalibus non juvat ad justificationem, n. 20. fol. 106. Quanam teneantur Fideles explicite credere necessitate præcepti, n. 23. & 24. Præceptum Fidei affirmativum, & negativum, quid, n. 25. f. 107. Obligatio eliciendi actum Fidei, Spei, &c. alia per se & directe, alia per accidens, n. 26. Datur præcepum Divinum per se obligans quandoque ad actum Fidei, n. 27. Non sufficit, hunc tantum semel in vita elicere, n. 28. Quo tempore obliget præceptum Fidei, n. 29. 32. & seqq. f. 108. Quando culpam censeatur vera Fides sufficienter proposita, n. 30. & 32. Actus Fidei, item Professio, & Confessio Fidei, quomodo differant, n. 39. f. 110. Datur præceptum Divinum de non negenda Fide externe, num. 40. An, & quando obligemur ad externam Fidei Confessionem, n. 41. & 43. An quandoque Fidem licite possimus occultare, n. 44. 45. & seqq. Et quibus modis id licite fiat, n. 45. & seqq. Methodus brevissima reducendi Hæreticos ad Fidem Catholicam, Tr. 4. d. 3. n. 224. 226. In materia Fidei an liceat sequi opinionem minus probabilem, Tr. 1. d. 3. n. 54. f. 32. & Tr. 4. d. 2. n. 31. fol. 108

Fidem resolvere, quid, Tr. 4. d. 3. nu. 50. f. 122. Fidei resolutio a priori, sit in primum veracitatem Dei nobis revelantis, n. 52. & seqq. Instantia de Circulo proponitur & solvitur, n. 53. & 54. Motiva credibilitatis Fidei, quæ, n. 55. Fides non resolvitur in motiva humana, n. 56. f. 123. Actus Fidei non est meras intellectus, sed ad ipsum requiritur pia affectio voluntatis, n. 57. Nonnullæ Propositiones damnatæ circa hoc, nu. 58. & 59. Disputare de rebus Fidei, quando licitum, Tr. 4. d. 4. n. 43. & seqq. fol. 131.

Fides bona requiritur ad præscriptionem, Tr. 7. d. 6. n. 10. f. 259 Possessor bonæ, & malæ fidei, quis, Tr. 7. d. 3. n. 20. fol. 241

Fidei commissum, quid. Tr. 8. d. 3. n. 68. f. 288

Filiifamilias mutuo accipientes, quando juventur S. C. Macedoniano, Tr. 8. d. 4. n. 8. & 9. f. 292. & 293. Filiifamilias peculium. Vide V. Peculium. Filii quid debeant parentibus. Tr. 9. d. 2. n. 2. & 4. seqq. f. 316. Filius an possit ingredi Religionem invitis parentibus, n. 9. f. 317. Quid, si hi sint in gravi necessitate, n. 10. & 11. f. 318. Filius an a parte, vel matre alendus, n. 15. & 16. Vide V. Parentes. Filius, an teneatur credere matri, asserenti, se esse spurium, Tr. 9. d. 5. n. 32. f. 348. De furto Filii familiæ, quid censendum, Tr. 9. d. 5. n. 26. & 27. f. 347

Finis ultimus hominis, Tr. 1. d. 1. n. 1. fol. 2. Finis moralis adjunctus, quomodo peccatum ex genere veniale, reddat per accidens mortale, Tr. 3. d. 2. n. 18. fol. 166

Fiscus, an succedat ab intestato, Tr. 8. d. 3. num. 82. fol. 290.

Fœtus quando animetur, Tr. 9. diff. 3. nu. 34. fol. 324

Fomes peccati non prohibetur Præceptis Decalogi, Tr. 9. d. 7. n. 4. f. 471

Forma Sacramentorum, quæ, Tr. 14. d. 1. n. 19. fol. 528. Fiat a Christo determinata, & quomodo, nu. 20. & seqq. Ejus mutatio quando irritet Sacramentum, n. 22. & 25. f. 528. Inter formam, & materiam Sacramentorum requiritur aliqua similitudo, & qualis, n. 26. & seqq.

Fornicatio, quid & quam grave peccatum, Tr. 9. d. 4. n. 11. f. 329. Est intrinsece mala, n. 12. f. 330. Ad eam reducitur concubinatus, n. 13. Fornicatio cum sponsa alterius, an addat specialem malitiam, n. 14. Quid de fornicatione Fidelium cum Infidelibus, num. 15.

Fortitudo, quid, Tr. 7. d. 1. n. 31. & 34. f. 228. Ejus partes potentiales, quæ, n. 35. & seqq. Fortitudini, quæ vitia opponantur, nu. 37. & 38. Fortitudinis actus excellentissimus, est Martyrium, n. 39. f. 227. Vide V. Martyrium.

Fori privilegium Clericis concessum, quale, Tr. 14. d. 12. n. 11. f. 634

Fratres dicuntur quatuor modis, Tr. 14. d. 14. num. 115. f. 652

Fratres Minores non possunt institui hæredes, Tr. 8. d. 3. n. 72. f. 289. Quomodo obligentur ad jejunia Regulæ, Tr. 10. d. 2. n. 80. f. 395

Fraus, quid, & quomodo differat a dolo, Tr. 7. diff. 1. n. 17. fol. 226.

Fructus rei, qui, Tr. 7. d. 3. num. 8. fol. 239. Fructuum perceptio, quomodo sit modus acquirendi rerum dominium, Tr. 7. diff. 5. nu. 33. fol. 256.

Furtum, quid, Tr. 9. d. 5. n. 1. & seqq. f. 344. Et quale peccatum, n. 5. Quæ quantitas sufficiat ad furtum mortale, n. 6. & seqq. In extrema necessitate an sit licitum aliena furripere, n. 10. & seqq. f. 345. An tunc etiam liceat furari, n. 13. Quid in gravi necessitate, nu. 14. Modicum furans animo furripiendi pluria, si possit, peccat mortaliter, nu. 15. f. 346. An teneatur ad restitutionem, n. 16. Per furta minuta intendens ditescere quomodo peccet, nu. 17. & seqq. Furantes minuta tenentur restituere, quomodo, n. 20. f. 347. Ad furtum mortale in minutis requiritur major quantitas, & qualis, n. 21. Per furta domestica potest graviter delinqui, nu. 22. An ex necessitate ad Actio Furti, n. 23. Quid de furtis famulorum, aut mercenariorum, n. 24. & 25. Quid de furto filii familiæ, præsertim operantis in colloquium patris, n. 27. Uxor furripiens ex bonis mariti, an peccet, & quomodo, nu. 28. & seqq. Ad furtum grave famulorum major requiritur quantitas, & unde hæc colligenda, n. 37. & 38. fol. 348.

Reflexiones Theol. Moral.

Propositio damnata circa hoc discutitur, nu. 39. & 40. Novem genera cooperandi ad furtum, nu. 42. & seqq. Si res furtiva esta perest apud furem, an si restituere teneatur, n. 67. & 68. fol. 353.

G

Gaudium est actus, seu potius effectus Charitatis, Tr. 4. d. 6. n. 20. & 21. fol. 141.

Gralliatores virtuti, qui, Tr. 12. d. 2. n. 29. f. 460. Non gaudent Immunitate, n. 28. & 29.

Gratia actualis, & gratia habitualis seu sanctificans, quid, Tr. 14. d. 2. n. 2. & 3. fol. 534. Gratia Sacramentalis, quæ, nu. 4. fol. 535. Gratiam conferri ex opere operantis, & ex opere operato, quid, ibid. An, & qualem gratiam conferant Sacramenta non ponentibus obicem, n. 7. & seqq. Gratia habitualis prima, & secunda, quæ, n. 18. fol. 536. Quæ Sacramenta conferant primam, quæ & secundam gratiam, num. 19. & 23. fol. 537. Gratiam sanctificantem an immediate causet Sacrificium Missæ, Tr. 13. diff. 5. num. 43. & 44. fol. 577.

Gravitudo, quid, Tr. 7. diff. 2. n. 10. fol. 234. Ejus officia quinque. Ibid.

Gula, quid, Tr. 3. d. 3. n. 41. f. 95. committitur quinque modis. Ibid. Gulæ ut sic dividitur in commessationem, & ebrietatem, n. 42. Quale sit peccatum, n. 43. & 44. Est peccatum capitale, ejusque quinque Filiæ, n. 52. & seqq. n. 96. comedere, & bibere ob solam voluptatem, an sit peccatum, n. 51.

H

Hæres necessarius, & non necessarius, qui, Tr. 8. diff. 3. n. 69. fol. 289. Hæres instituitur est fundamentum testamenti, n. 70. Qui possint institui hæredes, n. 71. & 72. Hæredibus necessariis debet relinqui Legitima, & quomodo, num. 73. & seqq. Hæredi non necessario quantum relinquendum, n. 76. f. 290. Hæredes ab intestato, qui, & quando succedant, num. 80.

Hæresis, unde sic dicatur, Tr. 4. diff. 4. n. 92. fol. 125. Et quid sit, nu. 10. Ad hæresim formalem requiritur & error in intellectu, & pertinacia in voluntate, n. 11. & 13. f. 126. Corollaria notabilia, n. 12. 14. & 15. Pertinacia ad hæresin requisita, in quo consistat, n. 17. & 18. Dubitans de Fide, an peccet peccato hæresis, n. 20. & seqq. f. 127. Absolvere ab hæresi in & extra Articulum mortis, quæ possint, n. 26. & seqq. f. 128. An tempore Jubilæi detur facultas absolvendi ab hæresi, Tr. 12. d. 3. n. 125. & seqq. fol. 482.

Hæretici obligantur legatos Pontificis pro tota Orbe latis, Tr. 2. d. 3. n. 2. f. 55. Methodus brevissima reducendi Hæreticos ad Fidem Catholicam, Tr. 4. d. 3. num. 22. fol. 116.

Hæretici, qui, Tr. 4 d. 4 n. 5 f. 324. Hæretici formales, & materiales, qui, n. 18. & 19. f. 127. Inter alias Hæreticorum pœnas est excommunicatio, n. 24. & seqq fol. 128. Vide *V. Excommunicatio* Quis sit modus recipiendi Hæreticos resipiscentes, n. 34. & 35. f. 129. Funera Hæreticorum, an Catholici liceat comitari, Tr. 4. d. 4. nu. 46. f. 131. Hæretici propter Sectam sunt occisi, non sunt Martyres, Tr. 7. d. 1. n. 43. f. 229. An gaudeant Immunitate Ecclesiastica, Tr. 12. d. 2. n. 23. & seqq. ac num. 28. fol. 450

Homicidium quandoque prohibetur quinto Præcepto Decalogi, Tr. 9. d. 3. n. 2. fol. 320. Quin etiam interior voluntas occidendi, n. 4. & seqq. Tres gradus ad homicidium, n. 6. f. 322. Quodnam homicidium sit prohibitum, num. 9. & seqq. Vide 5^m *Occidere*. Homicidium simplex, & qualificatum, n. 37. f. 324. Homicidium, quo parentes, consanguinei, &c. occiduntur, superaddit spectatem malitiam, num. 32. & seqq. Quid de aborsu, n. 33. & seqq. Homicidium parturi alibus adlitur proditio Patriæ, & machinatio contra Principem, n. 38. f. 325. Homicidium sacrilegium, quod, nu. 39. Ejus duplex species, n. 40. Homicidium quandoque aggravatur ex modo occidendi, n. 41. Quid de Duello, n. 42. & seqq. fol. 326. Restitutio ratione injusti homicidii, vel mutilationis, quomodo facienda, n. 46. & seqq. Homicida, vel mutilationes in Ecclesiis, extimve Cœmeteriis committentes non gaudent Immunitate. Tr. 12. d. 2. num. 28. & 32. f. 451. Homicidium, quando confessatur committi in Ecclesia, n. 33. Existens in Ecclesia, & occidens aliquem extra eam, an gaudeat Immunitate, num. 34. fol. 452. Homicidium proditorium, quod, nu. 36. 37. & 38. Ex homicidio, etiam occulto, incurritur irregularitas, Tr. 13. dist. 3. n. 23. f. 514. Vide *V. Irregularitas*.

Homo potest cadere sub dominium alterius hominis, quomodo, Tr. 7. d. 4. n. 3. fol. 243. Homo non habet dominium vitæ suæ, n. 4. & seqq. An sit dominus propriæ fantæ, n. 7. & 8. fol. 244. Hominis ætates, quæ, Tr. 8. dist. 1. num 21. fol. 267.

Honestas, quid, Tr. 7. d. 1. n. 32. fol. 228

Honor, & cultus differunt; quomodo, Tr. 5. d. 2. nu. 3. fol. 155. Honor parentum. Vide *V. Parentes*. Honor, & fama differunt, quomodo, Tr. 9. d. 6. nu. 2. f. 362. Honor injuste ablatus, quomodo restaurari valeat, n. 36. & 37. f. 366. Vide *V. Restitutio*.

Horæ Canonicæ, quæ, Tr. 6. d. 1. n. 2. f. 187. Sunt septem, nu. 4. Ultas Horarum Canonicarum antiquissimus, n. 5. & 6. f. 188. Obligatio eas recitandi, non Juris Divini, sed Ecclesiastici, n. 7. & seqq. Quinam teneantur recitare Horas Canonicas, n. 11. & seqq. f. 189. Subditos non teneri eas dicere jam primo die, quo ordinatur, & quæ, n. 13. f. 190. Quid de Clericis excommunicatis, & suspensis; n. 14. & 15. Religiosi, quinam, & unde teneantur recitare Horas Canonicas, num. 17. 18. & seqq. Quid de Novitiis, n. 19. Quid de Societate JESU, & nonnullis Monasteriis Monialium, n. 20. Quid de Religioso Clerico, ad finem Lucianem remisso, n. 22. Aut ejecto ex Monasterio, nu. 23. Clerici beneficiarii obligantur ad Horas Canonicas, n. 25. Et quo jure, n. 9. & 10. fol. 189. Obligari ad Horas Canonicas, & eas in totum, vel quoad partem notabilem culpabiliter omittentes, peccant mortaliter, Tr. 6. d. 1. n. 27. fol. 192. Quænam censeatur pars notabilis, sufficiens ad peccatum mortale, num. 28. quot peccata mortalia committat omittens Officium totius diei, nu. 29. An peccet duplici peccato omittens Officium, ad quod tenetur ratione Ordinis sacri, simul & Beneficii, n. 30. Beneficiarii omittentes Horas tenentur ad restitutionem fructuum pro rata omissionis, n. 31. f. 193. Idque post tex menses adepti Beneficii; ac Jure Ecclesiastico, n. 32. Rata neglecti Officii, quomodo taxanda, num. 32. & 33. Vitandæ circa hoc quædam Propositiones damnatæ, nu. 34. Officium Defunctorum, & Lyturgiæ majores, an extra Chorum sub præcepto dicendæ, n. 35. & seqq. f. 194. Quid sit, studiose, & devote celebrare Officium Divinum, n. 38. fol. 208. Quænam intentio requiratur ad recitationem Horarum Canonicarum, nu. 40. & 41. Attentio triplex, n. 39. Etiam qualiter sufficiat ad satisfaciendum præcepto, n. 42. f. 196. Voluntarie distractus absque ulla interiori attentione, non videtur satisfacere, n. 43. & seqq. Quid de leviter distracto, nu. 46. f. 196. Aut si distractio non sit plene voluntaria, n. 47. Remedia ad repellendas distractiones, n. 48. Septem requisita ad debitam Horarum Canonicarum recitationem, n. 49 f. 197. Contra integritatem divini officii, qui peccent, & quomodo, n. 50. Satisfacit, qui recitat cum socio non obligato, n. 51. Quid de occupatis in pulsandis organis, ponendis hostis, & c. n. 52. Continuatio horarum, quomodo requiratur, n. 53. & seqq. Ordo inter per. n. 56. & 57. Causæ licitæ invertendi ordinem Horarum, n. 57. Quæ sint in Divino Officio, quæ servanda, n. 58. f. 198. Recitans Horas ex Breviario alieno, an peccet mortaliter, n. 59. Non commutandum Officium unius diei in aliud, & quomodo aliquam peccetur, nu. 60. & seqq. Quid agendum, si quis bodie legit Officium, aut Lectiones die crastino, n. 64. Aut omittit hodie recitare de Festo occurrente, n. 65. Quo loco possit recitari Officium Divinum, n. 67. fol. 199. Canonici tenentur illud recitare in Choro, nisi &c. 68. & 69. Quid de Religiosis, n. 2. f. 191. Horæ Canonicæ, quo tempore in & extra Chorum sint recitandæ, n. 70. & seqq. f. 199. Matutinum, & Laudes, possunt prædie

die vesperi recitari; circa quam horam, nu. 71. Laudes an possint separari a Matutino, n. 3. f. 187. Quo tempore recitandæ Horæ Minores, & Vesperæ, n. 72. Quid de Vesperis in Quadragesimæ, n. 73. An satisfaciat incipiens Officium ante medium noctem diei sequentis, & post ipsum absolvens, n. 74. An sit peccatum mortale, celebrare Missam ante dictum Matutinum, num. 76. A recitatione Horarum Canonicarum quæ causæ excusent, Tr. 6. d. 1. n. 76. & seqq. f. 201. Quid de oblivione, ac dubio de recitatis Horis, vel Psalmo aliquo cujuspiam Horæ, n. 76. Infirmitas, an excusat a recitatione Horarum? n. 77. & seqq. An prævidens impedimentum futurum, teneatur prævenire recitando Horas, nu. 79. An morbi causa impeditus, teneatur audire aliam recitantem, nu. 80. Occupatio gravis potest excusare, & quæ, n. 81. An, qui non potest recitare totum Officium, teneatur recitare partem, quam potest, n. 83. f. 202. An, qui solus esse nequit, teneatur adhibere socium, n. 84. Dispensatio, & metus gravis, an excusent, n. 85. & 86. An, qui non potest recitare per se ipsum, teneatur recitare per alium, n. 87. An qui Officium omissum teneatur recompensare alacrite, n. 88. Et quid de beneficiis in, n. 89. & seqq. fol. 203

Hostia eadem an possit a pluribus consecrari, T. 14 d. 5. n. 137. & seqq. f. 586. Quid de Sacerdotio novitor ordinati, & cum Episcopo vero Confectionis proferentibus, nu. 140. & seqq.

Humilitas, quid, Tr. 7. d. 1. n. 49. f. 227

Hyperdulia, quid, Tr. 5. d. 1. n. 25. fol. 159. Debetur B. Virgini Mariæ, n. 32.

Hypothesea, an differat a pignore, Tr. 8. d. 4. num 49. fol. 300

I

IDololatria, quid, Tr. 5. d. 2. nu. 11. f. 166. Est gravissimum peccatum, n. 12. & 167. Idololatria metaphorice sumitur pro omni peccato mortali, nu. 13. Causæ dispositivæ ad Idololatriam, Tr. 9. d. 1. n. 6. & 8. fol. 312

Jejunium Quadragesimale an teneatur absolvere, qui pervenit ad locum, ubi illud jam est abolitum, Tr. 2 d. 3. n. 39 & seqq. fol. 61. Quid, si quis in fraudem jejunii illuc pergat, n. 41. fol. 62. An econtra, qui jejunium jam peregit, teneatur alibi rursus jejunare, n. 42. An discedens e loco, ubi non est jejunium, veniens ad locum, ubi est jejunium, possit comedere carnes, nu. 38. f. 61. Non jejunare die, quo duplex occurrit jejunium Ecclesiasticum, est unicum peccatum, Tr. 3. dist. 1. n. 46. f. 79. Quis, si quis ad alterum teneatur ex voto, n. 47. f. 80. Tempore jejunii morosse delectans in esu carnium, an peccet, Tr. 9. d. 7. num. 18. fol. 373

Jejunium generaliter, & specialiter acceptum, Tr. 10. d. 2. n. 2. & 3. f. 383. Jejunium naturale, n. 4. Et Ecclesiasticum, quod, num. 5. f. 384. An hoc frangatur per potum, n. 6. & 7. Tria ad illud requiruntur, nu. 8. & seqq. Nempe delectus ciborum, & quid de lactitiniis, nu. 9. & 10. Abstinentia plurium refectionum, num. 11. Et certa refectionis hora, nu. 12. Dispensatus circa esum carnium, an possit sapius comedere, n. 13. & seqq. f. 385 Jejunium an violet replens ventrem cibis Quadragesimalibus, n. 16. & seqq. f. 386. Sæpius in die comedens carnes, quoties peccet, n. 19. An excusat levitas materiæ a mortali. Ibid. Quid, si sapius comedat cibos carne quin licitos, n. 22. f. 387. Et qualis, n. 23. f. 387. Et qualis, num. 24. 29. & seqq. Quale peccatum sit, anticipare tempus comestionis, n. 27. f. 388. Vel sumpsit mane collationem, differre prandium ad vesperam, n. 55.

Jejunia omnia sunt Jure Ecclesiastico instituta, Tr. 10. d. 2. n. 36. f. 389. Jejunium Ecclesiasticum violare, quale peccatum, num. 39. Quo tempore teneantur Adolescentes ad ejus observantiam, n. 40. & seqq. Et quid de ultima die vigesimi primi anni, n. 42. Jejunii Ecclesiastici obligatio est personalis, n. 45. f. 390. Et certis diebus affixa, n. 48. Quid de Jejunio ex voto, vel pro pœnitentia injuncto, n. 47. Salvens jejunium ex duplici præcepto obligatur, quot committat peccata, n. 48. & 49. Statuens per totum Quadragesimam non jejunare, vel non jejunans, quot peccata committat, n. 50. Alios ad jejunium violandum inducens, peccat contra præceptum jejunii, n. 51. fol. 391. Caupo, an possit hospitalibus ministrare carnes, n. 52. Vel coenam, n. 53. Quæ causæ generaliter excusent a jejunio, n. 55. & 56. f. 392. Et quomodo impotentia, n. 56. 57. & seqq. Pietas, n. 56. 65. & seqq. Ac necessitas, sive labor corporalis, n. 56. 68. f. 393. & seqq. Senectutis, an omnes excusentur, n. 61. & 63. f. 392. Et quid de septuagenariis, nu. 64. f. 393. Itinerantes, an, & quando excusentur a jejunio, n. 70. & 71 An etiam dispensatio excuset a jejunio, n. 74. & 75. Qui possint dispensare in jejunio, n. 76. An Parochi cum Parochianis, n. 77. Causæ hujusmodi, an excusent a jejunio ex Voto debito, n. 78. & seqq. Jejunia tempore Jubilæi, qualiter peragenda, Tr. 12. dist. 3. n. 108. & seqq. fol. 479

Ignorantia, quid, Tr. 1. d. 1. n. 35. fol. 9. Dividitur varie. nu. 37. & seqq. Ignorantia juris, & facti. nu. 38. & seqq. Ignorantia juris, & consequens, n. 39. Invincibilis, & vincibilis, n. 40. Crassa, & affectata, quæ n. 41. f. 10. An excuset involuntarium, n. 42. & seqq. Ignorantia facti, vel juris, an excuset ab incurrenda Censura, Tr. 13. dist. 1. n. 28. & seqq. f. 492. Ignorantia circa aliquod peccatum si pœnitens laboret, quid agendum

Confessario, Tr. 14. disp. 8. n. 52. & seqq. fol. 620
Illegitimi sunt irregulares, Tr. 13. d. 3. nu. 31. fol. 516. Quid, si Religiones ingrediat, nu. 35. Legitimantur per subsequentem matrimonium parentum n. 34.
Imagines sacræ, quomodo venerandæ, Tr. 5. d. 2. n. 34. f. 162. Verba concilii a Concilii Tridentini circa cultum SS. Imaginum, n. 35. Imagines possunt aliquando considerari, nu. 36. Objectio Hæreticorum contra sacras Imagines dilluitur, n. 37. Decretum Urbani VIII. circa imagines Sanctorum recipiendas Beatificatorum, n. 43. & 44. f. 163. & 164.
Immunditia, quid, Tr. 9. d. 4. n. 44. fol. 535. Vide *V. Sabbatum*.
Immunitas Ecclesiastica, quid, Tr. 22. disp. 1. n. 3. f. 416. Est triplex, localis, realis, & personalis, nu. 4. An ea sit de Jure Divino, n. 5. & seqq. f. 441. Immunitas localis, in quo consistit, n. 10. f. 442. In Ecclesiis, ejusque Cœmeteriis, prohibentur feriæ judiciales quæ, & quomodo, n. 11. & seqq. Item contractus, n. 14. & 15. Et quid de venditione Candelarum, n. 16. Quæ alia lex dari possit prohibeantur, nu. 17. & seqq. fol. 443. An etiam Disputationes, n. 21. Immunitas realis & personalis, in quo consistat, nu. 23. Bona Ecclesiæ, & Clericorum, an eadem immunitate a Collectis, & jurisdictione seculari, n. 25. & seqq. f. 444. Vide 27. *Collecta*. Immunitas localis generalium conciliis indulta, nu. 30. & d. 22. nu. 1. fol. 440. Vide *V. Asylum*.
Impedimenta matrimonii alia impedientia, alia dirimentia, Tr. 14. d. 14. n. 1. f. 634. Datur in Ecclesia potestas eadem conficiendi, n. 2. f. 676. Hæc quibus competant, n. 3. & 4. An eam Principi seculari, n. 5. & 6. Saltem respectu subditorum infidelium, n. 7. Impedimenta mere impedientia de Jure antiquo, quæ, n. 8. & seqq. Et quæ nunc sint in usu, nu. 21. & seqq. fol. 676. Impedimenta dirimentia matrimonii, quot, & quæ, num. 49. & seqq. fol. 681. Impedimentum Erroris, num. 51. & seqq. Impedimentum conditionis, n. 54. & seqq. f. 682. Violentiæ, n. 61. Impotentiæ, n. 63. & seqq. f. 683. Ligaminis, n. 75. f. 685. Ordinis, 74. & 75. Voti, n. 76. & 77. Disparitatis cultus, nu. 78. & seqq. f. 686. Criminis, nu. 84. & seqq. f. 687. Cognationis carnalis, n. 94. & seqq. f. 688. Cognationis spiritualis, n. 112. & seqq. f. 692. Et Legalis, n. 125. Affinitatis, nu. 129. & seqq. f. 693. Honestæ publicæ Honestatis, nu. 130. f. 694. Et impedimentum Raptus, n. 153. Quid de præsentia Parochi, ac duorum Testium, n. 155. & seqq. f. 695
Impedimentorum matrimonii dispensatio, an possit fieri a Papa, Tr. 14. d. 14. num. 157. f. 709. Et aliquando ab Episcopo, n. 158. & seqq. fol. 701. Vide *V. Dispensatio circa casus Impedimenta*. Et quæ conditiones ad hoc actionum requirantur, nu. 449.
In præsentia dispensationes impedimentorum matrimonii, quando obtineantur, n. 102. & seqq. Quid contingat cum iis, qui post matrimonium contractum sibi conscii sunt alicujus impedimenti, n. 169. f. 701. Dispensatio super impedimento matrimonii, per quem petenda, nu. 170. A quo, & quomodo, n. 171. An obtenta occulti impedimenti dispensatione, matrimonium coram Parocho & Testibus renovandum sit, nu. 172. An tunc animo contingere debeant fœdus nullitatem matrimonii, ut renovent consensum, n. 173. f. 703. Aut aliquando sufficere posse consensus sub conditione, n. 174. Plura Vide *V. Dispensatio circa casus Impedimenta*.
Imperfectiones latæ non sunt materia apta Sacramenti Pœnitentiæ, Tr. 14. d. 6. nu. 14. f. 590. Circa hæc quid observandum in praxi, n. 15. & 16.
Impotentiæ impedimentum, quod, Tr. 14. d. 14. n. 63. f. 683. Dirimit matrimonium, & quando, n. 64. & seqq. Quid juris, si dubitetur, an ea præcesserit matrimonium, n. 67. f. 684. Vel an sit perpetua, n. 68.
Impropriatum, quid, Tr. 9. d. 6. n. 27. f. 565
Imposteres invalide contrahunt matrimonium, Tr. 14. d. 14. n. 71. f. 684. Et quo jure, n. 72. Impuberum vota possunt irritari a parentibus, Tr. 6. d. 3. n. 38. f. 216. Impuberes, quis, Tr. 3. d. 1. n. 22. fol. 267
Impudicitia est circa oculos, tactus venereos, & huiusmodi, Tr. 9. d. 4. n. 70. & seqq. f. 539. Oculi, tactus impudici, quale peccatum inter solutos, n. 71. f. 540. Quid, si fiant causa amicitiæ, n. 72. f. 1000. aut leviter, n. 73. Vel ex animi justa, v. g. mederidi, n. 74. Quid de fricatione podendorum, n. 75. Quid, si fiant inter Conjuges, nu. 76. Aut sponsos de futuro, nu. 77. f. 541. Aut sint tactus in partibus honestis, causa delectationis sensitivæ, nu. 78. Tactus impudici inter personas ejusdem sexus, quale peccatum, nu. 79. In tactibus libidinosis explicanda circumstantia personarum conspicuum, n. 80. Aspectus, verba, & cantus turpes inter Solutos, quale peccatum, n. 81. & seqq. Aspectus curiosi, præsertim fiat, quam periculosi, n. 84. Discrimen inter tactum, & visum, n. 85. f. 542. Levitas materiæ in re veneree, ne detur, n. 85. & seqq.
Incestus, quid, Tr. 9. d. 4. n. 35. fol. 535. Superadditi luxuriæ specialem malitiam, & ex quo gradu, nu. 36. Incestus inter diversos gradus, an specie distinguantur, nu. 37. & 38. fol. 536
Indulgentiæ variæ acceptiones, Tr. 22. d. 3. n. 1. f. 465. Quid sit, n. 2. & 11. Indulgentiæ non tollunt culpam, sed solum pœnam peccatorum, n. 12. & 13. f. 467. & 468. Indulgentia plenaria, plenior, & plenissima, an differant, n. 15.

n. 15. & 16. Plenaria, n. 14. Partialis, seu non plenaria, n. 17. Personalis, n. 22. f. 469. Localis, n. 23. Et Realis, quid, n. 24. Indulgentiæ mille, seu centum annorum, aut dierum, quomodo intelligendæ, n. 18. & 19. f. 468. Quadragena, Septena, & Carena, quid, n. 20. Hæ nulle negantur, n. 21. f. 469. Datur in Ecclesia potestas concedendi Indulgentias, n. 25. & 26. Qui possint eas concedere, n. 26. & seqq. f. 160. Ad earum valorem quatuor requiruntur conditiones, n. 30. & seqq. Indulgentiæ tantum valent, quantum labunt, &c. n. 35. f. 461. Qui sint capaces Indulgentiarum, n. 36. & seqq. An etiam Catechumeni, n. 39. & 40. fol. 462. Applicantur vivis per modum absolutionis, hæcenus annexam solutionem ex Thesauro Ecclesiæ, n. 38. f. 461. Animæ Purgatorii earum sunt capaces per modum Suffragii, n. 41. f. 462. Clausula *Per modum Suffragii*, quid importet, n. 42. Indulgentiæ inter conferuntur vivis, aliter Defunctis, n. 42. An certo prosint illis Defunctis, quibus applicantur, n. 43. & seqq. Cur diversæ Indulgentiæ pro eadem Anima applicentur, n. 47. f. 463. Ad lucrandas Indulgentias, an sit necessaria Confessio, & quando, n. 48. & seqq. Unica Confessio & Communio, an sufficiat pro pluribus Indulgentiis, nu. 51. f. 464. Et quanto tempore possit præcedere, nu. 52. An eodem opere possint obtineri plures Indulgentiæ, nu. 53. & seqq. Et eadem repetito opere sæpius, n. 56. & seq. Omittens levem partem operis injuncti, an incretur Indulgentiam, n. 59 & 60. f. 465. Non valens intrare Ecclesiam, an fors lucretur Indulgentias, n. 61. & 62. An, in illum Festo ell annexa Indulgentia, transito Festo, etiam eadem transferatur, n. 63. An Indulgentia Portiunculæ habeat aliquid speciale, n. 64. f. 466. Quomodo ibidem intelligendi sint termini: *Totus, partialis*, n. 65. Quando Indulgentiæ cessent, n. 66. Quæ Indulgentiæ per Psalum V. revocatæ, ac de novo Regulariter concessæ fuerint, n. 66. & seqq. f. 467. Indulgentiæ ab Innocentio XI. declaratæ tanquam Apocryphæ, n. 73. f. 468. Indulgentiæ, quæ defuncto solent ordinarie ad instantiam concedi Ecclesiis. Item, quæ Altaribus privilegiatis, nu. 76. fol. 471. Quomodo intelligenda sit clausula. *Dummodo alia familia, &c.* nu. 77. & seqq. De clausula, *Dummodo celebret Missa*, n. 79. f. 473. An non detur Altare privilegiatum cum minori numero Missarum, n. 80. Quo tempore incipiat concessio Altaris privilegiati, cessetve Indulgentiæ, n. 81. f. 474. Quomodo practice petenda sit pro Ecclesiis aliquis Indulgentia, n. 82. Qualiter petenda pro Altaris privilegiato quoad omnes Defunctos, n. 83. Quomodo pro Confraternitate, n. 84. Quomodo pro Altari privilegiato alicujus Confraternitatis, n. 85. An pro Expeditione Brevium Indulgentiarum aliquid debeat expendi, nu. 86 fol. 475
Indulgentiæ Stationum, quo dire possint lucrari, n. 68. f. 467. Indulgentiæ Altarium Privilegiatorum obtinentur celebrando Missam de Festo duplici occurrente, Tr. 14. d. 5. n. 101. f. 581. Indulgentiæ in Anno Sancto sufficiunt, Tr. 12. d. 3. n. 89. f. 476. Non tamen Indulgentiæ Altarium privilegiatorum, n. 95. f. 477. Nec Indulgentiæ pro mortis articulo concessæ, n. 96. Neque Indulgentia Ecclesiæ Portiunculæ, n. 97. Et quid de Indulgentiis particularibus, n. 98. & 99. Vide *V. Jubilæum*.
Infamia, quid, Tr. 13. d. 1. n. 55. f. 494. Alia juris, & alia facti. n. 56. Infamia juris, ob quæ crimina contrahatur. n. 57. & 58. Quomodo tollatur, nu. 59. Crimina inducentia infamiam juris, inducunt irregularitatem, & quando, Tr. 13. d. 3. n. 19. & seqq. f. 514
Infans, an possit ordinari, Tr. 14. d. 12. n. 45. fol. 647. Et an ordinatus teneatur servare continentiam, & recitare Breviarium, n. 46. Infantibus non est necessaria Fides actualis, Tr. 4. d. 2. n. 14. f. 105. Infantis quamdiu duret, Tr. 8. d. 1. n. 21. & 22. f. 266. & 267.
Infidelitas alia positiva, alia negativa, Tr. 4. d. 4. n. 1. f. 124. Culpabilis, & inculpabilis, n. 2. Pure negativa, & privativa, n. 3. Infidelitatis species generatim tres, nempe Paganismus, Judaismus, & Hæresis, n. 4. Quæ infidelitas sit cæteris gravior, n. 6. An, & quale peccatum, n. 7. & 9. fol. 125
Infidelium filii, an baptizari possint invitis parentibus? Tr. 14. d. 3. n. 8. & 9. f. 546. Cujus, in quibus hoc licitum est, n. 10. Infidelibus adultis quando confessur vera Fides sufficienter proposita, Tract. 4. d. 2. n. 30. fol. 108.
Inimici sunt ex speciali præcepto Charitatis diligendi, Tr. 4. d. 6. n. 15. f. 139. Vi hujus præcepti tenemur inimicis exhibere generalia signa Dilectionis, n. 16. & 18. Deponere odium, & internum rancorem erga eos, n. 19. Ejusque veniam rogantibus remittere injurium, non item satisfactionem, n. 20. Inimicis an sint exhibenda eriam specialia signa Dilectionis, n. 21. & seqq. f. 140. An sit licitum, odisse peccatum inimici, n. 24. Atque de ejus punitione lætari, n. 25.
Initiatio, quid, Tr. 11. d. 1. n. 24. f. 408. Initiatio tripler, videlicet authorizabilis, n. 25. Collativa, seu verbalis, n. 26. Ac corporalis, seu realis, n. 27. Hæc alio nomine vocatur *Investitura, Installatio, &c.* & quam sit necessaria, n. 28.
Integritas Confessionis duplex, materialis, & formalis, quæ, Tr. 14. d. 7. n. 28. f. 601. Regulariter requiritur Confessio etiam materialiter integra, n. 29. & seqq. In quibus casibus sufficiat sola ejus integritas formalis, n. 35. & seqq. fol. 603
Intentionis bonitas non sufficit ad tollendam mali-

malitiam medii pravi, Tr. 1. d. 2. n. 12. & seqq. fol. 13. Intentio judicat omnes, quomodo, nu. 24. Intentio bona nostris actionibus præfigenda, cur, num. 25. & 26. Commendatur bona intentio mane facta, & an sufficiat, n. 26. Sufficit ad meritum intentio virtualis, & quæ ea sit, nu. 27. Intentio in executione operis præcepti, duplex, Tr. 2. d. 3. n. 43. & 62. Qualis requiratur, ut impleatur præceptum, nu. 44. & seqq. Et quæ ad excitandam Horas Canonicas, Tr. 6. d. 1. n. 40. & 41. fol. 395. Intentio triplex, actualis, virtualis, habitualis, Tr. 1. d. 1. nu. 34. & 35. fol. 530. Qualis requiratur ex parte Ministri Sacramentorum, n. 36. & seqq. Intentio actualis in actu exercito, & in actu signato, declaratur, n. 38. Intentio ex parte recipientis, an, & quæ requiratur, n. 39. & 40. fol. 531. Disparitas, quod intentionem inter Ministrum, & recipientem, n. 41.

Interdictum potest infligi ob peccatum alterius, Tr. 13. d. 1. n. 20. f. 429. Obstat ratio inter Interdictum, & Excommunicationem, n. 22. Ac Suspensionem, nu. 26. fol. 430. Vide V. Censura. Interdictum, quid, Tr. 13. d. 2. nu. 90. & 91. fol. 509. Interdictum locale, generale, & particulare, nu. 92. Interdictis Civitate contenitur interdictio Sabaudiæ &c. nu. 93. Quid, si fidelitas sit interdicta, n. 94. Interdictum personale, & mixtum, nu. 95. & 96. Interdictio Cleri, vel Populi, qui censeantur interdicti, n. 97. Interdicti triplex est effectus, n. 98. & seqq. Interdictum, quomodo differat a Cessatione a Divinis, num. 108. & seqq. fol 511.

Interesse, in præcepto aliquid in minori vel forsan tanto immateriale, quid, Tr. 8. d. 4. n. 36. fol. 297.

Interpres medians, an possit, & debeat fieri Confessio, Tr. 14. d. 7. n. 23. & 39. f. 601 & 603. Interpres tenetur ad figillum Confessionis, Tr. 14. d. 9. n. 36. fol. 619

Interpretatio, quid, Tr. 2. d. 4. n. 1. f. 64. Interpretatio legum duplex, authentica, & doctrinalis, n. 2. Quomodo fieri debeat, n. 3. & seqq.

Interrogationes, an quando a Confessario necessariæ, Tr. 14. n. 8. n. 32. & seqq. f. 626. Cautela circa interrogationes, nu. 32. & 33. Quomodo se gerere debeat Confessarius in faciendis interrogationibus, nu. 34. Hic potest errare per defectum, & excessum, n. 35. Regulæ generales circa interrogationes faciendas nu. 36. & seqq. f. 627. Præsertim in materia fluxus, n. 37. An hæc instituenda post Confessionem, vel sub fin. n. nu. 39. & 40.

Invidia, quid, Tr. 6. d. 5. nu. 27. f. 93. Quale peccatum, n. 29. Reste continuentur inter Vitia Capitalia, n. 30. Ejus Filiæ, n. 31. Invidus propriè, quis, nu. 27. 28.

Involuntarium simpliciter, & secundum quid, Tr. 1. d. 1. n. 16. f. 7. An exilentur a violentia n. 27. Meta, n. 28. Concupiscentia, n. 32. & 33. fol. 8. Et Passione, nu. 34. Aut ignorantia, n. 42. & seqq. fol. 10

Ira, quid, Tr. 3. d. 3. n. 32. fol. 94. fit Satellitium irrationis, fbid. Ira ordinata, quale peccatum, n. 33. Ejus Filiæ, n. 34. & seqq.

Irregularis occultus, an possit celebrare ad vitandam infamiam, Tr. 2. d. 2. n. 28. fol. 51

Irregularitas, quomodo habeat rationem pœnæ, Tr. 13. d. 1. n. 46. fol. 492. Irregularitas, an & sic dicta, Tr. 13. d. 3. n. 1. f. 511. Et quid, n. 2. Dividitur in Irregularitatem ex delicto, & ex defectu, n. 3. Et quomodo hæ differant, nu. 4. f. 512. Irregularitas non est Censura, n. 5. Esto violans, non sit denuo irregularis; secus an Censuris, n. 6. Non incurritur, nisi Jure exprimatur n. 7. Et non absimilis, sed a solo Jure imponi potest, num. 8. An omnes solo Jure Ecclesiastico constituræ sint, num. 9.

Irregularitas ex delicto oritur ex Baptismo rei tento, Tr. 13. d. 3 nu. 10. fol 513. Quid, si ipsius conditione reiteretur, n. 11. An oriatur ex reiteratione Confirmationis, nu. 10. & Tract. 14. disp. 3 num. 53. fol. 552. Oritur quoque ex violatione cessuræ, & quomodo. Tr. 13. d. 3. nu. 12. & seqq. f. 513. Item ob insolitam susceptionem Ordinis, & quando? n. 15. & seqq. Quid de ordinato per saltum, aut ante legitimam ætatem, n. 17. Excommunicatio minor, si violetur, non inducit irregularitatem, n. 16. fol. 514. Hæretici, Schismatici, communque fautores, sunt irregulares, n. 18. Crimina inducentia infamiam juris inducunt irregularitatem, nu. 19. Quid, si crimina illa sint occulta, n. 20. & 23. Vel postea fiant publica, num. 22.

Irregularitas ex defectu variæ contingit, Tr. 13. d. 3. n. 24. & seqq. f. 515. Quomodo ex defectu animi, n. 25. & seqq. Ex defectu corporis, n. 28. Et quid de carnice oculo, aut viris oculi finistri, n. 29. & 30. Gibboso, & claudo, n. 31. f. 516. Ex defectu naturalium, nu. 33. & seqq. Ex defectu ætatis, nu. 36. Ex defectu libertatis, n. 37. Ex defectu Sacramenti, nu. 38. & seqq. Non sit irregularis, qui fornicatur cum pluribus, n. 43. fol. 517.

Irregularitas ex homicidio duplicitur contingit, & cur, Tr. 13. d. 3. n. 44. & 45. fol. 517. Iniuste matitiani, vel occidens sit irregularis, dummodo sit baptizatus, n. 46. & seqq. fol. 518. Licet homicidium sit occultum, n. 23. f. 514. Etiam mandans, vel cooperans ad illud, sit irregularis, n. 51. fol 518. Quid, si plures aliquem aggrediuntur, n. 52. Homicidium casuale an inducat irregularitatem, n. 53. & seqq. Irregularitas enim oritur ex homicidio publico authoritate facto, nu. 57. f. 519. Quid de cooperantibus ad illud, n. 58. & 59. Quid de Clerico injurium pulso, & conquerente coram Judice, &c. n. 60. Aut Confessario confitente Reum ad supplicium, n. 61. Occidens sine ces-

cessariam vitæ defensionem, non est irregularis, n. 64. fol. 520. Quid, si ob defensionem rerum suarum, n. 65. In bello justo, qui sunt irregulares, n. 62. Quid, si bellum sit injustum, n. 63. Aut mere defensivum, nu. 63. & 66. f. 521. Et quid de Clericis, n. 62. & 67.

Irregularitas tollitur per dispensationem, Tr. 13. d. 3. n. 68. & fol. 521. Papa dispensat in omni irregularitate, n. 70. Et quos, in quibus irregularitatibus dispenset, n. 71. f. 522. Quid de Capitulo Sede vacante, n. 72. Prælati Regulares, in qua irregularitate dispenset cum suis subditis, n. 73. & seqq. Forma dispensandi super irregularitate, n. 76. Ad quem debeat dirigi Supplex pro impetranda dispensatione circa irregularitatem, num. 77.

Irreligiositas, quid, & quæ vitia sub se contineat, Tr. 3. d. 3. n. 2. fol. 174

Irrisio, seq Derisio, quid, Tract. 9. d. n. 30. fol. 365.

Irritatio legis, quid, Tr. 2. d. 4. n. 26. f. 68. Irritatio votorum, a quibus, & quando fieri possit, Tr. 6. d. 3. n. 35. & seqq. fol. 225

Itinerantes, an, & quando exentur a jejunio, Tr. 10. d. 2. n. 70. & 71. f. 393. & 394

Jubilæum quid, Tr. 12. d. 3. n. 92. fol. 476 Jubilæum Annus Sancti exendi solet ad Diœceses ad sollicitantes, n. 90. Jubilæum extra Annum Sanctum qua ratione concedatur, n. 91. Et quæ Facultates in eo dentur, n. 93. 114. & seqq. f. 480. Quæque opera præscribi soleant, n. 100. fol. 477. Et qua ratione hæc sint præstanda, n. 101. & seqq. f. 478. Et quo tempore, n. 105. & seqq. Et quomodo comm communatio tunc fieri possit, nu. 109. f. 479 Jubilæum Romæ publicatum, an possit aliis lucrari lethaliter deceuntibus, n. 107. f. 478. Jubilæum possunt itinerantes lucrari post suum reditum, n. 113. f. 480. Jubilæum non possit bis obtineri, est probabilius, n. 116. & seqq. Quamvis non desint oppositum tuentes, n. 118. fol. 481. An sit valida absolutio a reservatis obtenta in Jubilæo ab eo, qui postea non peragit opera præscripta, n. 119. & seqq. Et quomodo talis peccet, num. 121. Vetare Jubilæi possit qui absolvit a reservatis colitis eo jam peracto, n. 122. An hoc ipsum procedat de commutatione votorum, nu. 123. & seqq. Probabilius est, in Jubilæo concedi facultatem absolvendi ab hæresi, nisi hæc excipiatur, Tract. 12. d. 3. num. 125. & seqq. fol. 482. Excepta Hæresi non excipiuntur casus eam sapientes, 130. fol. 483.

Judex, an obligentur legibus Ecclesiasticis, Tr. 12. d. 3. n. 5. & seqq. f. 56. Judex, qui, Tr. 4. d. 4. nu. 5. f. 224 Judex an in re facienda Libellus Repudii, Tr. 14. d. 13. nu. 56. fol. 661. Aut a Deo concedatur certere ubere, Tr. 8. d. 4. n. 17. & 18. fol. 294.

Judex, an possit sequi testem tium probabilem, relicta probabiliore, Tr. 1. d. 3. n. 56. & 59. fol. 22. & 34. & seqq. Quid agendum ei in judicando, n. 61. f. 34. Præsertim, quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, n. 62. Inter Judicem, & Advocatum differentia, n. 67. fol. 35

Judicium debet esse contes juramenti, Tr. 6. d. 2. n. 12. & 13. f. 205. Judex tres partes, Tr. 10. d. 1. n. 21. f. 378. Judicii Festus, an prohibiti, n. 21.

Judicium temerarium differt a Dubitatione & Suspicione, Tract. 9. d. 6. num. 56. fol. 369. Quid sit, nu. 58. An, & quale peccatum, n. 59. & seqq.

Juramentum debite factum, an sit bonum, Tr. 6. d. 2. n. 1. f. 203. Juramentum, quid, n. 2. Aliud affertorium, aliud promissorium, n. 4. f. 204. Simplex, & solemne, n. 5. Per simplicem Dei contestationem, & execrationem, quid, n. 6. An sit Juramentum, si quis per Idem fiam, aut Honorem Sacerdotalem, vel nobilitatis hæc aliquid affirmet, vel promittat, nu. 7. & 8. Quid sentiendum de aliis juramenti formulis, n. 9. & seqq. In his intentio loquentis spectanda, n. 10.

Juramenti tres comites, Tr. 6. d. 2. n. 12. f. 205. Quale peccatum si desit judicium in juramento, n. 13. Consuetudo iocaute jurandi, quale peccatum, n. 14. Quid de Consuetudine jurandi sine justa causa, nu. 15. f. 206. Justitia, quomodo requiratur ad Juramentum, n. 16.

Juramentum promissorium sine animo exequendi, est perjurium, nu. 17. Si fiat circa rem malam, quale peccatum, num. 18. Juramentum de re illicita non obligat, num. 19. Quid, si fiat de faciendo opere indifferenti, n. 20. & seqq. In omni juramento, & voto, quatuor conditiones tacite subintelligentur, quæ, n. 25. fol. 207. Hæ tamen non tenant juramentum conditionatum, num. 24. Juramentum promissorium de re bona obligat, n. 25. Quid, si fiat de opere meliori bono, n. 26. In juramento requiritur veritas, & sub qua obligatione, n. 27. & 28. & seqq. fol. 208. Juramenti promissorii violatio, quale peccatum, n. 31. Quid, si res promissa sit levis, n. 32. f. 209. Violare juramentum, & votum super eadem re factum, est duplex specie infinis, Tr. 3. d. 1. num. 49. fol. 80

Juramentum exigere a juraturo falsum an liceat, Tr. 6. d. 2. n. 33. & seqq. fol. 209. Præsertim in Judicio, n. 37. Aut a juraturo per falsos deos, vel Machometem, n. 36. Vel a juraturo bona fide contra veritatem, nu. 37. An liceat jurare cum restrictione mentali, n. 38. Vel equivoce, n. 39. & 40. fol. 210. Juramentum quis possit irritare, dispensare, commutare, n. 45. In juramento falso cur non excuset levitas materiæ, bene tamen in voto violato, Tr. 6. d. 3. nu. 14. fol. 417. Qui possit dispensare in votis, an idem possit in juramentis, & quid de Regularibus, n. 53. & 54. fol. 219. Juramentum non amplius ludendi, an valeat, Tr. 8. d. 4. n. 118. & 110. fol.

309. Juramenti hujus violatio, quale peccatum, n. 120. & 121.
Jurisdictio, quid, Tr. 14. d. 8. n. 8. f. 612. Ordinaria, & delegata, quæ, n. 9. & 10. Requiritur in Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, n. 2. & seqq. fol. 611
Jus, & lex, an differant, T. 2. d. 1. n. 3. f. 381. Jus humanum subdividitur in Jus Gentium, Civile, Ecclesiasticum, n. 9. & seqq. f. 35. Juris variæ acceptiones, Tr. 7. d. 2. num. 21. f. 256. Jus, ut objectum Justitiæ, quid, n. 22. Dividitur in jus ad rem, & jus in re, n. 24. f. 257. Jus in re, & jus ad rem, quid, & quomodo differant, n. 24. & 25. Juris in re species, quæ, Tr. 7. d. 3. n. 1. fol. 258. Jus utendi, & jus fruendi, quomodo differant, n. 7. f. 259. Jus naturæ aliud præceptivum, aliud permissivum, Tr. 7. d. 5. num. 15. fol. 264.
Jus patronatus, quid, T. 11. d. 3. n. 1. f. 425. Quibus modis acquiratur, n. 2. & seqq. Legitime acquisitum transit ad hæredes, n. 8. fol. 426. Et quomodo hi succedant, n. 9. Jus patronatus ab uno in alium transferunt quatuor modis, quibus, n. 10. & seqq. Nequit per se vendi, n. 14. Præcedit ex gratia Ecclesiæ, n. 15. Sed Locis conferitur pas, n. 16. Ejus etiam Laici, & fœminæ sunt capaces, n. 17. & 18. f. 427. Dividitur in hæreditarium, ac familiare, n. 20. Activum, & passivum, n. 21. Personale, ac reale, n. 22. fol. 428. Ac præcipue in Ecclesiasticum, ac Laicale, n. 23. & seqq. Jus patronatus mixtum, quid, & quomodo resolvatur, n. 26. & 27. Jus patronatus Ecclesiasticum, & laicale, differunt multiplicitèr, n. 21. & seqq. Juri patronatus laico Papa non derogat, nisi id exprimat, nu. 35. & 39. fol. 429. & 430. Quid de jure patronatus mixto, n. 36. & seqq. Vide *V. Patronus*.
Justitia Christiana involvit duo, T. 4. d. 1. n. 1. f. 98. Justitia requiritur ad juramentum, & quomodo, T. 6. d. 2. n. 12. & 16. f. 205. Justitiæ variæ acceptiones, T. 7. d. 2. n. 1. & 2. fol. 252. Justitia propriè, quid, n. 3. Reddit alteri jus, & quale, n. 4. Varietates justitiæ annexæ, quæ, n. 6. Justitia propriè dicta, an detur inter Patrem & filium? dominum & servum, n. 9. f. 254. Ea dividitur in commutativam, & distributivam, n. 13. Justitia commutativa, quæ, num. 14. fol. 255. Et qualem servet æqualitatem, n. 15. Justitia distributiva, quæ, nu. 16. Hæc servat proportionem Geometricam, illa Arithmeticam, n. 17. Utraque justitia dividitur in præmitivam, & punitivam, n. 19. Justitiæ objectum, quale, num. 20. fol. 256.
Justitiæ publicæ Honestatis impedimentum, quod, T. 14. d. 14. n. 126. fol. 693. Quando oriatur, n. 127. & seqq. Corollaria circa hoc notabilia, num. 129. fol. 695.

L

Laici sunt incapaces Beneficii Ecclesiastici, T. 11. d. 1. n. 6. fol. 405. Bene tamen sunt capaces Juris patronatus, Tr. 11. d. 3. n. 17. & 18. fol. 427. An etiam juris Decimarum, Tr. 11. d. 4. n. 30. & seqq. fol. 437.
Latria, quid, Tr. 5. d. 1. n. 25. fol. 158. Deo debetur cultus Latriæ, n. 27. Christus adoratur cultu Latriæ, n. 29. fol. 159. Et Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, n. 30.
Latrones publici, qui, Tr. 12. d. 2. nu. 29. & 30. fol. 451. Non gaudent immunitate, num. 28. & seqq.
Laus Dei, Tr. 5. d. 1. num. 22. fol. 157.
Lectionis materia, & forma, Tr. 14. d. 12. n. 19. fol. 643. Lectoris Officium, Ibid.
Legatum, quid, Tr. 8. d. 3. n. 64. fol. 288. An in Testamento minus solemni ad causas pias facto, valeant Legata profana, n. 65. Et econtra corruente Testamento ad causas profanas, corruant Legata pia, n. 66. & 67. An credendum Parocho, vel Confessario circa Legata pia defuncto relicta, n. 27. & 28. fol. 282.
Legitima debet relinqui in testamento hæredibus necessariis, Tr. 8. d. 3. n. 73. fol. 289. Legitima portio, quæ, n. 74. Non habet locum in Regnis &c. n. 75. fol. 290
Legislator, an teneatur propriis legibus, Tr. 1. d. 3. n. 17. & seqq. f. 48. Legislator, ejusque successor dispensat in lege propria, Tract. 1. d. 4. num. 15. & 17. fol. 60.
Lex Divina nullum reddit peccabile, Tr. 1. d. 3. n. 22. & seqq. fol. 25. Lex, unde dicatur, Tr. 2. d. 1. n. 2. fol. 37. Varia Legis nomina, nu. 3. An differat a jure? Ibid. Lex quid, n. 4. f. 39. Lex naturalis, & positiva, n. 6. & 7. Positiva Divina duplex, n. 8. Positiva humana, quæ, & quomodo dividatur, n. 9. & seqq. Legis encomia, n. 22. fol. 140. Ejus conditiones, n. 12. 23. & seqq. Quomodo differat a simplici præcepto, nu. 18. & 19. fol. 41. Ut lex obliget in conscientia requiritur ejus promulgatio, nu. 20. An interdum extendatur ad præterita, quomodo, nu. 21. & 22. fol. 42. Scripturæ non est de substantia legis, n. 23. Leges civiles, qualem requirant promulgationem, n. 24. & 25. Lex Pontificis Romæ promulgata, an illico obliget pro toto mundo, num. 26. & seqq. Legem accepari, & usu recipi, quid, nu. 32. fol. 43. Ad eam an requiratur acceptatio populi, n. 34. fol. 44. Leges firmantur, cum moribus utentium comprobantur, quomodo, n. 35. An legem teneatur populus acceptare, n. 36. & seq. Corollaria quoad hoc, Ibid. Lege humana, quænam generatim præcipi possint, n. 41. & seqq. fol. 45. Idem actus potest præcipi pluribus legibus, n. 45. Actus interni an possint præcipi lege humana, n. 46. & seqq. Quid de inhonesto, num. 51. fol. 46.

Lex

Lex vetus, quos obligaverit, Tr. 1. d. 1. n. 3. & seqq. fol. 47. Quando cesserit, num. 5. Ejus præcepta alia moralia, alia cæremonialia, & alia judicialia, n. 1. Hæc, an defecto obligent, n. 6. & seqq. Differentia inter præcepta cæremonialia, & judicialia veteris legis, n. 10. fol. 48. Lex nova, quibus nominibus appelletur, n. 12. fol. 49. Ea lata est a Christo pro toto Mundo, obligat etiam Judæos ac Gentiles, n. 13. Quando cæperit obligare, n. 14. Lex nova excedit veterem multis modis, n. 15. & seqq.
Leges humanæ tam Ecclesiasticæ, tum Civiles, an obligent in conscientia & sub peccato, T. 2. d. 2. n. 20. & seqq. fol. 50. An obligent cum periculo vitæ, vel gravis incommodi, & quando, n. 23. & seqq. fol. 51. Lex humana moralis, & pœnalis, quid, nu. 29. fol. 52. Dantur Leges mere pœnales, n. 30. & seqq. Unde colligitur, legem esse mere pœnalem, n. 32. & seqq. Leges pœnales an obligent in conscientia ad subeundam pœnam, n. 34. & seqq. fol. 53. Legibus Pontificis qui obligentur, T. 2. d. 3. n. 1. fol. 55. & seqq. An etiam Hæretici, num. 2. & seqq. Et Judæi, ac Pagani, n. 5. & seqq. fol. 56. Leges inferiorum Prælatorum, quos obligent, n. 9. & seqq. In legibus vis obligandi directiva, & coactiva, quid, n. 12. fol. 57. Leges civiles an obligent Ecclesiam, & Clericos, n. 13. & seqq. Legibus a Republica latis tenentur fugati ex illa, n. 16. Legislator, an teneatur propriis legibus, n. 17. & seqq. fol. 58. Peregrini an obligentur legibus & consuetudinibus locorum per quæ transeunt, num. 20. & seqq. Quid dicendum quoad hoc de legibus universalis Ecclesiæ, quando ipsæ alibi, sed non in propria patria obligant, n. 27. & seqq. fol. 59. Quid econtra, si hæc in patria obligent, sed non in loco, ubi quis hospitatur, n. 30. fol. 60. Varia quæsita quoad obligationem legum particularium locorum circa Peregrinos, n. 31. & seqq. Qua intentione, quibusque actibus satisfiat præcepto legis, nu. 43. & seqq. fol. 62. An possit a duplici præceptum legis per actum malum, n. 48. & seqq. f. 63. An uno actu possit satisfieri pluribus præceptis, nu. 52. & seqq. An eodem tempore per plures actus satisfieri possit pluribus præceptis, nu. 54. & 55. fol. 64. Transgressio Legis ex contemptu, quando fiat, Tr. 3. d. 2. n. 19. & 20. fol. 86
Legum interpretatio, quid, & quomodo faciendæ, Tr. 2. d. 4. n. 1. & seqq. fol. 64. Lex pœnalis, & odiosa, stricte est interpretanda, n. 6. & seqq. fol. 65. Leges favorabiles ample sunt interpretandæ, n. 8. Interpretatio legum quomodo differat ab Epicheja, n. 9. & 10. Legum dispensatio, an, & a quibus fieri possit, n. 12. & seqq. f. 66. Leges semel latæ, an, & quomodo possint denuo revocari, nu. 28. & seqq. f. 68. Lex nova generaliter lata, an tollat præcem, n. 30. & 31. f. 69. An consuetudines, & statuta particularia locorum, n. 32. Cessante causa legis, an cesset ipsa lex, n. 33. & 34. Leges, an, & quomodo tollantur per contrarium usum, n. 37. & seqq. f. 70
Libellus famosus, quid, & quæ ejus pœna, T. 9. d. 6. n. 32. fol. 565. Libellus Repudii, an fuerit licitus Judæis, Tr. 14. d. 13. n. 56. fol. 661
Libri Canonici, qui, Tr. 4. d. 3. n. 23. & seqq. f. 117. Hunc vel illum Librum esse Canonicum, unde constet, n. 26. & seqq. Vide *V. Scriptura Sacra*. Librorum perversorum, præsertim hæreticorum, lectio recte prohibetur, T. 4. d. 4. n. 39. f. 130. Duplex circa eam prohibitio Ecclesiæ, n. 40. & 42. f. 131. An excesserit parvitas materiæ, & quæ sit talis, 41.
Linea Consanguinitatis, quæ, & quotuplex, Tr. 14. d. 14. num. 96. & 97. fol. 688
Litaniæ majores, an extra Chorum sub præcepto dicendæ, T. 6. d. 1. n. 36. & seqq. fol. 194
Litteræ Fraternitatis, Vide *V. Suffragium*.
Locatio, quomodo differat a Commodato, T. 8. d. 2. nu. 28. fol. 273. Inter Locationem, & Mutuum, magna est disparitas, Tract. 8. dist. 4. num. 21. fol. 295
Locupletari nemo debet cum alterius jactura, quomodo, Tr. 7. d. 6. n. 7. fol. 259
Loth, quomodo excusetur ab incestu, Tract. 1. dist. 1. num. 10. fol. 3
Ludus duplicitèr accipitur, Tr. 8. d. 4. n. 103. fol. 307. Ludi in contractus an licitus, n. 104. Requiruntur tres conditiones ad ejus justitiam n. 105 & seqq. Ludus e principaliter propter lucrum, an sit peccatum, num 108. & seqq. fol. 308. Ludus alearum est prohibitus Clericis ac Religiosis, n. 110. Imo etiam Laico, n. 112. Per ludum Aleæ num, quid intelligatur, n. 111. Qui laceratur ludo prohibito, an teneatur ad restitutionem, n. 113. Juramentum non amplius ludendi, an valeat, n. 118. & 119. f. 300. Violatio talis juramenti, quale peccatum, num. 120. & 121.
Luxuria, quid, & quale peccatum, Tr. 3. d. 5. n. 17. f. 92. Recte numeratur inter peccata Capitalia, n. 18. Ejus filiæ sunt octo, quæ, num. 19. Luxuria, quid, & quæ species ejus, Tr. 9. dist. 4. num. 1. & 2. fol. 339. An hæ omnes distinguantur in genere luxuriæ, n. 10. Plures luxuriæ species concurrunt quandoque in eodem actu, n. 69. f. 339. Levius materiæ in re veneræ, an detur, n. 83. & seqq fol. 342
Lyturgia, quid, Tr. 14. d. 5. n. 15. fol. 565.

M

Magia naturalis, quid, Tr. 5. d. 2. n. 42. f. 172. Est periculosa, Ibid. Magia superstitiosa, quid, n. 43. Duplex ejus finis, n. 44. Est peccatum mortale, habetque annexa multa alia peccata, n. 45. Vide *V. Maleficium*.
Magnanimitas, quid, Tr. 7. d. 1. n. 36. f. 228
Maledictio, quale peccatum, de Tr. 4. d. 7. n. 13. f.

12. f. 147. Cui virtuti repugnet, n. 14 Maledicto, sive Maledicto, quid, & unde ejus malitia dimetienda, Tr. 6. d. 6. n. 23. & 29. f. 365
Maleficium, quid, Tr. 5. d. 2. nu. 44. f. 172. Est peccatum mortale, & habet annexa multa alia peccata, n. 45. Remedia adversus Maleficia, quæ, n. 46. & seqq. Signa magica tollere, ut diabolus nocere desinat, an licitum, n. 49. & seqq. f. 173. Quid agendum Confessario cum Malefico pœnitente, n. 52. & seqq. An Maleficus pœnitens teneatur curare libri chyrographum a dæmone redditum, n. 53. Quid agendum circa bona Malefico per diabolum data, n. 55. Quomodo is mutandus contra relapsum, n. 56.
Malitia actus humani, Vide V. Actus.
Malum culpæ non licet fieri cum ordinatione ad bonum finem, Tr. 1. d. 2. n. 15. & seqq. f. 14. Ex duobus malis minus eligendum, Ibid.
Manducando, quid, & quomodo contra eam peccetur, Tr. 7. disp. 1. n. 26. fol. 227
Martyrium est excellentissimus actus Fortitudinis, Tr. 7. d. 1. nu. 39. f. 229 Quid sit, n. 40. Et quæ ad illud requirantur in adultis, n. 41. 42. & seqq. Quid sufficiat in parvulis, n. 43. Hæretici propter Sectam suam occisi, non sunt Martyres, n. 43. Quid, si dormiens occidatur ex odium Fidei, n. 45. f. 230. Milites pugnantes contra Infideles an fiat Martyres, n. 46. & seqq. Morientes pro defensione cujuslibet virtutis supernaturalis, sunt vere Martyres, n. 49. & 50. Quid, si Tyrannus alios prætextu fingat, n. 51. Ad Martyrium quomodo requiratur, ut mors inferatur, n. 52. f. 231. Missi in carcer in, vel exilium, propter fidem, an, & quando sint Martyres, n. 53 Martyres desiderio, an sint propriæ Martyres, n. 54. Pulchræ sententiæ circa Martyrium sine sanguine, nu. 55. Morientes in cultu pii, v. g. Servitio pestiferorum, an sint Martyres, n. 56. & 57. Ad Martyrium requiritur vel fictus gratiæ, vel dispositio ad eam; & qualis sufficiat, n. 58. & 59. f. 232. Injuriam facit Martyri qui orat pro Martyre, n. 60. Martyrium supplet vicem Baptismi, Tr. 14. d. 2. n. 64. f. 544. Et confert gratiam ex opere operato, Ibid.
Materia Sacramentorum duplex, remota, & proxima, Tr. 14. d. 1. In 18. fol. 527. Fuit a Christo determinata; & quomodo, n. 20. & seqq. Mutatio ejus, an & quæ irritet Sacramentum, n. 24. & seqq. f. 528. Uniformitas in materia, & forma Sacramentorum, quomodo detur, Tr. 14. d. 12. n. 38. f. 646
Matrimonium, an sit materia ejus Voti, Tr. 6. d. 3. n. 7. f. 311. An sit necessarium, Tr. 14. d. 2. nu. 71. fol. 545. Matrimonium dicitur *Magnum Sacramentum*, cur, Tr. 14. d. 13. n. 1. fol. 651. Appellatur Conjugium, Connubium, Nuptiæ, Sponsalia de præsenti, n. 2. Matrimonium, Contractus matrimonii, & Sacramentum matrimonii distinguuntur, n. 3. f. 652. matrimonium, quid, n. 4. Dividitur in legitimum, ratum, & consummatum, n. 5. Est Sacramentum novæ Legis, n. 8. Quando sit institutum a Christo, n. 9. Qua ratione jam antea fuerit institutum, n. 10. Bona matrimonii, quæ, n. 12. & 13. f. 653. Materia remota, & proxima ipsius, n. 14. Et forma, quæ, n. 15. & seqq. fol. 654. An id mutuo & turdus contrahere valeat, n. 16. Minister ejus sunt ipsi contrahentes, n. 18. & seqq. An contrahentes in statu malo, committant duplex peccatum mortale, n. 20. Parochus quomodo assistat matrimonio, n. 21. & seqq. Vide V. Parochus. Matrimonium an possit contrahi per Procuratorem, nu. 26. f. 655. Ad ejus valorem qualis requiratur consensus, n. 27. & seqq. Atque simultas mutui consensus contrahentium, n. 28. Quid de consensu ex meru præsitio, n. 29. & seqq. f. 656. Metus reverentialis, an irritet matrimonium, n. 33. & seqq. Quid de consensu Parentum, n. 36. & seqq. f. 657
Matrimonii unitas, duplex, Tr. 14. d. 13. n. 59. f. 658. Pluralitas simultanea uxorum, an licita, n. 40. & 41. Quid de successiva, n. 42. & seqq. Quid, si quis non certificatus de morte prioris conjugis, denuo contrahat, n. 45. & seqq. fol. 659. Matrimonium est indissolubile; quomodo, n. 52. & 53. & seqq. fol. 660. Quid de Lege veteri, n. 56. fol. 661. Et matrimonio Infidelium, n. 54. & 57. Matrimonium ratum fidelium dissolvitur quoad vinculum per Professionem Religiosam, n. 58. & 59. Non vero per susceptionem Ordinis Sacri, aut Votum simplex Castitatis, n. 59. An possit dissolvi ex dispensatione SS. Pontificis, n. 60. & 61. Quid de Matrimonio consummato Fidelium, n. 62. & seqq. fol. 662. Disparitas inter matrimonium ratum, & consummatum, n. 64.
Matrimonii finis principalior, Tr. 14. d. 3. n. 66. & seqq. f. 663. Quomodo conjuges teneantur cohabitare, n. 67. & seqq. Quid de debito conjugali, num. 71. & seqq. Vide V. *Debitum conjugale*. Matrimonium contrahens male fide, an possit petere, vel reddere, n. 84. f. 665. ac n. 49. & 50. f. 659. Quid, si dubium de valore matrimonii supervenat, n. 85. f. 665. Aut hujus invaliditas certo fcatur, n. 86. Matrimonii impedimenta; & a quo statui possint, Tr. 14. d. 14. n. 1. & seqq. f. 674. Vide V. *Impedimenta matrimonii*. Matrimonium tempore Sacrato, quomodo sit prohibitum, n. 12. f. 676. Quid censendum de matrimonio inter Catholicos & Hæreticos, n. 80. & seqq. f. 686
Matrimonium clandestinum, quod, Tr. 14. disp. 14. nu. 131. & 132. f. 695. Mala irremediabilia olim ex iis orta, n. 133. f. 699. Annullantur per Concilium Tridentinum, n. 134. Quo tempore Decretum Concilii obligare incipiat, n. 134. Quomodo Ecclesia possit irritare matrimonium clandestinum, etiam ut Sacramentum, n. 135. Ad valorem matrimonii, qualis requiratur præsentia Parochi, n. 136. & seqq. Ac testium, nu. 140. & 141. f. 697. Vide V. *Parochus*. Quid juris, si contrahentes e loco recepti Concilii emigraverint ad locum non recepti Concilii, nu. 142. & seqq. f. 743. fol. 698. Præsertim, si illic pergant solo animo contrahendi sine Parocho & Testibus, n. 145. & seqq. Matrimonis Hæreticorum an valeant, non obstante absentia Parochi, n. 140. & seqq. f. 459. Quid, si Parochus metu Infidelium abfit, vel lateat, n. 152.
Medicus, an possit sequi sententiam probabilem relictæ probabiliori, Tr. 1. d. 3. n. 56. & 59. f. 32. & 33. Quid ei observandum in curando infirmo, n. 60.
Membrum, quid, Tr. 13. d. 2. n. 50. f. 581
Mendacium est triplex, jocosum, officiosum, & pernitiosum, quid, & quale peccatum, Tr. 7. d. 2. n. 11. f. 234. mentiri in Confessione, quale peccatum, Tr. 14. d. 7. nu. 15. & seqq.
Meretrix publica, quomodo sufficienter explicet peccata sua in Confessione, Tr. 14. d. 7. n. 33. f. 616.
Meritum, quid, Tr. 1. d. 2. n. 40. f. 19. Meritum de condigno, & de congruo, quid, n. 41. f. 20. Ad meritum de condigno requiritur status viæ, & status gratiæ, n. 42. & seqq.
Metoposcopia, quid, Tr. 5. d. 2. n. 20. f. 168.
Metus, an causet in voluntarium, Tr. 1. d. 2. n. 28. & seqq. f. 7. Pro nullo metu debet quis peccare, n. 29. Pœna, contractus &c. metu initi, an valeant, n. 30. Metus gravis, & levis, quid, n. 31. f. 8. Metus gravis ab intrinseco proveniens, non invalidat contractum, Tr. 8. disp. 1. n. 16. f. 366. Idem dicendum de metu ab extrinseco, fed juste incusso, n. 17. Quid si contractus ex meta gravi injuste incusso celebretur, n. 18. & seqq. Metus gravis, an excusset ab incurrendis Censuris, Tr. 13. d. 1 nu. 32. & 33 fol. 491. An irritet Matrimonium, ac Sponsalia de futuro, Tr. 14. disp. 13. n. 29. 30. & seqq. fol. 656. Et quid de metu reverentiali, n. 33. & seqq. Metus reverentialis, quis, n. 34.
Milites pugnantes contra Infideles, an fint Martyres, Tr. 7. d. 1. n. 46. & seqq. fol. 230. Exercent actum valde meritorium; & sententiæ notabiles circa hoc, n. 48.
Minister Sacramentorum, quis, Tr. 14. d. 1. n. 32. f. 530. Aliqua Sacramenta requirunt Ministrum consecrum, alia non, num. 33. Ex parte Ministri qualis requiratur intentio n. 36. & seqq. Ex parte ejus quæ generatim requirantur ad Sacramentorum administrationem, n. 41. Ministri improbitas Sacramenta non invalidat, num. 43 Tamen ad hæc licite Ministranda requiritur in ipso status gratiæ, n. 44 Quid de Ministro non confecrato, n. 45. Vel in casu necessitatis, Ibid. Ab indigno Ministro an possint peti Sacramenta, nu. 54. & seqq. fol. 533. An is graviter peccet, dum alias Functiones sacras exercet in statu malo, n. 58. f. 534. Minister Baptismi, Vide V. *Baptismus*. Tres Regulæ aureæ, a Ministro Sacramentorum observandæ, Tr. 1. d. 3. n. 57. fol. 32
Minorennis, quis, Tr. 8. d. 1. n. 22. f. 297. An possit contrahere sine authoritate Curatoris, n. 28. Corollarium de perdente luden 60, n. 28. An tunc obligetur naturaliter, n. 30. f. 268. Quid, si contrahat cum consensu Curatoris, n. 31.
Misericordia, quid, Tr. 4. d. 6. n. 30. f. 141. Vitia eidem opposita, Ibid. Opera misericordiæ alia corporalia, alia spiritualia, & quæ, n. 31. & 32.
Missam prius audire an teneatur, qui exit e loco, ubi est Festum, sed perventurus est ad locum, ubi non est dies Festus, Tr. 2. d. 2. n. 35. & seqq. f. 63. Quando teneamur prævenire audiendo Missam, nu. 37. Missam celebrare ante dictum Maturinum, an sit peccatum mortale, Tr. 6. d. 1. nu. 75. f. 200. Missa reverenter audienda diebus Festis, Tr. 12. d. 1. num. 36. f. 580. Peccat mortaliter negligens notabilem ejus partem, & quæ talis sit, n. 137. Audire Missam, in quo consistat, nu. 38. & 39. An sat audiat audiens duas Missæ partes diurnum celebrantium simul, nu. 40. f. 581. Vel successive, nu. 41. Auditio Missæ non præferenda Concioni, n. 42. Quæ causæ excusent a præcepto audiendi Missam, n. 44. & seqq. Quomodo impotentis physica, n. 45. Et moralis, & quibus modis hæc accidat, nu. 46. & seqq. f. 582. Distantia loci, an causa excusset, nu. 49. & 50. An impedit audire Missam, teneantur domi orare, n. 55. fol. 583. Missa vox antiquissima, & vocatur Græce Lyturgia, Tract. 14. d. 5. nu. 15. f. 505. In ea distinguitur ratio Sacramenti, Sacrificii, & Missæ, n. 16. Missa Catechumenorum, & Missa Fidelium, n. 17. f. 506. In Missa offertur Deo verum Sacrificium, n. 18. & seqq. Missæ Sacrificium est increentum, cujus Hostia principalis est Christus, n. 20. Panis & vinum, Hostia minus principalis, nu. 21. Christus quomodo offeratur in Missæ Sacrificio, nu. 22. Objectio notabilis, ejusque solutio, quomodo Hostia in Missæ Sacrificio immoletur, n. 23. usque ad n. 28. f. 567. Missæ Sacrificium non offertur Sanctis, n. 8. fol. 564 Omnia Sacrificia antiqua coadunantur in uno Missæ Sacrificio, n. 14. fol. 565. In Missæ Sacrificio offerens principalis est Christus Dominus, n. 29. & 30. fol. 568. Sacerdos celebrans, proximus Minister, n. 31. Alii Fideles quomodo offerant, n. 32. fol. 569. Essentia Sacrificii Missæ in quo consistat, n. 33. 34. & seqq. In Parasceve non fit Sacrificium Missæ, n. 35. & 109. f. 569. & 582. Ad istud an requiratur Confe-
cratio

cratio utriusque speciei, n. 38. & 39. f. 596. & 570.
Missa habet valorem ex opere operato, & opere operantis, Tr. 14. d. 5. n. 20. fol. 570. Ista Eucharisticum, ac Eucharisticum, nu. 41. Propitiatorium, & quomodo, n. 42. & 43. f. 571. Satisfactorium, num. 42. & 43. Ac impetratorium, num. 42. & 46. Ejus effectus impetratorius bonorum temporalium, aquæ salutabilis, n. 47. Valor Missæ mensis infantis, licet obstante infantiæ meritorum Christi, & cur, n. 48. & seqq. fol. 582. Missa pluribus applicata prodest minus singulis, n. 51. Quid de pluribus inter eruentibus, ac peccet mortaliter, n. 102.
de pluribus inter eruentibus, aut adhantibus, n. 52. Sacerdos pluribus stipendia non satisfacit, si unicam Missam celebret, num. 53. & seqq. fol. 573. Fidelibus plus prodest, si Missa sibi curent celebrari in vita, quam post mortem, num. 56. In Missa duo sunt consideranda, n. 57. Missa unius Sacerdotis an tantum valeat, quantum bona, no. 58. & seqq. Missa potest offerri pro vivis atque defunctis, non vero pro damnato, aut Sancto, n. 62. & 63. fol. 522. An possit offerri pro peccatoribus, nu. 63. Excommunicatis, nu. 64. 65. Et infidelibus, n. 66. & seqq. fol. 575
Missa tripliciter prodest, specialissime, generalissime, & specialiter, Tr. 14. d. 5. n. 46. fol. 575. Missa specialiter prodest iis, quibus, applicatur a Celebrante, n. 70. f. 576. Quid, si nesciat applicuerit, nu. 71. Aut Celebrans eam applicet contrarium obligationem, vel voluntatem Superioris, num. 72. Applicatio Missæ an sufficiat habituale, n. 73. Et quando fieri debeat, n. 74. An sit licitum celebrare cum reservatione applicationis, num. 75. Vel Missam applicare proximo dando illi pecuniam, num. 76. Praxis optima applicandi Missam, n. 77. Expedit etiam facere secundam intentionem, quomodo, nu. 78. & 79. fol. 577. De fructu Missæ plus participat dignæ celebrans, quam alii, n. 80. Missam primam celebrantes, aut eam audientes Religiosi, lucrantur Indulgentiam plenariam, Tr. 2. d. 3. n. 71. f. 468. Missam celebrans in peccato mortali, graviter peccat, si sol gravia, qui fingit se confiteri, Tr. 14. d. 1. n. 48. f. 572
Missam celebrandi obligatio, ex variis titulis potest incumbere Sacerdotibus, Tr. 14. d. 5. n. 81. fol. 578. & seqq. An, & quoties per annum Sacerdos simplex celebrare teneatur, n. 82. Sacerdos curatus, quinis diebus celebrare debeat, n. 83. An tunc teneatur Missam applicare pro Parochianis, n. 84. & seqq. Beneficiarius, quoties celebrare teneatur, n. 87. quid, si infirmetur ad tempus, num. 88. An Beneficiarius, qui quotidie celebrare tenetur, possit quandoque abstinere, nu. 89. fol. 579. Aut pro alia intentione celebrare, n. 90 An satisfaciat anticipando Missas, n. 91. Obligatus ad celebrandum in certa Ecclesia, vel Altari, an, & quomodo peccet alibi celebrando, n. 92. & seqq. Et alibi celebrans teneatur ad restitutionem, n. 94. fol. 580. n. 301 Sacerdos Missam aliis legendam date reverta parte stipendii, n. 95. Limitatur hoc in certis casibus, n. 96. An & quomodo peccet, qui sit in mala celebrat di Missa desistat, n. 97. & seqq. Secordos tenetur dicere Missam petentibus, nisi obsit Ritus Ecclesiæ, n. 100. Quid de Missis votivis, ac de Requiem in Festis duplicibus, & Indulgentiis Altarium Privilegiatorum, nu. 101. fol. 581. Obligatio celebrandi Missam ratione stipendii, qualis, nu. 102. Unicam Missam omittens, ac peccet mortaliter, n. 103.
Missa quotcumque sit celebranda, Tr. 14. d. 5. nu. 104. & seqq. fol. 581. An sit licitum quotidie celebrare, n. 109. fol. 582. Quid de Feria quinta Cœnæ Domini, & Sabbato Sancto, n. 110. Non licet plures Missas eodem die celebrare, nu. 111. Excepto die Nativitatis Domini, n. 112. Et alio necessitatis, nu. 113. & 114. Missa, quo in loco sit celebranda, n. 115. fol. 583. Quid in casu necessitatis, nu. 116. & 117. Aut disp nsationis, n. 118. An sit licitum celebrare Missam in aqua, vel nave, nu. 119. fol. 584. Non potest Missa celebrari in Ecclesia pollata, n. 120 & seqq. Per celebrationem Missæ an reconciliatur Ecclesia polluta, n. 133. fol. 586. Quid agendum, si durante Missa violetur Ecclesia, n. 129. & 136. fol. 584. & 586. Vel Ecclesiam ingrediatur excommunicatus vitandus, Tr. 13. d. 2. n. 40. fol. 502. An plures possint eandem Hostiam consecrare, Tr. 14. d. 5. n. 122. & seqq. f. 588. Quid de Sacerdotibus in sua Ordinatione cum Episcopo proferentibus verba Consecrationis, n. 140. & seqq. fol. 587. Quid agendum, si aqua pro vino infundatur, n. 144. & seq. fol. 587.
Modestia, quid, & quæ vitia ei opponantur, Tr. 7. d. 1. n. 30.
Moluera contractus, quis, Tr. 8. d. 4. num. 46. f. 256. Est illicitus, n. 27.
Mollities, seu Immunditia, quid, & quale peccatum, Tr. 9. d. 4. n. 44. fol. 335. Est intrinsece mala, & in nullo casu licita, n. 45. An liceat Medico applicare media ad eam procurandam, n. 46. & seqq. Omnes pollutiones an sint ejusdem speciei, n. 49. & 50. f. 336. Pollutio indirecte voluntaria, quale peccatum, n. 51. & seqq. Qualiter peccaminosus sit effectus pollutionis, si causa sit tantum venialiter mala, n. 54. Quid de pollutione in somno orta, n. 55. f. 337. An sit licitum, eam desiderare, nu. 56. Aut de ea naturaliter secuta gaudere, n. 57. A pollutione, quomodo differat Distillatio, n. 58. & 59.
Montes Pietatis, qui? eorumque origo, Tr. 8. disp. 4. nu. 28. fol. 342. An sint liciti, n. 29. & seqq.
Monstra, an, & quomodo baptizanda. Tr. 14. disp. 3. n. 37. fol. 550

Moribundi ad actus Virtutum Theologicarum maxime excitandi, Tr. 4. d. 3. n. 28. fol. 109. De Moribundis, & quomodo absolvi possint, notabile Corollarium, Tr. 11. d. 6. num. 63. fol. 497. Moribundus an sit absolvendus, si amplius integre confiteri non potest, Tr. 14. d. 7. n. 64. & seqq. fol. 608. Quid, si dedit signa petitæ Confessionis absente Confessario, n. 66. & seqq. Quid, si subito sensibus destituatur tale signum non dederit, nec dare possit, n. 00. & seqq. f. 609
Morositas, quid, Tr. 7. d. 2. n. 12. f. 234
Mortem sibi optare a Deo, an sit licitum, Tr. 4. d. 7. n. 9. f. 147. An liceat mortem optare parentibus ob aliquod emolumentum temporale, n. 10. & seqq. Mortis articulus, & periculum, quid, Tr. 14. d. 9. n. 13. f. 616
Motiva credibilitatis Fidei, quæ, Tr. 4 d. 3. n. 55. fol. 122. Fides non resolvitur in motiva humana, num. 56.
Multiloquium, quale peccatum, Tr. 7. d. 3. num. 55. & 56. fol. 96
Manus a manu, a lingua, & ab obsequio, quid, Tr. 5. d. 3. n. 39. fol. 181. Munus tripliciter accipitur, Tr. 12. d. 1. n. 2. fol. 240
Murilario prohibetur quinto præcepto Decalogi, Tr. 9. d. 3. n. 3. f. 320. Mutilatio enormis, & non enormis, Ibid. Ratione mutilationis, quæ restitutio facienda, n. 58. fol. 237. Et mutilatione hominis oritur irregularitas, Tr. 13. d. 3. n. 46. & seqq. fol. 518. Mutilatio, quid, num. 49. & 50.
Mutis & surdiva nativitate, quæ Sacramenta ministrari possint, Tr. 10. d. 3. n. 44. f. 401. An eorum Eucharistia, n. 45. f. 402. Et quid de matrimonio, n. 44. & Tr. 14. d. 13. n. 16. fol. 674. Mutus quomodo confiteri, & absolvi possit, Tr. 14. d. 7. n. 78. fol. 603
Mutuum, quid, & unde sic dictum, Tr. 8. d. 4. n. 2. 3. & seqq. f. 292. In mutuo dominium rei transfertur in Mutuatarium, nu. 4. & 5. Qui possint mutuum dare, vel accipere, n. 6. Ex mutuo quando obligetur Civitas, Ecclesia, Monasterium, &c. num. 7. Quid de filiis familias mutuo accipientibus, n. 8. & 9. fol. 293. Inter contractum mutui, & locationis, magna est disparitas, n. 21. fol. 295. In mutuo an posset aliquid exigi ratione lucri cessantis, damni emergentis, &c. nu. 32. & seqq. f. 297. Vel pacisci de pœna solvenda, n. 31. & 39. fol. 296. & 298. An pro sola carentia pecuniæ quid exigi valeat, n. 40. & seqq. In mutuo an aliquod exigi possit ultra sortem authoritate Principum, vel consuetudine Provinciarum, n. 43. f. 290. Quid de praxi Romani Imperii, n. 46. & 47. Inter mutuum, & censum, multiplex differentia, num. 69. & seqq. fol. 363. Mutuum, quomodo differat a Cambio, n. 73. Et Commodato, Tr. 8. d. 2. num. 29. fol. 274

N

Nativitas est modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium, Tr. 7. d. 5. n. 32. f. 256
Necessitas medii, & præcepti, quæ, Tr. 4. d. 2. nu. 12. fol. 140. & Tr. 14. d. 2. n. 12. fol. 513. Quæ necessitate Baptismus sit necessarius ad salutem, Tr. 14. d. 2. n. 59. & seqq. fol. 598 Quid de aliis Sacramentis, n. 65. f. 544. Necessitas proximi triplex, extrema, gravis, & communis, Tr. 4. d. 6. n. 38. fol. 112. Necessitatem patientibus quando sit danda eleemosyna sub præcepto, n. 36. & 40. ac seqq. f. 143
Neophyti, qui, Tr. 13. d. 3. n. 57. f. 515. Neophyti sunt irregulares, ibid.
Notæ veræ Ecclesiæ Christi, quæ, Tr. 4. d. 3. n. 20. & seqq. f. 114. Et conveniunt soli Romanæ Ecclesiæ, n. 17. & seqq. f. 115
Novitius, an sub culpa teneantur recitare Horas Canonicas, Tr. 6. d. 1. n. 19 fol. 101. Novitii Religionum libere testantur, Tr. 8. d. 3. n. 42. fol. 284. Novitiorum testamenta an sustinet Decreto Concilii Tridentini, n. 43. & 44.
Nummi post commixtionem sunt accipientis, & cur, Tr. 7. d. 5. n. 29. & 30. fol. 276
Nuptiæ propriæ, quid, Tr. 14. d. 13. n. 2. f. 651. Prohibentur fieri tempore Sacrato, Ibid. & Tr. 14. d. 4. n. 12 fol. 676. Nuptiæ secundæ non ita probantur, sicut primæ, Tr. 14. d. 13. n. 44. fol. 659. An benedicendæ, Ibid.

O

OBlatio late, & proprie accepta, quid, Tr. 5. d. 1. n. 17. fol. 157. & Tr. 11. d. 4. n. 9. & 10. fol. 434. Obligationes an sint de præceptis faciendæ, num. 11. & seqq.
Obligatio eliciendi actum Fidei, Spei, &c. alia per se & directe, alia per accidens, Tr. 4. d. 2. n. 26. fol. 167. Obligatio civilis, & naturalis, quæ, Tr. 8. d. 1. n. 33. fol. 268. Obligationis naturalis effectus, num. 34.
Obligatio Antidoralis, unde sit, Tr. 5. disp. 3. n. 42. fol. 187
Observantiæ somniorum est species Divinationis, f. 5. d. 2. n. 21. fol. 168. Et quæ peccatum, n. 22. Vana observantia, quid, Tr. 5. d. 2. n. 29. f. 170. Et quomodo distinguatur a Divinatione, nu. 30. Observantia sanitatum, quid, n. 33. Et quo pacto hæc cognosci possit, n. 34. Observantia eventuum, quid, & quomodo differat a Divinatione, n. 35. fol. 171. Vana observantia, ejusque species, quale peccatum, n. 36. & 37. Quid in dubio, num effectus excedat vires causæ naturalis, nu. 40. & 41. Observantia ut virtus, quid, Tr. 7. d. 2. n. 8. fol. 233
Occasio peccandi proxima, & remota, quæ, T. 14. d. 8. n. 45. f. 619. Quid agendum circa constitutos in occasione proxima peccandi, n. 44.

fol. 618. Præsertim, si hæc facile relinqui nequeat, n. 46. propositiones circa occasionem proximam peccandi damnatæ, n. 47. Occidere se ipsum directe non licet absque Divina revelatione, Tr. 9. d. 3. n. 9. fol. 321. Facta quorundam Sanctorum excusantur, num. 10. fol. 322. Indirecte se occidere ex justa causa, non est illicitum, & variæ hujus exempla, num. 11. & seqq. Non teneatur vitam servare, nisi mediis ordinariis, n. 23. & 24. Auctoritate publica possunt occidi malefactores, n. 25. Auctoritate etiam privata potest occidi iniquus aggressor pro tuenda vita, nu. 26. Servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ, num. 27. & 28. Idem licet pro tuenda pudicitia, n. 29. & seqq. f. 323. An liceat occidere ob defensionem fortunæ facultatum, vel honoris, nu. 22. Propositiones diversæ circa hoc damnatæ, & cavendæ, num. 23. & seqq. Vide *V. Homicidium*.

Oculus simplex quis, Tr. 1. d. 2. n. 13. fol. 13.

Oculo carens est irregularis, Tr 13. d. 7. n. 29. fol. 511. Quid, si careat solo visu oculi, præsertim sinistri, num. 28. & 30.

Odium Dei, an detur, Tr. 4. d. 7. nu. 1. fol. 146. Et quale peccatum, nu. 3. Odium proximi duplex, personæ, seu Odium inimicitiæ, & qualitatis, seu Odium abominationis, num 2. Odium proximi quale peccatum, n. 4. & 5. Odium inimicitiæ semper illicitum, non sic Odium abominationis, n. 6. Corollaria de utroque, n. 7. & seqq. fol 147. Cavendæ quoad propositum quædam Propositiones damnatæ, n. 10. & seqq. Odia reliquit, & favores convenit amplari, quomodo intelligendum, Tr. 13. d. 2. n. 64. & seqq. fol. 505. Regulæ circa hoc observandæ, nu. 66. & 67. fol. 506

Officium Ecclesiasticum, & Divinum, quod, Tr. 6. d. 1. n. 2. f. 687. Officium Ecclesiasticum Nocturnum, & Diurnum, n. 3. Laudes an possint separari a Matutino, ibid. Officium totum constat septem Horis Canonicis, nu. 2. fol. 688. Vide *V. Hora Canonica*. Officium Defunctorum in die Commemorationis Animarum, an extra Chorum suo præcepto dicendum, n. 35. & seqq. fol. 694 Officia divina, quæ, Tr. 13. d. 2. n. 20. fol. 49. Officium divinorum prohibito tempore interdicti, quæ, Tr. 13. d. 2. n. 103. & 104. fol. 510.

Officium, quid, & an differat a Personatu, & Dignitate, Tr. 11. d. 1. n. 14. & seqq. fol. 407.

Oleum, ut sit materia Extremæ Unctionis, quale esse debeat, Tr. 14. d. 11. n. 5. fol. 636. Quid, si ei sit admixtum balsamum, nu. 6. An debeat esse benedictum ab Episcopo, numer. 7. fol. 637

Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur, quomodo, Tr. 14. d. 13. num. 55. fol. 660

Opera bona viva, mortificata, & mortua, quæ, & quomodo profint, Tr. 1. d. 2. num. 46. & seqq. fol. 29. Operum bonorum communicatio datur inter Fideles, Tract. 12. disp. 3. n. 133. fol. 483. Vide *V. Suffragium*. Omnia opera bona reducuntur ad orationem, Jejunium, & Eleemosynam, Tr. 14. disp. 10. n. 19. fol. 632. Opera misericordiæ. Vide *V. Misericordia*.

Opera corporis, & animæ, quæ, Tr. 10. d. 1. n. 10. f. 376. Opera servilia, seu mechanica, & non servilia, n. 11. Quæ opera diebus Festis prohibeantur, nu. 12. & seqq. An die Festo sit prohibitum venari, & piscari, n. 16. f. 377. Seriore obluctum, nu. 17. Pingere, n. 18. Iter facere, n. 20. Sartoribus vestes reficere, n. 31. f. 379. Molere, nu. 33. Actus judicii Forensis exercere, n. 21. f. 378. Quid de Typographis, nu. 15. f. 377. Advocato, vel Doctore, n. 23. f. 378. Opera servilia per notabilem diei Festi partem exercere, est mortale peccatum, n. 24. & seqq. Quæ confessur pars notabilis diei, nu. 25. Et quæ alia circa hoc considerandæ, num. 26. Quæ causæ excusent exercentes opera prohibita, n. 27. & seqq f. 379. Quando excuset necessitas, num. 28. & seqq. Vetocurrus iurri transeuntis, n. 34. f. 380. Aut confectionis, nu. 35. Opera pro lucrando Jubileo, quæ, & qualiter peragenda, Tract. 12. disp. 3. num. 104. & seqq. fol. 478. Quomodo tunc totum commutatio fieri possit, num. 113. fol. 480

Opinio probabilis, quæ, Tr. 1. d. 3. n. 40. & 41. fol. 28. & 29. Opinio probabilis probabilitate intrinseca, & extrinseca, num. 41. Est alia magis, alia minus probabilis, & tuta, num. 4. Per probabilitatem quantum vis tenuem, quid intelligatur, n. 42. & seqq. Fructus post factum inquiritur tenentis probabilis, nu. 51. fol. 31. Opinionem probabilem, relicta probabiliori, an liceat sequi, n. 52. & seqq. Vide *V. Conscientia*. In Medicina, & Jure, quomodo dentur Opiniones probabiles, nu. 66. fol. 33. Circa mysteria Fidei non licet sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, & cur, nu. 54. f. 32. & Tr. 4. disp. 2. num. 30. & 31. fol. 108

Oratio varie accipitur, Tr. 5. d. 1. n. 45. f. 302. Oratio propriissime accepta, num. 46. Oratio mentalis, vocalis, publica, & privata, quæ, n. 47. Oratio aliqua est præceptiva, n. 48. f. 163. Quibus temporibus urgeat præceptum Orationis, n. 49. Quæ bona recte per Orationem postulentur a Deo, nu. 50. Oratio debite facta habet infallibilem effectum, nu. 51. Sed quatuor ad hoc requiruntur conditiones, & quæ, num. 52. & seqq. Causa, cur multi petant, nec accipiant, quæ, n. 57. f. 304. Orationes nostræ debent facilæ, nunquam tamen irritæ, etiam pro bonis temporalibus, nu. 58. Cavela petentium bona temporalia, nu. 59. Oratione quotidiana, an remittantur peccata venialia, Tr. 3. d. 2. n. 34. f. 88. Orationes Fidelium, aliisque justorum opera valent spe-

specialissime, generalissime, & specialiter, Tr. 14. d. 5. num. 69. fol. 575

Ordo Sacramentorum imprimit characterem, Tr. 14. d. 2. n. 46. & seqq. fol. 542. An sit necessarium, n. 71. Ordo variæ sumitur, Tr. 14. d. 12. n. 2. f. 687. & pro præeminenti gradu in Ecclesia, & pro actuali Ordinatione, n. 3. & seqq. Sacramentum Ordinis, quid, nu. 6. f. 688. Ordines sunt septem, nu. 9. Quid de prima tonsura, n. 10. Ac Episcopatu, n. 13. & 14. Omnes, & singuli Ordines, sunt verum Sacramentum, nu 15. Et constant specialem Characterem. Ibid. Constituant tamen unum Sacramentum, & quomodo, Tr. 14. d. 1. n. 10. fol. 525. & Tr. 14. d. 12. n. 16. fol. 693. Ordinum generatim, & singulorum in specie, quæ materia, & forma, nu. 17. & 18. & seqq. Solvuntur objectiones notabiles contra eas, nu. 34. 36. & seqq. fol. 645. & 646. Ordines sacri seu Majores qui, & cur sic dicantur, num. 39. Clerici in Sacris, an vi voti Sacris Ordinibus annexi teneantur ad Continentiam, num 27. & seqq. fol. 644. Ordines non sacri, seu Minores, n. 42. f. 647. Soli masculi sunt capaces Ordinis, non fœminæ, n. 41. Sine Baptismo non recipitur Ordo, n. 43. Potest recipi & valide & laute, n. 44. Intrinsecus, & quomodo possit ordinari, n. 45. & 46. Ad Ordinem requiritur Confirmatio, n. 47. In Ordinandis requiritur debita scientia, nu. 48. Vitæ, moriumque probitas, nu. 49. f. 648. Ac legitimus ætas, & qualis, n. 50. & 51. Quid juris, si quis ordinetur ante legitimam ætatem, n. 52. & 53. & Tr. 13. disp. 3. nu. 17. fol. 514. Aut per saltum, cit. nu. 17.

Ordinis Minister ordinarius, est Episcopus, Tr. 14. d. 12. nu. 54 f. 649. An potestas conferendi ordines minores possit concedi simplici Sacerdoti, n. 55. Episcopus sine Dimissoriis licite non ordinat alienum subditum, n. 56. Subditus Episcopi, quibus modis quis efficiatur, n. 57. Ordines, quo tempore sint conferendi, n. 58. & seqq. An minores possint recipi uno cum Subdiaconatu, n. 64. f. 650. Sine Titulo nemo admittendus est ad Ordines sacros, n. 64. Quid de Ordinibus minoribus, n. 65. Materiæ Ordinis contactus physicus an requiratur, n. 67. & seqq. Ad sacros Ordines servi promoveri an possint, Tr. 14. d. 14. nu. 61. f. 683. Ordinis impedimentum respectu matrimonii declaratur, n. 74. & 75. fol. 685.

Ordinatus per saltum, vel ante legitimam ætatem, an sit irregularis, vel suspensus, Tr. 13. d. 3. n. 17. fol. 514. & Tr. 14. d. 2. n. 52. fol. 648 Sacerdotes noviter ordinati, quam intentionem confecrandi cum Episcopo formare debeant, Tract. 14. disp. 5. num. 140. fol. 586

& seqq.

Oculi inter salutos. Vide *V. Impudicitia*.

Officiales, qui, Tr. 14. disp. 12. num. 7. fol. 641. Ejus materia, & forma, n. 18. Officium Officiarii. Ibid.

P

PActum requiritur ad Simoniam. Tr. 5. d. 3. n. 40. & seqq. f. 182. Unde colligendum an quid detur vel accipiatur ex pacto Simoniaco, nec ne, n. 46 fol. 183. Pactum, quid, Tr. 8. d. 1. n. 3. & seqq. f. 264. Vide *V. Contractus* Pactum Antichriseos, quid, Tr. 8. d. 4. n. 50. f. 300. Pactum Legis commissoriæ, quid, n. 53. Et an valeat in Pignoribus, n. 54.

Pagani, qui, Tr. 4. d. 4. nu. 4. & 5. f. 123. An obligentur legibus Ecclesiasticis, Tr. 2. d. 3. num. 5. & seqq. fol. 56

Palpo, quis, & quando teneatur ad restitutionem, Tr. 9. disp. 5. nu. 50. fol. 359

Panis triticeus est materia apta Confectionis Eucharisticæ, Tr. 14. d. 4. num. 10. & seqq. fol. 554. Panis triticeus, quis, n. 11. & seqq. f. 555. Et qualis esse debeat, nu. 15. & seqq. An sufficiat etiam alius panis, n. 13. & seqq. Panis vi Confectionis transsubstantiatur in Corpus Christi, n. 52. fol. 561. Nihilominus proprie non annihilatur, n. 53. & 54.

Papa, an obligetur præceptis totius Ecclesiæ, Tr. 2. d. 3. n. 18. f. 58. Papa dispensat in omni lege Ecclesiastica, non vero Divina, Tr. 4. d. 14. nu. 13. fol. 66. Potest tamen legem Divinam interpretari, nu. 14. Quomodo censetur dispensare in votis, juramentis &c. cum tamen hæc obligent Jure Divino, n. 15. & 26. f. 67. Papa est caput visibile Ecclesiæ, Tr. 4. d. 3. n. 3. & 5. f. 112. & 113. An possit involvi crimine Simoniæ, Tr. 5. d. 3. n. 17. f. 181. Habet potestatem dispensandi in votis, Tr. 6. d. 3. n. 42. 43. & seqq. f. 217. Habet potestatem conferendi Beneficia totius Mundi, Tr. 11. disp. 1. n. 30. fol. 409. Solet ea conferre jure præventionis, nu. 31. & 32. Jure devolutionis, n. 31. & 33. Et jure concursus, quomodo, n. 31. 35. & 36. f. 410. Quid juris, si idem Beneficium a Papa & inferiore, duobus conferatur, n. 36. Papa potest Indulgentias conferre. Tr. 12. d. 3. n. 27. f. 460. Papa dispensat in omni irregularitate, Tr. 13. disp. 3. nu. 70. fol. 500. Papa ordinarie non referrat sibi peccatum, nisi ob annexum excommunicationem, Tr. 14. d. 9. n. 5. fol. 625. Corollaria circa hoc 9. n. 6. & 7. Papa an possit dispensare in matrimonio rato Fidelium, Tr. 14. d. 13. nu. 60. & 61. fol. 661. Ac in impedimentis matrimonium dirimentibus, Tract. 14. disp. 14 nu. 157. fol. 700.

Parentum honor tria comprehendit, Tr. 9. d. 2. n. 4. & seqq. fol. 316. Reverentia parentibus debita, in quo consistat, n. 4 Et contra eam qualiter peccetur, n. 5. fol. 317. Parentibus debetur amor, num. 6. Non tamen hi sunt præferendi Deo, nu. 7. Parentibus præstan-

da obedientiæ; & in quibus, nu. 8. Invitis parentibus an possit filius ingredi Religionem, n. 9. Quid, si hi sint in gravi necessitate, n. 10. & 21. f. 318. Parentum obligatio erga liberos, n. 12. Hæc generatim tria involvit, quæ n. 13. & seqq. An pater, vel mater, teneatur alere proles, n. 14. & seqq. Parentes debent thesaurizare filiis, quomodo, n. 17. Tenentur eos instruere in necessariis ad salutem, n. 18. f. 319. Et ipsi reliquere libertatem circa electionem status, n. 19. Parentum nomine, qui omnes hic comprehendantur, n. 20. Parentum consensus non requiritur ad valorem matrimonii filiorum, Tr. 14. d. 23. n. 56. fol. 617. Deus tamen ordinarie præexigit, n. 37. & 39.

Parochiani, an extra Parochium suum, ubi est Ecclesia, possint aliibi laborare, Tr. 2. d. 3. n. 53. f. 61. An inde mane exeuntes, teneantur prius Missam audire, n. 55. & seqq.

Parocho celebraturo, & revertenti, se non jejunum, quid agendum, Tr. 2. d. 3. nu. 24. & 25. Parocho an credendum circa Legata pia a defuncto relicta, Tr. 8. d. 3. nu. 27. & 28. f. 282. Parochi, an dispensare valeant cum Parochianis in jejunio, Tr. 10. d. 2. n. 77. f. 594. Parochi, quo jure, & quomodo teneantur restituere, Tr. 11. d. 2. n. 68. 75. & seqq. f. 413. & 415. Parochus, an assistat matrimonio ut Minister, vel ut Testis authorizabilis, Tr. 14. d. 23. nu. 21. & seqq. fol. 614. Parochi præsentia ad valorem matrimonii juxta Concilium Tridentinum, qualis requiratur, Tr. 14. d. 24. nu. 136. f. 699. An sufficiat præsentia Parochi vi deterriti, aut contradicentis, nu. 137. Cujus Parochi præsentia requiratur, n. 138. & 139. f. 697. Varia dubia circa præsentiam Parochi quoad valorem matrimonii solvuntur, n. 141. & seqq. Vide *V. Sacerdos*, & *V. Clerici*.

Partes Prudentiæ, Justitiæ, &c. aliæ subjectivæ, aliæ potentiales, aliæ integrales, Tr. 7. d. 1. n. 6. fol. 224

Patientia, quid, Tr. 7. d. 1. n. 36. fol. 228

Patrinus in Baptismo adhibendus, Tr. 14. d. 3. n. 40. fol. 551. Patrinus in Confirmatione debet intervenire, n. 54. fol. 552. & aliis a Patrino in Baptismo, n. 55. fol. 553. Patrinus cum quibus contrahat cognationem spiritualem, ibid. & Tr. 14. n. 113. & 114. fol. 692

Patronus Ecclesiasticus habet sex menses ad præsentandum, Laicus quatuor, Tr. 11. d. 3. n. 28. & 29. f. 428. Ille nequit variare in præsentando, sicut Laicus, num. 30. & 31. Quid juris, si plures a Patrono Laico præsententur, n. 32. f. 429. Quid, si præsentet indignum, n. 33. Patrono quatuor jura competunt, n. 43. f. 430. Quomodo jus præsentandi, nu. 44. & seqq. Collatio Beneficii sine consensu Patroni, an valeat, n. 45. & seqq. fol. 431

Patronus, an possit se ipsum præsentare, num. 48. & seqq. vel suos filios, aut consanguineos, nu. 51. Quid juris, si plures sint Patroni, & discordent in præsentando, nu. 52. & 53. Patronus debetur honor, nu. 54. fol. 432. Competit ei jus defendendi Ecclesiam, num. 55. Quæ ipsi non liceant, nu. 56. Patronus egenus succurrendum ab Ecclesia, & quomodo, num. 57. & 58. Patronus. Vide *V. Jus patronatus*.

Pax est actus, seu potius effectus Charitatis, Tr. 4. d. 6 n. 29. fol. 141

Peccator in statu peccati mortalis, an per bona opera quidpiam mereatur, Tr. 1. d. 2. n. 45. 47. & 48. fol. 20. & 21. Peccator non diu moraliter evitat novum peccatum, Tr. 10 d. 3. n. 8. fol. 596

Peccatum commissionis, & omissionis, quid, Tr. 1. d. 1. nu. 17. f. 5. & Tr. 5. d. 1. n. 10. & 11. fol. 73. Quo tempore peccatum commissionis, tum omissionis, veluti indirecte, seu in causa duntaxat voluntarium, contrahatur, Tract. 1. dist. 1. num 17. 18. & seqq. f. 5. Peccati causam tollere, quando quis teneatur, num. 16. f. 4. Ob peccatum in causa duntaxat voluntarium, quando incurrantur pœnæ, ac inhabilitates, num. 25. f. 6. Peccatum generalissime, Tr. 3. d. 1. nu. 1. f. 92. Peccatum artis, & naturæ, nu. 2. Peccatum animi, n. 3. Hoc dividitur in originale, & personale, num. 5. & 6. f. 93. In peccata carnalia, & spiritualia, n. 7. & 8. In peccatum ex ignorantia, passione, & malitia, nu. 12. & seqq. In peccatum actuale, & habituale, num. 15. & seqq. Contra peccatum originale, quale antiquitus remedium, Tr. 14 dist. 1. num. 14. fol. 526

Peccatum actuale, quid, Tr. 3. d. 1. nu. 16. & 17. f. 94. In eo sunt duo consideranda, materiale scilicet, & formale, n. 19. Non constitut formaliter in politivo, sed privativo, n. 20. & seqq. f. 95. Peccati auctor non est Deus, n. 23. & seqq. Ejus causa propria, & interna, est sola voluntas creata, n. 27. Daturne etiam causa externa ipsius, quæ, n. 28. f. 95. post actum peccati remanet aliquid in homine, undeis denominatur peccator, nu. 30. f. 96. Illud in S. Scriptura dicitur *Macula*, n. 31. Post actum peccati mortalis plura eveniunt in homine, quæ, n. 35. & seqq. fol. 97

Peccatum habituale, quid, Tr. 3. d. 1. n. 32. f. 97. Illud qua ratione addat novam malitiam, num. 33. & 34. An constituat in reatu culpæ, n. 36. & seqq. Cur potius constituat in reatu culpæ, quam privatione gratiæ, n. 38. f. 98. Peccator an distinctio specifica mortalis, una de sit defumenda, Tr. 3. d. 2. num. 39. 40. & seqq. f. 98. Ea an inferatur ex sola diversitate præceptorum, n. 43. & seqq. f. 99. Corollaria circa hoc, n. 46. & seqq. Unde desumatur distinctio numerica mortalis peccatorum, n. 50. & seqq. fol. 80. Peccata interna, quomodo multiplicentur numero, n. 55. f. 81. Sicut & peccata, quæ opere externo perficiuntur, nu. 56. Unico actu occidens decem homines, an committat unum numero peccatum, nu. 57. & seqq. Quid dicendum de actibus pravis & incompletis, n. 59. & seqq. fol. 82.

Peccatum mortale, & veniale, quid, Tr. 3. d. 2. n. 1. & 2. f. 83. In quibus conveniant, ac differant, nu. 3. & 4. Ad quodcunque peccatum actuale requiruntur tres conditiones, nu. 5. & seqq. Ad peccatum mortale requruntur alia tria, n. 8. & seqq. fol. 84. Quemam censeatur perfecta advertentia, & sufficiens ad peccatum mortale, n. 10. & 11. Signa, quibus in dubio differni possit consensus perfectus ab imperfecto, n. 12. Peccatum veniale triplex, ex genere suo, ex parvitate materiæ, & ex imperfectione actus, n. 13. fol. 85. Peccatum mortale aliud ex genere suo, aliud ex accidenti, n. 14. Peccatum ex genere mortale, tribus modis fit veniale per accidens, n. 15. fol. 86. Econtra veniale, quot modis fiat per accidens mortale, n. 16. & seqq. Peccata venialia, quibus modis remittantur, n. 25. & seqq. f. 87. Peccata Capitalia, quæ, & cur sic appellentur, Tr. 3. d. 3. n. 1. fol. 89. & seqq. Per omne peccatum mortale amittitur Charitas, non Fides & spes, Tr. 4. d. 1. n. 14. fol. 101. Peccata in Spiritum Sanctum, quæ, Tr. 4. d. 5. n. 16. f. 135. Peccata verborum maxime sunt ex intentione dicentis dijudicanda, Tr. 5. d. 3. n. 38. fol. 185. & Tr. 6. d. 2. n. 10. & 30. fol. 204. & 208

Peccatum contra naturam, quid, & quæ species ejus, Tr. 9. dist. 4. num. 42. & seqq. fol. 335. Indebitus concumbendi modus, quid, & quale peccatum, n. 65. & 66. fol. 338 Peccata contra naturam distinguuntur specie, n. 67. & 68. f. 339. Contra peccatum originale, quale remedium fuerit antiquitus, Tr 14 d. 1. num. 14. fol. 526. Peccatum originale, & peccata actualia ante Baptismum commissa, non sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ, Tr. 14. d. 6. n. 12. fol. 589. Quid de aliis peccatis, n. 9. 13. 17. & seqq. Vide *V. Pœnitentia Sacramentum*. Peccata mortalia, quomodo omnia sint confitenda, Tr. 14. d. 7. n. 30. & seqq. f. 602. Peccata quomodo remittantur, quando nequit fieri Confessio materialiter integra, n. 44. fol. 604 Vide *V. Confessio*. Peccata dubia an sint necessario confitenda, nu. 54. & seqq. f. 606. Dimissa culpa non semper remittitur tota pœna peccatis debita, Tr. 14. dist. 10. num. 2. fol. 630

Peculium, unde sic dictum, Tr. 7. d. 4. n. 9. fol. 241. Peculium Filii familias castrense, quasi castrense, professitium, & adventitium, quid, n. 10. & seqq

Pecuniam aureum alteri solvendam accipiens famulus, vel nuntius, an possit prius permutare retento lucro, Tr. 8. d. 4. num. 79. & 80. fol. 304. Pro sola carentia pecuniæ in mutuo nihil potest exigi, n. 40. & 41. fol. 298.

Penitus, quid, Tr. 11 d. 2. n. 41. f. 423. Refer-

vata pensione an liceat resignare Beneficium, n. 40. 42. & 43. An in resignatione, & permutatione Beneficiorum, possit per Episcopum constitui pensio, n. 42. & 53. fol. 423. & 445

Percussor notorius Clerici, quis, Tr. 13. d. 2. n. 37. fol. 502. Excommunicatio in percussores Clericorum lata, declaratur, Tr. 13. d. 2. n. 58. & seqq. fol. 504.

Peregrini, & advenæ, an obligentur particularibus legibus, & consuetudinibus locorum, per quæ transeunt, Tr. 2. d. 3. n. 20. & seqq. fol. 58.

Perjurium, quid, Tr. 6. d. 2. n. 28. fol. 208. Est peccatum mortale. Ibid. In perjurio non datur levitas materiæ, n. 29. Potest tamen id fieri veniale ex defectu voluntarii, ac deliberationis, num. 30.

Permutatio Beneficiorum, quomodo fieri possit, Tr. 11. d. 2. nu. 44. fol. 423. Forma, & modus permutandi Beneficia, n. 47. f. 423. In permutatione Beneficiorum, an pro habente pinguiores proventus possit suppleri pretium n. 48. & seqq. Nequeunt Ecclesiastici proventus permutari sine Beneficio, num. 51.

Perseverantia, quid, Tr. 7. d. 1. n. 36. fol. 228

Personarum, quid, & an differat a Dignitate, & Officio, Tract. 11. dist. 1. n. 14. & seqq. fol. 407.

Pertinacia ad hæresin requisita, in quo consistat, Tr. 4. d. 4. n. 13. & 16. & seqq. fol. 126

Physiognomia est species Divinationis, & quæ partes ejus, Tr. 5. d. 2. n. 20. fol. 168. Naturalis est licita. Ibid.

Pietas varie accipitur, & quid sit, Tr. 7. d. 2. n. 7. fol. 233. & Tr. 9. d. 2. n. 3. fol. 316.

Pignus, quomodo differat a Commodato, Tr. 8. d. 2. nu. 29. fol. 274. Pignus, unde sic dictum, Tr. 8. d. 4. nu. 49. fol. 300. Quomodo differat ab Hypotheca, Ibid. In pignoribus an liceat pactum Antichriseos, num. 50. & seqq. Vel pactum Legis Commissoriæ, num. 53. & 54.

Pingere die Festo, num licitum, Tr. 10. d. 1. num. 18. fol. 577.

Plagium, quid, Tr. 9. d. 5. n. 3. fol. 344

Plantatio, quomodo sit modus acquirendi rerum communium, Tr. 7. d. 3. n. 32. fol. 257

Plebeji, quomodo credant Articulis Fidei ob propositionem Concionatoris, Tr. 4. d. 2. num. 9. fol. 103

Pœna ipso jure inflicta, seu latæ sententiæ; & pœna ferendæ sententiæ, quæ, Tr. 2. dist. 2. n. 35. fol. 53. Pœna quando censeatur esse latæ, vel ferendæ sententiæ, nu. 36. & seqq. Prænam an teneatur Reus subire ante sententiam Judicis, n. 34. 39. & seqq. fol. 54. Quid dicendum de pœnis corporis afflictivis, num. 41. & 45. fol. 55. Pœnæ ob peccatum in causa duntaxat voluntarium, quando incurrantur, Tr. 1. dist. 1. num. 25. fol. 6. Pœnæ contra Simoniacos statutæ, quæ, Tr. 5. d. 3. n. 47. & seqq. f. 183. Pœnam, nemo imponere potest,

nisi Superior, quomodo, Tr. 8. d. 4. n. 39. fol. 298.

Pœna Canonica, quid, Tr. 13. d. 1. n. 45. & seqq. f. 493. Pœnæ Canonicæ, quot, n. 48. & seqq.

Pœnitens solicitatus in Confessionali ad turpia; an teneatur denuntiare Confessarium, Tr. 14. d. 8. n. 63. & seqq. fol. 612. Vide *V. Sollicitatio in Confessionale*.

Pœnitentiæ Sacramentum per se confert primam gratiam, Tr. 14. d. 2. n. 19. fol. 537. Quomodo sit necessarium, & quibus, Tr. 14. d. 2. n. 65. & 66. fol. 544. Pœnitentia sumitur ut Sacramentum, & ut virtus, Tr. 14. d. 6. n. 1. fol. 568. De Fide est, Pœnitentiam esse Sacramentum, n. 2. Et institutam a Christo, n. 3. Et quando præcipue, n. 4. Sacramentum Pœnitentiæ, quid, n. 5. & 6. Sit necessarium omnibus post Baptismum lapsis, nu. 7. f. 589. Appellatur secunda post naufragium Tabula, n. 8. Materia ipsius remota, eaque vel necessaria, vel sufficiens n. 9. Et proxima, quæ, nu. 10. Circa hanc doctrinam Scoti, & Concilii Tridentini, concordat, num. 11. Peccatum originale, & peccata actualia ante Baptismum non sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ, n. 12. Quid de solis imperfectionibus, num. 14. & seqq. f. 590. Peccata rite confessa, sunt materia sufficiens ipsius, nn. 17. Solvitur instantia, nu. 18. An sit necesse addere, quod peccata jam fuerint confessa, nec ne, n. 19. & 20. Forma Sacramenti Pœnitentiæ, quæ n. 21. f. 591. Quæ verba sint de essentia formæ absolutionis, nu. 22. Vide *V. Absolutio*. Partes Sacramenti Pœnitentiæ tres, n. 36. f. 594. Pœnitentiæ virtus, seu contritio aliqua, est lapsis necessaria ad salutem, n. 43. & seqq. f. 595. Vide *V. Contritio*. Pœnitentiæ Sacramenti Minister est solus Sacerdos; & qualis, Tr. 14. d. 8. n. 1. & seqq. f. 611. Vide *V. Confessarius*.

Pœnitentiam Sacramentalem sibi impositam an possit pœnitens repuere, Tr. 14. d. 10. n. 10. f. 631. Etiam levem, n. 12. f. 632. Tenetur pœnitens implere pœnitentiam sibi injunctam, n. 13. Et quidem per se ipsum, n. 15. Quid, si hæc fit solum levis, nu. 14. An ea possit ipsi commutari a Confessario, nu. 16. Et an tunc necesse sit, reperere priora peccata, n. 17. Doctrina Concilii Tridentini circa injunctionem pœnitentiæ Sacramentalis, nu. 18. f. 633. Generatim, quæ opera pro ea injungenda sint, nu. 19. Confessarius pœnitentiam designaturus ad quæ debeat attendere, nu. 20. Quæ pœnitentiæ generatim correspondeant peccatis, n. 21. Rigor iste in particularibus casibus nequit semper observari, n. 22. & 23. f. 634. In pœnitentia determinanda vitandus est defectus, & multo magis excessus, n. 24. In praxi circa imponendam pœnitentiam, quid observandum, n. 25. & seqq. Possunt pro pœnitentia imponi opera aliunde præcepta, nu. 28. fol. 635. Sed communiter sunt injungenda opera non præcepta, n. 29. Injuncta missa pro pœnitentia, de qua Missa id intelligendum, ibid.

Poreft injungi oratio pro defunctis, nu. 30. & 31. Modus satisfactionis Sacramentalis juxta Cathechismum Romanum, num 32. *V. Satisfactio*.

Pœnitentiaria Sacra quando dispenset in impedimentis Matrimonii, Tr. 14. d. 15. num. 5. & seqq. f. 750

Pollurio. Vide *V. Mollities*.

Polygamia, an licita, Tr. 14. d. 13. num. 40. & 41. f. 658

Populi nomine, qui comprehendantur, Tr. 2. d. 4. n. 8. f. 65. Populo interdicto, qui censentur interdicti, Tract. 13. d. 2. n. 95. & 97. f. 514

Poſſeſſio varie accipitur, Tr. 7. d. 3. n. 18. f. 231. Poſſeſſio juris tantum, seu civilis, poſſeſſio facti, seu naturalis tantum; poſſeſſio juris & facti simul, quid, n. 19. 20. & 21. Poſſeſſionis definitio explicatur, n. 22. & seqq. Poſſeſſionis privilegia præcipua, n. 24. & seqq. fol. 242. Rerum deperditarum poſſeſſionem, an dominus amittat, Tr. 7. d. 5. n. 7. f. 252. Poſſeſſio requiritur ad præscriptionem, Tr. 7. d. 6. num. 9. f. 259. Ea quomodo interrumpatur, n. 29. & 30. f. 262

Poſſeſſor bonæ, & malæ fidei, quis, Tr. 7. d. 3. n. 20. f. 241. Poſſeſſor si spolietur ante omnia reſtitui debet, n. 26. f. 242. An invaſus poſſit vim vi repellere, Ibid.

Poteſtas legislativa alia Eccleſiaſtica, alia Civilis; & quomodo differant, Tr. 2. d. 2. n. 19. f. 50. Poteſtas faciendorum in Corpus Christi verum, & myſticum, quæ, Tr. 14. d. 8. n. 4. f. 611. Differentia inter Poteſtatem conſecrandi, & abſolvendi, quam habet ſacerdos, n. 5. & seqq. f. 612. Poteſtas jurisdictionis, & quotuplex, n. 8. & seqq.

Præceptum ſimplex, quomodo differat a lege, Tr. 2. d. 1. n. 18. & 19. fol. 40. & 41. Præcepta Legis veteris, Vide *V. Lex vetus*. Præceptum ut impleatur, quale requiratur intentio, Tr. 2. d. 3. n. 4. & seqq. fol. 62. Vide *V. Lex*. Præceptum aliud affirmativum, & aliud negativum; & quomodo diſtinguant, Tr. 3. d. 1. n. 1. f. 73. Ex ſola diverſitate præceptorum an recte inferatur diverſitas ſpecifica peccatorum, Tr. 3. d. 1. n. 43. & seqq. f. 79. Præceptum Fidei, ſpei, &c. Vide *V. Fides, Spes, &c.* Præcepta Decalogi Vide *V. Decalogus*. Præcepta Eccleſiæ. Vide *Eccleſia Præcepta*.

Prælati Eccleſiæ in publicis Concionibus non taxandi, Tr. 4. d. 6. nu. 54. fol. 245. Prælati Regulares, in qua irregularitate diſpenſent cum ſuis ſubditis, Tr. 13. d. 3. n. 73. 74. & 75. fol. 522. Prælati quæ vota Religioſorum irritare poſſint Tr. 6. d. 3. n. 39. fol. 216. An concedere poſſint Indulgentias, Tr. 12. diſt. 3. num. 39. f. 216. Quid concedant per litteras

Fraternitatis, seu ſuffragia Ordinis, n. 144. f. 484.

Præſcriptio, quid, & an differat ab Uſucapione, Tr. 7. d. 6. n. 2. & 3. fol. 258. Quo jure, & cur ſit introducta, n. 4. Habet locum etiam in Foro conſcientiæ, n. 5. & seqq. fol. 259. Ad præſcriptionem quæ conditiones requirantur, n. 8. & seqq. An ea cum dubio poſſit inchoari, vel continuari, n. 11. & 12. f. 260. Quantum temporis requiratur ad uſucapionem, ſeu præſcriptionem rerum mobilium inter privatos, nu. 21. fol. 261. Vel immobilium inter eos, ſive præſentes, ſive abſentes, n. 22. & seqq. Quid de rebus immobilibus Eccleſiarum, & Monaſteriorum, n. 25. f. 262. Ac etiam mobilibus earum, n. 27. Specialia quædam hoc privilegia quorundam Monaſteriorum, & Ordinum, n. 28. Præſcriptio quomodo interrumpatur, n. 28. & seqq.

Præſens, & abſens in ordine ad præſcriptionem, quis dicatur, Tr. 7. d. 6. n. 23. fol. 261. Quid de partim præſente, partim abſente, n. 24. f. 262

Præſentatione, quomodo acquirantur Beneficia Eccleſiaſtica, Tr. 11. d. 1. n. 23. & seqq. f. 408

Præſumptio, quid, & quale peccatum, Tr. 3. d. 2. n. 8. f. 97. Præſumptio, ut opponitur Spei Divinæ, quid, Tr. 4. d. 5. n. 18. f. 146. Poteſt committi dupliciter, n. 19.

Precarium, quid, Tr. 8. d. 2. n. 30. f. 274. Et quomodo differat a Commodato, Ibid.

Preces primæ Imperatoris, Tr. 11. d. 1. n. 40. & 41. n. 410. In quibus Beneficiis non habeant locum, n. 42.

Presbyteratus eſt Sacramentum, quomodo, Tr. 14. d. 12. n. 4. & 5. f. 641. Presbyteratus, quid, n. 7. Ejus materia & forma, n. 32. fol. 645. Vide *V. Sacerdos*.

Pretium ſimoniacum, quid, & quotuplex, Tr. 5. d. 3. n. 38. & 39. fol. 181. Pretium rerum duplex, legitimum, & vulgare, Tr. 8. d. 4. n. 87. fol. 305. Illud conſiſtit in indivisibili, n. 88. Pretium vulgare triplex, ſummum, medium, & infimum, n. 89. Pretii vulgaris juſtitia unde defumenda, n. 90. & seqq.

Prima Tonſura. Vide *V. Tonſura Prima*.

Primitiæ, quid, Tr. 5. d. 1. n. 18. f. 157. & Tr. 11. d. 4. n. 6. f. 433. An extet præceptum offerendi primitias, n. 7. f. 434. Præterita in Lege Evangelica, n. 8.

Privilegium Fori, quod, Tr. 14. d. 12. n. 11. f. 642. Privilegium Canonis, n. 12. Competit prima Tonſura inſignitis. Ibid.

Probabilitas quantum vis tenuis, quæ, Tr. 4. d. 3. n. 44. & seqq. f. 29. Vide *V. Conſcientia probabilis*, *V. Opinio probabilis*.

Proditio Patriæ eſt ſpeciale peccatum; & poteſt addi Homicidiis Parricidalibus, Tr. 9. d. 3. n. 32. f. 325

Profeſſione Religioſa diſſolvitur matrimonium ratum Fidelium, Tr. 14. d. 13. n. 58. f. 661. Et quo jure, n. 59. In eam commutantur omnia vota, Tr. 6. d. 3. n. 33. f. 215. Profeſſio Fidei, & Confeſſio Fidei differunt, & quomodo, Tr. 4. d. 2. n. 39. f. 119

Promiſſio, quomodo differat a ſimplari propoſito, Tr. 6. d. 3. n. 2. f. 210. & Tr. 8. d. 2. n. 3. f. 270. Promiſſio ſolo animo concepta, an obligat, Tr. 6. d. 2. n. 3. fol. 211. Promiſſio hominibus facta poteſt, n. 5. Antequam ſit acceptata, non obligat, Tr. 8. d. 1. n. 6. f. 264. Diferimen inter promiſſionem Deo, & homini factam, num. 7. Promiſſio, quid, Tr. 8. d. 2. n. 2. f. 270. Quanta ſit ejus obligatio, n. 4. & seqq. Excuſantur multæ promiſſiones a mortali, cur, n. 27. f. 273. Promiſſio variis modis obligare definit, n. 8. & seqq. fol. 271

Promulgatio ad obligationem legum, an & quatenus requiratur, Tr. 2. d. 1. n. 20. & seqq. f. 41

Proportio Gemetrica, & Arithmetica, quæ, Tr. 7. d. 2. nu. 18. f. 235. Quam proportionem ſervet juſtitia commutativa, & diſtributiva, n. 17.

Propoſitum, quomodo differat a promiſſione, Tr. 6. d. 3. n. 1. & 2. fol. 210. & Tr. 8. d. 2. n. 3. fol. 270. Propoſitum non ſervare, an ſit peccatum, n. 4. Propoſitum non peccandi de cætero, an pro Sacramento Pœnitentiæ ſufficiat virtuale, Tr. 14. d. 6. n. 49. fol. 595. Debet eſſe univerſale de mortalibus, n. 50. f. 596. Quid de venialibus, n. 51. Ad propoſitum illud non requiritur credulitas de non relapſu, n. 52. & 53. Doctrina notabilis circa tentationem de futuro relapſu, n. 54.

Proximum noſtrum tenemur diligere, Tr. 4. d. 6. n. 30. & 31. fol. 137. & 138. Præcepto diligendi proximum non ſatisfit per ſolos actus externos, n. 12. Vide *V. Dilectio*.

Prudentia, quid, Tr. 7. d. 1. n. 4. f. 224. An ſit unicus habitus, n. 5. Ejus encomia, n. 3. Prudentiæ, quæ ſint partes ſubjectivæ, n. 7. & 8. Partes potentiales, n. 9. Et integrales, n. 10. f. 225. Prudentiæ, quæ vitia oppoantur, n. 11. & seqq. Prudentia carnis, quæ, n. 14. f. 226. Prudentia Confeſſario neceſſaria & circa quæ, Tr. 14. d. 8. n. 27. & seqq. f. 592.

Pubes, Impubes, quis, Tr. 8. d. 1. n. 22. fol. 267

Pubertas quando incipiat, Tr. 6. d. 3. n. 38. f. 216

Puditia, quid, Tr. 7. d. 1. n. 24. fol. 227. Reducitur ad Caſtitatem, ibid.

Pueri, quando teneantur eſſicere actum Fidei, Tr. 4. d. 2. n. 32. fol. 108. Et quando teneantur ad Confeſſionem annuam, Tr. 10. d. 3. n. 21. fol. 308. Circa pueros in praxi quid obſervandum, n. 22. & seqq. Pueri, quando obligentur ad Communionem Paſchalem, n. 42. & 43. f. 491

Pupillus, quis, Tr. 8. d. 1. n. 23. fol. 267. Pupillus pubertati, vel infantiæ proximus, qui, n. 24. Pupillus an ſine Tutoris authoritate contrahere poſſit, n. 26. Corollarium de Pupillo ſic emente, n. 27. Vel perdente ludendo, n. 28. An is tunc obligetur naturaliter, nu. 29.

& 30. fol. 268. Quid, si contrahat cum consensu Tutoris, n. 31.
Purgationes vulgares sunt prohibitæ, & quæ sint, Tr. 5. disp. 3. n. 6. fol. 175

Q

QUæstiones aliæ versantes circa honestatem actus, aliæ circa materiam sacti, T. 1. d. 3. n. 47. f. 30. Notabile discrimen inter utrasque, n. 48. & 49. f. 31. An circa eas liceat sequi sententiam probabilem, n. 50. 56. & seqq. f. 31. & 32. Vide *V. Conscientia probabilis*.

R

RApina, quid, Tr. 9. d. 4. n. 38. f. 334. Ad raptum tria requiruntur, n. 40. Quæ ejus malitia, n. 41. Pœnæ in Raptores constitutæ, n. 42. Raptus est impedimentum dirimens Matrimonii, Tr. 14. d. 14. num. 153. & seqq. fol. 599. Quid, si femina rapiat virum, n. 155. fol. 600
Reatus pœnæ, & Reatus culpæ, quid, Tr. 3. d. 2. n. 35. & 36. fol. 77. An in reatu culpæ formaliter consistat peccatum habituale, n. 36.
Recidivi, quomodo a Confessario tractandi, Tr. 14. d. 8. n. 48. & seqq. fol. 619
Regula morum alia remota, alia proxima, Tr. 1. d. 2. n. 9. fol. 11. Regulæ Cancellariæ nondum publicatæ obligant, & quomodo, Tr. 2. d. 2. n. 22. & 22. fol. 41.
Regulares. Vide *V. Religiosi*.
Religio, virtus, quomodo respiciat Deum, Tr. 4. d. 1. n. 10. f. 100. Religio, unde sic dicta, Tr. 3. d. 1. n. 2. f. 154. Sumitur ampliùs, n. 3. Religio ut virtus moralis, quid, nu. 4. & 5. f. 155. Ejus objectum, n. 6. Est inter virtutes Morales præstantissima, n. 6. An ea possunt imperari actus virtutum Theologicarum, & aliarum omnium, n. 8. Religio generatim, & proprie accepta, nu. 9. f. 156. Actus Religionis universim sunt undecim, n. 10. Religio consistit in medio, Tr. 3. d. 2. n. 1. fol. 165. Quæ vitia eidem opponantur, Ib. Contra Religionem quomodo possit peccari per excessum, n. 3.
Religionem an possit filius ingredi invitis parentibus, Tr. 9. d. 2. n. 9. fol. 317. Quid, si parentes sint in gravi necessitate, n. 10. & 11. fol. 318. Excommunicantur, qui cogunt mulierem ad ingrediendum Monasterium, numer. 19. fol. 319
Religiosi exempti, an teneantur legibus per Ordinarios locorum editis, Tr. 1. d. 3. n. 17. fol. 57. Religiosi a quibus abstinere teneantur ratione Votæ Castitatis, Tr. 5. d. 3. num. 15. fol. 177. Religiosi quinam, & unde teneantur recitare Horas Canonicas, Tr. 6. d. 1. n. 17. 18. & seqq. fol. 190. Vide *V. Horæ Canonicæ*.
Religiosis, an habeant dominium bonorum temporalium, Tr. 7. d. 4. n. 45. & 46. f. 250. Satem in communi, nu. 48. & 49. fol. 251. Habent quasi dominum bonorum spiritualium, nu. 47. fol. 250. Religiosi, an possint contrahere, Tr. 8. d. 1. n. 25. fol. 267. Et an testari valeant, Tr. 8. d. 3. num. 38. & seqq. fol. 269. Aut facere donationem mortis causa, n. 41. An possint, vel teneantur, jure tuenda sanitate petere potum, aut victum diversum ab ulitato in Monasterio, Tr. 9. d. 3. n. 14. fol. 322. Religiosis quas Indulgentias, cæteris revocatis, Paulus V. concesserit, Tr. 12. d. 3. n. 67. 70. & seqq. f. 467. Prælati Regulares, in qua irregularitate dispensent cum suis subditis, Tr. 13. d. 3. num. 73. & seqq. fol. 522. Regulares exempti, a quo accipiant jurisdictionem absolvendi Sæculares, Tr. 14. d. 8. n. 15. fol. 613
Reliquiæ sacræ, quomodo venerentur, Tr. 5. d. 11. n. 34. fol. 169
Renuntiatio Beneficii, quid, Tr. 11. d. 1. n. 28. f. 421. Non valet, nisi fiat coram legitimo Superiore, n. 29. Renuntiatio Beneficii tacita, & expressa, pura, & conditionalis, n. 31. & seqq. Ad eam requiritur justa causa, n. 34. Sex ea de re tradunt Episcopstium, num. 35. Aliæ pro renuntiatione interiorum Beneficiorum, n. 36. Resignatio in favorem tertii, an sit licita, nu. 37. fol. 422. Quid, si quis simpliciter resignet, & certam personam solum recommendet, n. 38. An tunc Episcopus teneatur, vel possit hanc conferre, n. 39. Resignare Beneficium reservata pensione, an liceat, num. 40. & seqq.
Res corporales, & incorporales, quæ, Tr. 7. d. 3. n. 22. fol. 241. Res incorporales proprio non possidentur, Ibid. Res corporales aliæ, quæ carent domino, aliæ non, Tr. 7. d. 5. n. 1. & 2. fol. 251. Rerum dominium generatim, quibus modis acquiratur, n. 3. & seqq. Res, quæ nullius sunt, fiunt primo occupantis, n. 5. fol. 252. Limitatur hoc, Ibid. Res deperditæ, & ab alio inventæ, an debeant restitui, n. 6. & seqq. Rerum deperditarum possessionem, an Dominus amittat, n. 7. An dominium, Ibid. Res apta præscribi, & quæ aliis non sit, Tr. 7. d. 6. n. 16. & seqq. f. 296. Res mobiles, & immobiles, quæ, n. 20. f. 261. Et quo tempore præscribantur contra privatos, n. 21. 22. & seqq. Vel Ecclesias, aliasque pias loca, n. 25. & 27. fol. 262. Minus est actionem habere, quam rem, quomodo, & Tr. 4. n. 42. f. 298. Res tanti valet, quanti vendi potest, quomodo, n. 59. f. 306. Vide *V. Bonum*.
Rescripta Dispensationum circa certa Impedimenta Matrimonii, Tr. 14. d. 15. n. 12. fol. 752. Plura Vide *V. Dispensatio circa certa impedimenta*.
Reservatio Casuum, quid, Tr. 14. d. 9. n. 1. fol. 624. Per actum reservationis directe afficitur persona Confessarii, n. 2. Datur in Ecclesia potestas reservandi casus, n. 3. Quæ peccata reservari soleant, num. 4. Quid de ea-

si dubio, Ibid. Papa non solet sibi reservare peccatum, nisi ob excommunicationem annexam, n. 5. fol. 625. Corollaria notabilia, n. 6. & 7. Episcops possunt etiam reservare casus pro suis Diœcesibus, n. 9. & 10. Cautelæ quoad Regulares circa hoc, num. 11. A casibus reservatis quis possit absolvere in articulo mortis, num. 12. & seqq. fol. 626. Sacerdos excommunicatus in mortis articulo absolvens non sit irregularis, n. 14. Absolutus a casu reservato in mortis articulo, non tenetur se postea sistere Superiori, num. 15. Nisi fuerit annexa excommunicatio, num. 16. Extra mortis articulum nequit Confessarius absolvere a casu reservato, num. 17. Quid, si urgeat necessitas, num. 18. Et casu reservato sit annexa excommunicatio, n. 19. An tunc opus sit, confiteri peccata reservata, n. 20. fol. 627
Residentia personalis, quomodo, & quo jure incumbat Episcopis, aliisque Beneficiariis, Tr. 11. d. 1. n. 67. 68. & seqq. fol. 414. Quid de Beneficiis simplicibus, n. 70. fol. 415
Resolutio Fidei. Vide *V. Fidem resolvere*.
Restitutio in integrum, quid, Tr. 8. d. 1. n. 35. fol. 269. Beneficium restitutionis, in quibus casibus concedatur, n. 36. Conceditur ætate minoribus, n. 37. Denpris aliquibus casibus n. 38. Competit etiam Ecclesiis, aliisque piis locis, n. 39. Intra quod tempus debeat peti, n. 40. & seqq. Quibus aliis competat, nu. 47. fol. 270.
Restitutio ratione injusti homicidii, vel mutilationis, qualis facienda, Tr. 9. d. 3. nu. 46. & seqq. fol. 326. aliquid restituendum ratione vitæ, proximo injuste ablatæ, nu. 47. & seqq. Omnis damna ex occasione alterius secuta, resarciri debent, n. 50. & 51. Quid de restitutione ob mutilationem, n. 52. An prodolore ex vulnere, ipsaque cicatrice, sit aliquid restituendum, n. 53. & 54.
Restitutio ratione stupri, sive defiorationis, an, & qualis facienda, Tr. 9. d. 4. n. 21. & seqq. fol. 331. Restitutio ratione adulterii, partu non secuto, an præstanda, n. 28. fol. 332. Partu secuto, an teneatur adulter a referre damna, n. 29. Quibus modis id fieri possit, n. 30. An teneatur revelare crimen suum, n. 31. & 32. fol. 333. Quando, & quomodo teneatur adulter ad restitutionem, n. 33. & 34.
Restitutio circa bona fortunæ, quid, Tr. 9. d. 5. n. 37. fol. 351. Est necessaria ad salutem, n. 38. Quæ generatim sint radices, seu causæ restituendi, nu. 39. Obligatio restituendi in solidum, quid, n. 60. Qui omnes teneantur restituere ratione injustæ acceptionis, vel damnificationis, nu. 61. fol. 352. Causa totum, tenetur restituere totum: causa partis, partem, n. 62. Quid de tribus modis negative cooperantibus, n. 63. Quo ordine singuli teneantur ad restitutionem, num. 64. & seqq. Restitutio, cui facienda, n. 69. & seqq. f. 353. Et quando, n. 72. & 73. Ex qua culpa oriatur obligatio restitutionis ratione damni dati, n. 75. & seqq. f. 354. An hæc oriatur ob damnum sine culpa datum, num. 77. & seqq. Quid, si quis dolo, vel fraude damnum intulit, n. 81. fol. 355. Aut impedivit alium a confectione alicujus boni, n. 81. Quid, si talites impedivit absque vi, & fraude, ex intentione proprii, vel alieni commodi, n. 83. & seqq. Inferens damnum extra officium & contractum, ex qua culpa teneatur restituere, n. 86. & seqq. Quæ sit obligatio restituendi ob damnum in officio datum, n. 95. Quid de obligatione restituendi ex contractu, nu. 96 & Tr. 3. d. 2. n. 37. 41. & seqq. fol. 275. & 276. Causæ excusantes a restitutione, variæ, Tr. 9. d. 5. n. 97. & seqq. fol. 357. Nimirum I. Impotentia, seu inopia creditoris, n. 98. Hæc quomodo, & quando excuset, n. 99. & seqq. II. Periculum infamiæ, vitæ & membrorum, n. 107. f. 359. Quid, si possit fieri restitutio per alium, nu. 108. Cautela circa hoc: & quid, si alter defraudet, n. 109. III. Condonatio creditoris, n. 110. Sufficit quandoque remissio rationabiliter præsumpta, n. 112. & seqq. IV. Si res restituenda, sit creditori nocitura, n. 115. fol. 360. V. Præscriptio, n. 116. VI. Compensatio, & quæ conditiones ad occultam compensationem requirantur, n. 117. & 118. VII. Cessio bonorum: & quid juris hæc tribuat, n. 119. VIII. Ignorantia, quod res sit aliena, n. 121. fol. 361. & 122. IX. Dubium, & quando, n. 123.
Restitutio famæ, vel honoris injuste ablati, quomodo fieri possit, ac debeat, Tr. 9. d. 6. nu. 33. & seqq. fol. 366. Causæ excusantes a restitutione famæ, & honoris, variæ, n. 38. & seqq. fol. 367. Regulæ tres circa hoc, n. 39.
Reverentia parentibus debita, in quo consistat, Tr. 9. d. 2. n. 4. fol. 316. Contra eam qualiter peccetur, n. 5. fol. 317
Reus fugiens ad Sacerdotem SS. Eucharistiam portantem, an gaudeat Immunitate, Tr. 12. d. 2. n. 12. & 13. f. 448. Rei ad Asyla fugientes, varii, n. 15. Rei cur portus fugiant ad Monasteria, quam alia loca pia, nu. 12. Qui gaudeant, vel non gaudeant Immunitate, n. 16. & seqq. Vide *V. Asylum*.
Rixa, quid, & quomodo differat a bello, Tr. 4. d. 7. nu. 40. fol. 152. Rixa, quale peccatum, Tr. 3. d. 3. n. 40. fol. 94

S

SAbbati sanctificandi præceptum est partim morale, partim cæremoniale, Tr. 9. d. 1. n. 5. f. 311. Sabbati loco est substituta Dies Dominica. Tr. 9. d. 1. n. 28. fol. 315
Sacerdos, quis, Tr. 14. d. 12. n. 8. fol. 688. Ejus officium, nu. 33. Sacerdos quibus potest in mortis articulo absolvere ab hæresi, & aliis casibus, Tr. 4. d. 4. n. 32. f. 129. An tunc simplex

plex Sacerdos absolvere possit præsente proprio Confessario, num. 33. Quid agendum sacerdotibus sibi mutuo confiteri volentibus, si ambo sint in peccato mortali, Tr. 14. d. 1. num. 47. fol. 532. Sacerdos plures communicans in peccato mortali, an pluta peccata numero distincta committat, num. 49. & seqq. Quid de Sacerdote plurium Confessionum audiente, n. 53. f. 533. Vide *V. Minister Sacramentorum*. Sacerdos Missæ Sacrificium offert ut proximus minister, Tr. 14. d. 5. n. 31. fol. 569. Non tenetur pluribus stipendiis, si unicam Missam celebret, n. 53. fol. 573. Sacerdotis mali Missa, an tantum valeat, quantum boni, n. 58. Sacerdos ex variis titulis potest obligari ad celebrandam Missam, n. 21. & seqq. f. 578. Vide *Missam celebrandæ obligatio*. Sacerdos noviter ordinatus, quam intentionem confecrandi cum Episcopo formare debeat, Tr. 14. d. 5. n. 140. & seqq. f. 586. Sacerdotis officium, quale, Tr. 14. d. 12. n. 33. f. 693. Vide *V. Parochus*.

Sacerdos solus est Minister Sacramenti Pœnitentiæ, Tr. 14. d. 8. n. 4. fol. 611. Debet habere legitimam jurisdictionem, num. 2. Et approbationem, num. 14. f. 613. Accipit in sua ordinatione potestatem in Corpus Christi verum, & mysticum, n. 41. f. 613. Atque potestatem Ordinis, non jurisdictionis, n. 3. & seqq. Potestas absolvendi declaratur apto exemplo, n. 6. f. 612. Hæc præsupponit potestatem conferendi, cur, n. 7. An qualibet sacerdos possit absolvere a venialibus, n. 11. & 12. Et in mortis articulo ab omnibus peccatis, n. 13. f. 613. Vide *V. Confessarius*.

Sacramentorum novæ Legis excellentia, Tr. 14. d. 1. n. 1. f. 525. Sacramenti variæ acceptiones, n. 2. Ejusque definitio, n. 3. & seqq. Sacramenta novæ Legis sunt septem, nu. 8. & seqq. Et omnia a Christo instituta, n. 9. An fuerit Sacramentum verum in Lege Mosaica, & ritu Legis naturæ, n. 12. fol. 527. & seqq. Sacramenta tribus perficiuntur, n. 15. Constant in usu, seu in fieri, præter Eucharistiam, n. 16. & 17. Materia eorum remota, & proxima, n. 18. Et forma, duæ, n. 19. Utraque a Christo fuit determinata, & quomodo, n. 20. & 21. Uniformitas in materia, & forma Sacramentorum, quomodo detur, Tr. 14. d. 12. num. 36. & 38. f. 646. Mutatio earum, qualis in uno Sacramentum, Tr. 14. d. 1. num. 22. & seqq. f. 528. Inter materiam & formam Sacramentorum requiritur simultas aliqua, & qualis, nu. 26. & seqq. Hæc declaratur in singulis Sacramentis, num. 27. & 30. f. 529.

Sacramentorum Minister est homo viator; & quid de nonnullis historiis, Tract. 14. d. 1. n. 32. fol. 530. Quæ Sacramenta requirant ministrum consecratum, n. 33. Qualis requiratur intentio ex parte ministri, n. 36. & seqq. Vel dispositio, n. 42. & seqq. f. 532.

Sacramenta, an possint peti ab indigno ministro, num. 54. & seqq. fol. 533. Vide *V. Minister Sacramentorum*.

Sacramentorum duplex effectus, Gratia, & Character, Tr. 14. d. 2. nu. 1. & seqq. f. 534. Sacramenta omnia conferunt gratiam ex opere operato, n. 3. f. 535. Hanc non causant physice, sed moraliter, n. 6. & seqq. Sacramenta præter gratiam habitualem, conferunt etiam gratias actuales, n. 8. Declaratur hoc de singulis, n. 9. & seqq. Sacramenta mortuorum, & vivorum, quæ, n. 16. & 17. f. 536. An omnia conferant primam gratiam, n. 19. & seqq. f. 537. Etiam Sacramenta vivorum, saltem per accidens, n. 23. & 24. Sacramenta conferunt Majorem gratiam magis disposito, n. 25. Etiam ex opere operato, n. 26. f. 538. Ad fructuose recipienda Sacramenta qualis requiratur dispositio, nu. 27. & seqq. Quid de SS. Eucharistiæ Sacramento, nu. 30. & seqq. f. 539. Vide *V. Eucharistia*. Quæ Sacramenta imprimant Characterem, n. 46. & 47. f. 541. Sacramenta, præterim imprimentia Characterem & ficte suscepta, an recedente fictione conferant suum effectum gratiæ, nu. 52. & seqq. f. 542. An, & quomodo singula Sacramenta sint necessaria ad salutem, n. 58. & seqq. f. 543. Differentia inter Sacramentum, & sacrificium, Tr. 14. d. 5. n. 44. f. 571. Sacramento matrimonii, cur pro forma sufficiant nutus & signa, & non in aliis Sacramentis, Tr. 14. d. 13. num. 17. fol. 614. Sacramenta, quæ possint ministrari muris & surdis a nativitate, Tr. 10. d. 5. nu. 44. & 45. f. 401. & 402. Tempore interdicti, quorum Sacramentorum participatio sit prohibita, Tr. 17. d. 2. n. 99. & seqq. f. 709

Sacramentalia, quid, & quot sint, Tr. 3. d. 2. n. 33. f. 88. Per Sacramentalia an remittantur peccata venialia, n. 31. 32. & seqq.

Sacrificium proprie, quid, Tr. 5. d. 1. n. 15. f. 156. Sumitur quandoque large, n. 16. f. 157. Sacrificium proprie, & improprie, Tr. 14. dist. 5. n. 223. & seqq. f. 565. Ad sacrificium quandoque sufficit sola rei oblatæ immutatio moralis, n. 6. f. 564. Sacrificium est actus Latriæ, n. 7. Non offertur Sanctis, n. 8. Sacrificia Gentilium fuerunt vera; & cur illicita, n. 9. Sacrificia aliqua fuerant in Lege Mosaica, & jam ante ipsam, nu. 10. & 11. Sacrificia veteris legis varia, & quæ, nu. 12. & seqq. Omnia sacrificia antiqua condamantur in uno Missæ sacrificio, num. 14. fol. 565. Vide *V. Missa*. Sacrificium, quomodo differat a Sacramento, Tr. 14. d. 5. n. 44. f. 571

Sacrilegium, quid, Tr. 5. d. 3. n. 8. f. 176. Ejus tres sunt species, n. 10. & seqq. Sacrilegium ex genere suo est peccatum mortale, n. 14. Per accidens potest fieri veniale, n. 16. f. 177. Non omne peccatum a Persona sacra commissum, propriæ est sacrilegium, n. 17.

Sacrilegium homicidium, & duplex ejus species, Tr. 9. d. 3. n. 38. & 40. f. 325

Salus animæ, duplex, prima & ultima, Tract. 4. d. 2. n. 12. f. 104

Sancti in cœlis sibi nihil amplius merentur, Tr. 1. dist. 2. n. 44. f. 20. An in ipsis maneat Fides, Spes, & Charitas, Tract. 4. dist. 1. n. 16. fol. 101. Quo cultu adorentur, Tr. 5. dist. 1. n. 32. fol. 171. Sancti necdum Canonizati, non possunt cultu publico honorari, bene tamen privato, Tract. 5. dist. 1. nu. 38. & seqq. f. 161

Sarai, quomodo dicatur soror Abrahæ, Tr. 14. dist. 14. n. 111. f. 602

Sartores quando excusentur perficientes die festo vestes, Tr. 10. d. 1. n. 31. f. 279

Satisfactio dupliciter sumitur, Tr. 14. dist. 10. n. 1. f. 630. Satisfactio, ut est pars Sacramenti Pœnitentiæ, n. 3. Est aliqua a Confessario injungenda, regulariter loquendo, n. 4. & 5. f. 631. An sit pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, n. 5. Habet effectum remittendi partem pœnæ ex opere operato, n. 6. Et in peccato mortali peracta sufficit ad integritatem Sacramenti, nu. 7. An unc habeat effectum ex opere operato sibi correspondentem, nu. 8. & 9. An possit pœnitens respuere pœnitentiam sibi impositam, n. 10. Vide *V. Pœnitentia*.

Scandalum, quid. Tr. 4. d. 7. n. 26. f. 148. Scandalum activum, seu datum, n. 17. Est duplex, Ibid. Scandalum passivum, sive acceptum, aliud Pusillorum, aliud Pharisaicum, n. 18. Peccatum speciale scandali, quando committatur, num. 19. Scandalum activum, quale peccatum, n. 21. & 22. f. 149. Causa justa faciendi aliquid indifferens, quo alter creditur abuti, quæ, nu. 23. & 24. Scandalum mere passivum interdum permitti potest, interdum non; & quando, nu. 25. & seqq. An ex causa licitum sit petere ab alio talia, quæ non sine peccato præstaturus existimatur, n. 27. fol. 150. Quid dicendum de scandalo Pusillorum, & Pharisæorum, n. 28.

Schisma, quid, Tr. 4. d. 7. n. 32. f. 152. & quale peccatum, num. 33. Schisma aliud purum, aliud conjunctum cum hæresi, num. 34. Quid faciendum tempore schismatis, quando electi sunt duo Pontifices, nu. 35. & seqq.

Scientia eminens, & mediocris: & qualis requiratur in Confessario, Tr. 14. d. 8. n. 21. & seqq. fol. 614

Scriptorum Catholicorum, sua scripta judicio Ecclesiæ subjicientium, cautela cur adhibeatur, Tr. 4. d. 4. n. 14. fol. 126

Scriptura sacra, quos Libros contineat, Tr. 4. d. 3. n. 22. f. 117. Vulgata Editio Sacræ Scripturæ est authentica, n. 28. f. 118. An in hac quælibet minima vocula sit de Fide, nu. 29. & seqq. Lectio S. Scripturæ in Linguas vulgari justè est interdicta, n. 32. Quid in Germania, n. 33. Sensus S. Scripturæ generatim est duplex, literalis, & mysticus, n. 34. f. 119. Subdividitur uterque, & quomodo, nu. 35. & seqq. Universum quatuor ejus sensus, n. 38. Et in singulis excellenter singuli Ecclesiæ Doctores, n. 39. f. 120. Sensus accommodatitius S. Scripturæ, quid n. 40. S. Scriptura sæpius est obscura, n. 41. & 42. Ejus interpretatio Canonica spectat ad Ecclesiam, nu. 43. Quid de interpretatione doctrinali, nu. 44. Vide *V. Libri Canonici*. Abusus sententiarum S. Scripturæ spectat ad Sacrilegium, Tr. 5. dist. 3. n. 53. f. 176

Scrupulus, quid, Tr. 1. d. 3. n. 69. f. 36. Quæ sit origo scrupulorum, n. 71. Discrimen inter scrupulosos, & timoratos timore DEI, n. 76. f. 37. Mala scrupulosorum, n. 77. Remedia contra scrupulos, nu. 78. Confilium pro scrupulis, n. 79. & 80.

Scurrilitas, quid, & quale peccatum, Tr. 3. d. 3. n. 56. fol. 96

Seditio, quid, & quomodo differat bello, Tr. 4. d. 7. n. 42. fol. 152

Sepultura Ecclesiastica privantur excommunicati, Tr. 13. d. 2. n. 21. f. 498. Quid juris, si excommunicatus in loco sacro sepeliatur, n. 22. f. 499. An decisio post Concilium Constantiense sepulturæ Ecclesiasticæ priventur omnes excommunicati, etiam non vitandi, n. 23. & seqq. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, quomodo cessetur per Interdictum, n. 105. & seqq. fol. 510

Servi, an valide contrahant matrimonium, Tr. 14. d. 14. n. 57. & seqq. f. 682. Servi proprie dicti, seu Mancipia; Servi adscripticii, & Servi originarii, qui, n. 60. f. 683. Prohibentur ad sacros Ordines promoveri, nu. 61.

Sexagenarii, an excusentur a jejunio Ecclesiastico, Tr. 10. d. 2. n. 62. & seqq. f. 392

Sigillum Confessionis, quid, Tr. 14. d. 9. n. 21. f. 627. Quanta sit ejus obligatio, nu. 22. Et quo jure ortatur, num. 23. & 24. Sub sigillo Confessionis quæ omnia cadant, n. 25. & 26. fol. 628. Potest violari directe, & indirecte, n. 27. Exempla violationis indirectæ, n. 28. & seqq. Quando Confessarius possit uti notitia Confessionis, n. 31. & 32. f. 629. An quis ea uti possit ad declinandas insidias, nu. 33. An liceat revelare Confessionem de licentia confitentis, num. 34. & 35. Præter Confessarium qui alii teneantur ad Sigillum, n. 36. Quid, si quis alterius Confessionem scriptam reperit, n. 37.

Simonia, unde sic dicta, Tr. 5. d. 3. num. 18. f. 127. Ea est species Sacrilegii, n. 19. f. 178. Declaratur ejus definitio, num. 20. Simonia quam grave peccatum; nu. 21. Est triplex, nempe mentalis, conventionalis, & realis num. 22. & seqq. Simonia conventionalis alia mixta, alia pure conventionalis, n. 24. Simonia confidentialis declaratur, n. 25. Si quid gratis detur, ac recipiatur, non fit simonia, nu. 27. f. 179. Simonia non est, intuitu spiritualis

nalium Functionum recipere aliquid per modum ſtipendii, num. 28. An de hujuſmodi ſtipendio licitum ſit paciſci, n. 29. & 30. An ſit ſimonia, dare quid ad redimendam vexam circa ſpiritualia, n. 31. & 32. f. 180. Vel recipere pretium pro labore conjuncto cum ſacro Miniſterio, n. 33. & 34.

Simonia alia Juris Divini, alia Juris Eccleſiaſtici, Tr. 5. d. 2. n. 35. f. 181. Simoniæ crimine an poſſit Papa involvi, n. 37. Ad Simoniam requiritur pactum, quale, num. 40. & ſeqq. f. 128. Simonia eſt, dare temporale ex quanto motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, n. 43. & ſeqq. Plures Propoſitiones circa materiam de Simonia damnatæ, n. 34. & 45. Simonia mentalis non inducit pœnas in Jure contra Simoniacos ſtatutas, n. 47. f. 183. Quid de ſimonia conventionali, n. 48. & 49. Simonia realis inducit pœnas Juris ipſo facto, quando ſit in ingreſſu Religionis, Ordine, vel Beneficio, n. 50. Quid, ſi committatur in aliis casibus, n. 52. f. 184. Quid de diſpenſatione ſuper Beneficio ſimoniace obtento, n. 53. f. 183.

Sobrietas, quid, Tr. 7. d. 1. n. 23. f. 227

Societatis contractus, an ab uſura excuſet pœnæ accipiendi aliquid ultra ſortem, Tr. 8. d. 4. n. 48. f. 299

Sodomia, quid, Tr. 9. d. 4. n. 63. f. 338. Sodomitarum pœnæ, n. 64.

Solidi nomine, quid intelligatur, Tr. 8. d. 2. num. 23. f. 273

Sollicitatio in confeſſionali ad ſurpia, eſt grande Sacrilegium, Tr. 14. d. 8. nu. 57. fol. 621. Sollicitare hic, eſt incitare ad ſurpia, n. 58. Illud exemplificatur, n. 59. Sollicitatio plures habet exceptiones, nu. 60. f. 622. Sollicitare cenſetur Confeſſarius credens in Confeſſione turpem chartam poſſe legendam n. 61. Sive ſollicitet ad peccandum ſecum, ſive cum alio, n. 62. Pœnitens ſollicitatus tenetur denuntiare Confeſſarium ſollicitantem, & alius Confeſſarius debet hoc ipſum monere, & ſub qua obligatione, nu. 63. & ſeqq. Ipſe tamen Confeſſarius ſollicitans non tenetur ſollicitato præcipere, ut ſe denuntiet, n. 65. & ſeqq. Conſtitutiones de obligatione denuntiandi Confeſſarium ſollicitantem non ubique ſunt receptæ, n. 67. f. 623. Sollicitatus denuntians non cogitur propriam turpitudinem detegere, n. 68. Confeſſarius a fœmina ſollicitatus, hanc denuntiare non tenetur, n. 69. Confeſſarius pœnitentem ſollicitans, quibus pœnis ſubjaceat, nu. 70. Hic non punitur, donec de crimine conſtet, nu. 71. Sollicitatio an ſufficienter probetur per teſtes ſingulares, num. 72.

Solliciudo temporalium, quæ, & quando prohibita, Tr. 7. d. 1. num. 18. & 19. f. 226

Somnium eſſe a Deo, vel poſſe a dæmone, unde dignoſci poſſit, Tr. 5. d. 2. nu. 23. f. 169.

Somniorum obſervantia, n. 21. & 22. f. 168

Sortes diviſoriæ, conſultoriæ, & divinatoriæ; quæ, & an licitæ, Tr. 5. d. 2. nu. 25. & 26. f. 166. Sortilegium eſt ſpecies Divinationis, num. 25.

Specificatio, eſt modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium, Tr. 7. d. 5. n. 124. f. 256

Spes, an amittatur per omne peccatum mortale, Tr. 4. d. 1. n. 14. & 25. f. 101. An maneat in Beatis, n. 16. Spei variæ acceptiones, Tr. 5. d. 5. nu. 1. f. 132. Spes Theologica, quid, n. 2. & 3. Objectum Materiale primarium Spei, eſt Deus, n. 4. Ad Objectum materiale ſecundarium ſpei, quæ ſpectent, n. 5. Objectum formale ſpeſus, n. 6. & 7. fol. 223. Spes Divina eſt infallibilis, quomodo, n. 8. Præceptum ſpei aliud negativum, aliud affirmativum, n. 9. Et quando obligat, nu. 9. 10. & ſeqq. Spei per defectum oppoſitur Deſperatio, per exceſſum Præſumptio, nu. 12. f. 134.

Sponſalia, unde ſic dicta, Tr. 14. diſt. 14. n. 22. fol. 678. Sumuntur dupliciter, Ibid. Sunt impedimentum mere impediens matrimonium, n. 14. f. 676. Sponſalia, quid, n. 23. & ſeqq. f. 678. Quatuor conditiones ad ea requiſitæ, nu. 26. & ſeqq. Quid de promiſſione matrimonii non mutua, num. 25. Sponſalia clandeſtina, an ſint valida, num. 30. & 31. f. 679. Sponſalia juſtis de cauſis diſſolvi poſſunt, & ex quibus, n. 32. & ſeqq. Sponſalia filii an pater impedire poſſit? num. 47. f. 680. Ad ſolvenda ſponſalia non requiritur ſententia Judicis, n. 48. f. 681. Sponſalia metu inita, an ſint valida, Tr. 14. d. 23. num. 30. f. 656. Sponſio, quid, Tr. 8. d. 4. num. 114. fol. 309. Certus de veritate, an poſſit ſpondere, & quando, n. 115. & ſeqq.

Status viæ, & ſtatus gratiæ, quid, Tr. 1. diſt. 2. nu. 43. f. 20. Requiritur uterque ad meritum de condigno, n. 42. & ſeqq.

Statura. Vide *V. Lege.*

Sterilitas non eſt impedimentum dirimens matrimonii, Tr. 14. d. 14. n. 70. fol. 684

Stipendium intuitu ſpiritualium functionum dare, aut recipere, non eſt Simonia, Tr. 5. d. 3. n. 28. f. 179. An de hujuſmodi ſtipendio licitum ſit paciſci, n. 29. & 30.

Studioſitas, quid, & quæ vitia ei adverſentur, Tr. 7. d. 1. n. 28. f. 227

Stuprum variis modis accipitur, Tr. 9. diſt. 4. n. 19. f. 331. Stuprum propriiſſime, quid, & quæ pœnæ ejus, n. 20. Ratione ſtupri, quæ ſit obligatio reſtitutionis, num. 21. & ſeqq. Præparatoria ſtupri, n. 31. f. 340

Subdiaconatus, quid, Tr. 14. d. 12. n. 7. f. 641. Ejus materia, & forma, n. 24. f. 644. Liber Epiſtolarum an eſſentialiter ſpectet ad materiam Subdiaconatus, n. 35. f. 645

Subdiaconus tenetur dicere Horas Canonicas jam primo die, quo ordinatur, & quas, Tr. 6. d. 1. n. 13. f. 190. Non poteſt ſolemniter baptizare, etiam ex commiſſione proprii Sacerdotis, Tr. 14. d. 3. nu. 34. f. 550. Subdiaconi officium, Tr. 14. d. 12. num. 25. fol. 644. Ejuſque obligationes, quæ num. 26. & ſeqq.

Subditorum obligatio erga Superiores, Tr. 9. d. 2. nu. 21. & 22. fol. 319. Superiorum obligatio erga ſubditum, n. 23. fol. 320

Subſannatio, quid, Tr. 9. diſt. 6. num. 30. fol. 365

Suffragium dupliciter ſumitur, Tr. 12. diſt. 3. num. 131. fol. 483. Suffragia Fidelium ſunt triplicis generis, num. 132. Suffragia poſſunt Fideles ſe invicem juvare, num. 134. & ſeqq. Ut ſuffragia alteri proſint, requiruntur tria ex parte offerentis, num. 136. & ſeqq. f. 484. Suffragia pro aliis oblata, adhuc proſunt offerenti, nu. 141. & ſeqq. per literas Fraternitatis, ſeu ſuffragia Ordinis, quid concedant Prælati Regulares, num. 143. & ſeqq. Differentiæ inter conceſſionem Indulgentiarum, & Suffragiorum Ordinis, num. 150. fol. 485. Suffragia communia Eccleſiæ, quæ, Tract. 13. d. 2. n. 16. fol. 498. His privantur excommunicati, n. 16. & 17.

Superbia, quid, Tract. 3. diſt. 3. num. 2. f. 112. Et quale peccatum, num. 3. Filiæ ſuperbiæ, quæ, num. 5. & ſeqq. fol. 113. Superbia, cur dicatur vitium Capitale, n. 20. fol. 114. Quæ ſint remedia contra eam, num. 11.

Superiorum obligatio erga ſubditos, Tract. 9. diſt. 2. num. 22. fol. 320. Præceptum de Correctione fraterna magis obligat Superiores, quam Subditos, Tr. 4. diſt. 6. num. 49. & 50. fol. 144

Superſtitio, quid, Tract. 5. d. 2. num. 2. & 3. fol. 165. Superſtitionis duæ ſunt ſpecies, num. 4. & ſeqq. Et quale peccatum, nu. 8. & 10.

Suſpenſio, an poſſit imponi ob peccatum veniale, Tract. 13. diſt. 1. num. 8. & 10. f. 487. Vel per modum pœnæ, nu. 12. Non incurritur, niſi ob culpam propriam, nu. 25. f. 490. Vide *V. Cenſura.* Suſpenſio, quid, Tract. 12. diſt. 2. num. 76. & 79. fol. 507. in quo differat a Degradatione & Depoſitione, num. 77. Suſpenſio, latæ, & ferendæ ſententiæ, num. 78. Suſpenſio ab Officio, & Beneficio, num. 79. Totalis, & partialis, num. 80. Suſpenſio ab Officio, an includat ſuſpenſionem a Beneficio, & e contra, num. 81. & 82. Quid de Suſpenſione ab ordine, & jurisdictione, num. 83. f. 508. Suſpenſio abſolute lata, cenſetur totalis, num. 84. & ſeqq. Suſpenſus, ſi exerceat actum ſibi prohibitum an ſiat irregularis, num. 87. Suſpenſionem qui poſſint incurrere, n. 88. & 89.

Suſpicio differt a Dubitatione, & Judicio, Tract. 9. diſt. 6. num. 56. fol. 366. Quid ſit, num. 57. An, quando, & quale peccatum, n. 59. 60. 61. & 64. 65. fol. 370

Suſurratio, ejuſque gravitas, Tr. 9. diſt. 6. num. 31. fol. 365

Synagoga, quæ, Tr. 4. d. 3. n. 2. f. 112

T

TActus impudici: Vide *V. Impudicitia.*

Temperantia, quid, Tr. 7. d. 1. nu. 22. fol. 227. Sumitur etiam large, Ibid. Ejus partes ſubjectivæ, num. 23. & 24. Potentiales, num. 25. & ſeqq. Et integrantes, quæ, n. 32. fol. 228

Tentatio alia probationis, alia Seductionis, Tr. 5. d. 3. nu. 2. f. 175. Tentatio Dei, quid, num. 3. Alia expreſſa, alia interpretativa, num. 4. eſt ex genere ſuo peccatum mortale, num. 5. Solvitur inſtantia, num. 7. f. 166. Tentatio Dei per accidens poteſt eſſe venialis, n. 8.

Teſtamentum, & quæliber donatio mortis cauſa, poteſt libere revocari, Tr. 8. d. 2. num. 16. f. 272. Teſtamentum, quid, Tr. 8. d. 3. num. 1. f. 227. Dividitur in ſolemne, & minus ſolemne, ſeu privilegiatum, nu. 2. f. 278. Paganum, & militare, num. 3. Teſtamentum ſcriptum, ſeu clauſum, & nuncupativum, quid, n. 3. Hoc a Notario ſolet redigi in ſcripturam, cur, nu. 4. Ad teſtamentum ſolemne ſcriptum, quæ requirantur, num. 5. ac ſeqq. Et quæ ad teſtamentum nuncupativum, n. 11. fol. 279. Teſtamentum non privilegiatum, an in Foro conſcientiæ validum ſit, ſi ei deſint ſolemnitates Juris Civilis, num. 12. & ſeqq.

Teſtamenta privilegiata, quæ Tr. 8. diſt. 3. num. 20. fol. 281. Teſtamentum ad pias cauſas, quod, Ibid. Ad hoc quænam requirantur, & ſufficiant, num. 21. Duo teſtes in teſtamento ad pias cauſas non ſunt de forma ſubſtantiali, ſed probatoria, num. 22. Hinc ſcriptum manu teſtatoris valet abſque alio teſte, num. 23. Item ſi hæredi certo conſtet de diſpoſitione ejus ad pias cauſas, num. 24. fol. 282. Quid juris, ſi moriturus cœpit facere teſtamentum, & non abſolvit, num. 25. & ſeqq. An credendum Parocho, vel Confeſſario, circa legata pia a defuncto relicta, num. 27. & 28. Teſtamentum inter liberos eſt privilegiatum, n. 30. Item teſtamentum militare; & quomodo, num. 31. Teſtamentum ad acta, eſt privilegiatum, num. 32. fol. 283. Quid liceat hominibus ruſticis, n. 33. Quid juris de teſtamento tempore peſtis nu. 34. Quid ſpectata ſpeciali locorum conſuetudine, illuſtris, & Regnorum legibus, num. 35. An omnes teſtari poſſint, nu. 36. & 37. Quid de Religioſis, nu. 38. & ſeqq. f. 284 Eorumque novitiis, nu. 42. Teſtamenta Novitiorum an ſubſint Decreto Concilii Tridentini, n. 59. 60. 61. & 64. 65. fol. 470

dentini, num. 43. & 44. Clerici seculares, præsertim Beneficiarii, an testari valeant, num. 45. 46. & seqq. fol. 285. In testamento minus solemni ad causas pias, valent Legata profana inserta, numer. 65. fol. 288. Corruente testamento minus solemni ad causas profanas, non corruunt Legata pia num. 66. & 67. Testamenta tam damnatum, est institutio hæredis, num. 70. fol. 289. An sit obligatio faciendi testamentum, num. 73. fol. 290. Praxis quomodo testamentum sive ad causas pias, sive ad profanas practice faciendum.

Testes Le crimi, qui, Tr. 8. d. 3. nu. 7. f. 478. Testes duo, an sint de substantia formæ testamenti ad pias causas, Tr. 8. d. 3. num. 22. f. 281. Unicus sufficit ad probandum, quando non agitur de alterius præjudicio, Tr. 14. d. 7. num. 67. fol. 608

Theologicæ virtutes, Vide *V. Virtus*, *V. Fides*, *V. Spes*, & *V. Charitas*.

Thesaurus, quid, Tr. 7. dist. 5. nu. 9. fol. 253. Thesaurus inventus, cujus sit, num. 10. & seqq. An sit licitum emere fundum, in quo scitus latere Thesaurus, num. 13.

Thesaurus Ecclesiæ datur, & quid sit, Tr. 12. dist. 3. n. 2. & 3. fo. 476. Conflat ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum, num. 3. & 6. Ubi sit repositus modus, num. 7. fol. 477. Thesaurus Ecclesiæ dupliciter consideratur, num. 8. Et quomodo dispensetur, num. 9. & 10.

Titulus justus, & ad præscriptionem sufficiens, quis, Tract. 7. dist. 6. num. 13. & 14. f. 260. Quando requiratur ad præscriptionem, n. 15.

Titulus ad Ordines sacros requisitus, quid, Tract. 14. dist. 12. num. 64. fol. 650. Et quoduplex, num. 66.

Tonsura primis initiandi, debent prius esse confirmati, Tract. 14. d. 3. nu. 48. fol. 552. An peccetur mortaliter, si secus fiat, num. 49. Prima Tonsura non est Ordo, sed dispositio ad Ordines, Tr. 14. d. 12. num. 10. fol. 641. Effectus, atque privilegia primæ Tonsuræ, num. 12. & 13. fol. 642. Ad hanc an requisitus certa ætas, num. 58. fol. 648

Traditio, quid, Tract. 4. dist. 3. n. 45. fol. 121. Est triplex, nempe Divina, Apostolica, & Ecclesiastica, num. 46. Traditiones Divinæ sunt admittendæ, num. 47. Sunt ejusdem infallibilitatis, ac Verbum Dei scriptum, numer. 48. Regulæ dignoscendi Traditiones Divinas, num. 49.

Tradito est modus acquirendi rerum dominium Jure gentium, Tract. 7. dist. 5. numer. 34. & 35. fol. 257

Trebellianica, quid, Tract. 8. dist. 3. num. 78. fol. 290

Triticum, quid, Tr. 14. dist. 4. num. 11. & 12. fol. 555

Tutor, in quo differat a Curatore, Tr. 8. di. 1. nu. 32. fol. 268. Vide *V. Pupillus*.

V

Valor Missæ Sacrificii, quatenus, Tr. 14. dist. 5. num. 48. & seqq. fol. 512. & seqq. *V. Missa*. Vana gloria, quid, Tr. 3. dist. 3. n. 6. fol. 90. Et quale peccatum, n. 7.

Vana observantia. Vide *V. Juramentum*.

Venationem, & pi cationem possint Principes interdicere, Tract. 7. dist. 5. num. 14. & 15. fol. 254. An, qui contra justam prohibitionem venatur, peccet, teneatur que damnum compensare, num. 16. & 17. An is acquirat dominium Feræ captæ, num. 17. Duplex in proposito fus considerari potest, Ibid. Quid de animalibus domitis, aut feris in certo loco conclusis, num. 20. fol. 255. An fera laqueo intricata sit eximenda, vel laqueum ponentis, num. 21. Venari, & piscari die Festo, an liceat, Tract. 10. dist. 1. num. 16. fol. 377.

Venditio, & emptio quid, Tract. 8. dist. 4. num. 86. fol. Ejus pretium, quotuplex, nu. 87. & seqq. Justitia pretii vulgaris, unde desumenda, num. 90. & seqq. Lucio in emptione, & venditione intervenions, an sit restituenda, num. 95. & seqq. fol. 306. Res tanti valet, quanti vendi potest, quomodo, n. 99. Invitus, an, & in quibus casibus possit cogi vendere, num. 100. & seqq. fol. 307

Veneficium. Vide *V. Maleficium*.

Verba generalia generaliter sunt intelligenda, Tr. 1. d. 4. num. 5. fol. 64. Verborum peccata maxime tunt ex intentione dicentis dijudicanda, Tr. 5. dist. 3. num. 58. fol. 185. Verba, quæ sint de essentia Consecrationis Eucharistiæ, Tr. 14. dist. 4. nu. 38. 40. & seqq. fol. 538. & 559. An proferatur tam recitative, quam significative, num. 44. & 48. fol. 560

Verba proferre recitative tantum, significative tantum, & recitative, ac significative simul, quid, n. 45. & seqq. fol. 559

Verba impudica. Vide *V. Impudicitia*.

Veracundia, quid, Tr. 7. d. 1. n. 31. fol. 228

Veritas duplex, *Speculativa*, & practica, Tr. 1. d. 3. n. 5. f. 22. Veritas requiritur in omni juramento, Tr. 6. d. 2. nu. 12. & 27. ac seqq. f. 205. & 208. Vide *V. Juramentum*. Veritas, sive veracitas, quid, Tract. 7. dist. 2. num. 11. fol. 234

Vestibus Infidelium, an sit licitum uti, Tr. 4. d. 2. num. 51. & 52. fol. 111

Vindictæ, quibus interdicta, Tract. 4. dist. 6. num. 17. fol. 159

Vinum, ut sit materia apta Consecrationis Eucharistiæ, quale esse debeat, Tr. 14. d. 4. n. 18. & seqq. fol. 538. Uva non potest consecrari, n. 19. Nec acetum, aut vinum adustum &c. n. 20. Nec vinum in pane imbibitum, nu. 24. Quid de vino miraculoso, nu. 21. Aut vino con-

congelato, nu. 25. & 26. Quid agendum, si vinum congeletur, n. 27. & 28. fol. 557

Violentia, an cause involuntarium, Tract. 2. dist. 1. num. 27. fol. 7. Violentia, quid, Tr. 3. dist. 3. num. 16. fol. 91. Violenta manuum injectio in Clericum, quæ, Tract. 13. dist. 2. num. 59. fol. 504

Violentiæ impedimentum respectu matrimonii, quod, Tr. 14. dist. 14. n. 61. fol. 683

Virginitas, quid, & quæ importet, Tract. 9. dist. 4. nu. 6. fol. 329. Quid de Virgine vim passa, nu. 7. Virtus, quid, Tract. 4. dist. 1. num. 2. 3. & seqq. fol. 98. 99. Virtus ut sic, quomodo dividatur, num. 5. & seqq. Virtutes intellectuales & morales, nu. 6. Virtutes infusæ, & acquisitæ dantur, & quid, nu. 7. Virtus Theologica quid, nu. 8. fol. 100. Virtutes Theologicæ quomodo differant a moralibus, nu. 9. Sunt tantum tres, num. 11. Et perfectiores Moralibus, nu. 12. Inter Theologicas, quæ sit perfectior, num. 13. Quomodo amittantur, num. 14. & seqq. fol. 101. An, & quomodo habeant medium, n. 19. Virtutes generatim quibus modis intelligi possint consistere in medio, nu. 17. & seqq. Virtutes Cardinales, quot, & cur sic dictæ, Tr. 7. dist. 1. num. 2. fol. 224

Vitam servare nisi mediis ordinariis, non tenemur, Tr. 9. d. 3. n. 13. & 14. fol. 322

Unctio Extrema, Vide *V. Extrema Unctio*.

Voluntarium tripliciter, Tract. 1. dist. 1. nu. 2. fol. 2. & seqq. Voluntarium stricte, num. 3. Hoc divisibile in perfectum, & imperfectum, num. 4. Directum, & indirectum, num. 5. & 6. Voluntarium secundum se, & in sua causa, num. 7. fol. 3. Voluntarium interpretativum, num. 8. Quæ requirantur, ut effectus, veluti in causa voluntarius, imputetur ad culpam, num. 9. & seqq. Quando imputentur effectus, veluti indirecte voluntarius, num. 15. fol. 4. Voluntarium ab tollitur per violentiam, nu. 27. fol. 7. Metum, num. 28. Concupiscentiam, nu. 32. & 33. fol. 8. Passionem, num. 34. Vel ignorantiam, nu. 42. & seqq. fol. 10

Voluntas repetatur pro facto, quomodo, Tr. 1. d. 2. n. 32. & 33. Fol. 18

Votum, quid, Tr. 6. d. 3. n. 1. fol. 210. Quare ad illud requiratur deliberatio, n. 4. fol. 211. Votum sit soli Deo, num. 5. Est de meliori bono, num. 6. Matrimonium an sit materia voti, num. 7. Votum simplex, & solemne, quid, & quomodo differant, nu. 8 & 9. Votum personale, & mixtum, n. 10. f. 212. Absolutum, & conditionatum, num. 11. Voti transgressio, quale peccatum, nu. 12. & seqq. In Juramento falso non excusat levitas materiæ, secus in voto violato, cui, nu. 14. Dubius de emittione voti an teneatur, n. 15. & 16. Quid, si quis certus est de voto, sed dubitat de habita intentione se obligandi, num. 17. f. 213. Votum sine temporis determinatione, quando obligat, nu. 18. Voti obligatio, an sit personalis, num. 19. & seqq. Quid de votis Communitatum, num. 21. Factum alienum si voverur quomodo explicandum, n. 22. Impeditus implere votum personale per se ipsum, an teneatur substituere alium, num. 24. Voti obligatio quatuor modis definere potest, num. 25 f. 214. Votum cessat cessante causa finali, num. 26. Et ob mutationem materiæ, num. 27. & 28. Quid de voto conditionato, & temporali, num. 29. & 30. Votorum commutatio, an propria auctoritate possit fieri in melius, vel opus æquale, num. 31. & seqq. f. 215. In professionem Religiosam omnia vota commutantur, num. 33. Vota a quibus irritari possint, n. 35. & seqq. Quid de votis impuberum, n. 38. fol. 216. Religiosorum, num. 39. Liberorum puberum, & Servorum, num. 40. Et Conjugum, num. 41. Datur in Ecclesia potestas dispensandi in votis, num. 42. f. 217. In quibus hæc potestas resideat, n. 41. Quam potestatem dispensandi in votis habeant Cessionarii Ordinum Mendicantium, num. 44. 46. & seqq. Vota Summo Pontifici reservata, quæ, num. 45. Ea sunt stricte interpretanda, num. 46. An possint Episcopi dispensare in voto Castitatis non perpetuæ, num. 48. Ac voto conditionato, & poeneli, Ibid. Dispensatio, in votis ut sit valida, requirit justam causam, nu. 49. & 50. f. 218. Quid cessandum de votis in favorem tertii emissis, num. 51. In votis quomodo possit dari dispensatio, cum tamen obligent Jure Divino, Tr. 2. d. 4. n. fol. 67. 25. & 26.

Votum, & Juramentum super eadem re factum, si violetur, est duplex species malitia, Tr. 3. d. 1. num. 49. fol. 80. Quid, si violetur votum sæpius renovatum, Ibid. In omni voto quatuor conditiones tacite subintelligantur, Tr. 6. d. 2. num. 23. fol. 207. Hæ non faciant votum conditionatum, num. 24.

Votorum Dispensatio, qualiter obtinenda, & quænam sint observanda, Tr. 6. dist. 3. n. 54. & seqq. fol. 259

Votum quale impediat matrimonium contrahendum, Tr. 14. d. 14. n. 15. f. 676. Contrahens cum voto simplici Castitatis, a peccet, n. 25. f. 677. Ac debitum petere, vel reddere possit, n. 17. 19. & seqq. Quid de vovente non nubere, vel Ordines sacros suscipere, aut Religionem ingredi, nu. 21. Habens votum simplex Castitatis, an validæ contrahat sponsalia, num. 27. f. 678. An per tale votum dissolvantur priora sponsalia, num. 36. f. 679. Votum solemne Castitatis dirimit matrimonium, num. 76. f. 685. Quid de votis simplicibus Societatis JESU, n. 77.

Vota

Vota majora in electionibus, quæ, Tract. 11. d. 1. n. 21. fol. 408
Usucapio, & quid, an differat a præscriptione, Tr. 7. disp. 6. num. 2. & 3. fol. 258. Vide V. Præscriptio.
Usura varie accipitur, Tr. 8. d. 4. n. 10. f. 293.
Usura, quid, n. 11. & seqq. Usura expressa, & palliata quid, n. 14. Usuræ sunt prohibitæ Jure tum humano, tum Divino, nu. 15. Solvitur instantia de parabola Patris familias, num. 16. Deus an concesserit Judæis exercere usuras, n. 17. & 18. Usura etiam Jure naturali illicita est, n. 19. & seqq. Usura an sit, mutuare cum pacto remutandi, nu. 25. fol. 296. Quid de contractu Mohatra, n. 26. & 27. Et Montibus Pietatis, n. 28. & seqq. An aliqui tituli excusent ab usura, & qui, num. 31. & seqq. fol. 297. Quid de contractu Societatis, nu. 48. Et Censibus, n. 48. 61. f. 299. & 302. ac seqq. Potest Lege Usuris statui modus, non tamen ex redditu licitæ, n. 44. f. 298. Usuræ an Jure civili approbentur, n. 45.
Usurarius non comparat dominium rei per usuram acceptæ, Tr. 8. d. 4. num. 22. f. 295. Quid de pecunia usuraria, n. 23. Usurariorum pœnæ præcipuæ, n. 24. Nomine lucri usurarii; quid intelligatur, n. 12. fol. 293
Usus facti, & Usus juris, Tr. 7. d. 3. num. 11. f. 240. Usus juris, quid, n. 13. & quomodo differat ab usufructu, n. 7. 14. & 15. f. 239. & 240. Usuario, seu habenti usum rei, quæ liceant, n. 15. & 16.
Usufructus, quid, Tr. 7. d. 3. num. 7. fol. 239. Jus utendi, & fruendi, quomodo deferant, Ibid. Usufructuarius, quis, num. 9. Ad quid teneatur, num. 10. & seqq. Usufructus, quomodo differat ab Usu juris, n. 14. & 17. fol. 240
Uxoris bona dotalia, & paraphernalia, quæ, Tr. 7. d. 4. num. 14. f. 245. Horum proprietas an maneat penes uxorem, n. 15. & seqq. Uxor, quomodo peccet accipiendo ex bonis mariti, n. 19. & Tr. 9. d. 5. n. 28. & seqq. f. 347. An, & quales possit facere donationes, & eleemosynas, Tr. 9. disp. 5. n. 33. & seqq. fol. 348. Quid ei liceat, si maritus est dissipator bonorum communium, nu. 36. Uxor, an teneatur sequi virum mutantem domicilium, & e contra, Tr. 14. disp. 13. num. 69. & 70. fol. 663

FINIS.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS